IV. Y 53

2° J. can. P. Dominis

59 a (1

2 J.can.p. 59 a-1

<36625994700013
<36625994700013
Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google



DE REPVBLICA ECCLESIASTICA LIBRI X.

Auctore

Marco Antonio de Dominis

Archiepiscopo Spalatensi.

Cum suis Indicibus.

LONDINI
Ex Officina Nortoniana
Apud
Io: Billivm

MDCXVII.

Austausch der Notgemeinschaft der Deutschen Wissenschaft
Aus dem Tausch der Notgemeinschaft der Deutschen Wissenschaft

IN HIS X. DE REP. ECCLESIASTICA LIBRIS
VERVM, ET PROPRIVM ECCLESIÆ REGIMEN
QVALE A CHRISTO FVIT INSTITVTVM,
AB APOSTOLIS, APOSTOLICISQVE VIRIS VSVRPATVM,
A SANCTIS PATRIBVS TRADITVM,
A CONCILIIS CATHOLICIS INCVLCATVM,
ET AB VNIVERSALI CHRISTI ECCLESIA
PER PLVRA INCORRVPTA SÆCVLA VSV RECEPTVM,
EX IPSO SACRARVM SCRIPTVRARVM FONTE,
PATRVMQVE, ET CONCILIORVM,
AC SCRIPTORVM ORTHODOXORVM MONIMENTIS
FVSE EXPLICATVR.

PARS I.

CONTINENS LIBROS I. II. III. IV.

Digitized by Google

M. ANT. DE DOMINIS COM. PAL. ARCHIEP. SPALAT. DALM. ET CROAT. PRIMAS.

Scriptura, Patres, Concilia nolunt tegi.
Et ipsa gestit evolare veritas.
Sum Christianus, Catholicus præsul, frugi.

Episcopatum, Ecclesiam, Christum, fidem
Mea penna, lingua, vita, mors ipsa asseret
Nec plus obire valeo, nec fas est minus.

Joannes Bill excud.

VNIVERSO DIVINORVM SANCTAE CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPORVM ORDINI,

Veritatem, Charitatem, Libertatem,
Fœlicitatem.

QVod Rex pacificus Salomon, nullo *turbatus bellorum strepitu, quando habebat pacem ex omni parte in circuitu; habitabatque Iuda, & Israel absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee, cunctis diebus ipsius; Virorum fortium cõquirendorum desiderio non teneretur; vix, puto, quis mirabitur: quorum enim in summa pace operâ non indigebat, eos profecto desiderare & quærere videbatur superuacaneum. Mirari tamen merito possumus, dum illum videndæ, & inueniendæ Mulieris fortis ardere cernimus cupiditate* [b] *Mulierem*, inquit, *fortem quis inueniet? Non ille certe de fœminæ alicuius fortitudine cogitabat; qui, sapientiâ diuinitus acceptâ, optime nouerat, in fragili ac imbecilli muliebri sexu, fortitudinem locum non habere; quæ non tam facile vera & perfecta in viris etiam soleat reperiri. Nec insolitum est in Sacra Scriptura, vt literalis sensus à Spiritu Sancto immediate ac proxime intentus sub metaphoris proponatur, ac similitudinis cortice cùm obtegatur, tùm exornetur. Ac certe Viri docti, tum nostræ fidei & religionis, tum* [c] *Rabbini Synagogæ; de muliere vera & propria Salomonem nequaquam loqui; sed sub Mulieris metaphora illum mentem alio direxisse,*

a 3. Reg. 4.

b Prou. 31.

c Apud Lyran. in Prou. c. 31.

direxisse censuerunt. Ecclesiam sane [a] Doctores nostri, ac merito, Mulierem hanc fortem à Salomone quæsitam, intellexerunt. Cernebat scilicet Vir Dei sapientissimus, genus humanum, innumeris implicari erroribus; Idolis ac Dæmonibus per totum ferè mundum litari. Ac illis quidem sæculis in solo pene Iudææ angulo [b] notus erat Deus: erat certe apud eos Mulier, hoc est, Ecclesia; sed non Mulier illa fortis: erat exigua ac imbecillis; erat ad Idola colenda propensissima; erat vitijs ac sceleribus non parũ contaminata: Sed neq; deerant veri Dei fideles etiam inter gentes: qualẽ Iob sacræ literæ prædicant eminentem. Deus enim non adeo soli circuncisioni suam aligauerat Ecclesiam, vt etiam extra circuncisionem pars eiusdem aliquota non esset; tametsi obtutibus non admodum patens. Si in gentibus Deus suos non habuisset, Ionam ad prædicandam Niniuitis pœnitentiam in Assyriam non ablegasset: [c] Melchisedec inter gentes, & Rex fuerat Salem, & Sacerdos Dei Altissimi. Cupiebat igitur Salomon, diuino afflatus spiritu, aliquem videre, qui Ecclesiam hanc Dei, per totum orbem sparsam; & illam quidem tunc exiguam, debilem, ac latentem inueniret; inuentam corroboraret, ac perpoliret. Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum toto affectu desiderabat, dum quærebat, Quis? Mulierem fortem quis inueniet? Quis nimirum, ille erit, & quando aduenict, qui sponsam suam sibi exornet, ac dote cœlesti ditet, qui vnam sibi electorum omnium, cùm Iudæorum, tùm Gentilium, Ecclesiam congreget; eamque toti Mundo reddat conspicuam; fortemque ac potentem filiorum multiplicatione, sua gratia efficiat? Mulierem fortem quis inueniet? [d] Quis alius, inquit Augustinus, nisi Christus? Non autem eam fortem inuenit; sed inueniendo fortem fecit: nam vt eam inueniret, [e] nonaginta nouem dimisit in montibus, & quæsuit vnam, quæ errauerat: & humeris suis impositam ad ouile proprium reuocauit.] Ex quo igitur Mulier hæc Ecclesia, à Christo inuenta est, & desponsata; quia in ea confidit cor Viri sui; aucta est viribus, fortis facta est, & omnibus conspicienda. Vt non sit amplius dicendum Mulierem fortem quis inueniet? [f] Quis non videt, ait Augustinus, eam iam à Christo inuentam, iam eminentem, iam conspicuam, iam gloriosam, iam ornatam, iam lucidam, &, vt cito explicem, toto terrarum orbe diffusam? Mulierem istam Ecclesiam, qui quæsuit, & inuenit, Christus agnoscitur: & post-

quam

a Augustin. serm. 217. 218. de temp. & Glos. ord.

b Ps. 75.

c Gen. 14.

d Augustin. serm. 217. de temp.

e Matth. 18

f Augustin. serm. 218. de temp.

quam eam inuenit, non ſolummodo de ſpinis peccatorum ſuorum eripuit, ſed etiam lapidibus precioſis ornauit.] *Hos vero lapides explicat Auguſtinus eſſe Viros doctos, & ſanctos Epiſcopos.*

Sed heu, quo tandem deuentum eſt, fratres, & Patres Chriſti amantiſſimi? Quo tempore Mulier hæc fortiſſima & ornatiſſima maximo fulgebat ſplendore, lapidibus hiſce precioſiſſimis tota rutilans, cæpit etiam & ſplendorem paulatim & ornatum, amittere, dum lapides hi precioſi de corona eius, de collo, de digitis, de zona, de ſtola, deciderent: amiſſo vero magna ex parte ſuo ornatu, rurſus illa miſerandum in modum delituit: vt iam rurſus, noſtro tempore vel maxime, non ſine lachrymis dicamus quotidie; Mulierem fortem quis inueniet? Volo aliud commendare charitati veſtræ, (ibidem pergit Auguſtinus) *quantum capitis, quantum timeo, quantumque timere debetis, de his lapidibus precioſis. Sunt in Eccleſia lapides precioſi, & ſemper fuerunt, docti ſcilicet, abundantes ſcientia, & eloquentia, & omni inſtructione legis. Precioſi plane iſti lapides ſunt; de ipſis fuit Cyprianus, de ipſis fuit Ambroſius, & cæteri eorum ſimiles: ex eorum numero quidam errauerunt ab ornatu huius Mulieris.*] *Quinam verò ſunt, obſecro, lapilli, hoc eſt Epiſcopi, qui ab ornanda Eccleſia deſtiterunt, niſi qui ad gloriam propriam, ac mundana commoda conuerſi,* [a] *quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti? Ab his Eccleſia deſtituta, ne dicam profanata, & robur amiſit, & decorem: Rurſumq;* [b] *quaſi abſconditus, factus eſt vultus eius. Fuit Eccleſia noſtra aliquando, fuit* [c] *Ciuitas à Chriſto ſupra montem poſita, quæ abſcondi non poteſt: & tunc non erat cur diceretur, Mulierem fortem quis inueniet? Sed dici debuit,* inquit Auguſtinus, [d] *quis non inueniet?*] *Et pergit: Sed tu Ciuitatem in monte poſitam vides: vt autem in monte ponitur, inuenta eſt. Ipſa eſt enim ouis illa, quæ perierat. Et re vera, fratres, Eccleſia Catholica eſt, quæ iam illuſtrata eſt: Quis ergo eam non videt? Quando latebat, quis eam inueniebat? Sicut enim iam dicta eſt ipſa Ciuitas; ita & ouis, quam perditam quæſiuit Paſtor. Ipſe Paſtor mons eſt; ouis ergo in humeris eius Ciuitas eſt in monte. Quomodo autem eam inuenires, cum lateret inter vepres, & ſpinas, vtiq; delictorum ſuorum? Ibi eam quæſiſſe magnum, ibi inueniſſe mirabile eſt. Hæc ouis difficilis commendatur inuentio; cui dicitur, Mulierem fortem quis inueniet? id eſt Eccleſiam.*] *Hæc Auguſtinus.*

2.

a Philip. 2.

b Iſa. 53.

c Matth. 5.

d Aug. ibid. ſerm. 218.

3. a Thren. 4. *Quia tamen iam* [a] *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarij, in capite omnium platearum: qui iam dispergi cæperunt tempore Augustini; quando ex lapidum pretiosorum numero, quidam ab ornatu huius Mulieris iam errabant: hinc ipsa Mulier inter vepres, & spinas nostrorum delictorum rursus cogitur delitescere: hinc Ciuitas hæc supra montem posita lachrymabile passa incendium, inter rudera & ruinas, inter cinerem mutum & faullas, inter nigredinem, & fuliginem, etsi deleta funditus non sit, paucorum tamen se obtutibus exhibet intuendam. Graue hoc huius ciuitatis, seu domus incendium, vbi pluribus descripsit, aurea sua eloquentia, vir diuinus Chrysostomus, exclamat tandem his verbis:* [b] *O rem amaris lachrymis dignam: Nam omnia ista incendit vanæ gloriæ tyrannis; flamma illa nihil non vorauit.] Flammam vero hanc si volumus scire vnde cæperit, & quomodo reliquam pene totam domum combusserit; audiamus eundem: In causa vero, inquit, est, quòd columnarum, quæ in Ecclesia sunt, sustentacula destituerunt nos, qui ipsum culmen recipimus, & qui omne ædificium continemus; igne nos primum circumplexa sunt: propterea & in reliquos parietes facile peruenit incendium. Nam & ædificijs quidem, quando ligna corripuerit ignis, eo fortius aduersum lapides armatur: quando vero columnas demolitas ad terram proiecerit, nihil iam amplius opus est flamma, quo reliqua deuastet. Cadentibus enim sustentaculis, quorum est superiora suffulcire; sponte iam & magna promptitudine sequuntur & ipsa suprema. Ita sane, inquit, & nunc in Ecclesia factum est. Omnia corripuit ignis. Honores ab hominibus quærimus; & gloriæ desiderio accendimur.] Et paulo post addit: Multa facta est, & magna, mali huius vehementia; omnia subuersa sunt, ac vastata. Honoris serui facti sumus, relicto Deo.] Quos itaque lapides ab ornatu huius glorioſæ Mulieris decidere, deflebat Augustinus: hos eosdem lapides, nimirum Ecclesiæ columnas, Episcopos ipsius, & Rectores, vanæ gloriæ, hoc est pompæ mundanæ, & ambitionis terrenæ, postquam Episcopatus non amplius seruitus & ministerium, sed honor & dignitas mundana esse cæpit, quasi inextinguibili flamma correptos, miserabilis in Ecclesia incendij causam, Chrysostomus etiam deplorauit. Nunc igitur maxime, quando Ecclesia iam tota in nobis suis Prælatis, & sane præcipuis quibusque, ac primis, mundana facta est; & alium Christum vix agnoscit, nisi carnalem & temporalem;*

b Chrysost. hom. 10. in ep. ad Ephes.

temp ralem; dicamus meritò, Mulierem fortem quis inueniet? Nostræ pompæ, noster fastus, & luxus, nostra ambitio, nostri terreni dominatus, nostra [a] *caro, & noster sanguis, qui diuina non reuelat, nostra terrena penitus consilia effecerunt, vt fœdis schismatibus ipsa Christi Ecclesia in fragmenta pene innumerabilia sit conscissa.* a Matt. 16.

4. *Quis illam inueniet? Oriens dicet Ecclesiam in Occidente totam periisse: Nos Occidentales Romani, illam in Oriente, vel quasi iam extinctam lugemus, vel fastidimus. Septentrio nos non Christo, sed Antichristo seruire clamat: Nos Septentrionem extra Ecclesiam ponimus naufragantem. Quis igitur Mulierem hanc fortem iam inueniet? Quomodo Græci mulierem suam fortem putant, si exclusis prius Ecclesijs Arianis, Nestorianis, Macedonianis, Eutychianis, Dioscorianis, aliisque malis sectis, in ipso Oriente; & præciso toto Occidente; ad exiguum numerum reducuntur? Quomodo Aquilo ad vnicum orbis angulum, mulieris huius fortis vires totas redegit? Quomodo nos apud nos solos Mulierem hanc fortem residere vel cogimus, vel cogitamus; ab ipsius imperio, imò consortio abscisis & amotis tota pene Asia, Africa, & bene-magna parte Europæ? Ecclesia profecto vera Mulier hæc fortis est: si vero fortis non sit, Ecclesia non est. Fortis vero est, quia vna, quia magna, & toto orbe diffusa. Ex vnitate fortis est; ex Vniuersitate Catholica. Nos vero ipsi, nostris dissensionibus, & vnitatem soluimus, & restringimus Vniuersitatem: & Christum ipsum nostris vanitatibus mendacem facimus. An non est Veritatis verbum, Ecclesiam ipsius dilatandam fuisse à* [b] *Hierusalem vsq; ad extremum terræ? prædictum est hoc à Christo; prædictio effectum habuit: neque solum Romæ, in Italia, Gallia, (nec tota) & Hispanijs; sed etiam in toto pene Oriente, in tota reliqua Europa, & alijs remotissimis regionibus Christus prædicatur, & Baptisma in nomine eiusdem sanctæ & individuæ Trinitatis confertur. Hæc est Mulier fortis: &, si modò nos, qui regimus Ecclesias, vera & perfecta Christi charitate imbuti, non* [c] *quæ nostra sunt, sed, quæ Iesu Christi, quæreremus, cito & facile confractionem Vnitatis redintegraremus: & restrictionem Vniuersitatis ailataremus: nostrisque controuersijs, eadem charitate vrgente, facillime finem imponeremus: vel saltem metas, quas non transilirent, statueremus. Neque nos* b Act. 1.

c Philip. 2.

aut

[a] Cant. 1. *aut à [a] filijs Matris nostræ, huius fortis Mulieris acerbè oppugnaremur, aut contra ipsos adeo hostiliter pugnaremus, eosque diris deuotos pessimis in barathrum inferorum infimum detruderemus.*

5. *Nostrum igitur est, fratres, & Patres mihi colendissimi, iam tandem Christi vocem attente audire, Christi causam serio agere, Christi sponsam strenuè refocillare: & saltem mente, atque cogitatione tanti mali radicem funditus indagare. Nostrum est Mulierem hanc fortem, nostra culpa obtectam, obscuratam, profugam quærere, & inuenire. Nostrum est ciuitatem hanc, graui incendio correptam, corruptamque redintegrare; vepribus, ac dumetis circunseptam perpurgare, aperire, & rursus conspicuam reddere, ac manifestam. Turres quidem & columnæ non paucæ ceciderunt; sed mœnia, spero, imo scio, integra adhuc manent, & illæsa. Igitur,* [b] Cant. 8. [b] *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Murus integer nobis relictus est Sacra, Diuina, Canonica Scriptura: Super hunc murum ædificemus propugnacula, non terrea, non lutea, non lignea, sed argentea.* [c] Hieron. in 1la. c. 54. [c] *Qui in disputando fortissimus est, & Sanctarum Scripturarum testimonijs roboratus (inquit S. Hieronymus) iste propugnaculum Ecclesiæ est. Non fidamus nobismetipsis solis; non aucupemur, non sequamur distortas vanas, & argutulas Sacræ Scripturæ interpretationes, ante posteriora sæcula in Ecclesia inauditas. Fidei nostræ dogmata sensui natiuo, obuio, genuino, ac minime coacto superstruamus. Turres adhuc antiquæ extant; eas incendium fortè lambere potuit, nequiuit tamen absorbere. Patres sanctos orthodoxos, Doctores incorruptos, Concilia antiqua, quæ sunt Turres angulares, contemplemur. Eorum normâ nos, & nostra metiamur; eorum stemus documentis: ab ijs vniuersis ne latum quidem vnguem liceat discedere: ex his vere purissimis & candidissimis lapidibus, argentea propugnacula extruamus; vt candidam veritatem, candido, & puro mentis affectu, depulsa omni falsitate, abiectis fallacijs, omni dolo deposito, propugnemus: Profiteor equidem, me super hunc solidissimum sacræ Scripturæ murum decem hæc propugnacula, vt spero, firma, & inconcussa, excitasse: Nam & Deū immortalem testem, iudicem, vindicē aduoco, me non gloriolæ cupiditate delenitum, non nouitatis studio addictum, non sectæ cuiusquam vel antiquæ reuocandæ, vel recentis promouendæ spe captum, curuam mihi, prauamque*

uamque ex ingenio meo regulam huic erigendæ machinæ confinxisse: sed antiquissimam, certissimam, Deo hominibusque probatam sequutum esse; hoc est, solius diuinæ Scripturæ, Sanctorumque nostrorum Patrum, priscorum Conciliorum, & sacrorum Canonum rectissimis lineis innixum, molem hanc totam ædificasse. Cuius propugnacula singula, quàm potui puro ex his solis effosso argento, compacta, ac ferruminata vndequaque solidaui: Illa sola veritate suffultus, quam in ipsis orthodoxis Patribus, Concilijs, approbatisque antiquitatum monimentis tractatam, stabilitam, & egregiè confirmatam, à totaque Christi Ecclesia, per multa sæcula, antequã corrumperetur, acceptã, laudatã & seruatam, legi, ac inueni. In his Episcopalem potestatẽ iam miserè apud nos, depressamne dixerim, an oppressam? debilitatamne, an debellatam? diminutamne, an dirutam? qualis tamen in se sit, agnoscetis; & quid, quantumque Deus (non vllus homo purus) Vicarijs, Legatisque suis, Episcopis, immediatè & concesserit, & commiserit, planè perspicietis: indeque ad Episcopale munus perfectè exercendum, Christique causam tuendam prompti ac hilares accingemini.

Ecclesiam, Mulierem nostram, fratres, sortem reddamus, aut potius cognoscamus. Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Habet Ciuitas nostra ostium; nostrâ tamen culpâ perfossum, fractum, & hians, hostium etiam insidijs, insultibusque nimis, heu nimis peruium; foribus est occludendum: compingamus illud tabulis cedrinis; Compactio poscit vnitatem; nisi tandem omnes [a] *idem sapiamus, & in eadem, vt monet Apostolus, permaneamus regula, ostium hoc prædatores, vastatores, rabidas etiam feras admittet, quæ totam dissipent ciuitatem. Compingamus igitur illud tabulis, ijsque non saligneis, sed cedrinis: omnem sensum corruptibilium deponamus. Non enim laboro, vt detegam ciuitatem terrenam, sed in terris cœlestem. Si vultis mecum Mulierem hanc sortem inuenire; deponite, obsecro, tantisper, saltem dum hæc, quæ ego hoc opere considero, legitis, affectum omnem gustumque terrenorum: simus omnes simul tabulæ cedrinæ, odoratæ, ac incorruptibiles: solum cognoscendæ veritatis nos desiderium moueat: occludamus hisce tabulis ostia; nec res vlla nos terrena, non fulgor purpuræ, non pondus auri, non fugacia commoda, non mundi vanitas, non obstinatio opinionum, non odium, non cupiditas, non timor, non spes, non amor turbet, excitet, transuersos agat,*

6

[a] Philip. 3.

agat, & à sincera vel cognoscenda, vel propalanda veritate absterreat, tantillumue abstineat. Cognoscamus, Patres Reuerendissimi, potestatem nostram; munus nostrum agnoscamus. Pudeat nos, aut ipsos esse [a] cæcos, aut à ductoribus cæcis duci. Ipsi profecto, ipsi ductores sumus aliorum, & pastores. Et de nobis Mulier hæc fortis, coram Viro suo, Christo Domino, & Saluatore nostro, plurimum conqueretur; si pro nostra virili, vt illa inueniatur, & vere fortis per summam vnitatem appareat, & cognoscatur, non conabimur. Scio me arduum huius fortis Mulieris inueniendæ, ac perfecte delineandæ, negotium suscepisse. In quo vt per multos annos laborarim, fecit exitiale dissidium, quod inter nostram Romanam Ecclesiam, & Græcam ac Orientalem, iam inueteratum cernebam: odium quoque capitale, ac bellum, quod in ipso Occidente inter nos, & alias nobilissimas Christi Ecclesias tandiu ardet implacabile, perpetuos in me, atque acres iamdiu fouet igniculos, tum cognoscendi ab intima ipsa mali radice, quænam sit tantæ dissensionis, ac fœdissimorum schismatum, causa; tum etiam aliquid pro viribus conandi, vt saltem aperiam, quo pacto possint pernicioſissimæ hæ diuisiones aboleri, tolli schismata, ac fides & religio, Ecclesiæq; omnes, Christi sanguine redemptæ, fundatæ, ac stabilitæ, ad primæuam reduci concordiam, perfectamq; in caritate vnionem. Ex his enim dissensionibus, & regnum Christi spirituale impeditur, & Regna temporalia turbantur, ciuilisque pax, & humana tranquillitas, propter Ecclesiastica hæc dissidia, vehementer periclitantur, simultates insurgunt, vacillat obedientia, defectiones solicitantur, excitantur bella, sceptrorum ac diadematum inuasiones, atque rapinas vafra potentium ingenia meditantur. Quo hæc prætextu? scilicet sanctissimo, fidei ac religionis. Hæc per fas nefasq; promouenda. Huius æmula hæresis, & secta omnis execratione, igne, gladio exterminanda. Hanc paucioribus articulis constringentes, vel ritibus diuersis, aut tenuioribus induentes proscribantur, diripiantur, trucidentur. Hinc tot pia ac sanctifica homicidia, paricidia, regicidia: (heu vera, ac nimis iusta Christiani nominis opprobria!) Hinc lanienis, vastitati, adeoque sub Christianismi fouendi specie, Christianitati prorsus abolendæ amplissimus aditus aperitur.

[a] Matth 15.

7. Hæc mea mens, teste Domino, sincera & pura, Patres sapientissimi; hic scopus est totius huius operis & laboris; vt, si fieri possit

possit, sublato tanto schismate, extincto immortali odio, sedatis bellis, dissidiisque compositis, [a] Vnum & idem sentiamus & dicamus omnes: ne amplius [b] inconsutilis Christi tunica, sancta ipsius Ecclesia, scindatur, & laceretur. Faxit Deus ter optimus Max. vt quo mentis candore, animique sinceritate hæc à me proferuntur, & scribuntur; eodem à vobis, Patres optimi, & ab omnibus sacræ Theologiæ studiosis, cuiuscunque partis quisque sit, accipiantur. Vtinam Spiritus Sanctus corda vestra, fratrum meorum, Catholicæ Ecclesiæ Coepiscoporum, moueat ad idem mecum serio considerandum, & ad eundem finem, quem mihi solum proposui, indefesse laborandum. Vt, veritatis viâ, quæ Christus est, inuentâ, & citra humanæ corruptionis peruersa consilia, vitiosasque animorum perturbationes arreptâ, omnes Christi ouiculas per deuia, & abrupta aberrantes, ab imminenti præcipitio in tuta ac læta pascua reuocemus. Pluribus hic mihi iam agendum non est, Collegæ reuerendissimi, Virique doctissimi; vt pius & Catholicus Lector, magna animi sinceritate totum opus perlegens, re ipsa potius agnoscat, me candidè, atq; sincerè cupere, & conari, in re tam graui differre; quam vt fucatis dictis meis, ac pollicitationibus, sibi initio à me verba tantum dari, suspicetur. Libet vos omnes fratres meos amatissimos, non meis, sed Hilarij Pictauiensis verbis alloqui, ac dicere. [c] Oro per Domini misericordiam, vt, quia mihi ad vos de diuinis rebus, & de fidei nostræ intemerata conscientia erit sermo, ne quisquam de me, ante sermonis consummationem, per literarum exordia existimet iudicandum. Iniquum est enim, nisi comperta vsque ad finem ratione, dictorũ præiudicatam sententiam, ex initijs, quorum causa adhuc ignoretur, afferre; cum non de inchoatis ad cognoscendum, sed de absolutis ad cognitionem sit iudicandum. Est enim mihi, non de vobis, vt Dominus sensui meo conscius est; sed de quibusdã nimium apud se cautis, & prudentibus metus, non intelligentibus, per B. Apostolum sibi, ne [d] supersaperent, præceptum: quos vereor, nolle omnia ea, quorum absolutio à me in consummatione erit præstanda, cognosci: dum verum intelligi ex ijs, quæ absoluentur, euitant. Sed quisquis hæc legenda, & cognoscenda susceperit, modum sibi, atque mihi patientiæ fidelis indulgeat; & vsque ad absolutionem vniuersa percenseat: forte enim omnis hic fidei meæ sermo præstabit, vt neque furtiui hæretici, quod volunt, fallant; & perfecti Catholici, quod desiderant, consequantur.] Hæc

[a] 1.Cor.1.
[b] Io.19.
[c] Hilar de Synodis.
[d] Rom.12.

ego à vobis, Patres Venerandi, cum Hilario enixe peto.

8 Iam igitur rem aggressurus ad Christi Domini gloriam & honorem, quem solum præ oculis habeo, ex intimis animi mei præcordijs, Jesum Filium Dei, Deum verum precor, vt mihi scribenti Spiritu suo Sancto perpetuo assistat; doceat me, & instruat; neque permittat contra ipsum, qui veritas est, me, solius veritatis assequendæ, & amplectendæ cupidissimum, quicquam moliri, aut cogitare. Ille, ille lapsurum sustineat, fatiscentem erigat, tu ubantem corrigat. [a] Illuminet oculos meos, ne obdormiam; & dicat inimicus, prævalui aduersus eum. [b] Statuat idem Dominus supra petram pedes meos; vt opus hoc [c] supra petram ædificem: descendat postea pluuia, veniant flumina, flent venti, & irruant in illud; profecto, auxiliante Domino, cuius opus est, non cadet. fundatum enim, vt spero in Iesum meum, erit super firmam petram.

a Ps. 12.

b Ps. 39.

c Matt. 7.

9 Quod si fortè quid hic à me citra Petram positum vacillauerit, vel si super hoc fundamentum quicquam [d] fœni, aut stipulæ superiecero; vos omnes, quotquot estis, fratres meos Coepiscopos obsecro, & obtestor, vt mihi pacatè, amiceque significetis errorem meum; quem vna vobiscum paratus certe sum abominari. Quid ei opus hoste debellante, ac inimicitias professa tela intorquente, qui se offert fratribus condiscipulum suauiter monendum, imo subdit patribus discipulum erudiendum, ac, vbi claudicat, refingendum? Quod si, (quæ huiusce sæculi est ferocia) necesse sit aliquem, non vt monitorem mansuetum, sed feruidum aduersarium, in me insurgere, liceat, quæso, quasi in Olympico certamine, ex lege pugilatus, Antagonistam mihi parem deposcere: liceat Gammaticastros, Rhetorculos, imo Theologos nouicios meo iure recusare: exurgat, opto, aliquis è venerando nostrorum Episcoporum Choro, qui mecum non conuicijs, non verborum quisquilijs, non phrasium inanijs agat, sed me tenacibus rationum nodis, si poterit, constringat, vel autoritatum per incorrupta sæcula probatissimarum nube obuoluat. Quod si quis spurci oris homuncio, è rabularum fæce proreptans, in me maledictorum virus euomat, ac mendaciorum à se vel ab alijs confictorum portenta immittat, se profectò delassabit, chartas frustra conspuet; me non feriet, non petet: contra absurdum surdus esse statuo. Vel si leuiculus quis Sophista, aut Theologaster hesternus, operis mei tantum diuerticula rimetur, & quasi per ramorum apices saltillans, hinc inde paucula carpat admordenda,

d 1. Cor. 3.

denda, næ ego ſoricem huiuſmodi chartarum mearum oras corrodentem, haudquaquàm dignum habiturus ſum conflictatorem. Illum, illum ego iuſtum hoſtem amplectar, qui ædificij noſtri, non feneſtras perfringere, non tegulas comminuere, ſed ipſa concutere fundamenta, totamque trabum incardinatarum compagem diſſoluere conabitur.

Hæc noſtra, antequam typis ederentur, operæprecium erat, mihique certè perquàm optabile, ſolis vobis, Patres venerandi, diſcretiſque ſacræ Theologiæ profeſſoribus, ac almis ſimul Vniuerſitatibus communicaſſe, & veſtro etiam ſeuero, ſed ſincero, examine excutienda propoſuiſſe. Illud verò mihi nec facile, nec liberum, nec tutum fuit; imò nec mearum virium, exemplaria tot manuſcripta congeminare. Profiteor igitur hanc primam impreſſionem eo potiſſimum à me dirigi, vt à vobis (Patres, fratreſque Dei amantiſſimi) omnibuſque Theologis doctis, pijs, & Catholicis opus ipſum diligenter, ſed cum charitate, examinetur. Exactam ego celeberrimorum quorumque ſacræ Theologiæ Collegiorum trutinam non defugio; imo cupio, & exopto: Patauini præſertim noſtri, cuius ego membrum ſum, & ſocius. Etiam liberum venerandæ, totique orbi Christiano conſpicuæ Sorbonæ iudicium expeto; cuius ego, vt acumen, ſoliditatemque ſemper ſum admiratus, ita conſtantiam, libertatemque plurimi facio; vtpote quæ, non temporibus famulari, ac ad oculum ſeruire ſolita eſt, ſed veritatem ipſam omnibus præiudicijs, ac perturbationibus humanis anteferre. 10

Hoc etiam ab ipſo ſanctiſſimo Romano Pontifice humillimis precibus contendo, vt hanc operis mei editionem eo, quo dixi, fine publicatam non grauatè ferat, neque ſolum non impediat, quo minùs ad ſedulum, quod cupio, virorum doctorum examen perueniat, ſed etiam vt accuratam omnium prudentium lectorum cenſuram ſubeat, ipſe imprimis, quantum in ſua Sanctitate eſt, ſatagat, atque vrgeat. Quod ſi impedierit, totumque opus, de more, igni addixerit, aut ex Eccleſijs ſibi ſubditis exterminari curauerit, non poteſt orbis Vniuerſus Chriſtianus non aduertere & agnoſcere, ipſum non ratione, ſed vi, ſuas tueri velle vſurpationes, Eccleſiamque falſitatibus oppreſſam detinere, adeoque cauſæ ſuæ diffiſum, cum clypeum nullum habeat, loricam nullam, nullum aduerſus tela intorta honeſtum munimentum, ignauâ declinatione, imò fugâ vti turpiſsimâ; ac ſedulò cauere, non quidem ne vincatur, ſed ne victus ſuis appareat aſſeclis; à quorum conſpectu 11

propterea & tela nostra, & vulnera sua abscondit. Si debilis, si inanis impetus noster sit, si ipse fidei clypeum gestet, quid timeat? Cur refugiat? Cur se è prælio subducat? Cur, quibus impetitur, tela abscondat? Abscondo, inquiet, ne inermibus noceant, ne tyronibus oculos, cutemque perstringant: librum pestiferum prohibeo longeque arceo, ne rudioribus, simplicioribus, parumque eruditis laqueum struat, & sophismatum plausibilium fuco fraudem faciat. Esto. Librum hunc igitur, aliosque similes, Pater beatissime, prohibe plebi imperitæ, ac, si placet, etiã literatura tenui imbutis, imò Theologiæ candidatis semidoctis. Non repugno: Excipe tamen obsecro, expresse excipe ab hisce generalibus prohibitionibus veteranos Ecclesiæ pugiles, Episcopos omnes, singula Doctorum Theologicorum Collegia, vniuersosque in sacra Theologia Magistros & Licentiatos. His, quæso, omnibus non modo liberam huiusmodi controuersalium scriptorum lectionem permitte, sed & strenuum eorundem examen suade, & pro ea, quâ polles, potestate præcipe. Interim verò ab Operis nostri nondum perlecti absoluta damnatione abstinere, censuramque suspendere certe est æquissimum. Si statim comprimas librum, aut mihi plurimum & iniustè noces, aut, Sanctissime Pater, ipse tibi. Mihi, cuius errores, si qui sint, libro obmutescente, non detegentur; adeoque vestrâ, Beatissime Pontifex, culpâ in errore perseuerabo, à quo me, vt proximus meus Prælatus, teneris reuocare. Sin vera loquar, & nihilominus iussu tuo vox mea comprimatur (liceat dicere, quod vobis libet facere) tibi certè obes maximè; qui nempe, ne veritatem videas, claudis oculos, eandemque ne ad te accedat, longè propellis: vt ipse cæcus in cæcitate pereas, & cum cæcis tuis, quibus eandem veritatem abscondis, in foueam cadas æternæ damnationis. Hic noster veritatis, à Christo edoctus, Christum imitaturus, præco, plurima certe peragrabit loca, ac forte aliquando vel inuitatus, vel inuitus, vel adductus, introibit [a] in atrium Pontificis. A quo vtinam interrogetur [b] de doctrina eius. Tunc certe apertè responderet ei, Ego palam locutus sum mundo - & in occulto locutus sum nihil. Quod si Pontificis iussu, vel in eius gratiam, [c] vnus assistens ministrorum dederit ei alapam, dicens, Sic respondes Pontifici? Tun' de Pontifice, tun' ad Pontificem audes scribere? tun' supremum, immensumque Pontificis primatum discutere? Abi, apage, in æternum sile, ac cum isthac alapâ

a Ioan. 18.

b Ibidem.

c Ibidem.

pâ detrudere in tenebras suppressionis exteriores. Ipse tamen ita duriter acceptus, tribunali Pontificio se adhuc repræsentare non detrectabit: sed vocem illam ab ipso mansuetudinis magistro præscriptam intrepidè subiunget. [a] Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: Si autem bene, quid me cædis? a Ibidem.

12 Quod ad me attinet, vobis (plurimum reuerendi Ecclesiæ Catholicæ Coepiscopi) iterum atque iterum spondeo, me veritati necessarijs rationibus manifestatæ promptissimè semper obsecuturum, ac, si erroris vllius conuictus fuero, opus ipsum perfectius elimatum, correctum, adauctum, & ad sensum Catholicum vltimâ redactum manu, denuo editurum. Mei scilicet instituti (Deum testor) est à diuinitus reuelata veritate, constantique Ecclesiæ sanctæ Catholicæ voce, quibus me, measque cogitationes omnes planè subijcio, nunquam dissentire. Sed illud etiam vice versa à vobis, honorandi Commilitones, meo me iure poscere, ac rogare fas est, vt quilibet vestrum (quod candorem Episcopalem decet) veritati per me hic manifestatæ libenter assentiatur, ac eidem (quod piæ est, erectæque conscientiæ) nec propter temporum iniquitatem, nec per sinistram carnis prudentiam dicto, factoue obnitatur.

13 Et, si Pater Beatissimus hinc plane viderit posse, ex aliqua sui exorbitantis Papatus voluntaria, sed imprimis necessaria, remissione bonum illud omnium Christi Ecclesiarum vniendarum desideratissimum promoueri, planeque obtineri; quidni, postpositis humanis omnibus consilijs, serio animum adijciat, ad hanc Ecclesiæ reformationem, ad animarum Christi sanguine redemptarum salutem procurandam, ad pacem tranquillitatemque inter Christianos Principes, simul atque populos stabiliendam, ac demum ad Dei Opt. Max. gloriam amplificandam. Huic incæpto, quo nullum satius, nihil sanctius, si ille, qui audit Sanctissimus, velit obnixè incumbere, suis diebus opus faciet, quod ipsius Pontificatum reddet posteritati admirandum, perpetuaque gratulationis voce in tota Christianitate memorandum. Illuminator ille Spiritus, viæ vitæq; cœlestis dux, fidelium consolator, quem Christi sui nomine, ac vice misit Pater Ecclesiæ suæ præsidem, adsit, affletq; nobis omnibus, vt vera cognoscamus, recta faciamus; ac non carnis, non Sathanæ instinctu, vt viles mercenarij, sed ipsius salutari ductu, vt pastores boni, Ecclesiam

cleſiam gubernemus, & oues Chriſti palabundas ad caulam reducamus, reductas ſalubri pabulo reficiamus, ac tandem omnes in vnum ouile compactas reducamus ad eum, [a] qui eductus eſt de mortuis, paſtorem magnum ouium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

In ipſo valete.

a Heb. 13.

MARCVS

MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS

ARCHIEPISCOPVS SPALATENSIS

SVÆ PROFECTIONIS CONSILIVM EXPONIT.

NE subitus, ac inopinatus reliquis omnibus hic meus discessus, mihi tamen diutino vltra decennium consilio discussus, exquisitaque deliberatione maturatus aliquam passim apud nostros moueat admirationem; & apud rei ignaros effectus malos, mea culpa si sileam, pariat; meæ non præcipitis, sed optimè consideratæ profectionis consilium opportuna præoccupatione fuit omnino exponendum. 1.

Præuideo sanè non defuturos obtrectatores plurimos, qui ex hac mea profectione maledicendi, meque calumnijs de more impetendi sint ansam arrepturi; id tamen, coram Deo fateor, me non nimium angit, solicitatque: Mihi enim, cum Paulo, pro minimo est, vt ab hominibus iudicer. Sim stultus propter Christum; sim ignobilis; cædar colaphis; maledicar; persecutiones patiar; blasphemer; purgamentum Mundi, & peripsema, imò & anathema fiam; dummodo Christo Domino satisfaciam, & fratribus meis in Christi Ministerio prosim; debeo penitus contemnere. Nam gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali; sed in gratia Dei, locum mutem. Meum profectò est exhibere me ipsum, sicut Dei ministrum, in multa patientia; in tribulationibus; in necessitatibus; in angustijs; in laboribus; per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: Non enim me, neque mea quæro, sed quæ sunt Iesu Christi. Angit me potius, ac solicitat, si obtrectationibus, & calumnijs obuiam non prodiero, facilè futurum, vt non exiguus fortasse bonæ ædificationis fructus in pijs multorum animis, quem ex meis consilijs capere possint, impediatur: multique, loco ædificationis, ex iniustis quas audituri sint calumnijs, meorum consiliorum ignari, in scandalum aliquod, mei causa, imprudentes prolabantur. His ego vt consulam potissimum, profectionis meæ consilia aperio, eaque reddo omnibus manifesta. 2.

Meam

3 Meam hanc, in loci mutatione, Diuinam esse vocationem, non humanam; nullo modo aut possum, aut debeo ambigere. Scio non omni Spiritui facilè esse credendum; sed probandos esse spiritus, si ex Deo sint, vt præclarè monet dilectus Christi Discipulus Ioannes: In his probationibus, præter frequentem integri, vt dixi, decennij, quem à Christo didici ad Patrem luminum accessum; illud mihi (in quo Deum, & meam conscientiam, testes aduoco) est certissimum, ad meas aures nullas vnquam hominis vllius, cuiuscunque generis suasiones peruenisse; inuitatores nullos vnquam habui; nullos suasores; nullius penitus in hoc sum vnquam vsus consilijs; cum nemine mortalium rem contuli. Sed neque ex libris Romanæ doctrinæ aduersantibus, me mea consilia hausisse quis suspicetur: Deum enim testor, me ab illis libris, quos Romana diligentia proscripsit, vehementer abhorruisse. Quos profectò, si vllus alius Romanæ Curiæ addictus Prælatus est detestatus, ego sanè, vanis à puero conceptis terroribus, detestatus sum supra modum. Quanquam ne puerulus quidem iam sum cui sexagenario propemodum absque rationum momentis persuadeat quisque quod libuerit. Animi mei ego impetus, & cogitationes alijs regulis non sum vnquam moderatus, nisi ijs, quas toti Ecclesiæ sanctæ Sanctus Spiritus in sacris præscripsit literis; quarumque ductu Orthodoxi sancti Patres in Ecclesia Catholica celeberrimi, & quos illa semper est plurimum venerata, fideles Christi instruxerunt. Qui tandem soli Sancti Patres, præter internas Spiritus Sancti motiones, consilij huius mei amplissimi fuerunt autores. Cur ergo spiritus nequam opus suspicer? A qua me illud præterea suspicione liberat, quod coram Deo, qui corda & renes scrutatur, me in mea deliberatione sciam nunquam mentem ad humana, & temporalia consilia direxisse. Non ad dignitates Ecclesiasticas, quæ meam decere videbantur conditionem: Iam enim eram Episcopus, nec infimus; sed in patria Prouincia supremus; Spalatensis nimirum, hoc est alias Salonitanus Archiepiscopus, duorum Regnorum, Dalmatiæ, & Croatiæ Primas: tantæ in nostris Prouincijs, & Ecclesijs existimationis, quantæ (nec erubescam verum fateri) quiuis alius. Quod si etiam Romanæ mihi dignitates arrisissent, ad eas quoque mihi aditus semper patuit satis amplus. Mores tamen Romanæ Curiæ mihi nihil probati, vt illam perpetuò abhorrerem effecerunt. Et nihilominus Romana sedes in grauioribus etiam publicis negotijs mea vsa est opera apud Cæsarem, & Archiduces. Breuia Pontificia, literæ Cæsareæ, & Archiducales, quas penes me seruo, rem satis testantur. Non exigua quoque mea apud Serenissimam Remp. Venetam merita, illius mihi, quæ naturalis meus Princeps est, gratiam paratam exhibuerunt: Vnde melioris fortunæ beneficium mihi sperare licuit, & expectare, si maioris amplitudinis auiditas me tenuisset. Non ad commoda temporalia, quæ mihi sanè tanta suppetebant, quanta moderato animo, qualem me semper habuisse diuinæ gratiæ tribuo, satis superque fuerunt. In hac verò mea loci mutatione & dignitatum, & opum detrimenta amplector lubens; quia vt dixi, non quæ mea, sed quæ Iesu Christi sunt, quæro. Non igitur humana vlla consilia; non effrœnis vlla affectio; non necessitas temporalis; non euentus; non casus vllus acerbus, qui transuersos homines solet agere, me vt discederem compulerunt: Sed quid illud fuerit, sine fuco & fallacijs dicam ingenuè.

4 Ego sanè à puero in sacris studijs; juxta doctrinam communem Scholasticorum,

corum, & juxta placita Romanæ ſedis, in ſocietate Ieſu, maiori ex parte, ſum enutritus. Pro quibus mihi Romanis proprijs placitis, autoritate potiùs quàm ratione, cum vera intellectus captiuitate impreſſis, atque penitus in animum infixis, mori etiam fui diu paratiſsimus. Piaculum enim ducebam, circa illa, vel minimam admittere mentis, & cogitationum, nedum aſſertionis ambiguitatem: religioneque communi obſtrictus, ſi vel cogitatio aduerſus illa interdum obreperet, aut ſacra lectio dubiũ ſuggereret, vim mihi ipſi, vt fit in rebus fidei, ſemper inferendam putaui; & alio mentem cogitationemque diuertebam, ne aduerſus fidei certa mihi putata dogmata, (pro talibus enim nobis pueris venduntur) vel leue dubium admitterem. Fateor igniculos me perpetuò interni ſpiritus ſenſiſſe; quibus tamen reſiſtebam; acquieſcere verò nunquam plenè potui; neque à vehementi ſuſpicione, quæ me perpetuò, poſtquam in ſacris Theologiæ ſtudijs adoleui, anxium habuit, penitus me liberare. Quam mihi ſuſpicionem augebat tam exacta, tamque rigoroſa, & domeſtica, & Romana diligentia, qua caueri oculatiſsimè perſpiciebam, ne libri Romanę doctrinæ contrarij à quoquam noſtrum teneantur, vel perlegantur. Vulgo enim eos merito prohiberi cenſebam; ne vulgares homines, iudicio, & diſcretione deſtituti, falſitatis imbibendę periculis exponantur: Quod verò ſtudioſis, & optime erga Catholicam fidem affectis, & ſana doctrina pollentibus penitus auferrentur, ſuſpicione rem non carere, vt ratio merito dictat, ſemper ſum arbitratus. Cum præſertim, etiam poſt peracta plenè Theologica ſtudia; poſt aſſumptos gradus in Theologia; poſt promotionem etiam ad Epiſcopatus copiam nobis talium librorum fieri, nullo modo Romana Curia patiatur. Creſcebat ſuſpicio, quod magiſtri ipſi & profeſſores, in tractandis publicè, ſiue voce, ſiue ſcripto, controuerſijs, omnino velint fidem ſibi adhiberi, aduerſariorum dicta, & ſententias illas eſſe, quas ipſi referunt: auditoribus verò nullo pacto, excommunicationis injecto terrore, vt legant ipſa aduerſariorum ſcripta, permittatur: In quibus abſcondendis, ſupprimendis, perdendis, adeo laboratur, vt hoc ipſo latere aliquid in illis liceat ſuſpicari, cui conuellendo doctrina noſtra non ſufficiat.

Fouebam à primis mei Clericatus annis in me innatum pene deſiderium videndæ vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum: ſeparationem Occidentis ab Oriente, in rebus fidei; Auſtri ab Aquilone, æquo animo ferre nunquam poteram: cupiebam anxiè tot, tantorumque ſchiſmatum cauſam agnoſcere; ac perſpicere num poſſet aliqua excogitari via, omnes Chriſti Eccleſias ad veram antiquam vnionem componendi; Idque videndi ardebam deſiderio. Dolore interno animi ex tot diſſidijs inter Chriſtianæ religionis profeſſores; ex odijs acerrimis inter nobiliſſimas Eccleſias inflammatis; ex tunica Chriſti fœdè ſciſſa, & lacerata, concepto, excruciabar. Qui me dolor, & nimia triſtitia, mirum in modum conficiebat; & in dies magis conficit: indeque ad feruens ſtudium incitabar. 5

Ad regimen tandem Eccleſiæ ſum iam ante viginti annos promotus, & factus Epiſcopus Segnienſis; meis Patribus Ieſuitis id ſatis ægrè ferentibus; quem nimirum, non ocioſum, non Societati ipſorum inutilem, & agnoſcebant, & experiebantur; (quod ipſum quoque non plurimi facio; humana enim 6

nim omnis exiſtimatio, vt debet, à me contemnitur, niſi illa ad Diuina obſequia aliquid valeat:) me, inquam, vtilem experiebantur; in medio enim ipſo probationis tempore, me adoleſcentem adhuc ad humaniores literas in publicis Gymnaſijs Veronæ profitendas adhibuerunt. Antequam preſbyter fierem, in Mathematicarum Diſciplinarum Cathedra publica me Patauij, non ſine magno Auditorum concurſu, collocârunt. Brixiæ me Rhetorices primùm; deinde Logices, Philoſophiæque, in Scholis publicis conſtituerunt Profeſſorem. In templis verò, diebus feſtis, vt ſacras haberem conciones, non rarò voluerunt. Priuata quoque, & non leuia mihi negotia peragenda ſæpius iniunxerunt: In reliquiſque Societatis miniſterijs, me impigrum ſocium ſemper habuerunt. Quidni ergo meam ad Epiſcopatum prouectionem ægrè ferrent? Quæ mihi fuit prima occaſio ex ſubtilibus, &, vt ita dicam, aëreis Scholaſticorum diſputationibus, ad terram deſcendendi, & ſtudia ipſa in actum practicum curæ ſpiritualis animarum, & Eccleſiæ, reducendi. Et quoniam proprium iam meum munus Epiſcopale concionandi agnoſcebam, Sermonarios, Quadrageſimaliumque libros, de more, arripui euoluendos: Sed illi mihi breui nauſeam, ſtomachumque mouerunt. Vidi enim & facilè, turpem Scripturarum abuſum, dum ad ſenſus vanos, inutiles, ac impertinentes, imò etiam pernicioſos detorquentur: Vidi exempla aut falſa & conficta; aut ſaltem apocrypha & ridicula proponi: Vidi miſerabiliter populum deludi; inuentaque Auaritiæ & Ambitionis, pro ſanctis fidei dogmatibus, non ſine ſuperſtitionibus, obtrudi, & inculcari; exhorruique: ac inde, omiſsis turbidis riuulis, ad ſanctorum Patrum fontes mihi omnino ſtatui accedendum; quorum lectione pro concionibus; & ſacrorum canonum meditatione pro regimine cœpi delectari.

7. Hinc nouæ mihi cuiuſdam lucis radij identidem, nolenti adhuc & repugnanti, illuxerunt. Obſeruabam hinc in theoricis dicta Patrum, valde communi doctrinæ, qua imbutus in Scholis fueram, in multis aduerſantia; & ea vel prætermiſſa à meis magiſtris; vel non fideliter adducta; vel non ſufficienter, aut etiam perperam explicata animaduertebam: inde Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, regiminiſq; ſpiritualis noſtrorum temporum normam, & praxim plurimum à veteri diſſidentem, non ſine admiratione intuebar. Vnde meæ iam dictæ ſuſpiciones non leuibus ſunt auctæ incrementis: neque nos ſatis bona fide doctrinam, & negotia Chriſti, ac ſanctæ Eccleſiæ tractare, quodammodo eminus perſpiciebam; qui ingenioſis potius humanæ ſpeculationis, & Philoſophicis ratiocinationibus; quàm Diuinæ Scripturæ exactius diſcuſſæ, & explicatę dictis (cuius ſumma apud nos ignoratio) noſtram inſtruimus Theologiam.

8. ✠ Ab Epiſcopatu ad Archiepiſcopatum ſum euectus. Ea mihi noua & vrgentior occaſio ſuborta ſtudia mea innouandi; ac in ijs feruẽtius, & exactius laborandi. Vbi enim Suffraganeorũ meę Prouincię Epiſcoporũ moleſtię; ſed multo magis Romanæ Curię nimia potentia, iura mea Metropolitica perturbantis, me pulſare cœperunt, omnium Eccleſiaſticorum graduum, poteſtatum, munerum, officiorum, & dignitatum, ac pręſertim Papatus, mihi fuit radix indaganda, penituſq; cognoſcenda. Acceſsit paulò pòſt Venetum Interdictum; Romani libelli nos Venetę totius ditionis Epiſcopos, vt pecudes, rudes, imperitos,

ritos, & malæ conſcientiæ homines deprimere, vexare, ac proſcindere non deſtiterunt. Hinc ad noſtras perficiendas defenſiones, veritatemque in ipſa cauſa Veneta cognoſcendam, noui & ardentioris ſtudij mihi nouæ ſunt datæ occaſiones. Sacri antiqui Canones, Concilia orthodoxa, Patrum diſciplina, Eccleſiaſtica priſca conſuetudo fuerunt mihi etiam atque etiam peruolutanda. Quid plura? Inueni pleniſsimè in his ſolis quicquid quærebam, & multo amplius etiam quam quærebam. Iam verò, apertioribus oculis facile fuit obſeruare doctrinam illarum Eccleſiarum, quas plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias, & quæ à nobis acriter reprehenduntur, à noſtriſque Theologis impugnantur, à vera priſca Eccleſiæ puræ doctrina, vel nihil, vel parum admodum aberrare: eamque, non quod re vera hæretica ſit, aut falſa; ſed quia ſenſui, corruptiſque Curiæ Romanæ moribus, ipſiuſque humanis conſilijs & inuentis, iam plenè factæ temporalis, aduerſatur, Romæ, & apud nos horreri potius & repelli, quam legitime impugnari. Vidi iam aperriſsimè, penituſque perſpexi, Romæ, abſque vllo legitimo fundamento, imo per ſummam vim, innumeros fidei articulos nouos quotidie cudi, & nobis obtrudi; in ijs, quæ non modò ad fidem Diuinam nihil pertinent, ſed etiam manifeſtam in ſe continent falſitatem. Quos neque à quoquam diſcuti, neque in debitam Eccleſiæ conſultationem venire illa patitur: ſed ad necem illos perſequitur, qui vel muti e contra illos audeant. Concilia ſacra iandiu ipſa compreſſit; ac proinde ſanctæ Chriſti Eccleſiæ oculos eruit, vt, Samſonis inſtar, cæca reddita, viribuſque proprijs deſtituta, captiua, vilisque effecta, infœlix gemat. Fuit aliquando articulus fidei, Vniuerſalem Eccleſiam per totum Mundum diffuſam, eſſe Eccleſiam illam Chriſti Catholicam, cui Chriſtus ipſe perpetuam promiſit aſſiſtentiam; quam Paulus columnam vocat, & firmamentum veritatis: Nunc articulum hunc fidei, noſtri Romani contraxerunt; vt iam Catholica Eccleſia, ipſa Romana Curia intelligatur; atque in ea ſola, imo in ſolo Papa totum Chriſti Spiritum reſidere, firma fide credendum proponatur: Et quicquid in honorem Vniuerſalis Chriſti Eccleſiæ olim dictum ſit, id totum ad ſolam Curiam Romanam, per ſummam vim, & iniuriam Eccleſiæ, pertrahatur; & ad fidei articulos Romæ reducantur plurima, quorum nullam à Chriſto habuimus vnquam inſtitutionem: quibusque inſuper animæ fidelium miſerabiliter decipiuntur; ac conſequenter cæci, ſimul cum ſuis cæcis ductoribus in barathrum perditionis ruunt, & præcipitantur. Atque hæc, inter cætera, iandiu mihi ſumma afficiunt moleſtia; dolorem que in animo meo excitant incredibilem.

Innumerabiles verò has Romanæ Curiæ nouitates, pernicioſiſſimosque errores, quibus & clades animarum exercetur; & diſciplinæ Eccleſiaſticæ vigo frangitur; & fidei propagatio ac perpurgatio impeditur; & ſcandala innumera in Eccleſiam inuehuntur; & pax ciuilis Chriſtianorum turbatur; bellaque inter ipſos cientur; & Regna ſubuertuntur; & ſchiſmata horrenda fiunt Eccleſiarum; & mala grauiſsima oriuntur, (quæ omnia iam exactius obſeruaui,) nunc ſingillatim commemorare prætermitto; quia hæc omnia in meo Opere de Republica Eccleſiaſtica plenè perſequor: quod iandiu præparatum habeo, ſtatimque illud typis dabo, & calcographo, qui mihi in hoc itinere primus commodus occurrerit, imprimendum conſignabo. Decem ego li- 9

bris, totum hoc de Republica Ecclesiastica opus complector. In quorum primo formam huius Reipub. inquiro; statuoque Ecclesiam sub Christo, ad perfectissimam Monarchiam pertinere: in terris tamen Christi Ministros, à Monarchia terrena alienissimos, ipsa Christi institutione, Aristocraticè, non sine aliqua Democratiæ admixtione Ecclesiam ipsam gubernare: & consequenter Petri Primatum, seu Papatum, ostendo cum Euangelio, & Christi institutione plurimum pugnare. In secundo, Ecclesiasticæ Reip. Rectores, & Ministros considero: quinam sint, & quomodo sanctis Apostolis detur successio; & quæ sit Episcoporum institutio; & quomodo differant à Presbyteris; & qui sint Ministri inferiores; & quid Sacer ordo in hac Repub. efficiat. In tertio, explico Hierarchiam, quæ inter Episcopos, & huius Reipub. Rectores, inuenitur: docéoque, iure Diuino, inter Episcopos nullam esse prælationem, nullam subiectionem; sed solo iure Ecclesiastico locorum gradus inter Episcopos distingui: & consequenter ago de Episcoporum electione, confirmatione, consecratione, seu ordinatione: de Metropolitanorum, & Primatum ac Patriarcharum iuribus, &c. In quarto, Romanæ Ecclesiæ discutio priuilegia; ostendoque, eam neq; in se, neque in suo Episcopo, neq; in suo Clero vllam habuisse à Christo supra cæteras præeminentiam: sed si quam habuit, vel habet, eam ex humanis præsidijs ipsam accepisse. In quinto, propriam Ecclesiæ potestatem indagandam suscipio, ac probo eam esse merè spiritualem: iurisdictionemque omnem ab Ecclesia procul reijcio; & consequenter de Sacramentorum vi, & operatione, differo; pariter de Censuris. In sexto, Laicam potestatem cum Ecclesiastica comparo; vt pateat inter Ecclesiasticam, & temporalem Rempub. distinctio: Principesque temporales Christianos multa posse in Ecclesia doceo; Ecclesiam verò nihil posse in temporalibus, maximè erga Reges. Ago itaque de Christi Regno temporali; de potestate Laica vnde sit, & quam latè pateat; de immunitatibus Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum; de Inuestituris; de Sicula Monarchia, & similibus. In septimo, internam Reip. Ecclesiasticæ per fidem directionem contemplor, regulamq; veram fidei inquiro, & ita disputo de Verbo Dei, de Ecclesiæ & Papæ in hoc autoritate, de Concilijs, de Hæresi, de Schismate, & similibus. In octauo, externum Ecclesiæ regimen per leges, Canones, & iudicia considero; Ago itaque de obligatione Canonum, de dispensatione, de præceptis ieiuniorum, precum, & similibus. In nono, ad temporalia bona Ecclesiæ accedo; pluribusque explico qualis esse debeat ministrorum Ecclesiæ sustentatio; vnde illa accipiatur; & quomodo bona Ecclesiæ administrentur. Ago itaque de decimis, de beneficijs, de dominio in bona Ecclesiæ, de vsu, & abusu reditum Ecclesiasticorum, de pensionibus & commendis, & de Clericorum testamentis. In decimo & vltimo, libertatem Ecclesiasticam explicandam suscipio; vt videamus quomodo hæc Respublica libera sit; & consequenter ago de priuilegijs, & priuilegiatis; de abusu priuilegiorum; de exemptionibus, & exemptis; de Monachorum subiectione, & similibus. Hic fuit meorum studiorum fructus. Dum enim occasionibus iam dictis sacra Biblia, Patres orthodoxos, sacratissimos Canones, Conciliorum volumina auidè legebam; apertis iam oculis, zelo veritatis & mihi ipsi, & alijs explicandæ

candæ incensus, non potui non scribere quæ obseruabam. Atque hæc mea multiplex scriptio opus peperit quod recensco. Vidi itaque, planeque perspexi nos in nostris Ecclesijs, siue doctrinam, siue disciplinam spectes, à recto tramite plurimum deuiare.

Quid ergo facerem amplius in medio nationis prauæ atque peruersæ? Si meam Ecclesiam regere, vt par erat, iuxta veterem Catholicę Ecclesiæ disciplinam; si doctrinam veram Catholicam & docere, & exercere voluissem, grauissimas in caput meum procellas Romanas, fœdissimasque tempestates acceleraſſem: contra quem iandiu odium conceptum Romæ fouebatur; quę meos in scribendo aduersus ipsius sensa labores iam subolfecerat; nam & per Nuncium Apostolicum Venetijs commorantem non semel monitus hac de re, & correptus fui. Satius ergo fuit pennas columbæ assumere, & auolare, elongari, fugereque ad solitudines, vbi expectare possim eum qui saluum me faciat à pusillanimitate spiritus, & tempestate; quàm me cœcum voluntarium, cum cœcis, in interitum, cœcos ducere. Quid sunt iam Episcopi sub Romano Potentatu? In temporalibus quidem, vbi opima sunt sacerdotia, & dignitate eminent sæculari, Magnates sunt, conspicui sunt, principes sunt, sed Episcopi, nisi æquiuocè, nequaquam sunt. Reliquorum verò Episcoporum Episcopalis dignitas, & potestas tota perijt; regimen enim omnium Ecclesiarum totum est Romam redactum: ipsi verò Episcopi sunt Domini Papæ vix Vicarij, & administri; viles, contemptibiles, oppressi, conculcati, subiecti miserabiliter non soli Papæ, sed Cardinalibus, totque Congregationibus contra illos Romæ institutis; Legatis à latere; Nuncijs Apostolicis; Inquisitoribus, Visitatoribus, ac demum Regularium innumeris ordinibus, eorumque Fratribus; qui jam suis Apostolicis priuilegijs non æquantur modò Episcopis, sed eos etiam superant, impediuntque in regendo, ac eorum absorbent potestatem. Ecclesia sub Romano Pontifice non est amplius Ecclesia, sed Respub. quædam humana, sub Papæ Monarchia tota temporali: Vinea est, ad solum Noe inebriandum: Grex est, quem Pastor emungat ad sanguinem, tondeat, imo radat, imo excoriet, & mactet. Cur igitur non fugiam ne mala ista videam amplius, neue etiam eorum sim cooperator, & particeps? Canem me Christus in suo grege posuit; mutus esse amplius non debeo, sicut muti sunt omnes Episcopi sub Romano: qui hinc spe allecti; inde metu territi silent; potiusque assentantes, simul cum Duce ad præcipitium properant. Quoniam verò Obsequium amicos, Veritas odium parit, cum Veritatem deserere neque possim, neque debeam, odium propinquum mihi omnino fugiendum fuit; odijque effectus iam ordinarij venena, & pugiones fuerunt euitandi. Eò enim nostris temporibus redacta res est, vt Ecclesiasticæ controuersiæ, non Theologis amplius, non Concilijs, sed tortoribus, sed carnificibus, sed sicarijs, sed sanguinarijs, sed paricidis defendendæ Romæ, aut Româ, committantur. 10

Hæc mihi, etsi fugam semper suaserint vehementissime, nihilominus tamen ancillam quoque Agar, cum suo Ismaele mihi molestam diu sum expertus, fateor: carnem videlicet aduersus spiritum sæpius audiui, his vocibus insurgentem: Quo tandem perges? Dignitatem sub Romano Pontifice satis 11

amplam, & commoda non contemnenda, cum ſpe, ſi vis, aliorum, es aſſecutus. Hæc iam poſtides, hęc certa ſunt; quid alibi futurum ſit, neſcis. Itane & patriam, & cognatos, & affines, & amicos deleris, ad eos nunquam amplius rediturus? Cur te innumeris alijs Epiſcopis ſapientiorem facis? Illi omnes ferunt omnia, tolerant omnia, excuſant omnia; cur tu quoq; non fers, non toleras, non excuſas? Tune ſolus ex innumerabilibus ſapis, & alij omnes deſipiunt? An neſcis te ſtatim, non abſque ingentibus conuicijs, Romæ primum, deinde paſſim, Hęretici turpi infamia notatum iri? Hęc & ſimilia, mea mihi Agar ſubinde in aures inſuſurrabat, non ſine interno graui inter ipſam, ac meum internum ſpiritum, victamque iam conſcientiam, conflictu: Sed Diuinus ſpiritus vehementiori impulſu, tandem me vlterius moras nectere non permiſit; ac veluti Abramum, voce illa efficaci ad ſe vocauit, dicens: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monſtrabo tibi; fecitque vt celeberrimum illud Sapientum dictum, SEQVERE DEVM, re ipſa exequerer; quemadmodum illud ipſum, iuxta ſancti Ambroſij libro 1. de Abraham cap. 2. conſiderationem, optimus Abram, facto prævenit. Quod ipſius factum mihi admirabili quadā ratione animos addidit, & robur; dum cerno Deum promptæ Abrami obedientiæ illud in primis remunerationis contuliſſe, vt ab eo dedecus atque infamiam longe propulſarit; Saræ enim vxoris pulcherrimæ pudicitiam, in manibus Pharaonis periclitantem, à contumelia liberauit. Sed & Ambroſius me hinc plurimum conſolatur, dum ait; Itaque quoniam propter Deum Abram contempſit omnia, recepit à Deo multiplicata omnia: Sed primam Deus pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam ſciebat cōiugi. Illud quoque præclare idem addit Ambroſius: Quod is qui Deum ſequitur tutus ſemper eſt: ideoque Deum, inquit, præferre debemus omnibus: nec patriæ contuitu, nec parentum, filiorumque gratia, nec vxoris contemplatione reuocari debemus ab executione præceptorum cœleſtium; quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens eſt ſeruare quæ donat. Hæc me quoque plurimum confidere faciunt fore, vt in primam meæ, etſi tardioris ſequelæ, remunerationem, Deus famæ, exiſtimationique meæ, ante omnia conſultum eſſe velit; ne illa, cuiuſcunque tandem formæ ſit, & pulchritudinis, in manibus quoque Barbarorum dedecus vllum patiatur; ſed illæſa, ac incontaminata, ad aliorum præſertim ædificationem, & ſcandali euitationem, conſeruetur. Qua ego confidentia animatus, vocationeque permotus, ac periculis monitus, fugam hanc arripui iam promptiſſime.

12 Charitas tamen Chriſti ſuper omnia vrget me. Vilis eſſem & abiecti animi, ſi ad quietem ſolam fugerem, vt poſtpoſito legitimo certamine, ocio alicubi torpeam, & marceſcam. De Chriſti cauſa agitur; ea me ad ſe vocat. Audio vocem illam in auribus mihi perpetuò intonantem: CLAMA: monentemque, quo clamor meus cum illorum clamoribus coniunctus, quorum non ſunt incuruata genua ante Baal, melius exaudiatur; vt ſuper montem excelſum aſcendam, ad euangelizandum Sion. Eam vocem ſequor; in tutum aliquem locum aſcendo, vbi veritas ipſa Catholica liberum iam extulerit caput; vnde pro muneris mei debito, eandem veritatem, quantum in me eſt, pandam; ſchiſmatumque extinguendorum, & vnitatis Eccleſiaſticæ reſarciendæ

resarciendæ vias aperiam, & demonstrem. Clamores meos breui audiet Ecclesia: loquar ad cor Hierusalem; & aduocabo eam. Nec enim muneri meo deesse possum: Episcopus sum in Ecclesia Christi: Episcopo porro cuique ita tradita est Ecclesia sua particularis, vt tamen nouerit Ecclesiam quoque Vniuersalem, vbi opus sit, sibi esse à Christo commendatam. Nobis omnibus Episcopis à Paulo dicitur: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Eleutherij nomine, antiquissimi Pontificis Romani, ad Episcopos illa verba circumferuntur: Huius rei gratia, Vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis; & cunctis opem ferre non negligatis: Et Cyprianus Epistola 13. libri III. se pariter cum Stephano Episcopo Romano gubernandæ Ecclesiæ libram tenere asserit, illudque addit: Copiosum corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque vnitatis vinculo copulatum: Vt si quis ex Collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentauerit, subueniant cæteri. Sic facto ipso Cyprianus idem Ecclesijs laborantibus, extra Africam quoque constitutis, imo vel ipsi Romanæ, non semel occurrit; vt in meo opere de Repub. Ecclesiastica lib. II. & IIII pluribus explico. Ita Polycarpus, Irenæus, Osius Cordubensis, Athanasius, Basilius, duo Eusebij Samosetanus & Vercellensis, Lucifer Carallitanus, Hillarius Pictauiensis, Theophilus, & Cyrillus Alexandrini, Aurelius Carthaginensis, & plurimi alij, Ecclesiæ Vniuersalis necessitatibus, ex proprio ipsorum Episcopali officio, vt subuenirent, plurimum laborarunt: relictaque interim, ac bene instructa, & commendata propria Ecclesia; ad alias afflictas & laborantes, se, propria autoritate, contulerunt. A meo itaque munere alienum non est, imo mei muneris maxime est proprium, vt Romanæ Curiæ sectam separatam facienti, & gregem Christi laceranti, & vastanti, pro mea virili, vt monet Cyprianus, non accessu quidem ad eam, quia tutus non est, sed recessu corporali ab ea, subueniam. Meam equidem Ecclesiam Spalatensem retinuissem libentissime, sicut Osius, Basilius, Eusebij, Hilarius, & alij à me modo nominati, suas retinuerunt, & ad eas, peracto publico Vniuersalis Ecclesiæ negotio, sunt reuersi: sed quia illa sub Papæ iugo cum reliquis gemit; qui Reformationem odit, & fugit, totisque suis, & Principum ei adhærentium viribus, eam impedit; habetque in eos qui Reformationi insistunt vitæ & necis potestatem, nullumque viuum esse patitur; propterea necessario mihi fuit ipsa mea Ecclesia penitus deserenda: vt ipse, disruptis his quoque vinculis, iam penitus factus liber, promptior sim ad veritatis præconium celebrandum; tutiusque possim ruinas sanctæ Ecclesiæ, quas à Romana Curia patitur, deplorare.

Tremenda quidem est Regis terreni Maiestas, qui, vt Tertul. loquitur, Post Deum secundus est, & solo Deo minor, & super quem, vt ait Optatus Mileuitanus, non est nisi solus Deus. Propterea cum aliquãdo Rex Dauid de adulterio & homicidio esset obiurgãdus, non sũmus Pontifex, nõ alius aut Sacerdos, aut Leuita, non quispiã aut amicus, aut familiaris id muneris ausus est assumere; sed Deus ipse suos proprios ac peculiares ad hoc adhibuit nuncios; Nathanque Prophetã ad Regẽ increpandũ destinauit. Cũ Romano verò Põtifice, vniuer- 13

sam

ſam Eccleſiam nunc maximè turbante, ſcandalizante, expilante, opprimente, agere non eſt Prophetarum: non eſt expectandum, vt Deus ad hoc ſingulares excitet Prophetas, & deſtinet nuncios peculiares. Non eſt noſtri Romani Papæ, non eſt tanta Maieſtas, vt terrere debeat: ficta eſt illa temporalis & faſtuoſa Maieſtas, vſurpata eſt, nulla eſt: frater noſter ille eſt, collega eſt, & coëpiſcopus nobiſcum; ac in opere & labore comminiſter. Frater verò qui adiuuatur à fratre, vt eſt in Prouerbijs Salomonis, quaſi Ciuitas firma. Quid ſtertimus? quid dormimus? Frater perit, & ſecum Eccleſias in perditionem trahit; Et nos ipſius fratres contemnimus, nec occurrimus? Taceant omnes; quieſcant omnes; contemnant omnes; Ego catellus protectò omnium minimus, qualicunque latratu excitabo ſaltem fortaſſe acres moloſſos dormientes, à Papatu mira arte ſopitos, qui lupum arceant, & ouile Chriſti, vt par eſt, pro ſuo munere tueantur. Non meis vtar vocibus in bonis canibus expergefaciendis; vtar Dei vocibus, clamores ſanctorum Patrum, ac Conciliorum, ſanctæque Catholicæ Eccleſiæ ingeminabo. Decem de Republica Eccleſiaſtica, quos, vt monui, ſtatim edam libris, illud maximè conor, vt Romani errores detegantur: veritas & ſanitas Catholicæ & doctrinæ, & diſciplinæ, aperiatur: Eccleſiæ plurimæ à noſtra Romana abiectæ, & repudiatæ, in Catholico ſenſu retineantur: Vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum via, nutu, & digito, ſi non demonſtretur, ſaltem indicetur; ſi quo modo fieri poſſit, vt vnum dicamus omnes, vnum ſentiamus, & ſchiſmata comprimantur: Principibuſque Chriſtianis anſa eripiatur oppreſsionem inter ſe meditandi; & ſub obtentu Religionis, ac fidei; publicam populi Chriſtiani pacem, & tranquillitatem, bellis importunis, ac verè impijs, perturbandi. Sed potius eo vires ſuas dirigant, vt Eccleſiæ Chriſti ſub iugo tyrannorum verè infidelium gementes, in libertatem priſtinam vindicentur.

14 Profectionem hanc meam, ſiue etiam ex Babylone exitum, aut fugam, omni ſchiſmatis ſuſpicione carere volo. Fugio enim errores, fugio abuſus, fugio ne particeps ſim delictorum eius, & de plagis eius accipiam: A charitate tamen, quam debeo Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, ſingulisque eidem communicantibus, me nunquam ſeparo: ſed, quantum in me eſt, cum omnibus, quandiu in eſſentialibus noſtræ fidei articulis, & Symbolis antiquæ Chriſti Eccleſiæ conuenimus, perpetuò communicare ſum paratus: ſi tamen nouos articulos, ſiue ſacræ Scripturæ apertè contrarios; ſiue à Symbolis prædictis alienos, ijſque repugnantes ſimul omnes deteſtemur, & abominemur: Alios verò in ſe indifferentes, in Eccleſia nunquam ſufficienter diſcuſſos, ſtabilitos, & definitos, pro articulis fidei, niſi prius ad plenum definiantur, aut iam ſufficienter definiti eſſe oſtendantur, nequaquam admittamus: Sed neque eos vt hæreticos, niſi priùs ab Eccleſia ſufficienter condemnatos eſſe nobis conſtiterit, aut condemnentur, condemnemus. Relinquatur itaque in indifferentibus libera cuique Eccleſiæ facultas opinandi & operandi, & vnaquæque abundet in ſenſu ſuo, donec ipſa Eccleſia Spiritu Chriſti inſtructa, & recta, controuerſijs finem imponat; veraſque paleas ſeparet à veris granis.

Interim verò celeberrimum celeberrimi dictum teneamus Cypriani, quo in Concilio Carthaginenſi vſus eſt: Neminem, inquit, iudicantes, aut à iure com-

communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit: Quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ, arbitrium proprium; tanquam iudicari ab alio non possit; cum nec ipse possit alterum iudicare: sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi; qui vnus, & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. A Romana itaque, imo ab vniuersâ fermè Ecclesia, circa Baptismum hæreticorum, tunc Cyprianus dissentiebat, & propria firmatus opinione, Stephanum Romanum sibi acriter in hoc resistentem, cæterosque ferè omnes, in aperto errore versari existimabat; nihilominus tamen vinculum inter ipsos vnionis, & charitatis Ecclesiasticæ abrumpi nunquam est passus; ne schisma, quod est pestis pernicioſa Ecclesiarum, inter eos exsurgeret. Atque in hoc plurimâ cum sua laude Stephani non omnino discretum zelum Cyprianus superauit. Dum enim Stephanus suis excommunicationibus in malum schismatis ruebat, Cyprianus sua patientia & charitate, eximiaque prudentia separationem euitauit. Et in hoc Cyprianum sæpe S. Augustinus plurimum laudauit, proposuitque actiones Cypriani, tanquam formam, regulam, & exemplar toti Ecclesiæ ad imitandum.

Ac inter cætera, dum factum Cypriani, & cum Stephano certamen consideraſ Augustinus, in suo quinto de Baptismo contra Donatistas libro, cap. xxv. ait: Vicit tamen Pax Christi in cordibus eorum, vt in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur. Illud itaque Cyprianus tanquam certum habebat, Stephanum vehementer errare, dum hæreticos ad Catholicam reuertentes absque nouo baptismo reciperet: Et nihilominus maluit, non modò cum ipso Stephano, ab eo longè diuersa sentiente, & operante, sed etiam cum illis, quos impuros omninò censebat communicare; ex eo tantum, quod illi à Stephano in communionem reciperentur; quàm schismate Ecclesiam scindere. Et hoc S. Augustinus Donatistis exemplum ad imitandum proponit; proponit & nobis. 15

Imitemur itaque, Pater Beatissime, vosq; Patres, fratresque, & collegæ sanctissimi, Cyprianum; Augustino obsequamur; vt ante omnia, schismata auferantur: Cyprianus enim, vt obseruat Augustinus; sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in vnitate eis manendum putauit, qui diuersa sentirent. Sentiamus & nos inter nos diuersa, quousque plenè definiantur, quæ plenè nondum sunt definita: sed interim tamen in vnitate maneamus. Nam etsi aliquid aliter sapitis, vt monet Apostolus, & hoc vobis Deus reuelabit. Nolite maiora, quam sunt, schismata efficere: Cauete & vos, ne, cum Stephano, excommunicationibus importunis, charitatẽ abrumpere tentetis: ne huiusmodi discrepationibus, vllum inter nos, quod præcauebat sanctus Augustinus, malum schismatis oriatur. Pacem & charitatem omnibus Christi Ecclesijs, per essentialia fidei Symbola Christum profitentibus, restituite. Longe grauius in Ecclesia malum esse schisma, quam hæresim, pro certo habetote. Communionem vestram, saluis opinionibus, pulsis tamen falsitatibus, promptam omnibus exhibete. Veritatis disquisitionem, legitimis & cõsuetis Ecclesiæ sanctę modis, liberè 16

liberè faciendam relinquite. Sic enim, Christi gratia opitulante, qui se sincerè quærentibus denegare non solet, breui futurum spero, vt plena pax & concordia, adeoque necessaria sanctarum Ecclesiarum vnio consequatur: vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Accendamus inter nos faces, non odij, nec simultatum; sed Religiosæ Catholicæque institutionis: Lucerna pedibus nostris sit Verbum Dei: Sanctorum antecessorum nostrorum, qui singulare in Ecclesia Christi lumen fuerunt, premamus vestigia: Luce veritatis Euangelicæ, absque firma obstinatione, tenebras errorum & falsitatum disijciamus: A nouitatibus, quæ antiquam sanctæ Ecclesiæ doctrinam, & disciplinam pene extinxerunt, recedamus, vt Ecclesia Christi in terris vnica sit, concordiæ perfectæ glutine copulata: In qua omnes vnanimes vno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Datum Venetijs die xx. *Septembris.* MDCXVI.

Statimque post discessum Heidelbergæ *primùm, deinde alijs etiam pluribus locis, ac linguis impressum, & publicatum. Nunc verò hîc opportunè insertum.*

A D

AD LECTOREM AVTOR.

Acuit partus hic meus, & latuit, planè iam ex vtero mature editus, integro penè trienno, ſed prope duodecim annorum ſpacio elaboratus: non enim prodire potuit, aut debuit, vbi & parentem ad necem proderet, & ſeipſum ſtatim daret truculentis manibus comprimendum. Iam verò parente (Deo gratias) ſaluo, lætus, & tutus erumpit è latebris: & ſanè nonnihil adultus Ne igitur mirere, Chriſtiane & benigne Lector, ſi aliquorũ Autorum ediam hoc ipſo triennio, aut etiam antea, ſed poſt abſolutas iam à me eiuſdem argumenti tractationes, mihi repugnantem doctrinam in hoc opere nominatim non excuſſerim. Siquidem, dum mea ſcriberem, illi aut non prodierint, aut ad manus meas non peruenerint. Eſt verò mihi in animo ex his Autoribus, ac præſertim ex Defenſione fidei Franciſci Suarez præcipua quæque mihi aduerſantia colligere, eorumque ſolutionem, & impugnationẽ ex meis hic poſitis fundamentis huic Operi, vbi commodius viſum fuerit, ſaltem in fine, adijcere. Alios vero prudens prætermittam: quorum & dicta & dictata, mihi contraria quiuis, vel leui mearum applicatione diſputationum, facillimo negotio conuellere poſsit & diluere. Multo minùs miraberis, ſi me ita omne argumenti genus tractare obſeruaris, ac ſi primus eſſem, qui in contrarium noſtrorum Hieromonarchicorum ſenſum inſurgerem, cum tamen non deſint forte inter eorum aduerſarios, qui ante me pleraq; ex his ipſis, quæ ego tracto, fœliciter exagitarint: quos

quos si ipse vidissem, parciùs egissem. Sed non puto te esse nescium scriptis huiusmodi, ad nos ne perueniant, aditus esse firmissimis repagulis intercluſos; ac propterea, nullius præuio ductu, fuit mihi, non sine ingenti sudore, inter salebras nostras, via aperienda, & per saxa, rupesq; ac loca nobis inhospita, fermêq; inaccessa incedendũ ne an rependũ? Impetrem etiam illud à te, rogo, lector, ne in hoc opere legendo expectes, aut requiras verborũ lenocinia, oratoria ornamẽta, sermonisq; suauitatem & elegantiam; sed in res ipsas potius mentis aciem defigas. Vix enim in rebus scholasticis, ac ferme scholastice tractandis, stylum rigidum salebrosumque, cui iamdiu assuefactus sum, mutare potui. Sed &, quam summopere amo, perspicuitas, hoc dictionis filum aliquanto crassius suo iure re poscere visa est. Ac demum iam grauior ætas, iuuenilis laboris impatiens satis monebat, in longo opere, si illud ad exitum perducere cuperem, esse festinandum, moraſque omnes & cunctationes vitandas, quas in expolienda dictione necesse fuisset intercedere longiores. Idque mihi, vt vulgare hoc dicendi genus persequerer, multo maxime persuasit. Tu igitur, veritatis studiose Lector, res attende, & formam dicendi, si tibi non nimium arrideat, æqui, quæso, bonique copsule.

DE

DE REPVBLICA ECCLESIASTICA, LIBRI X.

¶ *Totius Operis scopus, & partitio.*

Eternam Æterni Verbi Sapientiam meritò existimamus prorsus admirabilem, dum [a] attingit à fine vsque ad finem fortiter; sed illa fortasse, dum disponit omnia suauiter, se nobis longè admirabiliorem manifestat. Magnæ fortitudinis, imò omnipotentiæ opus fuit ornatissima hæc rerum Vniuersitas, à quocunque Orbis totius fine, ad alium oppositum finem illam circumspicias; [b] omnipotens enim sermo Domini eam condidit ex nihilo, & [c] verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: In hoc quidem Sapientia illa summa vires & potentiam exercuit suam. Sapientiæ tamen proprium & singulare opus, in quo se illa quasi in theatro explicat, in ipso potissimùm ordine, ac pulchertima rerum creatarum dispositione elucet valdè conspicuum, & ad stupotem vsque admirabile. Suauem hanc dispositionem, non asperam, non duram, non violentam, sed iucundissimam experimur, non modò in magnis corporibus quæ sunt partes præcipuæ Vniuersi, dum inferiora subduntur superioribus, & ab ijs vel mouentur, vel fouentur, vel reguntur, miro ambitu, complexu miro, miro consensu; sed multo magis in societatis humanæ, totiusque naturæ nostræ regimine, & suauissima directione.

I

a Sap 8.

b Sap.18.

c Psal.32.

Rempublicam ego triplicem à Deo Autore naturæ inter homines institutam observo, & admiror; Moralem, Politicam, & Spiritualem. [d] Moralis in singulis est hominibus singularis; in hac Regium sceptrum à Deo datum est Reginæ Rationi, vt ipsa proprijs viribus, Monarchico Dominatu regat in homine omnes alias potentias inferiores, & totum sensuum satellitium, turbamque affectionum contineat in officio. Lapsâ tamen naturâ, Monarchia hæc in turpem ferè deflexit Democratiam, & plebeium dominatum, Regina Ratione in miseram redacta captiuitatem. Politica sub Regibus est & potestatibus huius sæculi; Ciuitates, Prouincias, Regna, & Imperia, eodem Deo Autore, & institutore, naturali lumine ad Ciuilem fœlicitatem præsentis vitæ moderantibus. Spiritualis denique Respublica, fidelium propria, eos continet, qui dono supernaturali, fidem reuelatam amplexi, & ad supernaturalem finem æternæ beatitudinis vocati, ad eum, qui est Deus ipse clarè videndus & fruendus, totis viribus properant, & anhelant. Et quoniam hoc genus hominum propriè constituit Ecclesiam, Rempublicam hanc spiritualem, Ecclesiasticam Remp. meritò appellamus, ipsiusque suauissimam dispositionem, prout à Diuina Sapientia est instituta, decem hisce libris suscepimus explicandam.

II

d Chrys. Ser. Hom. 15. in 2. Cor.

IN Primo de forma Ecclesiasticæ Reipublicæ disserimus.

In II. de Rectoribus Ecclesiæ & Ministris.

In III. de Hierarchico ordine inter ipsos Rectores, & Ecclesias.

In IV. de Romana Ecclesia seorsim.

In V. de Ecclesiastica propria potestate.

In VI. de Laica potestate in Ecclesia.

In VII. de directione interna Ecclesiæ, in rebus Fidei.

In VIII. de directione externa Ecclesiæ per Leges, & Judicia.

In IX. de bonis externis temporalibus Ecclesiasticis.

In X. denique de Ecclesiastica libertate, immunitate, & priuilegijs, disputamus.

DE

DE REP. ECCLESIASTICA
LIBER I.
Qui est
De forma Reipublicæ Ecclesiasticæ.

PROŒMIVM.

OMnis hominum in vnum coalescens multitudo, vitæque communione colligata, necessariò constituit societatem, quæ meritò Respublica solet appellari; Vbi nimirum, præter priuatas cuiusque res, & singulorum proprias, communitas ipsa aliquid habet, quod sit, respectu omnium, publicum, & totius societatis spectat conseruationem. Cum verò homo non minus in rebus spiritualibus, & ad finem ipsius supernaturalem, qui est æterna beatitudo, spectantibus, quàm in naturalibus, ad temporalem fœlicitatem pertinentibus, sit socialis, & communitatem illam, quæ est Ecclesia, constituat; non minus etiam in rebus ipsis spiritualibus adesse debet Resp. tantò Rep. temporali amplior, dignior, & eminentior, quantò ipsa Ecclesia vnica est in toto mundo, tota spiritualis, & ad æternam fœlicitatem directa: de quibus Politia gloriari non potest. Quemadmodum verò in humana politia triplicem Reip. formam, & varietatem obseruant sapientes; Monarchiam sub vnius imperio; Aristocratiam sub plurium, scilicet optimatum, siue censu-potentium; & Democratiam, vbi tota vniuersitas seipsam regit, sibique magistratus subinde mutat, & præficit; ita necesse est, Ecclesiasticam quoque Remp. ad vnam harum redigi formam. Et quoniam multis nominibus Ciuile Monarchicum regimen ex philosophicis politicisque rationibus, Deo etiam ipso proculdubio hominibus quod ipsis optimum est, inspirante, reliquis Reip. formis vt plurimum antefertur; hinc fit, vt nostrates Theologi, satis male deducta consequutione, in Ecclesiam quoque Monarchiam visibilem inducant. I.

Sed de Monarchia hac visibili post Apostolos, nos plura in libris sequentibus: Nunc verò vti certum & indubitatum illud statuo, quod etiam ab omnibus Christianis, absque vlla hæsitatione, passim admittitur, & recipitur firma fide; Ecclesiam totam & vniuersam, siue militantem in terris, siue triumphantem in cœlis, (sumpto nunc nomine Ecclesiæ in latissima significatione, pro fidelibus quibuscunque, tam veteris, quam noui testamenti, ab Adam vsque ad diem Iudicij, dilatatis) sub forma simplicis, & perfectissimæ Monarchiæ, esse constitutam; sub vnico suo vero & proprio capite, ac Rege, Christo Iesu; qui est [a] Rex Regum & Dominus dominantium; & de quo loquitur Dauid, [b] Ego autem constitutus sum Rex ab eo. Et Euangelium; & [c] Regni eius non erit finis. Hic triumphantem ditat præmiis; militantem vero regit, & exercet. Neque in hoc immorabor diutiùs; quia à theologis [d] hoc passim probatur; & ex sacris scripturis facile conuincitur: ac nos in sequentibus, pro opportunitate, ex his aliqua fusius afferemus. II.

a Apoc c.9.
b Psal 2.
c Luc.1.
d Bellar.l.1.de Rom.pont.c 9.

Cæterùm quod spectat ad Ecclesiam militantem fidelium Christianorum, de qua hic nobis tractatus est institutus, est luce clarius eam à Christo Domino, tanquam à proprio Rege, & absolutissimo Monarcha, regi & gubernari; sicut ab eodem est instituta & fundata. Atque in hoc sensu veram, propriam, & simplicem esse Monarchiam in Ecclesia, nemo sanæ fidei dubitabit. Sed post Christi Ascensum in cœlum, quod genus regiminis per homines mortales exercendi, idem Christus in Ecclesia reliquerit & instituerit, erit nobis in hoc primo libro inquirendum, & fusiùs differendum. Quæsitum proculdubio, facti duntaxat est, vt loquuntur iurisperiti: Nam potuit Rex Christus, non destructo suo Regno Monarchico, eam formam Regiminis spiritualis instituere, quæ ipsi magis placuerit; quænam verò ei magis placuerit hariolandum non est, sed ex ipso facto inquirendum. III.

Et quamuis nemini dubium sit, neque esse possit, quin & potuerit, & voluerit Saluator A
noster Iesus Christus, Ecclesiam suam, (vt ponit illustrissimus [a] Bellarminus) ea ratione
& modo gubernare, qui sit omnium optimus & vtilissimus; is tamen sit ne Monarchicus,
an Aristocraticus, an Democraticus, an ex his mistus, non tam ex nostra speculatione, &
Dialecticis humanæ sapientiæ rationibus pendet, quàm ex ipso facto Christi. Vt illa re-
giminis Ecclesiastici forma optima & vtilissima sit omnino censenda, qua Christus de fa-
cto suam Ecclesiam voluerit gubernari. Neque nostræ imbecillitatis est, hanc formam
Christo præscribere; propterea quia humana, nescio quæ sapientia, aliquam nobis formam
dictet esse alia præstantiorem.

[a] Bellar. de Rom. Pont. lib. 1. cap. 1.

IV. Optime sanè monuit Onuphrius Panuinius, in libro de Comitijs Imperatorijs, &
cum eo [b] Bellarminus; Non esse fidelis historici rem describere vt fieri debuisset; sed vt
facta est: alioqui enim, *inquit*, non res gestæ scribuntur, sed mendacia obtruduntur. Quid B
autem factum sit, non ex Philosophiæ promptuarijs hauriendum est, sed eorum narratione
ac fide qui interfuerunt; vel qui ab ijs qui interfuerunt acceperunt; aut certè, qui aliorum
testimonio sibi commendata, literis ac memoriæ tradiderunt.] Ita nos ex Euangelistis, &
Apostolis, ac sanctis Patribus, quæsiti nostri solutionem, non ex nostro ingenio, vanaque
probabilium dialectica, petere debemus.

[b] Bellar. de transl. Imp. lib. 1. cap. 10.

V. Totam huius Libri primi materiam, duodecim capitibus explicabo.

In primo, agam de Christo Ecclesiæ Capite, perpetuoque Ecclesiasticæ Reipublicæ
Rege & Gubernatore.

In secundo, de Christi ministris Apostolis, eorumque omnium munere ministeriali.

In tertio, de æqualitate inter Apostolos.

In quarto, de Vicariatu Christi Apostolis omnibus dato.

In quinto, de primatu & priuilegijs Petri personalibus. C

In sexto, de petra, & fundamento Petro, & ædificatione super ipsum Ecclesiæ.

In septimo, de clauium promissione facta Petro: ligandique, & soluendi promissa potestate.

In octauo, de commissa Petro cura Pastorali.

In nono, de coniecturis primatus Petri.

In decimo, de Patrum testimonijs pro Petri primatu.

In vndecimo, de testimonijs Scripturæ, & Patrum, contra eundem Petri primatum.

In duodecimo, de Aristocratia Ecclesiæ, inter Apostolos, à Christo instituta.

CAP. I.

A

CAP. I.

¶ Christum esse verum Caput, propriumque & summum, actu ipso, Rectorem Ecclesiæ, etiam post Ascensionem.

SVMMA CAPITIS.

CHRISTVS *non habet successores, sed per se exercet officium Capitis & Regis in Ecclesia. numero 1,2,3,4,5,6.*

Influxus capitis CHRISTI *explicatur. num.7,8,9,10.*

B CHRISTVS *perseuerat in suo actuali regimine, & sacerdotio. num.11,12,13,14.*

Obiectiones soluuntur. num.15,16,17,18,19,20,21.

Visibile caput tollitur. num.22 23.24.

QVi de Repub.Ecclesiastica, sicut de purè humanis, philosophantur, mihi videntur non parum à recto tramite aberrare: non modò quia in eo requirunt veram Iurisdictionem, hoc est vim coactiuam, & subiectionem externam, vbi tamen [a] omnis gloria eius ab intus; & præcipuum Ecclesiæ proprium regimen fide, spe, & charitate, aliisque internis Spiritus donis penè totum absoluitur, vt postea lib.5. docebo: sed multò magis quia putant, vt in humanis, absente Rege, & Reip. gubernatore, sicut etiam eo ex humanis sublato, alium esse eidem subrogandum, qui absentis seu demortui vices omnino suppleat, eâdem regiminis formâ prorsus retentâ. Nos verò C Christum dicimus, neque inter absentes, neque inter mortuos reputandum. [b] Ecce enim (*inquit ipse*) Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi] ille nimirum, qui [c] Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.] [d] Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.] I.

a Psal.44.

b Matth.28.

c 2.Cor 13.

d Rom.6.

Adhuc igitur viuit Christus, & adhuc regnat in Ecclesia; in qua si non regnaret etiam post Ascensionem, non diceret Paulus, [e] Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra] Nullum ergo aliud caput agnoscebat Paulus, nisi Christum; & inter membra Christi, non secus includit etiam Petrum, quàm se, & alios Apostolos, ac fideles; Singuli autem, *inquit*, alter alterius membra] & non dicit, Christi membra; sed alter alterius, vt melius significaret æquè omnibus conuenire, vt sint membra ad inuicem, & neminem eorum aliam habere relationem ad alios, nisi membri, seu, vt ita dicam, commembri; & hoc, vt excluderetur ab vnoquoque eorum ratio, & relatio veri capitis D quæcunque. Igitur Petrus non modò erat membrum, comparatus ad verum caput, quod erat Christus; sed etiam membri parem rationem, comparatus ad alios Apostolos & fideles, cum ipsis, si Pauli dictis fidem adhibemus, obtinebat. II.

e Rom.12.

Imo hoc ipsum Regimen super Ecclesiam, videtur Christo Domino à Patre donatum, post ipsius Glorificationem, & in cœlos Ascensionem; teste eodem Paulo; [f] Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur] Vides igitur, postquam constitutus est ad dexteram in cœlestibus, præpositum esse à Deo Patre caput supra omnem Ecclesiam? Quis ergo quærat successorem, aut substitutum, vbi ipsemet E regnaturus, in solio Ecclesiæ, etiam HVIVS SÆCVLI, collocatur? Sed & actuale Regimen Ecclesiæ Christum re ipsa exercere per se ipsum, testatur idem Apostolus, dicens; [g] Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.] Hoc verò regimen totum esse spirituale, nec egere corporali præsentia, sed influxu internæ gratiæ ipsum peragi, satis declarat idem Paulus, subdens; [h] Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipsum pacificans, per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.] Et alibi; [i] Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus; & diuisiones ministrationum III.

f Ephes 1.

g Coloss 1.

h Ibidem.

i 1.Cor.12.

strationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus, ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alij gratia sanitatum in vno spiritu; alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.] A

IV.

Ecce Regimen actuale Christi è Cœlis per suum spiritum, quo Ecclesiam in terris moderatur, suorum operâ Ministrorum. Vnde & subdit Paulus; [a] sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita, & Christus.] Vbi manifestè Christum aliquid vnum facit simul cum tota Ecclesia; ita vt Christus & Ecclesia sint vnicum corpus integrum, ex capite & membris conflatum; ait enim *ita & Christus* nimirum constituit vnicum illud corpus, quod multa membra habet. Et prosequitur suam similitudinem, applicando omnibus ministris varia officia, quæ supra diuisiones gratiarum, ministrationum, & operationum vocauerat; ac recenset plurium membrorum corporis varia munera, pedum, auris, oculi, manuum; vt significet Ministros omnes esse membra sub capite, in eo corpore, in quo etiam Christus est inclusus; profecto tanquam caput quod vtatur quidem membris, non tamen alio capite. Illud vero obserua, Paulum in his suis similitudinibus nomen capitis sumere materialiter, prout caput est pars vna materialis corporis: nam sicut manus, crus, pes &c. sunt partes & membra vnius corporis, ita caput quoque est vna pars, & vnum membrum totius integri corporis, vt in sequentibus [b] explicabitur. Quando itaque ait Paulus, Caput non posse dicere pedibus, non estis mihi necessarij, intelligit caput vt est commembrum in eodem corpore cum pedibus; non autem vt est suo influxu, suaque virtute totius corporis rectiuum. Et sane tota vis similitudinis Pauli, est vt membra omnia, & singula, in vno corpore, indigere inter se ope ostendantur. Nunc autem, *inquit*, multa quidem membra, vnum autem corpus: & statim subdit, non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo: *ac pergit*: aut iterum caput pedibus &c. & *concludit*; vt non sit schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem subiecta sint membra.] Caput igitur quod indiget pedibus, est membrum, non formaliter caput. Caput enim formaliter vt caput, nihil opis accipit à pedibus, seu a quocunque membro; sed omnia membra ipsum regit, fouet, & adiuuat, suo spirituum animalium influxu. Et quia caput potest dicere pedibus, vos mihi non estis necessarij; nam ego vos rego, vos mihi, in ratione capitis, nihil confertis: & membra non dicuntur adiuuare caput, sed debere subijci capiti, & ab eo penitus dependere. Tunc etiam caput contradistinguitur ab omnibus membris; aliud enim caput est, aliud membra: sed ex omnibus membris, & consequenter etiam ex capite materiali, simul cum capite formali, fit vnum corpus viuum, & perfectum. Ideo cadauer non potest vere dici corpus humanum nisi æquiuoce; quia in cadauere adsunt omnia membra, caput tamen formaliter non adest, quia in illa membra nihil est quod influat spiritus, vitam, motum, &c. Valeant ergo illi qui ex hoc Pauli loco colligunt, in Ecclesia debere dari caput visibile, sed formaliter sumptum, hoc est regens & influens, præter Christum: cum Christus optime possit dicere pedibus, mihi non estis necessarij: vnde colligunt caput hoc loco, non posse significare Christum. Ego vero dixi, caput hoc loco significare membrum, quale est quisque in Ecclesia quicunque ille sit; etiam Apostolus, non caput formaliter. Addit verò Paulus, [c] Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit.] Quibus verbis mihi dubium non est, nomine membrorum significari etiam Apostolos; & sane omnes, nullo excepto, qui si à Deo positi sunt in corpore hoc, quod est Ecclesia, simul cum Christo tanquam membra, certè nullus eorum potest esse caput: quia corpus hoc biceps non est; & expresse Paulus Christum solum agnouit caput, quod actu munera capitis Ecclesiæ obeat, etiam in cœlo ad dexteram Patris collocatus. B C D E

a 1. Cor. 12.

b *Huius operis lib. 4. cap. 7. num 36.*

c 1. Cor. 12.

V.

Augustinus locis pluribus docet & asserit, totum Christum esse caput & corpus, seu membra; id est Ecclesiam; neque extra Christum cognoscit caput vllum, sed omnia membra; ita epistola 50. ad finem. enarratione 2. in psalmum 30. & in ps. 56. 62. 100. 131. 132. 138. 139. 142. Tract. 21. 28. 108. in Euangelium Ioannis. & in epist. Ioan. tract. 10. Serm. 49. de Verbis Domini, & Serm. 40. de Temp. & sæpe alibi. Vnicum aut alterum affero locum: [d] Quæstio, *inquit*, certè inter nos versatur vbi sit Ecclesia, vtrum apud nos, an apud illos *Donatistas*. Quæ vtique vna est, quam maiores nostri Catholicam

d *August. lib. de Vnit. Eccles. cap. 2.*

A tholicam nominarunt ; vt ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim καθ' ὅλον Græce dicitur. Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit; [a] Pro corpore eius quæ est Ecclesia. Vnde vtique manifestum est, eum qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse. Membra verò Christi per vnitatis claritatem sibi copulantur, & per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus Iesus. Totum igitur quod annunciatur de Christo, caput, & corpus est. Caput est ipse vnigenitus Iesus Christus filius Dei viui, ipse Saluator corporis qui [b] mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Corpus eius Ecclesia, de qua dicitur, [c] Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi.] [d] Et postea; Totus, *inquit*, Christus caput & corpus est. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne vna. Quicunque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiũt, etiamsi in omnibus locis inueniatur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicunque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia ; quia de Christi corpore quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt.]

a Coloss. 1.

b Rom. 4.

c Ephes. 5.

d Aug. ibid. c. 4.

B

Ita etiam pulcherrimè Gregorius, [e] Christus itaque (*ait*) cum tota sua Ecclesia, siue quæ adhuc versatur in terris, siue quæ cum eo iam regnat in Cœlis, vna persona est. Et sicut est vna anima quæ diuersa corporis membra viuificat, ita totam simul Ecclesiam vnus spiritus sanctus vegetat & illustrat. Sicut namque Christus qui est caput Ecclesiæ, de spiritu sancto conceptus est, sic sancta Ecclesia quæ corpus eius est, eodem spiritu sancto repletur vt viuat, eius virtute firmatur, vt in vnius fidei & charitatis compage subsistat. Vnde dicit Apostolus; [f] Ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augumentum Dei. Istud est corpus extra quod non viuificat spiritus. Vnde dicit Beatus Augustinus ; si vis viuere de spiritu Dei, esto in corpore Christi. De hoc spiritu non viuit Hæreticus, non viuit schismaticus, non viuit excommunicatus; non enim sunt de corpore : Ecclesia autem spiritum viuificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhæret. Scriptum est enim qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo.] Itaque Christus à Gregorio agnitus est caput Ecclesiæ actu viuens, & corpus suum, quod est Ecclesia, viuificans regens & gubernans. Abhorret verò plurimum idem Gregorius, si aliquo pacto dicatur Ecclesia habere in terris vllum caput præter Christum, ne Apostolũ quidem. Considerabat enim quàm grauiter Sanctus Paulus commoueretur, dum schisma Corinthiorum reprehendebat. [g] Quia nimirum dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius alijs quodammodo se capitibus sociabant, perhorrescebat. Sic ergo, *inquit de Paulo*, ille membra Dominici corporis, certis extra Christum, quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis, subijci particulariter euitauit]

VI.

e Greg. in Ps. 5. Pœn. init.

f Coloss. 2.

C

g Greg. l. 4. ep. 38.

Atque hoc ipsum est quod Paulus egregiè alio loco docuit, dicens, [h] Veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus : ex quo totum corpus compactum, & connexum, per omnem iunctu̇ram subministrationis, secundum operationem, in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate.] Explicat enim influxum illum viuum, quo Christus, etiam in cœlis existens, tanquam viuum actuale caput, tribuit suæ Ecclesiæ vegetationem. Quem Pauli locum tractans, Chrysostomus ait; [i] Quemadmodum spiritus ille sensibilis, qui ex cerebro, per neruos, in corpus descendit, non simpliciter in omnibus omnia tradit ; sed iuxta cuiusque membri analogiam, plus illi quod plus, & minus ei quod minus capere potest. Istud enim radix est & principale, nempe corpus conseruandum : Ita & Christus : Ipsius enim prouidentia, charismatumque subministratio, vniuscuiusque membri, animatum videlicet earum, quæ velut membra quædam illi adaptatæ sunt, iuxta mensuram, & analogiam incrementum facit.]

VII.

h Ephes. 4.

i Chrysost. hom. 11. in epist. ad Eph.

D

Hunc influxum actualem capitis Christi explicat [k] Augustinus per vnguentum, dum ait; Et quis est Sacerdos, nisi ille, qui cum in mundo non inueniret mundum quod offerret, seipsum obtulit ? In capite ipsius vnguentum, quia totus Christus cum Ecclesia ; sed à capite venit vnguentum. Caput nostrum Christus est, crucifixum, sepultum, suscitatum, ascendit in cœlum, & venit Spiritus sanctus à capite ; quo ? ad barbam : barba significat fortes, barba significat iuuenes, strenuos, impigros, alacres: ideo quando tales describimus, barbatus homo est, dicimus. Ergo illud primum vnguentum descendit in Apostolos, descendit in illos qui primos impetus sæculi sustinuerunt: descendit ergo in illos spiritus sanctus &c.] Obserua porrò vnctionem hanc Augustinum intellexisse, æque in omnes Apostolos

VIII.

k Augustinus in ps. 132.

E

Apostolos descendisse, à capite Christo, tanquam in barbam: & non prius in Petrum, quam in alios: & æquè Petrum atque alios nomine barbæ, & non capitis significatum. A

IX. Ac certè nullum aliud caput in Ecclesia agnouisse Augustinum, præter Christum, & Apostolos omnes, incluso etiam Petro, non nisi membra Christi fuisse, prout membrum contradistinguitur à capite, docet ipse passim. Audi illum: [a] Sed quoniam per hoc quod Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, factus est caput Ecclesiæ, illi *Apostoli* membra sunt eius; ideo ait quod sequitur; & pro eis ego sanctifico me ipsum. Quid est enim, & pro eis ego sanctifico me ipsum? Nisi eos in me ipso sanctifico, cùm & ipsi sint ego: quoniam de quibus hoc ait, vt dixi, membra sunt eius; & vnus est Christus caput & corpus, &c.] Igitur Petrus etiam & ipse est Corpus, seu membrum sub capite. Quod ipsum adhuc clarius idem alibi expressit. [b] Nam, *inquit*, & ipsum Petrum cui commendauit oues suas, quasi alteri, vnum secum facere volebat, vt sic ei oues commendaret, vt esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est Ecclesiæ, & tanquam sponsus & sponsa essent duo in carne vna.] Quibus verbis illud potissimum contendit Augustinus, Christum noluisse ab se capitis officium abdicare, aut Petro committere: ideoque maluisse Petrum per amorem quodammodo sibi vnire; quam se, aut Primatum suum in Petrum transferre. B

a *Augustinus tract. 108. in Ioan.*

b *Augustinus lib. de Pastor. cap. 13.*

X. Fatetur libenter Monarchicorum fortè Coryphæus Ioannes de Turrecremata, [c] Neque Petrum, neque Successores, habere vllum internum influxum, quo prosint Ecclesiæ: & in hoc solum Christum esse ipsius Ecclesiæ caput. Sed præter hunc influxum internum, ponit cum Aquinate Thoma, alium externum, externæ gubernationis; ei similem, quo caput, externis sensibus, præsertim visu, dirigit hominem in actibus exterioribus. Hic tamen Turrecremata non considerauit, neque visum, neque auditum, neque vllum sensum eorum qui in capite radicantur, dici posse ipsum caput. Oculus enim, aures, &c. sunt membra, licet in capite: sed à capite contradistinguntur: & caput, vt caput, nullum aliud habet officium, nisi interno influxu regere & gubernare totum corpus, eo modo, quo superius Chrysost. num 7. explicabat. Quod verò oculi dirigant manus & pedes extrinsecè, nihil ad caput formaliter sumptum: sunt officia membrorum inter se cohærentium, & mutuò inseruientium. Videat quoque idem Autor quomodo caput hoc visibile, quod ponunt in Ecclesia nostri Hieromonarchici, possit res fidei toti Ecclesiæ credendas diiudicare & proponere, si ipse, non nisi ad externam gubernationem, caput hoc visibile datũ esse censet & explicat. Atqui quicumq; homo in Ecclesia est, vt visibilis, membrum, non caput est. C

c *Turrecr. lib. 2. de Eccl. c. 13. ad 4.*

XI. Hanc eandem capitis Christi perpetuitatem, & perseuerantiam, ita vt nunquam cessauerit Ecclesiam suam in terris per se ipsum regere, facile est ostendere, ex ipsius Sacerdotio, iuxta doctrinam Pauli, qui egregiè probat Christum Dominum [d] æternum esse Sacerdotem; eiusque Sacerdotium, sicut à nullo alio acceptum, ita manturum in æternitate, iuxta illud, [e] Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec. Et in eo ponit discrimen inter sacerdotium Christi, & sacerdotium Leuiticum; quod hoc morte interrumpatur; illud verò maneat in æternum: [f] Et alij quidem, *inquit, nempe ex genere Leui*, plures facti sunt sacerdotes; idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem CHRISTVS IESVS eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.] Quor sum igitur contendimus Christo dare Vicarium vel Successorem in terris? Cur summum hic Pontificem quærimus, si Christus Sacerdos & Pontifex noster sempiternum habet sacerdotium, & pontificatum sempiternum? [g] Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum semper viuens, ad interpellandum pro nobis.] [h] Et Aaroni quidem, *inquit Athanasius*, successores dati sunt: & omnino legale sacerdotium mortis & temporis progressu alios, atque alios pontifices accepit: Dominus autem sine transitione & sine successore, sacerdotium obtinens, fidus, firmusque Pontifex factus est, in perpetuum perseuerando.] [i] Chrysostomus quoque; Propterea ergo, *inquit*, saluat quoniam non moritur; quia semper viuit, & non habet successorem. Si verò non habet successorem, potest etiam omnibus adesse; & paulò ante dixerat; Vnus est, *Pontifex Christus*, quia vnus non esset, nisi esset immortalis; sicut enim multi sacerdotes sunt quia mortales sunt; sic vnus, quia immortalis est.] D E

d Heb 7.

e Psal. 109.

f Heb. 7.

g Heb 7.

h *Athan. serm. 3. cont. Arian.*

i *Chrysost. hom. 13. in epist. Ad Heb.*

XII. An forsasse timendum, ne Christus in Cœlis positus non possit supplere muneri in regenda Ecclesia terrestri? Cum totum ipsius regimen ab eo, vt à capite, Diuinis influxibus absoluatur? Nonne satis est si habeat Ministros in terris, quorum opera ministeriali vtatur in regimine spirituali, seruata sibi Capitis, Regis, & Domini dignitate & prærogatiua?

A una? Ego sanè nullum discrimen video, cur potuerit Christus, dum præsens corpore erat in terris, solo Ministrorum vsu Regiam exercere curam in Ecclesia, nullo alio sibi adiecto Vicario, nullo visibili capite, nullo substituto: nunc verò idem prorsus præstare non possit. Retinet igitur & Capitis, & Regis, & Domini dignitatem, nomen, & officium; & per seruos, ac Ministros, officialesque suos Apostolos, Discipulos, & Episcopos ac Sacerdotes, nihil prorsus variatâ formâ regiminis, nihilo secius Rempub. Ecclesiasticam, hoc est, spiritualem, administrat, quam si inter mortales, vt prius corpore præsens, moraretur. [a] Saluator Dominus, *bene inquit Clemens, imò Petrus apud Clementem*, Gubernator Ecclesiæ suæ, diligatur ab omnibus; Et ipsius solius præceptis, ac iussis, credat, & obediat omnis Ecclesia.] a *Clem. Ep. 1.*

Et quia ipse Christus adhuc viuit, verus & proprius Ecclesiæ Pontifex, & Sacerdos, XIII.
B cuius sacerdotium vidimus esse sempiternum, ideo sacerdotes omnes mortales in Ecclesia Christi, quicunque illi sint, non tam dicuntur propriè sacrificium offerre, quod verè & propriè solus Christus obtulit, quam sacrificii illius maximi memoriam celebrare. [b] Hoc facite in meam commemorationem. [c] Quid ergo nos? *ait Chrysostomus*, nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia non multæ. Quomodo vna est non multæ? quia semel oblata est in sancto-sanctorum: hoc autem sacrificium exemplar est illius; idipsum semper offerimus.] Et paulò post: Pontifex noster ille, qui hostiam mundantem nos, obtulit: ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem facimus eius quod factum est; hoc enim facite, *inquit*, in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut Pontifex; sed idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificii operamur.] Et Augustinus, [d] Hebræi, b Luc. 22. c *Chrysost. Hom. 17 in Ep. ad Heb.* d *Aug. l. 2. cont. Faust. c. 18.*
C *inquit*, in victimis pecorum quas offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit: vnde iam Christiani peracti eius sacrificii memoriam celebrant, sacrosanctâ oblatione, & participatione corporis, & sanguinis Domini.] Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, [e] Christus est, *inquit*, summus Sacerdos, immutabile habens sacerdotium, quod neque a tempore cæpit, neque successorem alium habens sacerdotij.] Sicut igitur nemo succedit Pontifici Christo in Ecclesia, quia ipsemet perseuerat; ita neque quisquam verè & propriè, vt docet Augustinus & Chrysostomus, sacrificat; sed memoriam solam repræsentat. Nulla ergo successoris, nulla veri Vicarii, nulla summi Pontificis, loco Christi, necessitas in Ecclesia. e *Cyrill. Hier. of. Catech. 10.*

Non latuit Ambrosium hoc Christi iuge sacerdotium, quod nullum in terris admitte- XIV.
ret successorem, nullum verum Vicarium, sed solos & plures eiusdem ordinis & officij ministros. [f] Ascende ergo, *inquit*, homo in cœlum, & videbis illa quorum vmbra hîc erat
D vel imago. Videbis verum & æternum, atque perpetuum Sacerdotem, cuius hic imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam.] Non ergo Ambrosio plus Petrus, quàm sola imago Pontificis Christi, tantundem quantum quilibet aliorum Apostolorum. Christus enim Sacerdos perpetuus in suo regimine continuè perseuerat: propterea verò & Ecclesia ipsius, sub ipso suo capite, tanquam Respublica sub vnico suo vero Rege & Monarcha, ab eodem recta perpetuò & gubernata, veram perfectissimæ simplicis Monarchiæ formam retinet; Adeo vt, siquidem Monarchia simplex inter alias Reipub. formas simpliciter excellit, vt docent Philosophi, & nostrates Theologi, meritò Respub. Ecclesiastica simpliciter, & absolutè Monarchico perfectissimo regimini subesse sit dicenda. f *Ambros. Enar. in Ps. 38.*

Obicit nobis [g] Bellarminus primò, Caluinum etiam huc sese recepisse; & licet XV.
E Monarchia sit optimum, & præstantissimum regimen, non propterea sequi, debere Ecclesiam ab vno aliquo homine gubernari; cum constet eius Regem ac Monarcham, esse Christum; Id tamen facilè refelli. Nam etsi Christus vnus sit, *inquit*, ac proprius Ecclesiæ Catholicæ Rex, & Monarcha; eamque spiritualiter ac inuisibiliter regat, & moderetur: tamen eget Ecclesia, quæ corporalis & visibilis est, vno aliquo visibili summo Iudice, à quo lites de Religione exortæ componantur; quique omnes inferiores præfectos in officio, & vnitate contineat. Alioqui non solus summus Pontifex, sed etiam Episcopi, Pastores, Doctores, ac Ministri omnes supervacanei essent. Christus enim [h] Pastor est & Episcopus animarum nostrarum. Ipse est vnicus magister, quem [i] audire iubet Pater cœlestis. [k] Ipse est qui baptizat in Spiritu sancto. Quemadmodum igitur Episcopi, Doctores, cæterique Ministri supervacanei non sunt, tametsi quod ipsi, vt Ministri faciunt, Christus g *Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 9.* h 1. Pet 2. i Matt. 17. k Ioan. 1.

Christus principaliter faciat; sic etiam non est è medio tollendus is, qui totius Ecclesiæ curam, vt summus Oeconomus gerit; quamuis eandem curam Christus principaliter gerat.] Sic Bellarminus. A

XVI. Hæc tamen obiectio non profert aliquid tanti momenti, quod infirmare possit ea quæ à nobis in hoc capite sunt posita, & adeo sacris Scripturis, & patrum grauissimorum testimonijs confirmata. Nam facile & admisimus, & admittimus necessitatem ministrorum, quibus vti voluit Christus, etiam dum ipse mortalis in terris in sua Ecclesia versabatur; nedum postea, cum iam sua corporali præsentia nobis subtracta, cœlestem sedem occupauit: & necessitatẽ eiusmodi, vt salua lege ordinaria, & humano modo operandi, ac suaui dispositione ipsius æternæ sapientiæ, ipse per se non potuerit, nec possit solus satisfacere. Prædicandum enim erat Euangelium ore materiali, linguis & verbis humanis, per totum Mundum; baptizandi erant credentes aqua materiali, lotione corporali, per vniuersum terrarum orbem sparsi; vtendum ergo fuit Ministris, & ijs pluribus, quibus cura hæc demandanda erat, illis verbis; [a] Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Propterea Episcopi, Pastores, & Doctores, non sunt superuacanei, imò omnino necessarij; quia, vt dixi, Christus, etiamsi pastor sit præcipuus, doctor, & Episcopus, olim etiam corporalis, nunc verò internus tantum & spiritualis, supplere tamen vbique, saluo more ordinario humano, tunc non poterat; nunc verò corpore absens, multo magis per alios exercere debet necessaria munera docendi, baptizandi, & alia sacramenta ministrandi; sicut omnia munera Capitis, & Regis obit per se, (vt docui) perfectissimè, in quibus nullis indiget ministris. Hinc tamen necessitatem vnius alicuius Vicarij non habemus. Et quod dicitur Ecclesia egere vno aliquo visibili summo Iudice, id gratis & frustra dici, clarissimè ostendam in sequentibus. Nam probabo, vt spero, lib. 5. Ecclesiam propriè non nisi in spiritualibus exerceri: & lib. 7. & 8. Iudicia Ecclesiastica siqua sint interdum necessaria, ea ab Episcopis & Synodis, & ab ipsa Ecclesia Vniuersali, terminari. Et iam monui, non debere nos de Regimine Ecclesiæ quicquam asserere, quod ex humanis rationibus videretur asserendum; sed id quod ipso facto est à Christo institutum, & in Ecclesia ab ipsius fundatione, obseruatum. Videndumque erit num Petrus fuerit ille Iudex supremus, ac summus Oeconomus, necne; quod nos in sequentibus diligenter conabimur indagare. Sed videat Bellarminus, quomodo in rebus fidei, & internis, postea sit facturus supremum Iudicem Papam, cui nunc solam externam tribuit gubernationem. B C

a Matth 28.

XVII. Obijcit vlterius [b] Bellarminus similitudinem quam habet Ecclesia mortaliũ hominum, cum Ecclesia immortalium Angelorum: Vt sicut ibi, præter supremam Regiam Dei potestatem, etiam inter ipsos Angelos dantur Principes, qui alijs imperent, & dominentur; ita hic, præter Christum Regem, adsit etiam ex ipso mortalium hominum ordine, qui præsit cæteris. Sed multò minus hæc similitudo, quæ facit argumentum duntaxat topicum, vt patet, debet infringere ea quæ mihi visa sunt, per logicam theologalem, demonstratiua. Esto enim et hæc terrena Ecclesia habeat similitudinem cum cœlesti; & illa sit huius idea & exemplar; in quo tamen sit ista similitudo. & an pura & simplex analogia, licet remota, an alia, esset plurimum disputandum; sicut & de primatu Angelorum, num possit Michael subditum Angelum gradu mouere, officio priuare, carceri æterno mancipare; an verò sit primatus quidam dignitatis cuiusdam, & à terreno principatu remotissimus, esset prolixè differendum. Certè, vt proxime dicebam de superiori obiectione, in hac materia illud solummodo est asserendum, quod Scriptura & Ecclesia docet de facto esse à Christo institutum; non quod humanæ, argutæ, ac remotæ videntur colligere Dialecticæ ratiocinationes. D E

b Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 9. & prius Iac. Eckius de Primatu Petri l. 2 c. 26.

XVIII. Obijcit præterea [c] Nicolaus Sanderus, formam regiminis Ecclesiastici eandem debere perseuerare in Ecclesia, quam Christus in gubernanda sua Ecclesia primitiua, dum ageret in terris, tenuit. Habet porro, *inquit*, Ecclesia Episcopos qui succedunt Apostolis; habet præsbyteros qui succedunt Discipulis; cur non habebit vnum qui succedat Christo? Nam Christus eam, dum ageret in humanis, non modo suo spiritu interne ac inuisibiliter regebat, sed etiam externè & visibiliter. Esto igitur idem Christus perseueret in æterno regimine inuisibili; cum tamen perseuerare non possit absens in regimine externo, debet habere Vicarium & successorem, quoad regimen externum visibile; & non plures, sed vnicum, sicut ipse erat solus & vnicus primitiuæ Ecclesiæ Rector visibilis; Alioqui non erit eadem forma gubernationis, sed alia, & plurimum variata; & tamen Christus eam Ecclesiæ

c Sander. de Visib. Monarch. l. 5. c. 1.

A fiæ gubernationem, quæ in æternum duratura esset, tam verbo, quàm exemplo, per visibilem Principatum suum inchoauit; & vsque ad discessum ex hoc mundo ad Patrem, retinuit; non amplius post eius discessum mutandam, aut variandam.] Hoc argumentum fusius ipse, & sane magis oratoriè, quam theologicè, tractat.

Maluissem ipse ab eo audire quomodo, quando, & vbi Christus hanc substitutionem fecerit alicuius, puta Petri, vt visibile & vnicum caput, ipsius loco, visibiliter præesset Ecclesiæ. Certè hoc theoricum ipsius argumentum, cui practicè nihil respondeat, me nihil mouet; neque enim quærimus quid faciendum fuerit Christo; sed quidnam ipse fecerit. Cùm igitur de hac substitutione nihil prorsus habeamus, vt fusè probabo in sequẽtibus, argumentum hoc, cum cæteris superioribus, pariter est contemnendum. Cui tamen abundè fit satis, dum dicimus, Apostolos omnes immediatè à Christo assumptos esse, vt essent XIX.

B operarii & ministri ipsius viuentis adhuc & regnantis; & in fundanda Ecclesia coadiutores; & pro eo supplerent ipsi in corporalibus functionibus: quod non est mutare formam Reipublicæ; perseuerat enim eadem Monarchia sub eodem Christo; vt est à me paulo ante explicatum; per continuatam successionem Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum. Necesse verò non est, vt quemadmodum damus successionem Apostolis, ita demus eandem Christo; quia Christus ipsemet in suo Capitis officio perseuerat: Apostoli verò nequaquam; quia mortui sunt; & alij in ipsorum locum subinde sufficiuntur: Visibile autem regimen totum consistit in opere Ministrorum: ideoque visibile Caput non requiras.

Vrget Sanderus, audaciam esse, vt illam Reipublicæ formam, quæ Christo placuit dum XX.

præsens esset corpore, euertere, & in aliam transferre quis velit. Ille rexit militantem, *inquit*, Ecclesiam, velut Princeps vnus, ad vniuersæ Reipublicæ gubernacula præsidens; & nunc velimus plures simul, atque adeo pene innumerabiles Episcopos, ac Præsbyteros, ad

C eiusdem Reipublicæ gubernacula sedere? At nos ab ipsius Christi rebus in Ecclesia primitiua gestis docemur, qualem postea gubernationem, in reliqua Ecclesia ipsius, expectare debeamus. Nam vt Christus, dum in carne ambularet, Apostolos primum, deinde alios septuaginta Discipulos instituit, fratres quidem vocans quoscunque fideles, verùm ipse interim summam rerum solus administrans; sic eo in cœlum ascendente, alius Ecclesiæ Pastor, qui ab ipso institueretur, expectandus erat; qui vice ac nomine Christi, & Episcopos sibi instar Apostolorum, tanquam fratres adiungeret; & præsbyteros instar Discipulorũ Domini, certis Ecclesijs præficeret; cum interim solus ipse grauissima quæq; negotia expediret.] Hæc ille.

Hæc tamen omnia facile concidunt, detecto huius Autoris, & sequacium non exiguo XXI.

errore, dum putant, & immeritò volunt, Ecclesiam post Christi discessum, seu gubernationem eius, non esse eandem quæ fuit primitiua, Christo in terris degente, sed aliam, ei tamen

D similem. Nam sicut Ecclesia eadem prorsus est, non alia similis; ita gubernatio eadem perseuerat, non alia similis: Nam idem Christus viuus adhuc, & corpore duntaxat, non spiritu absens, per plures Ministros, & Operarios regit, & administrat corporalibus functionibus Ecclesiasticam hanc Rempublicam; neque corporalis ipsius præsentia, aut absentia, gubernationem variat, aut mutat. Sicut si Rex terrenus peregrè proficiscens, is esset, qui posset nihilominus momento quolibet, secretâ aliquâ viâ, suis ministris & gubernatoribus, animo, & consilijs adesse; eosque singulis momentis instruere, & per illos totam Regni gubernationem exercere, perinde ac si corpore præsens esset: eo sane casu nullo Prorege indigeret; sed ipsemet suum Regnum nihilo secius gubernaret; & ipsius sola

E absentia corporalis, ne minimam quidem gubernationis induceret varietatem; ita fit in Ecclesia; Apostoli enim, sicut existente in terris mortali Christo, Operariorum munus exercuerunt, ita multo magis post Christi ascensum in cœlum, in eodẽ munere perseuerauerunt, & sibi similiter alios socios asciuerunt, & post se reliquerunt; qui sunt nunc etiam potissimum Episcopi, in eodem opere Apostolorum successores, Christi vero officiales, ministri, & serui viuentis adhuc & regnantis; solo tamen corpore, non item animo, neque internis monitis & consilijs, absentis, qui spiritu suo perpetuo præsens, Pastores omnes, ipse vnus moderatur, vt verus Princeps; quem omnes suum superiorem agnoscunt: neque possunt propterea in mille sectas (quod opponit Sanderus) plebem diuidere; quia cum primum minister aliquis in deuia gregem abripit, Ecclesia ipsa, & reliquus bonorum [a] ministrorum cœtus, eum aut ab errore retrahit, aut ab Ecclesia præscindit, & à corpore Sacræ Reipublicæ proijcit, Christo Domino per spiritum suum huiusmodi negotium, tanquam vero Principe & Rege, peragente. Sed de hoc nos alibi fusius.

[a] *Cypr. l. 3. Ep. 13.*

Præterquam

XXII. Præterquam quod non est difficile in doctrina Catholica defendere, Ecclesiam veram Primitiuam, post Christi ascensum propriè suum ortum habuisse; Ita vt Ecclesia Christi, cum verè esset Ecclesia, à Synagoga distincta prorsus, & separata, nunquam fuerit à Christo Domino, per corporalem suam præsentiam, corporalibus functionibus recta, & gubernata; sed vt supra tradidi, per solum Spiritum, & internam suæ gratiæ operationem; quo spectant ea diuinæ scripturæ loca; [a] Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.] nimirum postquam, Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. [b] Et, [c] De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.] Exaltatus namque est Christus vt caput Ecclesiæ, postquam de torrente passionis bibit. Et [c] Pro eo quod laborauit anima eius, videbit semen longæuum.] hoc est suam Ecclesiam; prius tamen [d] Vidimus eum, & non erat aspectus, virum dolorū: Et, Verè languores nostros ipse tulit: Et, Vulneratus est propter iniquitates nostras: Et, Oblatus est quia ipse voluit: Et, Sicut ouis ad occisionem ductus est: Et, Abscissus de terra viuentium: & tunc tandem longæuum ei semen est concessum, non prius. Et nonne passim dicitur a nostris, Ecclesiam de latere Christi fluxisse, hoc est, post Passionem Christi fuisse inchoatam? A B

a Psa. 2.
b Ps. 109.
c Isa. 53.
d Ibid.

XXIII. Si igitur Ecclesia nondum fuit vera, & propria Christi Ecclesia, dum ipse mortalis esset, quam se non ædificasse dicebat, vel ædificare; sed [e] ædificaturum promittebat: (nam & re verâ per Apostolos fuit post Christi ascensionem ædificata;) profecto Christus nullum Capitis visibilis vnquam munus in sua, quæ est Christiana Ecclesia, exercuit: sed in Synagoga quidem visibiliter laborauit, prædicando, monendo, docendo, instruendo, arguendo, increpando, &c non regaliter gubernando cum imperio. Quod ergo in terra Christus mortalis visibiliter exercuit; hoc, & non aliud, mortalibus hominibus ipsius ministris, exercendum committebat: & quod ipse mortalis visibiliter non exercuit, neque mortalibus commisit, imò nec committere debuit; sed sibi, vt vero Capiti, & Domino, reseruauit: internum videlicet spiritualem influxum, & omnes internos spirituales, & supernaturales effectus: extra quos nudum relinquebat suis ministris externum ministerium & laborem. Quicunque igitur vices Christi in terris gerunt, non gerunt nisi vices Christi mortalis, in iis tantum ad summum, quæ Christus mortalis & passibilis, visibili & sensibili opere in terris existens peragebat. Sed in his nunc non immoror; erit alius locus ista commodiùs pertractandi, partim sequenti capite, partim, & multò amplius, libris quinto & sexto. Nunc satis sit, ex his, tantam Sanderi machinam, tantumque apparatum, de suo visibili Christi primatu, totum corruere. C

e Matth. 16.

XXIV. Illud tamen vel maximè, ab Hieromonarchicis nostris erat nobis exponendum, quanam in re Christus in terris degens fuerit in sua Ecclesia Caput visibile; & quænam sint officia talis Capitis, pro quibus adimplendis Ecclesia, post discessum Christi corporalem, egeat vnico capite visibili. Ego sane in Christi visibili regimine ordinario hæc tantum obseruo; [f] Sacramenta visibilia instituere; [g] Ministros vocare, & mittere; [h] Euangelizare; [i] Ministros suos errantes corripere, & increpare; [k] Legem explicare, eamque à corruptelis vindicare. Alterius generis officia à Capite Christo, vt visibilis erat, prodeuntia, ego certè non reperio. Sola vero exceptâ Sacramentorum institutione, qua non amplius indiget Ecclesia (quot enim nobis sufficere Christus censuit, tot instituit, & hanc potestatem nostri Monarchici totam soli Christo libenter relinquunt) reliqua omnia hæc munera omnibus Apostolis sunt æque à Christo commissa; ac æque ab omnibus, vel coniunctim, vel diuisim adimplenda. Neque vnquam vllum horum munerum fuit adeo vni cuicunque Apostolo proprium, quin reliqui quoque idem suo iure exercerent. Ab Apostolis ad omnes, & singulos Episcopos eadem, legitima successione, peruenerunt. Vt in sequentibus fusè demonstrabo. Episcopi scilicet Episcopos ordinant æqua potestate; Episcopi & Præsbyteri ex officio, & Euangelizant, & Sacramenta administrant: singuli Episcopi suas visibiliter regūt Ecclesias partiales; Episcopi sese mutuo [l] corripiunt, & corrigunt, sicut [m] Paulus corripuit Petrum. Synodi vero & minores, & amplores iudicia Ecclesiastica in Episcopos exercent; totamque Ecclesiam visibiliter dirigunt, & gubernant. Quæ denique ad doctrinam spectant, fideique vel explicationem, vel purgationem, sicut [n] Apostoli & coniunctim omnes cum præsbyteris in Concilio Hierosolymitano huic muneri satisfecerunt; & singuli separatim, pro parte sua, prædiendo, monendo, hortando, etiam nonnulli scribendo præstiterunt; ita postea etiam Episcopi, & Pastores, & Doctores Ecclesiæ, tam vnitim in Concilijs, symbola fidei edendo, hæresesque damnando; quàm singillatim prædican- D E I

f Matt. 28. & Luc. 22.
g Matth. 28. & Io. 20.
h Isa 61. & Luc. 4.
i Matth 16. & Luc. 22.
k Matth. 5. & 6. & 7.
l Cyp. lib. 3. ep. 3.
m Gal. 2.
n Act. 15.

A dicendo, tractatusque Theologicos, ad meliorem canonicarum scripturarum intelligentiam, conscribendo, in eodem munere se exercuerunt, atque in dies exercent, ad Ecclesiæ ædificationem. Vnum igitur certum visibile caput in Ecclesia non est cur iam quæramus: neque vllum potest excogitari huiusmodi capitis officium proprium, quod non sit omnibus Episcopis, iure diuino; aut pluribus, iure Ecclesiastico, commune.

Quod si velit quispiam tantisper Christum ab hac consideratione separare; & solum externum Ministrorum opus in Ecclesia considerare, atque ita formam Regiminis inquirere, iam erit aliter disserendum.

B

CAP. II.

¶ Apostolorum munus fuisse tantùm ministeriale.

SVMMA CAPITIS.

Inter Ministros Christi, vt pateat Monarchiam nullam esse, munus Apostolorum omnium ministeriale tantum fuisse accetur; primum ex eorum vocatione & instructione. num. 1. 2. & ex postissimo ipsorum officio testificandi. num. 3. 4. ac prædicandi; prædicatio verò semper vocatur ministerium, à num. 5. ad num. 18.

Apostolis nudum ministerium relinquitur. num. 19 20.

Miraculorum potestas non excludit nudum ministerium. num. 21. 22. 23. 24.

Encomia Apostolorum apud Augustinum, propositum confirmant num. 25.

C

REdemptor humani generis Christus homo Deus, missus à Patre [a] vt perficeret opus eius; quod opus erat conuersio hominum ad fidem per Euangelij prædicationem, quo illuminarentur mentes hominum; erat enim Christus ad hoc [b] Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; [c] Ego sum, *inquit*, lux mundi; Illa lux quæ, iuxta vaticinium, [d] habitantibus in regione vmbræ mortis, erat oritura; nempe ad [e] illuminandos eos qui in tenebris & vmbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.] Ipse inquam Iesus Dei filius, socios habere voluit & ministros; quorum opera ad eiusdem Euangelii prædicationem vteretur: ipsisque idem opus committeret, quod ipse [f] inunctum habuit à Patre ad perficiendum. Ad hoc igitur discipulos cœpit vocare & congregare. Dicebatque eis, [g] Ego misi vos metere. Et, Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Quid verò significat hæc messis metaphora, nisi colligere homines in horrea Dei, quæ est sancta Christi Ecclesia, per fidem, & Euangelii receptionem.

D

I

a Ioan. 4.
b Io. 1.
c Ioan. 8. 9 12.
d Isa. 9.
e Luc. 1.
f Io. 4.
g Luc. 10.

Quod sanè officium conuertendi homines ad fidem, per Euangelii prædicationem, alia similitudine explicarat idem Christus, quando dixit, [h] Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum] Nam pisces hosce è [i] mari Gentilitatis, & perfidiæ, Apostoli [k] educturi erant, & in vasa diuinæ gratiæ, ad vitam æternam reposituri. Hoc idem officium eis, mandato generali, commisit post Resurrectionem, quando dixit: [l] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] Ad idem nimirum opus perficiendum; & quod ipse Christus à patre missus, tanquam præcipuus; propria tamen autoritate, propriaque doctrina dum potuit & voluit, exercuit, [m] circumeundo Ciuitates & Castella; ipsi tanquã eius Ministri, autoritate delegata, & doctrina eis tradita, ac infusa, & experimentali, cõtinuarent; & quod ille cœperat, ipsi prosequerentur; [n] Dei enim sumus operis adiutores, dicunt ipsi; & [o] quod audierunt, quod viderunt oculis, quod manibus cõtrectauerunt de Verbo vitæ annunciarent, & [p] sequentibus etiam signis confirmarent. Ad hoc igitur vocauit Discipulos suos, dicunt Euangelistæ, [q] quos ipse voluit; & elegit duodecim ex ipsis, vt mitteret eos prædicare: [r] & dedit eis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi Dæmonia, [s] quos & Apostolos nominauit.

E

II.

h Matth 4.
i Mar. 1.
k Matth 13.
l Io. 20.
m Matth 9. & Mar. 6.
n 1. Cor. 3.
o 1. Io. 1.
p Mar. 16.
q Mat. 10.
r Mar. 3.
s Luc. 6.

Habuit sane Christus maximum Discipulorum numerum; nam & [t] Pharisæi audierunt quod Iesus plures discipulos facit quàm Ioannes; & Lucas ait, [u] stetisse in loco campestri turbam Discipulorum: sed ex tam multis, solos duodecim elegit, quos voluit peculiariter secum esse, & indiuiduos habere comites, quos familiaritate continua, verbis, & factis optime instructos, deinde ad prædicationem Euangelij emitteret, tanquam testes oculatos

III.

t Io. 3.
u Luc. 6.

vitæ, doctrinæ, & resurrectionis eius: [a] Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.] [b] Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad extremum terræ.] Imò Apostolos cum Christo etiam habitasse asserit [c] Chrysostomus: Et ante ipsum Tertullianus, dum scripsit: [d] Quis integræ mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu?] Reliqua verò turba discipulorum, non fuit ad docendum assumpta, neque ministeriale vllum habuit munus. Discipuli enim omnes erant, quicunque salutarem Christi doctrinam amplexi, Christum ipsum, vti Diuinum Magistrum, sequebantur. Ex his ad Ministerium Verbi assumpti duodecim Apostoli; & præterea illi septuaginta duo, quos [e] misit binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus. Vt nimirum hi, non tam prædicarent Euangelium, quod nondum erat completum, quàm præpararent quodammodo populos, per generalem annunciationem, iam aduenisse Messiam. Et [f] dicite, *inquit*, illis, Appropinquauit in vos Regnum Dei; & curate infirmos; & dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.] Vera tamen prædicatio Euangelij fuit illa, quæ prædicabat [g] Iesum Christum, & hunc crucifixum; eiusque sanctam Resurrectionem; & consequenter Diuinitatem propalabat; fuitque propria tantummodo sanctorum Apostolorum, & ex Discipulis paucorum, qui etiam Apostolorum nomine sunt vocati. Nam illi septuaginta duo videntur omnes à Ministerio, ad quod fuerunt missi, paulo post [h] defecisse. De quibus suo loco lib. 2. sequenti erit agendum.

a Ioan. 15.
b Act. 1.
c Chrysost. in 1. Cor. Homil. 3.
d Tertul. de præscript.
e Luc. 10.
f Luc. 10.
g 1. Cor. 2.
h Io. 6.

IV.

Sed audiamus ipsosmet Apostolos suum munus & officium explicantes. Diminutus, per Iudæ perditionem, erat duodenarius Apostolorum numerus; & alius in ipsius locum sufficiendus; [i] Oportet, *inquit Petrus*, ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem quo assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum existis.] Ad Apostolatus igitur officium ineptus erat quisquis non fuerat familiariter cum Iesu conuersatus à primis diebus suæ manifestationis, vsque ad mortem eius, & in cœlum Ascensionem. Prædicare enim & testificari debebat Christi Resurrectionem, tanquam testis oculatus. Apostolus igitur est is qui testis oculatus talis, ad prædicandum Christum assumitur, & mittitur ab ipso Christo, siue saltem ex eius ordinatione. Sensit hoc Hieronymus dum ait; [k] Quod autem, exceptis duodecim, quidam vocentur Apostoli, illud in causa est; omnes qui Dominum viderant, & eum postea prædicabant, fuisse Apostolos appellatos.] Ideoque qui prius non erant nisi tantum Discipuli, cum turba cæterorum; postea segregati à cæteris, [l] & ad prædicationem destinati, vt vidimus, [m] Apostolorum nomine fuerunt insigniti. Et fecit, *inquit Marcus*, vt essent duodecim cum illo; & vt mitteret eos prædicare. Quos *tunc* & Apostolos nominauit; *ait Lucas*. Et in hoc plurimum differt Apostolus à Discipulo. Erant enim Discipuli plurimi; & ij non familiares Christi; erant & non pauci familiares, & Christi sequelæ addictissimi; nondum tamen erant Apostoli, nisi postquam destinati sunt prædicatores, vt mitterentur in opus Euangelij. Quando illis solis vndecim, & non alijs, dictum est à Christo, [n] Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.] Nam, [o] quomodo prędicabunt nisi mittantur? Et Apostolus missum significat. Poterant sane Apostoli socios multos assumere, & ordinare, & ad prædicandum mittere, vt factum est in Barnaba, Marco, Luca, Tito, Timotheo; sed Apostolum neminem potuerunt facere, vt esset Apostolus propriè, hoc est discipulus Christi familiaris, & testis oculatus vitæ & doctrinæ Christi; ab eodemque Christo missus, seu destinatus ad prædicationem. Ideoque in suffectione Matthiæ omnes vndecim simul orantes dixerunt. [p] Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, vnum accipere locum Ministerij huius, & Apostolatus.] Qui Apostolatus, vt vides, vocatur Ministerium. In latiori tamen significatione sumi solet Apostoli nomen pro quocunque misso ad prædicandum: vt Epaphroditus Pauli discipulus, quem ipse [q] Philippensium vocat Apostolum.

i Act. 1.
k Hieronym. l. 1. Comment. in ep. ad Gal. cap. 2.
l Mar. 3.
m Luc. 6.
n Matth. 28.
o Rom. 10.
p Act. 1.
q Philip. 2.

V.

Quod sane Ministerium prędicatione, & testificatione peragebatur: quam testificationem plurimi semper fecerunt Apostoli Christi; & eam prœcipuum sui Apostolatus munus agnouerunt. Ait enim Petrus de Iesu, [r] Quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus.] Et simul cum reliquis Apostolis postea de eodem ait; [s] Hunc Principem & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum: & nos sumus testes horum verborum, & Spiritus Sanctus quem dedit Deus omnibus

r Act. 3.
s Act. 5.

A nibus obedientibus sibi.] Et, [a] Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri.] Ac Petrus iterum: [b] Et nos testes sumus omnium quę fecit in regione Iudæorum, & Hierusalem; quem occiderunt suspendentes in ligno Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorum.] Et Paulus; [c] Deus verò suscitauit eum à mortuis tertia die; qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalem: qui vsq; nunc sunt testes eius ad plebem.] Petrus præterea; [d] Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, &c. Et Ioannes; [e] Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus
B nostræ cõtrectauerunt de Verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis.] Et in hoc verus consistit Apostolátus, vt quis sit testis Christi, non ex solo auditu alienæ relationis, sed ex sensata propria cognitione: De qua, vide etiam Irenæum lib. 3. aduers. hær. c. 13. Tertullianus & ipse hoc aduertit, ait enim, Apostolos esse assumptos, [f] Vt testes omnium gestorum Christi essent. Paulinus quoque Nolanus; [g] Quia, *inquit*, Apostoli in orbem terrarum mittendi forent, ad omnium gentium informationem, non auribus tantum, sed & oculis, prædicandam fidem capere debebant; vt quod firmius didicissent, constantius edocerent.]

Paulus verò & ipse testis oculatus Resurrectionis Christi, qui ei rediuuus, cum luce de cœlo [h] apparuit; omnium Apostolorum [i] nouissimè; de reliqua verò Christi vita & doctrina, per specialem Christi [k] reuelationem optime instructus, ad opus Euangelij, Apo-
C stolus & ipse, verus & proprius est effectus; qui se & Christum [l] secundum carnem agnouisse testatur. Et ad eundem sic locutus est Ananias; [m] Deus patrum nostrorum, præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres Iustum, & audires vocem ex ore eius: quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti, & audisti.] Vnde & se [n] Apostolum maximè gentium sæpissimè nominat; imò, & aliquando videtur se [o] maximis Apostolis præferre: vocatio enim ipsius, & missio prorsus admirabilis, excedit plurimum aliorum Apostolorum vocationes, & missiones. Idem sane Paulus, præter vndecim, non paucos alios ponit Apostolos, dum Christi post Resurrectionem recensет apparitiones. [p] Et quia visus est Cephæ; & post hoc vndecim: deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul; deinde visus est Iacobo; deinde Apostolis omnibus.] Erant enim, (*testibus* [q] *Chrysost.* [r] *Euseb.* & [s] *Hieron.*) & alij quidam Apostoli, quemadmodum septuaginta illi.]
D De hoc tamen rursus nobis erit sermo libro sequenti. Sed & ratione missionis Christi a Patre iuxta illud, [t] Euangelizare pauperibus misit me.] Idemmet Christus à Paulo vocatur Apostolus: [u] Vnde fratres sancti, vocationis cœlestis participes considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum.]

Hic porro magnus Apostolus Paulus, iam dicat quid Muneris per Apostolorum fuerit sibi iniunctum. [x] Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.] Non quod muneris Apostolici non sit etiã baptizare, ait enim Christus, [y] Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos] Sed quod præcipuum, & maxime proprium veri Apostoli officium sit Euangelizare; quod per alios implere non possunt, nisi per seipsos primi Apostoli, vt tanquam testes oculati Christum, ex officio speciali sibi iniuncto, prædicent; per alios verò ipsorum Discipulos & Ministros, facile poterant conuersos, & iam instructos, ac cre-
E dentes baptizare. Ita enim etiam Christus Dominus, dum rudes adhuc erant & incapaces perfecti Euangelij eius Discipuli, Baptizandi duntaxat munus eis commisit; ipse verò euangelizabat. [z] Posthæc venit Iesus, & Discipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis: & baptizabat] quod intelligendum est non per se, sed per Discipulos. Sequenti enim capite id explicatur illis verbis. [a] Vt ergo cognouit Iesus quia audierunt Pharisæi quod Iesus plures Discipulos facit, & baptizat (quanquam Iesus non baptizaret, sed Discipuli eius).] Ab eo igitur edocti Apostoli; cum iam apti essent ad euangelizandum, in hoc vnum negotium tanquam maxime præcipuum incumbentes, baptizandi munus alijs ministris in adiumentum assumptis committebant. Quæ etiam fuit occasio Diaconos instituendi; [b] ne derelicto verbo Dei, occuparentur Apostoli in alijs inferioribus ministerijs, quæ per alios non Apostolos poterant commodè adimpleri. [c] Nos verò *inquiunt Apostoli* orationi & Ministerio verbi instantes erimus. Non dicunt; Nos legibus coactiuis condendis, ac tribunali vacabimus, nos pro arbitrio præcipiendo,

a Act. 4.
b Act. 10.
c Act. 13.
d 1. Pet. 5.
e 1. Ioh. 1.
f *Tertull. lib. de pudicitia.*
g *Paulin. epist. 12.*

VI.

h Act. 9.
i 1. Cor. 15.
k Gal. 1.
l 2. Cor. 5.
m Act. 22.
n Rom. 11. 1 cor. 1. 4. 9. gal. 1. 1. Tim. 2. 2. Tim. 1.
o 2. Cor. 11. 12.
p 1. Cor. 15.
q *Chrys. hom. 38. in 1. Cor.*
r *Euseb. lib. 1. hist. c. 12.*
s *Hieron. in 1. Cor. 15.*
t Isa 61. & luc. 4
u Heb. 3.

VII.

x 1. Cor. 1.
y Mat. vlt.
z Ioh 3.
a Ioh. 4.
b Act. 6.
c Act. 6.

endo, puniendo, dominando, occupabimur: Sed orationi, & ministerio verbi instantes erimus: Quia aliud sibi officium commissum non agnoscebant. A

VIII. Igitur Apostolatus & est ministerium, & ministerium verbi, non sine oratione, [a] Dominus enim dat verbum euangelizantibus.] Propterea, [b] audire oportet quid loquatur Dominus.] Et Matthias quando sorte approbatus est Apostolus, [c] sortitus dicitur sortem Ministerij: nam & reliqui Apostoli tunc orauerunt, Ostende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum Ministerij huius, & Apostolatus.] Paulus etiam se vocat Ministrum Euangelij, & Ecclesiæ. [d] Cuius ego Ecclesiæ, *inquit*, factus sum Minister secundum dispensationem Dei quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum Dei.] Et alibi; Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis.] Plantandi enim & rigandi officium sibi applicat. Quod est esse mere operarios in Vinea Domini: [e] Dei enim, *inquit*, sumus adiutores, Dei agricultura estis. Omnia enim vestra sunt (id est, in vestri gratiam) nos etiam Ministri Dei. [f] Sic nos existimet homo vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. [g] In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros, *non in Dominio*, sed in multa patientia. [h] Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.] Et Christus ad Paulum. [i] Ad hoc apparui tibi, vt constituam te Ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populis & gentibus in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos, per fidem, quæ est in me.] B C

a Psal. 67.
b Psal. 84.
c Act. 1.
d Colloss. 1.
e 1. Cor. 3.
f 1. Cor. 4.
g 2. Cor 6.
h 2. Cor. 5.
i Act. 26.

IX. Ecce Ministerium proprium Apostolatus: vt Apostoli sint missi, seu legati Christi, inuitantes & exhortantes infideles ad fidem, exhortatione Ministeriali; Tanquam Deo, *inquit*, exhortante per nos.] Vt non tam ipsi loquamur ex nobis, quam simus mera Diuinæ operationis Instrumenta: ad hoc vt verbum reconcihationis prædicemus, hoc est, Euangelium & fidem Christi, ad Baptismum, quo peccata remittuntur, & homines Deo reconciliantur. Postulat alibi orationes Sanctorum, [k] Vt detur mihi, ait, sermo in apertione oris mei, cum fiducia, notum facere Mysterium Euangelij, pro quo legatione fungor in cathena.] Apostoli itaque sunt legati vt notum faciant Mysterium Euangelij; Atq; hoc esse vere Ministerium declarat idem. [l] Et ipse, *Christus*, dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus Ministerij, in ædificationem corporis Christi.] Vides opus Ministerij? quodnam opus? AEdificationem Ecclesiæ; reducendo infideles ad fidem Christi: ex multiplicatione enim fidelium, Ecclesia Christi, quæ est corpus ipsius, ædificatur & congregatur. Et iterum idem; [m] Gratias ago ei qui me confortauit, in Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in Ministerio.] D

k Ephes. 6.
l Ephes. 4.
m 1. Tim. 1.

X. Quando ergo Paulus factus est Apostolus, tunc se in Ministerio positum profitetur; & meritò gloriatur se fidelem à Christo existimatum. Fidelitas enim præcipue in seruis & Ministris requiritur. Et cui magis conuenit quàm Apostolo cuique, vt sit [n] fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Putasne Oeconomos patrumfamilias, & domus magistros, habere vllum dominium verum in domo; an verò esse potius conseruos cum alijs seruis? & horum opus putasne sit herile, & imperiosum? an mere Ministeriale? Certe talem Oeconomum quales sunt Apostoli, Christus nihilominus seruum vocat; & egerrime fert si erga conseruos velit ipse dominari, quibus nudum debet Ministerium distributionis cibi; [o] Quod si dixerit seruus ille in corde suo, Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere & bibere & inebriari, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.] Sicut igitur inter fideles seruos Christi censentur eius Ministri, qui sine fastu dominatus, [p] dispensatores mysteriorum Dei, distribuunt familiæ Christi cibum Euangelij, in tempore, quales fuerunt Sancti Apostoli; ita inter non fideles seruos illi contemnuntur & puniuntur, qui non ministeriale opus, sed herile dominium in Christi familiam exercent, ad cuius sustentationem sunt destinati. Quid verò aliud obsecro sibi vult operariorum in Vinea similitudo? [q] Exijt primo manè conducere operarios in vineam suam. Voca operarios. Et E

n Luc. 12.
o Luc. 12.
p 1. Cor. 4.
q Matth. 20.

Paulus

A Paulus [a] seipsum atque alios Apostolos, in illo diuinæ Scripturæ loco exprimi asserit, vbi dicitur, [b] Non alligabis os boui trituranti: adeo vt ipsi Ministri Christi, sint boues arantes, & triturantes: de quo etiam [c] Cyrillus.

Optatus Milcuitanus, ex Pauli supra posita confessione, 1. Cor. 3. nudum hoc ministerium agnouit in Apostolis; & in omnibus Ecclesiæ operarijs; quos famulis ad mensam Domini seruientibus comparat: Sic enim loquitur ad Episcopos Donatistas, effectum Sacramentorum propriæ sanctitati adscribentes: [d] Nolite vobis maiestatis dominium vindicare: nam si ita est, vindicent sibi & Ministri, qui mensæ dominicæ famulantur, vt pro humanitate exhibita, ab inuitatis gratulatio eis referatur. Christi vox est inuitantis: [e] Venite benedicti Patris mei. Veniunt gentes ad gratiam; exhibet ille qui inuitare dignatus est, ministerium exercet turba famulorum; non famulantibus, sed pascenti referendæ sunt gratiæ. Vos nobiscum comministri sitis: inuerecundè totum vobis conuiuij dominium vindicatis, cum se, & cæteros Beatissimus Paulus famulos cum humilitate fateatur: Ne quis putaret in solis Apostolis, aut Episcopis, spem suam esse ponendam; sic ait: Quid est enim Paulus, vel quid Apollo? Vtique Ministri eius in quem credidistis. Est ergo in vniuersis seruientibus non dominium, sed Ministerium.] Hæc Optatus.

a 1. Cor. 9. & 1. Tim. 5.
b Deut. 25.
c Cyrill. 3. de adorat. in Spir. & Verit.

XI.

d Optat. l. 5. cont. Parmen.

e Matth. 25.

B Apostolorum varia recensens munera os vere aureum Chrysostomus, non nisi laboriosa, obsequiosa, ministerialia protulit. [f] Piscatores quippe, *inquit*, erant, & illis dormientibus retia operabantur Et tunc quidem pisces capiebant ad mortem, nunc autem homines capiunt ad salutem.] Et paulo post: Etenim vinitores erant & piscatores, & turres, & columnæ, & medici, & duces, & doctores, & patres, & gubernatores, & pastores, & athletæ, & pugnatores, & coronam gestantes.] Ac ne titulus ducis, & gubernatoris speciosum aliquid nobis offerat de Apostolis, explicat idem Autor cum reliquis, quid intelligat sub his titulis. Columnæ, *inquit*, quidem, quoniam virtute sua Ecclesiæ robur sunt &c. Gubernatores; quoniam orbem terrarum viam rectam docuerunt; Pastores, quoniam lupos abegerunt, & oues conseruauerunt; Aratores, quoniam spinas eradicauerunt; Vinitores, quoniam labruscas eradicauerunt, & semina pietatis plantauerunt,] Et omnium fere horum titulorum exempla ducens ex Paulo, Vis, *inquit*, videre ducem? [g] Assumite arma Dei, & induite loricam fidei, & galeam salutis, & gladium Spiritus Sancti.] Gubernatores igitur erant, quatenus viam rectam salutis docebant, Duces, quatenus armis spiritualibus fideles instruebant. Melius adhuc idem Chrysostomus [h] explicat proprium Apostolatus Ministerium consistere in Euangelij prædicatione, & infidelium conuersione; dum ipsummet Paulum *id* apertè fateri audit, [i] Propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim Minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spirito Sancto.] Atque in hoc vult consistere Apostolicum Sacerdotium, dicens in persona Pauli; Ipsum enim mihi Sacerdotium est prædicare, & Euangelizare; hanc offero hostiam: Sacerdoti verò nemo vitio vertit quod immaculatam hostiam offerre satagit.] Et pergit explicare actus huius Apostolici Sacerdotij in metaphora sacrificandi: gladium enim docet esse Euangelium: actum sacrificandi esse prædicationem; ignem esse Spiritum; Gentes vero hostiam; Sacerdotem seu Ministrum esse Paulum, ratione Apostolatus.

f Chrysost. ser. de Pent.

g Ephes. 6.

h Chrysost. Homil. 29. in ep. ad Rom.

i Rom. 15.

C

D

Autor Homiliarum [k] in Matth. de munere Apostolatus hæc habet, in ea verba: Scitis quod Principes dominantur eorum, &c. Quicunque desiderat primatum in terra, inueniet confusionē in cælo; vt iam inter seruos Christi non sit de Primatu certamen, &c.] Et postea; Principes mundi ideo fiunt, vt dominentur minoribus suis, vt seruificent eos, & spolient eos, & comedant, & vsque ad mortem abutantur vita eorum ad suas vtilitates & glorias. Principes autem Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus suis, & ministrent eis quæcunq; acceperunt à Christo.] Et post pauca; deniq; ipsi honores in Christo, in prima quidē facie videntur honores; reuera autem non sunt honores diuersi, sed sunt diuersa ministeria: vt puta honor oculi videtur, quia illuminat corpus, sed ipse honor illuminandi non est ei honor, sed ministerium eius. Sic est inter & Sanctos: vniuscuiusque Sancti honor, non est honor eius, sed actus ipsius: Vt puta Apostoli, Apostolatus putatur à nobis honor esse ipsius Apostoli; verè autem non est honor eius, sed ministerium eius. Vnde Paulus de Apostolatu suo dicebat; [l] Nam si euangelizem, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo; si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.] Ministerium ergo euangelizandi ostendit hic Autor fuisse munus præcipuum Apostolatus. Chrysostomus verò vbi tractat

XIII.

Homil. 25. apud Chrysost.

E

l 1. Cor. 9.

de promotione Matthiæ ad Apostolatum, ait, [a] Quod tunc temporis Præfectura non honos erat, sed cura subditorum.] Et alibi de Apostolis loquens, ait; [b] Si igitur in alterius ipsi ministerium venerunt, quonam pacto hi dignitatem sibi vendicant.] Docuerat enim Christum etiam ministrum fuisse, sed non purum ministrum; finis enim atque radix bonorum est, *inquit*, quę ministrabat tanquam filius.] Itaque significat Chrysostomus, ministerium verbi, in Christo solo fuisse dignitatem, & potestatem; in Apostolis verò non nisi purum & nudum ministerium. Ita & Cyrillus Alexandrinus; [c] Feruentius igitur, *inquit*, ad Apostolatum & ministerium, qui in Christo erant rapiebantur, quàm veteres Sancti.] *Item*: [d] Sors enim est quæ soli & vere quadrat Christo, maximè præesse & præcipere vniuersis: Propterea nemini præcepit dicere Rabbi, vnus enim est, inquit, Præceptor vester Christus. Sed quemadmodum cùm ipse sit lux vera, lucem vocauit sanctos Apostolos: & vt ipse naturâ & solus verè filius, nobis in ipsum credentibus potestatem dedit Patrem vocandi Deum, vtpote qui dignitate ac iure filij locupletamur. Sic etiam ipse, cum sit vniuersorum Præceptor, & forsitò habeat orbem terrarum, hoc dedit Sanctis, eos coronans sua gloria, quia ipsius cooperarij exstiterint, &c.] Iam verò ante hos omnes dixerat Cyprianus: [e] Cùm primum Discipulos suos in ministerium salutis mitteret, dixit, &c.] Præesse ergo ac præcipere cum potestate in Ecclesia, est solius Christi; Apostoli verò omnes Ministri tantùm sunt & cooperarij.

Sed nudum hoc & purum Apostolici muneris ministerium, clarissimè explicat Augustinus. [f] Dominus Iesus Christus Baptismum suum noluit alicui dare; non vt nemo baptizaretur Baptismo Domini, sed vt semper ipse Dominus baptizaret: id actum est, vt per Ministros Dominus baptizaret, id est, vt quos Ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium; aliud baptizare per potestatem: Baptisma enim tale est, qualis est ille in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur. Tale erat Baptisma, qualis Ioannes: Baptisma iustum, tanquam iusti, tamen hominis, sed qui acceperat à Domino talem gratiam, vt dignum esset præire iudicem, & cum digito ostendere, & implere vocem prophetiæ illius; Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Tale autem Baptisma Domini qualis Dominus: ergo Baptisma Domini diuinum, quia Dominus Deus. Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret Baptismum suum tanquam vicarius; & transferret in se baptizandi potestatem; & constitueret in aliquo seruo suo; & tantam vim daret Baptismo translato in seruum, quantam vim haberet Baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideo, vt in illo ipse esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo seruum ponere spem in seruo. Ideoque clamabat Apostolus cùm videret homines volentes ponere spem in seipso; Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizauit ergo Paulus tanquam Minister; non tanquam ipsa potestas: Baptizauit autem Dominus tanquam potestas. Intendite, & potuit hanc potestatem seruis dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem seruis, id est, vt & ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismata quot essent serui; vt quomodo dictum est Baptisma Ioannis, sic diceretur Baptisma Petri, sic Baptisma Pauli, sic Baptisma Iacobi, Baptisma Thomæ, Matthæi, Bartholomæi.] Et post pauca subdit: Sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem; seruis ministerium dedit.]

Placet igitur extendere dictum Augustini à Ministerio Baptismi, ad omnia alia Apostolica munera, vere & propriè Apostolica, hoc est Ecclesiastica, ad æternam animarum salutem ordinata; præsertim quoad internos effectus Diuinæ gratiæ. Adeo vt semper distinguenda sit potestas à ministerio: & operationes Apostolorum, in quantum effectus produxerint in fidelibus, ab Apostolis fuerint quidem Ministerialiter, à solo verò Deo potestatiuè. Quia nimirùm etiam ipsum euangelizare in Apostolis erat nudum ministerium, non potestas: nimium si spectemus animorum in audientibus commotionem. In hoc enim euangelizato et cum potestate, quam Apostoli, teste Augustino, non habuerunt. Et quamuis dicat ibidem Augustinus, potuisse dicere Apostolos meum Euangelium, non potuisse dicere meum Baptisma: sibi tamen sumit Euangelium pro solo labore prædicationis. Habuerunt enim Apostoli potestatem prædicandi; & ratione talis potestatis, ac propij laboris, dicere poterant meum Euangelium; sed de Euangelizatione fructificante non item.

Vnde & meritò alibi Christum dicit Augustinus esse Agricolam; [g] Nec talis, *inquit*, quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium; sed talis vt det etiam intrinsecus

[a] Chrysost. Homil. 4. in Acta Apostolorum.
[b] Idem Homil. 8. in Epist. 1. ad Cor.
[c] Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 6.
[d] Ibid. lib. 4. cap. 54.
[e] Cypr. l. 1. Ep. 6.
[f] Augustin. Tract. 5. in Ioan.
[g] Augustin. Tract. 80. in Ioan.

A secus Incrementum. [a] Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.] Vide itaque quantâ distantiâ separet summus hic Ecclesiæ Doctor nudum Apostolorum Ministerium, à Christi dignitate & potestate; vel ipsomet Diuino Paulo in hoc consentiente; imò potius apertè id profitente; vt plantare & rigare penè nihil sit, nisi ad summum, nudum, purum, & merum extrinsecum ministerium: Incrementum verò & [b] fructus plantæ in tempore suo, à Diuina sola pendeat potestate.

a 1.Cor.3.

b Psal.1.

Quod sanè opus Apostolicum non sui, sed Christi gratia exhibitum, eleganti similitudine explicat idem Augustinus, [c] Ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo. Filiæ quidem Regum, filiæ Apostolorum tuorum; sed in honore tuo; quia [d] semen illud suscitauerunt fratri. Ideo ipsos quos suscitauerat fratri suo Paulus, cum videret currere ad nomen suum, exclamauit, [e] Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?] Ac pergit ostendere Apostolos fœtum omnem, non sibi, sed Christo peperisse; & fœtum ipsum non ipsis, sed Christo, tanquam proprio parenti, debitum esse. Habes Origenem infra, libro 5. cap. 2. huius operis.

XVII.

c Augustinus in Psal. 44.

d Deut. 25.

e 1.Cor.1.

Agnouit Hieronymus præcipuum Apostolorum munus ac ministerium fuisse Euangelij promulgationem: ait enim: [f] Quod autem aliud habebat Apostolus ministerium, nisi Euangelij Christi Iesu?] Agnouit & Tertullianus dum ait; [g] Constituimus in primis Euangelicum instrumentum Apostolos autores habere, quibus hoc munus Euangelij promulgandi ab ipso Domino sit impositum: si & Apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis, & post Apostolos: quoniam prædicatio Discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi autoritas magistrorum, imò Christi, quæ magistros Apostolos fecit.] Et sanè magistros ego intelligo non propriæ doctrinæ, per propriam potestatem; sed alienæ, hoc est, Christi, per Ministerium. Bernardus quoque in hoc genere præclarè differit; sed eum opportunius, & plenius profero infra, lib. 5. cap. 2.

XVIII.

f Hieron. in ep. ad Philem.

g Tertull. 4. aduer. Marcio.

B

C Maxima autem est differentia inter Ministerium Christi, & Apostolorum: & bene dicit Christus; Ego sum tanquam qui ministrat: Verè enim non ministrabat vt verus Minister tantùm, sed ad speciem & humilitatem; vnde & se meritò Dominum ab Apostolis vocari apertè est professus; [h] Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim.] Apostoli verò erant verè & propriè Ministri, vt iam est ostensum. Et de Christi Ministerio vide quæ supra attulimus ex Chrysostomo huius cap. num. 13. In sequentibus verò exactius considerabimus, an alia superioritas admittatur à Christo in [i] contentione illa, quæ ex aliquorum orta ambitione, nonnihil [k] turbauit chorum Apostolorum.

XIX.

h Io.13.

i Tom. 2. k Tom. 1. num. 7. in fin.

Habemus itaque Apostolis nihil aliud datum, nihil commissum, nisi purum Ministerium fidei Christi per Euangelij prædicationem ministerialiter & non potestatiuè propagandæ, & per baptismi vsum salutarem. Certè Ioannes Turrecremata, Monarchicorum fortasse Antesignanus, dum conatur Petrum caput Ecclesiæ tueri & explicare, tandem eo deuoluitur, vt nihil aliud ei relinquat, nisi nudum Ministerium verbi, & Sacramentorum; quod nihilominus ad quencunque spectat sacerdotem. Ait enim, [l] Dicendum, quod licet B. Petrus non influxerit, nec successor eius influat motum & sensum spiritualem in membra Ecclesiæ, nec per modum efficientis, sicut Christus in quantum Deus; nec per modum meriti, siue redundantiæ, sicut Christus in quantum homo; tamen per modum Ministri, potestatem clauium secundùm plenitudinem habentis, & thesaurum Ecclesiæ dispensantis, influit ministerialem sensum, & motum, omnibus debite præparatis, ac Ecclesiæ Sacramenta dignè suscipientibus] & affert ex Alberto Magno, officium Presbyterorum Ecclesiæ esse in verbo doctrinæ, & administratione Sacramentorum: ex quo confirmat officium Petri, & Papæ, vt sunt caput visibile. Quod verò plus ab hoc Autore tribuitur hoc loco Petro & Papæ, quam habeat quilibet sacerdos? nam quod nescio quam plenitudinem, & thesauri dispensationem addidit, verba sunt quibus in re nihil respondeat, vt ego inferius suis locis satis confirmo. Nunc accipio munus Apostolicum proprium fuisse ministeriale; pro quo quidquid necessarium erat & opportunum, hoc totum eis à Christo Domino est concessum, intra terminos tamen nudi ministerij.

XX.

l Turrecremata lib. 2. de Eccles. cap. 23. ad 5.

D

E Quia igitur potestas signorum, in curandis præsertim infirmis, & dæmonibus ab obsessis eijciendis, plurimum, ad ostendendam credibilitatem articulorum Euangelij, prodesse poterat, & ad disponendos homines ad credendum, & ad bene operandum; sicut & linguarum donum, vt in omnes gentes & Nationes mundi disseminare possent Euangelium, vel maximè tunc erat necessarium; Idcirco Christus hæc ipsis non negauit; [m] In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum

XXI.

m Marc.

rum quid biberint non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt, &c. Ipsi vero profecti prædicauerunt, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.] Sed potestas hæc linguarum & miraculorum fuit Apostolis accessoria; & non tam personis seu officio Apostolatus, quàm tempori necessaria. Audiamus Augustinum, si ipse est: [a] Trium ergo officiorum, *inquit*, formę dono Spiritus Sancti in Apostolos datæ sunt: Prima est quæ generalis est, quæ in Pentecoste data est, non solum in Apostolos, verum etiam in omnes decidit Spiritus Sanctus credentes; vt loquerentur magnalia Dei, linguis diuersis, vnius gentis homines. Secunda forma specialis est; Non enim pertinet ad omnes credentes, sed ad Episcopos tantum, vt baptizatis per manus impositionem dent Spiritum Sanctum: quæ inter Episcopos potest dici generalis. Tertia forma est, quæ solis Apostolis est concessa, in signis ac miraculis faciendis, ad fidei incrementum: semina enim sunt fidei virtutes per Apostolos factæ. Itaque per ordinem officiorum Spiritus Sanctus Apostolis datus est, vt primum decideret in eos, sicut in cæteros credentes in Pentecoste; Deinde quasi primi Sacerdotes aut Episcopi manus imponentes credentibus, darent Spiritum Sanctum. Nam prodigia vt fierent per Apostolos, temporis gratia est, non personarum] De potestate clauium, & sacramentorum, nobis erit alio loco sermo: nunc certè potestatem miraculorum non facimus per se propriam Apostolorum, nisi, vt diximus, ex accidenti, vt fuerit donum potius temporis, vt loquitur Aug. quàm personarum: & vt quid annexum officio prædicationis.

a *Aug. quæst. 42. ex nouo Test. par. 2.*

XXII. Dum adhuc mortalis inter homines ageret Christus Dominus, misit Apostolos ad prædicandum, exercitij in ipsis, in alijs vero dispositionis causa, vt iam supra dixi; num. 3. 4. quia perfectum Euangelium nondum poterat prædicari: & illos gratia ac virtute signorum communiuit. [b] Et conuocatis duodecim Discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. [c] Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.] Et post duodecim Apostolos, [d] Designauit & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem Ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus. Et, Curate infirmos, & dicite illis: Appropinquauit in vos Regnum Dei.] Pares igitur hactenus video hosce Discipulos septuaginta duos illis duodecim, tam in officio prędicandi, seu potius præparandi viam, & auditorium Christo personaliter venturo; quàm in potestate signorum & miraculorum. In quo non puto vere & proprie adhuc quenquam horum omnium de vero Apostolatu inuestitum, nisi post Resurrectionem; quando solis vndecim, ante ascensionem, verum Apostolatus officium [e] commissum est; & post ascensionem Matthiæ, ac Paulo. Quibus tamen non solis miraculorum potestatem tradidit; sed simul multis etiam fidelibus ad fidem Christi per Apostolos conuersis: ait enim, Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur; [f] In nomine meo Dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis, &c.] Quamuis autem præcipuè signa hæc Apostoli essent operaturi; tamen etiam alij qui crediderunt, eandem potestatem habuerunt interdum: nam & in Cæsarea, [g] loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro; quia & in Nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.] Paulus etiam [h] donum linguarum in Ecclesia numerat; & non vt proprium tantùm Apostolorum.

b Matth. 10. & Marc. 3.
c Luc. 9.
d Luc. 10.
e Matt. 28.
f Marc. vlt.
g Act. 10.
h 1. Cor. 12. & 14.

XXIII. Nihilominus possumus in Apostolis plenitudinem quandam Spiritus, vtl ipsorum propriam, agnoscere; non modo in tradendo eodem Spiritu baptizatis per manuum impositionem; de quo nos postea; sed etiam in signis ipsis & prodigijs faciendis. Quod Tertullianus considerauit super illa verba Pauli; [i] Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam; [k] Spiritum quidem Dei, *inquit*, etiam fideles habent; sed non omnes fideles Apostoli. Cur ergo cum fidelem dixerit, adijcit postea, Spiritum se Dei habere, quod nemo dubitat etiam de fideli? Idcirco hoc dixit, vt sibi Apostoli fastigium redderet. Propriè enim Apostoli Spiritum Sanctum habent, qui plene habent in operibus Prophetiæ efficaciam, virtutum atque documentorum linguam, non quasi ex parte, quod cæteri.] Sed donum hoc huiusce spiritus & potestatis, totum iam esse diximus in gratiam fructuosæ prædicationis, hoc est hominum conuersionis ad fidem, quod erat primum & præcipuum Apostolorum munus & Ministerium.

i 1. Cor. 7.
k *Tertull. exhort. ad Cast.*

XXIV. Scio inter præcipuas Apostolorum potestates à nostris numerari potestatem ligandi atque soluendi, claues tenendi, oues pascendi, hoc est, regendi; & autoritatiuè cum iurisdictione gubernandi. Sed de huiusmodi potestatibus commodiùs agam in sequentibus.

Nunc

A Nunc mihi illud satis est, in Apostolis, me nullum aliud officium, nullum munus obseruasse nisi ministeria quæ hoc capite recensui. Claudere verò & aperire; siue soluere & ligare; siue remittere & retinere; siue pascere; sintne ministeria tantùm vt priora; an dignitas primaria & potestas, postea erit nobis libro potissimum quinto plenè edisserendum: Et quatenus ista Apostolis competerent, non multò post explicabo.

Libet nunc caput hoc claudere eucomijs & prærogatiuis ab Augustino in Apostolorum honorem commemoratis; in quibus nihil aliud posuit, nisi quod ad ipsorum officium ministeriale nos etiam hactenus spectare ostendimus. Sic enim ait, [a] Supra cæteras turbas fidelium, nec non antiquorũ iustorum & Prophetarum, eminentes Apostolos suos volens Dominus ostendere, dixit ad eos; [b] Beati oculi qui vident quæ vos videtis; & aures quæ audiunt quæ vos auditis; multi enim Prophetæ, & iusti voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt. Item alibi; [c] Iam, inquit, non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius; Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Item ait idem alio loco; [d] Quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Item alibi sciscitanti [e] Petro, quid sibi & socijs suis profuisset reliquisse omnia, & sequi Redemptorem, respondit dicens; Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, &c. Isti sunt [f] lux mundi, quia per ipsos lumen fidei & veræ scientiæ primum Dominus huic mundo tradidit; & ab errorum ac peccatorum tenebris gentes, ac populos eruit. [g] Isti sunt sal terræ; quia per eos terrigenæ condimentum saporis vitæ æternæ perceperunt, vt restringerent carnis lasciuiam; & à putredinis peccatorum vermibus seruarentur illæsi. Isti sunt [h] lapides precioſi, quos in fundamento cœlestis ædificij positos, Ioannes in Apocalypsi sua describit; quia prædicatio eorum, Ecclesiæ fundamenta locauit. Vnde & Paulus ait, [i] Vos estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. [k] Isti sunt duodecim Portæ Hierusalem nouæ, quæ de cœlo descendit; quia per ipsos ianuam fidei primùm intrauimus, & inter ciues Sanctorum annumerati sumus.] Hæc Augustinus; qui profectò si in Scripturis agnouisset potestatem aliquam Iurisdictionis, hoc est dominij, ac regiæ gubernationis; eam in hoc suo encomio non prætermisisset. Sustine verò, & suspende, quæso, parumper (Lector) iudicium circa illa verba, Quæcunque alligaueritis, &c. nam de illis erit mihi sæpius sermo repetendus; & ad aliud caput tranſeamus.

XXV.

a Augustin. Serm. de Sanct. 43. qui est 2. de Apost.
b Matth. 13.
c Ioan. 15.
d Matth. 18.
e Matth. 19.
f Matth. 5.
g Mat. 6.
h Apoc. 21.
i Ephes. 2.
k Apoc. 21.

CAP. III.

Apostolos omnes, in omni officio, & munere Apostolico, ac in omni potestate fuisse inter se pares, & omnino æquales.

SVMMA CAPITIS.

Ecclesia Apostolis omnibus fuit æque à Christo commendata, ergo nullus inter ipsos Monarcha. num. 1. 2.
Apostoli omnes æquè à Christo instruuntur, & æquè Spiritu Sancto replentur, & ab eo reguntur, ergo æquales. num. 3. 4. 5.
Patres æqualitatem hanc æque profitentur, à num. 6. ad num. 15.
Aduersarij Monarchici ad eandem æqualitatem fatendam coguntur à num. 16. ad num. 23.
Leonis in hoc dictum explicatur, num. 24. 25.
Baronius, Caietanus, & Bellarminus, in hoc confutantur, à num. 26. ad num. 36.
Ex vsu Ecclesiæ antiquæ æqualitas confirmatur, num. 37.
Gregorij locus contra æqualitatem hanc ponderatur, num. 38.

I.

QVam formam regiminis Christus Dominus in Ecclesia, per homines mortales ipsius Ministros exercendi ordinauerit, quærebamus: Apostolis porro commissam fuisse Ecclesiam, nemo puto negabit; siquidem dictum est ipsis à Christo; [l] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et, [m] Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Senserunt hoc Patres Augustinus enim modum à fidelibus in sumenda Eucharistia seruandum, ait ab Apostolis fuisse præscribendum: Et ideo, *inquit*, non præcepit (*Christus*) quo deinceps ordine sumeretur; vt Apostolis per quos Ecclesias dispositu-

l Ioan 20.
m Matth. 28.
n *Augustinus Epist. 118.*

positurus erat, seruaret hunc locum.] [a] Et Hieronymus, Apostolos ait, esse à Christo constitutos Principes Ecclesiarum. Quo titulo passim insigniuntur etiam in [b] nostris Ecclesijs. A

Fatetur hoc ipsum Nicolaus [c] Papa primus; Quamuis singularum (*ait*) Ecclesiarum, quæ propter diuersitatem terrarum multæ esse dicuntur, (cum vna sit & vnica sponso suo, sicut ipse in Canticis Canticorum dicit: [d] Vna est columba mea. Et per Psalmistam: [e] Erue de manu canis vnicam meam) Pastor, & Episcopus, ac Pontifex Dominus noster Iesus Christus, qui hanc creauit & redemit, existat; ita vt ille veraciter, ac principaliter ista sit omnia, iuxta quod fidelibus per primum Apostolum dicitur: [f] Conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum: Et iuxta quod egregius prædicator de eo loquens; [g] Talis, *inquit*, decebat vt nobis esset Pontifex; subiturus tamen ad cælos hanc Apostolis commendauit; ac per eos, tanquam hereditario iure, successoribus eorum, nobis B scilicet, quos Pastores, & Episcopos, ac Pontifices super ipsam constituit, eius prouidentiæ curam indulsit: quatenus [h] pro patribus nati filij; & pro eis constituti Principes, in omnem terram imitatores eorum essemus, sicut & ipsius Christi.] [i] Hæc Nicolaus. Caietanus acerrimus Monarchiæ Romanæ propugnator, negare id non potuit: Explicans enim ea verba Apostoli; [k] Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos: Suprema, *inquit*, membra Apostolos explicat: ad eos enim spectat vniuersale Ecclesiæ regimen; non solum verbo, & actione, sed etiam scriptura.]

III. Certum itaque est omnibus Ecclesiæ curam fuisse Apostolis à Christo commissam. Si igitur æque omnibus est commissa, Monarchiam Christus in Ecclesia sua (si ipsum nunc separemus, & solos mortales homines ipsius Ministros, consideremus,) non reliquit; sed Aristocratiam Optimatum: secus vero fuisset, si vni soli vices suas integras ad regendam C Ecclesiam commisisset. Aeque tamen omnibus & singulis datam fuisse à Christo potestatem Apostolis, facile est ostendere. Primum enim æque eruditur omnes à Christo, quando eos primum rudes elegit; æque omnes format, & perficit ad munus Apostolatus; & non magis vnum quam alios instituit; quod passim in Euangelijs est videre. Et post Ascensionem æque omnes à Spiritu Sancto recti, inflammati, edocti, & roborati sunt: neque semel tantum, sed bis. [l] Cum complerentur dies Pentecostes, &c. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto & cœperunt loqui, &c.] Iterum vero [m] Et cum orassent, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Meritò ergo Ignatius: [n] Quemadmodum, *inquit*, Pseudoprophetæ, & Pseudo-apostoli vnum & eundem spiritum malum, fallacem, & populi seductorem acceperunt; sic & Prophetæ, & Apostoli, vnum & eundem Spiritum Sanctum, bonum, eximium, verum, & doctorem rectum acceperunt à Deo, per Iesum Christum.] Et Tertullianus similiter, [o] Apostolos, *inquit*, domini habemus autores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignauerunt.] Vult igitur æquè omnes à Christo fuisse instructos. Irenæus, Apostolorum temporibus proximus, non ad Petrum solum, sed ad omnes Apostolos, doctrinam Christianæ fidei per traditionem ab ipsis in Ecclesia habitam, totam reducit; [p] Etenim, *inquit*, si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim maximè, & latenter à reliquis perfectos docebant: his vel maxima traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias cõmittebant.] Exemplificat mox primum in Romana; deinde in alijs. An non verba illa Petri ad reliquos Apostolos, magnam æqualitatem inter ipsos, in officio toto Apostolatus, etiam incluso ipso Petro, redolent? Dum de Iuda proditore, ait: [q] Qui connumeratus erat in E nobis: & sortitus est sortem ministerij huius.] In eundem ergo numerum ministrorum conijcitur à Petro Iudas, æque ac ipse Petrus.

IV. Quinta Synodus generalis, Constantinopoli congregata, habet hæc verba: [r] Licet Sancti Spiritus gratia, & circa singulos Apostolos abundaret, vt non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant, non tamen aliter voluerint de eo quod mouebatur, [s] si oporteret gentes circuncidi, definire, priusquam communiter congregari, diuinarum Scripturarum testimonijs vnusquisque sua dicta confirmauerunt.] Huc etiam spectabat Hilarius, [t] quando dicebat, In corpore vero oculum principalis esse officij ac virtutis, nemini dubium est; & quia oculi potiores cæteris membris sunt, in his Apostolos significari non ambigendũ est, per quod lumen Ecclesiæ, & operationis diuinæ mysteria præbentur.] *Et post pauca*, Apostoli itaque qui Ecclesię, id est Christi corporis, oculi sunt; lucidi & simplices iubentur esse, corpore toto lucido, his simplicibus mansuro.]

[a] *Hier. in Isa. c. 1. Ité in præf. in Ep. ad Galat.*
[b] *In hym. Apo.*
II
[c] *Nicol. Epist. 42. tom. 3. epist. Decretal. Rom. Pont.*
[d] *Cant 2.*
[e] *Ps. 12.*
[f] *1. Pet. 2.*
[g] *Heb. 7.*
[h] *Ps. 44.*
[i] *Caietan. in comment. in 1. Corin.*
[k] *1. Cor. 12.*
III.
[l] *Act. 2.*
[m] *Act. 4.*
[n] *Ignat. Epist. 6. quæ est ad Philadel.*
[o] *Tertull. lib. de præscript. adu. hæret.*
[p] *Iren. l. 3. c. 3 adu. hær.*
[q] *Act. 1.*
IV.
[r] *Quin. Syn. coll 8.*
[s] *Act. 15.*
[t] *Hilar. in Ps. 138.*

Hieronymus

A Hieronymus non maiorem assistentiam Spiritus Christi agnouit in vno Apostolo, quàm in alijs, in Ecclesia gubernanda. Ait enim; [a] Erat igitur vno eodemque tempore, & cum Apostolis quadraginta diebus, & cum Angelis, & in Patre, & in extremis maris finibus erat: in omnibus locis versabatur, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrio, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaia, cum singulis Apostolis, & Apostolicis viris in singulis cunctisque regionibus.] V.

a *Hieron. epist. 148. ad Marcellam.*

Sed expressam æqualitatem potestatis inter Apostolos agnouit semper antiquitas. Audiamus in primis Cyprianum; [b] Loquitur Dominus ad Petrum, [c] Ego tibi dico, *inquit*, quia tu es Petrus, &c. Tibi dabo claues Regni cœlorum, &c. Et idem ait post Resurrectionem suam dicit, Pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: [d] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua autoritate dispposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.] VI.

b *Cypr. tract. 3. de simplic. Prælat. siue de vnit. Eccles.*
c Matt. 16.
d Ioan. 20.

Miror quomodo nostri Monarchici locum hunc Cypriani ad Petri Monarchiam detorqueant; cum nihil clarius possit in contrarium dici, quàm; Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis. & Pastores omnes sunt, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus, vnanimi consensione pascatur] Seruent mihi hanc propositionem in sensu literali, vt veram, prout stat, & iacet, & Cypriani veram mentem explicantem; & deinde quoscunque volunt sensus ex illis additis de vnitate verbis colligant, & proponant; dummodo apertissimæ illi propositioni non contrarios. Et si afferendæ erunt glossæ, & interpretationes; ad ea Cypriani verba afferantur, & excogitentur, quæ clara per se non sunt, neque aperta; sed obscura: Clara verò quæ sunt, ea in suo proprio & aperto sensu retineantur: Si enim volumus vtrunque dici à Cypriano, & Apostolos omnes omnino pares fuisse Petro in honore & potestate: & Petrum vnum fuisse qui potestate in Ecclesia, vti supremus, reliquis Apostolis præcelleret; certè contrariæ erunt hæ duæ propositiones; imò & contradictoriæ; nam si omnes potestate æquales, ergo Petrus non est potestate supremus; & ita Cyprianus, & affirmabit Petrum esse supremum in potestate; & negabit esse supremum in eadem, dum omnes asserit pares. Eos porro esse omnes pares apertissimè, & conceptissimis verbis affirmat; Petrum autem habere superioritatem, neque dicit, neque innuit, neque docere poterat, si sibi constare volebat: Igitur aliquid aliud intelligebat verbis illis de vnitate; quod tamen veram & propriam æqualitatem, quam astruebat, non destrueret. Porro quidnam sibi velit, commodiori loco explicabo inferius, cap. 7. num. 18. & seqq. Interim vide Lector quantopere tibi satisfaciat in hoc loco Cypriani, Baronius, tom. 1. anno 34. num. 203. De quo paulo post. num. 26. VII.

Cypriani dictum habet & Anacletus Romanus Pontifex, siue quicunque ille sit qui Epistolas illas quæ eidem Pontifici, & alijs multis, tribuuntur, concinnauit. Postquam enim dixit; [e] In nouo autē Testamento, post Christum Dominum, à Petro, sacerdotalis ordo est ortus; quia ipsi primò Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum, Tu es Petrus, &c. Hic ergo ligandi atque soluendi potestatem primus accepit à Domino; primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit] Addit & illa; Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt; ipsumque Principem eorum esse voluerunt] Et in alia Epistola eidem Anacleto attributa, hæc habentur: [f] Nam & inter beatos Apostolos quædam fuit discretio. Et licèt pares essent, siue (*vt alij fortasse non sine dolo legunt*) omnes essent Apostoli; Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, Caput, & principium teneret Apostolatus.] Autor harum Epistolarum Romanum Episcopum, Cypriani dictis imbutum, ijs tamen paululum immutatis, facit eloqui; & sanè paritatem inter Apostolos negare non est ausus; aliquem verò primatum potiùs temporis, & ordinis, Petro tribuit, ac dignitatis, quàm potestatis: & talis dignitatis, quam ferè dicat non à Christo, sed ab Apostolorum consensu, & voluntate profectam; ab ipsisque Apostolis concessam. Hæc Anacleto tributa dicta, si à contrarietate, imò & contradictione tueri quis velit; paritatem & æqualitatem admittat necesse est; Primatum verò Petri, & superioritatem, interpretatione aliqua lenire debebit; quæ tamen paritatem VIII.

e *Anacl. ep. 2 & habetur dist. 22. c. In nouo.*

f *Idem epist. 3. tom. 1. pag. 1.*

a Cyrill. [illegible] 8 c. In illa.

IX.

b Hieron. lib. 1. adv. Iovin.

X.

XI.

c Hier. lib. 1. in Iovin.

d Idem Epist. 58.

e In Matt. c. 16.

XII.

f Augustin. lib. de Agon. Christiano, c. 30.

g Augustin. lib. 3. de Trin. cap. Damasi. ad 2. h Hieron. ad Ruf. 88. i Idem. Tract. 50. in Io.

pritatem potestatis non excludat; quod me capite 7. præstiturum spero. Idem dico de verbis Clementi primo eodem modo attributis, dum ait; [a] Quoniam nec inter Apostolos pax instituta fuit: sed vnus præfuit omnibus.] In his tamen non est cur immoremur, sunt enim Apocrypha, & sputa. A

Audiamus nunc Hieronymum, qui & ipse, non aliter atque Cyprianus, æqualitatem inter Apostolos perfectam agnouit; licèt de vnitate aliquid mysticum cum Cypriano apposuerit. [b] At dicis super Petrum, *inquit*, fundatur Ecclesia: licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat; & cunctis claues Regni cœlorum accipiant; & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sequetur hic mihi, sicut & de Cypriano dicebam, veritas illius dicti; ex æquo nimirum super omnes Apostolos Ecclesiam solidari: deinde, illæsa manente hac veritate, quæ in Hieronymo est clarissima; inuestigetur mens, & sensus ipsius in illa vnitate, & capitis constitutione; ad tollendam schismatis occasionem. B

Neque mihi quisquam inconstantem faciat Hieronymum in paucis verbis, vnico eodemque contextu, prolatis; adeo vt, ex æquo Ecclesia in omnibus Apostolis ab eo dicatur solidari; statimque Petrum faciat & constituat vnicum, & supremum eiusdem Ecclesiæ caput: quæ tanc est aperta repugnantia. Sed quod Cyprianus de Vnitate quadam mystica addiderat; hoc idem prorsus eodem sensu, & Hieronymus intellexit, & addidit: de quo nos infra, c. 7. n. 18. 20. Profectò si Hieronymus primatum verum, & proprium Iurisdictionis in Petro agnouisset, quando cum inter duodecim vnum electum fuisse dixit, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio: & ita inæqualitatem proposuisset; nunquam subdidisset ea verba, quæ paulò post subdidit, dicens; Petrus Apostolus est, & Ioannes Apostolus, maritus, & virgo; sed Petrus Apostolus tantùm, Ioannes & Apostolus, & Euangelista, & Propheta.] Quòd si vere & propriè Petrum agnouisset supremum Ecclesiæ caput, in hac ipsius cum Ioanne comparatione, tantam eius præeminentiam non tacuisset; neque dixisset Petrum solummodò Apostolum fuisse, & eodem gradu quo Apostolus erat & Ioannes. C

Alibi etiam idem [c] Hieronymus æqualitatem hanc inter Apostolos apertè posuit, vt quando dixit; Ioannes & Iacobus, quia plus cæteris petierunt, *non impetrauerunt*: & tamen *non* est dignitas eorum imminuta, quia reliquis Apostolis æquales fuerunt.] Excipiat hic mihi aliquis Petrum: certe Hieronymus non excepit. Præterea & Damasum Romanum Pontificem alloquens, ait; [d] Vt qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito] quia nimirum Petri, cuius successorem facit Damasum, & aliorum Apostolorum idem honor & dignitas æqualis erat; ideo dicit, qui honore sequeris Apostolos; non dicit Petrum. Glossa ordinaria siue sit ex Rabano, siue ex Hieronymo [e] desumpta, siue ex vtroque, his consentit, dum ait. Habent quidem eandem iudiciariam potestatem alij Apostoli, quibus post Resurrectionem ait, Accipite Spiritum Sanctum, &c. Habet etiam omnis Ecclesia in præsbyteris & Episcopis.] D

Audiamus & Augustinum nihil prorsus à Cypriano & Hieronymo dissentientem; imò idem omnino, alijs verbis affirmantem; dum ait, [f] Non enim sine causa inter Apostolos omnes, huius Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus: huic enim Ecclesiæ claues regni cœlorum datæ sunt, cum Petro datę sunt; & cum ei dicitur, ad omnes dicitur; Amas me? Pasce oues meas.] Ne admittat inæqualitatem inter Apostolos, quam Euangelium ferre nequaquam posse videbat; mysticum nescio quid (de quo postea) in Petri persona recognouit. Huc etiam illud eiusdem Augustini dictum spectat; [g] Nam quod in typo vnitatis Petro Dominus dedit potestatem, vt id solueretur in terris, quod ille soluisset, manifestum est quod illa vnitas etiam vna columba perfecta sit dicta, &c.] Et illud; [h] Dicite & vos, quem me dicitis esse? Respondens Petrus pro omnibus; pro vnitate vnus; Tu es, *inquit*, Christus filius Dei viui.] Item illud; [i] Iudas malus, corpus malorum significat; quomodo Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesiæ; imò corpus Ecclesiæ sed in bonis; nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum; non ei diceret Dominus; Tibi dabo claues regni cœlorum: quæcunque solueris in terra, soluta erunt & in cœlo: & quæcunque ligaueris in terra ligata erunt in cœlo. Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur; & quæ soluuntur in terra, soluantur in cœlo: quia cum excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus; cum reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo soluitur reconciliatus: Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam Sanctam significauit: si in Petri persona significati sunt E

A ti sunt in Ecclesia boni: in Iudæ persona significati sunt in Ecclesia mali.] Illud etiam: [a] Respondit Petrus; Tu es Christus Filius Dei viui: Vnus pro multis dedit responsum: vnitas in multis.]

a Idem Aug. ser. 13. de verbis Domini.

XIII.

Quibus dictis Augustinus in eo, etiam sæpe alibi, totus est, vt quæ à Christo promittuntur vni Petro, aut etiam committuntur, soli tamen Petro neque promitti, neque committi debeant vllo modo intelligi, nisi propter solum mysterium. Et ego dicta hæc eo duntaxat huc congessi, vt Cypriani dictum celebertimum, dictis Hieronymi, & Augustini confirmarem; aut potius horum dicta, cum celebertimo Cypriani dicto conformarem; in ea præsertim parte, qua in persona Petri aliquid mysticum propterea tanti viri recognouerunt, ne inæqualitatem Apostolorum, Euangelio repugnantissimam, vllam admittere cogerentur. De hac tamen mystica Petri significatione, vt iam monui, erit mihi exacte infra agendum. Aequalitatem iam susceptam prosequamur.

B

XIV.

Quid igitur aliud spectabat idem Augustinus quam æqualitatem hanc inter Apostolos, quando dicebat; [b] sed forte Apostoli Sancti primi summi arietes, gregis Pastores, membra Pastoris, fortè ipsi non habebant peccatum?] Et alibi, [c] Denique fratres, vt cito agnoscatis, ipsi (Apostoli) didicerunt orare quod oramus; ipsis data est regula postulandi à Iurisperito cœlesti; sic orate, inquit; Et cum quædam præmisisset posuit, & hoc vt dicerent Arietes nostri, duces ouium, & præcipua membra Pastoris, & congregatoris vnius gregis, &c.] Sic etiam Ambrosius, [d] siue alius quispiam, quisquis sit ille, dicit; Primogenita gregis sunt Apostoli, quos primos genuit Ecclesia, & ex quibus Ecclesia nata est.] Si igitur omnes Apostoli sunt, & summi Arietes, & duces ouium, & primogenita gregis, quomodo non æquales? [e] Chrysostomus etiam considerans officium Pauli in inuisendo Petro, ait. Quid hoc animo posset esse modestius? post tanta taliaque bene facta, cum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, sed honore par esset illi, nihil enim hic dicam amplius, tamen ascendit velut ad maiorem ac seniorem.] Si Paulus qui non erat ex primis duodecim, par tamen erat Petro; cur non itidem reliqui? [f] Chrysostomo consentit Ambrosius, ait enim: Vna gratia fulgebat in his, quos Spiritus vnus elegerat: Nec Paulus inferior Petro; quamuis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens Architectus, sciens vestigia credentium fundare populorum. Nec Paulus indignus Apostolorum collegio, cum primo quoque facile conferendus, & nulli secundus: Nam qui se imparem nescit, facit [g] æqualem.] Neque hoc negare potuit Leo Magnus: Nam de Petro & Paulo ait: [h] Quos gratia Dei in tantum apicem, inter omnia Ecclesiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui Caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum. De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diuersum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales.] Petrus ergo & membrum, non Caput Ecclesiæ: & per omnia ei par Paulus; Leone ita apertè attestante, dum electione illos æquat.

b Idem lib. 50. hom. 43.
c Idem in Ps. 142.
d Ambrosius in Apoc. c. 6.
e Chrysost. in Epist. ad Gal. ca. 1.
f Amb. in fine l. 2. de Spiritu Sancto.
g Theophylact. in Ep. ad Gal. cap. 2.
h Leo serm. 1. in Natal. Pet. & Paul.

C

D

XV.

Victor [i] Carthaginensis Episcopus, dignus Cypriani successor, & discipulus, scribens ad Theodorum Papam, ita loquitur. Prædicationibus igitur Apostolicis & doctrinis, dum veræ fidei cultura vniuersa repleta sit terra, per diuinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superædificatur orthodoxa Christi Ecclesia; Apostolica fundata institutione, & à fidelibus patribus firmissimè roborata. Ad quam omnes beatissimi Apostoli pari honoris & potestatis consortio prædicti, populorum agmina conuertentes, piè & sanctè de tenebris ad lumen; de lapsu ad veram fidem; de morte ad vitam, homines Diuinæ prædestinationis gratiâ præscitos, salutaribus præceptis ac monitis, perduxerunt.] His adde omnibus pene anteriorem Didymum; [k] Ad Galatas, inquit, Paulus loquitur, qui enim operatus est Petro, &c. Pariter enim ad nationes Spiritus Sancti autoritate directi sunt, Christo quoque operante in Apostolis, Spiritus completum est ministerium, &c. Denique quasi principatum in Sacerdotio possidentes, & initiatores fidei, à Christo sunt destinati dicente, [l] Euntes docete, &c.] Audis omnibus Apostolis datum principatum Sacerdotij, illis verbis, Euntes docete, &c.

i Conc. Rom. sub Mart. secret. 2. & Baron. Tom. 8. Ann. 646. num. 12.

E

k Didymus l. 2. de Spiritu Sancto apud Hier. tom. 6.

l Matth. 28.

XVI.

Sed nullam huius veritatis confessionem libentius audio, quàm nostrorum ore, qui Hieromonarchiæ Romanæ se propugnatores profitentur, prolatam. Quid enim Caietanus inter hos acerrimus propugnator? Is varias primùm affert opiniones, & distinctiones hoc pacto; [m] De æqualitate verò potestatis Apostolorum, quatuor inuenio expositiones, sustinentes cum hoc Petri autoritatem super omnes: Prima distinguit potestatem ordinis & iurisdictionis; & omnes dicit esse æquales potestate ordinis; sicut omnes

m Caiet. tract. de auct. Papæ & Concilior. c. 2.

Episcopi sunt æquales tali potestate; Petrus autem super omnes dicitur, potestate Iurisdictionis. Secunda dicit quod omnes Apostoli fuerunt in potestate Iurisdictionis pares, id est similes. Tertia declarat, & est S. Thomæ in 2 2ª. qu. 33. art. 4. ad 2. Quod fuerunt pares in aliquo, quantum ad fidei defensionem: Inquit enim sic: Si coram omnibus Paulus Petrum non reprehendisset, nisi aliquo modo par esset, quantum ad fidei defensionem. Quarta est eiusdem super Epist. ad Galat. c. 2. quod Apostoli fuerunt æquales quantum ad executionem autoritatis. Ait enim Apostolus, scilicet Paulus, fuit par Petro in executione autoritatis, non autem in autoritate regiminis.] A

XVII. Deinde non contentus vlla ex his distinctionibus, mediâ viâ sibi incedendum esse affirmat; & dicendum quod Apostoli inter se possunt comparari dupliciter. Primo, inquantum Apostoli: & sic omnes, inquit, fuerunt æquales: Alio modo in quantum oues Christi, ab eo hic corporali cõuersatione separatæ; & sic Petrus solus est Pastor; & reliqui Apostoli oues sub illius cura.] O mirabilem distinctionem! Mihi certè satis, superque est quod Apostoli, in quantum Apostoli, sint omnes Petro æquales, & Petrus ipsis: Si enim, in quantum Apostoli, sint inter se æquales; proculdubio etiã potestate in Ecclesia erunt æquales. Quod mihi Caietanus sponte concedit: Ait enim; Ex his omnibus facilè est videre, quod Apostoli, in quantum Apostoli, habuerunt non solum potestatẽ ordinis, sed Iurisdictionis. Autoritas enim gubernandi Ecclesiam quæ est Apostolatus propria, sine iurisdictionis potestate non est.] Plus adhuc mihi concedit, imò & Scripturis coactus apertè probat, Apostolos non habuisse Apostolatum à Christo mediante Petro, sed immediatè ab ipso Iesu Christo: ex quo Apostoli æquales sint & in potestate, & in modo habendi; quod scilicet (vt ipse loquitur) Apostoli quantum ad Apostolatus autoritatem fuerunt æquales simpliciter: & quod hanc potestatem habuerunt à Iesu Christo immediate, sicut & Apostolatum. B C

Ibid. cap. 3.

Ibid. cap. 3.

XVIII. De quatuor illis aliorum expositionibus, seu distinctionibus, quandoquidem Caietano non placuerunt, nihil ipse dicam: satis enim pro earum confutatione est, quod non sint visæ Caietano difficultatem circa Apostolorum æqualitatem, & inæqualitatem, exhaurire, ac multo minùs placuerunt Bellarmino: vtriusq; igitur confessio illis distinctiunculis contraria, ad eas destruendas est sufficientissima, quamuis [a] Turrecremata duas priores sit secutus. Imò ex ipsis ego euidenter colligo, disparitatem potestatis inter Apostolos, esse humanum inuentum, in sacris Euangelijs, & diuinis noui Testamenti Scripturis minime subsistens, quandoquidem subtiles distinctiunculas necesse sit tam varias, & inter se contrarias excogitare; vt saluetur & æqualitas in Scripturis aperta, & superioritas Petri à Neotericis adinuenta. Redeamus ad Caietanum.

[a] *Turrecrem. lib. 2. de Eccles. cap. 12.*

XIX. Omnes, *inquit*, Apostoli, in quantum oues, suberant Petro.] Quid tum? Apostolica potestatiua autoritas, eadem erat in omnibus; & de hac tota præsens agitatur quæstio. Igitur Ecclesia non Monarchicè à Petro, sed ab omnibus Apostolis Aristocraticè, æquè fuit, dum viuerent, gubernata. Agimus enim de Apostolis, vti erant publicæ personæ, in ordine ad Ecclesiam; non de priuatis eorum rationibus. Esto igitur, fuerint Apostoli priuatis rationibus, secluso Apostolatu, quatenus oues, Petro subiecti: certè si non fuerunt tanquam Pastores ei subiecti, Monarchiam non habebis. Sed quæro ex Caietano, quis oues istas, nempe Apostolos, Petro subiecit, & quando? Dicet, quando ei dictum est à Christo, Pasce oues meas. Ego tamen de hoc fusiùs agam infrà, cap. 8. Nunc verò infero; Igitur ratione Apostolatus hoc fuit Petro concessum, vt nimirum oues omnes ei sint commissæ ad pascendum. Atqui idem Apostolatus etiam reliquis, cum eadem potestate, à Christo est traditus, vt concessum & conuictum magna ex parte est: Igitur eodem modo, quo ouis, puta Ioannes, subditus est Petro, propter Apostolatum; etiam ouis Petrus, vice versa, subditus erit Ioanni, & reliquis, propter eorum Apostolatum. Quis enim neget etiam in Petro distingui Apostolatum, & ouem? Nunquid etiam Petrus, vt priuata persona, non erat ouis? Propterea verò nos, capite secundo præcedenti, laborauimus, vt ostenderemus in Apostolis nihil aliud repereri, nisi ministerialia munera docendi, prædicandi, pascendi, &c. Quæ omnia cùm sint Apostolatui per se adnexa, & idem Apostolatus sit in omnibus, quis non videt æquè subdi oues prorsus omnes, omnibus prorsus Apostolis? Et quod mihi dicet Caietanus de Petro, vt ouis erat, cuinam subiectus esset; dicam ipse de alijs Apostolis, similiter vt oues erant, cuinam subiecti erant. Interim monendus videtur Caietanus, ridiculum visum iri sapienti, cuique dictum illud ipsius, dum asserit, Curam Petri & regimen erga Apostolos, vt oues, inde ostendi; quod statim Petrus dicerit de Ioanne, [b] Hic autem quid? Hoc enim fuit non regiminis, aut curæ; sed curiositatis verbum. D E

[b] *Ioh. 21.*

A verbum. Itane sacra Scriptura in omnes partes flectitur, & versatur?

Eandem confessionem æqualitatis inter omnes Apostolos, adhuc libentiùs accipio ab illustrissimo Bellarmino, [a] maximo Monarchiæ Romanæ assertore. Is enim dum ponit supremũ apicem Hierarchiæ Ecclesiasticæ terrestris in Romano Pontifice, eum tenebatur inuenire in illis verbis Apostoli, quibus hanc delineauit Hierarchiam; [b] Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c. Propterea vt eum inueniat, asserit Pontificatum summum disertè positum à Paulo in illis verbis: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos. Et clariùs inquit, 1. Corinth. 12. vbi ait; Et ipse posuit in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas: Siquidem summa potestas Ecclesiastica non solum data est Petro, sed etiam alijs Apostolis. Omnes enim poterant dicere illud Pauli; Instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum, 2. Corin. 11.] Differen-

XX.

a Bellarm. lib. 1. de Rom. Pon. cap. 9. & li. 4. c. 25.

b Ephes. 4.

B tias tamen aliquas mox subdit ex [c] Caietano; sed Petro data est, *inquit*, vt ordinario Pastori, cui perpetuo succederetur; alijs verò tanquam delegatis, quibus non succederetur.

c Caietan. Trac. de auctor. Papæ & Concil. c. 3.

Ego sanè accipio æqualitatem hanc, tanquam ex Euangelijs, sacris Scripturis, & Patribus celeberrimis notissimam: differentiam verò illam de delegatione, & successione, ac non successione; neque in Scripturis positam, neque agnitam a Patribus, facilè tantisper omitto, quousque opportuniore loco sese mihi offerat considerandа. Idcircò eandem confessionem iterum repetitam, cum eadem tamen differentia, ab eodem Autore, iterum admitto; dum ait; [d] Tertio modo dicuntur fundamenta omnes Apostoli, ratione gubernationis. Omnes enim fuerunt Capita, Rectores, & Pastores Ecclesiæ vniuersæ, sed non eodem modo quo Petrus. Illi enim habuerunt summam, atque amplissimam potestatem vt Apostoli, seu Legati, Petrus autem vt Pastor ordinarius. Deinde ita habuerunt plenitudinem potestatis, vt tamen Petrus esset caput eorum, & ab illo penderent, non è contra-

XXI.

d Bellarm. li. 1. de Rom. Pon. cap. 11.

C rio.] Ac demũ & confitetur, & probat idem Bellar. [e] Totam plenam iurisdictionẽ regendi Ecclesiã, omnes Apostolos à Christo Domino æquè & immediatè habuisse: Ex Cypriano, ex electione Matthiæ Act. 1. ex Paulo ad Gal. 1. ex Euang. Luc. 6. ex gestis & dictis Pauli, 1. Cor. 5, 6, 7. 11. 12. 14. In Episcopis tamen [f] negat hanc à Christo immediatam institutionẽ. Aequalitatẽ ego inter Apostolos, nunc sumo: de Episcopis videbimus, lib. 2. cap. 1. & 5.

e Bellar. de Rom. Pont. li. 4. cap. 23.

f Ibidem c. 24.

Differentiam illam legationis, & subordinationis, gratis, & absque vllo fundamento poni à Monarchicis, ostendam postea. Interim videat Bellarminus ne non pugnantia sint ista, Apostolos, secluso etiam Petro, esse Capita, Rectores, & Pastores; cum summa atque amplissima potestate; imò cum plenitudine potestatis: Deinde habere supra se Caput Petrum, & ab illo pendere. Si quis Episcopus, non Romanus, se caput nunc diceret Eccle-

XXII.

D siæ, cum summa & amplissima potestate, & cum plenitudine etiam potestatis; ita tamen vt Romanum Pontificem Caput suum esse diceret, & ab illo se pendere profiteretur: posset autem per Bellar. meritò hoc dicere (nam Apostolorum locũ tenere Episcopi passim dicuntur) nescio quàm libenter Romæ audiretur: certè, nisi fallor, aut irrideretur vt stultus, & pugnantia loquens; aut summorũ Inquisitorum potestati traderetur fortè vt hæreticus.

Aliam præterea habemus eiusdem Bellarmini confessionem huius, quam probamus æqualitatis inter Apostolos, quæ mihi plurimum placet; dum Cypriani dictum, à nobis suprà allatum, veluti Petri primatum egregiè deprimens, nititur soluere, respondendo sanctum Cyprianum, cùm dicit Apostolos fuisse pares honore & potestate, nihil dicere aduersus sententiam ipsius: [g] Fatemur enim, *inquit*, Apostolos fuisse pares in Apostolica potestate, & habuisse in populos Christianos eandem omninò autoritatem: sed non fuisse

XXIII.

g Bellar. li. 1. de Rom. Pont. cap. 12.

E pares inter se.] Ita etiam Caietanus, vbi supra. Quæ mihi videtur manifesta contradictio. Nam vel comparantur inter se ratione Apostolatus; sicut ratione Apostolatus considerantur in ordine ad populos Christianos; vel alia aliqua ratione: non alia, quia neque affertur, neque si afferatur erit ad rem; vt quòd verbi gratia vnus senior sit, alter iunior; vnus promptior, alter tardior; vnus nobilior, alter vilior, &c. hæc enim, & innumerabiles similes priuatæ conditiones non faciunt vt propriè & verè vnus alteri subdatur. Relinquitur itaque vt etiam inter se ratione Apostolatus conferantur. Si igitur ratione Apostolatus comparati ad populos, omnes prorsus sunt in potestate æquales; cur eidem Apostolatui singulorum nihil addendo, nihil detrahendo, etiam inter se non erunt pares? Fateor equidem me varietatem hîc nullam percipere. Ioannes Eckius & ipse concessit eandem paritatem inter Apostolos, dum scripsit [h] Petrum fuisse alijs Apostolis æqualem in Apostolatu: nam sic pares erant in honore & potestate: Sic Cyprianus, sic Hieronymus, & omnes voluerunt.] Sed discrimen subdidit pergens: Non tamen fuit æqualis alijs Apo-

h Eckius lib. 1. de Primatu Petri, cap. 24.

stolis, regimine prælationis; quia sic solus ipse fuit Pastor vniuersalis Ecclesiæ à Christo institutus: sic vnitas Ecclesiæ ab vno incæpit, vt Cyprianus ait. Quod si quis non nouerit contemplari diuersam potestatem Apostolatus, & regiminis communis pastoralis; necesse est in casses incidat errorum, & impietatum.] Ita Eckius. Et hoc mirabile est; vt potestas sit eadem; & nihilominus alia sit potestas Apostolatus, alia regiminis communis pastoralis. Qui hæc potest distinguere, distinguat. Ego omnes actus Apostolicos supra, cap. 2. eiusdem rationis inueni in omnibus; nec in tota Scriptura inuenio aliquid Petro concessum, quod etiam reliquis non fuerit datum: vt supra, & infra. A

XXIV. Opponitur huic æqualitati ex antiquis solus Leo 1. dum ait; [a] Quibus (*Episcopis*) & si dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis, quoniam inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quędam discretio potestatis, & cum omniũ par esset electio, vni tamen datũ est, vt cæteris præemineret.] Hoc dicto tanti viri & tam antiqui vexillum attollunt Monarchici. Quod tamen dictũ pro Monarchia pluribus ex causis infirmum redditur; vt aut nullã, aut non eam vim habeat, quam volunt Monarchię assertores Primũ enim, dictum non est adeo clarum, quin possit in vtranq; partem flecti: solitâ enim & facundissimâ eloquentiâ sanctus Pontifex, vt numerosa fluat oratio Theologicam historiam cogitur obscurare: & conglobatæ antitheses, sensum reddunt pariter obscuriorem. Quid enim sibi vult dum ait, in Episcopis dignitatem non esse communem; ordinem tamen esse generalem: ordo igitur & dignitas sunt diuersa? & generale, & cõmune num idem an diuersum sonant? Hæc indigent explicatione Ita in Apostolis, honor est similis, potestas verò discreta; & electio par est, vnus tamen præeminet. Verbũ *par*, & verbũ *similitudo*, fauent Aristocratiæ: verba tamen *potestatis*, & *præeminentia*, fauent Monarchiæ. Fateor, si præcedentia, & subsequentia, huius eloquentissimi Pontificis verba considerentur, eum plurimum in Petri primatum inclinare; ex quo primatu, cum Romani Pontificis primatus deducatur, quidni Leo Romanus Episcopus in propriæ dignitatis, & sedis autoritatem animum inclinet, vbi liberum videatur esse opinari? Propterea omnium Romanorum Pontificum, in hoc genere, dicta, meritò suspecta possunt haberi. Optime enim Cyprianus; [b] An putas, *inquit*, esse maius de me meum, quàm Dei testimonium? cum Dominus ipse doceat & dicat, testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat: eo quod vnusquisque vtique sibi faueat, nec contra se aliquis infesta & aduersa depromat.] Et Athanasius; [c] Nunquam profecto, *ait*, reo partes sibi iudicandi arrogante, criminis absolutio contigit: Irridetque Arianos, quod rei ipsi cum essent, huic iudicio obnoxij, veluti Caiphas, iudicandi munus inuaderent.] Vt propterea pluris facienda sint dicta Cypriani, Hieronymi, & Augustini, quàm Leonis; neque vnius Leonis oratoriè amplificatum dictum, poterit apertissimis in contrarium tot Sanctorum Patrum dictis, fidem derogare. Verùm hoc non tam Leonis, aut aliorum veterum Pontificum, elationi aut ambitioni, vt nunc, quam bono cuidam pioque ipsorum zelo tribuendum; dum Cathedram suam exaltarent: quo nimirum, sincerà tunc fide, addita sedis autoritate, tot vndique pullulantes hæreses, possent facilius comprimere. B C D

[a] *Leo epist. 88. ad finem.*

[b] *Cypr. lib. 4. epist. 9.*

[c] *Athan. orat. 1. contr. Arian.*

XXV. Itaque Leonem quidem, Virum sanctissimum mihi in hac causa absolutè aduersarium non agnosco: paritatem enim, & æqualitatem absolutam, & simpliciter, etiam ipse, inter Apostolos admittit; dum similitudinem, quam ego intelligo æqualitatem, inter Apostolos ponit honoris, & paritatem electionis; hoc est, ad parem prorsus Apostolatus gradum electos a Christo, atque euectos omnes fuisse Apostolos. In aliquo tamen delatum fuisse Petro, tam à Christo, quam ab ipsis Apostolis; quod non spectaret ad essentialem Apostolatus potestatem, significat Leo, dum ait: Vni tamen datum est vt cæteris præemineret. Non dicit, à quo, num à Christo; num verò ab ipsis Apostolis? neque dicit, vt imperaret; aut præesset; sed præemineret. Ostendam enim in sequentibus, Petro non posse negari aliquem primatum, aut potius præeminentiam, siue dignitatis, siue ætatis, siue feruoris, siue familiaritatis cum Christo, siue delationis voluntariæ ab Apostolis, siue aliis similibus accidentalibus rationibus; quæ tamen verum primatum Iurisdictionis, & absolutæ potestatis, non potuerunt eidem comparare, stante æqualitate illa, quam diuinæ scripturæ, vel ab inuitis Monarchicis extorserunt; quanto magis Leoni sanctissimo, & doctissimo viro, eam persuadere potuerunt? E

XXVI. Vidisti, puto, Lector, Baronium feruidissimum Monarchiæ pugilem, distinguere in Petro aliqua communia; & alia peculiaria; ex quibus & saluat æqualitatem Petri cum Apostolis a scripturis & Patribus asseueratam: & Petri Primatum tuetur. Eius ego verba non grauabor

A grauabor afferre, quæ sic se habent: [a] Sicut enim quæ cæteris Apostolis æquè ac Petro contulit, & communia omnibus esse voluit, euidenter expressit, nimirum cum dixit de his quæ ad sacrificium pertinent [b] Hoc facite in meam commemorationem, & quæ ad verbi prædicationem, quæque ad Baptismum: [c] Euntes docete omnes gentes baptizantes eos Quæque insuper ad remissionem peccatorum spectarent, [d] Quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; solueritis super terram erunt soluta & in cœlo. Vel cum dixit [e] Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Siue cum [f] aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas. Ita etiam quæ peculiaria voluit esse Petri, apertè significauit, sine cum dixit: [g] Tu vocaberis Cephas. Vel cum ait: [h] Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Aut cum subdit: Et tibi dabo claues Regni cœlorum. Ac denique cum eodem modo perficiens atque adimplens, ait, [i] Pasce agnos meos, pasce oues meas.

B Ex his igitur videas Dominum nostrum, certo quodam discrimine adhibito, quæ communia essent omnibus Apóstolis; & quæ Petro tantummodo contulisset, egregie distinxisse: vt non mireris, si eadē adhibita distinctione Patres dixerint aliquando omnes Apostolos pari fuisse præditos potestate; aliquando vero Petrum cæterorum caput, & Principem.] Hæc Baronius.

a Baron. Tom. 1. an 34. n. 202.
b Luc. 22.
c Matth. 28.
d Matth. 18.
e Ioan. 20.
f Luc. 24.
g Ioan. 1.
h Matth. 16.
i Ioan. 21.

Si vir hic eximius ita Theologice Theologica, sicut Historice Historica tractasset, exactiorem eum, vt arbitror, haberemus. Certè in Theologicis parum, aut propemodum nihil mihi satisfacit. Neque enim hæc tanti momenti, erant adeo ieiune attingenda; sed fusius singula ex Scripturis, & Patribus probanda: & ab oppositionibus vindicanda; inuenisset proculdubio illa eadem quæ ipse peculiaria Petri asserit, fuisse, ad mentem multorum Sanctorum Patrum, nihilo secius cum omnibus Apostolis communia; quod ego in sequentibus apertissimè ostendam: aut saltem Augustinum, splendidissimum Ecclesiæ Catholicæ lumen, illam ipsius distinctionem totam labefactare comperisset, dicto illo mihi prorsus admirabili; dum ait; [k] sicut enim quædam dicuntur quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum (*ætatis intelligo & vocationis*) quem in Discipulis habuit, sicuti est, Tibi dabo claues Regni cœlorum, & siqua huiusmodi, &c ita, &c.] XXVII.

C

k *Augustin. in Psal. 108.*

Videbat id sapientissimus Augustinus Pontifices Romanos sibi nimium applaudere, & ex peculiaribus hisce datis, & pollicitis Petro posse illos aliquam suæ amplitudinis ansam arripere; & fortasse præuidebat etiam, hinc tandem in apertam, sed indebitam Ecclesiæ Monarchiam erupturos: antidotum singulare voluit apponere; & Ecclesiam totam monere; ne vllo vnquam tempore Petri primatum verum admitteret; illud protestando; nihil illustre debere intelligi in persona Petri; quicquid ei dicatur, aut promittatur à Christo; nisi id referatur ad totam Ecclesiam. Quod nos melius alijs locis adhuc declarabimus. Quid verò illustrius, quam Petrum esse successorem, & solum verum ac proprium Christi Vicarium in terris, cum absoluta, in totam Ecclesiam, Monarchia? Et tamen ab hoc sensu cauendum esse docet Augustinus. Quod vnicum tanti Patris dictum, solum sufficientissimum est, ad omnem Monarchiæ substructionem facilè demoliendam, & omnino exsufflandam: quo nobis sæpissimè in sequentibus, tanquam stella Polari, inter nauigandum erit vtendum. XXVIII.

D

Concesserat nobis Caietanus in potestate & iurisdictione Apostolos fuisse æquales; ex quo tamen, ne Petro primatum auferre cogeretur, rursus inæqualitatem adhuc conatur inducere; & ait: [l] Quomodo autem verificari possent hæc duo simul, quod scilicet omnes Apostoli fuerunt pares in auctoritate gubernandi Ecclesiam, atque à Iesu Christo eam immediate habuerint; & quod Petrus solus fuit institutus Pastor vniuersalis Ecclesiæ, & maior autoritate super alios Apostolos, ita quod ab ipso capite in totum Ecclesiæ corpus potestas deriuata est; difficile apparet prima fronte. Sed si subtiliter contemplati fuerimus, videbimus de facto omnia vera simul fuisse. Sciendum est namque quod sicut in natura dupliciter aliqua fiunt, scilicet naturaliter, vt cum homo generat hominem, & infirmus ex virtute naturæ sanatur: & supernaturaliter, sicut cum homo creatus est à Deo, & infirmus miraculo sanatur. Ita in Ecclesia duplici quoque modo aliquid fit, scilicet ordinarie, vt cum seruato iuris ordine creatur Episcopus: & de speciali gratia à Principe vt si aliquis statim crearetur Episcopus, vt de Ambrosio contigit. Vtroque autem modo Princeps noster Iesus Christus in primitiua Ecclesia vsus est, nam institutione Ecclesiastici re- XXIX.

E

l *Caiet. tract. de auctor. Pap. & Conc. c. 3.*

guminis ordinario iure perpetuo seruandum Monarchicum, id est, vnius Principatum instituit, & posuit Petrum caput totius corporis Ecclesiæ, à quo in omnes potestas iurisdictionis & ordinis ordinariè deriuaretur. Et hoc intendunt omnes sacri auctores cum dependentia omnium à Petro doctrinam tradunt. In erogando verò ex speciali gratia sicut præuenit Petrum in conferendo potestatem ordinis (dum ipse Dominus per seipsum etiam alios Apostolos fecit Sacerdotes in vltima cœna, & confessores post Resurrectionem, & Sacramentum confirmationis in die Pentecostes) Ita præuenit eundem in dando autoritatem gubernandi, ordinandi, iudicandique Ecclesiam, vt ex allatis patet autoritatibus. Et quemadmodum nihil obstat maioritati ipsius Petri capitis, quod alij non habuerunt ab ipso potestatem ordinis (quia non fuit hoc ex defectu potestatis in Petro, aut exemptione aliorum ab ipso; sed ex præuentione superioris, qui prius dedit id subditis Petri ex gratia quod ordinariè dandum erat eisdem à Petro.) Ita etiam nihil officit excellentiæ potestatis iurisdictionis Petri super omnes, quod eius subditis Saluator, superior omnibus, dedit illam potestatem ex gratia; quam à Petro per viam ordinariam erant accepturi. Modus itaque varius dandi & accipiendi potestatem, clarificat veritatem. In Petro enim & à Petro inchoat omnis Ecclesiæ potestas, & deriuatur in totam Ecclesiam viâ ordinariâ: & rursus aliqui Petro subditi plures potestates acceperunt à Christo immediate, quas à Petro accepturi erant, viâ præuentionis gratuitæ. Et sic Ecclesia vna sub vnico tantum capite, Petro scilicet; & habet omnes Apostolos immmediate à Christo potestatem ordinis & iurisdictionis habentes ex gratia præueniente: & habet Petrum solum caput Apostolorum cæterorum, & omnium à quo in Apostolos aliquos & in omnes ordinarie potestas ordinis & iurisdictionis deriuanda est. Sunt ergo simul vera, quæ aduersari sibi inuicem videbantur.] Hæc Caietanus, ita etiam summarie [a] Eckius.

[a] *Eckius l. 3. de Trim. Pet. c. 43.*

XXX. Admirabilis prorsus subtilitas, sed quæ ad minimum leuis auræ flatum tota euanescit. Ita faciunt de more illi, qui ex propria affectione conclusionem aliquam sibi gratam promunt; deinde probationes hinc inde venantur; ac vndecunque possunt aliquas, & eas quascunque nituntur expiscari; & vbi sese inextricabilibus nodis, ex falsâ positione, implicari sentiunt, quaqua versum vertuntur, vt si possunt, etiam per angustissimas rimulas, euadant. Non ita sincerus & inaffectus philosophus. Is enim ex præmissis quas cernit, eam colligit & expromit conclusionem, quam non affectus vellet, sed quam præmissæ conficiunt. Si integrum esset, libenter quæretem à Caietano, quare Christus Dominus nunquam Apostolis declarauit se ex gratia tantum præueniente, quam excogitauit ipse Caietanus ad Apostolatum omnes Apostolos, præter Petrum, extulisse; qui tamen viâ ordinariâ per Petrum erant efferendi? cur nunquam illos monuit officij sui, vt Petrum proprium ipsorum caput visibile agnoscerent? Tantine momenti res, quanta est suprema Ecclesiastici Monarchæ potestas non debuit tacitè præteriri, multo minus modis omnibus quibus ea occultari poterat, abscondi, contegi, & dedita opera crassissimis tenebris ne appareat, sed vt profunde delitescat, demergi? Si Christus volebat Petrum esse caput Apostolorum, cur saltem ad finem vitæ, quando [b] contentio inter ipsos orta est, quis eorum videretur esse maior; tam opportuno loco, & ipsa flagitante occasione, non aperuit Apostolis suis gratiam illam præuentionis Caietanicæ; quæ nihilominus maximum Primatui Petri præiudicium generabat; se nimirum via extraordinaria vsum in illis ad potestatem Ecclesiasticam extollendis; Petrum tamen, vt maiorem, imò vti solum verum ac proprium ipsius Vicarium agnoscerent? sed si forte iam aliquid de Petri maioritate suspicabantur, id totum enixe laborat vt comprimeretur; neque [c] permittit vel minimam suspicionem inter eos suboriri de cuiuspiam ex ipsis maioritate. Excipere profecto debuisset solam Petri Ecclesiasticam maioritatem; de qua ne verbum quidem vnquam habuit cum Apostolis; sed illos ipsemet voluit ordinare; & plenissimam autoritatem, nihil minorem quam Petro, omnibus, & singulis tradere. Et in nouissima cœna Ioannem natu minimum primo loco apud se fecit accumbere; non item Petrum: quem si voluisset in terris vices suas sustinere, hoc sane præcedentiâ etiâ eorū in cœna declarasset. Sed potius hoc facto excludere voluit omnem cogitationem prælaturæ, à mentibus discipulorum. Vanissima igitur est illa præuentio.

[b] *Luc. 22.*

[c] *Infra cap. 11. num. 3.*

[d] *Io. 13. & 21.*

XXXI. Vrgeo adhuc vehementius; Præuentione non ordinaria gratiæ, Christus immediate concessit Apostolis potestatem ordinis, & Iurisdictionis plenissimam; nihil minorem quam Petro communicasset; à quo tamen Petro, inquit Caietanus, in eosdem esset via ordinaria deriuanda. Faciamus ergo eam ita de facto deriuari, & Apostolos viâ ordinariâ

A riâ à Petro ordinari, & autoritate, ac Iurisdictione fulciri; & sane tanta quanta fuerunt per illam præuentionem viâ extraordinariâ à Christo donati; hoc est plenissimâ. Quid fiet? erunt ne subditi Petro? nihil minus: quia æquales ei ponentur in tota potestate & Iurisdictione: nam si plenitudinem potestatis non concederet, non habebunt viâ ordinariâ id totum, quod extraordinariâ à Christo habuerunt. Solum autem modum dandi & accipiendi ipsam potestatem variat Caietanus; quia Petro, *inquit*, data est ordinarie; aliis autem ex speciali gratia. In quantitate autem & plenitudine, iam confessus est, omnes fuisse Petro pares. Si igitur Petrus totam concesserit, eos necessario sibi faciet æquales. Si æquales, ergo ei non erunt subditi. Contigit hoc sæpe in humanis: nam quoties Imperator sibi aliquem in socium Imperij ascisceba[t], tota ei Imperiali communicata autoritate, statim prorsus æquales erant in regimine, & in tota Imperij administratione. Ne-

B que in eo superioritas Petri maneret, quod ab ipso, seu potius per ipsum, ad Apostolatum essent euecti: hoc enim est merum & extrinsecum accidens: nam etiam per Samuelem Deus constituit Reges, [a] Saulem, & [b] Dauidem; non tamen propterea hi Reges erant subditi Samuelis. Concessa itaque potestatis æqualitate, vanum est effugium ad instituentem; siue sit Deus immediate, siue homo mediate.

a 1.Reg.10.
b 1.Reg.16.

XXXII. Linquamus tamen primos Apostolos, qui ex Caietanica præuentione facti ducuntur à Christo immediate Apostoli: Et videamus num Petrus vtatur sua ordinaria autoritate in creandis nouis Apostolis & ministris Euangelij; et in tradenda ipsis potestate, vbi ista præuentione non est opus amplius. Quis Paulum instruit? [c] Christus, operâ Ananiæ, non Petri. Quis eundem Paulum & Barnabam mittit in gentes, an Petrus? an alij Apostoli? minimè vero, sed [d] Prophetæ & doctores Ecclesiæ Antiochenæ. Semper ne hæc præuentio est duratura? nunquam Petrus sine his præuentionibus sua ordinaria vtetur autoritate? Paulus dat autoritatem Apostolicam Tito, dat Timotheo &c. Petrus in Sacra Scriptura nemini. Quamuis postea à Petro (vt ab alijs Apostolis alibi alij) plurimi ordinati in Occidente credantur Episcopi, qui ab eo habuerint autoritatem, tanquam ab

C vno & præcipuo Apostolo; non tamen vt à solo & supremo Pastore.

c Act.9.
d Act.13.

XXXIII. Vidit hoc, puto, Bellarminus; & propterea ita concesit, vt supra vidimus, æqualitatem potestatis inter Apostolos; vt tamen differentiam ex ipsius potestatis conditionibus desumere maluerit, quam ex alio externo accidente; dum dixit; potestatem summam in Petro fuisse cum successione: in alijs verò Apostolis fuisse item summam, sed sine successione. At hæc est subterfugium manifestum: nam, præterquam quod ostendam postea, id gratis & parum apte dici, planum est, tempore saltem Apostolorum, in Ecclesia nullam fuisse Monarchiam: & consequenter neque à Christo Monarchiæ formam fuisse immediate in Ecclesia institutam: nam dum re ipsa Apostoli noscuntur in po-

D testate Petro æquales, certe subditi esse eidem non possunt, quicquid sit de ista successione; sint enim duo fratres in locupleti hæreditate æquales; quorum alter prolem habeat & successionem; alter minime; profecto adhuc erunt inter se in ea hæreditate pares: neque propterea qui prolem non habet neque sperat, fit alteri subditus illam habenti. Sed & hoc ipsum successionis effugium in sequentibus libro 2. cap. 1. & 5. totum eripiam: cum ostendero eodem modo quo Petro damus successores, etiam alijs Apostolis pariter vel esse dandos, vel negandos etiam Petro.

XXXIV. Postremum huius capitis argumentum, quo paritas omnimoda potestatis inter omnes Apostolos conuincitur, sit, quod per plura prima sæcula, Christi Ecclesia, formam Apostolicam regiminis seruans, constanterque retinens, nunquam ne vmbram quidem Monarchiæ admiserit; sed omnia, Episcoporum potissimum iudicio, & sane inter se parium peragerentur; neque vnquam, primis illis sæculis, quenquam agnouerit ipsa Ecclesia, qui

E supremus esset rerum Ecclesiasticarum Rector & Moderator. Atque hoc ego in [e] sequentibus libris aperte conabor ostendere. Quicquid verò opponi solet huic æqualitati ex Petri priuilegijs & prærogatiuis; quibus videtur cæteris omnibus præfici; id interius cap. 9. erit exponendum.

e Lib.4.c.8.huius operis.

XXXV. Solum Gregorij dictum non parum nos turbat, dum ait: [f] Certe Petrus Apostolus, primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita?] Quod Petrum dicat primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ, nobis vel nihil, vel parum admodum est contrarius: nam & nos infra cap. 5. in Petro primatum aliquem pluribus nominibus approbabimus; non tamen verum primatum Monarchiæ, & Iurisdictionis, etiam in Ecclesia; Quod tamen

f Greg. Ep.38. l.4.Indict.13.

ad

addit Paulum, & reliquos, fuisse singularium tantum plebium capita; nisi pium aliquem sensum velit admittere, videtur intolerabile. Quis dicat tantum virum, qualis est Gregorius Magnus, non aduertisse saltem dictum Pauli, quo se vrgeri dicebat [a] solicitudine omnium Ecclesiarum? & omnibus ac singulis Apostolis dictum, [b] Euntes docete omnes gentes: &, [c] Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad extremum terræ? Sentit itaque fortasse meo iudicio Gregorius, Apostolos habuisse quidem singulos potestatem illimitatam à Christo; non minus alios quàm Petrum; vt ex Euangelio est notissimum: sed tamen ipsos inter se, ipsorum voluntate ita terræ partes esse partitos, vt singuli singulas sibi assumerent Prouincias ad prædicandum: soli Petro non fuisse assignatam, neque limitatam vllam Prouinciam; sed relictam ei vniuersalem potestatem; vt quocunque vellet transcurreret. Sed & hoc ipsum erit nobis postea libro 2. discutiendum, &c.

a 2. Cor. 11.
b Matth. 28.
c Act. 1.

B

CAP. IIII.

Apostolis omnibus, & non soli Petro, Christi Vicarij in terris nomen, & officium, æque competisse.

Summa Capitis.

Æqualitas iam explicata capite præcedenti, vnicum Vicarium non tolerat. num. 1.
Verus Vicarius Christi Ecclesiæ relictus est ipsius Christi Spiritus, num. 2. In discessu tamen, quasi Testamento, omnibus Apostolis tanquam suis Vicarijs in solidum, suam Ecclesiam Christus commendauit. num. 3. 4.
Ambrosius & Chrysostomus, omnes Apostolos æquè vocant & faciunt Christi Vicarios. n. 5. 6.
Aduersariorum commenta refelluntur. num. 7. ad finem.

C

I. Monarchici nostri Romani, Petrum solùm à Christo Domino in terris Vicarium relictum, & toti Ecclesiæ Vicaria plena potestate præfectum fuisse, constanter asseuerant. Sed æqualitas quam in præcedenti capite probauimus, & perfecta paritas inter Petrum & alios Apostolos, officium hoc Vicarij Christi in solo Petro non benè collocari, satis manifestat. Melius adhuc in sequentibus ostendemus nullum esse in Euangelio, aut sacris Scripturis, locum, in quo Petro soli vniuersalis hæc Vicaria cura Ecclesiæ demandatur, sed eam æquè in omnes Apostolos transisse. Nunc videamus hoc tantùm an soli Petro in Ecclesia, Apostolorum tempore, conuenerit Christi Vicarij officium & nomen; & quid in hoc senserit vetus Ecclesia. Ideò paucis hoc caput absoluemus; quandoquidem de commissione Vicariatus, præsertim per claues & pasturam, alijs sit capitibus huius libri, nimirum 6 7. & 8. fusiùs agendum.

D

II. Atque imprimis, si de vero & proprio Vicario loquamur, qui perfectissimè Christi vices, post eius in cœlum ascensum, plenè gesserit, geratque in terris, & gesturus sit vsque ad consummationem sæculi, quis dubitat esse Spiritum Sanctum paracletum? hunc enim, non Petrum, non hominem aliquem singularem, se missurum sui loco spopondit, dicens, [d] Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos; Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et [e] Non relinquam vos orphanos: paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c.] Ideo Tertullianus, commemorans varios nostræ Fidei articulos, vnum dicit esse, [f] Credere Iesum Christum in cœlos ereptum, sedere ad dexteram Patris: mississeque Vicariam vim Spiritus Sancti.] *Et postea:* Age nunc, *inquit*, omnes erraverint, deceptus sit & Apostolus de testimonio reddendo quibusdam. Nullam respexerit Spiritus Sanctus, vti eam in veritate deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis: neglexerit officium Dei Villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam quod ipse per Apostolos prædicabat.] Et alibi [g] cum propterea, *inquit*, paracletum misserit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur & ad perfectum perduceretur, ab Vicario Domini Spiritu Sancto.] Et Augustinus, siue quicunque ille Autor sit, de hac promissione aduentus Spiritus Sancti loquens, ait. [h] Vt se-

E

d Ioan. 16.
e Ioan 14.
f Tertul. de præscript.
g Idem de Virg. Veland.
h In quæst. vet. & nou. Test. Quæst. 93.

curi

A curi essent Apostoli, quia post ascensionem Domini, non minorem, aut degenerem, ad tuitionem habituri essent Pastorem, aut Regem.] Sed nostri Monarchici volunt hunc Pastorem, & Regem, seu Protegem, fuisse Petrum; non ita Patres. An vero præterea aliquo modò singulari, aliquem ex discipulis, Vicarium instituerit Christus, pertractemus.

III. Consulamus inde Augustinum; vt dicat nobis, cui, & quomodo relicta fuerit a Christo post Ascensionem regendæ Ecclesiæ Vicaria cura. [a] Omittamus alia, *inquit*, & nouissima verba eius in terris audiamus; vbi videamus quam fidem de Ecclesia reliquit Apostolis, quale testamentum quodammodo fecerit; non vitam finiturus, sed sine fine victurus; non mittendus in sepulchrum, sed ascensurus in cœlum. Surgens enim a mortuis, posteaquam apparuit discipulis suis, intuendus oculis, manibusque tractandus, [b] Oportebat, inquit, impleri quæ scripta sunt in Lege & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis; quoniam sic scriptum est, & sic oportebat pati Christum, & resurgere tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Itemque in [c] monte Oliueti, Postquam nihil vlterius in terris potitus dixit, sed quod maxime fuerat necessarium, hoc commendauit extremum (*nempe prædicationem in omnes gentes*) multi quippe erant futuri per vniuersas partes terræ, vendicaturi sibi nomen Ecclesiæ; & contra vniuersam domum, quæ per vniuersam terram cantat canticum nouum, de quo scriptum est; [d] Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra: de suarum quisque ruinarum angulis latraturi: aliud namque Apostoli audire cupiebant, & quod illis maxime fuerat necessarium non quærebant; [e] Dic nobis, inquiunt, si in tempore hoc præsentaberis, & quando restitues Regnum Israel? At ille; Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos; & eritis mihi testes in Hierusalem, & in totam Iudæam & Samariam; & vsque ad terminos terræ. His dictis, nubes suscepit eum: nihil vlterius verbis addidit. Hoc tanto tenacius, quanto posterius audientium, mentibus fixit. Hanc sponsam suis amicis sponsus abiens commendauit: Hanc ergo de sancta Ecclesia discipulis dereliquit. Huic fidei Donatistæ resistitis; & pro fide, quam Dominus Christus reliquit Apostolis, vos persecutionem ferre contenditis: Huic hominis filio qui Ecclesiam suam incipientem ab Hierusalem, & per omnes gentes fructificantem, atque crescentem, tanta diligentia commendauit; mira impudentia cæcitatis contradicitis, &c.] Hæc Augustinus.

a. *August lib. 2. cont 2. Gaud. ep. c. 12.*

b Luc. 24.

c Act. 1.

d Ps. 95.

e Act. 1.

IV. Vbi in confirmationem nostrorum dictorum, inprimis apparet, quodnam præcipuum munus, quod officium Christus Apostolis suis commiserit; nempe prædicationem Euangelij; & testificationem vitæ, doctrinæ, & Resurrectionis eius in totum mundum; ab Hierusalem incipiendo. Apparet secundò, interprete & teste Augustino, omnes Apostolos & singulos, curam accepisse totius mundi indifferenter, absque vlla limitatione, aut coarctatione potestatis, aut Iurisdictionis; & non Petrum solum. Habemus tertiò Ecclesiam Christi sponsam æque Apostolis omnibus, tanquam amicis, & Vicarijs à Christo in suo discessu commendatam; & non magis vni quam alijs. Constat quartò, Petro nihil amplius, præ cæteris, Christum autoritatis contulisse: siquidem in hoc discessu, quando eis Regimen Ecclesiæ commendauit, nihil peculiare Petro dixit; nihil alios de Petri Vicariatu monuit; sed æque omnes suos Vicarios instituit. Patet denique Augustinum in Petro nullum primatum autoritatiuum agnouisse; imò ne suspicatũ quidem fuisse. Nam hoc tam opportuno loco, in quo de testamento Christi loquebatur, non silu isset, siquid peculiare, & tam insigne, quam erat Vicariatus Christi absolutus, Petro relictum censuisset.

V. Non aliter sentit Ambrosius, dum Apostolos omnes æque, & non solum Petrum, Christum in terris repræsentasse affirmat; & ex hoc illos Christi imagines vocat: [f] Ascende ergo, *inquit*, homo in cœlum; & videbis illa, quorum vmbra hic erat, vel imago. Videbis non ex parte, non in [g] ænigmate, sed in consummatione; non in velamine, sed in luce: [h] Videbis verum illum & æternum atque perpetuum Sacerdotem; cuius hic imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam.] Vnde & alibi expresse illos Vicarios Christi vocat. Ait enim illa Apostoli verba exponens; Per quem accepimus gratiam & Apostolatum. [i] Post resurrectionem manifestatus filius Dei in virtute gratiam dedit, iustificans peccatores, & Apostolos nominauit; quorum se hic locum dicit, vt Apostolatus cum gratia esset donum Dei; non sicut Iudæorum sunt Apostoli. A Deo ergo Patre, per Christum Dominum, hanc acceperunt potestatem;

f *Ambros. in Ps. 38.*

g 2. Cor 3.

h Heb. 7.

i *Ambros. in Ep. ad Rom. c. 1.*

vt, Vice Domini, signis doctrinam Dominicam acceptabilem facerent; & virtutem, quam in saluatore zelarentur perfidi Iudæi, hanc in seruis eius à turbis admirari videntes, vehementius torquerentur. Testis enim doctrinæ virtus est; vt quia quod prædicatur incredibile Mundo est, gestis fieret credibile. Mittit igitur Apostolos vt prædicarent fidem omnibus gentibus, vt obedirent & saluarentur, vt donum Dei non iam solis Iudæis, verum etiam omnibus gentibus concessum videretur; & hanc esse Dei voluntatem vt in Christo, & per Christum omnibus misereatur, Vicarijs eius prædicantibus.] Et alibi; [a] Dei enim sumus operis adiutores; hoc ad Apostolorum personam pertinet, quos constat esse Dei adiutores, quia Vicarij sunt Christi.

a *Ambros. in Ep. 1 Ad Cor. cap. 3*

VI.

Et sane Paulus Apostolus de se, & alijs Apostolis loquens; sibi, & illis, legati nomen, & officium tribuit; [b] Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.] Et, [c] Pro quo (*Euangelio*) legatione fungor in catena.] Quis verò ignorat legatum suum principalem repræsentare; ab eo immediate mitti; Et vices ipsius, vbi ille abest, supplere? Sed audi Chrysostomum hoc Vicariatus in legatione munus in Apostolis explicantem; [d] Vidisti, *inquit*, quomodo officium suum affert (*Paulus*) induens Christum, qui legationem hanc iniunxit; imo non Christum solum, sed & Patrem? Quod enim dicit hunc sensum habet; Misit filium Pater exhortari, & legatione fungi apud humanum genus pro se: quoniam autem ille occisus abijt, nos legationem suscepimus; & pro illo, & Patre, exhortamur vos. In tantum honorat humanum genus, quod & filium impendit, quamuis sciret occidendum; & Apostolos nos propter vos fecit: & ita meritò dicebat omnia propter vos: Igitur pro Christo legatione fungimur; hoc est illius loco; nam nos quæ illius officij sunt suscepimus.] Quid plus de Petro dici posset secundum Monarchicos? Nonne & Paulus dicit, & Chrysostomus egregiè interpretatur, Apostolis omnibus Christi in terris vices fuisse commissas. Hugo quoque Eterianus, traditionum vim perpendens, [e] multa, ait, esse in Ecclesia plena vigoris &c. quæ chartis à primo pastore commendata non sunt; sed occulto suo iudicio habenda ipse tradidit, & per Vicarios suos Apostolos paginis, & atramento amiciri non permisit.] I tu nunc Monarchice & solum Petrum Vicarium Christi generalem esse comminiscere. Dicat quantumlibet Innocentius quartus, [f] quòd Christus tandem mortem subiens temporalem, ne gregem sui pretio sanguinis glorioſi redemptum, ascensurus post Resurrectionem ad Patrem, absq; Pastore desereret, ipsius curam Beato Petro Apostolo, vt suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana Religione firmaret, eorumq; mentes ad saluris opera suæ accenderet deuotionis ardore commisit] Hoc enim si de solo Petro, seclusis alijs Apostolis, intellexit, non videtur audiendus; quia neque Scripturæ id tradiderunt, neque Patres id docuerunt, sed contrarium toties expressetunt; nimirum Christum Dominum vices suas non Petro soli, sed omnibus Apostolis æque commisisse; vt non modo in hoc capite hactenus vidimus, sed etiam ad initium præcedentis tertij capitis, probauimus.

b 2. Cor. 5.
c Ephes. 6.
d *Chrysost. Hom. 11. in Ep. 2. Ad Cor.*
e *Hugo Eter. de vegres. anim. cap. 14. in Biblioth. SS. PP.*
f *Pro humani. de homicid. in c. 6.*

VII.

Propterea contra sensum & diuinę Scripturæ, & tot Sanctorum Patrum est, quod asserit [g] Caietanus, & passim Monarchici; inter alias differentias inter Petrum & alios Apostolos, vnam esse in officio; quod Petrus factus sit Vicarius generalis Iesu Christi; alij verò facti velut legati, seu delegati eius.] Vbinam obsecro quis vnquam obseruauit Apostolos tanquam legatos, seu delegatos Petri quidpiam gessisse? An non vidimus Apostolos omnes non minus quàm Petrum Vicarios Christi fuisse institutos? Certè nescio qua fronte audeat idem [h] Caietanus hoc ipsius dictum de legatione, seu delegatione Apostolorum à Petro, ex exillis Pauli dictis confirmare: [i] Legatione pro Christo fungimur. Et, [k] Legatione fungor in catena. Bone Deus, itane sacris ad voluntatem, ne dicam ad libidinem, abuti Scripturis? Paulus se, & Apostolos facit Legatos Christj & Euangelij: Caietanus verò vult Paulum fateri se & reliquos Apostolos esse factos Legatos Petri, seu delegatos à Petro.

g *Caietan. tract. de autor. Pap. & Conc. c. 3.*
h *Ibidem.*
i 2. Cor. 5.
k Ephes. 6.

VIII.

Sed quid tibi videtur, Lector, de subtilitate eiusdem [l] Caietani, dum negare non potest in præfatione Missæ dici Apostolos Vicarios Christi? Quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores.] Ne fateatur Ecclesiam nostram olim & agnouisse, & publicè confessam esse Apostolos omnes esse Christi Vicarios, & non Petrum solum, ita Christo ipso ordinante, & vices suas illis conferente, mirabile adinuenit Doctor ille subterfugium in verbo illo (*Operis*) [m] Vnde, *inquit*, & in præfatione non appellantur Vicarij absolutè; sed Vicarij operis; quasi diceret, Vicarios ad exequendum.] [n] Distinguit enim hic Autor, alia non minori subtilitate, potentiam, hoc est potestatem præceptiuam

l *Eadem c. 3.*
m *Ibid. c. 3.*
n *Ibid.*

A ceptiuam, ab executiua. Quoniam, *inquit*, autoritas communiter Apostolis data, ex vi Apostolatus, fuit velut potentia executiua; Vnde & à S. Thoma vocatur, autoritas gubernandi; gubernatio enim executionem sonat; Autoritas verò data soli Petro, cum factus est Papa, dicente Christo, Pasce oues meas, est potentia præceptiua; & propterea vocatur à S. Thoma autoritas regiminis; propterea quod dicit S. Thomas fuit Paulus par Petro in executione; non in autoritate regiminis: & Ecclesiæ regimen, quod sonat executionem; non autoritatem regiminis, quod sonat Imperium, commissum dicit Apostolis.]

Qui potest capere capiat: ego sanè non capio, aliud esse gubernationem, aliud regimen; illam esse executiuam, hoc verò imperium: Et aliud esse regimen, aliud autoritatem regiminis. In mea Metaphysica, hæc differunt tantummodo vt abstractum & concretum; seu vt habitus vel potentia, & actus; & regimen erit in actu exercito, autoritas verò regiminis, in actu signato. Actus verò supponit habitum, vel potentiam; & concretum supponit abstractum: & cuius est actus, illius & potentia; quemcunque enim citharizantem actu cerno, statim colligo ipsum habere artem & habitum citharizandi: & qui autoritatiuè, ex propria nimirum autoritate, & non alterius nomine, regit; is certè & exequitur propriam autoritatem, & ostendit se talem habere autoritatem. Vndenam obsecro constat Caietano, Apostolos non nisi executiuè in regimine Ecclesiæ processisse, hoc est tanquam delegatos à Petro; & non nisi Petri autoritate sibi commissa? non ne contrarium iam sufficienter demonstrauimus? Etsi [a] Paulus gentes Iudaizare prohibebat, quas Petrus Iudaizare permittebat, Petroque in faciem resistebat, & eum reprehendebat; quomodo actum hunc regiminis, & sanè nobilissimum exercebat vt Petri delegatus, & merus executor? qui potest illa Caietanica capere, iterum dico, capiat. IX.

a Gal 2.

Itaque & dum Apostoli dicuntur operis Christi Vicarij; si erant Vicarij operis, hoc est executionis; erant etiam absolutè Vicarij; quia propria, & non Petri autoritate opus Christi agebant, hoc est, mundi conuersionem, & Christus illos Vicarios ad hoc instituit, vt ipsius opus perficerent; & ipsi, quæ Christi officij erant, vt dicebat Chrysostomus suprà, susciperent. Nam & Christo à Patre commissum est, vt conuersionis hominum opus in se reciperet. Vnde & dicebat; [b] Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.] Et iam moriturus dixit ad Patrem; [c] Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.] Dicerne propterea Caietanus Christum non autoritatiuè, neque per propriam potestatem, mundo prædicasse, & Ecclesiam rexisse, nisi merè executiuè; quia dicitur perfector, & consummator operis à Patre iniuncti? Vicarius ergo operis idem est, quod Vicarius, non in abstracto, sed in concreto; ad operandum & laborandum in Vinea vt operarius; non vt operariorum censor, & obseruator, Dominus, & Iudex. Talis Vicarius operis fuit Petrus, fuerunt & reliqui Apostoli: & sicut Petrus non fuit merus executor, & alterius Apostoli delegatus: ita neque vllus ex Apostolis: nam æquè de Petro, atque de alijs dicit illa Præfatio Ecclesiastica; Quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores. Ideoque Eckius insignis Monarchicus; [d] Omnes, *inquit*, Apostoli fuerunt Pastores & Vicarij Domini nostri Iesu Christi; sicut sancta testatur Ecclesia. Verùm vnus fuit Vicarius generalis sanctus Petrus.] Nos tamen & probauimus, & probabimus, Petrum nihil plus potestatis habuisse in regimine Ecclesiæ, quàm quilibet alius ex Apostolis. Addo verò ex illa Præfatione haberi, Apostolos ad opus tantum, fuisse à Christo electos, & deputatos; quod ego cap. 2. probabam. Quod si quis opponat Ambrosium dicentem; Petrum esse relictum Vicarium Christi amoris: vide locum & interpretationem infrà [e] exactè tractatam. Sed iam ad Primatum hunc Petri exquirendum, propiùs accedamus. X.

b Ioan. 4.

c Ioan. 17.

d *Eckius lib. 3. de Sacram. Petri. cap. 35.*

e *Infra cap. 10 n. 11.*

CAP. V.

CAP. V.

Primatum aliquem Petro esse concedendum.

SVMMA CAPITIS.

Tituli Petri in antiquitate sunt varij; præcipuus tamen est Principis Apostolorum, & Capitis: sed tamen communis etiam Paulo: & primatus aliquis Petro conueniebat, etiam antequam audiret, Tu es Petrus, &c. num. 1, 2, 3, 4, 5.

Inæqualitas aliqua, & maioritas ac minoritas, inter Apostolos obseruatur. num. 6.

Petri maioratus totus reducitur ad ætatem potissimum, & vocationem, à num. 7. ad num. 13. deinde etiam petitur ex virtutibus ipsius, præsertim charitate, & amoris excellentia, atque feruore: & ex omnia sunt personalia, à num. 14. ad finem capitis.

I

PEtrum titulo principis Apostolorum insigniti, vel antiquissima Ecclesiastica scripta testantur. [a] Dionysius Areopagita, vbi agit de Episcoporum consecratione, Matthiæ exemplū electionis contemplans, ait: Atque etiam ipse discipulorum facilè Princeps (*loquitur de Petro*) cum decem condiscipulis paribus, & Pontificibus, cumad supplendum, perficiendumque condiscipulorum duodecim numerum, in Pontificio honore venisset, Deo electionem timidè, religioseque permisit.] Eusebius; [b] Sub ipso Claudij Imperio, benigna & propitia Dei totius Vniuersitatis Rectoris erga humanum genus prouidentia, fortem, ac præpotentem, & reliquorum Apostolorum omnium, propter virtutis amplitudinem, facile principē Petrum, Romam versus, ad eiusmodi pestiferā vitæ humanæ corruptelam (*Simonis Magi*) delendā quasi manu deduxit.] Opt. Mileuit. ait: Igitur negare nō potes (*compellat Parmenianum*) scire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatā; in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus.] *Item*; [d] Potuit vtiq; Caput Apostolorum ita se gubernare, vt nihil incurreret quod doleret.] Origenes [e] summum verticem Apostolorum Petrum vocat. Cyrillus Hierosolimitanus: [f] Nemo, *inquit*, desperet de sua salute: Petrus princeps Apostolorum excellentissimus, coram ancilla ter negauit Dominum; sed ad se reuersus flenit amarè.] *Item*, [g] Omnibus autem tacentibus, (supra vires enim humanas hæc erat doctrina) Petrus princeps Apostolorum, & supremus Ecclesiæ præco, non comminiscens sibi, neque ratione humana persuasus, sed à Deo Patre in mente illuminatus dicit ad ipsum, Tu es Christus, &c.] *Item*: [h] in eadem Spiritus Sancti virtute, & Princeps Apostolorum, & regni cœlorum clauiger Petrus paraliticum Aenæam curauit.] Gregorius Nyssenus; [i] Dominus, *inquit*, ait ad Principem Apostolorum; Tu es Petrus, &c.] Hieronymus eundem Petrum, non semel, titulo [k] Principis Apostolorum decorat. Chrysostomus, & [l] verticem, & præcipuum Apostolorum sæpius vocat Petrum. Theodoretus, [m] Antiochensium, *inquit*, magna ciuitas, magni illius Petri thronum obtinet; qui & beati Marci magister fuit; & Apostolorum chori primus, & princeps.] Cyrillus Alexandrinus ait; vt princeps, caputque cæterorum, primus exclamati Tu es Christus Filius Dei viui, &c.] Septima Synodus generalis; [n] Præcipit enim, *inquit*, & Petrus Apostolorum summus, pascite qui in vobis est gregem, &c.] Concilium Aquense, [o] Per B. Petrum, ait, Apostolorum Principem in occidentis partibus fundatum Ecclesiam, &c.] De recentioribus nihil dico, qui ijsdem titulis principis, & capitis, verticis, primi, summi, &c. Petrum passim insigniunt.

Hic sane titulus Principis Apostolorum, si Monarcham inter ipsos, & verum cum iurisdictione primatem, ac superiorem denotaret, soli Petro tantus honos non esset deferendus; nam & Paulum non raro eodem titulo prænotatum obseruamus. [p] Hieronymus enim Petrum & Paulum simul principes Apostolorum vocat, ita & Moses Barcephas Syrus; lib. de Paradyso, cap. 11. Et Romani Pontifices etiam Antiquiores, in suis decretalibus Epistolis, sæpe Petrum & Paulum pariter Principes vocant Apostolorum. Ita [q] Nicolaus primus, & [r] Ioannes octauus, & alij dicunt se autoritate principum Apostolorum Petri & Pauli aliquid agere. Qua ratione igitur princeps inter Apostolos Paulus fuit; eadem & Petrus; sed certè Paulus princeps non fuit dominio, neque iurisdictione, sed quia [s] abundantius omnibus laborauit; Ita ob aliquam similem personalem excellentiam & Petrus

a Dionys. Areo. in ab. de Eccles. hier.

b Euseb. lib. 2. Hist. c. 13.

c Optat. lib. 2. contr. Parmen.

d Idem. lib. 7.

e Origen. homil. 2. in diuers.

f Cyril. Hierosol. catech. 2.

g Idem Catech. 11.

h Ibid.

i Nyssen. in de sacrii testim. vet. Test.

k Hieron. de viris illust. in Petro. & lib. 1. aduer. Pelag.

l Chrysost. 55 & 83. in Matt. & lib. 2. de Sacerdot.

m Theodor. ep. 86. apud Baron. tom 5. an. 439. num 43.

n Cyril. in Io. lib. 12. c 64.

o Concil. Aquer. lib. 1. c. 12.

II.

p Hier. lib. 1. comment. in epist. ad Gal. in proœm.

q Epist. 7.

r Epist. 45. 75. 77.

s 1. Cor. 15.

A & Petrus principis Apostolorum titulo decoratur. Atque hæc ipsa coniunctio Pauli cum Petro, sub eodem titulo principum Apostolorum, apud modernos est peruia. Petro tamen sicuti frequentissimè tribuuntur tituli principis Apostolorum, primi, capitis, verticis, primatus, &c. ita peculiares indagandæ sunt rationes eiusmodi titulorum.

III.

Neque propterea mihi quisquam omnem Petri Primatum reducat ad Christi deputationem & institutionem, tunc quando ei dixit; [a] Tu es Petrus: Et tibi dabo claues, &c. Facilè enim ostendo Petrum iam Primatum aliquem inter Apostolos habuisse, antequam à Christo ipsi illa dicerentur. Matthæus enim priusquam illa contigissent, recenset nomina duodecim Apostolorum hoc pacto. [b] Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus, &c] In hoc autem (*ait & bene* [c] *Turrecremata*) quod primum Apostolorum Petrum nominat, & cum in capite

B Apostolorum ponit, manifestè ipsum habuisse Primatum Apostolicæ dignitatis ostendit.] Nam & mihi certum videtur, eo loci poni ab Euangelista nomen, primum, non quidem tantùm numeraliter, ratione ordinis; secutus enim fuisset secundus, tertius, &c. quod non fecit, vt bene obseruat idem [d] Turrecremata, & [e] Sanderus: significasset enim eodem modo tertium subdi secundo, quo secundus primo, & sic de cæteris, quod non est verum: Sed primus dicitur inter omnes Petrus; ratione alicuius dignitatis & præeminentiæ, quam haberet inter Discipulos ipse solus; etiam antequam ei dictum fuisset: [f] Tu es Petrus: &, Tibi dabo claues.

a Matth. 16.

b Matth. 10.

c Turrecrem. lib. 2. de Eccles. cap. 5.

d Turrecrem. ibidem.

e Sander. de visibili Monar. lib. 6 cap. 4.

f Matt. 16.

IIII.

Profitetur hoc Ambrosius cùm ait; [g] Vos autem quid me esse dicitis? statim loci non immemor sui Petrus primatum egit, primatum confessionis vtique, non honoris; primatum fidei, non ordinis.] Iam igitur Petrus, teste Ambrosio, loci primatum gerebat, ante-

C quam diceret, Tu es Christus, &c. & audiret, Tu es Petrus, &c. Quod adhuc clariùs cernitur in præcedentibus illis eiusdem Ambr. eodem loco, dictis: Deniq; ait, cùm interrogasset Dominus, quid homines de Filio hominis existimarent, cùm diceretur vulgi sententia Petrus tacebat: Taces ergo Simon? & respondentibus alijs adhuc taces, cùm ipse sis primus?]

g Ambros. de incar. cap. 4.

V.

Agnouit hoc etiam Augustinus, [h] quando dixit: Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur; nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam; propter primatum quem in Discipulis habuit; sicuti est; Tibi dabo claues, &c.] *Et alibi.* [i] Hoc agit Ecclesia ipe beata in hac vita ærumnosa, cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, Naturâ vnus homo erat; gratiâ vnus Christianus; abundantio-

D re gratiâ vnus idemque primus Apostolus: sed quando ei dictum est, Tibi dabo claues, &c. vniuersam significabat Ecclesiam] Videsne, secundum Augustinum, propterea Petro datas esse claues; & ad illas accipiendas, tanquam figuram Ecclesiæ assumptum; quia iam habebat primatum inter Apostolos? Et obserua eum dixisse, propter primatum quem in Discipulis habuit, non (dixit) in Discipulos. Quomodo ergo in concessione seu promissione clauium, de primatu dicetur tunc primum inuestitus, si propterea illi soli, & non alijs claues dantur, aut promittuntur, quia ipse solus inter alios omnes Apostolos iam primatum obtinebat? Idem supra videmus in Cyrillo, dicente; Vt princeps caputque cæterorum, primus exclamauit, Tu es Christus, &c.] Petrus itaque primus est, & princeps, & caput, etiam ante confessionem. Necessitate igitur compellimur primatum indagare Petri, qui ei competebat antequam aut [k] Petra ædificandæ Ecclesiæ factus fuerit; aut claues ac-

E ceperit; aut [l] curam pastoralem.

h Aug. in Psal. 108.

i Augus. Tra. 124. in Ioan.

k Matt. 16.

l Ioan. 21.

VI.

Certè inæqualitas aliqua inter Apostolos, & maioritas quodammodo ac minoritas, interdum obseruata reperitur: nam & Paulus [m] abundantius cæteris se laborasse pro Christo testatur. Et comparat se cum [n] magnis Apostolis. Magnus autem non est nisi cum respectu ad paruum: Magnos fortasse intelligit vndecim, respectu aliorum Discipulorum ad Apostolatum vltra illos duodecim assumptorum: aut magnos vocat Petrum, Iacobum, & Ioannem, qui [o] videbantur columnæ esse; & de quibus asserit quod videbantur esse aliquid: quibus verbis certe innuitur aliqua differentia inter illos: inter quos, maiores & minores fuisse plane fatetur idem Paulus, dum ait: [p] Nihil enim minus fui ab ijs, qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum.] De hac quacunque inæqualitate audiamus Chrysostomum, dum præponit probitatem signis, verbis illis differentem; [q] Petro quoque non dixit, Si me amas signa fac, sed pasce oues meas; cumque ipsum cæteris præponeret, cum Iacobo simul atque Ioanne, propter signa forsan proponebat? Ab omnibus certè

m 1. Cor. 15.

n 2. Cor. 11.

o Gal. 2.

p 2. Cor. 12.

q Chrysost. hom. 47. in cap. 13. Matt.

pariter leprosi mundabantur, mortui suscitabantur, omnibus enim æqualiter potestas fuit concessa. Vnde igitur tres illi anteponebantur?] Et alibi; [a] Haud æque idem Beatis omnibus in Dei Regno honos habebitur; siquidem neque Discipulos Christi inter se pares omnes fuisse constat: tres enim erant qui cæteris præstarent, quos inter distare etiam videbatur; quippe cum Deo vel minima quæque acriori sunt curæ: [b] Astrum enim ab astro differt gloria: Tametsi Discipuli omnes pro Apostolis haberentur; vniuersique sint super sedes duodecim consessuri; palamque sit & sua singulos reliquisse, cum Christo & vitam duxisse singulos: qui tamen cum esset orandi gratia secessurus, tres secum sumpsit, alioquin hos inter neminem præstare asserit, cum dicit: [c] Sedere enim ad dexteram meam aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus à Patre paratum est. Item & Petrum reliquis præfert dicens, Petre amas me plus his? Ioannes autem præter cæteros ab eo colebatur.] Et rursum alibi; [d] Nam Petrus, Iacobus, ac Ioannes, hæc, vt aiebant, non prohibebant (*circumcidi*) cum essent inter Apostolos primæ dignitatis, cumque cum Christo fuissent versati.] Et Victor Antiochenus: [e] Hi tres, *inquit*, Petrus, Iacobus, & Ioannes, tanquam Coryphæi, primas inter Apostolos obtinebant.] Augustinus etiam hæc habet: [f] Petrus autem, & Iacobus, & Ioannes honoratiores in Apostolis erant; quia ipsis tribus se in monte Dominus ostendit, in significatione Regni sui, cum ante sex dies dixisset, [g] Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in Regno Patris sui.]

a *Chrysost. ser. de præmijs sanct.*
b 1. *Cor.* 15.
c *Luc.* 22.
d *Chrysost. in epist. ad Gal. in.* 110.
e *Victor. Antioc. in Marc.* 9
f *August. in epist. ad Gal.*
g *Matt.* 16.

VII. Considerent hæc Monarchici, & videant an Patres isti agnouerint maximum illum & absolutum Petri Principatum, seu suprematum; qui in his comparationibus, nullam prorsus tanti Principatus rationem habuerint, aut fecerint mentionem, vbi tamen Prælationes, ex quocunque capite poterant, inter Apostolos quærebantur. Obseruarunt nihilominus differentias aliquas, quæ nonnullas inæqualitates inter Apostolos constituerent, vt constat ex dictis; non tamen vllæ erant ex parte potestatis, & iurisdictionis, sed ex quibusdam personalibus prærogatiuis & virtutibus; absque vlla tamen inter ipsos vera, & propria subiectione; ex quibus personalibus prærogatiuis, seu præeminentijs, inuenio ego Petrum primatum aliquem, citra tamen Principatum potestatiuum, & Iurisdictionalem, esse consecutum; nimirum ex ætate, ordine vocationis, amoris feruore, & proprijs virtutibus: vnde factum est, vt aliquo modo primas inter Apostolos retineret.

VIII. De ætate facile concedent omnes, Petrum, & Andream ipsius fratrem, cæteros omnes Apostolos præcessisse. Et quamuis Epiphanius, [h] Petrum fratre suo Andrea iuniorem fuisse asserat; non defuerunt tamen, vt autor est Baronius, [i] qui contrarium tradiderint: etsi Baronius magis in hoc sibi audiendum Epiphanium putat, quàm alios, cur mihi non liceat magis alijs credere, quàm Epiphanio? Quis enim diem natiuitatis horum duorum fratrum notatum vidit? Quis interrogauit eorum parentes? Accipiamus nos dictum Hieronymi; [k] dum quærens quare Christus assumpserit Petrum, vt esset ille vnus, cui in typum tantùm vnitatis, vt schismatis tolleretur occasio, Præfectura traderetur; & non potius Ioannem, quem adeo diligebat; respondet hoc pacto: ætati delatum est; quia Petrus senior erat; ne adhuc adolescens, ac pene puer, progressæ ætatis hominibus præferretur.] Video sane hoc loco Hieronymum asserere, Petrum ætate Ioannem longe superasse; non propterea, inquies, hinc colligi Petrum etiam alios omnes ætate præcessisse. Dico valde probabile hoc videri, & quasi necessarium; nam Petrus, vt primus Apostolorum honoratus est, & non Ioannes, propter grauiorem ætatem; certe cum pariter honoratus fuerit supra etiam Iacobum, & cæteros omnes, ob ætatem pariter id factum potest meritò censeri; cum præsertim de solo Andrea sit dubium, num fuerit Petro senior; & nihilominus hoc ipsum nonnulli asseruerint contra Epiphanium, nempe Petrum adhuc Andrea seniorem fuisse. Iccirco omnes etiam prorsus Apostolos iuniores Petro fuisse, facile potest, nec immeritò, affirmari: & consequenter prima ratio, & causa cur Apostoli omnes Petro libenter vt seniori detulerint, eo modo quo fratres natu minores, maximo natu libenter deferunt, hinc redditur satis manifesta. Cassianus de Petro hæc habet: [l] Primum decuit respondere; vt idem esset ordo responsionis, qui erat honoris: & ipse antecederet confessione, qui antecedebat ætate.] Et Chrysostomus [m] didrachmum pro Petro solutum fuisse asserit, quia & ipse erat, sicut & Christus, primogenitus. Si primogenitus, ergo senior quàm Andreas.

h *Epiphan. hær.* 51.
i *Baron. tom.* 1. *an.* 31. *num.* 23.
k *Hieron. lib.* 3. *in Ioan.*
l *Cassian. de incarn. lib.* 3.
m *Chrysost. in Matt. hom.* 59.

IX. Eos tamen turpiter errare, ait Baronius, qui propterea primatum Petro putant collatum, quod cæteris esset senior.] Sed quomodo quæso, turpis potest esse error illud asserere,

A ferere, quod præter Casianum & Chrysostomum, Hieronymus, si non expresse asseruit, in illud tamen maxime inclinare cernitur? Quodque alios contra Epiphanium ipsemet [a] Baronius sensisse confitetur? Certe etiam Chrysostomus tursum Petrum propter primatum ætatis, fuisse à Paulo in precio habitum, testatur illis verbis; [b] Cum nihil (*Paulus*) opus haberet Petro, nec illius egeret voce, sed honore par esset illi, nihil enim hic dicam amplius; tamen ascendit velut ad maiorem, ac seniorem.] Si igitur Paulus, maximus sane & ipse Apostolus, tantum defert Petro, propter ipsius ætatem, vt longo itinere ad eum inuisendum, vti maiorem & seniorem, laborauerit; cur alij omnes Apostoli eidem propter ingraueſcentem etiam ætatem plurimum non deferrent?

De ordine vocationis neminem habemus qui sese nobis opponat; omnes enim facilè concedunt ad Apostolatum primum omnium Petrum fuisse a Christo vocatum, & admissum. Quamuis enim [c] Andreas primus cœperit Christum libenter audire, isque Petro fratri Christi sequelam persuaserit; nihilominus vbi de perfecta adhæsione ad latus Christi agi cœptum est, prior [d] Petrus Christo adhæsit; imò omnium primus. Vnde Epiphanius. [e] Occursus enim, *inquit*, Andreæ primus contigit, cum minor esset Petrus tempore ætatis: Postea enim rursus quando perfecta renunciatio facta est, ipse fratrem suum præcesit.] *Item*, [f] Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum.] Et Cyprianus [g] Petrum dicit esse primum quem Dominus elegit.] Et Clemens, siue quicunque ille sit; [h] Petrus, *inquit*, qui fuit primitiæ electionis Domini, primus Apostolorum.] Hilarius quoque, [i] Petrus, *inquit*, primus credidit, & Apostolatus est Princeps.] Procul dubio quia primus adhæsit Christo, & in eum credidit. Et Gregorius de Petro loquens ait; [k] Non ad memoriam reuocat quod primus in Apostolatum vocatus sit.] Et quemadmodum Paulus ab Hieronymo dicitur [l] nouissimus in ordine, primus in meritis; ita à contrario sensu quia Petrus primus fuit in ordine vocationis, hinc primatum hunc ordinis inter alios est consecutus. Quo etiam [m] Augustinus respexit quando dixit, Beatus Petrus, primus Apostolorum; Beatus Paulus nouissimus Apostolorum.] In quo ergo Paulus nouissimus, in eo Petrus primus; nempe in ordine vocationis. Et Cyrillus; [n] responsio ei committitur, quia ordine maior erat.] Hinc tamen non sequitur, vt quia ordine primus est, & vocatione, primus item sit in potestate & iurisdictione; Ait enim Chrysostomus; [o] Verum ordinis duntaxat honos est verbum id, primum; neque enim superiores partes in hoc obtinet (*Iudeus supra Græcum*) quod maiorem iustitiam acceperit: sed in hoc solum honoratur quod primus eam acceperit.] Et Paulo post. Igitur hoc loco, primũ, verbi honos est; non gratiæ abundantię.] Primitas ergo hæc, secundum Chrysostomum, nescio quid honoris secum fert, non potestatis; quem solius honoris, non potestatis primatum, seu prælationem, tribuit Petro, quando ait: [p] Petrum cum dico, Petram nomino indemobilem, crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum Discipulorum, primum vocatum, & primum obedientem.]

Non latuit Augustinum hic Petri primatus, in ordine vocationis; ait enim; [q] Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe vnus respondit pro omnibus, vnus pro multis dedit responsum, vnitas in multis. Et paulo post: In illo ergo vno Apostolo, id est, Petro in ordine Apostolorum primo, & præcipuo; in quo figurabatur Ecclesia, vtrunque genus significandum fuit, id est firmi, & infirmi; quia sine vtroque non est Ecclesia.] Quid mirum igitur si, qui primus erat in ordine inter Apostolos, veluti primus vocatus, hinc etiam interdum caput diceretur? Certe Gregorius ex hac ordinis primitate, Capitis nomenclaturam libenter posuit; vbi Nicænam Synodum, respectu aliarum trium generalium illam subsequentium primam, caput earum vocat. Sic enim ait; [r] Nam & nos præcedentes patres sequi debemus, qui, autore Deo, à sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes, vsque ad quartum altaris Ministrum, hanc formam seruandam agnoscimus; vt sicut minorem maior præcedit in honore, ita &c.]

Prioritatem hanc & posterioritatem ratione ordinis, ex vocatione inter Apostolos, considerauit optimè ante hos etiam Tertullianus; vbi de Luca Euangelista loquens, sic ait; [s] Porro Lucas, non Apostolus, sed Apostolicus; non magister, sed discipulus; vtique magistro minor; certè tanto posterior quanto posterioris Apostoli sectator; Pauli sine dubio.] Quis non videt hic rationem haberi tantummodo temporis vocationis? Quia enim Paulus nouissimus est vocatus à Christo ad Apostolatum certè Lucas erit hoc nomine, inferior Marco, quippe ille discipulus vltimi Apostoli Pauli: hic vero discipulus

a *Baronius tom. 1. ann. 31 n. 24.*
b *Chrysost in Ep. ad Gal.*

X.

c Ioan. 1.
d Matth. 4. & Luc. 5.
e *Epiphan. Hær. 51.*
f *Epiph. in Ancorato.*
g *Cyprianus ad Quirinum, seu Quintinum, seu Quintum.*
h *Clemens Ep. 1. ad Iacobum fratrem Domini.*
i *Hilarius in Matth. can 7.*
k *Gregorius lib. 2 sup Ezech. Homil. 18.*
l *Hieron Ep. 13 ad Paulinum Augustin. ser. 47. de SS. Petro & Paulo.*
m *Cyrill. l. 4 in Ioan. c. 28.*
n *Chrysost. in Ep ad Rom. Homil. 2*
o *Chrysost de Ioan Hom. 9.*
p

XI.

q *August ser. 13 de Verbis Domini.*

r *Greg. Ep. 53. lod. 2. lib. 7.*

XII.

s *Tertul l. 4. aduersus Marcionem.*

primi Apostoli Petri. Sed quamuis Marcion hinc detraheret fidem Euangelio Lucæ; docet tamen Tertullianus illum decipi; quia Pauli autoritas, & certitudo quam habebat de suo Euangelio, maximè post [a] collationem habitam cum Apostolis, fidem plenam conciliabat Euangelio Lucæ, Pauli discipuli. Aduerte quæso obiter, Lector, ex hoc Tertulliani loco confirmari egregie ea quæ supra docui; Apostolos propriè neque esse, neque dici nisi illos, qui cum Iesu conuersati, ad prædicandum fuerunt ab eodem destinati. Si quidem negat Tertullianus Lucam & Marcum fuisse Apostolos, quamuis fuerint Apostolorum immediati Discipuli; & Euangelium non modo prædicauerint, sed etiam scripserint, à tota Ecclesia prædicatum, & acceptum: non fuerunt enim ex Christi familiaribus.

a Gal. 2.

XIII. Ex hoc primatu ordinis, & vocationis, nec non ætatis simul, illud consecutus est Petrus, vt inter reliquos Apostolos locum haberet quasi Decani inter Cardinales, & primogeniti inter fratres. Quis verò ignorat primogenitos, vbi hæreditas ad solos primogenitos non spectat, hoc est, maximos natu, habere quandam prælationem inter fratres; fraternam quidem, non despoticam, neque Iurisdictionalem; nam solo honore primogenitus, & fortasse aliqua superintendentia, quantam ipsi fratres ei permittunt, & concedunt, in regimine domus, & hæreditatis, solet præcedere, mortuo seu absente Patre, reliquis omnibus in optima ætate consistentibus. Ita [b] Ruben primogenitus inter filios Iacob, hoc pacto alloquitur suos fratres, quando Ioseph perierat, apud Chrysostomum: [c] Puer non comparet, ego quo ibo? Qualem habebimus defensionem, & maximè ego, qui vobis præesse videor?] Non dissimili ratione Episcopalem propriam prælationem comparat idem Chrysostomus prælationi primogeniti inter fratres; dum ait: [d] Omnes enim nos fratres sumus, vnus autem est noster magister. Quanquam & inter fratres fas est vt vnus præscribat, ac cæteri obtemperent.] Quod inter veros fratres non fit, nisi de eorum voluntate, & consensu; quia reipsa etiam cum primogenito, in omnibus sunt, iure ordinario, omnes pares, sola excepta ætate, & honore ætati debito, ac præcedentia primogenituræ: propter quam præcedentiam Chrysostomus Petrum discipulorum vocauit [e] Antesignanum, [f] eximium, & Coryphæum: & Cyrillus in illa verba Petri; [g] Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes? ita scribit; [h] Per vnum qui præerat, omnes respondent; sanctam profecto, sanctisque congruentem disciplinam optimè conseruantes; & posterioribus prudentiæ, atque modestiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confusè, nec prosilientes impudenter, quasi rapta vti oratione: sed cedere ijs, qui & consilio, & ordine præpositi sunt. Propterea Paulus quoque ait: [i] Prophetæ duo aut tres, & vicissim loquentur Opus igitur erat diuinitus comprobatæ prudentiæ soli responsionem committere illi, qui ordine maior est.] Hæc Cyrillus. Quid mirum itaque si in sacro textu Euangelico, alij Apostoli dicantur esse cum Petro, siue circa Petrum? vt cum dicitur, [k] Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant.] Et, [l] Cum Iesus comprimeretur à turba, & mulier tangeret fimbriam vestimenti eius, ait Iesus, Quis est qui me tetigit? Negantibus omnibus dixit Petrus, & qui cum illo erant, &c] Et in monte transfigurationis, [m] Petrus, & qui cum illo erant, grauati erant, somno.] Nam Petrus tanquam primogenitus, & maximus natu inter Apostolos, erat veluti eorum dux, & caput.

b Genes. 37.
c Chrysost. hom. 61. in cap. 37. Genes.
d Idem Chrys. hom. 3. in Act. Apost.
e Idem hom. 1. in epist. ad Rom. init.
f Idem hom. 87. in Io.
g Ioan. 6.
h Cyrill. lib. 4. c. 28. in Ioan.
i 1. Cor. 14.
k Marc. 1.
l Luc. 8.
m Luc. 9.

XIIII. Virtutum quoque excellentia, & præsertim charitatis, dedit Petro primatum inter Apostolos. Vt enim ait Augustinus in ea Pauli verba; [n] Venit Iesus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum; [o] Ante Paulum non erant peccatores? Certe vel ipse Adam ante omnes, & plena peccatoribus terra deleta diluuio, & deinceps quam multi? Vnde verum est, ego primus sum? primum se dixit, non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine: magnitudine peccati sui, vnde se primum dixit peccatorum; quomodo dicuntur inter aduocatos, verbi gratia, primi: primus est iste, non quia plures annos habet ex quo causas agit, sed quia ex quo cæpit, cæteros superauit] Ita in nostro proposito Petrus primus meritò dicetur, quia cæteros virtute, & potissimum charitate erga Christum superauit. Et sicut idem Augustinus alibi dicit; [p] Mariã Domini matrem, principatum inter mulieres tenuisse,] non certe potestatis, nec Iurisdictionis; sed dignitatis, & in virtutibus excellentiæ: Ita Petrus eiusmodi principatum inter Apostolos tenuisse est dicendus. Hinc illud Hieronymi, [q] Vt Plato, *inquit*, fuit princeps Philosophorum, ita Petrus fuit Apostolorum.]

n 1. Tim. 1.
o August. Ser. 10. de verb. Apost.
p August. Ser. 136. de temp.
q Hieron. adu. Pelag. l. 1.

XV. Eum verò charitate omnes superasse, ex Euangelio est notissimum; vbi ter interrogatus à Christo, [r] Petre, amas me plus his? Quod & à Petro minime negatur; & vt Christo notissimum supponitur: Signa verò huius insignis charitatis, & maximi feruoris sunt

r Ioan. 21.

in

A in Euangelio plurima; vt quando ad Christum properans, moræque impatiens misit se bis in [a] mare; quando [b] exerto gladio, Christum liberare nitebatur: [c] Hinc etiam Petri promissiones illæ audaciores, & exhibitiones ad mortem proficiscebantur; sicut & [d] reluctatione à Christo lauaretur; & alia permulta, de quibus ita Hieronymus; [e] In omnibus locis, *inquit*, ardentissimæ fidei inuenitur Petrus. Interrogatis discipulis quem homines dicerent Iesum, Dei filium confitetur. Volentem ad passionem pergere prohibet, & licet erret in sensu, tamen non errat in affectu, nolens eum mori, quem filium Dei fuerat paulo ante confessus. In montem cum saluatore inter primos primus ascendit, & in passione solus sequitur. Peccatum negationis, quod ex repentino timore descenderat, amaris statim abluit lachrymis. Post passionem, cum essent in lacu Genezareth, & piscarentur, & Dominus staret in litore, alijs paulatim nauigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus ependyte suo, statim præcipitatur in fluctus. Eodem igitur fidei ardore, quo semper, nunc

B quoque cæteris tacentibus, credit se posse facere per voluntatem magistri, quod ille poterat per naturam; Iube me venire ad te super aquas: Tu præcipe, & illico solidabuntur vndæ: leue fiet corpus quod per se graue est.] Et Ambrosius; [f] Vidit cum piscaretur, *inquit*, sed non vidisse contentus, impatiens desiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reuerentiæ, vbi dominum vidit in litore, veste se texit, serum æstimans si cum cæteris nauigio perueniret. Sic cum in mari Dominus ambularet super vndas maris, naturæ suæ oblitus, occurrit. Sic cum à Iudæis dominus teneretur, aduersum turbas gladium solus exeruit; sic & nunc, cum Dominus stetisset in litore, periculoso compendio religiosum maturauit obsequium. Et Cyrillus, [g] Præueniebat, *inquit*, alios Petrus: ardore namque Christi præcipuo feruens, & ad faciendum, & ad respondendum paratissimus erat: vnde tarditatem modo nauigij videns, tunica succinctus in mare exilijt: Et quando Saluator discipulos interrogauit dicens, quem me dicunt homines esse?

C cum iterum post responsionem ab eis quæreretur: vos autem quem me dicitis esse? vt princeps, caputque cæterorum, primus exclamauit, Tu es Christus filius Dei viui. Hic Malchi etiam aurem amputauit, putans hoc modo Magistro semper se inhæsurum. Meritò igitur eum dominus interrogauit, si plus eum cæteris dilegeret. Et id tertio.] Meritò itaque, vt supra vidimus, dicebat etiam Chrysost. [h] Tres illos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, alijs præpositos, à virtute & magnitudine animi; quæ sane magnitudo animi, ab intento amore proficiscens, in Petro emicuit singulariter.] Nam & de ijsdem tribus magnis Apostolis postea iterum loquens idem Chrysostomus sic ait: [i] Tu vero Matthæi Philosophiam considera, qui non celauit nomina eorum qui præpositi fuerunt; quod & Ioannes sæpiùs facit, cum eximias Petri laudes verissimè ac diligentissimè describit. Nullum enim in hoc Apostolorum consortio liuor, aut inanis gloria locum habebat. Primos igi-

D tur Apostolorum seorsum assumpsit, & adduxit in montem, &c. Quamobrem hos accipit? quia excellentiores alijs videlicet erant. Et Petrus quidem, quia valde Christum diligeret, idcirco præstabat, &c.] Tria illustria habet Chrysostomus his locis. Primum, Apostolos in Apostolatu omnes esse æquales. Secundum, inæqualitatem inter ipsos personalem admitti, in excellentia virtutum, & præmij magnitudine. Tertium, Petrum omnibus præponi in vehementia amoris. Quartum verò, & maximi momenti, tu Lector si placet collige; nimirum, in Petro primatum illum Monarchiæ huic Doctori præstantissimo fuisse incognitum. Siquidem in his comparationibus præeminentiarum inter Apostolos, etiam cum Petro collatos, de hoc primatu ne minimam quidem facit mentionem; sed tres alijs præfert. Vbi ergo solius Petri prælatio?

Habemus itaque ex Chrysostomo excellentiam Petri, in Christo amando, fuisse celebrem, & notissimam; quam ego posui inter alias causas personales, ex quibus Petrus inter

XVI.

E alios excelluerit, & primatum tulerit. Propter quam amoris excellentiam, idem Chrysostomus illa præterea dixit; [k] Iussit vt in dexteram [l] rete iacerent; iecerunt & ceperunt. Cùm autem eum cognouissent, proprios mores referunt Petrus & Ioannes: Ille feruentior, hic altior erat; ille vehementior, hic perspicacior: Ideò Ioannes prior agnoscit Iesum, Petrus sed eum prior properauit.] Hoc etiam est quod sibi volebat Eusebius supra à me allatus, dum dicebat, [m] Prouidentiam Dei hunc fortem ac præpotentem reliquorum omnium Apostolorum, propter virtutis amplitudinem, facilè principem (Petrum) Romam deduxisse.] Accedat his Bernardus: [n] Nunquid posuit ibi in exemplum Discipulis lilium castitatis Ioannem, vel rosam charitatis Petrum, qui & tunc præsentes erant, (*quando* [o] *paruulum aduocans statuit in medio eorum*) quorum prior ab ipsis nuptijs, vt asseritur, voca-

a Matth.14. Ioan.21.
b Matth.26. Ioan.18.
c Matth.26.
d Ioan.13.
e *Hieron.lib.2. in Matth.c.14.*
f *Ambros.lib. 10.in cap.24. Luc.*
g *Cyrill.in Io. lib.12.c.64.*
h *Chrysost.hom. 47.in Matth.*
i *Chrysost.hom. 57.in cap.17. Matth.*
k *Chrysost.hom. 86.in Ioan.*
l Ioan.21.
m *Euseb.lib.2. hist.c.13.*
n *Bern.tract. de pass.Dom. c.17.*
o Matth.18.

tus fuit, & electus à Domino; sequens verò trina confessione Domino benigno Iesu, cui mentiri non potuit, perfectæ charitatis affectum, contestatus est? sicut enim Ioannes de speciali prærogatiua castitatis, ita Petrus de feruentiori charitate commendatur.] Et rursum alibi: [a] Dixerat Dominus Petro, Antequam gallus cantet, ter me negabis; qui omnibus erat sanctitate præstantior, amore deuotior, fide robustior.]

a Bern. Serm. 6. in cen. Dom.

A

XVII. Hic charitatis feruor, atque hæc vocationis primogenitura, & ætatis prælatio, primum etiam effecerunt Petrum Christi fidei prædicatorem. Statim enim accepto Spiritu Sancto; [b] Stans Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem, &c.] Vnde Chrysostomus, Antiochenam Vrbem laudans, dixit: [c] Sicut Petrus inter Apostolos primus Christum prædicauit: sic inter ciuitates hæc prima, tanquam coronam quandam admirabilem, Christianorum tulit appellationem: & Petrus agit causam omnium, primus Verbum Dei prædicat, qui primus est omnium, &c.] Egit porrò Petrus causam omnium, vti primogenitus ex fratribus; dum calumniam de [d] ebrietate & musto abstergit, qua omnes Apostoli à Iudæis impetebantur. Sed hoc totum fuit aliquid personale; neque adhuc habemus verum Petri primatum, quo iurisdictione & autoritate Apostolis præstet. Hi enim, propter prædictas personales Petri prærogatiuas, libenter, nec immeritò, ei plurimum deferebant; & vt primum sequebantur; sæpeque eum publicam omnium causam, tanquam omnium seniorem, & primo vocatum, agere voluerunt, aut agentem libenter audierunt. Vt propterea non sit reprehendendus ille, qui Epistolas Anacleti Papæ composuit, dum ait; [e] Petrus ligandi atque soluendi potestatem primus accepit à Domino; primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit: Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque Principem eorum esse voluerunt.] Hæ antiquæ Epistolæ, etiamsi illorum Pontificum quibus ascribuntur vix esse credantur, vt alibi differemus, sunt tamen satis antiquæ, & ad oppugnandas Romanas traditiones, non ad confirmandas validæ: Hæc sanè primatum Petri ex ordine vocationis, & feruore charitatis, ac prædicationis, & delatione voluntaria Apostolorum totum petendum esse nobis tradiderunt. Sicut enim inter fratres vnus, qui est maximus natu, regit post mortem patris totam familiam, & domum, facit omnes contractus, emit, vendit, locat, exigit, &c. sed semper nomine omnium fratrum, cum quibus ipse par omninò est in toto iure hæreditatis, totoque patrimonio; neque habet vllum verum in cæteros fratres dominium: Ita Petrus, vel viuente adhuc & superstite Domino, vti maximus natu, & primus in ordine vocationis, adde virtutum excellentiam, potissimùm charitatis, & feruoris, præeminentiam inter fratres eiusmodi habuit, vt & honore præcederet, primasque in multis agendis, dicendisque ferret; & omnium loco, ac nomine plurima ageret, tanquam omnium procurator generalis, frater maximus, & plenus repræsentator. Quod infra pluribus, suis locis, persequamur.

B

C

D

d Act. 2.

e Anaclet. Epi. 2. Inhæret c. In nomine. Dist. 21.

XVIII. Cur itaque Petrus, & non alius ex Apostolis ad hoc assumptus fuerit, vt omnium vices sæpius repræsentaret; & multa, primaria quadam autoritate ageret, aut diceret, in primatum ipsius referunt Patres; quia nimirum primus erat ætate, vocatione, ac virtute. Imò hunc ipsum illius primatum, tanquam causam affert, vt supra vidimus, & [f] Augustinus [g] cur idem Petrus Ecclesiæ figuram gestauerit: & Ambrosius atque Cyrillus, Cur primus Christi Diuinitatem fuerit confessus. Vos autem quid me dicitis? statim loci nõ immemor sui (inquit Ambr.) primatum egit: primatum confessionis vtique, non honoris; primatum fidei, non ordinis.] *Et postea*: [h] Hic est ergo Petrus, qui respondit præ cæteris Apostolis, imò pro cæteris; & ideò fundamentum dicitur, quia nouit non solùm proprium, sed etiam commune seruare.] Quia enim iam primus erat inter Discipulos, & eorum quasi primogenitus, & omnium procurator atque repræsentator, idcircò primus facit illam confessionem fidei, loco omnium, & pro omnibus. Tantum igitur abest vt confessio Petri causa fuerit ipsius primatus autoritatiui, vt volunt nostri Neoterici; Vt ad mentem antiquorum Patrum, confessio illa potiùs dicenda sit effectus, vt explicatum est, quàm causa primatus: nam planè etiam ostendimus Petrum iam fuisse suo primatu potitum; quando interrogatio illa facta est à Christo, [i] Quem dicunt homines esse filium hominis? Et illa, [k] Vos autem quem me esse dicitis?

f Aug. in Psal. 108.
g Ambr. Tract. 104. in Ioan.
h Idem de Incarnat. cap. 4.
i Mat. 16.

E

XIX. Totum porrò hunc primatum Petri hactenus expositum, & à nobis confirmatum, fuisse personalem in Petro, non videtur esse ambigendum; sicuti & causæ ipsius primatus non erant nisi personales; adeò Petri propriæ, vt non possent vllo modo à Petro alteri communicari, vel ad alterum transire; vt quod erat ætate omnibus senior; quod fuerat primus

A mus vocatus, & factus Apostolus; quod virtute, præsertim charitatis, maximè excelleret; atque adeò quòd vti primogenitus, & procurator reliquorum Apostolorum, ac totius Ecclesiæ repræsentator esset institutus. Atque hunc solum primatũ conuincunt, & non alium maiorem, plurima diuinæ Scripturæ, & sanctorum Patrum loca, quæ postea recensebimus. Quoniam verò primatus huiusmodi, Monarchiam non constituit, vt per se est notissimum, & optimè stat cum omnium Apostolorum plena, & æqua regendæ Ecclesiæ autoritate, Monarchici ex eo nihil habent. Iam verò videndum est, an aliundè Petri primatum illum absolutum, & potestatiuum colligant, quo Petrus emineat solus, & factus fuerit à Christo Ecclesiæ solus Monarcha, & solus ipsius Vicarius Generalis.

B

CAP. VI.

¶ *Consideratur locus ille, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Matt. 16.*

Summa Capitis.

Primum & maximum Monarchiæ Ecclesiasticæ fundamentum à Monarchicis proponitur hic locus Euangelij, num. 1. 2.

Ad Petrum verba illa directè & proximè dirigi conceditur, num. 3.

Petra an in sensu spirituali allegorico sit accipienda explicatur num. 4. 5. 6.

C *Petram illam Christum significare ex Catholicis Patrum interpetationibus traditur num. 7. 8. 9. 10. 11.*

Petra significat fidem quoque de Christi Diuinate quam Petrus confessus est, seu ipsam confessionem Petri, à num. 12. ad num. 22.

Quomodo Petrus potuerit esse Petra & fundamentum, disputatur, à num. 23. ad num. 30.

Reuelatio Petro nullum dat primatum, à num. 31. ad num 35.

Petri lapsus infirmitatem Petræ ostendunt, num. 36.

Nulla fundamenti ratio in Petro, quæ sit ipsius propria, reperitur, à num. 37. ad num. 49.

Vera Ecclesiæ ædificatio explicatur, num. 50.

Mutatio nominis Petri, quid mysterij & priuilegij contineat exponitur, num 51. 52.

D

VErum, proprium, absolutum, & maximum Petri primatum, quo solus omnes Apostolos superauerit, vt confirment Monarchici nostri Theologi Neoterici, innumera cogunt Diuinæ Scripturæ loca; ex quibus dictum primatum Diuino Iure ad Petrum pertinere ostendant. Caietanus tamen totam huius quæstionis vim de Petri, & consequenter de Pontificis Romani primatu, in duobus sacri Euangelii locis dicit consistere. Ait enim; [a] quia verò ex Sacris Literis pendet omnis quæstionis huius veritas; & duo sunt præcipuè textus, scilicet Matthæi 16. & Ioan. vltimo, expressè de hoc mysterio loquentes; ideo primò, iuxta vtrumque textum, inuestigandum est, an soli Petro verba Christi dicta sint: & an per hæc soli Petro Pontificatus totius Ecclesiæ à Christo sit commissus.] Ita Caietanus. Quod sane adeo verum est, vt quicunq; Romanã tuentur Hieromonarchiam, nihil sæpius in ore habeant, quàm, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et tibi dabo Claues Regni cœlorum. Et, Pasce oues meas. Quid igitur his locis ac dictis intendatur; quid fiat; quid & cui committatur; est nobis iam exquisite indagandum. Et si his locis Christus Monarchiam non instituit, in alijs minoribus non erit multum laborandum; siquidem Caietanus Monarchicorum Dux ex præcipuis; in his solis totam vim consistere fateatur.

I.

E

a *Caietanus tract. de Rom. Pont. Instit. cap. 1.*

Primus & maxime insignis locus, ex quo Petri primatus solet colligi, Diuino iure, hoc est Christi institutione in ipsum collatus, est in Euangelio, vbi interrogat Dominus Discipulos suos, [b] Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et respondentibus alijs, variasque hominum de Christo opiniones referentibus, denuo interrogat eos. Vos autem quem me esse dicitis? Tunc Petrus statim erupit in verba illa nobilissimæ confessionis Diuinitatis Christi, Tu es Christus Filius Dei viui. Rependit ei vices Christus, & ait

II.

b Matth. 16.

Digitized by Google

& ait; Et ego dico tibi quia Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.] Hic iam nos Romani sistere solemus, & dicere: Petrum à Domino designari pro fundamento totius Ecclesiæ, quæ debeat eidem inniti; quemadmodum ædificium innititur fundamento: hoc est, ipsum Petrum solum designari in Rectorem, & Vniuersalem totius Ecclesiæ, qui illam debeat, suo visibili regimine, sustentare; sicut fundamentum sustentat totam domum. A

III. Fuerunt nonnulli,[a] qui, vt locum hunc Monarchicis eriperent, ad Petrum in sua specialitate illum non pertinere asseuerauerunt: & Christum hoc loco directe Petri personam non alloqui, sed vel omnes Discipulos; vel omnes qui sunt Bar-Iona, hoc est Filij columbæ, hoc est fideles in gratia; vel omnes quibus Pater reuelat filium; vel omnes qui fide Diuinitatis Christi imbuti, illam confitentur, censuerunt. Sed certe verba Christi adeo sunt arctata, & voculis indiuiduantibus ad vnum Petrum directa, vt nefas sit ea à Petri persona diuellere, & directe ad alios dirigere. Ideo enim Christus dicit, Beatus es Simon Bar-Iona; nominat eum nomine proprio, & cuius filius sit is cum quo loquitur, explicatè profert. Et ego dico tibi, subdit; tecum enim qui es Simon, & quem Petrum vocandum decreueram, loquor: quia tu es Petrus. Quid plura? Certissimum est Christum cum Petro directè, & proximè loqui, cum illo eodem qui ex suo feruore dixerat; Tu es Christus Filius Dei viui. Sed tamen nomen illud Petræ, varias habet interpretationes, & explicationes, ex quibus locus totus maximè obscurus redditur, & perplexus. B

a *Apud Cocc. tract. de Rom. Pont. Inst. l. 2.*

IV. Quatuor affert sententias Bellarminus,[b] quarum primam dicit esse Catholicorum communem; secundam Erasmi; tertiam Caluini; quartam Lutheri: neque video cur tres posteriores sententias maluerit tribuere Erasmo, Caluino, & Luthero, quàm Catholicis Patribus in Ecclesia etiam Romana celeberrimis: nisi forte ad terrendos omnes suos Catholicos, vt terrore solo in suam omnes pelliceret opinionem; vt cum ipso omnes qui Catholici sumus, & ab ijs qui nobis pinguntur pro hæreticis abhorremus, Monarchiæ Romanæ subscriberemus. Erasmum dicit sentire, omnem hominem fidelem esse hanc petram, super quam Ecclesiam ædificandam esse Christus pronũciat. Certe Origenes sic scribit; [c] Quod si nos quoque locuti quod dicit Petrus, Tu es Christus filius Dei viui; tanquam non accepta huius reuelatione à carne & sanguine; sed luce cordi nostri illucescente, à Patre qui in cœlis est efficimur Petrus; & nobis dicetur quod hunc sermonem sequitur, Tu es Petrus &c. Petra est enim quisquis Christi Discipulus est, ex quo [d] biberunt de spirituali consequenti Petra: & super talẽ Petram constructur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundum hanc, vitæ institutio. In vnoquoque enim perfecto habente congregationem eorum, qui complent beatitudinem verborum factorum, & sensuum, est quæ à Deo ædificatur Ecclesia.] Quid igitur nobis Erasmum obiectat, vbi autorem habemus Origenem? C

b *Bellarm. lib. 1 de Rom. Pont. c. 10.*

c *Orig. tract. 1. in Matth.*

d 1. Cor. 10.

V. Sed, *inquit Bellarminus*, Origenem hunc locum allegorice exponere, & non ad literam, quod Erasmus contendit.] Ego tamen puto Origenem etiam literaliter locum exponere; non tamen eo sensu, quo & ipsum Bellarminus intelligit, & Erasmum asserit sentire; nimirum ad literam sermonem Christi esse de quacunque Petra spiritualiter intellecta, id est, de quocunque fideli cum Christo per gratiam, & fidem communicante. Sed Origenes, *quicquid sit de Erasmi sensu*, præmisso quasi præambulo quodam ferme allegorico, supra à nobis allato, Petram debere intelligi quemcunque Christi Discipulum, qui biberit de consequenti Petra Christo, suam prosequitur orationem subiungens; [e] Quod si super vnum illum Petrum tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam; quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui, & Apostolorum vnoquoque?] Applicat igitur Origenes id quod in communi videbatur allegorice dixisse, reliquis Apostolis: non quòd cum Petro solo directe non loqueretur Christus; sed quòd, id quod directe Petro dictum est, etiam in alijs Apostolis fuerit æque atque in Petro verificatum, vt intendit Origenes. Quæ ipsius sententia eadem est cum communi, de qua nobis erit postea differendum. D

e *Orig. tract. 1. in Matth.*

VI. Et quamuis spiritualis & mystica tantùm esset hæc interpretatio Origenis, non tamen erat sub Erasmi nomine referenda: nam præter Origenem etiam Ambrosius ad mysticam hunc locum reduxit interpretationem; [f] Quem me dicunt esse turbæ? Qui carnem, *inquit*, vicerit, Ecclesiæ fundamentum est: & si æquari Petro non potest, imitari potest.] Mysticas tamen, siue allegoricas interpretationes, ad rem nostram non esse libenter assentior; sed tamen Origenes non videbatur mystice purè loqui; sed literaliter; de quo Origenis loco nos iterum postea. E

f *Ambr. in Luc. c. 9. lib. 6.*

g *Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. c. 10.*

VII. Tertia apud Bellarminum [g] sententia circa nomen Petræ, quid directe significet, eo loci, vbi

A vbi Christus dicit, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, est Christum ipsum per Petram significari, & huius sententiæ autorem facit Caluinum. Nihilominus audiamus ante omnia alios, à quibus didicit Caluinus Catholicam sententiam; didicit Bellarminus multa; discimus & omnes [a] Augustinus; Tu es Petrus; Simon quippe ante vocabatur, *inquit*, Hoc autem nomen ei vt Petrus appellaretur à Domino impositum est. Et hoc vt ea figura significaret Ecclesiam. Quia enim Christus Petra, Petrus populus Christianus: Petra enim principale nomen est, ideo Petrus à Petra, non Petra à Petro; quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es, ergo, inquit, Petrus, & super hanc Petram quam confessus es; super hanc Petram quam cognouisti; dicens, Tu es Christus filius Dei viui; ædificabo Ecclesiam meam: id est super me ipsum filium Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te; non me super te.] Et alibi, idem

B Augustinus; [b] Vnde & Petrus nomen accepit; non enim à Petro Petra; sed Petrus à Petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei viui; super hanc igitur Petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam; [c] Petra enim erat Christus; super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus; [d] fundamentum quippe nemo aliud potest ponere, præter id quod positum est; quod est Christus Iesus.]

Sed, *inquiunt*, Augustinus hæc sua dicta retractauit. Nam loquens de libro contra epistolam Donati ait; [e] In hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia; qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus

C beatissimi Ambrosij; vbi de gallo gallinaceo ait; Hoc ipsa Petra Ecclesiæ Canente, culpam diluit; sed scio me postea sæpissime sic exposuisse quod à Domino dictum est; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; vt super hanc Petram intelligeretur quem confessus est Petrus dicens, Tu es Christus filius Dei viui; ac si Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur, & accepit claues Regni cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu es Petra, sed tu es Petrus: [f] Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector.] Hoc certe non est retractare, vt patet: nam Augustinus potius se retractaturum priorem sententiam innuit, & in posteriorem multo magis inclinat. Ignorauit, *inquiunt* [g] *Iansenius*, [h] *Bellarminus*, *&* [i] *Baronius*, vocem Syriacam Augustinus; nam tu es Cephas, & super hanc

D Cepham significat idem, ac si Latine diceremus, Tu es Petra, & super hanc Petram &c.] Esto autem ignorauerit Augustinus & cum ipso alij grauissimi viri etiam non Africani, paulo post afferendi, vocem Cephæ, si tamen ipsius interpretatio, licet cum tali vocis ignorantia, præiudicasset primatui Petri, ipse certe hoc sciuisset; & animaduertisset eius interpretationem esse contra fidem; si de fide sit Primatus Petri, vt nostri insulsè contendūt, in illis verbis fundatus, aut saltē declaratus; Tu es Cephas; abstinuisset profecto a tali interpretatione, vbi nomine Petræ Christum significari dixit: & hanc omnino retractasset, & expunxisset; neque arbitrio lectoris permisisset, ne Petro præiudicaret, & fidei. Cum tamen nihil tale meruerit, plane constat, non Caluinum, sed Augustinum in hoc loco, Tu es Petrus &c. nullum agnouisse Petri primatum fundari aut declarari. Certe Sanderus, vt ostendat contra fidem non esse illam interpretationem, qua Petrus dicitur nomine Petræ

E significari, non Christus, sic argumentatur: [k] Illud ergo primum ex Augustini iudicio certum est, probabilem sententiam esse, vt ipse Petrus credatur illa petra esse, super quam Dominus promittit se Ecclesiam suam ædificaturum. Verè igitur credidit Augustinus non repugnare fidei Christianæ, vt in Petro, velut in petra fundari Ecclesia credatur; alioquin nunquam tassus esset illam sententiam esse probabilem, quæ veram fidem oppugnaret.] Quanto maiorem hoc argumentum vim habet in ea interpretatione, quæ petra Christum dicit significari, & non Petrum. Hæc enim Augustino semper placuit; & illam de Petro propemodum retractauit: quod si alteram fidei repugnantem agnouisset, nunquam eandem vt probabilem, imò vt longe alterâ probabiliorem, proposuisset.

Sed ante Augustinum Hieronymus, Syriacæ linguæ perituissimus, & non Africanus; à quo etiam nostri Monarchici suam interpretationem ditauerunt; dixit nihilominus; [l] Nullane fuit alia in toto orbe prouincia, quæ reciperet præconium voluptatis, in quam colubet tortuosus irreperet; nisi quam Petri doctrina, super Petram fundauerat Christum?] Rursum alibi. [m] Super Petram hanc, *ait*, Dominus fundauit Ecclesiam: ab hac petra

a *Aug. Ser. 13 de ver. Dom.*

b *Aug. tract. 124. in Ioan.*

c 1. Cor. 10.

d 1. Cor. 3.

VIII.

e *Aug. lib. 1 Retract. c. 21.*

f 1. Cor. 10.

g *Iansen. in sua concord. c. 66.*

h *Bellarm. lib. 1. de Rom. Pon. c. 10.*

i *Baron. tom. 1. An. 31. num. 24.*

k *Sanderus de visib. Monar. lib. 6. c. 3.*

IX.

l *Hier. lib. 2. adu. Iouin.*

m *Hieron. lib. 1. in Matth. cap. 7. & in Isa. c. 54.*

petra Apostolus Petrus sortitus est nomen, *id est, à Christo*, super hanc petram non inueniuntur serpentis vestigia. De hac Propheta loquitur confidenter, [a] Statuit supra petram pedes meos, & in alio loco, [b] Petra refugium leporibus, siue herinacijs:] Hæc omnia ad Christum spectare nemo ignorat.] Sed vis clariùs adhuc audire Hieronymum loquentem? [c] Fundamentum, *inquit*, quod Apostolus Architectus posuit, vnus est Dominus noster Iesus Christus: super hoc fundamentum stabile, & firmum, & per se robusta mole fundatum, ædificatur Christi Ecclesia.] Cyrillus Alexandrinus, considerans illa verba: *Isa. 33. Hic habitabit in excelsa spelunca petræ fortis*: [d] Quinimo, *inquit*, consentaneum est his verbis vocari Dominum nostrum Iesum Christum, in quo, tanquam spelunca quædam, vel ouium stabulum, Ecclesia intelligitur, habemus tutum & inconcussum, ita vt benè sit domicilium: Tu es enim, inquit Seruator, Petrus, & super hanc petram, &c.] Beda. [e] Super hanc petram, id est, Saluatorem, *inquit*, quem confessus es.] Tarasius Constantinopolitanus: [f] Quandoquidem, *inquit*, video & considero, super hanc petram, Christum Deum nostrum, fundatam Ecclesiam, &c.] Et Glossa interlinearis; Super hanc petram Christum, inquit, in quem credis.]

a Psal. 39.
b Psal. 103.
c Hieron. ibid.
d Cyril. lib. 3. in Isa. cap. 33.
e Beda in Mat. cap. 16.
f In 7. Syn. Gen. act. 1.

X.

Petrum porrò à petra, hoc est à Christo, vocabulum hoc sortitum esse, dictum est ferè commune Patrum. In primis Hieronymi. Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. [g] Quod vocabulum, *inquit*, à nomine Domini deriuauit.] *Item*, [h] Non solùm Christus petra, sed & Apostolo Petro donauit, vt vocaretur Petra.] Longè ante ipsum Tertullianus, [i] Mutat, *inquit*, & Petro nomen de Simone, quia & Creator Abrahæ, & Saræ, & Auseæ nomina reformauit; hunc vocando Iesum, illis syllabas adijciendo: sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ materiæ solidæque nomen de suo accommodarent. An quia & petra, & lapis Christus? Siquidem legimus positum eum esse in lapidem offendiculi, & petram scandali. Omitto cætera. Itaque affectauit carissimo Discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare, puto propriùs, quàm de non suis.] Augustinus etiam ita scribit; [k] Quando (*Petrus*) in Deo laudabat sermonem, non Sathanas, sed Petrus à petra.] Et, [l] petra ergo pro deuotione Petrus dicitur; & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus, [m] Bibebant autem de spirituali petra, rectè consortium meretur nominis, quia consortium meretur & operis.] Ambrosius, seu potiùs Prosper Aquitan. loquens de Petro, ait; [n] Hæc fortissima petra, ab illa principali petra, communionem accipit nominis, & virtutis.] Ambrosius non semel. Ait enim [o] petra autem erat Christus, etiam Discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit; vt & ipse sit Petrus, quod de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem.] *Item* [p] Quis ignoret hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem virtutis sumpsit, & nominis?] *Item*, [q] Rectè igitur, quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, vt qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis Dominici vnitatem: vt sicut à Christo Christianus, ita & à petra Christo, Petrus Apostolus vocaretur.] Affirmat hoc ipsum Gregorius, [r] Firmitatem, *inquit*, mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur.] Leo primus, & ipse Petri nomen ad petram Christum reduxit, dicens; [s] Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus, &c.] Et rursum, [t] Cùm ergo (*Christus*) sit inuiolabilis petra; tamen, & tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris.] Et rursum alibi. [u] Catholicæ fidei petra, cuius cognomen beatus Apostolus Petrus sumpsit à Domino.] Et Beda, [x] Super hanc petram, *inquit*, à qua tu nomen accepisti; hoc est, Super me ipsum ædificabo Ecclesiam meam.] *Item* infrà, de Christo petra loquens, ait, A qua & primus Pastor Ecclesiæ nomen accepit.] Et alibi, [y] Fideli confessori, sui nominis participium donauit.] Nicolaus etiam primus [z] Petrum à firmitate petræ, quæ Christus est, dictum deducit. Gregorius sept. [a] Petrum à firma petra dictum asserit.] Hos sequitur Innocentius tertius; [b] Sicuti, *inquit*, à Christo petra dictus est Petrus, ita etiam à Christo capite vocatus est caput.] His addamus ipsos etiam Monarchicos, Gratianum, dum ait, [c] Petrum quasi in summum Sacerdotem elegit, dum ei præ omnibus, & pro omnibus, claues Regni cælorum tribuit, & à se petra, Petri sibi nomen imposuit.] Et Alphonsum de Castro, qui sic scribit; [d] Nomen siquidem Petrus à petra deriuatum esse videtur, vt cum Christo iuxta Paulum vocetur petra, conuincitur inde Petro tale nomen fuisse datum quod nomini Christi simillimum foret, & quod à Christi nomine derivationem acceperit.] Hi sanè omnes dum Petrum à petra, id est à Christo, nomen habuisse contendunt; proculdubio per illa verba, *super petram*, vix consentire possunt significari super Petrum, si Petrus

g Hier. lib 17. in Isa. cap. 62.
h Idem lib. 3. in Hier. cap. 16.
i Tertul. lib. 4. cont. Marcion.
k Aug. in Psal. 55.
l Idem Ser. 16. de Sanctis qui est 2. de Casted. Petri.
m 1. Cor. 10.
n Prosper lib 2. de vocat. gen. cap 28.
o Ambr. lib. 6. in Luc. cap. 9.
p Idem lib. 2. de vocat gent. cap. 9.
q Idem Serm. 84.
r Greg. Epi. 37. lib. 6. Indict. 15
s Leo Epist. 93. ad Episc. Vienn.
t Leo Serm. 3. in Assump. sua ad Pont.
u Leo Epist. 66.
x Beda Homil. in Vigil. S. And.
y Idem in Mat. 16.
z Nic. 1. Epist. 2
a Greg 7 lib. 8 Epist. 70.
b Innocen. 3. lib. 12. epist. 79.
c Dist. 22. § Decretis
d Alphons. de cast. lib. 12. in her V. Papa.

A si Petrus Petrus non est, nisi à petra qui est Christus. Saltem hi omnes in Petri, seu petræ, si vis, hoc est, Cephæ nomine, deuotionem Petri, atque constantiam, & Christi in eum amorem, qui de proprio suo nomine illum appellauit, colligunt, & agnoscunt: Monarchiam verò in Ecclesiam, ac supremum Petri Dominium non agnoscunt.

XI.

Faciat nunc [a] Bellarminus huius interpretationis autorem Caluinum; certè Caluinianam doctrinam habuerunt Augustinus, Cyrillus, Hieronymus, & alij singularia Ecclesiæ Catholicæ lumina. Baronius verò, & ipse suo censorio stylo, sola Grammatica, instructus dicat; [b] Ex his quidem solida firmaque veritate constantibus, redarguuntur, qui minùs cautè, sciteque dixere, non dictum esse Petro, Tu es petra; sed Tu es Petrus; quod scilicet petra esset Christus, quem confessus Simon dictus sit Petrus: [c] Eosque insigniter decipi ignorantia vocis Syriacæ, qui Petrum non esse petram, sed à petra deductum esse existimarunt.] Minus ergo caute, & minus scitè scripserunt, & insigniter, non sine [d] amentia, decepti sunt, Baronij supremi Arbitri iudicio, Augustinus, Hieronymus, Cyrillus, Beda; tum verò etiam Tertullianus, Ambrosius, Gregorius, Prosper, Leo, cum tot alijs; quibus cum mallem ipse desipere, quam cum Baronio, totâque reliquâ Monarchicorum Scholâ contra illos sapere. Sed loci propositi dilucidationem prosequamur.

a Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10.
b Baron. tom. 1. an. 31. n. 24.
c Baron. tom. 1. an. 33. n. 19.
d Ibid. nu. 21.

B

XII.

Quartam sententiam, seu expositionem loci huius, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; dicebat [e] Bellarminus esse Lutheri, & Centuriatorum, aliorumque eiusdem ordinis: nimirum fidem, seu fidei confessionem esse Petram, de qua dominus hoc loco loquitur. Sed hanc interpretationem non displicuisse sanctissimis, & doctissimis patribus; imò eam interdum fere omnes esse secutos, facilè est ostendere. Hilarium primum audiamus; [f] Super hanc igitur confessionis Petram, Ecclesiæ ædificatio est.] Et

e Lib. 1. de Ro. Pont. c. 10.
f Hilar. de Trinit. lib. 6.

C paulo post; Hæc fides Regni cœlestis habet claues; Hæc fides quæ in terris soluerit, aut ligauerit, & ligata sunt in cælis, & soluta; Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum; per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum, &c.] Prius verò dixerat; [g] Vnum igitur hoc est immobile fundamentum; vna hæc est fœlix fidei Petra, Petri ore confessa, Tu es Christus filius Dei viui: tanta in se sustinens argumenta veritatis, quantæ peruersitatum quæstiones, & infidelitatis calumniæ mouebuntur.] *Item:* Petrus filium Dei confessus, ob hoc beatus est. Hæc reuelatio Patris est; hoc Ecclesiæ fundamentum; hæc securitas æternitatis est.] Gregorius Nyssenus sic loquitur; Petra fidei Christus, tanquam fundamentum, vt ipse Dominus ait ad principem Apostolorum, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: super confessionem videlicet Christi, quia dixerat, Tu es Christus filius Dei viuentis.] Epiphanius, Fundamentum Ecclesiæ facit Pe-

g Idem lib. 2. de Trinit.

D tri confessionem. Locum habes infra, num 50. Et Victor presbyter Antiochenus, iam sic scripserat: [h] Quia Christus Dominus supra Petram, hoc est, supra infractam, sanamque Petri doctrinam, inconcussamque eiusdem fidem Ecclesiam suam ædificaturus, &c.] Cyrillus; [i] Petram opinor nihil aliud, quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocauit.] Augustinus, [k] Ibi nominauit Petram, & laudauit firmitatem Ecclesiæ in ista fide.] Item alibi, [l] Videte quæ laudes prosequantur hanc fidem; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quid est ædificabo super hanc petram Ecclesiam meam? Super hanc fidem, super id quod dictum est, Tu es Christus filius Dei viui; super hanc petram, *inquit*, fundabo Ecclesiam meam.] Chrysostomus eandem sequutus interpretationem; [m] Super hanc, *inquit*, petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, fidem & confessionem.] Ambrosius, [n] Fundamentum Ec-

h Victor Antioch. in Marc. cap. 8.
i Cyrill. l. 4. in Isa. orat. 2.
k Aug. tract. 7 in Ioan.
l Idem tract. 10. in ep. 1. Io. & serm. 13 de verb. dom.
m Chrys. hom. 55. in Matth. & serm. de Pentecost.
n Ambr. lib. 6. in Luc.

E clesiæ fides est.] Gregorius, [o] Est locus apud Deum, videlicet sanctæ Ecclesiæ vnitas, in qua super Petram statur, dum confessionis eius humiliter soliditas tenetur.] Item alio loco; [p] In petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur; quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit. De qua soliditate Dominus dicit, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] *Item:* [q] Vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est, in confessione Petri Apostolorum Principis, solidate.] Damascenus, Petrum alloquens sic habet; Tu es Christus: hæc est fides recta & inconcussa super quam Ecclesia est firmata, ex qua digne cognomen accepisti.] Beda quoque sic scribit: Super hanc fidei perfectionem, quam tu confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.] Theophylactus; [r] Quia, *inquit*, confessus est Petrus ipsum filium Dei, dicit Dominus hanc confessionem quam confessus est, fundamentum futurum fidelium: ita vt omnis homo conditurus domum fidei, hanc confessionem fundamenti loco sit substraturus, &c.] [s] Ionas Aurelianus Episcopus, ante octingentos circiter annos: Multi, *ait*, & penè omnes petram,

o Greg. ep. 53. lib. 7. Ind. 2.
p Idem lib. 35. Moral. c. 7.
q Idem lib. 3. ind. 12. ep. 33.
r Theophylact. in hunc locum.
s Ionas de cultu imag. lib. 3.

tram, super quam ædificatur Ecclesia, fidem intelligunt beati Petri, quæ communis est, totius Ecclesiæ, videlicet eam quæ paulò ante promissionem hanc præcesserat; id est, Tu es Christus filius Dei viui; & huic petræ superædificandam Ecclesiam suam Dominus promisit.] A

XIII.

Ex alijs quoque Romanis Pontificibus præter Gregorium superius allatum, habemus non paucos hoc ipsum scriptis suis confirmantes. Eutychianus (prout ei tribuitur) ait: [a] Vnum igitur hoc immobile fundamentum &c repetit dictum Hilarij paulò ante recensitum.] Leo magnus [b] sic scribit: Quoniam, sicut dixi, Catholicæ fidei petra (cuius cognomen Beatus Petrus Apostolus sumpsit à Domino) nullum recipit ab vtraque impietate vestigium.] Felix 3. [c] Christum sic loquentem inducit: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis; & super ista confessione ædificabo Ecclesiam meam.] Adrianus 1. [d] Quid enim præstabilius (inquit) quidue clariùs, & omni religione deuotius, quam B. Petri primi pastoris Ecclesiæ, fœlici confessione prolatæ fidei, tenere fundamentum? Fundamentum, (inquit magister gentium) aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Huius nimirum fundamenti immobilis soliditatem Beatus Petrus, non carne & sanguine, sed Patre reuelante de cœlo confitendum declarauit, cum refutatis quorundam opinionibus quid in discipulorum animis fides operaretur cunctorum cognitor exploraret, solus pro se & pro omnibus, & pro vnitate vnus, testimonium fidei perhibuit dicens, Tu es Christus filius Dei viui, qui mox confessionis præmium, nulla interueniente mora, adeptus, & cœli ianitor, & ligandi soluendique arbiter factus est animarum: statimque dominus, Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Super hanc, inquit, petram, quam confessus es, & à quo vocabuli sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei Ecclesiam meam ædificabo.] Nicolaus primus sic suam orditur Epistolam ad Imperatorem Michaelem primam; [e] Principatum itaque diuinæ potestatis, quem omnium conditor electis suis Apostolis largitus est, super solidam fidem Apostolorum principis, Petri videlicet, soliditatem constituens, eius egregiam, imò primam sedem deliberauit. Nam voce dominica ipsi dictum fuerat, Tu es Petrus, &c. Petrus denique à firmitate petræ, quæ Christus est, structuram vniuersalis Ecclesiæ inconcussam, & fidei robore solidatam, ita precibus suis munire non cessat, vt &c.] Ioannes item octauus hoc pacto scripsit ad Imperatorem; [f] Vt, Deo nostro clementer auxiliante, potentiæ vestræ brachio triumphali, Ecclesiam Christi voce supra Petram veræ fidei fundatam, tueri semper, & ab inani crudelique Paganorū infestatione, pio mentis defenderetis intuitu.] Stephanus 6. [g] Catholica, *inquit*, Christi & Dei nostri Ecclesia, fundata super firmam petram, Apostoli videlicet Petri confessionem.] Innocentius 2. Sic suam exorditur Epistolam, quam ad Gallicanas direxit Ecclesias, & eam dictauit Bernardus Clareuallensis; [h] Testante Apostolo, sicut vnus Deus, vna fides esse dignoscitur; in qua tanquam immobili fundamento, præter quod nemo aliud potest ponere, firmitas Catholicæ Ecclesiæ inuiolata consistit; inde est quod Beatus Petrus Apostolorum princeps, pro eximia huius fidei confessione, audire meruit, Tu es, inquam, Beatus Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Petram vtique firmitatem fidei, & Catholicæ vnitatis soliditatem manifestè designans.] His adde Glossam Decreti: [i] Per hanc dictionem *super hanc Petram*, non credo, *inquit*, Dominum aliud demonstrasse, quàm hæc verba quæ Petrus respondit, Tu es Christus filius Dei viui. Quia super illo articulo fidei fundata est Ecclesia; ergo super se ipso fundauit Deus Ecclesiam.] Patres quoque concilij Suessionensis anno Domini 909. celebrati, ita loquuntur: [k] Quæ Ecclesia Catholica, cum generaliter ab vno capite Christo supra Petram, id est, super confessionem Petri sit ædificata, &c.] B C D E

a *Eutych. epist. 1. tom. 1. par. 1.*
b *Leo epist. 66. tom. 1. par. 2.*
c *Felix epist. 3. tom. 1. par. 2.*
d *Adrian. epist. 4. tom. 2.*
e *Nicol. epist. 2. tom. 3.*
f *Ioan 87. act. epist. 54. tom. 3.*
g *Apud Baron. tom. 10. ann. 886. num. 26.*
h *Apud Bernard. ep. 194.*
i *Gloss. in c. ita Dom. dist. 19.*
k *Apud Baron. tom. 11. ann. 909. num. 6.*

XIV.

Potuissem plurima adhuc Sanctorum Patrum loca afferre; in quibus super Petri confessionem Ecclesiam fundatam esse asserunt: abstinui tamen; quoniam Monarchici illa effugiunt huiusmodi data distinctione; nimirum; [l] Fidem siue confessionem, duobus modis posse considerari: Vno modo absolute secundum se, ac sine relatione ad personam Petri: Altero modo cum relatione ad Petrum. Priore modo videntur (*inquit Bellarminus*) velle aduersarij fidem esse fundamentum Ecclesiæ; sed certe falluntur. Si enim ita esset, non diceret Dominus super hanc petram ædificabo; sed ædifico, vel ædificaui Ecclesiam meam. Iam enim multi crediderant eum esse Filium Dei viui; vt priscі Prophetæ; Beata Virgo; Simeon; Zacharias; Ioannes Baptista; Apostoli; & Discipuli cæteri.]

l *Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10.*

A teri.] Itaque & fidem, & confessionem intelligunt in Petro, & petram dici Petri confessionem, id est Petrum propter fidem & confessionem. Propterea illa tantum loca protuli in quibus vix fit coniunctio fidei, seu confessionis, cum Petro; sed vbi videtur fides & confessio sumi veluti separata; absque ordine & relatione ad Petrum. Quanquam etiam vbi ipsa confessio Petri, esse dicitur petra fundamentum Ecclesiæ; vix possit intelligi cum coniunctione, & aggregato fidei & Petri; nam fides in Petro vel est ratio finalis cur Petrus sit fundamentum; & sic vbique vbi erit illa fides, & illa confessio, erit fundamentum: per accidens verò est quod sit in Petro: perinde igitur erit fides & confessio Petra in Petro, ac si non sit in Petro; & si quis dicat fidem Petri esse Petram, idem est ac si dicat, fidem illam quam Petrus tunc confessus est, fuisse petram Ecclesiæ, vbicunque illa tandem sit. Vel Petrus ipse est petra, & fundamentum; fides verò & ipsius confessio
B fuit conditio tantum, sine qua Petrus non fuisset petra. Sed tunc locutio esset valde impropria; vt si dicas, Fides & confessio Petri, est petra: hoc est; Petrus est petra, sed simul cum fide: Sicut si quis diceret, Philosophia Aristotelis est fundamentum totius Scholæ Peripateticæ; quis non videt ex vi locutionis hîc separari doctrinam ab Aristotele; cuius doctrina, secluſa iam omnino persona, est fundamentum scholæ, seu sectæ Peripateticæ; neque huic dicto quadraret sensus, si quis ipsum glossaret hoc pacto; Aristoteles propter suam doctrinam est fundamentum scholæ: Hoc enim falsum est, si quis personam includat Aristotelis, & non separet ab eo eius doctrinam; sublata enim Aristotelis persona, schola eius tota rueret, si persona etiam cum adiuncta sibi doctrina esset fundamentum scholæ, & tamen non ruit; rueret autem sublata eius doctrina, etiamsi ipse Aristoteles incolumis permaneret..

C Sed quicquid sit de hoc, certe loca quæ protuli, cum non habeant adiunctum Petrum, de fide, & confessione absolutè, & sine relatione ad personam Petri, erunt intelligenda; alioquin non sine violentia magna flecti possunt, vt per fidem & confessionem intelligatur, ex vi verborum, Petrus fidelis, & confitens. Dicebat supra Augustinus, Super hanc fidem, super id quod dictum est.] Hic apparet manifesta separatio fidei, & confessionis, ab ipso Petro fidem confitente; & clarius alibi expressè fidem separat à Petro, dum [a] ait; Super hanc petram quam cognouisti dicens, Tu es Christus Filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam; id est, super me ipsum Filium Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam; super me ædificabo te; non me super te.] Hic locus Augustini legebatur in Ecclesijs nostris, in octaua Petri & Pauli, tempore Concilij Constantiensis, sub Eugenio quarto; vt testis est Antonius de Rosellis in sua Monarchia, par. 2. cap. 1. Sed quia non placuit il-
D le nostris Romanis, lectiones illas secundi nocturni, quę hunc locum continebant, ex Romano Breuiario abstulerunt; tametsi die præcedenti ex eodem sermone iam abrupto, & decurtato, nec absoluto, lectiones secundi nocturni adhuc habeantur: Sermonem verò quendam apocryphum, sub Ioannis Chrysostomi nomine currentem, ipsa die octaua supposuerunt. In his verò Breuiarij potius deformationibus, quàm reformationibus, quia bonam fidem desideramus, meritò scandalum datum patimur. Gregorius in Moralibus, vt supra dicebat; Nisi quis fidei soliditatem tenuerit, Diuinam præsentiam non cognoscit.] Certe soliditas fidei hic sumitur separata à Petro; vt per se patet; & tamen Gregorius ibi asserit de hac soliditate intelligi verba illa Domini; super hanc petram ædificabo, &c. Bernardus verò, siue Innocentius, apertissime facit hanc separationem in Epistola paulò ante relata; ait enim, In fide firmitatem & soliditatem Ecclesiæ Catholicæ collocatam,
E & hanc fidem, quam dixit esse illam petram super quam ædificanda erat Ecclesia, dicit esse tunicam Christi inconsutilem, contra quam fremuerunt gentes, &c. Quæ profecto fidei alligatæ Petro nullo modo conueniunt; sed bene separatæ à Petro: vnde & eam defensam asserit ab Apostolis, & Apostolicis viris; & non dicit à Petro.

Ac vt melius adhuc distinctionem illam esse merum subterfugium ostendamus, affero nouum Ambrosij locum, subterfugium hoc nullo modo admittentem. Ait enim; [b] Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum; non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non prævalebunt: sed confessio vincit infernum; & hæc confessio non vnam hæresim excludit: Nam cum Ecclesia multis, tanquam bona nauis, fluctibus sæpe tundatur, aduersum omnes hæreses debet valere Ecclesiæ fundamentum.] Videsne, Lector, ab Ambrosio expresse negari petram ibi ad personam Petri referri? Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, &c.] Nemo, puto, dubitabit per carnem, suppositum ipsum, seu personam, atque individuum, intelligi. Vidit locum Baronius:

XV.

a *Aug. serm. 13. de verb. Domini.*

XVI.

b *Ambros. de Incar. c. 5.*

cui hanc apposuit expositionem. [a] Hanc idcirco Ambrosius de carne Petri, & de fide Petri habet distinctionem; ne videretur cum Petro etiam interijsse Ecclesia: cæterum non nisi ex fidei confessione eam Petrus prærogatiuam promeruit.] Sed hæc expositio videtur satis frigida, & nullius momenti. Habet enim Ambrosius contradistinctionem huiusmodi: non loquitur (*ait*) de Petri carne; sed de fide: dubitari enim poterat num de Petro ipso, an de ipsius fide intelligi deberet id quod à Christo promittebatur verbis illis, & portæ inferi non prævalebunt, &c. Ac respondet; non de Petri carne, sed de fide illa intelligi: quomodo verò formabitur contradistinctio ad mentem Baronianæ expositionis? Dubitabitur enim an promissio illa Christi fiat Petri carni, id est Petro soli durante duntaxat ipsius vitâ; an verò etiam successoribus, & toti Ecclesiæ: responderi verò; etiam successoribus, & toti Ecclesiæ illud promitti; ne videretur cum Petro etiam Ecclesia interitura. At verò Ambrosij verba huiusmodi dubium non tolerant; in altero enim membro non ponuntur successores, aut Ecclesia, quod vera contradistinctio requireret, si Baronij expositio vera esset: sed ponitur fides: at verò hæc non contradistinguuntur inter se, Petrus durante suâ vitâ; & fides ipsius: sunt enim disparata, neque sibi inuicem per vllam oppositionem correspondent. Et reuera Ambrosius ibi nihil cogitabat de perpetuitate Ecclesiæ; sed tantum de eo cui tunc competebat illa promissio.

a Baronius Tom. 1. ann. 33. n. 25.

A

B

XVII. Dices dubium Ambrosij esse de illa sola promissione Christi; Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam,] cuinam competat: hoc est verbum illud (*eam*) referaturne ad Petram, id est, Petrum in persona sua; an verò ad confessionem & fidem illam Diuinitatis Christi, quam Petrus professus fuerat: non autem dubium supponi ab Ambrosio de promissione illa, ædificabo Ecclesiam meam, cui competat. Respondeo, tractatum quem tunc Ambrosius præ manibus habebat, postulasse considerationem firmitatis Ecclesiæ, in resistendo aduersarijs potestatibus; quo spectabat promissio illa, & portæ inferi non prævalebunt, &c. Quod si promissio hæc fortitudinis, & soliditatis, in resistendo, dirigitur ad fidem Petri, excludendo carnem, & personam Petri; certe etiam promissio (*ædificabo*) ad eandem fidem, ad mentem Ambrosij, spectabit, exclusa persona Petri; cum promissio hæc fundamenti sit primaria, resistentiæ verò secundaria, & ad illam consecutiua; & quo dirigebatur pronomen (*hanc*) eodem dirigitur tam ædificare, quam non prævalere; vtrunque enim æquè ad petram spectat. Si igitur in Ambrosio petra, cui non prævalebunt portæ inferi est fides; fides etiam erit illa super quam ædificatur Ecclesia, cum sit vna & eadem Petra. Fides autem, secluſa carne Petri, id est persona, secundum Ambrosium, petra est resistens: erit etiam necessario petra fundans: Nihil verò me mouet quod idem Ambrosius in quibusdam versiculis petram ipsum Petrum cecinerit; quia vtraque expositio stare potest; & vtraque est probabilis; neque insolitum est quòd idem autor eiusdem loci plures afferat & sequatur expositiones inter se diuersas. Ad hunc tamen Ambrosij locum explicandum, posset vti aliquis Bellarmini quadam distinctione; per carnem intelligi Petrum [b] vt hominem priuatum, non vt Pastorem Ecclesiæ: sed Ambrosius ibi considerabat Petrum iam primatum habentem; dixerat enim, [c] Adhuc taces, cùm ipse sis primus?] *Item* Petrus respondet pro cæteris; & ideo fundamentum dicitur, quia nouit non solum proprium, sed etiam commune seruare.] Igitur considerat eum vt personam publicam, in quantum posset esse publica. Et in illo nihilominus distinguit carnem, & fidem. Præterquam quod reuera, nondum erat verè Pastor, [d] nam post resurrectionem factus est Pastor, secundum omnes. Frustra ergo distinguitur in priuatam & publicam personam; vbi nondum est factus persona publica, id est Pastor, vt nostri volunt, vniuersalis.

C

D

E

b Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. cap. 10.

c Ambros. de Incar. c. 4.

d Ioan. 21.

XVIII. Exclusio hæc personæ Petri, in eo dũ fides & confessio ipsius ponitur petra ædificij Ecclesiæ, semper plurimum placuit Augustino; qui & ipse necessario debet personam Petri à fide ipsius separare: ædificatio enim Ecclesiæ super quandam petram, est res maximè illustris; & tamen Augustinus dixit, [e] Quædam dici de Petro, quæ ad ipsum proprie pertinere videantur; ea tamen nullum habere illustrem intellectũ, nisi cum ad Ecclesiam referuntur.

e Aug. in Ps. 108.

XIX. Si Augustinus & Ambrosius non sufficiunt ad tollendum omnem scrupulum ijs qui non libenter audiunt fidem à Petro confessam, absque vlla relatione ad Petrum, intelligi petram illam super quam fundanda erat Ecclesia; addam ipsis adhuc Chrysostomum. Tu es Petrus, & super hanc petram; non dixit (*inquit Chrysostomus*) super Petrum, non enim super hominem, sed super fidem, ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu

f Chrysost. serm. de Pentec. Tom. 3.

es

A es Christus filius Dei viui : Petram vocauit Ecclesiam fluctus suscipientem, & non titubantem : etenim Ecclesia tot suscipit tentationes, non tamen vincitur. Quid est super Petram ? Hoc est super confessionem, super sermones pietatis.] Audisti non super Petrum, non super hominem, sed super fidem, super confessionem : Quid quæris clarius? Lutherus ne, Centuriatores, Smalchaldica Synodus, & similes quos nobis tanquam portenta quedam nominat Bellarminus, erunt huius expositionis autores ; an verò optimi quique, & doctissimi, ac sanctissimi Ecclesiæ Catholicæ Doctores, & Magistri ? Et non erit magna temeritas hanc expositionem aduncо naso respuere ; & inter putatas quisquilias hæreticorum reponere.

XX.

Opposuit Bellarminus huic expositioni (supra) illud dicens : [a] Si ita esset, non diceret Dominus super hanc petram ædifica o, sed ædifico, vel ædificaui Ecclesiam meam. Iam B enim multa crediderant] Sed oppositioni huic facile sit satis, respondendo, sermonem esse de Ecclesia Christi, prout distinguitur à synagoga, de illa videlicet quam Christus Dominus esset fundaturus ; non de illa quæ eius aduentum præcesserit ; cuius licet idem ipse caput esset tanquam venturus, non erat tamen illa ab eo Deo-homine fundata ; neque actu cum ipso desponsata. Neque loquitur de sola Ecclesia sua inchoata ; & nondum à synagoga perfectè separata ; sed de illa quæ esset propriè Christiana Ecclesia, iam sanguine eius abluta, & in baptismate mundata : ea verò non nisi post passionem & Resurrectionem fundari cæpit, & dilatari, vt iam dixi, Catholicos theologos explicare. Vnico nunc Chrysostomo contenti sumus. [b] Duodecim erant, *inquit*, discipuli sequentes ipsum ; & Ecclesiam referebant ; quamuis nullus tunc eam mente conciperet ; siquidem nec nomen Ecclesiæ erat, sed florebat synagoga.] Itaque & Christus, & fides Christi Ecclesiam illam quam meC am dixit Christus post passionem tantum, & resurrectionem ædificauit ; ac ideo dixit Petro, ædificabo, & non dixit, ædifico, vel ædificaui.

a Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. c. 10.

b Chrysost. ad. Gerar. quod Christus sit Deus.

XXI.

Opponit 2. Debet eiusdem generis esse fundamentum, & reliquum ædificium : est autem Ecclesia hominum congregatio, quasi lapidum viuorum ; vt dicitur 1. Pet. 2. Debet ergo petra, quæ est fundamentum, esse etiam aliquis homo, non aliqua virtus.] Quasi verò quispiam ponat pro fundamento Ecclesiæ fidem in concauo lunæ, vel alibi, à suo subiecto separatam, & nudam per se, tanquam accidens sine subiecto. Fidem illam ponunt Patres fundamentum quam fuit confessus Petrus etiam secluso Petro : hoc est fidem Diuinitatis Christi, in hominibus existentem ; & ab hominibus amplectendam, & confitendam, fundare, & fundaturam Ecclesiam. [c] Lapides enim illi viui, ratione fidei quæ sit in ipsis, non in Petro ; ædificium conflant Ecclesiæ. Hæc enim est metaphora, & non proD pria locutio : quæ in aliquo quadrat ; in alio nequaquam. Vnde ineptè quæritur vera ratio fundamenti ; & vera ædificatio : In vera enim ædificatione, posito fundamento, super ipsum alius lapis superponitur, & super illum alius, & sic deinceps, vsque ad fastigium : non ita in Ecclesia ; ea enim crescit & ædificatur, non per superimpositionem horum lapidum viuorum ; sed per solam coadunationem, & cohærentiam ; nec quidem localem, sed spiritualem, per consensum in eadem fide. Similitudo verò seu metaphora ædificij in eo consistit, vt sicut fundamento hærent reliqui lapides, & ab eo sustentantur in illa vnione, & cohærentia ; ita Ecclesia, hoc est fideles, in fide vna & eadem innixi, inter se retinent cohærentiam & vnionem ; qua fide sublata, concidunt ex ædificio illi qui cum cæteris fidelibus sola fide, & eandnexis cohærebant. Hoc autem neque de Petro, neque de vllo homine potest verificari. Imò omnino contrarium sequeretur, si homo esset fundamentum EcE cleliæ : non enim fideles qui faciunt Ecclesiam, inter se sunt vnum, quia vni Petro, vel alteri homini adhærent ; Hinc enim schismata, & diuisiones illæ, [d] Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ : sed sunt vnum, quia in vna fide conueniunt, in qua & Petrus & Paulus, & Apollo pariter conueniunt : & in vno corpore concordiæ mutuæ glutine, (vt loquitur Cyprianus) copulantur. Non ergo fides est tantum fundamentum iustificationis, & omnium virtutum, quod opponit ibidem Bellarminus ; sed etiam est fundamentum proximum, & verum vnionis & cohærentiæ inter fideles, quæ vnio & cohærentia facit illud [e] corpus perfectissime compaginatum, & cohærens pulcherrima membrorum distinctione, quod est Ecclesia. Quid mirum igitur si tot sapientissimi Patres toties inculcant fidem, & non Petrum, esse Petram, & fundamentum Ecclesiæ ? Certe infra ostendam vix posse explicari, quomodo Petrus sit, aut possit esse, Ecclesiæ fundamentum.

c 1. Pet. 2.

d 1. Cor. 1.

e Coloss. 1.

XXII.

Opponit denique idem Bellarminus Pronomen, *hanc*, referri ad petram : petra verò proximè ; & immediatè esse ipsummet Petrum, non fidem. Sed iam diximus alios per pe-

tram intelligere Christum; à quo Petrus ita denominetur: Erit ergo secundum hos, hic sensus; Tu es Petrus, à me petra ita dictus, & super hanc petram, a qua tu diceris Petrus, ædificabo, &c. Seu sic, Tu es Petrus à fide, & confessione de me facta, quæ est petra, ita denominatus; & super hanc fidem, id est, petram, à qua te Petrum vocamus, ædificabo Ecclesiam meam. Nam, vt inquit Hieronymus, [a] Petrus ex fidei firmitate, nomen accepit. Diximus de tribus expositionibus loci illius celeberrimi. [b] *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* de mystica seu spirituali: De illa quæ petram facit Christum: & de illa quæ petram facit fidem illam, quam Petrus est confessus. Iam dicamus de quarta, [c] quæ in Bellarmino est prima: & ab eo dicitur Catholicorum communis.

Petræ nomine ipsummet Petrum intelligi, & ad ipsius personam, vt erat publica, proximè referri illa Christi verba, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vehementer probant Neoterici, potissimùm [d] Sanderus, [e] Bellarminus, [f] Baronius. Vrgent primùm in hoc nomine Cephas, quod nomen fuit a Christo Domino impositum; atque iam fuit adeò proprium Simonis, vt nulli alteri conueniret, & iam nomen Cephas denotabat singularem Simonis personam. Cephas verò Syriacè, idem est quod petra. Itaque Simon qui Syriacè dicitur Cephas: Latinè dicitur petra. Petrus verò masculino nomine dicitur à Latinis, sed ex vi vocis dicendus esset Petra, quia Cephas petram significat. Dum ergo ei dicitur, Tu es Cephas, & Super hanc Cepham ædificabo Ecclesiam meam; patet petram esse ipsum Simonem: Igitur super ipsum Cepham, id est, super ipsum Simonem, qui iam vocatur Cephas, ædificanda promittitur Ecclesia: quasi dicat Christus, Tu es Petra, & super hanc petram; id est, super te Simonem, quem petram iam voco, & latinè Petrum, ædificabo Ecclesiam meam. Ita prædicti, & diligenter [g] Iansenius: Quem sensum Patres secuti ab his allati, & à me ampliati, de Petro ita loquuntur.

Tertullianus: [h] Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?] Cyprianus: [i] Petrus tamen, super quem ædificata fuerat Ecclesia; vnus pro omnibus loquens, ait, &c.] Item, [k] Super quem (*Petrum*) ædificanda fuerat Ecclesia.] *Item*, [l] Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, potestatem illam dedit, &c.] Et paulò post ibidem: Quo venturus est qui litit? Vtrum ne ad hæreticos, vbi fons, & fluuius aquæ vitalis omninò non est? an ad Ecclesiam, quæ vna est, & super vnum qui claues eius accepit, voce Domini fundata.] *Item* alibi. [m] Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, &c.] Origenes: [n] Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino; Modicæ fidei quare dubitasti?] *Item*, [o] Petro cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut super petram fundaretur Ecclesia, &c.] Hilarius: [p] O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, &c.] *Item*, [q] Petrus cui superius claues cœlorum dederat, super quem Ecclesiã ædificaturus erat, aduersus quem portæ inferi nihil valerent, &c.] *Item*, [r] Post Sacramenti confessionem, beatus Simon, ædificationi Ecclesiæ subiacens, & claues regni cœlestis accipiens.] *Item*, [s] Petro cui superius claues regni cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat.] *Et paulo post*, Petrum primum filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni ianitorem, &c.] *Item*, [t] Adeò vt & firma illa superædificandæ Ecclesiæ petra trepidaret, &c.] Athanasius, [u] Tu es Petrus, & super fundamentum tuum, Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, sunt confirmatæ.] Basilius, [x] Petrus propter fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit.] Nazianzenus, [y] Petrus petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet.] Epiphanius, [z] Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.] *Item*, [a] Petrus à Patre instructus est, certitudinem fidei fundaturus.] Hieronymus; [b] Si igitur Apostolus Petrus, super quem Dominus fundauit Ecclesiam, &c.] *Item*, [c] super illam Petram (*loquitur de Cathedra Petri*) ædificatam Ecclesiam scio.] *Item*, [d] Secundùm Metaphoram petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te] *Item*, [e] Vnde & super vnum montium Christus fundat Ecclesiam, & loquitur ad eam, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.] Chrysostomus, [f] Dominus ait; Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.] *Item*, [g] Eligitur ergo Petrus, super quem fundata est Ecclesia] *Item*, [h] Petrus basis Ecclesiæ.] *Item*, [i] Petrum cùm dico, petram nomino indebilem, crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum Discipulorum, primum vocatum, & primum obedientem.] Cyrillus,

[a] Nec

[a] Hieron. in Epist. ad Tit. cap. 1.
[b] Mat. 16.
[c] Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10.

XXIII.

[d] Sander. de visib. Monarch. lib. 6. cap. 4.
[e] Bellar. de Rom. Pont. lib. 1. c. 10
[f] Baron. Tom. 1. an. 31. num. 24. & seq. & ann. 33. num. 16 &c.
[g] Iansen in ca. 16. Iuæ Concord. c.

XXIIII.

[h] Tertul. lib. de præscript.
[i] Cyprian. lib. 1. Epist. 3.
[k] Idem lib. 1. epist. 4.
[l] Id. in epist. ad Iubaianum in Idem epist. ad Quintum.
[m] Origen. hom. 5. in Exod.
[n] Idem in epist. ad Romanos 5.
[o] Hilar. in Mat. cap. 16.
[p] Idem in Psal. 103.
[q] Idem lib. 6. de Trin.
[r] Idem in Psal. 131.
[s] Idem in Psa. 141
[t] Athan. in Epist. ad Felic. & Basil. in Eunom. lib. 2.
[u] Greg. Nazianz. de mitig. seu in disp. Iulianum in Nicerato.
[x] Idem ibid.
[y] Hier. Epist. 54. ad Marcellam.
[z] Idem Epist. ad Damasum. 24. q. 1. c. Quæram.
[a] Idem in Mat. cap. 16.
[b] Idem in Isa. cap. 2
[c] Chrisost. Hom. 55. in Mat.
[d] Idem Hom. 7. in Marcum.
[e] Idem Hom. 4. in Isa. c. 6.
[f] Idem de Pan. Hom. 9.
[g] Iansen in Concord. c. 66.
[h] Tertul. lib. de præscript.
[i] Cyprian. lib. 1. Epist. 3.
[k] Idem lib. 1. epist. 4.
[l] Id. in epist. ad Iubaianum in Idem epist. ad Quintum.
[m] Origen. hom. 5. in Exod.
[n] Idem in epist. ad Romanos 5.
[o] Hilar. in Mat. cap. 16.
[p] Idem in Psal. 103.
[q] Idem lib. 6. de Trin.
[r] Idem in Psal. 131.
[s] Idem in Psa. 141
[t] Athan. in Epist. ad Felic. & Basil. in Eunom. lib. 2.
[u] Greg. Nazianz. de mitig. seu in disp. Iulianum in Nicerato.
[x] Idem ibid.
[y] Hier. Epist. 54. ad Marcellam.
[z] Idem Epist. ad Damasum. 24. q. 1. c. Quæram.
[a] Idem in Mat. cap. 16.
[b] Idem in Isa. cap. 2
[c] Chrisost. Hom. 55. in Mat.
[d] Idem Hom. 7. in Marcum.
[e] Idem Hom. 4. in Isa. c. 6.
[f] Idem de Pan. Hom. 9.

A [a] Nec Simon forte iam nomen illi, sed Petrus, prædicit; vocabulo ipso commodè significans, quod in eo, tanquam in petra, lapideq; firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiã.] Ambrosius, [b] Hoc ipsa petra Ecclesiæ Canente, culpam diluit.] *Item*; [c] Quemadmodum enim turbari poterat Nauis, cui præerat is, in quo Ecclesiæ fundamentum est?] Leo, [d] Vt æterni æ dificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, &c.] Theophylactus, [e] Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod super eum ædificauit Ecclesiam.] *Item*: [f] Post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum] Euthymius; [g] Te ponam fundamentum credentium; ædificabo super te Ecclesiam meam.] Pselus, [h] Per crura Petrum intellige Apostolorum principem, super quem Dominus in Euangelio se Ecclesiam suam ædificaturum promisit.] Augustinus; [i] Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ dominus nominauit, & ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit; supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.] *Item*: [k] Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede; ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.] Et in Concilio Chalcedonensi; [l] Petrus Apostolus dicitur petra & crepido Ecclesiæ Catholicæ. Imperator Anastasius ad Hormisdam, [m] Vt illa requiramus, *inquit*, quæ Deus, & saluator noster sanctos Apostolos diuino sermone docuit; ac maximè beatum Petrum; in quo fortitudinem Ecclesiæ suæ constituit.] Orientales Clerici & Abbates ad Imperatorem; [n] Apostoli & discipuli &c. omnem sanctam Dei Ecclesiam irrigarunt; quæ in Petra summi Apostolorum subnixa, rectam & inconflexibilem confessionem custodiens, &c.]

B His assentior & ipse libentissimè, atque hunc sensum Euangelica illa verba posse habere ita puto, vt tamen temeratium esse censeam, hoc solo sensu retento, duos præcedentes omnino excludere; siue etiam quod prius est, inter hæreticas Scripturæ interpretationes eos connumerare. Hanc itaque interpretationem Petræ pro ipsomet Petro, vt fortasse literæ congruentem, admitto nunc, & probo; ita tamen vt duæ illæ sanctorum Patrum interpretationes, quæ Petræ vocabulo vel Christũ intelligunt, vel fidem, & fidei diuinitatis Christi confessionem, adhuc vt probabiles maneant, & nihil Ecclesiæ Catholicæ contrariæ, licet hanc de Petri persona illis probabiliorem esse concederemus: libenter tamen Augustino assentior, & ab eo doceri volo, dum cum ipso probabile assero vtrumque; C [o] tum petrã Petrum significare; tum verò Christum à quo Petrus petræ nomen acceperit; liberumque esse cuique vtram voluerit amplecti expositionem: Interim video in posteriorem magis inclinare Augustinum; priorem verò de petra Petro, vt improbabiliorem, ac propemodum retractandam fermè reijci ab eodem. Atque in interpretatione illa sua de Christo petra, quæ illi magis placuit, nihil eum cognouisse contrarium fidei Euangelicæ, neque præiudiciale primatui Petri; vt etiam supra nu. 8. monui, est manifestissimum: D non enim cognoscebat illis verbis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Petri super alios præfecturam stabiliri; aut Ecclesiasticum regimen vni Petro, Christi ordinatione, committi.

Iam verò admissa etiam hac interpretatione de Petro petra, non modò vt probabili, sed etiam, si vis, vt absolutè vera, nondum video quo pacto Petri primatus, & omnimodus super cæteros Apostolos, & totam Ecclesiam principatus, ex verbis illis, super te Petrum ædificabo Ecclesiam meam, colligatur. Nam vbinam, & quomodo, & quando verificata fuerit hæc promissio, super Petrum innixam Ecclesiam esse, & ab eo visibili regimine sustentari, non nihil laborandum est: & præterea adhuc magis laborandum, vt ostendatur solum Petrum fuisse hoc Ecclesiæ fundamentum, à Christo destinatum, & primarium lapidem collocatum; adeo vt alijs Apostolis hoc neque conueniat, neque à Christo idem fuerit ipsis etiam concessum. Vtrunque igitur erit diligentius excutiendum. E

Baronius ex nomine Cephas, & re ipsa quod Petrus erat petra illa cui dicitur, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, primatum Petri conficere plurimum nitebatur. Ac propterea in eo totus erat, vt Petrum probaret fuisse illam petram, & consequenter Ecclesiæ fundamentum; ad hoc enim interpretationem illam tot Patrum autoritatibus fulciebat: quomodo tamen ex hoc quod Petrus sit petra, super quam ædificanda, vel ædificata fuerit Ecclesia, sequatur Petri primatus, ne verbum quidem: & tamen hoc opus, hic labor; Exultat tamen vt victor, & epinicium canit, post solam illam interpretationem elucidatam & probatam, nomine petræ Petrum significari, & ait; [q] Denique ne vlterius longiori digressione vagemur, sed vno verbo dicamus, quotquot post recitatos scriptores fuerunt Ecclesiastici orthodoxi, quotquot etiam fuerunt Synodi in Spiritu Sancto legitimè

[a] *Cyrl. in Ioan. lib. 2. c. 2.*
[b] *Apud Aut. lib. 1. retract. c. 21.*
[c] *Ambr. lib. 6. in Luc. c. 5*
[d] *Leo epist. 93. ad Epist. Vienn.*
[e] *Theophylact. in Mat. c. 16.*
[f] *Idem in Luc. c. 22.*
[g] *Euthym. in Matth. c. 16.*
[h] *Apud Theodoret. in Cantic. cap. 5.*
[i] *Augustin. ser. 15. de Sanct.*
[k] *Idem in Psal. con. par. Don.*
[l] *Concil. Chalced. Act. 3.*
[m] *Tom. 1. epist. decret. par. 2. in Hormisda.*
[n] *Ibid. ante Horm. epist. 72.*

XXV.

[o] *Augustin lib. 1. retract. c. 21.*

XXVI.

XXVII.

[p] *Baron. tom. 1. ann. 33. n. 19. & seq.*

[q] *Idem ibid. nu. 27.*

gitimè congregatæ, idipsum omnes æquè constanter, ingenueque professæ sunt; Petrum scilicet à Christo Domino fundamentum Ecclesiæ esse constitutum. Atque adeo vt sicut, quod diximus, nemo potest aliud fundamentum ponere, præter id quod positum est, quod est Christus, compaginatum Christo, ac stabilitum verbo Christi. Hæc itaque adeo solida, atque constantia, verbo Domini, ac totius Catholicæ Ecclesiæ consensione recepta, atque probata, velle iterum in dubium reuocare, non nisi emotæ mentis, perfrictæ frontis, infrænis linguæ, ac denique vecordis hominis esse potest. Sed insaniant licet, firmata tamen semel verbo Domini supra firmam petram Ecclesia, portæ inferni non præualebunt, sicut nec præualuerunt aduersus eam: Verum stabit & in hoc verax sententia Domini qua dicit, [a] qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. Cæterùm quod pertinet ad primatum Petri iam verbis Domini stabilitum; quomodo alias in futurum frequentius fuerit demonstratus, & certis quibusdam signis euidentissimè declaratus; ac subinde in posteros propagatus; suis locis opportunius dicemus: nec suo etiam loco tacebimus quomodo Dominus pollicitus sit se daturum claues Petro; & quando id impleuerit. Nunc verò ad ipsam Euangelicam Historiam redeamus. In hunc modum stabilito Ecclesiæ Catholicæ fundamento, &c.] Hæc Baronius.

a Matth. 21.

XXVIII. Quid tibi videtur, Lector, de celebri huius hominis victoria? Quid de illa quasi reticentia oratoria, qua omnes scriptores orthodoxos, & Synodos Petrum Ecclesiæ fundamentum constanter profiteri affirmat? Et tamen ad hoc confirmandum congessit quicquid habuit, & potuit. Nec aliud conuicit, si tamen conuicit, nisi petræ nomine posse etiam & solere ipsum Petrum intelligi. Quid de illa assertione libera & absoluta, parumque modesta, primatum Petri stabiliri illis verbis, Tu es Petrus, &c. cum tamen nihil dum habeat de primatu Petri ex illis; nisi prius ostendat quomodo solus Petrus, ex eo quod dicatur petra, toti Ecclesiæ præficiatur, illis Christi verbis promissorijs tantùm; super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Si Baronius Theologicè processisset, certè nondum capta præda non exultasset; neque asseruisset verbis illis Christi, Super hanc petram, &c. Petri primatum stabiliri; sunt enim vt dicebam promissoria duntaxat, (*ædificabo*). Inquirendum igitur erat vbinam promissio effectum habuerit. Meminisse certe poterat, & debebat bonus Iurisconsultus glossæ illius, quæ dicit; [b] Hoc verbo, Pasce oues meas, factus est princeps (*Petrus*). extra. de elect. significasti: non illo; Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.] Et Abbatis [c] idem confirmantis. Atque hoc ipsum libenter admitti viderat ab Eckio [d] dicente; Fatetur glossa Petrum factum fuisse Principem Ecclesiæ, per ista verba, Pasce oues meas; non per ista, Tu es Petrus, &c. quod omnes admittimus: neque vnquam legi aliter aliquem determinasse.] Ita Eckius. Determinarunt tamen postea Baronius, & Bellarminus. Origines etiam promissi huius effectum agnouit in verbis illis Christi; Pasce oues meas. Ait enim; [e] Petro cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitas exigitur, &c.] Itaque si ædificare super Petrum Ecclesiam, est tradere ei curam pastoralem, frustra laborabit vnusquisque in probando Petri primatu per verba illa, Aedificabo super Petrum Ecclesiam meam; siquidem probatio tota reducenda est ad illa verba, Pasce oues meas. Ad quem locum etiam Sanderus promissionis illius effectum reduxit, dum scripsit, [f] Super Petrum verò in posterum optime & potest ædificari Ecclesia; & re ipsa ædificata est, cum ad eum plus cæteris amantem Christus dixit, Pasce oues meas.]

b *Glos. in c. Considerandum Dist. 50.*
c *Abbas in c. Significasti de Elect.*
d *Eckius l. 1 de Primat. Petri cap. 19.*
e *Orig. l. 5. in Ep. ad Rom.*
f *Sanderus de visib. Monar. lib. 6. c. 3.*

XXIX. Ac propterea tantopere laborant omnes, qui verum inquirunt sensum verborum illorum, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: vt personæ Petri applicata plana fiant. Clementi Romano Pontifici huius nominis primo, illud dictum tribuitur: [g] Simon Petrus veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse Ecclesiæ definitus est; qua de causa etiam Domini ore cognominatus est Petrus.] Tertullianus; [h] Mutat, *inquit*, & Petro nomen &c. sed & cur Petrum? si ob vigorem fidei, multæ materiæ, solidæque nomen de suo accommodarent. An quia & Petra, & lapis Christus; siquidem & legimus, positum eum in lapidem offendiculi, & in petram scandali? Itaque affectauit carissimo Discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare; puto propriùs quàm de non suis.] Epiphanius; [i] Ioannes, *inquit*, cum à Filio didicisset reuelationem suam scripsit: Petrus verò à Patre instructus est, certitudinem Fidei fundaturus.] Leo; [k] Cum ego Christus sim inuiolabilis petra, tamen & tu quoque petra es, quia mea virtute

g *Clem. Ep. 1. ad Iacobum frat. Domini.*
h *Tertull. l. 4. cont. Marcion.*
i *Epiph. in Anc.*
k *Leo ser. 3. in assumpt. sui ad Pont.*

A virtute solidaris.] Augustinus: [a] Nam talem vocem protulit Nathanael; Tu es filius Dei; Tu es Rex Israel: qualem tanto post Petrus, quando ei Dominus ait, Beatus es Simon Bar-Iona, quia non tibi reuelabit caro & sanguis, sed Pater meus qui est in cœlis. Et ibi nominauit Petram, & laudauit firmamentum Ecclesiæ in ista fide.] *Item*: [b] Nos qui vocamur Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus, Petri de Christo ædificati sermonibus.] Idem; siue Ambrosius, sic habet, [c] tanquam enim bonus Pastor (*Petrus*) tuendum gregem accepit; vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum; & quia ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus, Tu es Petrus, &c. Petra enim dicitur eo quod primus nationibus fidei fundamenta posuerit; & tanquam saxum immobile, totius operis Christiani compagem, molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur; & Petra pro virtute Dominus nuncupatur; sicut ait Apostolus, [d] Bibebant autem de spirituali sequente eos petra; petra autem erat Christus. Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem domo enim Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat; Dominus incrementat, Dominus irriguum subministrat.] Chrysostomus: [e] Audi denique, *inquit*, quid Petro dixerit Christus, columnæ & fundamento fidei; qui ob robur confessionis, vocatus est Petrus, dicente Domino, Tu es Petrus, &c.] *Item*, [f] Petrus, inter Apostolos primus, Christum prædicauit.] *Item*: [g] Petrus Petri cognomen sortitus est, ob immutabilem, & immobilem fidem.] *Item*: [h] Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, fidem, atque confessionem. Hic aperte prædixit magnam eorum qui crediturí & erant, & sunt, multitudinem fore, & sublimiora sapere ipsum facit; & Ecclesiæ futuræ Pastorem ipsum constituit.] Et paulo post: Quænam maiora dona videntur quæ Pater, aut quæ Filius Petro largitus est? Pater quidem reuelationem ei filij sui dedit: filius autem partim, vt tam patris quam filij sui reuelationem vbique terrarum posset seminare &c.] Gregorius: [i] Quis enim nesciat, sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam; quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à Petra vocaretur?] Nazianzenus & ipse sic supra loquebatur; [k] Petrus petra vocatur; atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet]

B

C

D

Fuitne vllus ex his Patribus qui Petrum petram, & fundamentum ædificandæ Ecclesiæ dictum, sub hac metaphora constitutum, aut designatum Principem & Monarcham Ecclesiæ intellexerit? Certe hi omnes, & cum illis plures, Petrum fundamentum Ecclesiæ in eo sensu acceperunt, quod vel fidem Diuinitatis Christi primus solenniter promulgarit, in qua tota fundatur Ecclesia; vel quod fidei soliditatem retinuerit: vel quod primus & præcipuus ex duodecim, Euangelium per mundum sparserit; vt infra adhuc melius apparebit: sed ex his nullus consurgit Petri primatus, nisi ad summum excellentiæ cuiusdam, & dignitatis personalis. Quod si quis ex Patribus antiquioribus, Petrum facit propterea solum totius Ecclesiæ primatem & Monarcham, quia super ipsum dicatur ædificanda Ecclesia, eum producant; nos enim nullum prorsus id aut censuisse, aut protulisse, aut innuisse putamus. Adeo enim difficile, ne dicam impossibile, est suprematum hunc Petri ex illis præcise promissis super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, colligere aut confirmare; vt vel ipsi Monarchici nostri quo se vertant non inueniant; vt in nomine, seu metaphora fundamenti. Primatus inueniant autoritatem, & Petri supremam præfecturam.

XXX.

XXXI.

[l] Turrecremata septem adduxit rationes, quare Petrus Ecclesiæ fundamentum sit dictus. Primò, *inquit*, ratione illius glorioßissimæ confessionis, qua Christum præ cæteris omnibus Apostolis confessus est. 2° Quia primus in Nationibus fidei iecit fundamenta. 3° Propter constantiam singularem, ac insuperabilem fidei firmitatem. 4° Quoniam aliorum est factus firmamentum, [m] Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] 5° Propter eius Cathedræ insuperabile magisterium. 6° Ratione sui primatus, cuius sedis autoritas quoddam fundamentum est Ecclesiæ. 7° Ratione irrefragabilis firmitatis iudiciorum suæ Apostolicæ sedis.] At certè nulla harum rationum explicat, quod præcipuè intenditur: neque ostendit quomodo Petrus sit adeò fundamentum Ecclesiæ, vt ipse totam Ecclesiam regat & sustentet. Prima ratio potiùs ostendit cur Petrus meruerit fieri aliquâ ratione fundamentum; nimirum propter fidem & confessionem, quàm quomodo ex hoc quod dicatur fundamentum, ipse solus acceperit regimen vniuersale Ecclesiæ. Nam in reuelatione solus non fuit, & pares habuit alios. Zachariæ reuelatum fuit, filium eius futurum Prophetam [n] Altissimi, ante cuius faciem, erat præiturus. Simeon, Christum [o] lumen

E

a *August. tract. 2. in Ioan.*

b *Aug. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 54*

c *Aug Ser. 16. de Sanct. qui est 2. de Cathe. Pet. Ponitur etiam inter sermones Ambrosij Serm. 47.*

d 1. Cor. 10.

e *Chrysost. hom. 2. in ps. 50.*

f *Idem hom. 3. ad pop. Antioc.*

g *Idem in epist. ad Gal.*

h *Idem hom. 55 in Matth.*

i *Greg. in epist. 37. lib. 8. Indic. 14.*

k *Nazianz. in orat. de moderat. seruanda in disput.*

l *Turrecr. de Eccles. l. 2. c. 37.*

m Luc. 22.

n Luc. 1.

o Luc. 3.

men

men gentium prædicat: & Anna filia Phanuel, de eodem confitebatur. Nathanael ante Petrum similem fecit confessionem: Rabbi, [a] Tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.] Quam confessionem Diuinitatis Christi probabile est, ipsum etiam Petrum audisse, sicut & illam quam valdè insignem paulò post Ioannes Baptista emisit, dicens; [b] Illum oportet crescere, me autem minui, Qui de sursum venit super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: Qui de cœlo venit super omnes est. Et quod audiuit & vidit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit: Qui acceperit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius: Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.] Vnde & Cyrillus præfert hanc Ioannis cognitionem cognitioni Petri, dicens; [c] Multi enim testimonium eius acceperunt, & ante omnes Petrus, qui dixit; Tu es Christus Filius Dei viui. Sed quia multò melius Ioannes, atque citius cæteris, dignitatem ipse Christi comprehendit.] Omnibus item Apostolis, iam eandem reuelationem, antequã illum Petrus confiteretur, ab eodem Patre factam fuisse, apertè testatur Christus, dicens; [d] Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.] Et ipsemet Petrus fatetur, priusquam hanc fecisset confessionem, se, & cæteros Apostolos, iam agnouisse Christi Diuinitatem: [e] Et nos credimus, *inquit*, & cognouimus, quia Tu es Christus Filius Dei.] Et plures Discipuli in naui iam fecerant eandem confessionem: [f] Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum dicentes, Verè filius Dei es.] At quænam fuit potissima reuelatio, nisi Christi Diuinitas? Ioannes verò seperatim qui [g] supra pectus Domini in cæna recubuit, & ipse quot secreta cælestia ex fonte illo Dominici pectoris potauit? Ac postea Paulus & ipse reuelationibus fortasse Petro fuit insignior. Proloquatur ipse: [h] Et autem qui potens est vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, &c.] [i] Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum: Et scio huiusmodi hominem siue in corpore siue extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in Paradisum & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.] [k] Notum facio vobis Euangelium quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.] [l] Quoniam secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum] [m] Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, &c.] Sed audiamus & Patres.

a Ioan. 1.
b Iohan. 3.
c Cyrill. l. 2. in Ioan. cap. 68.
d Mat. 11.
e Ioh. 6.
f Mat. 14.
g Ioan. 13.
h Rom. 16.
i 2. Cor. 12.
k Gal. 1.
l Ephes. 3.
m 1. Cor. 11.

XXXII.

Origenes; [n] O beate Ioannes, *inquit*, cui Theologorum donatum est, quod tibi donatum est; abdita videlicet summi boni penetrare mysteria, & ea quæ tibi reuelata & declarata sunt, humanis mentibus, ac sensibus intimare? Dic quæso, cui talis ac tanta donata est gratia: fortasis quis dicet summo vertici Apostolorum, Petro dico, quæ Domino interroganti quem se existimaret esse, respondit, Tu es Christus filius Dei viui, sed non temere, vt opinor, quia diceret plus in typo fidei & actionis, quam scientiæ & contemplationis Petrum talia dixisse. Quare? Ea scilicet ratione quia Petrus in forma actionis ac fidei ponitur. Ioannes autem contemplationis atque scientiæ typum imitatur. Vnus siquidem recumbebat super pectus dominicum, quod est contemplationis Sacramentum, alter sæpe titubabat, quasi trepidæ actionis Symbolum, &c.] Et paulo post; Petrus quidem Christum Deum & hominem iam factum, in temporibus cognoscens, & dicens, Tu es Christus filius Dei viui, altissimè volauit: sed Ioannes altiùs illo, qui eundem Christum Deum de eo ante omnia tempora genitum intellexit, dicens; In principio erat Verbum. Nemo nos existimet Petro Ioannem præferre: Quis hoc fecerit? quis esset altior Apostolorum illo qui est, & dicitur, vertex eorum? Non præferimus Petro Ioannem, sed conferimus actioni contemplationem: purgandum adhuc animum, perfectè purgato: ascendenti adhuc virtuti; ad incommutabilem habitum peruenienti iam virtutem: Non enim nunc consideramus Apostolicatum personarum dignitatem, sed inuestigamus pulcherrimam diuinorum mysteriorum differentiam, &c.] Vbi pergit Origenes amplificare reuelationem factam Ioanni, supra reuelationem factam Petro: & præferre cognitionem Ioannis, cognitioni Petri. Quam comparationem habemus etiam in Tertulliano: Ait enim; [o] Quis integræ mentis credere potest aliquid eos (*Apostolos*) ignorasse, quos magistros

n Orig. Hom. 1. in diuersos.
o Tertull. de præscript.

A gistros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu; quibus obscura quæque seorsim disserebat; illis, dicens, datum esse cognoscere arcana quæ populo intelligere non liceret: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum? Latuit & Ioannem aliquid dilectissimum Domino, pectori eius incubantem? &c.] Ac ne quis putet reliquos Apostolos ignorasse id, quod Petrus primus respondens confessus est; recordetur eorum quæ paulo ante Christum, exultanti spiritu, dixisse protulimus, antequam discipulos interrogasset, Quem dicunt homines esse filium hominis? nimirum; Confiteor tibi Pater, &c. & simul audiat Athanasium; [a] Primum, *inquit*, Petrus, deinde omnes (*discipuli*) confessi sunt, Christum verè esse filium Dei.] Et Cassianum; [b] Interroganti, *ait*, vtrum Iesu Christi quem eum crederent, quem confiterentur esse discipuli; Respondet primus Apostolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus: idem enim

B vnius habuit responsio, quod habebat omnium fides.] Et Ambrosium; [c] Licet, *inquit*, cæteri Apostoli sciant; Petrus tamen respondet præ cæteris, &c.] Huc enim spectant omnia Patrum dicta, dum Petrum [d] os Apostolorum vocant, & dicunt vnum pro omnibus respondisse, cum primus esset ætate, & vocatione, & virtute, vt iam explicuimus cap. 5. & quod omnes de Christo, reuelante Patre, didicerant, & conceperant, id Petrus omnium nomine protulit aperta cõfessione. Ita Tertullianus; [e] Hæc itaque, *inquit*, quæ viderat Petrus, & cum pristinis comparat; & non tantum retro facta, sed & in futurum iam tunc propherantia recognouerat. Interrogante Domino, quisnam illis videretur, cum pro omnibus responderet, Tu es Christus; non potest eum sensisse Christum, nisi quem nouerat in Scripturis, quem iam recensebat in factis.] Sed & reliqui Apostoli eodem pacto, & Scripturas, & facta numerant, quo & Petrus. Ambrosius, [f] Hic est ergo Petrus, qui respondit præ cæteris Apostolis, imò pro cæteris, ideo fundamentum dicitur, &c.] Gaudentius Brixiensis;

C [g] Solus Petrus, *inquit*, omnium ore respondit, Tu es Christus filius Dei viui: solus ergo cum loquitur Petrus, nequaquam reliquorum credentium fides excluditur, sed congruus ordo seruatus, dum Principi Apostolorum primus loquendi locus defertur, ne tumultus quidam magis quam responsio videretur, si tunc vniuersi certatim, ac pariter respondissent.] Augustinus; [h] Dicite & vos quem me dicitis esse? Respondens Petrus pro omnibus, pro vnitate vnus, Tu es Christus, *inquit*, filius Dei viui.] *Item:* [i] Respondit Petrus, Tu es Christus filius Dei viui; vnus pro multis dedit respõsum, vnitas in multis.] Et paulo post; Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe vnus respondit pro omnibus, vnus pro multis dedit respõsum, vnitas in multis.] Chrysostomus;

D [k] Quid igitur Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortij totius? cum omnes interrogati essent, ipse solus respondit: & quandoquidem de sententia vulgi petebat, omnes responderunt; cum verò de sua eos rogaret, Petrus confestim præsiliuit, ac præueniens ait, Tu es Christus.] Nota Petrum præsiliuisse, & præuenisse: quod supponit etiam reliquos paratos fuisse ad idem respondendum: sed Petrum suo ordinario feruore præsiliuisse.] Cyrillus; [l] Per vnum qui præerat, omnes respondent.] Sed reuelationem soli Petro non fuisse factam, pergamus ex sanctorum Patrum dictis adhuc melius manifestare.

Hieronymus considerans ea verba Pauli; [m] Euangelium ab homine non accepi; [n] Potest autem, *inquit*, sicut in principio diximus, cum exponeremus (Paulus Apostolus non ab hominibus) ita & in præsenti loco, oblique in Petrum accipi, & in cæteros præcessores eius, quod nullius pro lege autoritate moueatur; qui Christum solum Euangelij habeat præceptorem.] Quasi dicat Hieronymus; Paulum innuere, Petrum quidem gloriari

E posse de reuelatione sibi facta; nihilominus tamen se etiam gloriari pariter de reuelatione non minori; & in rebus Euangelij non minorem sibi fidem adhibendam, quàm Petro adhibeatur. Epiphanius; [o] Ioannes cum à filio didicisset; Reuelationem suam scripsit: Petrus verò à Patre institutus est, certitudinem fidei fundaturus.] Chrysostomus; [p] Cum autem eum cognouissent, proprios mores referunt Petrus, & Ioannes; ille feruentior, hic altior erat; ille vehementior, hic perspicacior. Ideo Ioannes prior agnouit Iesum, Petrus ad eum prior properauit.] Cyrillus; [q] Primo ergo pectusculum istud verus meus Pontifex comedit, quomodo comedit? [r] Nemo, *inquit*, nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: quibus autem alijs nisi Apostolis suis reuelat?] Ambrosius; [s] In Euangelio quoque Petro, Ioanne, & Iacobo, solis ex omni numero discipulorum Resurrectionis suæ gloriam reuelauit. Ita occultum suum voluit esse mysterium, & admonebat frequenter ne cui facilè quæ viderant annuntiarent; ne offendiculum quisquam subiret infirmior, qui vim Sacramentorum fluctuanti ingenio haurire non posset?] Beda cum Ambrosio,

a *Athan. orat. 4. cont. Arian.*

b *Cassian. de incarn. lib. 3.*

c *Ambr. lib. 6. in Luc. c. 9.*

d *Victor Presb. Antioch. in Marc. c. 8. Chrysost. ho 55. in Matt. &c.*

e *Tertul. lib. 4. aduer. Marcion.*

f *Ambros. de Incarn. c. 4.*

g *Gaud. Brix. tract. in dc sua ordinat.*

h *August in Psa. 88.*

i *Idem ser. 13. de verb. Dom.*

k *Chrysost. ho. 55. in Matth.*

l *Cyril. in Ioan. lib. 4. c. 48.*

XXXIII.

m *Gal. 1.*

n *Hieron. in ep. ad Gal. c. 1.*

o *Epiphan. in Ancorat.*

p *Chrys. hom. 86. in Ioan.*

q *Cyrill. lib. 7. in Leuit.*

r *Mat. 11.*

s *Ambros. in Psa. 45.*

Ambrosio, * Licet, *inquit*, cæteri Apostoli sciant, Petrus tamen respondet pro cæteris.] A
Bernardus; a Hausit Ioannes de sinu vnigeniti, quod de paterno hauserat ille: nec solus ipse tamen, sed & omnes quibus idem aiebat magni consilij Angelus: b Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis. Hausit & Paulus cuius Euangelium non est ab homine, c neque ab homine illud accepit, sed per reuelationem Iesu Christi. Profecto hi omnes tam fœliciter quam veraciter dicere possunt, d Vnigenitus qui erat in sinu Patris, ipse enarrauit nobis]

* Beda hom. in Cathed. Pet.
a bern. in Cant. serm. 8.
b Ioan. 15.
c Gal. 1.
d Ioan 1.

XXXIV.

His omnibus profecto credam ipse libentius, quàm Hilario dicenti, e Et hoc in Petro considerandum est, fide eum cæteros anteisse. Nam ignorantibus cæteris, primus respondit, Tu es Filius Dei viui.] Et Optato Mileuitano in Africa ita scribenti; f Et cæteris non agnoscentibus Filium Dei, solus Petrus agnouit.] Et Euthymio asserenti, Solum Petrum intellexisse Christum, & natura, & proprie, filium esse Dei.] Quomodo B
enim ignorabant alij, si iam Christus g egerat Deo Patri gratias, quòd mysteria fidei paruulis, hoc est discipulis suis reuelauerit? Sed fortasse (ignorantibus cæteris) idem est Hilario, Optato, & Euthymio quod reticentibus, & in expressam cognitionem externæ confessionis non erumpentibus, ipsum Petrum primum id præstitisse. Nam si reipsa eos ignorasse putasset, præsertim Hilarius, non dixisset, primum Petrum confessum: sed, solum Petrum: Cum igitur dixerit primum & primus dicat ordinem, & relationem ad secundum, & tertium, & reliquos; ne simul omnes clamare, faciamus stultorum more; profecto videtur Hilarius nostram poscere interpretationem. Ideo neq; audiendus est Bellarminus, dum ait: h Ipse enim (*Petrus*) solus respondit, cum ignorarent cæteri.] Multo minus in eo quod dicit ibidem soli Petro factam esse reuelationem: & Patres quos affert nihil faciunt ad ipsius propositum, vt iam ostendi. Sed vide etiam qui in hanc sententiam proferimus infra c. 9. n. 5. C

e Hilarius in Matth. can. 14.
f Optat.
g Euthym. in Matth 16.
h Bellarminus l. 1. de Rom. Pon. c. 12. obiect. 2.

XXXV.

Proferat iam igitur Baronius ex penu secretionis & abditæ suæ contemplationis, illa verba; i sed si Diuini consilij rationem humanæ menti concessum est aliquando perscrutari: Illa in Petro quam diximus causa præcessisse videtur, vt princeps omnium constitueretur Apostolorum, quod in professione fidei cæteris antecelluit.] Nam neque tempore, neque amplitudine, neque firmitate antecelluit confessionis: Non tempore, quia & Ioannes k Baptista, & l Nathanael prius, quam Petrus, Diuinitatem Christi sunt confessi. Etsi in externa confessione antecelluit Petrus cæteris vndecim; neque antecelluit in interna vera fidei cognitione, neque in Diuina, vt ostensum est, reuelatione: Non amplitudine, seu mysteriorum pluralitate, ac perfectione cognitionis; quia in hoc Petrum Ioannes m vt vidimus (n. 32.) superauit; & postea etiam Paulus. Non in firmitate; quia Petrus ferme statim ab illa eadem fide decidit; neque semel, sed sæpius titubauit, etiam post Christi ascensionem, & Spiritus Sancti illapsum. Quod de alijs, & præsertim de Ioanne, non est adeo clarum: Nam & propterea n Sathanas statim vocatus est Petrus, qui paulo ante Petra vocatus fuerat, & cœli Ianitor: & ter Christum negauit in passione: Et postea scandalosam superstitionem, o legaliumque obseruantiam in Ecclesiam Christi inducebat; & de hoc à Paulo fuit reprehensus. De quibus ipsius lapsibus os meum impurum aperire non audeo, sed Sanctos Patres profero differentes; omnia verò in maiorem Petri gloriam redundant. D

i Baron. tom. 1 ann. 31. n. 24.
k Io 3.
l Io. 1.
m Matt. 16.
n Matth. 16.
o Gal. 2

XXXVI.

Augustinus, p Debet ergo Ecclesia Catholica correctis & pietate firmatis filijs, libenter ignoscere; cum ipsi Petro personã ipsius gestanti, & cum in mari q titubasset; & cum Dominum carnaliter r à passione reuocasset; & cum aurem serui gladio præcidisset; & cum E
ipsum Dominum s ter negasset; & cum in t simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam; eumque correctum atque firmatum; vsque ad Dominicæ passionis gloriam peruenisse] *Item*; u Quapropter ita hoc Cypriani non accipio, quamuis inferior incomparabiliter Cypriano; sicut illud Apostoli Petri, quod gentes Iudaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamuis inferior incomparabiliter Petro.] *Item*: Nunquid melior Razias quam Petrus Apostolus? qui vbi dixit, Tu es Christus Filius Dei viui, tam beatus à Domino appellatus est, vt claues Regni Cœlorum accipere mereretur; nec tamen ideò creditu imitandus; vbi mox eodem momento reprehensus audiuit, Vade post me Sathana, &c.] *Item*, x Nec ideò tamen quisquam nunc in Ecclesia quantumlibet profecerit, Petri Apostolatui conferendus est, quapropter reddens debitam reuerentiam, dignumque honorem, quantum valeo persoluens pacifico Episcopo, & glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere eum aliter sensisse de schismaticis vel hæreticis

p Augustin de Agone Christ. cap. 30.
q Matth. 14.
r Matth. 16.
s Matth. 26.
t Gal. 2
u Idem Aug. cont. Cresc. Gramm. 2. c. 32.
x Idem contra 2. Gaud. Ep. l. 2. ca. 25.

A tucis baptizandis, quàm postea veritas prodidit: non ex mea, sed ex vniuersæ Ecclesiæ sententia, plenarij Concilij autoritate roborata, atque firmata: sicut venerans pro sui merito Petrum primum Apostolorum, & eminentissimum martyrem, audeo tamen dicere non eum rectè fecisse, vti gentes iudaizare cogeret. Etiam hoc enim dico, Non ex mea, sed ex Apostoli Pauli salutari doctrina, per Ecclesiam vniuersam retenta, atque seruata.] *Item*, [a] Exhorruit Petrus, & ait; Absit Domine non fiet istud, qui paulò antè dixerat, Tu es Christus Filius Dei viui: confessus Deum, timuit eum mori quasi hominem.] *Et alibi*, [b] Putauerunt & ipsi (*Apostoli*) Dominum nostrum Iesum Christum tantummodò hominem esse, non habere in se occultam Diuinitatem, non esse occultè Deum, sed hoc solum esse quod videbatur, hoc & ipsi putauerunt. Nam & ipse Petrus, &c. dixerat eum Filium Dei: Ibi paulò post eodem loco, in ipsa contextione verborum, cepit Dominus de passione sua futura dicere. Ille autem (*Petrus*) qui iam illum confessus fuerat Filium Dei, timuit, ne sicut filius hominis moreretur, &c. Quid timuit Petrus? ne in forma serui periret forma Dei, & non potiùs præsumpsit, quia ex forma Dei, reuiuisceret forma serui, &c.] De Petri lapsu sæpius agit August. præter loca citata, etiam libro 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. & lib. 4 cap. 6. & de vnico Baptismo contra Petilianum, cap. 13. & Serm. 13. de Verbis Domini, &c. Vidi equidem disputationes longas inter Hieronymum & Augustinum; & illam quam texit [c] Baronius vt Petrum excuset, de qua nos infra. Nunc mihi vnus Augustinus est instar omnium, cui assueranti in tota Ecclesia vniuersali retentam tunc fuisse doctrinam salutarem Pauli, in eo sensu quo eam Augustinus intellexit, de vero errore Petri, plurimum credo, & credendum esse existimo. Addo Augustino Ambrosium de errore circa mortem Christi sic loquentem. [d] Errabat Petrus in tenebris ignorantiæ, negabat Christum esse moriturum, quia adhuc non credebat moriturum, & resurrecturum.] Quis igitur credat Baronio contrarium affirmanti illis verbis; [e] Eo verò velut terræmotu, etsi concussus est Petrus (*quando ei dictum à Christo* [f] *Vade post me Sathana*) non tamen conuulsa est ipsa petra verbis Domini compaginata & stabilita, quam immobilem fore permansuram promisit.] Augustinus certè lapsum in fide, & grauissimum agnouit; Ambrosius verò agnoscit & ipse ignorantiam, proculdubiò fidei quâ Diuinitatem Christi confessus est, contrariam: Nam aut non credebat Petrus Christo affirmanti se moriturum: aut si credebat, resurrecturum non sperabat; & consequenter neque Deum agnoscebat; sed de eo sicut de puro homine ordinario cogitabat. Manet itaque ex confessione illa celebri Petri, neque petræ & fundamenti dignitatem Petrum personaliter, neq; vllum super alios principatum assecutum, quia fidei reuelatione, ac firmitate, aut par cæteris Apostolis fuit, aut etiam inferior nonnullis.

a Idem Aug. in Psal. 55.

b Idem in Psa. 138.

c Bar. tom. 1. ann. 51. num. 32 & seq.

d Ambr. in Psal. 118.

e Baron. tom. 1. anno 33. num. 28.

f Matt. 16.

Secunda Ratio Turrecrematæ, (supra num. 31.) cur Petrus petra fuerit & fundamentum, nihil omninò singulare continet, quod Petro soli quicquam peculiariter tributum ostendat. Nam si Petrus fundamenta fidei in nationes sparsit, hoc idem etiam alij Apostoli effecerunt: quamuis Petrus & primus omnium prædicationem sit aggressus, & maxime omnium, si comparetur cum reliquis vndecim, in hoc profecerit. Sed magis & minus non variant speciem, vt dicunt Philosophi: & æquè perfectè ignis est quo vnica ardet candela, atque ille quo ingens clibanus inflammatur: vt propterea de omnibus Apostolis meritò loqueretur Paulus, dum dicebat, Fideles esse [g] superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Certè Paulus etiam in hoc superauit Petrum, ipsomet hoc de seipso [h] attestante, & sua itinera [i] describente: [k] Luca etiam illa in commentarios redigente. XXXVII.

g Ephes. 2. h 1 Cor 15. i Rom. 15. k Act. 9. 13, 14. 16, &c.

Tertia ratio locum non habet: nam & cæteri Apostoli saltem æquè constantes in fide fuerunt, & æque illuminati; & lapsus Petri à nobis paulo ante considerati contrarium probant. XXXVIII.

Quarta ratio Turrecrematæ nihil facit. Si enim fundamentum Ecclesiæ ille est qui fratres in fide [l] confirmat; omnes Apostoli sunt fundamentum, quibus dictum est, [m] Docète omnes gentes. Confirmare verò, & docere, non multum inter se discrepant. Neque putet quis ibi Petro commendari fratres hoc est coapostolos: nam fratrum nomine Christus intelligit fideles omnes, ab Apostolis instruendos, de quibus illud Pauli; [n] Deinde visus plusquam quingentis fratribus.] Et illud, [o] Periculum in falsis fratribus.]. Et, [p] Petrus exurgens in medio fratrum dixit (erant autem turba hominum fere centum viginti) Viri fratres &c.] Et alia passim. Quod si velit quis ibi fratres intelligi ipsos Apostolos, sensus erit: Tu qui lapsu tuo plurimum fratres tuos Apostolos scandalizasti, qui maxime omnium debebas esse cæteris posterioribus, & iunioribus exemplum constantiæ, conuersus tua XXXIX.

l Luc. 22. m Matt. 28.

n 1. Cor. 15.

o 2. Cor. 11.

p Act. 1.

pœnitentia,

pœnitentia, confirma illos; vt qui viderunt lapsum, mox visa tua pœnitentia, à scandalo releuentur, & tuo exemplo territi ipsi etiam in constantia corroborentur. Sed & de hoc infra pluribus, cap. 9. num. 8. 18. Et quamuis hoc loco Christus dicatur pro solo [a] Petro orasse, vt non deficiat fides eius: pro cæteris tamen etiam orauit; [b] Pater serua eos in nomine tuo, serua eos à malo. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi &c.] Sed quod pro Petro seorsim orat, significat eum peius omnibus lapsurum. Ideoque monet vt & ipse sui exemplo confirmet lapsos. Itaque tantum abest vt ex hoc loco colligatur Petri primatus, & cura autoritatiua in alios; vt etiam contrarium potius videatur colligendum. Quasi ei dicatur; Nemo Apostolorum te turpius est lapsurus, qui me negabis expresse, etiam iuramento addito; & fidei tuæ quam de mea Diuinitate habes iacturam facies: ea tamen recuperata, & à casu releuatus, tu maxime omnium fideles labentes debebis confirmare, tanquam in lapsu tibi similes; quos poteris, non verbo tantum, vt cæteri: sed etiam exemplo confirmare tui lapsus, & tuæ subleuationis ipsis exemplum adducendo. Quis non videt hoc totum esse quiddam personale, & à Petri persona inseparabile? Tu, inquit Christus, aliquando conuersus confirma fratres: confirmatio hæc pendet à conuersione; Ideo confirma, quia conuersus; quia in lapsu, & errore, & infidelitate non perseuerabis, alios ad exemplum tui à lapsu retrahe, erige, & tuo confirma exemplo vt surgant. Hanc confirmandorum fratrum curam ideo Petro committi, quia illi exemplo sui poterat alios post casum iuuare, explicant optime, Epiphanius, vt habes infra num. 50. Et Theodoretus, qui sic loquitur: [c] Cum ter enim magnus negasset Petrus, mansit primus suis lacrymis curatus. Hanc alijs etiam fratribus adhibere medicinam iussit Dominus: & tu, inquit enim, conuersus confirma fratres tuos. Hoc est, nimirum, Tu tuo exemplo ad pœnitentiam lapsos deducas. Theophylactus similiter: [d] Tu Petre, *inquit*, conuersus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus: qui cum Apostolus fueris, & negaueris, iterum receperis primatum omnium, & præfecturam orbis.] Sic etiam Arnoldus Bonæ vallis Abbas, in septem verba Christi, verbo Sitio. Et Gregorius, [e] Quod nimirum, *inquit*, magna actum esse dispensatione cognoscimus, vt is qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset.] Beda huius loci hanc habet paraphrasin: sicut tuam fidem ego orando protexi; ita tu infirmiores, ne de venia desperent, confortare memento.] Non recedit ab hoc sensu Monarchicus Sanderus, ait enim; [f] Deinde nominatim expressum est, Petrum non esse confirmatorem fratrum, antequam pœnitentiam de negatione Christi egisset. Nam ita habet Euangelium Lucæ, Et tu aliquando conuersus &c.] Qui fuit etiam fere Ambrosij sensus, ad nostram explicationem plurimum accedens; scribit enim; [g] Nam huic dixit, Tu autem conuersus confirma fratres tuos. Conuersus est ergo sanctus Apostolus Petrus ad bonam frugem; & ventilatus est sicut triticum, vt esset ipse cum sanctis Domini vnus panis, qui nobis esset alimentum. Dum enim Petri actus legimus *(vt quod ecciderit, & resurrexit)* Petri præcepta cognoscimus, fit nobis salutis æternæ, & salutis alimentum.] Et alibi: [h] Error, *inquit*, Petri, doctrina iustorum est: & titubatio Petri, omnium petra est.] Confirmatio ergo nostra per Petrum est, quod ipsius exemplo discimus, & proficimus. Ac sane si Petrus lapsu vero & completo, cum fidei detrimento, non erat casurus (nam aliqui solum errorem in externa fidei confessione in Petro agnouerunt) non diceret Christus, vt conuersus confirmaret fratres: conuersio enim supponit auersionem; & non in peccato externæ negationis tantùm; sed fidei amissionis; in eo enim confirmare alios post conuersionem suam debebat, in quo ipse ceciderat: & planum est ei potissimum commendari confirmationem fratrum in retinenda fide Christi; non autem in sola externa confessione. Et quid sibi vult Euangelium dum asserit, Verba mulierum Christi resurrectionem nunciantium, visa esse [i] deliramenta Apostolis, si Petrus fidem diuinitatis retinuisset, resurrectionis nunciatio non fuisset ei visa deliramentum. [k] Omnes vos scandalum patiemini, prædixit Christus de omnibus, neminem excepit, ne Petrum quidem; quodnam scandalum? quia hominem captum, ligatum, consputum, ac demum crucifixum, purum hominem putaturi erant, vnum ex ordine cæterorum. Cur etiam exprobrat [l] incredulitatem omnium; eo quod ijs qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt? nisi quia, purum hominem censuerunt, qui se ipsum non posset suscitare. Cur tantopere laborauit per quadraginta dies [m] apparens? nisi vt resurrectionis fide certa apud eos comparata, Diuinitatis suæ fidem, in ipsis, passione & morte, iam totam abolitam & obliteratam renouaret, & iterum stabiliret. Et Augustinus supra expresse in hac Petri negatione fidei iacturam agnoscit.

a Luc. 22.
b Ioan. 17.
c Theod. diuin. decret. epist. li. 5. cap. de pœnit.
d Theophyl. in Luc. c. 22.
e Greg. homil. 21. in Euang.
f Sand. de visib. Monar. c. 4. concl. 1.
g Ambr. in ps. 43.
h Hem. in Luc. c. 28.
i Luc. 24.
k Matth. 26.
l Marc. 16.
m Act. 1.

Quinta

A Quintam Turrecrematæ rationẽ nihil ad rem esse arbitror; nam quod posterius est, & à priori totum pendet, non potest prioris ratio & causa esse. Cur enim Cathedra Petri habebit firmitatem magisterij, nisi quia sit cathedra illius qui erat fundamentum Ecclesiæ, super quem ædificata illa fuerit? At Autor iste vult inde probari Petrum fuisse fundamentum Ecclesiæ, quia Cathedra ipsius deinde habuit Magisterij firmitatem. Itti sunt veri circuli in logica, & principij petitiones. Idem prorsus dicendum etiam de sexta & septima rationibus. Doceat prius quomodo Petrus solus fuit Ecclesiæ fundamentum; Nam ex hoc sedes ipsius obtinebit vt sit in Ecclesia fundamentum, & regula in Iudicijs, nec mihi ignotum explicet per ignotius. XL.

Bellarminum torsit acriter hæc de Petro fundamento difficultas; nec videtur, vbi pedem sistat, posse inuenire: Modo enim ait; [a] Petrus in eo potissimum est Ecclesiæ fundamentum, quod cum fides eius deficere non possit, ipse omnes alios in fide confirmare, & sustentare debet; sic enim ad eum Dominus ait; [b] Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Itaque cum ratione fidei suæ indefectibilis Petrus sit Petra firmissima, totam Ecclesiam sustentans, idem est dicere super Petrum, & super eius fidem Ecclesiam esse fundatam.] Nos verò in Petro neque fidem indefectibilem reperimus, qui toties lapsus est; & Christi oratio illud obtinuit, vt non amitteret Petrus fidem irrecuperabiliter; Neque solum Petrum fidei firmitate post conuersionem valuisse arbitramur. Confirmandi verò alios curam non suscepisse solum, nisi cum aliqua ipsius depressione, iam ostendimus; Quippe qui exemplo sui lapsus & eleuationis deberet alios erigere. In quo nullam inuenio fundamenti rationem quam quærimus, quæ in solum Petrum possit, respectu totius Ecclesiæ, conuenire. XLI.

a *Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. c. 10.*

b *Luc. 22.*

C Modo verò idem Bellarminus rursum ait; [c] Catholici docent hac metaphora ædificationis, significari Petro esse commissum Regimen totius Ecclesiæ; & præcipue circa fidem; Petræ enim fundamentali hoc est proprium, totum ædificium regere, & sustentare.] Atque hoc ipsum est quod quærimus: Doceat obsecro nos vbinam, quando, & quomodo Petrus acceperit regimen hoc totius Ecclesiæ circa fidem: Audio ei promitti, super hanc petram, id est, super te Petrum (esto) ædificabo Ecclesiam meam. Aedificata, *inquit Bellarminus*, est Ecclesia super Petrum, dum Petro regenda, præsertim in fide, committitur. Non tamen docet vbinam soli Petro Ecclesia est commissa regenda. Si dicat ibi committi vbi ei dicitur, [d] Pasce oues meas. Ergo nihildum habet de primatu Petri ex illis præcise verbis, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. De illis autem, Pasce oues meas, erit seorsim sua disputatio. Interim verò cur lectores angitis tam prolixis disputationibus, super illa verba, Ædificabo Ecclesiam meam; si nihil aliud in illis continetur, nisi id quod in alijs, Pasce oues meas? Atqui proculdubio, aliud significatur metaphora fundamenti & ædificij; aliud metaphora ouium & Pastoris. XLII.

c *Bellarm. lib. 1 de Rom. Pont. c. 11.*

d *Ioan 21.*

D Sed, inquit Bellarminus, [e] Ita locum illum, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, exponunt Patres; & affert Chrysostomum, Ambrosium, & Gregorium: Sed Chrysostomus & Gregorius nihil aliud dicunt, nisi eo loco Petri præpositurum contineri, qua toti præficitur Ecclesiæ. Hoc tamen non est explicare quod quærimus; sed potius magis implicare: Quærimus enim vbi, quando, & quomodo, Petrus est factus Ecclesiæ fundamentum. Et quidem Chrysostomus, non erat ita concise proferendus: ait enim; [f] Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; id est, fidem atque confessionem. Hic aperte prædixit magnam eorum qui crediturí & erant, & sunt, multitudinem fore; & sublimiora sapere ipsum facit; & Ecclesiæ futuræ Pastorem constituit.] Itaque Chrysostomus intelligit Petrum fore fundamentum, quatenus conuersurus erat ad fidem credentium multitudinem: ædificatio enim Ecclesiæ fit adiectione fidelium ex infidelitate erutorum: & Petrus dicitur constitui Pastor futuræ Ecclesiæ; quia designatur prædicator Euangelij; & sane primus ac præcipuus; non tamen solus: & in vniuersam terram, ac in quamcunque nationem; non vt Hieremias, qui vni genti Hebræorum datus fuit Doctor & reformator. Sed hoc idem habuerunt omnes Apostoli, vt postea dicetur. Gregorius verò inquit, [g] Totius Ecclesiæ curam committi Petro illis verbis, Tu es Petrus &c. Sed neque Gregorius explicat nostrum quæsitum: & tamen locus ille Euangelij plures habet interpretationes doctissimorum & sanctissimorum virorum; quæ nullum Petri primatum conficiunt, quas iam ante attulimus. Non igitur satis est nuda Gregorij Pontificis Romani affirmatio, absque vlla loci explicatione. Ambrosius tamen ad rem maxime videretur accedere, si illud tantùm diceret. [h] Petra dicitur Petrus, eo quod tanquam XLIII.

e *Bellarminus ibidem. c. 12.*

f *Chrysost. hom. 55 in Matt.*

g *Greg. lib. 4. ep. 32.*

h *Ambr. ser. 47.*

saxum immobile, totius operis Christiani compagem, molemque contineat.] Sed tamen etiam ipse mutilus, & concisus artificiosè producitur à Bellarmino. Nam ipsemet Ambrosius se optimè explicat: & integer locus est diligentiùs perlegendus, siue sit Ambrosij, siue Augustini: nam inter vtriusque sermones sermo ille recensetur. Locum integrum vide supra, num. 29. & planè cognosces fundamentum in Petro nullum aliud ibi agnosci, nisi prædicationis fidei in nationes, & nomine saxi intelligi non Petrum, sed fidem quam disseminabat. A

XLIV. Concedimus itaque Bellarmino, Baronio, & cæteris hoc antecedens, super Petrum promittitur ædificanda Ecclesia: sed negamus illam eorum communem consequentiam; Ergo Petrus est Rector vniuersalis totius Ecclesiæ: Nondum enim eam à quoquam probatam vidi. Eius tamen falsitatem illo potissimùm argumento conuinci iam ostendo, quod difficile esse sibi cognouit, & fassus est Bellarminus; [a] nimirum, Quemadmodum hoc loco Petrus dicitur fundamentũ Ecclesiæ; sic alibi dicũtur omnes Apostoli fundamenta.] Et non minus verificatur in alijs omnibus Apostolis omnis ratio fundamenti, quæcunq; in Petro esse excogitetur, saluis Euangelij verbis, quàm in ipso Petro. Quis enim maximi alicuius ædificij totum integrum fundamentum vnico lapide constare vidit? Etsi interdum aliqua ædificia in firmo viuæ petræ magnæ solo, constituantur, id tamen soli Christo competere, ait Paulus: [b] Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Fundamentales tamen lapides, qui super tale solum lapideum viuum, primi imponuntur, ad molem erigendam, plures sunt, & non vnus: Tales fuerunt omnes Apostoli, vt describit Ioannes in fundamento cœlestis [c] Hierusalem, hoc est, Ecclesiæ etiam militantis; de quibus Paulus; [d] Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.] *Item*, [e] Vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat.] *Item*, [f] Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.] id est, Ecclesiæ: quam Apostolus tunc ædificari intelligit, cum per Christi Ministros, quorum varios gradus enumerat, infideles ad fidem reducuntur. Aedificatur igitur Ecclesia, non super solum Petrum, sed super omnes qui promouent fidei Christi propagationem. Cur verò idem Paulus diuersa se arripere itinera asserebat, [g] Ne super alienum fundamentum ædificaret, *nisi* quia prædicationem fidei à quocunque Apostolo factam, & alicubi admissam, fundamentum esse intelligebat, super quo Ecclesia extrueretur? Iuxta illud [h] Ecclesia quidem per totam Iudæam & Galilæam, & Samariam, habebat pacem, & ædificabatur, ambulans in timore Domini, & consolatione Spiritus Sancti replebatur.] Augmentum numeri & virtutis credentium, vocat Lucas Ecclesiæ ædificationem: Quod etiam ipsemet Petrus explicauit dicens, [i] Ad quem (*Christum*) accedentes, lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui, superædificamini domus spiritualis] Fide quidem præcipuè, non tamen mortua, sed charitate, & Christianis virtutibus adornata. B C D

XLV. Omnibus porrò Apostolis, non minus quàm Petro, eandem competere Metaphoricam fundamenti rationem, senserunt Patres ferè omnes Catholicæ Ecclesiæ propugnatores. Ignatius, [k] Vna Ecclesia quam suis sudoribus & laboribus fundârunt Apostoli, à finibus terræ vsque ad fines in sanguine Christi.] *Item*, [l] Antiochiæ enim primum Discipuli appellati sunt Christiani, cùm Petrus & Paulus fundarent Ecclesiam.] nimirum, per Syriam. Sed priori loco Apostolos omnes in communi vocant orbis columnas] Tertullianus, [m] Lapides enim sunt (*Apostoli*) & fundamenta, super quæ nos ædificamur, exstructi secundum Paulum super fundamentum Apostolorum.] Et Ecclesias Asiæ à Ioanne fundatas ibidem asserit. Sicut & [n] Hieronymus. Qui præterea vniuersaliter de omnibus Apostolis illud scriptum reliquit. [o] At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat.] *Item*, [p] Hæc domus (*hoc est, Ecclesia*) ædificata est supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.] Et paulò post subdit idem Hieronymus, Vnde & super vnum montium Christus fundat Ecclesiam, & loquitur ad eum, Tu es Petrus, &c.] Apostolos omnes montes vocauerat: Postea Petrum dixit esse vnum ex illis montibus, super quos ædificata est Ecclesia; In quibus omnibus verificat illud Isaiæ vaticinium: [q] Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini] Idem Hieronymus, hoc pacto Paulum loquentem alibi inducit; [r] Licèt Petrum & Ioannem secum Apostolos habuerit, & transfiguratum eum in monte viderint, & super ipsos Ecclesiæ sit positum fundamentum, mihi tamen nihil refert, &c] *Item*, [s] Post quæ introducitur persona Dei E

a *Bell. vbi supra, cap. 11.*

b 1. Cor. 3.

c Apoc. 21.
d Ephes. 2.
e 1. Cor. 3.
f Ephes. 4.

g Rom. 15.

h Act. 9.

i 1. Pet. 2.

k *Ignatius Epi. ad Philadelph.*
l *Idem ad Magnesianos.*

m *Tertul. lib. 4. adu. Marcion.*
n *Hier. lib. de Scriptoribus Eccles. in Ioan.*
o *Idem lib. 1. adu. Iouin.*
p *Idem in Isa. cap. 2.*

q Isa. 2.
r *Hieron. in Ep. ad Galat. lib. 1. cap. 2.*
s *Idem in Isa. lib. 17. in cap. 62.*

A na Dei loquentis ad Hierusalem; id est, Ecclesiam primitiuorum, & eam quæ in Apostolis, ac per Apostolos ædificata est.] Origenes expressiùs ante Hieronymum illud protulerat: [a] Quod si super vnum illum Petrum tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui, & Apostolorum vnoquoque? Quin alioqui non audebimus dicere, quòd aduersus Petrum vnũ non prævalitur.æ sint portę inferorũ, aduersus cęteros autẽ Apost ac perfectos pręualiturę sint; ac non potiùs in omnibus & singulis eorũ, de quibus dictũ est, fit illud quod dictũ est, & portę inferorũ non prævalebunt aduersus eam.] Hilarius; [b] Sed quia in his *Apostolis, inquit*, bonæ voluntatis esset affectus, perfecti ita sunt, vt & fundamenta Ecclesiarum fierent, & columnæ.] Cyrillus sic loquitur; [b] Est enim omnium fundamentum, & basis inconcussa Christus; omnia coërcet, ac continet, vt bene firma sint: in ipso enim omnes ædificamur domus spiritualis, compacti per Spiritum, in templum sanctum, in habitaculum ipsius; habitat enim in cordibus nostris, per fidem. Fundamenta etiam proxima, & viciniora nobis, intelligi possunt Apostoli, & Euangelistæ, oculati testes, & ministri sermonis facti in confirmationem fidei: Nam vbi cognouerimus, ipsorum traditiones esse sequendas; rectam, & minimè alienam, aut deuiam a Christo, fidem seruabimus.] Et paulo post subiungit; Dictum est item voce Psallentis; [c] Fundamenta eius in montibus sanctis. Optime sanctis montibus comparandi sunt sancti Apostoli, & Euangelistæ; quorum cognitio firmata est, instar fundamenti posteris, non sinens eos, qui peripsos irretiti sunt, in reprobã fidem decidere.] Augustinus, verba illa, [d] Fundamenta eius in montibus sanctis, exposuit in Apostolis & Prophetis: Et in ciuitate mystica Hierusalem [e] ostendit duodecim portas, & duodecim [f] Angelos Apostolos esse, & Prophetas; quoniam sic scriptum est, inquit, ædificati sumus supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum; sicut Dominus dixit Petro, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Idem quoque explicans versiculum illum Psalmi, [g] Rigans montes de superioribus, &c. æque Paulum facit petram, atque Petrum, & nos de medio petrarum dare voces asserit, dum per dicta etiam Pauli soluimus fidei difficultates. Ambrosius; [h] Petrum, Ioannem, & Iacobum, vocat fundamenta Ecclesiæ, turres, & columnas. Et alibi loquens de septuaginta senioribus Moysis adiutoribus in regendo, ait, [i] Quod in typo factum est, quoniam Spiritus Sanctus in die Pentecostes Apostolis se infudit, vt & ad fundandam Ecclesiam sapientes essent, & ad regendum fortes.] Nota & fundationem, & regimen Ecclesiæ, ad omnes Apostolos pertinuisse. *Item* Ambrosius, siue quicunque Autor sit expositionis in Apocalypsin, ita scribit; [k] Christus fundamentum est omnium Apostolorum suorum; similiter & ipsi fundamenta sunt eorum, qui per eos crediderunt.] Chrysostomus; [l] Quoniam, *inquit*, ad Apostolos loquitur, & in Apostolis fundata est Ecclesia, quicquid Apostolis loquitur, Ecclesiæ loquitur, nam Ecclesia corpus vnum habet, sed multa membra habet.] *Item*; [m] Columnæ quidem (*erant Apostoli*) quoniam virtute sua Ecclesiæ robur sunt: fundamentum autem, quia in confessione ipsorum fundata est Ecclesia, dicente Domino, Tu es Petrus, &c.] *Item*, [n] Resurgens (*Christus*) solis discipulis apparuit, veruntamen & eam (*resurrectionem*) dicendo persuaserunt, sicque Ecclesiam ædificauerunt.] Vbi aureâ illâ suâ eloquentiâ mirificè pluribus persequitur Ecclesiæ ædificationem; totamque in hominum conuersione, per Apostolorum prædicationem, docet consistere; virtute illorum Christi verborum infallibilem effectum consecutorum; Ædificabo Ecclesiam meam. Habetque Chrysostomus, inter alia, hæc verba; sic igitur ædificabant. Alioqui nullus ædificare potest parietem vnum, quem lapidibus & calce extruit, si impediatur & fugetur: illi autem, etiam Ecclesias, in toto orbe, vbique extruxerunt, licet ligarentur, persecutionem ferrent, proscriberentur eorum bona, flagellis cæderentur, occiderentur, comburerentur, submergerentur, vna cum discipulis.] *Et*, Aedificabant non lapidibus, sed animabus, & institutis, quod plane multo difficilius, quam lapidibus extruere. Non enim par est construere sensibilem parietem, & animæ tantis temporibus à dæmonibus irretitæ persuadere, vt ab insania illa desistat, & ad tantam perueniat temperantiam. Nihilominus hoc potuerunt nudi illi, & calceis carentes, & vna veste amicti, perque vniuersum orbem currentes. Habebant enim adiutricem & commilitantem inuictam virtutem eius qui dixerat; Super petram hanc ædificabo Ecclesiam meam.] Potestne clarius explicari quid sit ædificari Ecclesiam? & vbi promissio illa Christi (*ædificabo*) effectum suum sortita fuerit? Et sanè paulò ante idem Chrysostomus dixerat; Duodecim erant discipuli, sequentes ipsum, & Ecclesiam referebant; quamuis nullus tunc eam mente conciperet; siquidem nec nomen Ecclesiæ erat, sed florebat Synagogæ.

B

C

D

E

[a] Orig. tract. 2. in Matthæum.

[b] Hilar. in Psal. 67.

[b] Cyrill. l. 4. in Isa. orat. 2.

[c] Psal. 86.

[d] Augustin. in Psal. 86.

[e] Idem hom. 18. in Apoc.

[f] Apoc. 21.

[g] Idem Augustin. in Psal. 103.

[h] Ambros. in Psal. 47.

[i] Idem Ambr. tract. de 42. mans. 13.

[k] Ambros. in Apoc. c. 21.

[l] Chrys. hom. 18. ex variis in Matth. loc. in Idem serm. de Petro & c.

[m] Idem in Demonst. adu. gent.

goga. Quid igitur dicit? Orbe fermè toto in impietate detento, prædixit; Super petram hanc ædificabo Ecclesiam meam.] Pergitque ædificationem Ecclesiæ illis verbis promissam, explicare per euentum conuersionis nationum. Atque hoc opera vndecim Apostolorum. Subdit enim; Et per quos persuasit? per viros vndecim illiteratos, priuatos, ineloquentes, obscuros, pauperes, patria, facultatibus, robore corporis, præcellentia gloriæ, dignitate progenitorum, vehementia Retorices, eminentia scientiæ carentes: per piscatores, per pellionēs, per barbaros; neque enim eadem illis & auditoribus vox; sed extraneum planè & peregrinum sermonem à linguis eorum quibus prædicabant, sortiti erant: hebraicum dico. Atque per hosce ædificauit Ecclesiam hanc, quæ à finibus vsque ad fines extenta est.] Atque, vt alibi habet idem Chrysostomus; [a] Nihil aliud est Ecclesia, quam ex nostris animabus constructa domus.

a *Chrys. Homil. 10. in Ep. ad Ephes.*

XLVI. Concilium Aquense sub Rege Pipino sic loquitur. [b] Per Beatum Petrum Apostolorum Principem in Occidentis; per Beatum verò Ioannem Apostolum & Euangelistam in Orientis, id est in Asiæ partibus; per Beatum etiam Paulum in tota generaliter mundi latitudine fundata, & ex oblationibus fidelium constat ditata, atque honorata (*Religio*). Qualiter autem cæteri co-Apostoli illorum in regionibus sibi à Christo Domino ad prædicandum commissis Ecclesiam Christi fundauerint, gesta illorum &c.] Non negat veritatem hanc Nicolaus tertius Romanus Pontifex; sed eam fatetur dicens, [c] Fundamenta Militantis Ecclesiæ, in montibus Sanctis, Propheta rememorans, per montes Apostolos, & prædicatores patenter insinuat; quibus tota huiusmodi ædificij fabrica confidenter innititur; qui firmæ bases Ecclesiæ, &c.] Et alibi idem hæc verba habet; [d] Hi sunt illi sanctæ regulæ professores, qui Euangelico fundantur eloquio, vitæ Christi roborantur exemplo, fundatorumque militantis Ecclesiæ Apostolorum eius, sermonibus, & actibus firmantur, &c.] Nicolaus Cusinus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis amplissimus; [e] Etsi Petrus, *inquit*, per petram, tanquā lapis fundamenti Ecclesiæ intelligi deberet; tamen secundum Hieronymū similiter alij Apostoli fuerunt lapides, de quibus habetur Apoc. pen. vbi per duodecim lapides fundamenta ciuitatis Hierusalem, nemo dubitat duodecim Apostolos intelligi debere. Ideo rectè dicimus omnes Apostolos in potestate cum Petro æquales.] Prolixus nimium essem si vlterius illos proferrem, qui Apostolos vel plures, vel omnes, vocant columnas, bases, & stabilimenta Ecclesiæ, non solum Petrum. Vide, Lector, si placet, Ignatium in Epistola ad Philadelphienses. Hieronymum lib. 1. comment. in Ep. ad Gal. in c. 2. Ambrosium in Ps. 118. Chrysost. ad populum Antiochenum Hom. 79. Et Epist. antiquas Decretales Pont. Rom. quæ apud nos Romanos plurimum valent: Anacleti, Sixti primi, Eusebij, Melchiadis, Julij primi, & Epistolam Aegyptiorum Episcoporum ad Felicem tom. 1. par. 1. Quomodo ergo soli Petro conueniet, vt sit Petra super quam fundetur & stabiliatur Ecclesia? Nec nos turbet verbum Cypriani supra n. 24. dum ait. [f] Super vnum, qui claues accepit Ecclesiam esse ædificatam. Aliud enim est vnum, aliud solum: ibi vnum dixit propter mysterium vnitatis, quod sequenti capite explicabitur. Sane Cyprianus aliquando admisit in Metaphora fundamenti intelligi etiam regimen & gubernationem Ecclesiæ: hoc tamen regimen intelligit & explicat tunc quando datum fuit Petro illis verbis, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo, &c. Fuisse simul etiam datum omnibus Episcopis, quos passim Apostolorum facit successores, ait enim, [g] Dominus noster, cuius præcepta metuere & obseruare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Euangelio loquitur, & dicit Petro; Ego tibi dico, Quia tu es Petrus &c: Inde per temporum, & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit; vt Ecclesia super Episcopos constituatur; & omnis actus Ecclesiæ, per eosdem præpositos, gubernetur.] Quod ipsum postea Augustinus explicauit, Petrum regimen pro tota Ecclesia, & nomine totius Ecclesiæ, accepisse: non sibi soli, sed simul omnibus Ecclesiæ Prælatis, quos ipse tunc repræsentabat: vt infra fusius explicabo.

b *Conc. Aquen. l. 1. c. 12.*

c *D. Ptol. in 6. c. fundament.*

d *Bernard. Opus quorundā d. Verb. fig*

e *Cusan. de Concor. cath. l. 2. c. 13.*

f *Cypr. ad lu. Epist.*

g *Cyp. l. 5. Ep. 6.*

XLVII. Quid mirum igitur si ipsimet Monarchici in hoc manus dare, ac propemodum huic primo loco ad confirmandam Petri Monarchiam, dum ad pauca respicerent, aptissimo iudicato, cedere; illumque è manibus sibi elabi, sponte pati, consentiant? Sic enim loquitur Ioannes de Turrecremata, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & protector singularis, [h] Non sumus argumentati Petrum primatum habuisse, quia dictus fuit fundamentum, siue Petra Ecclesiæ; sed ideo quia singulariter Petrum, alijs præsentibus Apostolis, Christus petram nominauit Ecclesiæ. Ex quo videtur quod licet aliis Apostolis commune fuerit cum

h *Turrecrem. l. 2 de Eccles. c. 11.*

A rit cum Petro fundamentum esse Ecclesiæ, vt aperte ad Ephes. 3. habetur, & Apoc. 21. sicut infra plenius habebitur: Nihilominus Petrus post Christum principale fundamentum fuerit, & totius fundamentum Ecclesiæ.] Hucusque Turrecremata. Accipimus igitur libenter primatum Petri non haberi ex eo quod dictus fuerit Petra Ecclesiæ; & hoc commune fuisse aliis Apostolis. Quod verò præsentibus ipsis singulariter Petrus dictus fuerit petra & fundamentum; leuissimum facit argumentum suprematus Petri: si enim re ipsa nihil datur, aut promittitur singulariter Petro, quod non conueniat & cæteris; verba illa, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ad Petrum solum singulariter non pertinebunt; neque quisquam iam tantopere illa iactet, ad absolutum Petri primatum ostendendum. Quod enim, præsentibus alijs, ad Petrum singulariter à Christo dirigantur; aut mysterium erit, de quo postea capite sequenti; aut ad summum ea præcipue ad Petrum

B spectare, sine tamen exclusione cæterorum, colligendum. Quod equidem facile concesserim; & Petrum principalem Ecclesiæ ministerialem fundatorem, si comparetur cum vndecim, & ipse libenter agnosco. Sed ex hoc quis tam absolutam ipsius Monarchiam potest deducere? Cum præsertim additus fuerit ei a Christo Paulus, qui in hoc ipso eum longe superauerit? Quod enim vnus medicus sit alijs peritior, & ad plures curas adhibitus, non propterea erit aliorum Dominus & gubernator; nec alij ab illo habebunt, vt sint medici; neque ab eo in arte sua pendebunt; nec ille habebit super eos iurisdictionem; Primatum tamen quendam habebit nominis, & excellentiæ. Sixtus Senensis & ipse nobis assentitur, dum ait; [a] Credimus, & certa fide faremur, Christum esse primum ac potissimum totius Ecclesiastici ædificij fundamentum: sed super hoc etiam fundamentum asserimus alias petras superimpositas; nempe Petrum, & cæteros Apostolos; quos Ioannes in Apocalypsi nominat [b]

C duodecim fundamenta cælestis Hierusalem, quibus reliquas Ecclesiasticæ structuræ partes superædificatas esse non dubitamus.]

Sed, quem plurimi facio, Bellarminus; tandem ipse quoque post multa de Petro petra disputata, hoc argumento, quod cæteri etiam Apostoli fuerint fundamenta, adactus, pedibus in nostram cogitur ire sententiam; ait enim; [c] Respondeo; tribus modis Apostolos omnes fuisse Ecclesiæ fundamenta; sine ullo tamen Petri præiudicio. Vno modo quia ipsi primi Ecclesias vbique fundarunt; nec enim Petrus conuertit ad fidem totum orbem terrarum; sed alias regiones Petrus, alias Iacobus, alias cæteri ad Christum adduxerunt. Altero modo dicuntur fundamenta Ecclesiæ Apostoli & Prophetæ, ratione doctrinæ à Deo reuelatæ, &c. Tertio modo dicuntur fundamenta omnes Apostoli, ratione gubernationis: omnes enim fuerunt capita, Rectores, & Pastores Ecclesiæ vniuersæ.] Hanc

D apertam Aristocratiæ confessionem, sola vis veritatis Cardinali Illustrissimo extorsit. Nam quod subdit, dicens; Apostolos non eodem modo quo Petrus, fuisse Rectores Ecclesiæ; nihili prorsus est faciendum; præsertim in proposita quæstione de vi illorum Christi verborum, Tu es Petrus, &c. Illi enim, *inquit*, habuerunt summam atque amplissimam potestatem, vt Apostoli seu legati; Petrus autem vt Pastor ordinarius. Deinde ita habuerunt plenitudinem potestatis; vt tamen Petrus esset caput eorum; & ab illo penderent; non è contrario. Atque hoc est quod promittitur Petro, cum ei soli coram alijs dicitur, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Hæc Bellarminus fere ex [d] Caietano.

Sed non soluit argumentum. Nos enim fusè probauimus omnimodam æqualitatem inter omnes Apostolos, in ratione fundamenti; absque vlla essentiali differentia; quam nullam prorsus Sanctissimi Patres cognouerunt. Neque vllum habent locum in toto Euangelio, ex quo possint ne vmbram quidem minimam ostendere, vnde, vel à longe

E colligere possimus Petrum fuisse ordinarium vniuersalē Ecclesiæ Pastorē, alios verò extraordinarios, & legatos. Summam enim, & absolutam æqualitatem inter omnes Apostolos iam cap. 3. huius libri inuenimus: Quam summam æqualitatem in receptione quoque clauium, & officij Pastoralis, in sequentibus obseruabimus; sicut & in ratione successionis. Hæ igitur differentiæ Bellarmini, & aliorum, sunt meræ subtilitates, ad effugiendam, & declinandam vim argumenti supradicti, excogitatæ, & gratis prolatæ, & hactenus nondum ab eis probatæ. Promissio est Ecclesiam ædificandam super Petrum: non dicitur super te tanquam super pastorem ordinarium, & caput cæterorum; à quo illi in regimine pendeant: sed absolute dicitur [e] Super hanc petram: effectus æquè in cæteris est consecutus. Quomodo ergo asseris Petro promitti illis verbis ordinarium vt capitis regimē? Nonne apparet hic manifesta petitio principij? Quæro enim vnde habes Petrum solum esse caput, & ordinarium Ecclesiæ Gubernatorem? Respondes, Quia ei soli fuit dictum co-

a *Sixtus l. 6. Biblioth. annot. 68.*

b *Apoc. 21.*

XLVIII.

c *Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 11.*

d *Caiet. tract. de Rom. Pont. institut. c. 5 ad primum.*

XLIX.

Digitized by Goo

ram alijs, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & consequenter fuit factus, seu designatus, Ecclesiæ singulare fundamentum. Ideo ergo caput, quia fundamentum. Si vlterius quæro, cur Petrum solum facis quoddam singulare fundamentum, quod alij Apostoli non fuerint: Respondes; Quia erat caput & gubernator ordinarius: Ideo ergo caput & gubernator ordinarius, quia fundamentum: Et ideo fundamentum singulare quia caput & gubernator ordinarius. Isti sunt circuli quibus flectitur & reflectitur is qui falsa tueri nititur; cum enim non possit recta, certe spiris cogitur incedere. At, *inquit Bellarminus*, Hieronymus id docet, dum ait; [a] Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur; vt, capite constituto, schismatis tolleretur occasio.] Profecto Hieronymus dicit ex æquo omnes Apostolos fuisse Ecclesiæ fundamenta: neque addit Petrum fuisse tunc factum ordinarium Pastorem & caput; a quo penderent cæteri Apostoli in regimine: hoc enim prorsus repugnat æqualitati quam asseruerat, vt [b] supra etiam monui. Sed ad reducendum Apostolicum collegium, ad vnitatem sub vno præside, & capite honorario, vt vitarentur schismata, Petrum Hieronymus dicit fuisse caput constitutum. Quod æqualitati summæ non repugnat. Et de hoc plura infra.

a *Hieron. l. 1. in Ioan.*

b *Supra cap. 3. num. 9. 10.*

L. Interim verò plurimum conqueror, quod nunquam Monarchici exposuerint, quid sit ipsa Ecclesiæ ædificatio, & quomodo illa in solo Petro fuerit verificata, si soli Petro fuit promissa; vt inde discere possemus, Monarchiam Petro verè committi, siue promitti, vbi ei dicitur, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nos verò, vt arbitror, clarissimè ostendimus, num. 45. ex celebertimis quibusque Catholicæ Religionis Patribus, ædificationem esse conuersionem populorum; Fundamentum primarium esse Christum, atque fidem in ipsum; secundarium verò, id est proximos lapides fundamentales super viuæ petræ solo, quæ est Christus, immediatè inhærentes, esse omnes Apostolos, qui primi à Christo instructi in fide, facti sunt fundamentum cæteris fidelibus, dum ipsorum doctrinæ, & prædicationi fidem adhibentes, & ipsis in hoc inhærentes, in Ecclesiæ ædificium sunt ingressi. Explicat id Epiphanius de ipso Petro, nempe, illum factum esse petram & fundamentum Ecclesiæ, [c] Quia, *inquit*, confessus est Christum Filium Dei viuentis: & audiuit, Super hanc petram fidei ædificabo Ecclesiam.] Ædificationem nimirum Ecclesiæ fieri per susceptionem fidei, quam Petrus est confessus: Hanc tamen eandem fidem prædicauerunt omnes Apostoli; ergo omnes Ecclesiam ædificauerunt super eandem petram. Sed & ibidem alio modo facit Epiphanius Petrum fundamentum Ecclesiæ, quatenus nimirum dirutum fidei ædificium, in se ipso, per conuersionem & pœnitentiam, restaurauit: & consequenter, totam Ecclesiam suo exemplo docuit, quo pacto per [d] pœnitentiam, benè iuncta fides, rursum ædificetur. Et hæc ædificatio est singularis, & personalis Petro: nam vniuersalis ædificatio est illa prior, per fidei prædicationem. De qua, optimè Cyrillus, [e] Fontes liquidem aquarum, *inquit*, sunt diuini Discipuli, qui sermones è supernis, & per Spiritum in vniuersum orbem terrarum depluunt. Sunt item & *fundamenta* mundi. [f] Lapis enim selectus Christus, qui politus à Deo & Patre dicitur in fundamenta Sion, id est, Ecclesiæ; ipsi namque innitimur, & per fidem [g] ædificamur domus spiritualis in Sacerdotium sanctum, in ædificium Dei, in Spiritu. Lapides verò secundum ipsum, siue fundamenta orbis habitabilis, possent esse, ac dici, idque iure optimo, qui illum per omnem terram prædicárunt: nam scripta eorum nos sustinent, ac firmitate, & constantia fidei & veritatis fulciunt.] Et Augustinus; [h] Isti sunt, *inquit*, lapides, quos in fundamento cœlestis ædificij positos Ioannes in Apocalypsi sua describit; Quæ prædicatio eorum, Ecclesiæ fundamenta vocant.] Optimè verò, & clarissimè Theophylactus in hunc locum, Rependit, *inquit*, gratiam Petro Dominus, vt super illo ædificetur Ecclesia.] Quomodo verò ædificata fuerit Ecclesia super Petrum declarat, subdens: quoniam Petrus confessus est Christum Filium Dei, futurum ait, vt hæc confessio quam confessus est, sit credentium fundamentum: adeò, vt quicunque domum fidei erit extructurus, is confessionem hanc substernat pro fundamento.] Venit ne (quæso) vlli horum, qui toto Spiritu vim huius ædificationis in Petrò indagabant, in mentem Petri supra Ecclesiam Principatus, & absolutus dominatus? [i] Certum igitur & euidens redditur, nihil in hoc singulare supra cæteros Petrum habuisse, nisi ad summum excellentiam quandam, quatenus in prædicanda fide, indefesso labore, cæteros vndecim facilè superârit; & multò plures ad fidem conuertens, ibique vniuerit in credendo.

c *Epiph. hær. 59.*

d *Aquin. 3. q. 84. ar. 6.*

e *Cyrill. lib. 2. in Isa. cap. 12.*

f *Isa. 28.*

g *1. Pet. 2.*

h *August. Ser. 43. de Sanctis.*

L I. Quæret quispiam, num in nominis mutatione lateat aliquod Petri priuilegium, qui ex Simone,

A Simone, iuxta promissionem ei factam à Christo, [a] Tu vocaberis Cephas : hoc loco Cephæ, seu Petræ nomen sit sortitus, dicente ei Domino, Tu es Petrus? Respondeo, in sola præcisè nominis mutatione me exiguum, aut vix vllum mysterium inuenire, si Petræ significationem, & fundamenti rationem, ac promissionis illius, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, virtutem seperemus. Origenes enim instituens quæstionem, Cur is qui prius Saulus dictus est, mox Paulus dicatur, ait: [b] Inuenimus in Scripturis diuinis quibusdam veterum commutata vocabula, vt ex Abram vocatus Abraham; ex Sarai, Sara; & ex Iacob, Israel. In Euangelijs quoque ex Simone Petrus, & filij Zebedæi Boanerges nuncupati sunt.] Varia mox adducit exempla pluralitatis nominum, tam in Veteri Scriptura de Salomone, qui & Idida; Sedechia, qui & Ioachim; Ozia, qui & Azarias: quàm in Noua; vt in Matthæo, qui & Leui; Thaddæo, qui & Lebbæus & Iudas: deinde subdit; Certum est autem Euangelistas non errasse in nominibus Apostolorum; B Sed quia moris erat binis, vel ternis nominibus vti Hebræos, vnius eiusdemque viri diuersa singuli nominum vocabula posuere.] Et soluit suam de Paulo quæstionem dicendo; ipsum vtroque nomine de more Hebræorum fuisse etiam ordinarie appellatum: & eos reijcit, qui instar Parthicorum, & Gothicorum olim apud Romanos; à Paulo Proconsule deuicto, Saulum dictum esse Paulum voluere. Quos tamen secutus est postea [c] Hieronymus: Aliter verò [d] Chrysostomus. Origenes igitur putat ex consuetudine Hebræorum, etiam Petrum duplici nomine fuisse vocitatum. Tertullianus in mutatione nominis Petri illud tantum mysterium agnouit: [e] quod ob vigorem fidei petra potius fuerit appellatus, quàm ferrum, æs, calybs, & similia; quæ tamen solida, & dura sunt; vt proprium etiam nomen Christus, qui erat petra, & lapis, eidem communicaret. Locum Tertulliani vide supra num. 10. Augustinus in sola significatione nominis Petrus obseruauit mysterium; non autem in nominis mutatione præcisè; ait enim; [f] Magnum C quia mutauit & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à petra, petra verò Ecclesia; ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia.] *Item*, [g] Tu es Petrus. Simon quippe ante vocabatur; hoc autem nomen ei vt Petrus appellaretur à Domino impositum est. Et hoc vt ea figura significaret Ecclesiam.] Ambrosius verò idem ferme mysterium agnoscit, quod & Tertullianus; non in mutatione, sed significatione nominis. Ait enim; [h] Cum vocaretur ergo Simon, per hanc deuotionem vocatus est Petrus &c. Recte igitur quia petra Christus &c. vt supra num. 10. Cyrillus mysterium in solo nomine posuit, dicens; [i] Nec Simon fore iam nomē sibi &c. vt [k] supra.] Sunt tamen qui velint etiam ipsam præcisè mutationem nominis, per Christum Dominum factam, aliquid Mysterij & dignitatis, ac præcellentiæ, secum ferre; vt conatur Castrensis; dum primatum Petri colligit ex nominis mutatione. [l] Nunquam enim, *inquit*, Deus nomen nouum alicui homini indidit, quem non magis adornasset beneficijs, & ad altam quandam extulisset dignitatem.] Exemplificat D mox in Abraham, Sara, Iacob, & filijs Zebedæi: tum subiungit; Cum ergo Petro nouum à Deo imponatur nomen, grande in eo futurum mysterium designatur.] Grande profecto mysterium erat, quod de vili piscatore factus est primus, & maximus Apostolus. Pergit ille, Nomen siquidem Petrus à petra deriuatum esse viderur &c. Quod nomini Christi similllimum foret &c. vt vel hac ratione nominis edoceremur, Petrum Christi vicem in terris habiturum, cuius nomen tunc accepisse cognoscimus.] Sed debilis est ipsius coniectura; Nam si propterea Petrus Christi vicem in terris habituris erat, quia nomen Christi proprium in se accepit; alij etiam Apostoli eandem vicem erant habituri, quia agnomina ista Christi propria, ipsis etiam sunt à Christo communicata. De quibus sic Ambrosius. [m] Magna autem, *inquit*, Christi gratia, qui omnia prope vocabula sua, Discipulis ipsis, donauit. Ego sum inquit [n] lux mundi: & id tamen quo ipse gloriatur discipulis nomen indulsit, dicens, [o] Vos estis lux Mundi. [p] Ego sum panis viuus: &, [q] Nos omnes vnus panis sumus. [r] Ego sum vitis vera: & tibi dicit, [s] Plantaui te vitem fructuosam, omnem veram. Petra est Christus: [t] Bibebant enim de spirituali sequenti petra, petra autem erat Christus: etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipse sit [u] Petrus, quod de Petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem.] Nonne etiam filij Zebedæi à Christo vocati sunt Boanerges? Nonne ex Saulo dictus est Paulus? De quo audi Chrysostomum: [x] Cur eius nomen immutauit Deus, & Saulus qui esset Paulum vocauit? Vt ne hac quidem parte reliquis Apostolis inferior esset; sed quod selectum eximiumque habuit Discipulorum antesignanus, hoc & ipse adipisceretur, & maioris necessitudinis argumentum obtineret.] Mysterium verò [y] in hac mutatione nominis illud explicat Chry-

a Ioan. 1.

b Orig. in præf. in epist. ad Rom.

c Hieron. in ep. ad Philem. init.

d Chrysost. hom. de ferendis reprehens. & conuers. Paul.

e Tertul. l. 4. adu. Marcion.

f August. tract. 7. in Io.

g Idem Serm. 13. de ver. Dom.

h Ambr. ser. 84

i Cyrill. l. 2. in Io.

k Hoc cap. 6. num. 24.

l Alfon. de Castro l. 12 adu. Hæres. V. Pap. & cum eo Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 17

m Am'r. l. 6. in Luc. c. 9.

n Io. 8.

o Matth. 5.

p Io. 6.

q 1. Cor. 10.

r Io. 15.

s Hierem. 2.

t 1. Cor. 9.

u Matth. 16.

x Chrysost. in ep. ad Rom. in fine

y Idem l. an. de ferend. reprehens. & conuer. Pauli

Chrysostomus, quod per talem nominis mutationem qui illam facit, dominium plenum exerceat in eum, quem nouo nomine appellat. Sed nemo in his Mysteriis principatum contineri vllum vnquam est subodoratus. Atque hæc dicta sint de loco illo, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nunc ad aliam partem eiusdem loci, vbi de clauibus agitur, transitum faciamus.

CAP. VII.

Consideratur locus ille, Tibi dabo Claues, & quodcunque ligaueris, &c.

Summa Capitis.

Verba hæc ad Petrum diriguntur, num. 1. 2. Promissio tamen clauium, & etiam concessio nihil minus alijs quoque omnibus facta est Apostolis. num. 3. 4. 5. 6.
In clauibus ligandi & soluendi potestas continetur. num. 7. 8. 9.
Alia clauium mysteria pro Petri primatu excogitata reijciuntur. num. 10. 11. 12. 13.
Cur Dominus cum solo Petro loquatur, præsentibus alijs, de fundatione Ecclesiæ, & de clauibus. num. 14. 15. 16.
Mysteria & explicationes variæ Patrum cur hoc fiat proferuntur. Et sanè primum mysterium cuique obuium declaratur. num. 17.
Secundum; Vnitatis Ecclesiæ ex Cypriano potissimum, quem sequuntur Augustinus, & Pacianus, num. 18. 19.
Tertium; Vnitatis inter Apostolos, ex Optato, num. 20.
Quartum; Vnitatis similiter inter Apostolos, sed alio modo, ex Hieronymo. num. 21.
Quintum; Figuræ & typi Ecclesiæ, ex Augustino. num. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29.
Sextum; Imitationis, ex Leone. num. 30.
Septimum; Consensus fidei cum fide Petri, ex Glossa interlineari. num. 31.
Comparantur hæc veterum mysteria, cum modernis. num. 32.
Allegoricas explicationes huc conuenire ostenditur. num. 33.

I. DVæ præcipuæ fuerunt promissiones quas Christus fecit Petro, occasione illius celeberrimæ ipsius confessionis, quando respondens dixit, Tu es Christus filius Dei viui: Altera fuit Petrum futurum præcipuum, & maximè insigne fundamentum, super quo ædificium Ecclesiæ Christi, hoc est, propagatio fidei debebat exurgere: Altera cõtinetur illis verbis; [a] Et tibi dabo claues Regni cœlorum; & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Si antecedentia verba illa, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, verè, propriè, & proximè Petro ipsi à Christo dicta esse concessi in superioribus, & sponte ac libenter admisi; vbi tamen ambigi meritò poterat quænam sit illa petra, super quam Christus se Ecclesiam suam ædificaturum promisit; quanto libentiùs & promptiùs admittere debeo, alteram hanc promissionem, eidemmet Petro verè, propriè, & proximè fieri? Siquidem dicitur expressè à Christo Petrum alloquente; Tibi dabo Claues. Valeant igitur & recedant quicunque vim huic literæ adhibentes, non Petro proximè, sed, exclusa Petri persona, vel toti Ecclesiæ, vel alteri qui non sit Petrus, claues dari aut promitti, contendunt. Mihi in hoc audire Patres, vera Ecclesiæ Catholicæ lumina, ab illis discere, & cum illis loqui, placet.

a Matth. 16.

II. Tertullianus hæc habet; [b] Nam etsi adhuc clausum putas cœlum, memento claues eius hic dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse: quos hic vnusquisq; interrogatus atque confessus ferret secum.] Origenes; [c] Sed quoniam oportebat, *inquit*, aliquid maius habere Petrum, præ illis qui ter arguerant; ideo illi sic quidem dicit, Et tibi dabo claues Regni cœlorum.] Hieronymus; [d] Prudens lector inquirat, quomodo post tantam beatitudinem, Beatus es Simon Bar-Iona; &, Tu es Petrus, &c. &, Tibi dabo claues Regni cœlorum, &c. Nunc audiat, Vade retro me Sathana?] Cyrillus Hierosolymitanus ait; [e] Petrus enim is erat, qui claues cœlorum secum ferebat.] *Item*: [f] Non pudeat te Apostolorum;

b Tertull. in Scorp.
c Orig. tract. 6. in Matth.
d Hieron. in Matth. c. 16.
e Cyril. Hieros. catech. 6.
f Idem Catech. 14.

A lorum: non sunt Moyse deteriores, neque Prophetis inferiores; sed boni cum bonis, & boni meliores. Elias enim assumptus est in cœlum, sed Petrus habet claues regni cœlorum, cum audiret; & quæcunque solueris super terram erunt soluta & in cœlo.] Augustinus; [a] Nunquid melior Razias, quam Petrus Apostolus, qui vbi dicit, Tu es Christus filius Dei viui; tam beatus à Domino appellatus est, vt, Claues Regni cœlorum accipere mereretur?] Ambrosius; [b] Quemadmodum autem clausi cœli aperiendi sunt, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non posse, nisi claues Petri Apostoli sumpserimus, quas Domino largiente suscepit, sicut ipse dixit; Tibi dabo claues Regni cœlorum.] *Item:* [c] Qui posterior venerat, primus ingreditur (*Petrus*) quasi qui claues Regni, vt alijs aperiret, acceperat.] *Item:* Beatus [d] Petrus, cui non inferorum porta præualuit; Non cœli porta se clausit; sed è contrario destruxit inferni vestibula, patefecit cœlestia. In terris

B itaque positus, cœlum aperuit, inferos clausit.] *Item:* [e] Sed hoc improbe, quod etiam (*Nouatiani*) in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit, Tibi dabo claues, &c.] Chrysostomus; [f] Quænam maiora, *inquit*, dona videntur, quæ Pater, aut quæ Filius Petro largitus est? Pater quidem reuelationem et filij sui dedit; filius autem partim vt tam Patris quam filij sui reuelationem, vbique terrarum posset seminare; partim, vt quamuis homo esset mortalis, cœlesti tamen potestate polleret; & claues haberet Regni cœlorum.] Planum est Chrysostomum explicare, vtramque illam promissionem; tum ædificationis, tum clauium, & illam priorem docere in eo consistere, vt fides Christi dissemineture. Quæ moneo, vt adhuc melius videas quid sit ædificari Ecclesiam super Petrum. Beda; [g] Qui enim Regnum cœlorum maiori dilectione præ cæteris confessus est, merito præ cæteris collatis Regni cœlestis claubus donatus est.]

C Monstri igitur simile sit negare hoc loco dominum cum ipsamet persona Petri loqui; eique promittere claues; quas postea ipsi etiam infallibiliter concesserit. Sed monstri adhuc fortasse maioris simile fuerit; ad Petrum solum hanc promissionem, ipsiusque executionem adeo arctare, vt claues Apostolis alijs neque fuerint promissę à Christo, neque datæ. Sanè promissionem similem, si non etiam traditionē, non multo post omnibus Apostolis à Christo factam habemus in Euangelio; [h] Amen dico vobis, quæcunque allegaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cœlo.] Pares ergo sunt in promissione Apostoli omnes cum Petro. Quod verò prius seorsim Petro facta fuerit promissio, deinde cæteris; mihi prætensum illum primatum non videtur concludere; dummodo reipsa euam in ipsis effectum habuerit promissio, vt reuera habuit: nam omnibus simul post Resurrectionem dixit Christus: [i] Sicut misit me Pater, *ita* & ego mitto vos; vt postea explicabimus. *Item:* [k] Euntes docete

D omnes gentes. Probabimus enim nihil ibi concessum Petro, quod æquè non fuerit etiam alijs Apostolis concessum. Ac quemadmodum si sanctissimus Rom. Pontifex, in conuersatione cum aliquot Prælatis suis carissimis, quos omnes in mente haberet promouere ad Romanum Cardinalatum, vni tamen ex ipsis coram alijs diceret; Te Cardinalem faciam, postea vero alia die idem etiam illis alijs promitteret, ac suo tempore exequeretur; primoque loco nominaret illum eundem, cui soli primum hanc promisit dignitatem: Quis, rogo, hinc colligeret illum instituí dominum super alios, & principem cum Iurisdictione etga illos? Colligerem ego quidem, & merito, illa duntaxat, nimirum illum vel maximè omnium à Papa diligi, vel ipsius merita excedere merita aliorum, vel quid simile. Aliud igitur est Petrum primum claues accepisse, vt concedit [l] Augustinus

E aliud solum, quod nemo concedit: Imò iam ostendo nihil promitti, aut dari Petro illis verbis, Tibi dabo claues; &; Quodcunque ligaueris, &c. quod alijs promissum non fuerit, & ab ipsomet Christo concessum. Hoc enim Patres & animaduerterunt, & expressérunt.

Cyprianus enim ita scribit, [m] Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, *inquit*, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues Regni cœlorum, & quæcunque ligaueris, &c. & idem post resurrectionem suam dicit, Pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, [n] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur.] Origenes, [o] An verò soli Petro dantur à Christo claues Regni cœlorum, nec alius beatorum quisquam eas acceptarus est? Quod si dictum hoc, Tibi dabo claues Regni cœlorum, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, & quæ prius

dicta

[a] *Aug. lib. 2. cont. 2. Gaud. epist. c. 23*
[b] *Ambr. serm. 38. de Tempore & Quadragesima.*
[c] *Ambr. l. 10. in Luc. in c. 24.*
[d] *Idem in psal. 40.*
[e] *Idem l. 1. de pœnitent. c. 6.*
[f] *Chrysost. hom. 55. in Matth.*
[g] *Beda hom. in Matth. c. 16.*

III.

[h] Matth. 18.
[i] Ioan. 20.
[k] Matth. 28.
[l] *Aug. tract. 124. in Ioan.*

IV.

[m] *Cypr. de simplicit. Prælat. sine de vnit. Eccles.*
[n] Ioan. 20.
[o] *Orig. tract. 1. in Matth.*

dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta sunt omnium communia?] Hilarius orationem suam ad Apostolos omnes conuertens, ait; [a] Tanta, & tam propriè vos, ô sancti & beati viri, ob fidei vestræ meritum, claues Regni cœlorum sortiti, & ligandi atque soluendi in cœlo, & in terra ius adepti, gesta esse per Dominum nostrum Iesum Christum Dei Filium videratis &c.] *Item*, [b] Illi (*Apostoli*) manu atque opere se alentes, intra cænacula, secretaque coeuntes, vicos & castella, gentesque ferè omnes terra ac mari, contra Senatus consulta, & Regum edicta, peragrantes, Claues credo Regni cœlorum non habebant?] Hieronymus, [c] At dicis, Super Petrum fundatur Ecclesia: licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues Regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, &c.] Gaudentius Brixienses, [d] Omnes, *inquit*, Apostoli, Christo surgente, in Petro claues accipiunt, quin imò cum Petro, cœlestis regni claues, ab ipso Domino accipiunt, quando ait illis; Accipite Spiritum Sanctum, &c. Et iterum; Euntes docete, &c. Augustinus, [e] Petrus multis locis Scripturarum apparet, quod personam gestet Ecclesiæ; maximè illo in loco vbi dictum est, Tibi dabo claues Regni cœlorum. Nunquid istas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Ioannes & Iacobus non accepit, & cæteri Apostoli?] Ambrosius; [f] Quod Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur; Tibi dabo claues, &c. non potestatem vsurpamus; sed seruimus imperio.] *Item*; [g] Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.] Leo Pontifex Romanus tractans illa Christi verba, Tibi dabo claues, &c. [h] Transiuit, *inquit*, in alios Apostolos vis potestatis istius; & ad omnes Ecclesiæ Principes, decreti huius constitutio commeauit.] Theophylactus; [i] Licèt ad Petrum tantùm, *inquit*, dictum sit illud, Tibi dabo; tamen omnibus Apostolis olim datum est, quando dixit; Quorum remiseritis, &c.] Euthymius, Tibi dabo claues, &c. [k] Atqui donum hoc cæterorum fuit Apostolorum] Beda; Quodcunque ligaueris, &c [l] Hæc potestas, *inquit*, sine dubio, cunctis datur Apostolis, quibus ab eo post resurrectionem dicitur generaliter; Accipite Spiritum Sanctum, &c.] Rabanus, [m] Hæc autem ligandi atque soluendi potestas, quamuis soli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris Apostolis datur; nec non etiam nunc in Episcopis, & Presbyteris, omni Ecclesiæ.] Lyranus; [n] Non solùm pro te *dabo claues*, sed etiam pro alijs. Sicut enim confessio Petri, erat confessio aliorum, ita potestas hæc data Petro, intelligatur dari alijs; licet Petro principalùs, in quantum erat aliorum capitaneus.] Synodus Lemouicensis, ante sexingentos fermè annos, ita habet; [o] Vt sicut Dominus beato Petro, & huic beato Martiali, ad cuius sacratissimum corpus assistimus, cæterisque Apostolis virtutem atque potestatem ligandi atque soluendi tribuere dignatus est, ita, &c.] Concilium item Colonienſe sub anno 1549. [p] Christus, *inquit*, Ecclesiæ in Petro pro Ecclesia confitenti; ipsum esse Filium Dei, promisit, quando dixit; Tibi dabo claues Regni cœlorum, quodcunque ligaueris, &c. Quam promissionem non ad vnum Petrum pertinere, sed in omnes Apostolos transmissam, alio loco insinuat, vbi dicit; [q] Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Ecclesiæ igitur sunt claues istæ ligandi atque soluendi datæ, quas non ab hominibus, sed à Christo accepit, &c.] Scripta sunt hæc in illo Concilio Germaniæ satis celebri, eodem tempore quo Concilium Tridentinum celebrabatur; & nihilominùs illius Concilij Patres primatum Petri supra alios Apostolos non agnoscebant, & consequenter illi Monarchiam Petri certè hoc loco non admittebant.

V.

His tamen contrarius videtur Vir, & antiquitate; & autoritate in Ecclesia satis celebris; Optatus Mileuitanus; dum ait: [r] Bono vnitatis, Beatus Petrus (cui satis erat, si postquam negauit solam veniam consequeretur,) & præferri omnibus Apostolis meruit, & claues Regni cœlorum communicandas cæteris, solus accepit.] Quæ sane verba prima fronte videretur contra sensum omnium, quos modo recensuimus Patrum asserere, solum Petrum claues à Domino accepisse, quas ipse Petrus postea alijs Apostolis communicaret. Quoniam tamen sensus hic in antiqua Ecclesia est intolerabilis; & nullum, imò omnino contrarium habens in Euangelio, & sacra scriptura fundamentum; remouendæ sunt ab eo Catholicæ mentes; neque putandum est tantum virum tanti momenti veritatem ignorasse, ac nescisse claues à Domino immediate non Petrum modo, sed etiam omnes Apostolos habuisse. Itaque Optatus, nihil aliud voluit, quam quod insignis Africæ Magister, non multo ante ipsum Optatum Afrum similiter docuerat Cyprianus; nimirum, propter vnitatis mysterium, Petrum Apostolis prælatum in eo, quod ipse Petrus, & non

a Hilar. de Tri. lib. 6.

b Hem lib. contra Arian. & Auxen.

c Hier. lib. 1. adu. Iouin.

d Gaud. Brix. Tract. in die suæ ordinat.

e Augustin. Ser. 30. de diuers.

f Ambr. in Psal 38.

g Idem de pœnitent. lib. 2. cap. 2.

h Leo Serm. 3. de ann. suæ assump.

i Theophyl. in Mat. cap. 16.

k Euthym in Mat. cap. 23.

l Beda in Mat. cap. 16.

m Catbert The. in Mat.

n Lyra in Mat. cap. 16.

o Apud Baron. Tom. 11. ann. 1034. nu. 11.

p Concil. Colon. vbi de Emendo Reform.

q Mat. 18.

r Optat. contra Parmen. lib. 1.

A & non alij à Christo, pro vnitatis mysterio, fuerit assumptus; prout infra declarabimus: Et claues Regni cœlorum solus acceperit: hoc est, quod ipsi per se seorsim primo soli promissæ fuerint, & postea etiam seorsim soli traditæ videantur verbis illis, Pasce oues meas: Sed hoc non excludit alios Apostolos, quin & ipsis omnibus tum promissæ, tum collatæ à Christo fuerint: Et quod dicit hic Autor Petrum claues accepisse cæteris communicandas, non est sensus, à Petro communicandas; sed Petrum accepisse illas claues, quæ nihilominus erant cæteris quoque Apostolis communicandæ; puta à Christo Domino: vt concedit etiam [a] Sanderus. Et de hoc plura inferius n. 19.

[a] *Sanderus de Visib. Monar. l. 4. c. 4. subdiff. 4.*

VI.

Leo præterea videtur contraria tradidisse, cum dixit. [b] Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius fertur æquitate iudicium; nec nimia est vel seueritas, vel remissio; vbi nihil erit ligatum nihil solutum, Nisi quod Beatus Petrus, aut soluerit, aut ligauerit.]

B Videtur itaque innuere Leo, solum Petrum claues accepisse; siquidem nihil aut ligatum aut solutum affirmat; nisi quod Petrus aut soluerit aut ligauerit. Sed certe contrarium potius sensum ex his Leonis verbis mihi videor posse elicere: nam nomen Petri hoc loco mystice à Leone sumi non est dubium; nimirum vt Petrus significaret Prælatum quemcunque, qui ex æquitate, & cum summa iustitia, instar Petri, clauibus vtatur. Vt nihil sit aut ligatum aut solutum; nisi vbi cum magna æquitate eo modo fertur iudicium, quo à Sanctissimo Petro Apostolo esset ferendum. Potius ergo supponit penes quencunque Prælatum claues esse, sicuti erant penes quencunque Apostolorum: In hoc ipsomet Leone, supra etiam n. 4. consentiente.

[b] *Leo ser. 3. in anniu. suæ assump. & ser. 2. de Nat. Apost. Pet. & Pau.*

VII.

Distinguit sua nimium, de more, fragili subtilitate Caietanus promissa Petro singulariter

C facta à promissione communi cæterorum. [c] Duo, *inquit*, inueniuntur, ex Euangelico textu singulariter promissa Petro. Primum est: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; Hoc enim soli Petro promissum legimus. Secundum est: Tibi dabo claues Regni Cœlorum: Quod nulli alij inuenitur promissum.] Addit tertium ex [d] Origene; nimirum, Petro dici; [e] Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, in numero plurali: Apostolis autem communiter dicitur, quod erunt ligata aut soluta [f] in cœlo; in numero singulari.] Nos verò præcedenti capite abunde docuimus, in omnibus Apostolis, æquè promissum fundamenti Ecclesiæ effectum habuisse, & non in solo Petro: Principatus verò Petri non in solis promissis, sed in promissi executione est indagandus. Quid autem mysterij contineat quod seorsim vni Petro promittatur, id quod tamen cæteris etiam erat donandum, paulò post explicabo. Illa verò mira est subtilitas,

[c] *Cai. tract. de Rom. Pont. Instit. c. 5.*

[d] *Orig. tract. 6 in Matth.*

[e] Matth. 16.

[f] Matth. 18.

D quod aliud velit Caietanus contineri illis verbis, Tibi dabo claues Regni cœlorum; Et aliud illis immediate sequentibus, quodcunque ligaueris super terram, &c. Nam ligare & soluere vult quidem esse actus potestatis clauium, non tamen adæquatos, sed partiales: totales verò & adæquatos vult esse, aperire, & claudere. Et ita Petro vult aliquid amplius promitti, dum ei claues promittuntur, quod alijs non promittatur; quibus non claues, sed aliqui clauium actus promittuntur, nimirum soluere & ligare. Et ex hoc tandem Petri primatū conatur stabilire. Ad huius doctoris confutationem satis esse deberet iudiciū Bellarmini; qui de hac Caietani sententia ita loquitur. [g] Verum hæc doctrina subtilior quam verior nobis esse videtur. Inauditum est enim in Ecclesia esse alias claues, quam ordinis & iurisdictionis; & planus sensus illorum verborum, Tibi dabo claues; & quodcunque solueris, &c. iste est, vt primo promittatur autoritas, seu potestas designata per claues; deinde & actiones siue officium explicetur per illa vocabula, soluere, & ligare; ita vtomnino sit idem soluere & aperire; claudere & ligare: Expressit verò Dominus clauium actiones per soluere & ligare, non per claudere & aperire, vt intelligeremus esse omnes istas metaphoricas locutiones; Et tum demum cœlum hominibus aperiri, cum homines soluuntur à peccatis, quæ ingressum in cœlum prohibebant.] Hæc Bellarm. Et sane meritò; Nam & Patres paulò ante à me prolati, subtilitatem illam Caietani cogunt nos totam respuere: non modo enim dabant Apostolis omnibus potestatem soluendi, & ligandi; sed expresse claues etiam Apostolis datas esse fatebantur, quod inepte negat Caietanus: Cui enim datur actus, datur & potestas, à qua talis actus dependet: & cognoscebant soluere & ligare esse actus adæquatos clauium; ac propterea indifferenter claues ipsas Apostolis omnibus, non soli Petro, datas esse sæpè asserebant.

[g] *Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 12.*

VIII.

Vt tamen hoc ipsum adhuc magis reddatur manifestum, ostendamus ex Ecclesiæ Doctoribus proprium & adæquatum clauium effectum esse soluere & ligare. Cyprianus [h] profecto idem vult dari post Resurrectionem Apostolis omnibus per illa verba; [i] sicut misit

[h] *Cyprian. de Vnitate Eccles.*

[i] Ioan. 20.

misit me Pater, & ego mitto vos. Et, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. quod dictum fuerat Petro, [a] Tibi dabo claues &c. Eamque parem vocat potestatem, vt supra num. 4. Et alibi idem Cyprianus sic loquitur; [b] Manifestum est autem vbi & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in Baptismo scilicet datur; nam Petro primum Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam suam, & vnde vnitatis originem instituit & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in terris quod ille soluisset. Et post Resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, inspirauit, & ait illis: Accipite Spiritum Sanctum; si cuius remiseritis peccata, remittuntur illi; si cuius tenueritis, tenebuntur.] Ac pergit supponendo idem tribui Apostolis post Resurrectionem per illa verba, Ego mitto vos, &, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c. quod ante Resurrectionem promissum fuerat Petro illis verbis, Tibi dabo claues, &c. Origenes, [c] Is verò, *inquit*, aduersus quem portæ inferorum non prævalent, iuste iudicat; eo quod claues habet Regni cœlorum, aperiens ijs, qui soluuntur super terram sic, vt & in cœlis sint soluti, ac liberi; claudensque ijs qui iusto ipsius iudicio ligati sunt in terris, vt & in cœlis sint legati condemnatique.] Augustinus, [d] Omnibus igitur, *inquit*, sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus propter huius vitæ procellosissimæ gubernaculum, ad ligandа & soluenda peccata claues Regni cœlorum, primus Apostolorum Petrus accepit.] *Item ibidem*: Ecclesia quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro: id est, potestatem ligandi, soluendique peccata.] *Item*, [e] Vbi remissio peccatorum, Ecclesia est. Quomodo Ecclesia? Illi enim dictum est, Tibi dabo claues Regni cœlorum &c.] *Item*, [f] Nunquid istas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit? &c. aut non istæ in Ecclesia claues, vbi peccata quotidie dimittuntur?] Vides Augustinum alium effectum clauium pene non agnoscere, nisi circa peccatorum remissionem? Ambrosius supra allatus dicebat; [g] Sed hoc improbe quod etiam in Ecclesia donari peccata negant posse *Nouatiani*, cum Petro dictum sit; Tibi dabo claues Regni cœlorum &c.] Chrysostomus; [h] Quemadmodum, *inquit*, Rex Præfectos mittens, vt in carcerem reos intrudant, & liberent, potestatem præbet; ita Iesus Discipulos dimittens, hac munit autoritate.] Proculdubio alludit Chrysostomus ad claues; & tamen versatur in verbis illis; [i] Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Vnde & habet; Non dixit Accepistis, sed Accipite Spiritum Sanctum; non tamen quispiam erraret, si tunc eos potestatem quandã & gratiam spiritualem accepisse diceret; non tamen vt mortuos suscitarent, & virtutes ostenderent; sed vt peccata dimitterent; differentes enim sunt gratiæ spiritus; quare addidit; Quorumcunque remiseritis peccata, remissa sunt; ostendens quod virtutis genus largiatur.] Hoc ipsum vidimus supra, num. 4 Concilium Colonienſe explicasse, dum dicebat; Ecclesiæ igitur sunt claues istæ ligandi atque soluendi datæ] Hugo Cardinalis: [k] Claues, *inquit*, sunt patentia, & scientia discernendi, qua dignos recipere, & indignos excludere debet à Regno. Et idem habetur Io. 20. Quorum remiseritis peccata &c.] Theophylactus: [l] Quamuis autem, *inquit*, Petro soli dictum sit, Tibi dabo claues: omnibus tamen Apostolis concessæ sunt. Quomodo? Cum dixit, Quorumcunque remiseritis &c. etenim cum dixit, dabo; futurum tempus signat: hoc est post Resurrectionem.] Anselmus: [m] Notandum est, *inquit*, quod hæc potestas clauium, non solum Petro data est, sed sicut Petrus vnus pro omnibus respondit, sic in Petro omnibus hanc potestatem dedit: vnde post passionem dictum est, Quorum remiseritis &c.] Glossa ordinaria: [n] Habent quidem, *inquit*, eandem iudiciariam potestatem alii Apostoli, quibus post Resurrectionem ait; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c.]

IX. Tertia illa, quam affert Caietanus ex Origene differentia, de singulari & plurali, quanquam plurimi eam fecerint [o] Turrecremata, [p] & Castrensis; parum tamen, vel nihil eis prodest; Imò videant ne obsit plurimum. Siquidem Origenes illud peculiare Petri dixit, vt super cœlos omnes liger; quod non faciunt errantium correptores, qui in vno tantum cœlo ligant & soluunt. Hanc tamen Petri prærogatiuam non reducit ad ipsius principatum, sed ad solam virtutem: ideo ergo differt in ligando & soluendo ab aliis (non dicit Apostolis, sed peccantium correptoribus) quia ipse virtute & probitate præstantior. Sed nonne licebit & mihi dictum Origenis quasi inuertere, & contrarium ei quod Caietanus putabat posse concludi, euincere, hoc pacto? Petro dicitur Quodcunque in singulari: Apostolis verò dicitur Quæcunque in plurali. Magis ergo extenditur potestas Apostolorum, quàm Petri. Sed istæ sunt pene puerorum næniæ, ad eos sopiendos decantatæ.

Valeat

a Matth. 16.
b Cyprianus in ep. ad Iubaian.
c Orig. tract. 1. in Matth.
d August. tract. 124 in Io.
e August. trac. 10. in ep. Io.
f Idem ser. 50. de diuers.
g Ambros. de penit. l. 1. c. 6.
h Chrys. hom. 85. in Io. c. 20.
i Io. 20.
k Hugo in Matth. c. 16.
l Theophylact. in Matt. c. 16.
m Anselm. in Matth. c. 16.
n Glossord. in Matth. c. 16.
o Turrecrem. l. 2. de Eccl. c. 11
p Castrens. l. 12. V. Pap.

A Valeat igitur Caietanus cum suis aranearum telis, eò excogitatis, vt inter Petrum & Apostolos inueniret differentiam, quod spectat ad illa verba, Tibi dabo claues Regni cælorum &c. siquidem ligare & soluere est totus & adæquatus clauium effectus. Et idem est (dicebat Bellarminus etiam) soluere quod aperire, & claudere quod ligare. Si igitur omnibus est Apostolis concessum æque ac Petro, vt ligare possint ac soluere; quid habebit Petrus vlterius ex eo loco, Tibi dabo claues: vt hinc Principatus ipsius à Monarchicis colligatur? Occurrit Bellarminus alijs subtilitatibus; [a] Ac primum nescio quam constanter, qui contra Caietanum paulo ante in clauibus nihil noui admittebat, quod non explicaretur sufficienter per actus ligandi atque soluendi; in clauibus tamen ipsis seorsim à potestate ligandi & soluendi principatum Petri cogitur expiscari. Metaphoram enim ipsam clauium principatum hunc vult redolere, iuxta illud; [b] Dabo clauem domus Dauid super humerum B eius; & aperiet & non erit qui claudat; & claudet & non erit qui aperiat.] Vbi prius describitur, *inquit*, depositio vnius summi Pontificis, & institutio alterius. Et per eadem verba aperiendi & claudendi, claue Dauid, negari non posse asserit Christi principatum in [c] Apocalypsi significari; quo etiam communem consuetudinem in profanis illam affert, quod quando vrbes, *inquit*, deduntur alicui Principi, offerunt ei claues in signum subiectionis: & ei qui instruitur œconomus in domo, claues tradi solent.] Ita Bellarminus. Hæc tamen quia sunt meræ allegoriæ, tanto facilius debent contemni, quanto neruosius est id quod iam ostendimus ex doctrina seria grauissimorum Patrum, claues siue in Petro, siue in Apostolis, solam potestatem ligandi atque soluendi continere. Quod si ipsi per istas nouellas allegorias animaduertissent Petrum de principatu, per traditionem hanc clauium inuestitum; nunquam dixissent etiam alios Apostolos claues accepisse.

X.

a *Bellarm. de Rom. Pont. l. 1. c. 13.*

b Isa 22.

c Apoc. 3.

C Sed tamen considerare etiam debuisset Bellarminus historicam veritatem, & quomodo Sobnam faciat summum Pontificem, qui à Pontificatu fuerit depositus, & Eliacim habuerit substitutum successorem. Quamuis enim etiam Hieronymus [d] Sobnam hunc Pontificatu spoliatum asserere videatur, & ipsius Pontificatum in Eliacim translatum; id tamen potius ex Hebraicis traditionibus, quam ex propria sententia protulit; sed neque proferre potuit sine lapsu. Voluit fortasse ipsum fuisse Sacerdotem, quod non est improbabile: nam & habet ibidem Hieronymus, Sacerdotium eius fuisse in Eliacim translatum; Est autem familiare Hieronymo simplicem Sacerdotem vocare Pontificem: nam & Ioannem Baptistam vocat alibi [e] Pontificis filium; & tamen Zacharias Pontifex proprie non erat, id est summus, sed tantum Sacerdos. Quod itaque spectat ad Sobnam, ille certè non vocatur summus Pontifex, sed [f] Præpositus Templi; siue, vt Septuaginta interpretes ver- D terunt, Quæstor, & Thesaurorum domus Dei dispensator; vt postea declarat etiam idem [g] Hieronymus, & Cyrillus, qui sic scribit; [h] Sobnas fuit Quæstor ærarij, & custos pecuniarum, Sacrarumne Templo deputatarum, an Regiarum, incertum. Videtur autem potius sacræ pecuniæ colligendæ; & rebus necessario & vtiliter interdum ad reparationem sacrorum vasorum expensis, præstitutus fuisse. Narrant etiam illum ex sanguine Leuitico esse, & Sacerdotij ornamentis insignem habitum fuisse.] Hæc Cyrillus; Nam & alibi sacra diuina Scriptura eundem Sobnam merum [i] scribam facit; eodem prorsus tempore quo Isaias scribebat; anno nimirum quarto Regis Ezechiæ: quamuis [k] Hieronymus alium esse existimet: sed ego (bona cum venia sancti mei conterranei) puto eundē esse; post ipsius tamen depositionem ab officio Præpositi domus Dei, antequam in Assyrios, quod ei [l] comminatus est Deus, abduceretur: nam & simul cum eo ponitur [m] Eliacim filius Elciæ E Præpositus domus; qui iussu Regis audiebant verba nunciorum Salmanassar Regis Assyriorum, ex muro ciuitatis, insultante Rapsace, vno ex dictis nuncijs Regis. Ac ne putemus Præpositum domus Dei esse summum Pontificem, consideremus quodnam sit huius Præpositi officium. De eo verò hæc habemus, dum Elcias erat summus Sacerdos, siue pater huius Eliacim, qui erat Præpositus, siue alius: [n] Misit Rex Saphan, dicens ei, Vade ad Elciam Sacerdotem magnum, vt confletur pecunia quæ illata est in Templum Domini; quam collegerunt Ianitores Templi à populo, deturque fabris per Præpositos domus Domini; qui & distribuant eam his qui operantur in Templo Domini, ad instauranda sarta tecta Templi.] Et celebris est [o] Simon ille impius Templi Præpositus, qui sub Onia summo Sacerdote, ærarium sacrum prodidit hostibus: erat autem de Tribu Beniamin, Sacerdotij prorsus incapace. Vides ergo Præpositos domus Dei, siue Templi, meritò à Septuaginta dictos esse Quæstores, & dispensatores. Igitur Sobna depositus fuit ab officio Quæstoris, & ei substitutus Eliacim. Quod si hic ipse Eliacim filius Elciæ non erat Pontifex, sed Præ-

XI.

d *Hieron. l. 5. in Isa. c. 22.*

e *Hieron. ad hæsticum.*

f Isa 22.

g *Hieron. l. 7. in Isa. c. 22.*

h *Cyrill. in Isa. lib. 2. c. 22.*

i 4 Reg 18.

k *Hieron. l. 13. in Isa. c. 36.*

l Isa 22.

m Isa 36.

n 4 Reg. 22.

o 2. Machab. 3.

positus Templi, sub Elcia Pontifice, quomodo Sobna fuit Pontifex, cuius locum & officium Eliacim possidebat? Clauis itaque domus Dauid, erat materialiter clauis ærarij; seu Gazophylacij, sub cura huius Præpositi, siue Quæstoris; qui habebat plenam potestatem ingrediendi, & egrediendi in ipsum, pro eius cura, & custodia; Neque poterat à quoquam impediri; quod significant illa verba, claudet & nemo aperiet, aperiet & nemo claudet.] Hæc est historia literalis: Nunc verò allegorias qui vult, suo fabricetur ingenio quascunque placet; illæ certè in nostro negotio locum non habebunt. Caueat tamen interim quantum potest Bellarminus, ne ex hac ipsius allegoria, dicaces occasionem sumant obloquendi; & dicendi, iam nostri summi Pontificis munus, & officium totum in eo consistere, vt confletur [a] pecunia; siquidem Pontificem ipsum vult tenere allegoricè locum Præpositi domus Dei, hoc est Quæstoris, ærarijque curatoris. A

a 4.Reg 12.

XII. Maneat igitur nobis firmum & inconcussum, in clauibus Petro promissis nihil amplius, nisi potestatem ligandi atque soluendi contineri. Quam potestatem, quoniam æquam inuenimus in omnibus Apostolis, atque in Petro, vt disparitas aliqua emergat (alioquin actum est de Petri primatu ex illis verbis, Tibi dabo claues) ecce tibi nouam aliam Bellarmini subtilitatem; In potestate ligandi atque soluendi latitudinem quandam dari & inueniri: vt soluere & ligare peccata, sint actus partiales huius potestatis, non totales: nam soluere & ligare præterea accommodatur, vbi dantur præcepta & leges; & vbi pœnæ ac supplicia inferuntur. [b] Cum ergo, *inquit*, dicitur Petro generaliter, Quicquid solueris &c. datur ei potestas præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi; proinde sit iudex, & princeps omnium qui sunt in Ecclesia.] Ita Bellarminus. At quænam sunt obsecro verba generaliora, Quodcunqne ligaueris & solueris; an, Quæcunque allegaueritis & solueritis? Priora dicuntur Petro; posteriora, omnibus Apostolis. Sane si, Quodcunque ligaueris, significat generaliter præcipere, excommunicare, retinere peccata; &, Quodcunque solueris, significat generaliter remittere peccata, absoluere à pœna, dispensare in lege, in votis, iuramentis, &c. etiam illa verba, Quæcunque alligaueritis & solueritis idem significabunt. Det mihi disparitatem, alioqnin non conquiescam. Patres verò supra adducti, cum in tota latitudine agnoscant potestatem ligandi & soluendi æquè in omnibus Apostolis, atque in Petro, cur nouis istis Theologis plus credam inaniter distinguentibus, quam Patribus sapienter non distinguentibus? Sed effectus ipsi sint nobis regula certa, & firmum documentum. Quis plura præcepta dat tōi Ecclesiæ, Petrusne, an Paulus? an Ioannes? an Iacobus? siquidem etiam Sacramenti alicuius præceptionem recognoscunt nostri Doctores à Iacobo, [c] Extremā vnctionem, & Confessionem; cur dicunt soli Petro datam potestatem præceptiuam? Paulus [d] tradit Sathanæ, & minatur se in [e] virga venturum: Petrusne igitur solus habuit potestatem excommunicandi, & pœnas infligendi? & illa verba, [f] Quæcunque alligaueritis, omnibus dicta Apostolis, certè de excommunicatione potissimum intelligenda esse docent verba præcedentia; Sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus; & tradunt Patres valde insignes passim; neque negant nostri. B C D

b Bellar. lib 1. de Rom. Pont. c.13.

c Iacob.5.
d 1.Cor.5.
e 1.Cor.4.
f Matth.18.

XIII. Principatum tandē, ex hoc loco cluium Petro confirmari, Patres asserere affirmat Bellarminus: quorum tamen extrema laborat inopia; nam Epilogō solo refert Chrysostomum; quem tamen [g] supra ei totum eripuimus: & pauca repetit Gregorij verba, itidem à nobis eodem loco supra considerata: Non enim satis habemus quod Gregorius dicat Petro totius Ecclesiæ curam esse commissam illis verbis, Tibi dabo claues Regni cœlorum, &c. Nisi exponatur vbi, quando, & quomodo data fuerit cura isthæc soli Petro; & tollatur difficultas illa, cur etiam alijs Apostolis nihilosecius quàm Petro claues traditæ fuerint: cum præsertim etiam Gregorius dicat quidem Petro totius Ecclesiæ curam esse commissam; non tamen dicat soli Petro; verumque sit totius Ecclesiæ curam, & sane præcipuam, Petro maxime omnium duodecim Apostolorum esse commissam: Sed tamen eandem totius Ecclesiæ curam cæteris etiam Apostolis, simul cum Petro in solidum æque commissam non dubitamus; & hoc Gregorij dictis non repugnat. Quia igitur Patres communiter tantundem dari, seu promitti omnibus Apostolis censuerunt illis verbis; [h] Quæcunque alligaueritis, &c. quantum promissum, seu datum sit Petro illis; Quodcunque ligaueris, &c. ne hinc rueret totum Papatus fundamentum, Patres omnino deserere nostris diebus coactus fuit Maldonatus: [i] quos fatetur ille sensisse æquè claues à Christo reliquos Apostolos accepisse, atque accepit Petrus. Vnum excipit Origenem: Sed fallitur. Eadem enim fuit etiam Origenis sententia, vt supra num.4. vidimus. [i] Non ego, *inquit Maldonatus*, eodem sensu quo Patres, etiam alijs Apostolis, hoc dictum interpretor.] E

g Supra cap.6. num 43.

h Matth.18.

i Maldon. in Matt. c.16.

Nimirum

A Nimirum de clauium potestate ligandi atque soluendi. Ego, *inquit*, interpretor, aliterque Patres. A Maldonato ergo incipit, nostris diebus, Petri primatus in traditione clauium fundari. O præclarum primatum, quem nunquam Ecclesia Catholica in Petri clauibus agnouerit; Maldonatus autem, etiam contra communem Patrum consensum, Orbi Christiano hinc illum obtrudit.]

Restat illud vnum solum Monarchicis, & vltimum subterfugium, ad effugiendam Apostolorum Aristocratiam, & Petri solius primatum, ex verbis Christi, Tu es Petrus, &c. & Tibi dabo claues, &c. stabiliendum; quod videlicet, præsentibus cæteris Apostolis, cum Petro solo loquatur; & soli Petro dicat; [a] Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &, Tibi dabo claues, &c. &, Quodcunque ligaueris, &c. Nam esto, *inquiunt*, etiam alij Apostoli fuerint fundamentum Ecclesiæ; & acceperint, non minus quam Petrus, clauium B potestatem; quia tamen hoc seorsim Petro soli singulariter, coram ipsis promittitur; necessario prærogatiua aliqua Petri hinc est colligenda; atque hæc non alia nisi primatus cuiusdam absoluti, primarij, & ordinarij in Petro, qui hoc pacto prius designetur, deinde etiam suo tempore instituatur Pastor ordinarius totius Ecclesiæ; cæteris cum potestate quidem summa Pastorum, sed tanquam legatis, & extraordinarijs Pastoribus, remanentibus. Ita [b] Turrecremata; quem secuti sunt Caietanus; deinde Bellarminus, ac tota denique turba cæterorum. Quo & ipse Bellarminus tandem totam argumenti illius, ex æqualitate autoritatis cæterorum Apostolorum cum Petro, solutionem deduxit paucis illis verbis. [c] Atqui hoc est quod promittitur Petro Matthæi 16. *videlicet vt sit Pastor ordinarius*, cum ei soli, coram alijs, dicitur, Super hanc Petram, &c.] *Item*, [d] Vt autem intelligeremus hanc summam potestatem collatam Apostolis omnibus, vt legatis, non vt Pastoribus ordinarijs, & cum quadam subiectione ad Petrum; soli Petro dicitur Ioannis 21. Pasce oues meas: quemadmodum soli illi dictum erat, Tibi dabo claues: Claues enim Regni vt principalis & ordinarius præfectus, tunc solus accepit cum audiunt, Pasce oues meas.] Et tamen concesserat Bellarminus claues & promissas fuisse etiam Apostolis, Matthæi 18. & datas, Ioannis 20. illis verbis, Sicut misit me Pater & ego mitto vos. Tum eis, *inquit*, potestatem seu clauem iurisdictionis tribuit; fecit enim his verbis eos quasi legatos, & nomine suo, gubernatores Ecclesiæ.] Prius igitur claues sunt Petro seorsim promissæ, quam cæteris Apostolis: Prius tamen datæ sunt omnibus Apostolis, & cum ipsis etiam Petro; quam Petro soli seorsim: (Si tamen velis verbis illis, Pasce oues meas, claues seorsim Petro dari.) Nam passim Patres, vt vidimus n. 4. Et adhuc inferius melius videbimus, clauium traditionem aliam in Euangelio non agnoscunt, nisi Io. 20. Sicut misit me Pater, &c. & Accipite D Spiritum Sanctum, Quorum remiseritis, &c: Qui verò Patres interdum Petrum dixere [e] primum claues accepisse, promissionem Christi efficacem pro ipsa executione, acceperunt; ac supposuerunt tunc Petro claues fuisse datas, quando ei dictum est, Tibi dabo claues Regni cœlorum. Itaque Bellarminus, vt patet, totum Petri primatum, quo factus sit Pastor ordinarius, in eo solo fundari censet, quod soli Petro singulariter & promissæ, & datæ fuerint claues, alijs præsentibus; licet etiam alijs datas non neget: Et ex hoc tantummodo quod seorsim Christus cum solo Petro loquatur, eique promittat, & det id quod cæteris etiam simul omnibus vel dederit, vel daturus fuerit, cõcludunt maximum illum supremum in Petro Principatum; & absolutam, omnimodamq; super totam Ecclesiam Monarchiam, illa noua, & priscis inaudita distinctione ac differentia, de Pastore ordinario; & de non ordinarijs, sed legatis, & ab ordinario dependentibus; sine vllo prorsus diuinæ Scripturæ E fundamento, imò fortasse contra ipsam diuinam Scripturam, excogitata.

Nos verò sicut libenter fatemur, Petro soli & promissas esse claues seorsim, (& si vis etiam datas seorsim, atque singulariter, non repugno) quas cum omnibus simul, & in solidum iam acceperat, vt melius adhuc sequenti capite declarabimus: ita velut nouum omninò, & sanctis Patribus aduersans, ac fortasse etiam diuinæ Scripturæ repugnans; reijciendum puto, & procul ab Ecclesia Catholica amandandum, id quod recentiores isti Theologi nuper excogitauerunt, & ex illa Christi actione erga Petrum singulari, non modò insufficienter, sed etiam perperam de ordinaria & primaria cura pastorali collegerunt. In primis enim dictum illud solenne Augustini, quod iam nobis pro certa regula [f] proposuimus, nihil tale ex illa Christi actione erga singularem personam Petri, nos permittit colligere. Quid enim præclarius, quid illustrius, quàm Petrum in propria persona totius Ecclesiæ solum Pastorem ordinarium, absolutum Principem, & Monarcham constituí? & tamen Augustinus ex sacra Scriptura nullum vult colligi [g] illustrem intellectum, vbi cum

XIV.

a Matth. 16.

b Turrecrem. l. 2. de Eccl. c. 11. ad 2. & ad 3.

c Bellarm. de Rom. Pont. l. 1. c. 11. in fin.

d Idem ibidem c. 11.

e Cypr. ad Iubaian. & Aug. tract. 118. in Io.

XV.

f Supra c. 3. n. 27. 28.

g Aug. in Ps. 108.

Petro solo in sua persona propria agitur, nisi id ad totam Ecclesiam referatur: Petrus ergo in sua specialitate, nihil tale habuit. A

XVI. Versamur, vt vides, Lector, in consideratione non amplius verborum, sed actionis cuiusdam, proculdubiò insignis Christi Domini. Verba enim eius clara sunt, vbi cum Petro loquitur, eique singulariter dicit, [a] Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; &, Tibi dabo claues; &, Quodcunque ligaueris, &c. Et si vis nunc etiam adde illa; [b] Pasce oues meas: quæ & Petro dicta singulariter, & in Petro etiam verificata, sed non solo, & admisimus, & probauimus: sicut etiam admisimus, & admittimus, per claues summam in Ecclesia ligandi & soluendi intelligi potestatem. In verbis igitur Christi nihil laboremus. Restat sola illa actio Christi consideranda, quod Petrum seorsim assumat, & cum illo singulariter loquatur, etiam coram alijs Apostolis, ipsis audientibus & cernentibus, vt iam diximus: & conandum est, vt percipiamus, quid sibi velit Christus hâc singularitate erga Petrum. In re quidem & promissa & data, non est difficultas, vt iam manifestum reddidi, quia totum datum est Apostolis quod Petro; & in hâc plenè mecum nostri Monarchici conueniunt, vel inuiti: illud solum indagandum; cur cum solo Petro loquatur Dominus, & ei seorsim promittat, & conferat, quam tamen etiam alijs contulerit, Ecclesiæ gubernationem. B

a Mat. 16.
b Ioh. 21.

XVII. Otiosam profectò Christi hanc actionem, sine blasphemia, nemo dixerit; imò grauissimum eam in se intellectum aliquem continere, Catholicus quisque fateatur necesse est; & eum sanè intellectum qui Petri priuilegium explicet, non contemnendum. Maximum tamen illum Principatum, & tam absolutam Monarchiam, ex sola hac leuissima potiùs quàm leui coniecturâ, velle fundare, non est solidi Theologi; vbi tamen illud ad summum duntaxat videtur externis visibus elucere, nimirum Petro tanquam Apostolorum duodecim primo, & præcipuè, commendari Ecclesiæ gubernationem. Sicut si vineæ alicuius dominus mitteret plures operarios in vineam suam ad operandum, eamque omnibus commendaret in solidum; vni tamen, cui vel maximè fideret, quemque agnosceret officiosum supra omnes, & industrium, ac indefessum, seorsim diceret; Commendo tibi vineam meam: hoc profectò non esset illum principem super omnes constituere; vbi vult ille dominus omnes in solidum culturæ illius vineæ applicare: neque ille propterea diceretur ab hoc domino accepisse in illos colonos, & in totam vineam vllam iurisdictionem; cùm nihil aliud & ipse sit, nisi vnus ex colonis, quamuis præcipuus, vt fusiùs infra [c] explicabo. Hoc inquam, posset satis superque explicare illam Christi actionem, qua Petrum assumpsit, vt ei præcipuè Ecclesiam commendaret. Sed absolutam illam Monarchiam ex hac Petri prærogatiua qui colligunt, multò plus eos colligere quam ferat locus & coniectura, manifestè à quocunque, qui vel minimum iudicio polleat, conuincentur. Nolo tamen hic acquiescere: neque enim is sum, vt tanti momenti actionem Christi, leui, & obuia cuique, ac simplici explicatione putem posse totam elucidari. Sed neque sunt nunc primum, tam insignis Christi actionis, vanæ & argutulæ excogitandæ interpretationes; quasi verò tandiu Ecclesia Catholica caruerit vera illius loci Euangelici notitia; vt non nisi post mille & vltra annos, in illis Christi verbis, Super hanc petram, &c. &, Tibi dabo claues, &c. Petri Monarchicum primatum agnouerit, & absolutum in Ecclesia principatum. Habemus illam quæ est [d] columna veritatis, & firmamentum à Spiritu Sancto illuminatam, & per sanctissimos Doctores instructam, eam sequamur; & ex fontibus illis sanam doctrinam, & diuinæ Scripturæ interpretationem bibamus, qui limpidissimè fluentes, ipsam Ecclesiam lepidissimè irrigârunt: Riuuli vt plurimum imputi fluunt. Quæramus ex Cypriano, Hieronymo, Augustino & similibus, quid ipsi in eo agnouerint mysterij, & sanæ doctrinæ, nostræque institutionis, contineri. quod Christus voluerit seorsim Petrum alloqui, eique singulariter claues & promittere, & consignare; quas tamen omnibus Apostolis esset æquè traditurus. [e] Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.] C D E

c Cap. 8. sequentibus, 12.
d 1. Tim. 3.
e Deut. 32.

XVIII. Primus prodeat Cyprianus, [f] Loquitur Dominus, *inquit*, ad Petrum, Ego tibi dico, quia tu es Petrus, &c. &, Tibi dabo claues Regni cœlorum, &c. & idem post Resurrectionem suam dicit, Pasce oues meas: Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur; tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua autoritate disponit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuerat Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.]

f Cyprian. ep. 73. de simpl. Prælat. sive de unit. Eccles.

A monstretur.] Hæc est pura, & detecta Cypriani lectio, prout omnes antiqui codices habent. Pamelius enim, Aldo Grammatico nixus, ineptè intrusit illa verba, *Primatus Petro datur*; quæ ex aliquo marginali, si dolus malus abfuit, in textum aliquem impurum, irrepserint; quem Aldus, in hoc sciolus, puris omnibus præculerit. Etiam Cathedram nescio quam addunt, sic; Tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit. Et multis modis, pro suo arbitratu, citant hunc locum, & corrumpunt. Nos verò, antiqua lectione firmata, non faciamus, obsecro, vt alias [a] monui, magnos viros, & prima Ecclesiæ lumina, sibi in paucis verbis contradicere; & adiectis additionibus, ea quæ asseruerant, ipsosmet statim prorsus destruere. Apostoli ergo pares sunt Petro, ex Cypriani sententia, & honore, & potestate: & quod Petro promissum est illis verbis, Tibi dabo claues; &, Quodcunque ligaueris, super terram, erit ligatum & in cœlis; idem prorsus omnibus A-

B postolis, ex eiusdem sententia, tributur illis verbis, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: & illis, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. quæ parem prorsus continent potestatem, cum potestate Petro per claues promissa. Hæc mihi veritas in Cypriano firma & inuiolabilis seruetur. Quamuis hoc ita sit, tamen quia cernimus Christum cum solo Petro loqui, eique seorsim potestatem hanc promittere, mysterium proculdubio agnoscit Cyprianus. Quodnam? Petrum fortasse principem super omnes, & super totam Ecclesiam solum constitui, & Pastorem ordinarium? Minimè verò: Hoc enim repugnat prioribus dictis, eaque omnino destruit. Si enim Petrus Princeps cum iurisdictione supra cæteros constituitur, non ergo erunt ei cæteri Apostoli pares in honore, iurisdictione & potestate, sed longe inferiores. Neque eo confugiant Monarchici, vt faciunt, pares dici Apostolos in potestate cum Petro, in ordine ad Ecclesiam &

C alios fideles; non tamen si comparentur inter se. Comparatio enim quam facit Cyprianus, verè & propriè est comparatio inter Apostolos & Petrum, & inter Apostolos inter se; ait enim idem tradi Apostolis omnibus à Christo post Resurrectionem; quod fuit Petro soli promissum ante Resurrectionem: & addit; Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus; pari consortio præditi, & honoris, & potestatis: non dixit pari potestate præditi. Potestas enim potest intelligi cum respectu ad eos erga quos illa exercenda sit; sed ait, pari consortio potestatis: Consortium verò significat communionem potestatis inter ipsos potestatem habentes: Honor etiam, hoc est dignitas publica, est quid absolutum, non respectiuum, vt potestas: Ideo dixit pari consortio honoris, & potestatis; vt nullus inter ipsos posset gloriari se alios dignitate, & potestate superare. Vides an hic Apostoli à Cy-

D priano inter se comparentur? Agnoscit ergo Cyprianus mysterium, in eo quod soli Petro Dominus loquatur; & non mysterium vllius suprematus; quia manere debet firmum & inuariabile in Cypriano, Apostolos omnes, etiam cum Petro, inter se honore, & potestate esse pares, & hoc excludit penitus vnius Primatum iurisdictionalem. Quodnam igitur est hoc mysterium? Cur Christus vni Petro loquitur, vbi de danda potestate regiminis Ecclesiæ verba facit, quam tamen potestatem esset æque omnibus concessurus? Vt vnitatem, *inquit Cyprianus*, manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua autoritate, *Christus*, disposuit.] Cum vno solo nimirum Christus loquitur, vt cæteri animaduertant eos omnes simul, & in solidum vnicam Ecclesiam suis laboribus, & fundaturos, & recturos: neque diuisionem cogitarent, quasi singuli per se suam quisque esset Ecclesiam erecturus, & detenturus. In toto enim mundo vnica sola Christi Ecclesia erat futura, & ab Apostolis in solidum laborantibus erigenda. Huius vnitatis Ecclesiæ mysterium in eo latebat, quod Dominus cum vno Apostolo loquitur; Vnitas enim ab vno, *in-*

E *quit Cyprianus*, habet originem; hoc est, Vt vnitas Ecclesiæ intelligatur ab Apostolis, qui erant duodecim, non vnus; ab vno incipit Christus; & eandem vnitatem disposuit sua autoritate: voluitque & ordinauit, vt illam omnino fouerent, & retinerent, quam ipse incipiendo ab vno, satis commendabat. Vnde & addit Cyprianus; sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.] Imò si vis, dicat etiam Cyprianus: Primatus Petro datur, vt Ecclesia vna monstretur.] Idem erit: Hoc est, Christus Dominus dispositionem suorum Ministrorum, quibus Ecclesiam commendabat, & fundandam, & regendam; ab vno Apostolo exordiri: quod est Primatum Petro dari, nempe, Petrum velut præsidem, & caput cæterorum ad hoc assumi; vt inferius explicabo in Hieronymo: Non quod illum solum assumat ad tantum opus Ecclesiæ formandæ, & regendæ; sed vt Ecclesia vna monstretur; hoc est, vt cognoscerent hinc Apostoli, vnicam solam debere ab eis institui Ecclesiam per totum mundum; cuius vnitatis typum satis agnoscerent in eo,

[a] *Supra cap. 3. num. 9. 10.*

quod ipse Christus ab vno ex ipsis, nempe à Petro, in tractando cum ipsis hoc negotio, fuerit exorsus, & illum quasi cæterorum præsidem esse innuerit, dignitate, non potestate; Nam quando cæpit Christus tractare de committendo Apostolis munere fundandæ Ecclesiæ; & de tradenda eis potestate, ad Ecclesiam fundandam & regendam necessaria; rem aggressus est ab vno Petro, tanquam primo, & reliquorum præside, vt vidimus, & cum solo illo loquens ei dixit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues &c. Hoc fuit exordiri negotium, quod exordium ab vnitate est profectum; quia cum vno solo cæptum agi, vt vnitas Ecclesiæ per hoc significaretur; quam Christus tantopere vrgebat, ne schismate, & dissentionibus, ac diuisionibus distraheretur. Sed effectus postea, & executio, quando completum fuit hoc negotium, cum omnibus Apostolis æque simul & in solidum fuit absolutum: & nihil plus habuit Petrus in executione, nisi quod fuerit ipse, & non alius, pro typo, & mysterio vnitatis Ecclesiæ, vnus, in exordio tractationis à Christo assumptus. Atque hæc fuit prærogatiua magna Petri, sed personalis; nullusque ei primatus hinc stabilitus fuit, nisi cuiusdam dignitatis, & excellentiæ, honoris, & bonæ existimationis; quod totum fuit personale, neque ad successorem vllum potest migrare, vt per se est satis manifestum. Quod si etiam velis in Cypriano illa verba retinere, quæ de Cathedra diximus esse conficta, & addita; non negabo a Christo, propter vnitatem Ecclesiæ, vnicam fuisse cathedram constitutam. Nunquid Romanam? ridiculum. Vnica cathedra, vt videbimus inferius in Optato, est vnica in solidum totius vniuersalis Ecclesiæ potestas; quę vna in solidū, in omnibus Ecclesiæ rectoribus reperitur, vt habet alio [a] loco idem Cyprianus. Atque hic est planus, & apertus Cypriani sensus; quem etiam alio loco his verbis idemmet explicauit; [b] Manifestum est autem, vbi, & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in Baptismo scilicet datur; nam Petro primum Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & inde vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in terris, quod ille soluisset &c.] Audis (*Petro primum*) quia negotium cum solo Petro agi cæptum est; deinde cum omnibus absolutum: & hoc in mysterium iam dictum vnitatis. Et inde, *inquit*, Vnitatis origenem instituit. Aliqui legebant, *humanitatis*, sed malè; & Pamelius bene correxit ex alijs eiusdem Cypriani locis, & ex Augustino, [c] qui locum hunc innuens, de vnitate illum intellexit. Vnitatis igitur originem inde Christus instituit, & ostendit; vbi primum cum Petro vno cæpit agere de futura Ecclesiæ fundatione: vt Ecclesia nimirum vna inde monstraretur. Atque ita in eodem mysterio perseuerat; & eodem modo explicat quid sibi Christus voluerit cum vno Petro loquendo de negotio quod omnibus Apostolis æque esset commissurus. Ex hac clara verborum Cypriani expolitione, nullam contrarietatem admittente, facile destrues quicquid Monarchici super hunc Cypriani locum male intellectum, & petius explicatum construxerunt; & præsertim [d] Sanderus; qui verbosius quam cæteri, vt est mos hominis, ipsum tractauit.

a *Cypr. l. 1. ep 8. & nos inferius cap. 12. num. 9 huius.*
b *Cyprian. in ep. ad Iubaian.*
c *Pamel. annot. in ep. ad Iubaian.*
d *Sander. de visib. Monar. l. 4. c. 4*

XIX.

Hoc idem mysterium Vnitatis, in eodem sensu quo à Cypriano conceptum est in hac Christi actione, dum cum solo Petro loquitur, & agnouit & commemorauit Augustinus; apud quem ista legimus: [e] Nam quod in typo vnitatis Petro Dominus dedit potestatem vt id solueretur, quod ille soluisset, manifestū est quod illa Vnitas etiam vna columba perfecta sit dicta.] Et Pacianus Barcinonensis; [f] Ad Petrum, *inquit*, loquutus est Dominus, ad vnum, ideo vt Vnitatem fundaret ex vno: mox id ipsum in commune præcipiens.] Sensus Augustini, & Paciani hic est; Multi erant Apostoli eiusdem officij, & dignitatis, sed cum vno solo res transigitur, vt ita in illis multis, licet multi & diuersi essent, effectus tamen per omnes in solidum producendi, qui erat Ecclesiæ fundatio, vnitas appareret.

e *August. de Baptesm. Donat. l. 3 c. 17.*
f *Pacian. p. 3. ad Sympr.*

XX.

Ad Vnitatem Optatus quoque Milevitanus mysterium paulo aliter reduxit. Considerans enim clauium traditionem factam soli Petro seorsim, cæteris præsentibus, & audientibus, illis, vt ipse putat, verbis; Pasce oues meas; sic loquitur, [g] Bono Vnitatis beatus Petrus (cui satis erat si postquam negauit solam veniam consequeretur) & præferri Apostolis omnibus meruit, & claues regni cœlorum communicandas cæteris, solus accepit.] Bonum Vnitatis in hac actione agnoscit; Vnitatem verò in eo ponit, [h] quod Petrus sua negatione vel amiserit Apostolatum, vel dignus fuerit vt loco moueretur: ex quo vnio illa collegij Apostolici, in quo primus fuerat Petrus, quæque mysterium Vnitatis Ecclesiæ iam continebat, fuisset dissoluta: ne ergo talis dissolutio sequeretur, sed idem mysterium perseueraret, Petrum vult Optatus à Christo ad suum primum, inter Apostolos, locum, illis verbis, Pasce oues meas, restitui, & rursum Apostolis omnibus, non præfici, sed præferri: atque

g *Optat lib. 1. cont. Parm.*
h *Idem lib. 7.*

A atque hoc totum bono Vnitatis; vt collegium Apostolicum in sua vnitate confirmaretur. Hunc Optati sensum fusius sequenti capite explicabo. Collegium verò Apostolicum habuisse vnitatem, antequam Petrus negaret, significauit non semel Augustinus, vt cum ait; [a] Dicite & vos quem me dicitis esse? respondens Petrus pro omnibus, pro vnitate vnus, Tu es Christus filius Dei viui.] *Item*: [b] Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe vnus respondet pro omnibus, vnus pro omnibus dedit responsum, vnitas in multis]

[a] *Aug. in Psal. 88.*
[b] *Idem ser. 13. de verb. Dom.*

Hieronymus quoque vnitatis gratia id factum à Christo explicat: & vnitatem in ipso collegio Apostolico considerat; ne inter se illi diuiderentur, ac schisma facerent, propterea hac actione Petrum à Christo Præsidem & caput Apostolorum constitui; vt sic in vnicum corpus redacti esse intelligerentur. Ait itaque Hieronymus; [c] At dicis super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues B regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.] Aequalitatem summam ac perfectam inprimis Hieronymus cum [d] Cypriano agnoscit inter Apostolos, qua nihilominus inuiolata illi permanente, Vnus, *inquit*, inter duodecim eligitur: nimirum Christus ipsum Apostolicum cœtum voluit suum præsidem & caput habere Petrum, qui ordine, dignitate, honore, & præcedentia omnes anteiret coapostolos, & omnes repræsentaret. Tractando itaque cum solo Petro Christus, voluit cæteros Apostolos intelligere, ipsum Petrum sic à se assumi pro reliquorum Apostolorum præside, & repræsentante, vt sic capite constituto, Vnitatis inter ipsos Apostolos mysterium intelligeretur; atque ita schismatis & diuisionis tolleretur occasio. Dum enim cernunt Apostoli Christum Dominum cum vno solo incipere agere de Ecclesiæ fundatione, tanquam cum primo Apostolo, & capite ac præside cæterorum, facile hinc intelligunt, se omnes in C vnicum corpus esse à Christo redactos; & propterea iam neque posse, neque debere sequenquam illorum ab alijs separare, & seorsim per se, ac independenter ab hoc corpore, quicquam in Christi ministerio operari: sed vnicuique ipsorum, in vnitate huius collegij Apostolici esse permanendum; alioquin diuisionem & schisma effecturos. Pergit Hieronymus: Sed cur non Ioannes electus est virgo? ætati delatum, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, ac pene puer, progressæ ætatis hominibus præferretur, & magister bonus, qui occasionem turgij debuerat auferre discipulis, & qui dixerat eis, [e] Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: &, Qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit, in adolescentem quem dilexerat causam videretur præbere inuidiæ.] Assumendus vnus erat ex omnibus duodecim Apostolis, qui primum locum inter ipsos obtineret, & Præses, caputque dignitate esset in collegio cæterorum, ac veluti fratrum primogenitus; In hoc, inquit Hieronymus, præfertur Petrus Ioanni, tanquam senior iuniori; & D ne erga dilectum occasio exsurgeret inuidiæ: Præfertur, ait, non ait, præficitur; hoc Iurisdictionis est, illud tantummodo comparationis; vt si quis dicat aurum præferri argento. Itaque Petrus præfertur dum, præteritis alijs, ipse à Christo assumitur, modo explicato, in significationem vnitatis vnius corporis Senatus Apostolici. Ad quod munus si assumptus fuisset Ioannes dilectus, & sic alijs prælatus, facilè potuissent cæteri obmurmurare, quare Christus, in dando præside Senatui Apostolico, adolescentulum alijs senioribus prætulisset; & in eum, aliqua perturbatione humana nondum edomita, concitari. Quod autem Petrus ad hoc fuerit assumptus, vt Præses esset cæterorum, cui nomine omnium, Christus soli grauissimum negotium fundandæ & regendæ Ecclesiæ communicaret (quæ erat prærogatiua valdè eminens, sed personalis) alij non ægrè ferebant; ille enim & ætate, & vocatione, omnibus antecellebat. Huius hactenus mysterij hæ de vnitate explicationes supponunt omnes, cum ipsamet Petri persona, haberi à Christo hanc de clauibus tractationem.

[c] *Hieron. l. 1. aduers. Iouin.*
[d] *Supra cap. 3. nn. 9. & 10. Et cap. 6. num. 49. huius.*
[e] *Ioan. 14.*

XXI.

E Non nimium ab hoc Vnitatis mysterio discedens idem Augustinus, alium quendam intellectum huius Christi actionis habuit, per illam nimirum mysterium illud exprimi, Vniuersam Ecclesiam potestate illa clauium exornari, & Petrum vbi ei dicitur, Tibi dabo claues, fieri à Christo figuram totius Ecclesiæ, quam ipse totam repræsentaret: quem intellectum non vno loco, sed plurimis, expressit sæpissimè. Afferam præcipuos, vt verus Augustini sensus, qui non possit ex vno clarè, ex pluribus locis habeatur clarissimus. Ait igitur; [f] Non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus: huic enim Ecclesiæ claues Regni cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt; & cùm

XXII.

[f] *Aug. de Agon. Christ. c. 30.*

& cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Pasce oues meas. Debet ergo Ecclesia Catholica correctis, & pietate firmatis filijs libenter ignoscere, cum ipsi Petro personam ipsius gestanti, videamus veniam esse concessam.] *Item*, [a] Sicut enim quædam dicuntur quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum quem in Discipulis habuit; sicuti est, Tibi dabo claues regni cœlorum, & si qua huiusmodi: ita Iudas, &c] *Item*, Iudas malus, corpus malorum significat; quomodo Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesiæ; imò corpus Ecclesiæ, sed in bonis; nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues regni cœlorum: Quæcunque solueris, &c. si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia; si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur; & quæ soluuntur in terra, soluantur in cœlo; quia cùm excommunicat Ecclesia, ligatur in cœlo excommunicatus; cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo soluitur reconciliatus; si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.] *Item*, [b] Hoc agit Ecclesia, *dimittere peccata*, spe beata, in hac vita ærumnosa, cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, naturâ vnus homo erat: gratia vnus Christianus: abundantiore gratia, vnus idemque primus Apostolus; sed quando ei dictum est, Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, &c. vniuersam significabat Ecclesiam, &c] Et paulò post: Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi, soluendíque peccata: quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra: qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia, quam significabat Petrus, quandiu degit in malis, amando & sequendo Christum liberatur à malis.] *Item* loquens de conuersione [c] Gentilium significata per animalia immunda Petro ostensa ait: [d] Vnde iam post remissionem peccatorum, quare non recipiantur Gentiles in corpus Christi, quod est Ecclesia Dei, cuius personam Petrus gestabat? Petrus in multis locis apparet, quod personam gestet Ecclesiæ; si Petrus figuram gestabat Ecclesiæ, & Ecclesia corpus Christi est, recipiat in se quasi in [e] escam suam, iam mundatas gentes, quibus peccata dimissa sunt.] *Item*, [f] Petrus, *inquit*, multis locis Scripturarum apparet quod personam gestet Ecclesiæ, maximè illo in loco vbi dictum est, Tibi dabo claues, &c.] *Item*, [g] Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, &c. vt super hanc petram intelligeretur quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus Filius Dei viui: ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum.] Idem sæpissimè Augustinus pluribus etiam alijs locis inculcat: Sed his solis nunc sumus contenti; quibus addimus Ambrosium, idem cum Augustino sentientem: Ait enim, [h] Christus Ecclesiam dilexit in Petro.] Vterque tamen & Augustinus & Ambrosius, secuti sunt in hoc sensu Cyprianum, qui & ipse in Petro, & ponit mysterium vnitatis Ecclesiæ; & eiusdem Ecclesiæ typum agnoscit & figuram: [i] Ait enim, [k] Domine, ad quem imus? loquitur illic Petrus, Super quem ædificata fuerat Ecclesia: Ecclesiæ nomine docens & ostendens, quia etsi contumax ac superba obaudire volentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedat; & illi sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.] Iam verò Petrum vnum pro omnibus, & Ecclesiæ voce respondere solitum fuisse, expressè testatur idem Cyprianus alio loco, dicens; [l] Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait, Domine, ad quem ibimus?]

a Idem in Psa. 108.

b Aug. Tract. 124. in Ioan.

c Act. 10.
d Idem Aug. in l. 50. Hom. 45.

e Act. 10.
f Idem Aug. Serm 30. de diuers.
g Idem l. 1. retract. cap. 21.

h Ambr. in Luc. l. 6. in ca. 7.

i Cypr. li. 4. Epist. 9.
k Ioan. 6.

l Idem Cypr. l. 1. Epist. 3.

XXIII. Si quis ergo quærat ex Augustino cur putet Christum Dominum cum vno Petro locutum, eique vni seorsim claues & promisisse coram alijs, & dedisse; etiamsi easdem cæteris nihilominus æquè promiserit Apostolis, & donauerit: Respondet, vt vidimus, idcirco id actum à Christo, vel vt hoc quasi mysterio significaret quanti faceret Vnitatem, quam vel sic cupiebat mentibus Discipulorum imprimere; quod voluere Cyprianus, Optatus, & Hieronymus: Vel quia Petrum Christus voluerit esse typum & figuram totius Ecclesiæ; atque ita quicquid Ecclesiæ erat donaturus, hoc Petro dedit, quem volebat Ecclesiæ locum tenere, ipsiusque personam figurata generalitate gestare. Atque hæc Augustini toties & clarissime repetita dicta, nullo modo patiuntur illum sensum, ad quem nonnulli Monarchici illa, per summam vim, conantur detorquere; nimirum Augustini sensum esse,

Petrum

A Petrum nomine Ecclesiæ accepisse claues; hoc est illas pro Ecclesia, siue ad vsum Ecclesiæ accepisse; quasi exprimat causam finalem, ad quid eas acceperit: Constat etenim ex tot locis Augustini, Petrum ipsum totam Ecclesiam repræsentare; & ipsius nomine multa agere, & quæ videntur ad solam personam propriam dici, non habere vllum illustrem intellectum, nisi ad totam Ecclesiam, cuius ipse esset figura, referantur; & Petrum in sua persona nihil aliud esse, nisi ad summum ex abundantiori gratia vnum & primum Apostolum; & quando ei dicitur, Tibi dabo claues, tunc eum vniuersam significasse Ecclesiam. Hæcne, & similia habent solum sensum finalem? an verò perfectissime formalem. Hebes est qui non videt Petrum ab Augustino verè & propriè exui in quibusdam locis Euangelicis, & Sacræ Scripturæ, à propria persona, & indui tantum personam Vniuersalis Ecclesiæ, vt ipsius typus sit & figura. Sed audiamus miram Sanderi instantiam. [a] Si constat, *inquit*, B hanc personam Petro, non nisi ab ipso Christo impositam esse; iam videndum est quo iure ac nomine Christus constituerit Petrum Ecclesiæ totius procuratorem. Si enim constituit Petrum velut manum aut pedem in Ecclesiæ corpore, erit sane aliquid in eadem Ecclesia maius Petro: Sin Christus constituit Petrum velut primum Ecclesiastici corporis membrum, iam etiam si personam Ecclesiæ gerat, erit tamen caput ac princeps in toto Ecclesiastico corpore.] Hæc Sanderus satis obtuse. Petrus enim in sua persona priuata, erat membrum Ecclesiæ, vt toties ex Diuina Scriptura & Patribus probaui; & non caput; nec propterea sequitur aliquid maius (Christo capite excepto) esse in Ecclesia; ponas enim Petrum fuisse oculum, aut quodcunque nobilissimum membrum, quomodo erit aliquid eo maius? aut quomodo sequitur ipsum constitutum esse caput? Idem verò vt persona publica in Aug. repræsentat totam Ecclesiam, totumque Ecclesiæ corpus; & sic neque censetur C vt manus, neque vt pes, sed vt totum corpus sub capite Christi, & iure totius corporis sit procurator.

[a] *Sanderus de Visib. Monar. lib. 6. c. 4.*

Neque propterea dixerim Petrum etiam literaliter, & historicè non accepisse claues, etiam quando eas vti persona & figura Ecclesiæ accepit: Sed dico Augustini sensum esse quasi materialiter eas tunc Petrum accepisse, non formaliter, & vere potius parabolice, quam historice. Hoc enim est in figura aliquid fieri, vt materialiter in vno fiat, formaliter in alio à se diuerso verificetur. Materialiter enim (*loquor cum* [b] *Bellarmino*) Abraham duos filios veros & reales habuit: sed tamen formaliter non habebat duos populos, quos illi duo filij significabant: qui duo populi formaliter postea exorti sunt. Ita Petro materialiter promissio clauium fit vni, dicamus etiam materialiter ei vni dantur; & eas ipse materialiter, in quantum fert metaphora, accipit, non formaliter; quia formaliter promissio hæc D & exhibitio in Ecclesia, secundum Augustinum, proprie verificatur, cuius figura erat Petrus. Ac ne quis horrescat putans propterea Petrum priuari formalibus clauibus, dicimus Petrum etiam claues formaliter habuisse duplici alia ratione, quas tamen formaliter non habuit in quantum erat figura Ecclesiæ. Primum enim si eas accepit vt figura Ecclesiæ, certe illas Ecclesia formaliter habuit, puta in suis Prælatis quos omnes proprie Petrus, tunc figurabat, vt loquitur August. [c] In vno, *inquit*, Petro figurabatur Vnitas omnium Pastorum, sed bonorum, qui sciant oues Christi pascere Christo, non sibi.] Cum verò ipse etiam Petrus esset vnus ex illis, quos ipsemet figurabat; imò primus; certe eas ipse etiam formaliter & ex consequenti accepit, non tamen vt figura, sed vt figuratus. Deinde eas accepit plenissime & formalissime simul cum omnibus, quando eis omnibus dictum est à Christo, [d] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Dum tamen cum ipso vno agitur, for- E maliter cum ipso non agitur, sed tantum materialiter, vt vult Augustinus: quia tunc Petrus non est Petrus, sed est persona Ecclesiam totam repræsentans, ad hoc ab ipsomet Christo assumptus; ipse & non alius, propter primatum ætatis, vocationis, & excellentiæ virtutum, quem primatum in Discipulis ait Aug. non in Discipulos habuit; hoc est, quo primatu ipse inter Discipulos excelluit.

XXIV.

[b] *Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. cap. 12.*

[c] *Aug. serm. 24. de Sanctis qui est Ps. de Sanctis Petro & Paulo.*

[d] Io. 20.

Falluntur itaque [e] Eckius & [f] Sanderus, dum volunt Augustinum ideo facere Petrum figuram Ecclesiæ, quia iam obtineret primatum, hoc est principatum in totam Ecclesiam; & trunco stupidiorem iudicat prior illum, qui cum ipso hoc non intelligat; sed certè Augustinum ipse Eckius, etiamsi trunco non fuerit stupidior, non intellexit. Atque istos errantes in hoc secutus est etiam ipse [g] Bellarminus: Ait enim Augustinus; Petrum non propter se, sed tanquam Ecclesiæ figuram, propter primatum quem iam habebat, assumptum esse à Christo, vt esset figura Ecclesiæ tunc quando ei dabantur, seu promittebantur claues: Loquitur ergo Augustinus, de primatu qui præcessit, & clauium promissionem,

XXV.

[e] *Eckius Lt. de prim. Pet. c. 9.*
[f] *Sander. l. 2. de Visib. Monar. cap. 4.*
[g] *Bellarm. vbi sup. c. 12.*

nem, & multo magis concessionem: & quando nondum quisquam fuerat à Christo Ecclesiæ gubernator institutus. Volunt igitur isti ab Augustino; Petrum Gubernatorem agnosci, priusquam à Christo habuerit ille talem gubernationem: hanc enim Petro in clauibus & promissam, & datam esse assentiuntur, imò & contendunt. Sed de hoc Petri primatu nos supra sæpius, præsertim toto cap. 5. A

XXVI. Vertat se quocunque voluerit Bellarminus, vt potentissima Augustini tela effugiat, nihil faciet; nam Augustinus Petrum, vt vidimus, verè & propriè Ecclesiæ figuram facit, vbicunque cum ipso solo de regimine Ecclesiæ agitur; neque Bellarmini interpretationes locum habere possunt, dum ait; [a] Obseruandum postremo est, duobus modis Petro, propter suum Primatum, gessisse figuram Ecclesiæ apud Augustinum: Primo enim Petrus vt summus Ecclesiæ Præsul, accipiens claues significauit, omnes Præsules easdem habituros esse claues, sed à Petro, nec sine mensura, communicatas; non enim Petrus eas accepit, vt B solus illis ipse vteretur, sed vt eas cum omnibus Episcopis & Presbyteris communicaret, Apostolis videlicet duntaxat exceptis, qui extraordinaria quadam ratione eas à Christo immediatè acceperunt, vt alibi diximus.] Hæc Bellarminus. Nos verò iam ostendimus magnam esse ineptiam velle Augustinum supponere, & asserere, Petrum summum iam fuisse Ecclesiæ Præsulem, quando ei veluti figuræ Ecclesiæ promittebantur à Christo, & dabantur claues: qui etiam Petrus adeo repræsentabat & significabat Præsules, vt quando accipiebat claues, eas non sibi nisi materialiter acciperet; formaliter verò ipsis Præsulibus, secundum Augustini sensum, eas accipiebat; hoc est ipsimet Præsules eas tunc immediatè à Christo in Petro, veluti in ipsorum figura, & tanquam generali ipsorum procuratore, à Christo ad hoc assumpto, accipiebant; curam nimirum Pastoralem. Vnde Ambrosius sic loquitur; [b] Pasce oues meas: quas oues, & quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit; & cum illo eas nos suscepimus omnes.] C Egregiè profecto Ambrosius, cuius mentem secutus est Augustinus, valde diuersam ab ea quam nunc confingent at in Augustino Bellarminus: non enim dixerat Ambrosius, Quas oues nos suscepimus à Petro; sed cum Petro, & nobiscum Petrus: Petrus enim, vt figura, Prælatos omnes in se virtualiter continebat, etiam seipsum; ideoque tunc Petrus non solum ipse suscepit gregem pascendum, sed simul cum omnibus Prælatis, & illi cum ipso simul, & in solidum. Ita Augustinus dicebat; [c] Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia; si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.] Nihil enim appareret, neque proferri potest, vbi Petrus Ecclesiæ claues communicauit; neque vbinam Ecclesia potestatem clauium à Petro habuerit: neque vbinam Petrus, communicando claues Episcopis in communi, & Presbyteris, aut alicui Episcopo, clauium potestatem restrinxerit, & arctarit: nisi nobis de more narrentur somnia. Sensus igitur eorum verborum verus & legitimus, non deflexus & coactus, vt in Bellarmino, est; Si Petro tantum, hoc est in ipsius persona propria, claues traduntur; certè earum vsum non habet Ecclesia; siquidem eas Christus non dat Ecclesiæ, sed Petro personaliter: quoniam tamen Ecclesia clauibus vtitur, hinc habemus manifestè, ipsam Ecclesiam eas tunc accepisse, quando Petro datæ sunt; & consequenter Petrus eas in se tantum, id est, in sua persona singulari, non accepit; sed nomine totius Ecclesiæ, cuius necesse est tunc figura fuerit, & gestarit personam: in se tamen etiam illas acceperit, quatenus etiam ipse fuerit vnus ex illis quos tunc figurabat, & repræsentabat. Hinc etiam illi adhuc magis conuinci debent qui Ecclesiam in Petro claues accepisse interpretabantur, finaliter, quod Ecclesia sit finis donationis clauium; [d] Dantur enim, *inquiunt*, propter E Ecclesiæ vtilitatem.] Ostendimus verò ipsam Ecclesiam in Petro accepisse claues; & ipsam Ecclesiam eis vti, quod non est tantum finaliter accipere, sed formaliter: sicuti si Duci Venetorum quis cederet ius & dominium alicuius Ciuitatis, vel Regni, Dux certè accipit dominium & ius hoc, non sibi soli, nisi indirectè, consecutiuè, & inclusiuè, (quatenus scilicet ipse quoque est vnus ex nobilibus illius Reipublicæ) sed toti Nobilitati Venetæ principaliter, & directe, quam totam ille repræsentat. Ita Petrus accipit claues toti Ecclesiæ principaliter, & directè, hoc est omnibus Prælatis ipsius: consecutiuè, & indirectè etiam sibi.

XXVII. [e] Altero modo (*inquit Bellarminus*) Idem Petrus accipiens claues, figura fuit totius Ecclesiæ sanctæ, id est, omnium iustorum, & viuorum membrorum corporis Christi. Nam beatus Augustinus, propter Donatistas, excogitauit nouum modum loquendi de clauibus, & remissione peccatorum: præter enim eum modum loquendi, quo dicimus à Sacerdotibus

[a] Idem ibidem.

[b] Ambr. lib. de dignit. Sacerd. cap. 2.

[c] Aug. tract. 50. in Ioan.

[d] Cast. de Rom. Pont. auct. c. 5. ad 4. & Sixtus 16. Biblio. annot. 331.

[e] Bellar. ibid. cap. 12.

A bus remitti peccata, in administratione Baptismi & pœnitentiæ; quo modo loquendi ipse cum cæteris Patribus passim vtitur: solet etiam frequenter dicere, Peccata remitti à charitate Ecclesiæ, à gemitu Columbæ, ab orationibus Sanctorum: & hoc modo claues Regni esse tantùm iustorum, & hoc significasse Petrum, cum accepit claues.] Sed hæc etiam est mera fuga: nam pluribus Augustini dictis supra à me allatis constat ipsum loqui de clauibus, hoc est, de ipsamet potestate autoritatiua, quam Christus ad regimen Ecclesiæ ministris suis conferebat. Et hanc totam, & integram potestatem clauium, dicit Ecclesiæ in Petro, qui esset figura ipsius Ecclesiæ, & eius personam gestaret, collatam. Caritas verò illa Ecclesiæ, quæ interdum in Augustino remittit peccata, non est illa potestas quam Christus sub Metaphora clauium tradebat; & idcircò Petrus non ad hanc, sed ad illam ac-

B cipiendam ponitur expressè ab Augustino Ecclesiæ figura. [a] Excogitauit autem, *inquit Bellarminus*, hunc modum loquendi beatus Augustinus propter Donatistas, quibus mirabile videbatur hæreticos posse per baptismum homines iustificare, & in Ecclesiam introducere, cùm sint ipsi cooperti peccatis, & extra Ecclesiam. Ad hanc admirationem tollendam, dicit Augustinus, non tam eum qui baptizat remittere peccata, quàm gemitum Colum æ; quoniam non ideo iste, qui baptizatur, iustificatur, quia ab isto vel ab illo baptizatur, sed quia per baptismum à quocunque exhibitum, in eum ostenditur caritas Ecclesiæ.] Hucusque Bellarminus.

[a] *Bellar. vbi supra cap. 12. in fine.*

Hæc quoniam ad potestatem clauium non spectant, ideò ad rem nostram quam nunc tractamus, nihil faciunt; de quibus postea libro quinto huius Operis erit nobis agendum: præterire tamen ea nolo, quia pati non possum, vt doctrina plurimum diuersa à doctrina

C Augustini, ac penè contraria ipsi Augustino, ad Augustini explicationem afferatur. Verum enim est in Augustino dari quandam aliquando peccatorum remissionem, sine clauium, aut Sacramenti operatione, à caritate Ecclesiæ, & gemitu Columbæ; sed per Sacramentum Baptismi ab hæretico collati, peccata remitti baptizato, per extensionem caritatis Ecclesiæ in illum, non est doctrina Augustini, qui sæpissimè & expressissimè docet hæreticos conferre quidem Baptismum validum, quoad Sacramentum, non autem quoad remissam peccatorum: & propterea vult sic baptizatum, cùm venit ad Catholicam Ecclesiam, indigere non Baptismo, sed sola manuum impositione, per quam in peccatorum remissionem baptizati accipiant Spiritum Sanctum, & non per quancunque cuiuscunque manuum impositionem, sed illius qui & ipse in se habeat Spiritum Sanctum. Vnicus nunc Augustini locus sufficiat. [b] Sacramenti autem, *inquit*, integritas vbique cognoscitur; sed ad peccato-

D rum illam irreuocabilem remissionem, extra Vnitatem Ecclesiæ non valebit; nec in hæresi aut schismate constituti; sed nec Sanctorum orationes, id est, illius vnicæ Columbæ gemitus, poterunt adiuuare.]

[b] *Aug. li. 3. de Baptism. contra Donat. c. 17.*

XXVIII.

Habemus itaque firmum & stabile in Augustino, Petrum, ex eo quod cum ipso vno Dominus loquatur, & ipsi vni, præsentibus alijs, claues promittat & tradat, nihil directe in sua persona sola accepisse, nisi quod tunc fuerit siue in mysterium Vnitatis, vt Cyprianus, Optatus, Hieronymus, & Augustinus voluerunt: siue pro sola figura totius Ecclesiæ assumptus, vt similiter Cyprianus, Augustinus, & Ambrosius censuerunt.

XXIX.

Leo verò aliud mysterium in hac actione agnouit, ait enim, [c] Petro ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma proponitur.] Mysterium verò illud esse explicat, cum solo Petro negotium peragi, vt Episcopi omnes haberent Petrum tanquam exemplar æquitatis, & virtutum Pontificalium, quod in regimine Ecclesiarum imitarentur. Et de Primatu Summi & Ordinarij Rectoris Ecclesiæ Vniuersalis,

E ac Vicarij generalis Christi, Leo ne somniauit quidem. Quanquam circa aliquem suum primatum non nihil Leo ipse sibi interdum blandiatur.

XXX.

[c] *Leo Serm. 3. de sua assump. ad Pont.*

Aliud demum mysterium posuit Glossa interlinearis, puto ex Rabano, videlicet; [d] Ideo specialiter Petrus accipit claues, vt intelligant omnes, quod quicunque ab vnitate fidei, & societate eius se separauerit, nec à peccatis solui, nec cœlum ingredi potest] Mysterium tale est; Petrus celebris fidei de Christi Diuinitate confessor, Fidem ipsam repræsentat: huic specialiter dantur claues ad peccatorum remissionem, & cœli apertionem; vt inde colligamus, nos Petro debere perpetuo vniri; id est à fide ea quam Petrus confessus est, nunquam discedere; quia ab ea remoti, neque peccatorum remissionem consequi possumus, neque in cœlum ingredi. Hæc sunt mysteria illius Christi actionis, dum cum solo Petro loquitur, eique claues tradit. Principatus verò, & Monarchia Petri in totam Ecclesiã, nemini vnquam sanctorum Patrum, actionẽ hanc consideranti, in mentem venit.

XXXI.

[d] *Gloss. in Matth. 16.*

Sit

XXXII. Sit nunc tibi Lector Catholice optio eam quæ tibi videatur melior, & solidior, sequendi interpretationem. Certe ex vna parte habes suprema Ecclesiæ Catholicæ lumina, & primos Religionis, & fidei nostræ magistros; qui ex eo quod Dominus cum solo Petro, præsentibus cæteris Apostolis, de Regimine Ecclesiæ tractet, nihil aliud nisi vel mysterium vnitatis; vel typum & figuram Ecclesiæ; vel exemplar ad imitandum; vel in fide consensum cognouerunt. Habes ex alia parte modernos Monarchicos pene innumerabiles, qui relictis tantæ autoritatis sanctis Patribus, nouam post multa sæcula cudere voluerunt sententiam; & ex hoc solo capite, tanquam ex primo & præcipuo Euangelico fundamento, quod Christus cum vno Petro de regimine Ecclesiæ, cæteris præsentibus, colloquatur, principatum quendam Petri maximum & absolutum, cum magna cæterorum Apostolorum depressione, contendunt stabiliri. Atque si hoc eis sublatum est iam fundamentum, data ipsis vera illius ex nobilissimis Patribus intelligentia; cum tamen inde non nisi leuissimam, de primatu quem tractant, haberent coniecturam; veritati Catholicæ, de perfecta inter Apostolos æqualitate, in Ecclesiastica potestate, dent locum; & exclusa Monarchia tempore Apostolorum, solam agnoscant tandem Aristocratiam. Omnes enim solutiones, distinctiones, & interpretationes nostrorum Monarchicorum, sunt ipsorum propriæ, & singulares, nouæ atque inauditæ ante illos, ac nullis ex Patribus cognitæ, imò ipsis Patribus, vt videmus, repugnantes. Quod est signum manifestum nouitatis, & consequenter falsitatis nuper inuentæ.

XXXIII. Neque dicant allegoricis, & mysticis interpretationibus non esse res tanti momenti explicandas: nam ipsi quoque mystice Euangelium his locis interpretantur: dicunt enim Petro soli Christum loqui, eique vni dare claues coram alijs; (huicusque consentio & ipse) Hinc patet, inquiunt, Petrum esse ordinarium pastorem. Sed hoc etiam est mysterium: non enim amplius versamur in interpretandis Christi verbis, Tu es Petrus: Super hanc petram: Tibi dabo &c. In quorum sensu perfectè conuenimus: sed versamur in consideranda illa Christi actione, quod assumat Petrum, & cum ipso singulariter agat, cæteris audientibus, de eo quod æque ad omnes pertinebat, & indagamus quid sibi hoc velit: quod sane est quærere mysterium. Mysterium antiquitas voluit esse vnitatem Ecclesiæ, & figuram; seu virtutum Petri imitationem; & similia: moderni verò volunt hoc mysterium esse Petri Principatum: Vtri potius sequendi sint, & quibus magis credendum, Theologus Catholicus ex se statuat, & dijudicet. Sed iam ad aliam locum excutiendum accedamus.

CAP. VIII.

Non conferri in Petrum, Primatum Ecclesiæ illis verbis, Pasce oues meas.

Summa Capitis.

Ad Petrum ipsum proprie dicta sunt à Christo verba illa, Pasce oues meas, *num. 1. 2. Pastura tamen eadem etiam cæteris Apostolis est commissa. num. 3 4.*

Oues à Christo commissæ Petro, quænam sint declaratur. num. 5. 6.

Pastor verus totius Christi ouilis, est ipse Christus; qui à pluribus pastoribus illud in solidum ministerialiter voluit gubernari. num. 7.

Cur Petro singulariter dicatur, Pasce oues, *plures afferuntur interpretationes Patrum; Prima num. 8. Secunda num. 9. Tertia num. 10. Quarta num. 11. Quinta num. 12. Quarum nulla Primatum Petri summum, in his verbis agnoscit. num. 13.*

Obiectiones amouentur. num. 14. 15.

I a Ioan. NVllo in loco adeo aperte videtur soli Petro totius Ecclesiæ cura committi à Christo Domino, atque vbi ei dicitur, a Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce agnos meos; Pasce oues meas. In his itaque verbis erit nobis tantisper etiam immorandum, vt plena eorum notitia formam Reipublicæ Ecclesiasticæ nobis, quæ fuerit Apostolorum tempore aperiat, & quantum fieri potest, manifestet. Ac primum quidem hoc loco Christum cum ipsomet Petro loqui singulariter, & ei personaliter dici, Pasce oues meas, constituo tanquam certissimum; vt verba illa *Simon Ioannis* indiuiduum Petri

A Petri notantia, clare significant. Nam quod Petro ipsi promissum fuit, Tibi dabo claues. Hoc eidem nunc videtur exhiberi, Pasce oues meas: & cui dicitur, Diligis me plus his; eidem profecto etiam dicitur, Pasce oues meas: & trina interrogatio Christi, amas me? respondet trinæ negationi, quæ in solo Petro fuit. Et contristatio illa Petri, docet verba illa ad ipsius personam pertinere. Vt bene Bellarminus, [a] Qui tamen duabus alijs id confirmat coniecturis; ex eo nimirum quod Petro dicitur; [b] Cum senueris extendes manum tuam; vt cui hoc dicitur, eidem etiam dictum intelligatur, Pasce oues meas; & ex eo quod dixerit Petrus de Ioanne. Hic autem quid? Nunquam enim, *inquit Bellarminus*, Petrus interrogasset quid Ioannes acturus esset, si intellexisset dictum omnibus, Pasce oues meas: neque Dominus dixisset, quid ad te? Tu me sequere; sed dixisset, idem faciet quod tu.] Has tamen duas nullius momenti arbitror esse coniecturas. Nam potuit Christus à communi, ad priuatum conuerti sermonem; & primum pro omnibus dicere; Pasce oues meas; mox Petro mortem prædicere; Vnde non necessario sequitur, hæc dicuntur Petro in propria persona; ergo & illa. Altera verò, coniectura non est, sed falsitas in historia, & vanitas manifesta. Non enim interrogat Petrus de Ioanne, hic autem quid? occasione illorum verborum, Pasce oues meas: sed tantum occasione illorum, extendes manum tuam &c. intellexit enim Petrus sibi mortem crucis prædici; & curiositate motus, cupiebat scire quo mortis & martyrij genere esset Ioannes moriturus; num & ipse cruce, an gladio, an igne? &c. supponebat enim illum etiam omnino morte violenta pro Christo moriturũ. Ac propterea non erat satis si Christus respondisset, idẽ faciet quod tu: quia nõ erat amplius sermo de pascẽdo, sed erat sermo de moriẽdo; Ideo ait Christus, sic eũ volo manere, quid ad te? Hoc est ipsum nolo morte violenta, neque Martyrio occumbere; sed sic volo eũ manere absque martyrio, donec veniam; id est donec ad naturalem mortis terminum, ipsi à me præfixum, peruenerit; quid ad te? tu me sequere: Tu me, moriendo in cruce, sequere: & de Ioannis morte quæ erit naturalis, nihil tis sollicitus. Priores tamen coniecturæ omnino conuincunt, cum solo Petro Christum loqui, eique soli tunc dicere, Pasce oues meas.

B

C

Cum ipso Petro Christum loqui, docent etiam Patres; Arnobius, [c] Nullus, *inquit*, Apostolorum pastoris nomen accepit, solus enim Dominus Iesus Christus dicebat, Ego sum Pastor bonus, &c. Hoc ergo nomen Sanctum, & ipsius nominis potestatem, post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit; & ter negatus, negatori suo, hanc quam solus habuit tribuit potestatem.] Ambrosius ita loquitur; [d] Denique Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus à Diabolo est: Ideoque ante significat Dominus, quid sit illud quod postea eum pastorem elegit Dominici gregis.] *Item*; [e] Qui ante lacrymas præuaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est; & alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit.] *Item*; [f] Tanquam bonus pastor *Petrus* tuendum gregem accepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum. Augustinus; [g] Multi, *inquit*, erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas. Chrysostomus de Petro loquens ait; [h] Tanquam enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit; neque negationis meminit, neque exprobrat, tantum dicit, si amas me, fratrum curam suscipias.] Et paulò post; Nam cum magna Christus Petro communicasset, Orbis terrarum curam demandasset, &c. *Et alibi*; [i] Qui omnium Pastor fuit à Domino institutus, ex omnibus nationibus cogere cœpit oues, &c. Leo; [k] In ijs diebus, *inquit*, per insufflationem Domini, infunditur Apostolis omnibus Spiritus Sanctus, & Beato Apostolo Petro, supra cæteros, post regni claues, ouilis Dominici cura demandatur.] Maximus, [l] Hic est, *inquit*, Petrus cui Christus ascensurus ad Patrem, pascendas ouiculas suas, oues que commendat.] Gregorius; [m] Cunctis enim, *inquit*, Euangelium sitientibus liquet, quod voce Dominica, Sancto, & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est; ipsi quippe dicitur, Petre amas me? Pasce oues meas.] Atque hinc illum vocat [n] Ecclesiæ pastorem.

D

E

II

Porrò quamuis verissimum sit verba illa seorsim soli Petro fuisse dicta, etiam alijs Apostolis præsentibus; nihilominus in solo Petro ea effectum suum habuisse, dici nullo modo potest. Nonne ipsemet Christus dedit [o] quosdam quidem Apostolos, alios Doctores & Pastores?] Non ergo solus Petrus Pastor. Bene itaque Basilius; [p] Atque hoc, *inquit*, à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ Pastorem post se constituit. Petre enim, inquit, amas me plus his? Pasce oues meas. Et omnibus præterea deinceps Pastoribus, ac Magistris eandem tribuit potestatem; cuius quidem rei signum est, quod omnes similiter atque ille, & ligent, & soluant.] Augustinus verò nunquam illa ad primatum Petri

III.

a *Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 14.*
b Ioan. 21.
c *Arnob. in Psal. 138.*
d *Ambr. in Isa. 43.*
e *Idem serm. 46.*
f *Idem ser. 47.*
g *Aug. l. de Pastor. c. 13.*
h *Chrys. Hom. 87. in Ioan.*
i *Idem Hom. 4. in Pet. Apost.*
k *Leo ser. 1. de Ascens.*
l *Maxim. ser. de S. Apost. Pet & Pau.*
m *Greg. l. 4. ind. 13. ep. 32.*
n *Idem l. 9. ind. 4. ep. 39.*
o Ephes. 4.
p *Basil. in constitut. monast. c. 22.*

confirmandum adduci patietur: [a] Siquidem nihil illustre vult circa personam singularem Petri in Euangelio fieri dicitue, nisi illud ad totam Ecclesiam referatur. Vnde & ait: [b] Ideo Petro, quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait, Petre amas me? Pasce oues meas.] *Et postea*; [c] Tenete ergo, *inquit*, quomodo Dominus Iesus Christus & ostium sit, & pastor; ostium pandendo se, pastor intrando per se: & quidem, fratres, quod pastor est, dedit & membris suis: nam & Petrus pastor, & Paulus pastor, & cæteri Apostoli pastores.] Hæc est enim constans Augustini doctrina, vt Petrus gerat in omnibus seriis, figuram Ecclesiæ: atque ita non Petro in sua specialitate, sed corpori suo, quod est Ecclesia, Christum pasturam ouium, nimirum in Prælatis commisisse. Sed etiam in typum, & mysterium vnitatis hęc Petro dicta idem intellexit Augustinus, vbi dixit; [d] Hic inuenio omnes Pastores bonos in vno Pastore (*Christo*): Non enim verè pastores boni desunt, sed in vno sunt. Multi sunt qui diuisi sunt. Hic vnus prædicatur, quia vnitas commendatur. Neque enim verè modo ideo tacentur pastores, & dicitur Pastor, quia non inuenit Dominus cui commendet oues suas; tunc autem ideo commendauit, quia Petrum inuenit; imò verò & in ipso Petro Vnitatem commendauit: Multi erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas. *Item*; [e] Hanc Dominus Vnitatem commendans pastoribus bonis, non commendans pastores bonos, noluit multos appellare pastores: neque enim, vt dixi, iam non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apostoli cæteri, posteriores Sancti Episcopi, Beatusque Cyprianus: omnes hi pastores boni, & tamen ille pastoribus bonis non commendauit pastores bonos, sed pastorem bonum. Ego sum, inquit, &c. Vbi vides & Paulum, & cæteros Apostolos æquè cum Petro, apud Augustinũ, esse Pastores, sed sub quadam vnitate. [f] Et in vno Petro, *inquit*, figurabatur vnitas omnium pastorum.] Quod ergo vni Petro, & seorsim dicitur, Pasce oues meas, mysterium tantum est; vt discant omnes Apostoli, & ministri Christi, etiam si sint innumerabiles; vnicam tamen omnes, & eandem exercere pasturam: & omnes simul ac in solidum vnicum eos debere esse pastorem. Quæ est Aristocratia manifesta. Quid verò Ambrosius; Nonne & ipse Petrum quasi procuratorem omnium Prælatorum fecit, qui omnium nomine pasturam ouium acciperet? [g] Quas oues, *inquit*, & quem gregem, non solum tunc Beatus suscepit Petrus; sed & nobiscum eas suscepit; & cum illo eas nos suscepimus omnes.] Huc mihi videtur etiam respexisse Chrysostomus, vbi ait; [h] Simon Ioannis diligis me plus his? Quid tandem alijs omissis his duntaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum, & princeps.] Quasi dicat Chrysost. iam semel Petrus cæpit esse vti procurator cæterorum Apostolorum; & tanquam primus ætate & vocatione, omnium Apostolorum vices gerere, & eos repræsentare, ac omnium nomine proloqui (hoc enim est esse os Apostolorum) idcirco cum solo Petro Christus loquitur, eique curam ouium committit; sed nomine omnium Apostolorum. Gregorius, [i] Hinc est enim, *ait*, quod super pastores primos, in linguarum specie Spiritus Sanctus insedit.] Et Iansenius totus Monarchicus, negare non poterit cæteris etiam curam ouium commissam: ait enim; [k] Quanquam etiam omnibus alias cum Petro eadem cura commissa fuit, & pòst capite sequenti committetur.]

a *Aug. in Ps.* 180.
b *Id. in Tract.* 46. *in Io.*
c *Aug. Tract.* 47. *in Io.*
d *Idem de Pastoribus c.* 13.
e *Idem. ser.* 50. *de Verb. Dom.*
f *Idem. ser* 24. *de Sanctis.*
g *Ambr. de Dignit. Sacerd. cap* 2.
h *Chrys. Hom.* 87. *in Ioan.*
i *Greger l.* 1. *Indict.* 9. *ep.* 34.
k *Iansen. in concord. c.* 148.

IV.

Prius enim omnibus Apostolis simul cum Petro dictum est à Christo; [l] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et postea dictum est Petro seorsim; [m] Pasce oues meas. Neque video quomodo affirmari possit, aliquid amplius dari Petro seorsim his verbis, quàm datum fuerit cæteris omnibus illis? Audi Ambrosium, [n] Sicut misit Deus Pater Christum Magistrum, & autorem vitæ; ita & Christus misit Apostolos nobis magistros, vt eorum imitatores essemus, quia eius esse non possumus. Ita enim ait Dominus ad Patrem; [o] Sicut me misisti in hunc mundum, ita & ego misi eos in hunc mundum.] Imò potiùs contrarium videtur asserendum: ibi enim Christus totum suum officium, & totam potestatem quæ hominibus mortalibus communicari poterat, generalissimè tribuit, & communicat: Hîc verò posset aliquis, nec fortasse immeritò, ad solam pasturam, hoc est, prædicationem se restringere. Sed & postea omnibus pariter Apostolis tota committitur Ecclesia, verbis nihil minus, si non etiam plus potestatis continentibus, quàm contineant illa, Pasce oues meas; videlicet, [p] Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.] Cur enim præmisit illa verba, Data est mihi omnis potestas, nisi vt significaret se eos cum eadem potestate, intellige quatenus communicabilis esset, omnes æquè instructos, ad habendam curam ouium mittere? Merito ergo Cælestinus Papa ad Concilium Ephesinum scribens, ait; [q] Hæc ad omnes in commune

l Ioan. 20.
m Ioan. 21.
n *Ambr. in Ep.* 1. *Cor. c.* 11.
o Ioan. 17.
p Matth. 28.
q *Celestinus ep.* 7.

Domini,

Domini Sacerdotibus mandatæ prædicationis cura pertinet: hæreditario namque in hac solitudine iure constringimur, quicunque per diuersa terrarum eorum voce, nomen Domini prædicamus, dum illis (*Apostolis*) dicitur: Ite, docete omnes gentes] Et Bernard. [a] Euangelizare, *inquit*, pascere est.]

Contineat igitur in se verbum pascendi quamcunque, & quantamcunque autoritatem, & potestatem, non pugno; sed illud contendo, nullam verbo pascendi contineri, quæ non melius, & amplius contineatur in illis Christi dictis, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et illis, Euntes docete, &c. Ac quemadmodum non pugno, si verbo pascendi tota potestas Ecclesiastica claudatur, ita facilè contentio sub verbo, *oues*, fideles omnes indefinitè totius mundi intelligi. Neque enim negem Petrum potuisse in toto mundo suam potestatem prædicandi, & fideles instruendi exercere; sed hæc potestas nihilominus plenissima, & amplissima erat etiam in quocunque Apostolo, quod fatetur etiam [b] Bellarminus; & Chrysostomus expresse docuit, dicens; [c] Cùm autem essent (*Apostoli*) orbis terrarum curam susceperturi, simul amplius esse non oportebat.] Imò & [d] Paulum fecit idem Pater, totius orbis Pontificem: eique terram, & mare, totumque orbem & habitabilem, & non habitabilem subiecit. Quinimò aliquando etiam Timotheum totius orbis fecit Episcopum: [e] Ille iustus, *inquit*, ille sanctus, cui orbis terrarum cura erat commissa] Potestatem tamen hanc potius habitualem, & potentialem dixerim, quàm actualem: actualis enim à quocunque Apostolo, sicut & a Petro, non exercebatur, nisi erga illos, quos actu ipso erudiebant, vt fusius etiam libris sequentibus explicabo. Propterea igitur supra dicebant Doctores, Petro esse commissam curam orbis terrarum, & factum esse Pastorem Ecclesiæ; & ouile Christi ipsi fuisse commendatum; & [f] prælecturam ouium totius mundi eum habuisse. Erit igitur amplificatio quædam oratoria illa Bernardi, dum ait ad Eugenium Papam; [g] Pastorum tu vnus omnium pastor: Vnde id probem quæris? ex Verbo Domini, cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum tic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas, Petre, pasce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi Regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.] Omnes proculdubiò Petro adsignantur oues, ad quascunque accesserit. Quamuis possit aliquis asserere, vt mox dicam, oues quæ essent tunc ouilis Christi, fuisse propriè oues Christi quas Petro commendabat: Oues nimirum illas, de quibus dicebat Christus; [h] Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Solis enim Iudæis erat personaliter Christus prædicaturus; neque extra Iudæam Discipulos missurus, nisi post suam in cœlum ascensionem. Si verò committebantur ei oues etiam generaliter (non enim repugno) certè etiam omnibus Apostolis dixit Christus; [i] Euntes docete omnes gentes. Vtar & ipse argumento Bernardi, & interrogo, quas gentes? illas vel illas? Omnes gentes, *inquit*, & tamen non dixerat Petro, Pasce omnes oues meas: cui igitur non planum, non designasse aliquas gentes singulis Apostolis, sed assignasse expresse omnes? vt [k] supra etiam tradidi. Vel igitur Bernardus amplificat, vt dicebam, oratoriè; vel potius illius temporibus iam Monarchia Romana aliquid inualuerat, quam bona fide, licèt decepti, tenerent multi; vbi præsertim negotium hoc exactè non discuterent.

Mysteria quæ alij venantur in verbis, Pasce agnos, siue ouiculas, & oues, vt [l] Bellarminus, à me contemnuntur in proposita de principatu Petri quæstione: quoscunque enim significent siue agni sint, siue ouiculæ, siue oues, dummodo denotent homines, cura & instructione ad fidem indigentes, eos omnes indifferenter commendari Petro, & reliquis Apostolis, arbitror non posse dubitari: illos tamen probare non possum, qui verbis illis, Pasce oues meas, Petro, etiam ipsorum Apostolorum curam censent à Christo fuisse commissam. Ad quid obsecro? fortasse ad ipsorum confessiones audiendas? An ad ipsos docendos, & instruendos? an ad corrigendos & puniendos? Ego sanè [m] Petrum à Paulo instructum, & correctum inuenio, nullum verò Apostolorum à Petro rectum, aut correctum, aut instructum cerno: & pascere oues erat hominibus fidem & doctrinam Christi instillare, ac virtutes persuadere; quibus rebus Apostolos indiguisse, ab alio quam à Christo, nemo sanæ mentis dixerit. Atqui Apostolos etiam oues Christi fuisse, *inquiunt*, & consequenter illo generali dicto inclusos, Pasce oues meas, alioquin excludendi à numero ouium Christi Apostoli viderentur. Sed Apostoli etiam cum Petro, erant quidem oues Christi, sub ipso primo, & vero pastore Christo, iuxta dictum Augustini; [n] Animam suam se posituram pro Christo putabat Petrus, pro liberatore liberandus, cum Christus venisset

a Bernar. de consider. l. 4. c. 3.

V.

b Bellar. li. 1 de Rom. Pont. ca 9 & 16. & li. 4. cap. 24. 25

c Chrysost. Homil. in Ioan.

d Idem & Paul. Iland. homil. 2.

e Idem contra Iud. orat 5.

f Theophil. in cap. 21. Ioan.

g Bernardus de Consider. lib. 2. cap. 8.

h Ioan. 10.

i Matt. 28.

k Hoc lib. cap. 3. num. 37.

VI.

l Bell. lib. 1 de Rom. Pont. cap. 16.

m Gal. 6.

n Aug. Tract. 123. in Ioan.

Digitized by Google

nisset animam suam positurus pro suis ouibus, in quibus erat & Petrus.] Idem etiam de Christo loquens ait; [a] Ergo & Pastor ipse est pastorum, & pastores multi sunt vnius pastoris, & oues cum pastoribus sunt sub pastore.] Nihilominus tamen simul etiam pastores erant; nam, vt inquit Augustinus, [b] De bonis ouibus, fiunt boni pastores] Quatenus ergo pastores erant, oues non erant: & Petro atque Apostolis commendantur oues, quæ oues tantum essent, & non pastores; Pastores enim omnes, etiam Petrus, quatenus [c] oues, erant sub solo pastore Christo. Videtur quidem [d] Chrysostomus in decursu exundantis orationis innuere Petrum, ex concessa sibi fratrum cura, à Christo quæsiuisse de Ioanne; Hic autem quid? quod etiam ponit Caietanus: [e] Sed sicut manifestum est interrogationem illam ex sola curiositate profectam, & nihil curę fratrum in se continere; ita illa transcursim à Chrysostomo dicta, non sunt cum rigore accipienda. Nam alia quæ ibidem hic Doctor dicit de commissa Petro fratrum cura, facile intelliguntur de fratribus, fidelibus videlicet, non de Apostolis, quicquid dicat [f] Bellarminus: commissionem etenim hanc fratrum curæ, accepit Chrysostomus in illis verbis Christi, Pasce oues meas: oues verò pascendæ erant populi conuertendi.

a Idem Serm. 50 de verb. Dom.
b Idem lib. de pastorib. c. 13.
c Supra cap. 3. n. 13.
d Chrys. hom. 87. in Ioan.
e Caiet. tract. de auct. Papæ & Concil. c. 3.
f Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 25. vbi de Chrysost.

A
B

VII.

Quoniam igitur locus ille, Pasce oues meas, nihil singulare Petro tribuebat, quod non etiam cæteris Apostolis tribueretur; & consequenter Principatus Petri nullus inde habebatur; ideo Turrecremata loco cedens, ait; [g] Non sumus argumentati primatum Beati Petri ex sola Pastoralis curæ commissione; sed ex eo quod præsentibus alijs Apostolis, nulla de illis mentione facta, soli Petro Christus indefinite curam gregis sui commisit.] Et est responsio ad argumentum nunc à nobis tractatum; videlicet, [h] Pasturam ouium communem fuisse omnibus Apostolis: Quod ipse non negat; imò expressè asserit se Primatum Petri ex hac pasturæ commissione non collegisse; sed ex illa coniectura, quod Dominus cum solo Petro, alijs præsentibus de hac pastura loquatur; quam tamen coniecturam nos abunde refellimus capite præcedenti. Cum verò nunc ostenderimus omnes Apostolos æquè fuisse à Christo Vniuersales Ecclesiæ Pastores institutos, nimirum quoad potestatem pascendi habitualem, & in potentia, hoc est, vt possent vbicunque ipsis libuisset, illam actu exercere, vt etiam melius capitibus sequentibus [i] declarabo; ex eo loco, Pasce oues meas, Principatum autoritatiuum Petri nemo colliget: & impropriè à [k] quibusdam pro vno Pastore, vnius ouilis, Petrus intruditur loco Christi; nam vna Ecclesia totius mundi, est vnum ouile: [l] Vnus verò Pastor, non alius nisi Christus, sub quo sunt multi Pastores, qui tamen omnes vnicus sunt pastor in solidum: [m] Vnde Augustinus loquens de Apostolis, ait; [n] Posuit (*Christus*) & hoc vt dicerent Arietes nostri, duces ouium, & præcipua membra pastoris, & congregatoris vnius gregis.] *Item:* [o] Pastores ergo illi; planè pastores, & vnde vnus pastor? Iam dixi pastores, quia membra pastoris, illo (*Christo*) capite gaudebant; sub illo capite concordabant; vno spiritu in vnius corporis compage viuebant, ac per hoc omnes ad vnum Pastorem pertinebant.] *Item:* [p] Omnes boni pastores in vno sunt, vnum sunt, illi pascunt, Christus pascit, &c.] Quid plura? ipsamet Christi verba, Pasce oues meas, ex Christi intentione docet idem Augustinus ad omnes Apostolos, & non ad solum Petrum dicta. [q] Huic enim, *inquit*, Ecclesiæ claues Regni cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt; & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? pasce oues meas.] Quibus omnibus, & pluribus alijs locis, Augustinus omnes Apostolos æquè facit pastores. Agnouit ergo non Petro soli, sed cæteris etiam Apostolis æquè pascendarum ouium curam fuisse à Christo Domino demandatam. Chrysostomus idem fatetur dicens, [r] Si enim proprie vitam regentibus tantummodo, nihilque pro communi vtilitate facientibus, Angeli ab omnium Domino deputati sunt, sicut ait vnus ex iustis, [s] Angelus qui eruit me à iuuentute mea, multo magis his (*Apostolis*) quibus totius Orbis cura commissa est, taliumque donorum onera portantibus, virtutes adsunt supernæ.]

g Turrecr. l. 2. de Eccles. c. 11.
h Idem ibid. c. 7.
i Infra cap. 12. num. 17.
k Extrauag. Vnam sanctam. de maior. & obed. & Caiet. tract. de Rom. Pont. instit. c. 10. & Viter. tom. 1. am 34. num. 207. 208. & Bellar. de Rom. Pont. l. 1. cap. 9.
l Ioan. 10.
m Aug. epist. in Psal. 142.
n Aug. tract. 46 in Io.
o Idem lib. de Past. c. 13.
p Idem Aug. lib. de Agone Christi. c. 30.
q Chrys. hom. 7. de laud. Paul.
r Gen. 48.

C
D
E

VIII.

Cur igitur, *inquies*, Petro soli seorsim ab alijs, tamen coram alijs, dicitur in particulari, Pasce oues meas? Iam itaque necesse est rursus mysteria quæramus. Et tane plura non deerunt, Ecclesiæ Christi olim notissima, quorum tamen nullum nos ad Petri Principatum monarchicum in Ecclesiâ deducat. Primum itaq; mysterium huius Christi actionis erit mysterium Vnitatis collegij Apostolici, ne ipsum collegium dissolueretur. Cum enim Petrus solus ex duodecim Apostolis negasset Christum expressè, poterant reliqui illum meritò excludere, vitare, abijcere, & consequenter dissoluere vnitatem illam collegij Apostolici, cuius vinculum Christi institutione factus fuerat Petrus, vt explicatum est à nobis cum Hieronymo, & Optato, capite præcedenti, num. 20. 21. Explicat hoc mysterium satis

fusè

A fuse Optatus Mileuitanus. Ait enim [a] de persona Beatissimi Petri loquens; Ex qua, forma Vnitatis retinendæ, vel faciendæ descripta (*in Euangelio*) recitatur. Equidem malum est contra interdictum aliquid facere; sed peius est Vnitatem non habere cum possis. Quam vnitatem ipsum Christum videmus proposuisse vindictæ suæ, qui magis omnes Discipulos suos voluit in vno esse, quàm quod offensus fuerat vindicare: dum nollet se negari, [b] promisit se apud Patrem negaturum esse, qui se negaret apud homines; & tamen non se promisit puniturum, scripturam aliquam qui tradidisset. Grauius est enim negare eum qui locutus sit, quàm tradidisse verba quæ locutus sit.] Disputat Optatus contra Donatistas, qui schisma fecerant, occasione eorum Episcoporum, qui sacros libros hostibus, qui eos combusturi erant, tormentorum metu, tradidissent. Atque ita argumentatur. Grauius peccatum est negare ipsum Christum, quàm tradere Scripturas; siquidem Christus se negaturum minatur coram Deo eum, qui ipsum negasset coram hominibus; quæ est grauissima

B pœna: nullam tamen specialem pœnam est minatus contra traditores Scripturarum. Atqui ne Vnitas scinderetur inter Discipulos, noluit vindictam contra Petrum ipsum negantem exerceri; sed illum in gratiam recepit, & Pastorem fecit, atque Apostolico choro reddidit, vt Discipuli sic ab illo non abstinerent, eumque tanquam Christi negatorem non abijcerent; & sic facta scissione ab eo se non separarent; sed Vnitatem omnes, etiam cum Petro, pristinam conseruarent. Pergit itaque Optatus: Et cum hæc ita scripta sunt; tamen bono Vnitatis B. Petrus, cui satis erat si postquam negauit, solam veniam consequeretur, & præferri Apostolis omnibus meruit, & claues Regni cœlorum, communicandas cæteris, solus accepit.] Hoc est satis ei esse debuit si veniam peccati sui fuisset à Christo consecutus: cæterum merebatur, vt omnes Apostoli ab eo, tanquam à negatore Christi, se separarent, eumque à suo consortio excluderent; iuxta pœnam à Christo suis negatoribus interminatam. Sed ne hoc illi facerent, præter veniam peccati ei concessam, prætulit etiam illum omnibus Apostolis: nam sicut ei soli seorsim à cæteris promiserat [c] claues; ita etiam ei soli seorsim post Resurrectionem, omissis tunc alijs, pasturam ouium commisit: quod fuit, ex mente Optati, ei claues tradere; quæ tamen essent etiam alijs, post ipsum, ab eodem Christo (vt suprà num. 5.) communicandæ. Vt sic Apostoli, visa hac Christi noua suscepta post negationem Petri protectione, illum non euitarent: & sic vnio tam grata & accepta Christo, conseruaretur: Pergitque Optatus; Bono Vnitatis sepelienda esse peccata, hinc intelligi datur; quod Beatissimus Paulus Apostolus dicat [d] caritatem posse obstruere multitudinem peccatorum. Apostoli cæteri bono Vnitatis per caritatem noluerunt à communione Petri recedere, eius scilicet, qui negauerat Christum. Quod si maior

D esset amor innocentiæ, quam vtilitas pacis & Vnitatis, dicerent se non debere communicare Petro: possent non communicare: possent contra illum recitare verba Christi, qui promiserat se negaturum &c.] Et post nonnulla interiecta de Petri negatione, & illius grauitate peccati, subdit: Vnde intelligitur omnia ordinata esse prouidentia Saluatoris, vt ipse acciperet claues: Intercluſa est malitiæ via, ne Apostoli animo licentiam iudicandi conciperent, & seuere contemnerent eum, qui negauerat Christum. Stant tot Innocentes, *hoc est qui non negauerant*, & peccator, *id est qui negauerat* accipit claues, vt Vnitatis negotium formaretur. Prouisum est vt peccator aperiret innocentibus; ne innocentes clauderent contra peccatores: & quæ necessaria est Vnitas esse non posset.] Christus nimirum committendo Petro peccatori, soli seorsim, curam Pastoralem, & consequenter claues vt aperiret innocentibus; hoc est, vt, tanquam [e] primus præiret, quem alij Apostoli innocentes subsequerentur, eandem curam pastoralem post illum *de mente Optati*, suscepturi; impe-

E diuit ne illi innocentes meritò peccatorem excluderent: sic enim Vnitas inter illos necessaria esse non potuisset. Prius etiam dixerat Optatus [f] Ecclesiam esse [g] sponsam electam; hortum conclusum; & fontem signatum: Vt Hæretici, *inquit*, omnes, neque claues habeant, quas solus Petrus accepit; nec annulum, quo legitur fons esse signatus &c.] Solum Petrum accepisse ait claues; quia soli seorsim sunt primum & promissæ & datæ; bono tamen Vnitatis; vt postea lib. 7. explicauit; quam explicationem modo nos hic exposuimus: soli enim primum datæ sunt post negationem, ne se ab eo reliqui separarent: sed ita tamen datæ sunt, vt postea etiam alijs essent ab eodem Christo æque communicandæ, vt idem affirmat Optatus. Præterea, solum Petrum intelligit Optatus solam Ecclesiam Catholicam, quam Petrus significabat, & repræsentabat; vt infra exponit etiam Augustinus. Et quia hæretici non sunt in Ecclesia Catholica, ideo illos asserit clauibus carere. Vnitatem ferme similem concipiebat Augustinus, quando supra dicebat; [h] In ipso Petro vni-

a *Optat. l. 7. cont. Parmen.*

b Matth. 10.

c Matth. 16.

d 2. Pet 4.

e *Supra nu.* 14

f *Idem Optat. l. 1. cont. Parm.*

g Cantic. 4.

h *August. de Pastor. c.* 13.

tatem commendauit: multi erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas.] A

IX. Secundo adest nobis Augustinus; qui sane instar omnium deberet esse. Ille porro propterea soli Petro seorsim pasturam committi asserit, quia Petrus erat figura, & typus omnium pastorum, & totam Ecclesiam repræsentabat. Sic enim scribit; [a] Cum *Petro* dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Pasce oues meas: Debet ergo Ecclesia Catholica correctis, & pietate firmatis filijs libenter ignoscere, cum ipsi Petro personam ipsius portanti videamus veniam esse concessam.] Itaque Augustinus, veniam suæ negationis datam putat Petro illis verbis, Pasce oues meas; & ex Petro, tunc etiam figuram totius Ecclesiæ gestante, veniam dandam esse cum peccarint, & resipuerint omnibus Ecclesiæ filijs, colligit idem Augustinus. Et alibi illud habet; [b] Non in ipso Petro, sed in corpore suo, ait, Petre amas me? Pasce oues meas.] Simile quid dixit Augustinus, supra num. 3. Nempe [c] in vno Petro figurabatur vnitas omnium Pastorum.] Atque in hoc Ambrosium habuit Magistrum: qui ita scripserat: [d] Quas oues, & quem gregem, non solum tunc Beatus susceptit Petrus, B sed & nobiscum eas susceptit; & cum illo eas nos susceptimus omnes.] Petro ergo soli dictum est à Christo, Pasce oues meas: quia tunc Petrus erat figura, & repræsentabat omnes Ecclesiæ Prælatos; & vt omnium procurator generalis, omnium nomine accepit curam Pastoralem.

a *August. de Agone Christiano c. 30.*

b *Idem in Io. tract. 46.*

c *Idem Serm. 24 de Sanctis.*

d *Ambros. de dignit. Sacerd. c. 2.*

X. Tertio dici potest, quod etiam paulò ante num. 5. attigi, Petro singulariter Christum dicere, Pasce oues meas; hoc est, Israelitas, qui tunc soli erant Christi oues; vnde & dicebat: [e] Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.] Et Paulus ipsum Dominum vocat [f] Ministrum Circumcisionis. Erant quidem & aliæ oues, nimirum Gentiles; sed illæ nondum erant de [g] ouili Christi. Volebat itaque Petrum instituere Apostolum præcipuè Iudæorum, nam designabat Paulum in præcipuum Apostolum gentium, iuxta illud. [h] Qui operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est mihi & inter gentes.] *Et*, [i] Creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro Circumcisionis.] C *Et*, [k] Iacobus, Cephas, & Ioannes qui videbantur Columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis; vt nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem, &c.] Non quod & Paulus non posset Iudæis annuntiare, quod & sæpius præstitit: & Petrus gentibus, quod abundè & ipse fecit: hæc enim erat communis potestas omnium & singulorum Apostolorum, vt, quod iam docui, quisque posset, vbicunq; liberet, Euangeliũ prædicare; sed quod præcipua Petri cura debuisset in Iudæos extendi, & in ipsos, quandiu spes ipsorum conuersionis aliqua superesset, exerceri; Pauli verò in Gentiles: Ideò Christus Dominus, sicut ipse non nisi Iudæis prædicauit, ita ad maiorem ipsorum confusionem, post ipsius discessum, primum & præcipuum Apostolorum ad ipsos præcipuè destinauit Petrum, dicens ei, Pasce oues meas: Quibus verbis solos ipsi Iudæos commendasse mihi videtur ex dictis probabilissimum: Neque video oppositionem vllam quæ alicuius sit momenti; Si enim quis inferret, Igitur Petrus non habuit potestatem in Gentiles; negarem illationem, illam enim æ- D qualem habuit cum cæteris; siquidem etiam ipsi dictum fuit, Sicut misit me Pater & ego mitto vos. Et, Euntes docete omnes gentes, &c. Quod verò interdum Patres aliqui dicant totius Ecclesiæ pasturam illis verbis contineri, non facit quominus etiam hæc interpretatio de ouibus domus Israel, suam habeat probabilitatem; cùm non modò non repugnet sacris Scripturis, sed etiam illis vel maximè conformetur. Quare enim (obsecro) Petrus suam primam scribit Epistolam [l] Electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bythiniæ, hoc est, Iudæis qui in Christum crediderunt? Aduenas enim dispersionis eosdem intelligit, quos & Iacobus, vbi ait; [m] Iacobus duodecim tribubus quæ sunt in dispersione salutem.] Nonne ipsemet Petrus suas præcipuè partes esse satis apertè innuit, vt Euangelium Iudæis prædicaret; & hanc præcipuam suam vocationem esse verbo & factis confirmat? Verbo quidem dum ait; [n] Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam.] Et postea tantopere laborat in se excusando ijs E qui [o] disceptabant aduersus illum, qui erant ex Circumcisione dicentes; Quare introisti ad viros præputium habentes? incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem dicens; Ego eram in ciuitate Ioppæ orans, &c.] Pergit enim multis se excusare. Quam excusationem Gregorius quidem ad humilitatem Petri reducit; ait enim; [p] Certè Petrus potestatem Regni cœlestis acceperat, vt quæcunque in terra ligaret vel solueret, essent in cœlo ligata vel soluta, supra mare ambulauit; ægrotantes vmbra curabat; peccantes verbo occidebat; mortuos oratione suscitabat; & quia ex admonitione spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quæstio à fidelibus facta est, cur ad Gentiles intrasset, & comedis-

e Matt. 10 15.
f Rom. 15.
g Ioh. 10.
h Gal. 2.
i Ibid.
k Ibid.
l 1. Pet. 1.
m Iacob. 1.
n Act. 10.
o Act. 11.
p *Greg. Epist. 39. li. 9. Indict. 4.*

sset

A sset cum eis; & cur eos in baptismate susceperisset, &c. Et post pauca: Si enim cùm à fidelibus culparetur, autoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat attendisset, respondere poterat, vt Pastorem suum oues quæ et commissæ fuerant reprehendere non auderent: (*Reprehendebatur verò à Iudaïs conuersis qui erant propriæ ipsius oues*) Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergò eos ratione placauit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit dicens; Venerunt autem mecum sex fratres isti. Si ergo Pastor Ecclesiæ, Apostolorum Princeps, signa & miracula singulariter faciens non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?] Mihi tamen (bonâ cum venia tanti Pontificis id dixerim) in Petro hoc videtur fuisse non humilitatis, sed timoris, ne suos Iudæos

B scandalizaret: Sicuti eodem timore ductus [a] Gentiles conuersos cogebat Iudaizare; de quo à Paulo etiam reprehensus fuit. Humilitas profectò illa parum laudabilis videtur, vt superior rationem reddat suis inferioribus, etiam benè & prudenter factorum. Vnde & Gratianus locum hunc Gregorij affert, non ad imitandum Prælatis, sed ad vitandum; ait enim, [b] Cum ergo Petrus potuit ex officio repellere querelas, sed noluit, non hoc exemplo Prælati coguntur suscipere reprehensionem subditorum.] Melius igitur Cyprianus,

C [c] Non est autem, *inquit*, de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendũ: Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cùm Paulus de Circumcisione post modum disceptaret, se vindicauit, seu aliquid insolenter aut arrogãter assumpsit, vt diceret, se primatũ tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potiùs oportere. (*Vides Paulũ non nisi tempore & vocatione Petro inferiorem à Cypr. agnosci*) nec despexit Paulum quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis administrationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit: documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus; sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris (*Paulus ergo collega erat Petri*) vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius amplectamur.] Quod igitur in alio simili loco Cyprianus, non ad humilitatem Petri, sed ad patientiam reducit, vbi meritò reprehendebatur; hoc idem nos dicimus non fuisse humilitatis, sed necessariæ ab ipso reputatæ excusationis; vbi timebat ne Iudæi scandalizarentur: Ipsis enim addictus, & eorum proprius Pastor effectus, ne in aliquo offenderentur, plurimum satagebat. Facto etiam se proprium Iudæorum Pastorem satis declarabat, dum [d] Gentes iudaizare cogebat: & hoc quia nimium suis Iudæis, quorum proprius erat Apostolus, obsequebatur. Paulus verò vocationem & ipse suam, vt esset præcipuè Doctor Gentium sæpissimè conceptis verbis testatur, iuxta quod à Christo dictum est; [e] Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, &c. *Et*, [f] Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eo-

D rum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populis, & Gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, &c.] Meritò itaque ait Paulus, [g] Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus.] *Et*, Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus, Græcis, ac Barbaris.] *Et*, [h] Quandiu ego sum Gentium Apostolus, Ministerium meum honorificabo.] *Et*, [i] Vt sim Minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta, &c.] & [k] alibi sæpe. Huic expositioni fauet Gregorius Nazianzenus; [l] Sit, *inquit*, Petri Iudæa, Pauli Gentium vniuersitas, &c.] Magis Ambrosius; qui asserit, primatum ad fundandas Ecclesias in Iudaismo, accepisse Petrum; primatum verò fundandi Ecclesias inter Gentes, Paulum accepisse.

Quarta explicatio, cur Christus seorsim dicat Petro, Pasce oues meas, ea posset esse, vt

E dicamus, propterea id factum, vt eidem Petro, & quasi satisfactionem iniungeret erroris trinæ negationis; & simul etiam eidem animos adderet, ne suis fœdis negationibus nimium confusus, in barathrum desperationis laberetur. Cum verò tantus lapsus nullum alium ex Apostolis notaret, nisi solum Petrum; quasi ad ipsius curationem bonus medicus accedens, cum eo seorsim loquitur, & trinam ardentissimi in Christum amoris confessionem voluit elicere, qua trinæ deleret ille notam & infamiam negationis: vt passim Patres obseruârunt. [m] Redditur negationi trinæ, *inquit Augustinus*, trina confessio, ne minus amori seruiat lingua, quàm timori: & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita præsens: sit amoris officium pascere dominicum gregem; si fuit timoris indicium negare Pastorem.] Idem alibi; [n] Tertio confiteatur per amorem, quia ter negauerat per timorem.]

a Gal. 2.

b 2. q. 7. c. Petrus.

c Cypr. ad Quintum.

d Gal. 2.

e Act. 9.

f Act. 26.

g Rom. 1.
h Rom. 11.
i Rom. 15.
k Rom. 16. Gal. 1. Ephes. 3. 1. Tim. 2. 2. Tim. 1. & 4.

l Nazianzen. orat. 24. ad Arian.

XI.

m Aug. tract. 123. in Io.

n Idem tract. de vtilit. pœnit. cap. 1.

timorem.] *Item:* [a] Vt trina confessione amoris deleret trinam negationem timoris.] Cyrillus Alexandrinus; [b] Terna igitur confessione Petri, *inquit*, trinæ negationis delictum euacuatum est.] Quod prius totidem pœne verbis dixerat, [c] Greg. Nazianzenus. Occasio igitur cur Dominus alloquens Petrum singulariter post Resurrectionem, cum eo agat de amore & pastura, fuit ipsius lapsus. Deleuit itaque Petrus culpam suam, sui in Christum amoris trina confessione: Compensatio tamen tanti erroris aliqua vt necessaria expectabatur: Hanc ei Christus imposuit dicens. Pasce oues meas: Hoc à te expecto, hoc posco, vt redimas crimen tuum; ac operam tuam, industriam tuam, & labores, quinimo sanguinem & vitam pro meis ouibus impendas. [d] Si amas me, *inquit Chrysostomus* fratrum curam suscipias: & quam in omnibus dilectionem ostendisti, & qua delector, nunc ostende; & animam quam pro me positurum dixisti, hanc pro ouibus meis inde.] Ac ne putes me tua negatione læsum, te ex numero meorum Discipulorum & Apostolorum, vt merebaris, abiecisse; scito me in mea deliberatione perseuerare, vt illud munus obeas & impleas, ad quod te, & cæteros Apostolos iam destinaui; quando simul omnibus meas vices imposui; & dixi, me vos [e] ita mittere, Sicut me Pater misit. Pasce igitur oues meas, non minus tu, imò verò magis, qui ter me negasti; quàm cæteri, qui me non negauerunt. Hoc igitur Petro seorsim Christus dixit, vt præterea animos ei adderet, & sciret in munere Apostolatus se restitutum confirmari; non obstantibus negationibus quibus ab Apostolatu forte deciderat, aut saltem merebatur deturbari. Hunc arbitror etiam fuisse Chrysostomi sensum; quando soluens quæsitum illud, Cur, omissis alijs, Petro soli loquatur Dominus, Simon Ioannis, &c. Pasce oues meas: mollius rem tractans ait; [f] Simul vt ei ostenderet iam sibi fiduciam habendam: tanquam enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit; neque negationis meminit, neque exprobrat, tantum dicit, Si amas me, fratrum curam suscipias.] Item quando dixit: [g] Post lapsum enim illius denegationis, cui nullum malum poterit comparari, priori eum reddidit Ecclesiæ, & totius orbis Ecclesiæ solicitudinem curamque commisit: &, quod plus est, vltra omnes Apostolos erga Dominum eum ostendit habere caritatem.] Cyrillus etiam Alexandrinus idem sensit; [h] Dixit autem, Pasce agnos meos: Apostolatus illi renouans dignitatem; ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur.] Obseruarat hoc ipsum etiam Cyrillus Hierosolymitanus: vbi enim de Petri pœnitentia ei sermo accidit, illud dixit; [i] Atque ideo, *non* solum negationis illius accipit condonationem, verum etiam dignitatem Apostolicam non ablatam retinuit.]

XII. Quinta expositio esse potest vt dicamus, propterea cum solo Petro Dominum loqui, & seorsim ipsi pasturam ouium commendare, quia ex vndecim, sicuti ipse præcipuus erat, tot nominibus iam à nobis declaratis; ita præcipuam curam prædicationis ipsi committi, qui maximè omnium, qui tunc aderant, debebat in ipsius Domini vinea laborare. Ita intelligo ego Leonem vbi ait: [k] Cui, cum præ cæteris soluendi, & ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ouium cura specialius mandata est.] Obserua illud, Specialius; quod absolutum Principatum non admittit: Sicut & quando idem ibidem ait. Sed huius muneris (*prædicationis Euangelicæ*) Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret.] *Item:* [l] Beato Apostolo Petro, *inquit*, supra cæteros, post regni claues, ouilis Dominici cura demandatur.] Supra cæteros, ait; Hoc est multo magis quàm cæteris: & hoc idem est, quod specialius, & principaliter.] Gelasius; [m] Et qui (*Christus*) hoc faciendi, *inquit*, solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat Apostolo, Quodcunque ligaueris, &c.] Hoc idem & sensit, & scripsit Nicolaus primus ad Michaelem Imperatorem; [n] Ipsum enim, *inquit*, cuius nos, licet immeriti, vicem suscepimus principaliter, ac specialiter, Vniuersalis Ecclesiæ curam diuinitus accepisse, etiam nobis tacentibus, credimus.] Et ad Theodoram; [o] Statuentes, *inquit*, pedes vestros in petra, super quam Dominus principaliter suam construere delegit Ecclesiam.] Eodem modo loquitur Lanfrancus; [p] Denique, *inquit*, ipse Dominus honorifice alloquitur eam (*sedem Apostolicam*) in Euangelio suo dicens, Tu es Petrus, &c. Et, Tibi dabo claues, &c. Quæ tametsi de Pastoribus Sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur, præcipuè tamen de Romana Ecclesia intelligenda esse sacri Canones, & Pontificum Decreta testantur.] Atque hanc, vt ita dicam, Principalitatem, & præcellentiam solicitudinis & laboris, significant verba illa Christi; Diligis me plus his? Quasi dicat quia tu supra cæteros decem, & feruentius omnibus ipsis me amas; idcirco tibi etiam maxime fidens, maxime, & su-

a Idem ser. 40 de verb. Dom.
b Cyrill. in Io. l. 12 c. 64.
c Nazianzen. orat. in fest. Epi.
d Chrys. Hom. 87. in Io.
e Ioan. 20.
f Chrysost. Hō 87. in Io.
g Idem Chrys. Hom. de Ioan.
h Cyrill. in Io. l. 12. c. 64.
i Cyrill. Hierosol. Catech. 2.
k Leo Ep. 93. ad Vienn.
l Idem Leo ser. 1. de ascen.
m Gelas. in cōmmentario.
n Nicol. Ep. 8. Tom. 3.
o Idem Ep. 14.
p Lanfran. de Eucharist. Berengario apud Baron. Tom. 11. anno 1059. num. 17.

A
B
C
D
E

A & supra illos meas tibi oues commendo; & tuam ad hos potissimum operam requiro: nou quod etiam alijs Apostolis idem officium pascendi non committam, eadem autoritate prorsus & potestate, quati *i*; sed quia te magis laboraturum, & feruentius in meum opus incubiturum quam cæteros, scio: ideo tibi maxime, tanquam me maxime diligenti, opus meum commendo. Hoc sane non est iurisdictionem ei, & primatum erga alios tradere; quod contendunt [a] Monarchici, dum considerant comparationem illam, Diligis me plus his? ex ea enim nihil aliud habemus, nisi eam, quam dixi, principalitatem: vt sicut Petrus in amando Christo cæteris decem excelluit; ita feruore executionis ab illo amore profectæ, debuerit cæteros superare. Neque enim argumentum procedit hoc pacto: Quandoquidem tu Petre me diligis plus his; Tu solus pasce oues meas vt Pastor ordinarius; hi verò sint quasi tui in hoc coadiutores; sed, Tu me plus his diligis, igitur & tu

B plus his pasce: & plus his in pascendo labora: & plus his pascendo sis solicitus. Atque huc spectant illa Chrysostomi. [b] Cum præsertim, *inquit*, ea agas, quæ cum Petrus ageret, illum Christus autoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe præcellere: Petre enim an amas me plus quàm hi omnes?] Sed magis & minus non variant speciem, vt iam docui. Ac quemadmodum si herus committat pluribus seruis suis opus aliquod domesticum, vt omnes in eo laborent; maximè tamen fidat vni, quem maximè sibi fidelem agnoscat, eique potissimum opus commendet seorsim; postquam illud omnibus simul innuxerit; non propterea dat ei in alios iurisdictionem, aut dominium, circa opus illud perficiendum; neque propterea ille solus dicendus erit illi operi præfectus, licet ipsius fidelitatem herus præferat fidelitati cæterorum. Eodem modo explicare possumus Petro seorsim claues promitti, & Ecclesiæ ædificationem; ac ouium pasturam committi; quia

C principaliter ipsi fidebat Christus, tanquam feruentissimæ omnium laboraturo. Sed hoc totum personale quidpiam esse in Petro, nemo est qui non videat; ac perfectè intelligat, nullum hinc præiudicium Apostolatui cæterorum generari. Huc sane respexit Chrysostomus suo illo celebri encomio in Petrũ, dum ait; [c] Quid autem Petrus? Basis Ecclesiæ; ille vehemens amator Christi; ille sermone indoctus, & Rhetorum victor; ille imperitus, qui tamen Philosophis obturauit os; ille qui Græcanicam sapientiam non aliter quàm aranearum telam dissoluit; qui terrarum orbem peragrauit; qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem?] Hæ amplificationes Petri labores insignes supra cæteros complectuntur. Sed & meritò Christus à Petro poscit, ter, vt amore superet cæteros decem Apostolos; quia lapsus etiam Petri, in negando Christo, superabat illos omnes.

a Coiet. Tract. de auctor. Pap. & Conc. c. 1.

b Chrisost. Lib. de Sacerd. ad 2 init.

c Chrisost. Hom. 4. de Verb. Isa.

XIII.

Itaque qui solus, ac ferme vnicus Euangelij locus Petri fundare Ecclesiasticam videbatur Monarchiam; is omnium maximè, & plures, & planas fert Catholicas interpretationes,

D à primatu, & Monarchia vnius abhorrentes. Tantine igitur res momenti astrui debet à locis, si non omnino contrarijs, certe ad minimum dubijs, & ad summum vix probabilibus? Optimè profecto dicunt communiter iurisconsulti, Textum qui plures habet intellectus, non esse allegabilem. His verò iam in suo vero sensu explicatis, & intellectis, Apostolorum æqualitas in essentialibus Apostolicæ autoritatis, potestatis, & iurisdictionis, egregiè manet confirmata: & consequenter Monarchia Ecclesiastica, inter homines mortales exclusa; Aristocratia verò declarata, dum Apostolis æque omnibus Ecclesiæ regimen à Christo commissum absolutè, distinctiunculis omnibus Monarchicorum sublatis, intuemur

XIV.

Distinctiunculas hasce iam plures supra retulimus, & abiecimus, hic iam vnam celebrem, quam in Sixto Senensi legi, adijcere non grauabor. [d] Proinde, *inquit*, ne quis existimet

E cum, *Hieronymum*, inter se scripsisse pugnantia, *dum nimirum parem cum Petro facit Paulum, & alios Apostolos*, sciendum est triplicem in Petro fuisse potestatem, nimirum ordinis, Apostolatus, ac Regni. Si Apostolatum spectemus, hoc est docendi officium, & Euangelicæ prædicationis curam (atque hæc sub pascendi munere continentur) recte dixit Hieronymus Paulum non esse Petro inferiorem. At si potestatem inspicimus quæ in ordinis Sacramento confertur: scite, pronunciauit Hieronymus, omnes Apostolos ex æquo claues accepisse, & Ecclesiæ fundamenta solidasse. Demum si de potestate Regni, deque illa primaria super omnes Episcopos, & Ecclesias autoritate sit sermo, optime scripsit Hieronymus, vnum Petrum inter duodecim Apostolos electum, & caput omnium constitutum, vt eius suprema autoritate, & eminentiori præ cæteris potestate, contentiones Ecclesiæ dirimantur, & omnis schismatum occasio tollatur.] Potestatem Apostolatus & ordinis, siue eadem sit, siue inter se distinctæ, de quo suo loco agemus, libenter audimus æqualem fuisse in

d Sixt. Senens. lib. 6. Bibl. anot. 169. 171.

omnibus

omnibus Apostolis; in hoc enim ostendendo tota ferme huius primi libri versatur intentio, & ex hoc tota ruit Petri Monarchia: sed tertiam illam Regni potestatem gratis apponi à Monarchicis, sæpius monui: neque eam probant, nisi per dicta illa Euangelica; Tu es Petrus: Tibi dabo: &, Pasce oues; quæ tamen quia ipsis iam eripuimus, potestas hæc Regni vni fictitium commentum euanescat necesse est: siquidem nullam aliam potestatem datam Apostolis iam ostendimus, nisi prædicandi Euangelium, fideles congregandi, & ad æternam vitam dirigendi; quam totam non minùs Apostolo cuique, quam Petro datam cumulate probauimus. Hieronymum verò hic Autor egregie corrumpit; & paraphrasim in ipsius verba, ab ipsius verbis remotissimam confingit; vt ex supra à nobis num. 21 explicatis fit notissimum. Non enim ait Hieronymus, Petrum fuisse institutum caput, vt ipse sua autoritate, & potestate supra cæteros, contentiones dirimeret, & schismata tolleret: Sed Hieronymi propriam, & genuinam sententiam iam fuse explicuimus: nimirum, Petrum caput esse institutum, vt inde vnitas collegij Apostolici à reliquis cognosceretur, atque ex tali vnitate se in vnitate corporis illius, absque scissione, & schismate, conseruarent.

XV.

Baronij magis miror nimiam in dicendo licentiam, qui sæpissime non leue affert Lectori pio offendiculum; is cum [a] multa de Petri primatu verbosius protulisset, quæ iam à nobis [b] sunt explicata, & nihil efficere ostensa; effecta tandem sib ipsi victoria, ita concludit, [c] Cum itaque non nisi omnium ouium dicat vnum ouile esse futurum; vnumque Pastorem; cuius Dominus oues suas omnes, & agnos curæ subiecerit, illum ipsum fuisse Petrum, nec alium præter ipsum, eadem potestate qua ipsum in Vniuersali Ecclesia vnicum institutum esse Pastorem, ex his quæ dicta sunt neminem puto, nisi forte delirum, & mente captum, non intelligere.] Ita insultat Baronius. Ille tamen mihi potius delirus, & mente captus dicendus videtur, qui & sacrorum eloquiorum dictis, & communissimo Sanctorum Patrum sensui resistens; mauult, propter humanum fastum cæcutire, quam clarissimum lumen cernere veritatis. Sed quoniam ea à nobis sunt iam in [d] præcedentibus explicata, & in vero sensu à Baronianis nugis liberata, iam ad alia loca minoris momenti de Petri primatu, vlterius progrediamur.

a Baron. tom. 1 an. 34. nu. 102. & seqq.
b Sup. cap. 3. num. 26. 27. huius.
c Ibidem Baron. nu. 107.
d Supra cap. 3. nu. 26. 27. huius.

CAP. IX.

Pensitatio phalerarum, quibus Petri Primatus prætensus solet exornari.

Svmma Capitis.

Mutatio nominis Petri. num. 1. Primitas ordinis. num. 2. Ambulatio super aquas num. 3. Reuelatio. num. 4. Firmitas Petræ. num. 5. Tributi solutio. num. 6. Nauis, & Piscationes num. 7. Confirmatio fratrum num. 8. Apparitio Christi post resurrectionem. num. 9. Lotio pedum. num. 10. Prædictio mortis Petri num. 11. Contentionis occasio. num. 12. Instructio pro omnibus. num. 13. Interrogationes, & responsiones pro omnibus. nu. 14. Gladij ius. num. 15. Vigilantia. num. 16. Institutio de correptione fraterna. num. 17. Matthiæ Apostolatus num. 18. Prima prædicatio. num. 19. Primum miraculum. num. 20. Percussio Ananiæ. num. 21. Visitatio Ecclesiarum. num. 22. Gentium prima conuersio. num. 23. Publica Ecclesiæ oratio pro Petro. num. 24. Præsidentia in Concilio. num. 25. Visitatio Pauli. num. 26. Corinthiaca dissensio. num. 27. Baptismus à Christo habitus, & Episcopatus. num. 28. 29. Deiectio Simonis Magi. num. 30. Romana sedes. num. 31. Domine quo vadis. num. 32. Fundatio sedium Patriarchalium. num. 33. Festum Cathedræ. num. 34. Nomen Petri in formatis. num. 35. Conclusio capitis num. 36.

I.

Nauigauimus, Deo duce, ex tribus syrtibus: & quod fuit summum Dei erga Ecclesiam suam beneficium, nusquam in scopulum Petrosum, visibilis Monarchiæ Ecclesiasticæ, adeo periculosum impegimus. Nauigatio tamen nondum absoluta est, & restant multi scopuli, qui nobis sunt absque vllo periculo prætернauigandi; & ij quidem non amplius latentes, sed satis prominentes; vt non nisi cæcus ad eos faciat naufragium: ij verò sunt multæ Petri prærogatiuæ; quas neque ad promissionem, neque ad institutionem

A nem Petri Primatus, quicquam posse, fatetur Bellarminus; [a] Sed ad confirmationem duntaxat dicti primatus, eas se afferre profitetur. Caietanus verò non nisi [b] duobus locis Euangelicis de Petri primatu agi verè & propriè, Matth.16. & Io.21. asserebat. Quod si his locis Primatus hic non probatur, vt ipsum non probari fusè docuimus, frustra alia afferuntur: Sed & illa iam consideranda producamus. Prima igitur prærogatiua Petri, sit mutatio nominis, quod ex Simone dictus fuerit à Christo [c] Cephas, hoc est Petrus. Sed primatum hinc colligi nullum satis iam [d] supra ostendi; nam alijs etiam Christus, & nomina, & cognomina mutauit, siue addidit. Etsi quid præeminentiæ in Petro mutatio nominis potest indicare, nihil aliud ad summum indicabit, nisi Petrum fuisse insignem Apostolum, imò etiam primum, eo modo quo fusiùs cap. 5. declaraui. Quod si nominis Cephæ significatum consideremus, is siue sit petra Syriace, siue caput Græce, parum refert; nam
B Petra & Fundamentum Ecclesiæ non minus fuerunt alij Apostoli, vt cap.6. disputaui: Et caput Apostolorum fuit Petrus, quia primus erat ætate, vocatione, & dignitate; non autoritate & Iurisdictione; vt capite quinto est explicatum.

Altera prærogatiua Petri, [e] *inquit Bellarminus*, est quod cum ab Euangelistis [f] nominentur Apostoli, vel omnes vel aliqui, semper primo loco ponitur Petrus.] Sed hæc est leuissima coniectura: nam Petrus, & ætate, & vocatione, & familiaritate cum Christo erat primus, & quasi Apostolici Collegij Decanus, præses, & caput. Nec opponat Andream Bellarminus, iam enim ostendi [g] Petrum ad perfectã Christi sequelam Andream præcessisse; & à Patribus Petrum primum dici vocatum, & factum Apostolum. Et de [h] ætate similiter protuli Epiphanium quidem Andream Petro seniorem fecisse, alios tamen contra Petrum
C natu maiorem censuisse. Sed esto fuerit solus Andreas ex omnibus Apostolis Petro senior, certè cum Petrus reliquos omnes, vno Andrea fratre ipsius excepto, præcesserit, ipsum verò Andream perfecta ad Christum adhæsione, & feruore caritatis erga Christũ superaret, facilè potuit primatum loci obtinere. Cui primatum etiam virtutum personalium nos libenter concessimus cap.5. Neque turbamur oppositione Bellarmini, dum ait [i] Euangelista non facilè scire potuit, nec iudicare ausus fuisset, quis esset inter Apostolos optimus; præsertim cum sciret Ioannem fuisse virginem, Petrum coniugatum: & Ioannem eundem ita diligi videret à Domino, vt vocaretur discipulus quem diligebat Iesus. Nec ignoraret Iacobum minorem tanta sanctitate præditum, vt iustus, & frater Domini ab omnibus vocaretur.] Virtutes enim etiam externis effectibus facilè produntur; & caritas Petri ardentissima erga Christum, valde insignibus actibus emicuit; & feruor, vt iam [k] tradidimus,
D fuit conspicuus supra cæteros: & familiaritas perpetua cum Christo, idem ostendit. Neque sanctitas ex cælibatu, aut matrimonio mensuratur, sed ex caritate: sicut neque ex epithetis & cognominibus, quod dixerim propter Iacobum fratrem Domini, qui fortasse Apostolus ex duodecim non fuit; quod postea libro secundo examinabimus. In hoc ergo quod Petrus ætate, vocatione, & feruore alios superauit; & proinde in familiaritatem singularem à Christo assumptus, eique propterea à cæteris honor magnus delatus fuerit, totum Petri primatum & ponimus, & agnoscimus. Atque hinc explicamus cur interdum Euangelistæ eo modo scribant, Petrus, & qui cum illo erant: ad hunc enim solum Primatum semper respexerunt.

Tertia prærogatiua, quod [l] Petrus vnà cum Domino [m] super aquas ambulauit. Et post Resurrectionem se [n] misit in mare, & natando ad Iesum venit. Allegorias hîc ex Bernardo affert Bellarminus pro Petri Principatu. Sed iam toties diximus per sensus mysticos, & allegoricos nihil probari. Et actus hi Petri solum Petri feruorem propriè & proximè
E manifestant.

Quarta prætogatiua est, illa peculiaris, *inquit* [o] *Bellarminus*, reuelatio [p] facta soli Petro. Nos verò satis ostendimus [q] Petrum in reuelatione, neque primum, neque solum fuisse priuilegiatum: nam prius [r] Nathanael confessus est Christum Filium Dei. Sed deprimit hanc confessionem Bellarminus, quod fuerit confessio Filij Dei, eo sensu quo homines iusti vocantur filij Dei: Petrum verò confessum filium Dei proprium, & naturalem. Ego tamen Bellarmino dicenti, & non probanti filium Dei eo sensu intelligi in confessione Nathanaelis, non credam: credam potius Augustino dicenti, [s] Nam talem vocem protulit (*Nathanael*) Tu es filius Dei, Tu es Rex Israel, qualem tanto post Petrus.] Credam Chrysostomo, [t] Quid igitur? *inquit*, priusquam à Christo vocaretur (*Nathanael*) eum duntaxat vidit, nonne antea etiam insomni oculo viderat? Viderat sanè, non modò inficiatur, sed ita opus fuit dictu. Quid igitur ille? Cum certissimum de Christi prouidentia ar-

gumentum

a *Bellar. l.1. de Rom. Pont. c.17.*
b *Caiet. tract. de Rom. Pont. auct. cap.1.*
c Io.1.
d *Sup. cap.6. num.51.*

II.
e *Bellar. lib.1. de Rom. Pont. c.18.*
f Matth.10. Marc.3. Luc.6. Act.1.
g *Sup. cap.5. num.10.*
h *Ibid. n.8.*
i *Bellar. vbi supr. c.18.*
k *Sup. cap.5. num.15.*

III.
l *Bellar. ibid. cap.19.*
m Matth.14.
n Io.21.

IV.
o *Bellar. lib.1. de Rom. Pont. cap.19.*
p Matth.16.
q *Sup. cap.6. nu.31. & seqq. huius.*
r Io.1.
s *Aug. tract.7. in Io.*
t *Chrysost. hom. 19. in Io.*

gumentum accepisset, confessus est, & primo se diligentem, deinde consensu fidelem ostendit: respondit enim, Tu es filius Dei, Tu es Rex Israel. Vides gratam repentè, & Iesum amplexantem animam? Tu, inquit, ille es quem expectamus, quem quærimus.] Si itaque Petrus confessus est ex fide & reuelatione filium Dei naturalem; etiam Nathanaelis ex fide, vt intelligit Chrysostomus, confessio eadem, & eiusdem erit: & si Christum confitetur esse Messiam, vt patet ex Euangelio, & Chrysostomo, Bellarmini explicatio non est audienda. Credam libentiùs etiam Cyrillo ita scribenti in eum verbum Nathanaelis, Rabbi, Tu es filius Dei, Tu es Rex Israel: [a] Quam quidem dignitatem regni, non gratia, neque vt homini (nullos enim videbat satellites) sed vt verè filio Dei incarnato attribuit.] Sed quid dicet de [b] Ioannis Baptistæ confessione? & alijs? de quibus nos plura, supra cap. 6. num. 31. & sequ. huius libri.

a Cyrill. l. 12. Thesaur. ca. 15
b Ioan. 3.

V.

Quinta [c] prærogatiua, vbi dicitur; [d] Et portæ inferi non prævalebũt aduersus eam. Promittitur enim perpetua stabilitas, *inquit Bellarminus*, non solùm Ecclesiæ Vniuersæ, sed etiam petræ, qui erat Petrus.] Origenes quidem [e] fatetur stabilitatem promitti, & Ecclesię, super petram fundatæ; & ipsi petræ, super quam Ecclesia fundatur: Sed non dicit petram esse Petrum. Et Augustinus, [f] Nihil illustre promitti, aut dari Petro admittit; nisi quod ad Ecclesiam totam referatur, & petram plurimi doctissimi & sanctissimi Patres intelligunt, vt [g] supra docui, fidem & confessionem illam Petri, Tu es Christus Filius Dei viui: ac propterea portas inferi non prævalituras, neque contra Ecclesiam, neque contra fidem Christi Diuinitatis. Sed de hac stabilitate Ecclesiæ & petræ nobis erit commodiùs Libro septimo pertractandum.

c Bellar. ibid. cap. 13.
d Mat. 16.
e Origen. Tract. 1. in Matth.
f Aug. in Psa. 108.
g Supra cap. 6. num. 12. & sequ.

VI.

Sexta prærogatiua, [h] vbi Dominus iubet solui [i] tributum pro se & Petro.] Hic tamen locus vix topicum præbet argumentum Petri Principatus confirmandi: sufficit enim quicunque Petri Primatus, vt quod esset propter ætatem, & Primatum vocationis, veluti caput & procurator generalis cæterorum Apostolorum. Afferunt tamen pro se [k] Monarchici dictum ex opere quæstionum Noui & Veteris Testamenti, quod est inter opera Augustini, incertum tamen cuius sit, vbi quæst. 75. Autor sic loquitur; Saluator cùm pro se & Petro dare iubet Didrachma, pro omnibus soluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit caput eorum, vt esset Pastor gregis Dominici.] Qui Autor, intellexit Petrum fuisse caput, hoc est, primum, & quasi procuratorem ac repræsentatorem cæterorum. Quod si propriè intellexit Petrum solum fuisse Dominici gregis, & præsertim cęterorum Apostolorum, Pastorem, valeat; nam contra sacram Scripturam, & Patres, nemo audiendus. Certè [l] Augustinus, quem mihi videtur hic Autor secutus, de more Didrachmum alterum pro Petro solutum, dicit solutum esse pro Ecclesia; semper enim Petrum facit in serijs figuram Ecclesiæ. Chrysostomus verò ait; [m] Pro me & te da eis Stateram, quoniam & Petrus primogenitus erat.] At verò Hieronymus [n] expressè asserit in hac solutione tributi, ex æqualitate pretij, arbitratos esse Apostolos, Petrum ipsis omnibus Prælatum; atque ideo interrogasse, quis maior sit in Regno cœlorum. Sed addit; Videnśq; Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ humilitatis contentione sanare.] Curabant ergo, vt vult Hieronymus, Apostoli, existimantes Petrum ipsis prælatum, tanquam verè Dominum Principem & Monarcham. Respondet Bellarminus, [o] erasse quidem Apostolos, quia temporalem principatum somniabant: & hunc errorem Dominum sæpe correxisse. De hoc tamen temporali Mundi huius Principatu Apostolos tunc nihil cogitasse, sed de sola Petri prælatione supra ipsos Apostolos, satis est apertum: Aiunt enim, [p] Quis putas maior est in Regno cœlorum?] Non dicunt quis erit maior in Regno huius terræ temporali: & per Regnum cœlorum intelligunt præsens Regnum spirituale Ecclesiasticum; quod sæpissime Christus solebat Regnum cœlorum vocare, vt quando dicebat, [q] Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno eius omnia scandala.] In Regno verò beatitudinis nulla sunt scandala quæ colligantur, vt obseruat [r] Greg. sed hoc Regnum est, vt idem ait, præsentis temporis Ecclesia. [s] Vnde & Christus volens, vt inquit Hieronymus, gloriæ desiderium humilitatis contentione sanare, [t] Aduocans paruulum statuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.] Intellexit ergo illos de aliqua præsentis Regni cœlorum dignitate litigari: ideoque præsens adhibet remedium, & addit: Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in Regno cœlorum.] Et quæ sequuntur omnia spectant ad præsentem,

h Bellarm. ibid. ca. 19. & Baro. Tom. 1. an. 33. num. 32.
i Mat. 17.
k Caietan. tra. de auter. Pap. & Concil. ca. 9. Bellar. ibid. cap. 28.
l Aug. Serm. 6. de Verb. Apost.
m Chrys. sit in Matth. homil. 59.
n Hieron. lib 3. comm. in Mat. cap. 18.
o Bellar. de Rom. Pont. l. 1. cap. 19
p Matth. 18.
q Matth. 13.
r Greg. hom. 12. in Euan.
s Hieron. vbi supra.
t Mat. 18.

A tem statum Ecclesiæ militantis. Errabant ergo Apostoli dum inter ipsos aliquem à Christo iam institutum putabant, qui cæteris despoticè, & cum absoluto dominio præesset, huncque Petrum esse suspicabantur; quem iam in multis rebus priuilegiatum cernebant; & proximè ipsum viderant, in solutione huius tributi, ipsi Domino comparatum. Atque hunc errorem, dicit Hieronymus, fuisse à Domino sublatum, & sanatum. Quanquam ne hoc ipsum quidem intelligo, quomodo ex hac didrachmi solutione, Petrus Domino putetur æquatus; ita vt ex hac æquatione superior cæteris Apostolis censeatur. Ex æqualitate precij, *inquit Hieronymus*, arbitrati sunt Apostoli, Petrum ipsis Prælatum.] Supponere igitur videtur, etiam pro cæteris Apostolis, tunc tributum fuisse solutum; sed pro vnoquoque non fuisse datum didrachmum: sed minus precium. Atqui de hac solutione nihil constat, nisi pro solo Domino, & Petro datum staterem, qui duo continebat

B didrachma: neque constat alios plus, alios minus, pro dignitate personarum, soluisse. Imò constat, vnumquemque, siue nobilem, siue plebeium; siue dignitate superiorem, siue inferiorem; siue patrem-familias, siue filium, siue primogenitum, siue postgenitum; vnum, & idem precium soluisse; iuxta Domini præceptum: [a] Diues non addet ad dimidium sicli, & pauper nihil minuet.] Nam didrachmum hoc, ex illo præcepto pendere, est communis opinio: de quo ago huius operis l. 6. cap. 1. num. 56. & plenius l. 10. Quamuis Chrysostomus plane vnum præceptum pro alio per errorem sumpserit, nempe [b] siclorum pro primogenitis soluendorum, pro præcepto, * didrachmi. Aequalitas igitur hæc precij, lege determinata est; & ex illa nullam habemus inter personas præcedentiá. Sane Ambrosius etiam, * Petrum immunem fuisse ab hoc tributo censet; non ex naturali filiatione summi Regis Regum Dei, vt erat Christus; sed ex adoptiua. Ex hac tamē immu-

C nitate nulla sequitur in Petro prælatio supra cæteros: quia reliqui etiam Apostoli, imò fideles omnes, in adoptionem à Patre sunt adsciti. Locum Ambrosij habes infra cap. 11. num. 31. Et Chrysostomus in sua leuiuscula inaduertentia perseuerans, [c] Prælaturam Petri supra alios, ferè cum Hieronymo, colligit, ex eo quod tributum primogenituræ pro ipso Petro sit solutum, iussu Christi; non ita pro alijs: Licet, *inquit*, & Iacobus, & Ioannes primogeniti essent.] Quomodo verò & Iacobus & Ioannes, cum essent fratres, ambo potuerint esse primogeniti, non intelligo.

a Exo. 30.

b Num. 18.
* Exo. 30.
* Ambr. in Exo. c. 30.

c Chrys. in Matt. hom. 59.

Septima prærogatiua sumitur ex naui Petri, & ipsius duplici piscatione: nam [d] in vtraque naui & piscatione, *inquit Bellarminus*, quæ apertissime totius Ecclesiæ statum significant, semper Petrus Princeps inuenitur.] De hac Petri naui sic Ambrosius; [e] Hanc igitur solam Ecclesiæ Nauem ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus, di-

D cente Domino, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.] Intelligimus igitur, [f] *inquiunt*, in ea tantum Ecclesia esse, & docere Christum, cuius gubernator est Petrus.] Vnde & Gregorius, [g] Petri nauiculam, *ait*, esse Ecclesiam Petro commissam.] Sed figuratæ locutiones in hac, quam præ manibus habemus tractatione, ad quicquam probandum parum, aut nihil momenti habent: Et figura hæc venustatem suam in eo habet, quod nauis, cuiuscunque illa sit, Ecclesiam repræsentet. Petrum verò eatenus Magistrum Ambrosius in ea posuit, quatenus ei dictum fuit, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Sed sicut non solus Petrus fuit Ecclesiæ fundamentum, sed æquè omnes Apostoli, vt fusè à nobis probatum est capite sexto, ita neque solus Petrus intelligi poterit Ecclesiæ Magister, & Gubernator, quamuis illius [h] nauis singularis, solus Petrus Dominus fuerit. Hoc enim proprium est figurarum, vt non omnia quadrent quæ sunt in

E re ad figurandum assumpta. Quare & idem Ambrosius eandem nauis figuram alibi exactiùs tractans, Petro non dedit clauum, sed suum vt cæteris Apostolis remum. Ait enim; [i] Nauem adæquè Ecclesiam debemus accipere, in salo mundi huius constituram; quæ crebris ventorum fluctibus, id est, tentationum plagis, & verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, id est, huius sæculi potestas conatur ad saxa perducere. Quæ & si vndarum fluctibus, aut procellis sæpè vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium; quia in arbore eius, id est, cruce, Christus erigitur; in puppi Pater residet gubernator, proram paraclitus seruat Spiritus: Hanc, per angusta huius mundi freta, duodecim in portum remiges ducunt, id est, duodecim Apostoli, & similis numerus Propheratum.] In piscatione verò vtraque, quia Petrus ductor est, & retium laxator, pisciumque conclusor, significari [k] volunt, Petrum esse, qui homines de mundo ad fidem, & Ecclesiam militantem adducit; & qui eos regens & gubernans, ad Ecclesiam triumphantem perducit.] Non diffiteor his figuris vtriusque piscationis, aliquid præeminentiæ Petro tribui supra cæteros tunc decem

VII.

d. Bellarm. de Rom. Pont. l. 1. c. 10 & Baron. tom. 1. Ann. 31. n. 63.

e Amb. de miralibus ferm. 21.

f Bellarm. ibid. c. 20.

g Greg. l. 17. Moral. c. 14.

h Luc. 5.

i Amb. l. de Salom. c. 4.

k Bellar. ibid. c. 20.

Apostolos, quia nimirum maximè omnium erat in [a] piscandis hominibus laboraturus: sed hoc ad Petri supremum principatum nihil facit. Quod enim [b] educere pisces ex aquis in terram, Petri solius fuerit opus, si literam quæramus, hoc erit, quia Petrus antiquus iam piscator, piscationis peritissimus, solus omnium optimè nouerat, qua ratione pisces essent tuto, ne quis elaberetur, educendi: Si verò symbolum quis quærat, Petri eximiam laudabit in Euangelica prædicatione, supra cæteros decem, solicitudinem. Dices, Nonne soli Petro dictum fuerat, [c] eris homines capiens? Et tamen aderant Ioannes, & Iacobus. Respondeo, loquitur Christus cum solo Petro, occasione sumpta ex illo stupore ipsius, dum dixit; Exi à me, quia homo peccator sum Domine.] At Christus ad illum; Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.] Sed & prius Petro & Andreæ simul dixerat; [d] Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Volebat eos Apostolos suos facere; quicunque ergo à Christo Apostoli facti sunt, Piscatores hominum facti sunt. [e] Est verò eadem vocatio quam narrat Matthæus cap. 4. & Marcus cap. 1. & Luc. cap. 5. Quare piscatio neutra Petri confirmat principatum. Et officium omnium Apostolorum fuit, vt homines piscarentur.

a Ioan. 21.
b Baron. Tom. 1. ann. 34. num. 201.
c Luc 5.
d Mat. 4.
e Lanspergius in Concord. c. 26.

A
B

VIII. Octaua prærogatiua ponitur in illis Christi verbis; [f] Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] [g] Quibus verbis, *inquit Bellarminus*, clarissimè Dominus ostendit, Petrum fore Principem, & caput fratrum suorum. Sic enim exponunt Græci & Latini: Theophylactus in hunc locum; Quia te habeo, *inquit*, vt Principem Discipulorum, postquam negato me fleueris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me, Ecclesiæ petra es & fundamentum.] Leo, Sermone 3. de Anniuersario assumptionis suæ ad Pontificatum; Pro fide Petri, inquit, propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis mota non fuerit.] Hæc Bellarminus De priori parte huius prærogatiuæ, vbi Dominus rogat pro Petro, satis iam [h] disputaui, & iterum in sequentibus, ac præsertim Libro septimo disputabo. Ostendi enim, & ostendam, non ad Petri exaltationem, sed depressionem potius orationem illam Christi pertinere. Leo verò ad principatum Petri respexit, quem ille, vt natu maior, & vocatione primus, inter Apostolos gerebat; & in quem, propter eundem primatum, fideles semper essent plurimum inspecturi. Nisi quis dicat Leonem eloquentissimum, oratoria vlum amplificatione, literam potius quàm sensum secutum. Veram enim, & in ipso Euangelio fundatam huius loci interpretationem, vide supra cap. 6. num. 39. Altera pars huius prærogatiuæ, stat in munere fratres confirmandi: Atqui iam etiam hoc munus docui nullum supponere in Petro autoritatiuum principatum: sed seorsim Petrum moneri, vt confirmet fratres, hoc est, fideles, quia id & verbo, vt cæteri, & exemplo suo, quod non erat in cæteris, exequi poterat, & debebat. Theophylactus verò alium sensum non improbabilem secutus, quia Petrus erat Princeps, in ordine & numero Apostolorum, & quia ipse principaliter, & maximè omnium debebat fundare Ecclesiam, ideo dicit ei curam committi confirmandi cæteros, non sanè Discipulos, hoc est Apostolos, sed cæteros fideles. Neque enim adeo rudis censendus est hic autor fuisse, vt nescierit in diuinis Scripturis Petrum solum non fuisse, post Christum, Ecclesiæ petram & fundamentum. De quo nos supra fusè, cap. 6.

f Luc. 22.
g Bellar. ibid. cap. 20.
h Supra cap. 6. num. 39.

C
D

IX. Nona prærogatiua; quod Christus resurgens primũ omniũ ex Apost. Petro apparuerit. Sed multæ possunt assignari causæ, quarum nulla supremum supponat Petri principatum. Et ante omnia non est adeo certum quod ponitur, quin etiam negari possit, vbi contrarium conuinci ex Euangelio non potest, nisi ex debilibus coniecturis. Deinde posito ita esse, primum sane [i] Petro ex Apostolis, imò ex viris, se videndum exhibuit, quia erat primus ordine, vocatione, & ætate inter Apostolos: etiam quia maxime omnium indigebat consolatione, ob dolorem ingentem ex trina negatione conceptum. Nam & propterea Hieronymus censet Angelos mulieribus dedisse mandatum vt annunciarent, ipsius resurrectionem, & Discipulis, & specialiter [k] Petro, [l] qui se, *inquit Hieronymus*, indignum iudicat discipulatu, dum ter negat Magistrum. Peccata præterita non nocent, quando non placent.] Similiter & Gregorius de eadem Resurrectionis annunciatione ait; [m] Si hunc Angelus nominatim non exprimeret, qui Magistrum negauerat, venire inter Discipulos non auderet: vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione.] Atque vt ei specialiter annunciatur Christi resurrectio, ita etiam ei primùm Christus rediuiuus appareat, tum ob dictas causas, tum etiam quia ille maxime omnium in fide Resurrectionis firmandus erat, & ei ante omnes erat succurrendum, qui maxime omnium in fide nutauerat Et quia,

i 1. Cor. 15.
k Mar vlt.
l Hieron. Mar. cap vlt.
m Greg. in Euang. homil. 21.

E

A quia, vt obseruat Chrysostomus, [a] Petrus princeps erat; *hoc est primus Apostolorum*; & maxime fide dignus; *adeoque tanto citius Resurrectio crederetur, quantum à fide digniori propalaretur:* & primus fuerat confessus Christi Diuinitatē; par igitur erat, *inquit*, vt primus etiā resurrectionem crederet, & publicaret.] Et addit; Præterea, cum huius se discipulum esse negaret, quo minus se reiectum esse putaret, præ cæteris hunc conspectu suo dignatur.] Addit & illud: Ad hæc quòd huic primo pascendas oues commisit.] Hoc est, quia Christus hunc primum, cui primo ante cæteros pasturam Ecclesiæ commendaret, designabat. Miror igitur quod Chrysostomum afferat pro se Bellarminus, cum tamen ille ne innuat quidem Petri supremum iurisdictionis Principatum.

[a] Chrys. hom. 88. in 1. Cor.

Decima prærogatiua ex [b] lotione pedum; Sed non constat in Euangelio Petrum fuisse primum; & Iudam aliquā anteponunt, vt Chrysostomus, & Theophylactus in eum locum.

X.

[b] Ioan. 13.

B Sed tamen dicunt (*opponit* [c] *Bellarminus*) nullum alium præter Iudam pasturum fuisse, vt sibi ante principem Apostolorum pedes lauarentur: in quo videtur Petri primatus potius confirmari.] Respondeo Iudam de impudentia taxari ab his Doctoribus, quia Petrus omnes ætate, & primatu ordinis, & vocationis, vt millies dictum est præcedebat Sed esto fuerit primus lotus. Hoccine mirum vt maior natu inter illos, & tot nominibus primus, primus etiam lauaretur? Certe Hieronymus, ne in hoc quidem concedit Petro primatum; dum loquens de Christo ait: [d] Non enim venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret, in Petri pedibus cunctorum Apostolorum peccata abluens.] Facit ergo Hieronymus Petrum quasi figuram, & typum omnes Apostolos in illo actu repræsentantem.

[c] Bellarm. ibid. cap. 21.

[d] Hieron. l. 14. in Isa. c. 53.

Vndecima prærogatiua quòd Petro [e] mors crucis prædicitur, vt qui & nomen Petræ, & officium gubernandi Ecclesiam à Christo habuerat, in morte etiam ei conformaretur.] Argumentum est valde topicum: Andreæ etiam conueniret. Addunt, ei dictum, Sequere me: id est, *ait* [f] *Bellarminus*, esto id quod fui, & viuens & moriens: age pastorem animarum dum viuis; & postea per crucis mortem transi de hoc mundo ad Patrem.] Omnia hæc donamus. Sed solus Petrus non fuit pastor animarum, neque solus martyr in cruce obijt. Opponit Bellarminus, & ne suspicaremur, *inquit*, hæc dici omnibus, excludit Ioannem, qui tunc corporaliter sequebatur, sic eum volo manere.] Ego etiam fateor verba illa, Sequere me, non dici omnibus, sed Petro soli; & in eo in quo dicuntur Petro, hoc est in sequela ad mortem Crucis, in eodem excluditur Ioannes, qui martyrio non erat vitam potiturus; vt supra etiam à nobis est [g] pertractatum: In pastura tamen ouium, iam docui omnes Apostolos Christi vices accepisse; & propterea, si verbum illud, Sequere, sit intelligendum cum Theophylacto, ad prædicandum; pronomen, *tu*, non excludit vllum ex Apostolis; sed significabit, tu maxime me sequere. Exclusio verò Ioannis non erit à verbo illo, *sequere*: sed ab illis: *extendes manus tuas*: quorum etiam occasione Petrus interrogauerat, *Hic autem quid?* id est quo genere martyrij vitam finiet? Has hactenus prærogatiuas ex Euangelijs numerat Bellarminus. Sed sunt aliquæ adhuc ab alijs in medium prolatæ.

C

[e] Ioan. 21.

[f] Bellarm. ibid. c. 21.

[g] Supra cap. 8. num. 1.

D

Duodecima sit prærogatiua adhuc in Euangelijs; quòd in [h] contentione Discipulorum de maioritate, occasio Petrus fuerit; quia iam agnoscebant Petrum cæteris præferri. Et Christus dixit, Qui maior est in vobis, fiat sicut minor: &, Qui præcessor est, sicut ministrator.] [i] Erat igitur inter Apostolos & maior, & præcessor. Sed quia locum hunc postea contra Petri primatum afferam, eò reijciatur considerandus, infra cap. 11. num. 4. 5.

XII.

[h] Luc. 22.

[i] Turrecr. l. 1. de Eccl. c. 5.

Decimatertia prærogatiua; quod Christus doctrinam, quam omnibus Apostolis & Discipulis tradebat, per Petrum voluit in alios deriuari. Vnde Matth. 18. scribitur. Aspiciens Iesus in Discipulos suos, dixit Simoni Petro, Si peccauerit in te frater tuus &c.] Ita Turrecremata. [k] Sed locus hic in Euangelio ita non legitur; quamuis in antiquis Missalibus ita legeretur: Iam enim expuncta sunt verba illa: (Aspiciens Iesus in Discipulos suos dixit Simoni Petro) si tamen etiam legitima adhuc essent, Petrum tanquam reliquis seniorem, & primum duntaxat supponerent.

XIII.

E

[k] Turrecr. lib. 2. de Eccl. c. 5.

Decima quarta, quòd ipse [l] Petrus fere semper aut interrogare Christum, aut respondere pro omnibus sit solitus; quippe veluti omnium princeps: vt quando dicit; [m] Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?] Et cum discipulis multis abeuntibus, dixit, [n] Domine ad quem ibimus? &c. *Item*, [o] Tu es Christus filius Dei viui.] *Item*, [p] Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Cui Dominus; Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?] Quasi dicat, *inquiunt* [q] *Sanderus* & [r] *Bellarminus*, omnibus quidem loquor, sed tibi maximè, quem supra familiam meam constitutum, etiam alio-

XIIII.

[l] Turrec. ibid.
[m] Matth. 19.
[n] Ioan. 6.
[o] Matth. 16.
[p] Luc. 12.
[q] Sander. l. 6. visib. Mon. c. 4.
[r] Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 9.

rum curam suscipere volo] Omnibus tamen his locis abundè satisfacit Petri primatus ætatis, vocationis, & excellentiæ; nec non magna, quam cum Christo habebat familiaritas. Vltimi verò loci sensus quem afferunt est voluntarius, atque parum Euangelico textui congruens: Multa enim dederat Christus documenta ad vitandam hypocrisim, auaritiam, solicitudinem temporalium, ad faciendam eleemosynam, castitatem sectandam; vigilandum ad incertam mortis horam: atque circa hæc interrogat Petrus, sua ordinaria familiaritate, & feruoris promptitudine, num ad ipsos, an verò ad omnes illa diceret. Tunc subintulit Christus de fideli dispensatore; quasi respondens se potissimum cum ipsis loqui, & ad ipsos Apostolos parabolas illas præcedentes dirigere, qui erant instituti dispensatores verbi Dei, & facti Euangelij prædicatores: Omnibus enim, & non soli Petro, dicendum fuerat; [a] Euntes docete omnes Gentes: vnusquisque igitur ipsorum erat dispensator ille fidelis, & non [b] Petrus solus: & Petrus interrogauerat, Ad nos dicis? non ad me: & Christus respondit, Ad illos ea spectare. A B

a Matth. 28.
b Sup. cap. 2. num. 10.

XV.

Decima quinta; quod docente Domino fraternam correptionem, Petrus dixerit; [c] Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? [d] Vbi Petrus, *inquit Eckius*, tanquam futurus Præses Ecclesiæ, fraternæ correptionis modum diligenter, præ alijs quæsiuit Apostolis.] Quæsiuit Petrus, quia & senior, & seruentior, & familiarior Christo quam cæteri: & os erat Apostolorum, omniumque nomine sæpè multa, & quærit, & respondet.

c Matth. 18.
d *Eckius li. de Prim. Pet. cap. 50.*

XVI.

Decima sexta in Petri gladio; solus enim [e] gladium habere inuenitur; [f] quo Regni potestas significatur.] Sed est sensus merè figuralis, & allegoricus; imò & contortus, nimiumque violentus: de quo nobis erit lib. 6. differendum.

e Luc. 22.
f *Sand. de visib. monar. l. 6. c. 4.*

XVII.

Decima septima; quod tribus dormientibus, vni tamen Petro dicitur à Christo, [g] Simon dormis? quia [h] Prælatum qui cæteris etiam dormientibus præsit, maxima decet vigilantia.] Respondeo; Soli Petro obijci somnolentiam, quia ipsius maxima fuerat iactantia. Ita Chrysostomus; [i] Omnes, *inquit*, dormiebant, & Petrum coarguit, occultius eum de his reprehendens quæ fuerat locutus, ac ideo (mecum) non otiosè adiecit, sed quasi diceret; Vigilare mecum non potuisti, & mecum mori poteris? C

g Marc. 14.
h *Sand. ibid. & Eckius lib. 1. c. 50.*
i *Chrysost. hom. 84 in Matth.*

XVIII.

Decima octaua; quod Christus suam Resurrectionem iubet annuntiari Petro nominatim: [k] Dicite discipulis, & Petro: [l] vt sciret, *inquit Baronius*, se suis negationibus suum Primatum non amisisse.] Ego tamen hæc non ad Primatum, sed ad Apostolatum referri, cap. 8. præcedenti, satis docui. Voluit nimirum Christus Petrum speciali modo consolari, quia ille solus ipsum abnegârat, vnde & meritò desperare poterat; se videlicet, ne in numerum quidem discipulorum amplius reponendum, qui se discipulum esse Christi iam negârat. Ita Theophylactus in hunc locum Et Gregorius Homil. 21. in Euang. & alij. Hæ sunt prærogatiuæ Petri, quas ex Euangelijs collegerunt suprematus ipsius assertores. Iam ad alias properemus. D

k Marc. 16.
l *Baron. tom. 1. ann. 34. n. 182.*

XIX.

Decima nona vbi Petrus, tanquam Pater familias, [m] colligit in vnum cætum Discipulorum, & vnum eligendum esse docet in locum Iudæ. In quem locum Chrysostomus: Quàm, *inquit*, agnoscit Petrus commissum sibi gregem? Quam in hoc choro princeps est?] Oecumenius, Surgit, *inquit*, Petrus, non Iacobus, vt is cui præsidentia Discipulorum commissa erat. Neque vllus orationi Petri contradixit, sed mox ad eius præceptum constituerunt duos, quos dignissimos eo gradu existimabant, vt vnum eorum Deus ipse designaret] Ita [n] Bellarminus & [o] Baronius. Locus sane hic, vt in Actis Apostolorum à Luca describitur, nihil negotij nobis facessit. Surgens enim Petrus in medio Discipulorum, vt proponat de substitutione Apostoli, in locum Iudæ; indicat tantummodo se esse seniorem, & Decanum, & primum in ordine, vt toties dictum est. Chrysostomus magis videtur nobis aduersari: qui sane, vbi agebatur de locis fundamentalibus, quæ primatum absolutum Petri videbantur erigere, & stabilire, à communi sententia, & interpretatione nunquam deflexit. Interdum tamen, vbi orationem auream suam exuberare permisit, plurimum inclinare videri potest in supremum Petri principatum; oratoriè potius, quàm Theologicè; quod singulariter fecit considerans hanc primam Petri actionem post Christi Ascensionem. Sed ne hic quidem adeo absolute Chrysostomus Petrum pronunciat Principem, quin simul ferè contraria multa interserat; vt facilè liqueat pompam tantùm & apparatū orationis adhiberi; sic enim loquitur; [p] Surgens Petrus in medio Discipulorum dixit &c. quàm est feruidus? Quam agnouit creditum à Christo gregem? quam in choro princeps est? & vbique primus omnium incipit loqui?] Quæ Doctor hic de feruore & primatu dicit, plane ea de primatu ordinis, ætatis, & feruoris, facile intelliguntur; quod verò ait E

m Act. 1.
n *Bellar. li. de Rom. Pont. c. 22.*
o *Baron. tom. 1. ann. 34. n. 237.*
p *Chrysost. hom. 3. in Act. Apost.*

A ro ait, Quàm agnoscit creditum à Christo gregem? Ad verba Euangelij, non ad sensum, oratoriè referuntur. Apertissime enim iam à nobis cap. præcedenti ostensum est, etiam Monarchicis consentientibus, pasturam ouium æque omnibus Apostolis fuisse à Christo commissam; quia tamen soli Petro seorsim dictum est, Pasce oues meas, atque hoc alijs causis, non quod ipsi soli oues Christi pascendæ committerentur, hic iam aurea facundia tanti doctoris exundauit; quasi ipsi soli cura Pastoralis fuerit iniuncta. Atque hæc ad ornatum tantum ab ipso dici facile est conuincere: nam alioqui nihil est ad rem quod Petro dictum fuerit, Pasce oues meas; vt propterea Petrus primus proposuerit de successore Iudæ agendum. Agebatur enim duntaxat de adimplendo numero duodenario collegij Apostolici; quod Collegium non erat ille grex, quem pascendum Petrus susceperat; quorsum ergo dicit Chrysostomus, Quam cognoscit creditum à Christo gregem? Si actus hic Petri
B actus fuisset pasturæ, optime diceret; cum tamen non sit actus pasturæ, illa seruiunt tantum ad ornatum. Sed pergamus Chrysostomum audire: Proponit enim mox ibidem illam inter cæteras quæstionem; Cur Petrus non postulauerit solus à Christo, vt ipsi daret aliquem in locum Iudæ substituendum; & eam paucis his verbis soluit: Iam Petrus erat se ipso factus melior: Hoc, *inquit*, ad priorem quæstionem responsum est.] Innuit ergo Chrysostomus erraturum fuisse aliqua arrogantia, si hoc præsumpsisset. Sed factus melior Christi reprehensionibus, & proprio casu, noluit tantum audere. Arrogantia tamen, & præsumptio non fuisset, si Petrus relictus fuisset à Christo totius Monarchia Ecclesiæ; ad ipsum enim spectasset ministrorum ordinatio. Quare Doctor hic Sanctus iam & ipse Petrum non agnoscit supremum, solum, & absolutum, Pastorem. Vnde & addit ibidem; Iam &
C illud considera quàm Petrus agit omnia ex communi Discipulorum omnium sententia; nihil autoritate sua, nihil cum imperio.] Vbi non tam modestiam, quàm debitum, & æquum laudat in Petro. Ideo enim supra dixerat iam meliorem factum seipso; quia nimirum depositerat præsumptionem. Præsumptionis autem fuisset, & arrogantiæ, si autoritate, & cum imperio agere voluisset. Pergit Chrysostomus, & ad ea verba Petri, Oportet eligere vnum qui sit testis Resurrectionis, ait; vt fieret quid? Ne Chorus non haberet suum numerum. quid? An non licebat ipsi eligere? Licebat, & quidem maxime: Verum id
D non fecit, ne cui videretur gratificari: quanquam alioquin nondum erat particeps spiritus.] An non tibi videtur, lector, Chrysostomus esse in ea sententia, vt putet Petrum solum habuisse autoritatem ex se Apostolum vnum, pro suo arbitratu substituendi? quod si esset verum, certe Petrum putauit supremum, & absolutum Ecclesiæ Monarcham, & Christi ferme solum successorem. Absit tamen vt hoc cogitemus de eo, qui sæpius contrarium tradidit ex professo. Hic igitur nihil aliud asserit, nisi in Petri etiam solius potestate fuisse, ibi in ipso Discipulorum cœtu proponere aliquos nominatim, publicis precibus Deo commendandos, vt eorum vnum, in locum Iudæ substituendum ipse Deus declararet. Petrum tamen voluisse vt à tota illa congregatione hæc personarum fieret electio huiusmodi, vel potius propositio; ne cui videretur ipse gratificari. In hoc ego, etiamsi Chrysostomo prorsus adhæream, nullum agnosco Petri in Ecclesiam Principatum; sed illud tantum colligo, sentire Chrysostomum, tantam fuisse tunc in illa Ecclesia Petri, ob ipsius ætatem, & dignitatem, aliasque virtutes, existimationem, tantamque in eo discipulorum Domini notitiam, vt si voluisset ipse tunc personas nominare, in talem nominationem tota ipsa Ecclesia libenter concessisset. Proponere ergo Christo in tota congregatione duos ex discipulis, & orare simul cum omnibus, vt ipse manifestet quem ex illis in Apostolum loco Iudæ eligeret, quemnam obsecro secum tert Principatum? nullum certe: indicat tantum aliquam in Pe-
E tro præeminentiam, & bonam in cœtu fidelium existimationem, notitiamque illum exactam habuisse Christi discipulorum. Nihilominus laudatur à Chrysostomo, quod maluerit simul cum omnibus hoc perficere; ne videretur erga aliquem partialis. Quemadmodum autem sentit Chrysostomus, solum Petrum potuisse ad hanc nominationem (quam electionem vocat) modo dicto, procedere: ita non excludit reliquos Apostolos à potestate hac eligendi, seu proponendi. Nam de Petro paulo ante illud dixerat, Quanquam autem habebat constituendi ius, par omnibus.] Si igitur in Petro erat ius par eligendi, atque in cæteris; cæteri quoque in iure hoc eligendi erant Petro pares. Iam alia quoq; Chrysostomi verba ibidem posita consideremus. Meritò, *inquit*, primus omniũ autoritatẽ vsurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu: ad hunc enim dixit Christus, [a]Confirma fratres tuos.] Ecce iam rursus videtur sibi contrarius; ita fert secum eloquentia, quãuis habere omnes in manu, duplicẽ possit habere sensum; alterũ Apostolos vti minores

a Luc. 22.

Petro, tanquam maiori, & primogenito quodammodo subesse; alterum, qui priorem hunc sensum consequitur; Petrum fuisse certum in hoc quod proponebat, libenter omnes consensuros, neq; ei repugnaturos. Quod & Oecumenius supra intellexit. Dū verò verba illa, Cōfirma fratres tuos, ad præsens negotiū applicat Chrysostomus, Rhetoricè non repugno; Theologicè tamen obstat; tum quod de Apostolis non videatur Christus locutus, vt supra disserui num. 8. tum quod in negotio præsenti circa electionē vnius Apostoli, locum confirmatio non habeat; neque indigebant Apostoli vt ad hoc à Petro confirmarentur. Ipsos porrò Apostolos habuisse propriam singulos in hac electione autoritatem, sensit quisquis ille fuit, Dionysius Areopagita. Ait enim, [a] Atque etiam ipse Discipulorum facilè princeps, cum decem con-discipulis paribus & Pontificibus, cum ad supplendum perficiendumque con-discipulorum duodecim numerum in Pontificio honore venisset, Deo electionem timide religioseque permisit, cum dixit; Ostende nobis quem elegeris: atque eum qui Diuina sorte Diuinitus declaratus est, in Sanctum duodecim numerum, qui Pontificum erat, admisit.] Audis decem illos fuisse cum Petro pares, & æque Pontifices. Neque turberis quod hic Dionysius videatur Petro soli tribuere, quòd ipse electionem illam Deo commiserit; & postea Matthiam à Christo confirmatum in numerum duodecim Apostolorum admiserit: significat enim hoc ita faciendum esse, Petrum, vti primum ex ipsis, & sensisse, & alijs tradidisse; Oecumenius supra impropriè dixit, præcepisse; alioquin textus Sacræ Scripturæ ei repugnaret; in quo legimus; Et statuerunt duos; & orantes dixerunt: quæ soli Petro non conueniunt; sicut neque illa; Et annumeratus est cum vndecim Apostolis. Sed de hac Matthiæ electione erit nobis iterum libro sequenti cap. 2. num. 9. agendum. Oecumenius verò à Bellarmino adductus, de solo primatu personali Petri à nobis toties explicato, est intelligendus.

[a] *Areopag. l. de Eccles. Hierar.*

A

B

XX.

Vigesima prærogatiua, Petrus primus [b] incipit concionari, & promulgat Euangelium, etiam alijs audientibus. Quid tum? Erat primus in ordine Apostolorum, primus ætate, primus feruore & zelo: Vnde Chrysostomus, [c] Primus verbum Dei prædicat, qui primus est omnium.] Primum item miraculum, præsente Ioanne, fit à Petro in illo [d] claudo, in pedum confirmatione; vt ostenderet, *inquit* [e] *Ambrosius*, se fundamentum esse totius Ecclesiæ.] Si tamen primus & præcipuus fuit concionator, & Euangelij promulgator, cur non Christus miraculis eius prædicationes prosequeretur? Symbolica verò de pedibus interpretatio nihil facit. Et Ambrosius, si tamen ipsius est sermo ille, intelligit Petrum fuisse non solum, sed præcipuum Ecclesiæ fundamentum; alioquin sibi contradiceret, qui toties etiam alios Apostolos agnouit totius Ecclesiæ fundamenta; vt suis locis ostendi.

[b] *Act. 2.*

[c] *Chrysost. Hō. 3. ad pop. Anio.*

[d] *Act. 3.*

[e] *Ambr. serm. 69.*

C

XXI.

Vigesima prima; Vbi damnat [f] hypocrisim, & fraudem Ananiæ, & Saphiræ, & eos punit morte; [g] tanquam Diuinus & summus Iudex, *inquit Bellarminus*. Sed hoc etiam fuit miraculum ad conciliandam Euangelio autoritatem, & credibilitatem, sicut & cætera; vt cum ad ipsius [h] vmbram concurrebant ægroti, & sanabantur; illum enim qui primus erat Apostolorum, & qui maxime omnium laborabat in Euangelio, etiam maxime par erat miraculis corroborari. Audi Petri solicitudinem à Chrisostomo descriptam; [i] Erat, *inquit*, Petrus os omnium; causam fidei agit pro omnibus; doctrina sua instituit omnes; ipse præcipuus fidei assertor est, præcipuus Catechista habetur, & primus extitit verbi concionator; & primus cœgit Ecclesiam tanquam non ex Hierosolymitanis, & circumcirca habitantibus Iudæis; sed ex Parthis, Medis, Phrygibus, Lybicis, Aegyptijs, Arabicis, aduenis Romanis, & alijs: & qui omnium Pastor fuit à Domino institutus (*intellige præcipue vt supra*) ex omnibus nationibus cogere cœpit oues, docuit eos fidem simul, & Apostolicos mores, nempe renunciare omnibus, simul conuenire in oratione, & panis à Christo edocta fractione.] Hæ sunt causæ cur Petrus excelluerit in Miraculis; non autem quia primatu auctus esset in omnes, vt contendit [k] Baronius. [l] Damnauit Petrus hæresim Simonis Magi, quia Petro contigit primus cum Simone Mago congressus; & postremus etiam vt tradunt historiæ; sed non sine Paulo.

[f] *Act 5.*

[g] *Bellar. vbi sup. c. 22.*

[h] *Act. 5.*

[i] *Chrysost. Hom. 4. in Act. Apost.*

[k] *Baron. Tom. 1. ann 34. n. 74*

[l] *Turrec. l. 2. de Eccles. c. 5.*

D

E

XXII.

Vigesima secunda prærogatiua Petri est vbi sic legitur; [m] Factum est cum Petrus transiret per omnes.] In quem locum Chrysostomus: Quemadmodum, *inquit*, Dux in exercitu obambulans, considerabat quæ pars sit coadunata, quæ suo aduentu egeat; vide vbique illum circumcursare, & primum inueniri.] Ita [n] Bellarminus. [o] Baronius etiam hinc, reperta prius pace Ecclesiæ, facit Petrum Ecclesiarum, quæ vbique ex gentibus collectæ erant, Visitatorem: Non enim, *inquit*, de alijs Apostolis id scribit Lucas, sed de Petro; cuius

[m] *Act 9.*

[n] *Bellarm. vbi sup. c. 22.*

[o] *Baron. Tom. 1. an. 39. n. 26.*

A cuius tantum muneris fuit Vniuerso gregi prospicere: vt ex his etiam, sicut & multis alijs supremis aduocatis, luce clarius Petri in Ecclesia primatum inspicias.] Hæc Baronius. Mihi verò illud tantum luce Solis clarius est, Petrum feruentissimum Euangelij Prædicatorem, obambulasse itineribus frequentissimis, vt munus suum obiret; & in hoc cæteros vndecim facilè superasse. Alium maiorem primatum non video; neque aliud Chrysostomus voluit, & de hac visitatione plura dicam [a] libris sequentibus.

a Infra lib. 4. cap. 1. num. 18. 24.

XXIII.

Vigesima tertia; Quod Petrus primus etiam aperuerit ad gentes ostium Euangelij: vbi ad [b] Cornelium ingressus ei prædicauit, & ipsum baptizauit; Sed de hoc fortasse posset esse controuersia, vter prior gentibus prædicauerit, Petrusne an Paulus, de qua [c] Bellarminus. Ego tamen facilè concesserim & crediderim, Petrũ primùm, Gentilibus etiam, Euangelium prædicasse in Cornelio: atque hac de causa meritò & Iudæorum & Gentilium Patrem posse appellari; sed quid hoc ad Principatum? Fuit insignis Petri solicitudinis prærogatiua,

b Act. 10.

c Bellar. ibid. cap. 22.

B qua solicitudine, & indefessa diligentia cæteros facilè superauit. Visio, *inquit Bellarminus*, illi soli ostensa est, qua monebatur tempus esse prædicandi Gentilibus.] Fuit priuilegium quo primus & maximus natu ex Apostolis, & feruentissimus executor, meruit decorari. Solet Pontifex Romanus aliquem ex maximè fidis, & dilectis, & idoneis Cardinalibus, legatum ad grauissima negotia destinare: num propterea dicit quispiam illum Cardinalem esse Principem supremum autoritate, & iurisdictione supra alios Cardinales? Dictum est ei, *inquit Bellarminus*, macta & manduca: nam capitis est manducare, & per manducationem traijcere cibum in stomachum, & illum sibi incorporare. Significatur enim hac Metaphora Petro conuenire, vt ipse tanquam caput Ecclesiæ, infideles conuertat, & efficiat membra Ecclesiæ.] Ecce tibi Symbola, & Allegorias. Ego verò dicerem potiùs os manducare, & in ventrem cibum traijcere, quam caput; & quamuis os sit in capite, os tamen caput non est: sicut neque oculi, neque aures, neque nares, quæ omnia vt membra à capite

C distincta solent numerari. Melius Augustinus, dum hanc eandem considerans visionem, ait; [d] Vnde iam post remissionem peccatorum, quare non accipiantur Gentiles in corpus Christi, quod est Ecclesia Dei, cuius personam Petrus gestabat? Petrus in multis locis apparet, quod personam gestet Ecclesiæ; si Petrus figuram gestabat Ecclesiæ, & Ecclesia corpus Christi est, recipiat in se quasi in escam suam iam mundatas gentes, quibus peccata dimissa sunt.] Hoc mihi Symbolum magis arridet, quàm Bellarmini, vt totus Petrus manducans illa animalia, significet Ecclesiam gentes recipientem; & Petrus ad hoc electus, si Augustino volumus credere, assumitur vt Figura, & non ex vlla ipsius peculiari prærogatiua. Quanquam hæc visio mihi quoque plus simplicis instructionis, & quasi cuiusdam increpationis, quàm laudis & prærogatiuæ in Petro, videtur innuere: Is enim Iudaismo addictissimus, vix poterat in gentilium vocationem, ad diuinæ filiationis gratiam, inclinare. A qua illum auersione vt Christus amoueret, nimium legalibus, quæ iam exspirabant, addictum;

d Aug. lib. 50. Homil. 45.

D visione hac occurrit; non sine illa redargutione; [e] Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Ac ne ipse, nimium fortasse in hoc refractarius, reluctaretur, ter visio illa, aut saltem hæc vox, repetita est.

e Act. 10.

XXIV.

Vigesima quarta; vbi pro Petro in carcere constituto [f] oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia, & liberatus est; quam orationem pro alijs in simili periculo constitutis, vt fuit Stephanus, & Iacobus, non legimus ita sine intermissione factam, vt pro Petro; ex quo colligunt indicium [g] Petrum fuisse caput, quia multum interest vtrum membrum, an caput periclitetur.] Respondeo; Quia erat primus & maximus Apostolus, & Ecclesiæ vtilissimus, qui incredibili sua solicitudine, & immensis laboribus pro Ecclesia toleratis, maximum etiam erga se Ecclesiæ conciliauerat amorem, ideoque ab ea fiebat oratio sine intermissione pro eo.

f Act. 12.

g Bellar. ibid. cap. 22.

XXV.

Vigesima quinta; [h] Primus in Concilio loquitur, [i] & sententiam eius Iacobus, omnesque alij sequuntur: Et ab ipso maximè cupiebat Paulus solutionem dubiorum de legalibus institutis, de quibus Antiochiæ contendebant, vt asserit Theodoretus.] Mihi tamen certum est in omni Collegio Decanum primum dicere sententiam, neque propterea est supremum aliorum caput, cum iurisdictione. Et in eodem Concilio Iacobus etiam aliquid amplius decernit, quod Petrus non decreuerat; nimirum abstinentiam à contaminationibus simulacrorum, & fornicationis, & suffocatis, & sanguine. Sed Decretum Concilij ibidem inspiciatur, ptodeat ne Petri nomine, cuius inscriptio talis est: Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus, & Gentibus salutem.] Quod verò Theodoretus dicat à Petro voluisse Paulum instrui, videat quam sit conforme

h Bellar. ibid. cap. 22. prærog. 19.

i Act. 15.

forme hoc diuinæ Scripturæ: Paulus enim & socius eius Barnabas susceptí sunt Hierosolymis ab Ecclesia, & ab Apostolis & senioribus, non à Petro solo. Sed puto intelligit a Petro tanquam à seniore Apostolo, mentem suam, & aliorum Apostolorum, Paulo tuitle explicandam, erat enim Petrus [a] os Apostolorum. Sed de hoc alias. A

[a] Chrysost. in Act. Apost. hom 4.

XXVI. Vigesima sexta; quod [b] Paulus ad inuisendum Petrum è longinquo Hierosolymam venerit, tanquam ad maiorem, vt loquitur [c] Oecumenius.] Quidni verò Paulus [d] nouissimus Apostolorum, agnoscat Petrum primum Apostolorum se maiorem ætate, vocatione, familiaritate Christi, rebus gestis, & ipsa Apostolorum delatione, torque alijs prærogatiuis, sed tamen omnibus personalibus, valde insignem? Quodque illum inuisat officij gratia, qui erat primus Apostolorum, nihil arguit absoluti in Petro Principatus: propterea enim, quia Petrus erat os, & princeps Apostolorum, hoc est primus ex ipsis, qui etiam omnium nomine soleret proloqui, agere, & respondere; ideo Paulus eum præter alios, vt scribit [e] Chrysostomus, visurus ascendit. Quod Pauli officium alibi melius explicans idem Chrysostomus ait, [f] Quid hoc animo possit esse modestius? Post tanta taliaque benefacta, cum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, sed honore par erat illi, (nihil enim hic dicam amplius) tamen ascendit velut ad maiorem, ac seniorem; soluisque Petri conspectus commouit illum vt eo proficisceretur.] Audisne Paulum Petro honore saltem parem? videsne Chrysostomum tacite quodammodo Paulum Petro etiam præferre, per illam valde grauidam reticentiam (*nihil enim, inquit*, hic dicam amplius?) si Doctor hic celeberrimus agnouisset Petrum Ecclesiæ totius Principem & Monarcham, illane potuisset dicere, tamen ascendit velut ad maiorem & seniorem; soluisque Petri conspectus commouit illum, vt eo proficisceretur?] Oportuisset autem dicere eum ascendisse ad Petrum, tanquam ad caput totius Ecclesiæ, & suum verum ac legitimum superiorem: neque debebat hic modestiam Pauli efferre, quod par ad parem, & fortasse ad minorem accesserit; sed obedientiam & reuerentiam; quod non solius conspectus, sed obedientiæ gratia accesserit. Sed pergamus audire Chrysostomum Pauli modestiam, ac fere humilitatem, occasione huius visitationis, exaggerantem: Vides, *inquit*, quemadmodum illis (*Apostolis Petro & Iacobo*) tribuit congruentem honorem; neque solum *non dicit* seipsum illis meliorem; verum ne parem quidem esse putat, id quod ex ipsa profectione liquet; sicut enim nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur, eodem affectu tunc Paulus ad Petrum profectus est] Sanctitas ergo Petri, non autoritas, Paulum traxit: Sed pergit Chrysostomus; Nam isti nunc vtilitatis suæ gratia suscipiunt peregrinationem; at tu c Beatus ille, non vt disceret aliquid ab illo, neque vt correctionem aliquam acciperet, profectus est; sed tantum vt videret eum, suaque præsentia honoraret.] Maiorem porrò Petrum vocauit propter ætatem & vocationem: nam & ibidem Iacobum quoque maiorem vocat Chrysostomus dum ait; Primum quidem ingreditur ad Iacobum plurima cum modestia, velut ad maiorem & honoratiorem, &c.] Augustinus verò de hac Visitatione sic & ipse loquitur; [g] Si cum euangelizasset Paulus in Arabia, postea vidit Petrum; non ideo vt per ipsum Petrum disceret Euangelium; nam ante vtique eum vidisset, sed vt fraternam caritatem etiam corporali notitia cumularet.] Solam ergo fraternam erga fratrem caritatem agnoscit etiam Augustinus; non erga superiorem & Ecclesiæ totius principem obedientiam, & reuerentiam. Itaque aut nullum Augustinus agnoscit in Petro Ecclesiæ Primatum, aut (quod absit à mente Christiana) erga Petrum malignus, & inuidus, ipsius, vbi minimè debuit, ibi maximè reticuit Principatum. Ambrosius quoque idem de hac visitatione sentit, eam honoris tantum gratia factam: [h] Dignum fuit, *inquit*, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.] Ad eam scilicet respexit Ambrosius (si Ambrosius ille est) prærogatiuam, quod & primus erat inter Apostolos ordine, ætate, & vocatione, &c. & ei seorsim, specialiter intellige, & principaliter, per illa verba, Pasce oues meas, fuerit cura Ecclesiarum delegata. Neque hi discrepant ab eo, quod ante omnes de eadem visitatione scripsit Hieronymus his verbis; [i] Tantæ Petrus autoritatis fuit, vt Paulus in Epistola sua scripserit, Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.] Autoritas enim hic significat existimationem, qua motus Paulus accesserit ad Petrum, officij tantum gratia, vt est explicatum. Cum autem planum sit in sacra Scriptura bis Paulum Hierosolymam ascendisse; & priori quidem vice, officij tantum causa; miror quomodo Hieronymus idem alibi, hac etiam priori vice, velit Paulum pro sui instructione, ad Petrum accessisse. Ait enim, [k] Post Damascum, Arabiamque lustratam, ascenderit Hierosolymam, vt videret Petrum, & manserit apud eum diebus

[b] Gal. 1.
[c] Oecumen. in cap. 1. ad Gal.
[d] 1. Cor. 15.
[e] Chrys. hom. 87. in Io.
[f] Idem in Ep. ad Gal. c. 1.
[g] August. in Epist. ad Gal.
[h] Ambr. in c. 1. ad Gal.
[i] Hieron. Epist. 89. ad Aug.
[k] Hieron. Ep. 103. ad Paulinum.

B C D E

A bus quindecim. Hoc enim mysterio hebdomadis, & ogdoadis, futurus Gentium prædicator instruendus erat.] Quod nemo præter Hieronymum, ex antiquis patribus, intellexit: sed expresse contrarium, & Augustinus, & Chrysostomus, vt vidimus docuerunt. Imò etiam altera vice, quando post quatuordecim à priori annos Hierosolymam ascendit, vt cum Apostolis conferret Euangelium, ne tunc quidem vt instrueretur accesit, qui per reuelationem à Christo immediatè acceperat Euangelium, vt libro septimo melius explicabo. Sed in Epistolis solet Hieronymus lequi, præsertim iunior, [a] sensus allegoricos, non sine literæ interdum læsione. Et ad Augustinum scribens de altera hac visitatione ait; Paulum ostendisse se non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant fuisset sententia roboratum.] Feruor enim disputationis, & dissensionis scripturalis cum Augustino, super reprehensione Petro à Paulo facta, facilè Hieronymum traxit, vt

B plurimum Petro tribueret, & ei Paulum submitteret; ne Augustini sententia, sed ipsius potius, robur maius haberet, & præualeret. Nam & ipsemet Hieronymus alibi in priori visitatione Pauli nihil aliud agnouit, nisi tantum officium honoris: Ait enim aduentum Pauli Hierosolymam fuisse; [b] Non vt oculos, genas, vultumque eius inspiceret, vtrum macilentus an pinguis, adunco naso esset an recto, & vtrum frontem vestiret coma, an (vt Clemens in periodis eius refert) calui tium haberet in capite. Nec puto Apostolicæ fuisset grauitatis, vt post tantam triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere: Sed ijs oculis aspexit, quibus & modo in Epistolis suis videtur: ijs oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc à prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu iungat hæc omnia; Quod nihil Apostoli sibi contulerint: nam & quod iussus sit ire Hierosolymam, ad hoc ille vt videret Apostolum; non discendi studio, qui & ipse eundem prædicationis haberet autorem, sed honoris priori A-

C postolo deferendi.] Hucusque Hieronymus; quando fortasse disceptationis contra Augustinum feruor deferbuerat; aut nondum incaluerat; Tu lector per te considera quemnam Primatum Ecclesiasticum Hieronymus in Petro agnouerit, dum illum vult à Paulo inuisum, honoris tantum gratia, non item disciplinæ aut obedientiæ; vt ei tanquam Principi, hoc est primo Apostolorum honorem tribueret. Frustra igitur ex hac visitatione Pauli colligunt Monarchici, præsertim [c] Bellarminus, & [d] Baronius, Ecclesiasticum Petri Principatum, cum in ipsa potius contrarium intelligant Hieronymus, Augustinus, & Chrysostomus.

Vltimo demum ex sacra diuina Scriptura, summum Petri Primatum, magna subtilitate confirmat Baronius, ex eo quod in Corinthiaca dissensione aliqui male loquentes dicebant, [e] Ego sum Apollo; alij, Ego Pauli: at verò alij bene loquentes dicebant, Ego sum

D Cephæ, & ego sum Christi: vt conatur exponere idem Baronius: quam expositionem hoc pacto tractat; [f] In his quidem aduertendum est, quoniam non sic dicebant alij se esse Cephæ, quod Cephas Corinthi prædicasset; sicut nec qui se dicerent esse Christi, id ob eam causam profitebantur, quod Christus cum in humanis esset, illis Euangelium prædicasset: sed potius quo illam contentionem, & scissuram Ecclesiæ declinarent, rem ad suum principium reducentes, quod (si falli non possent) dicerent alij se esse primi omnium post Christum Pastoris, & Ecclesiæ capitis Petri discipulos; alij verò autoris omnium Christi. Iccirco idem Paulus inferius nulla de Cepha habita mentione, nec de Christo, sed quia sui tantum causa, & Apollo fuerat oborta contentio subdit; [g] Cum enim sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo: nonne homines

E estis? Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Sicque videas, cum de Ministerio, & officio agitur prædicationis, nullam amplius (secundum nuper dictam sententiam) de Petro haberi mentionem, eo quod nondum prædicasset ipse, sicut Paulus, & Apollo Corinthijs Euangelium; sed quod in Ecclesia primatum teneret, esse ab alijs superius nominatum, sicut & Christum; vt quia ille omnium Pastor, hic verò esset Christianæ Religionis principium.] Hucusque Baronius. Sed hæc eius subtilitas non subsistit: nam etiamsi Petrus tunc nondum Euangelium prædicauerit Corynthi, Paulus tamen superaddidit nomen Cephæ, nominibus Apollo, & Pauli, qui duo fortasse soli causa fuerant vt inepte Corynthij in sectas abirent; vt exemplificaret malè loqui quoscunque, qui sibi hominem quemcunque quantuncunque Apostolum, caput constituerent; etiamsi is esset Cephas, primus & maximus Apostolorum;

Cepham

a *Hier. præfat. in comment. in Abdiam.*

b *Hieron. in Ep. ad Gal. c. 1.*

c *Bellar. de Rom. Pont. c. 22. infra.*

d *Baron. tom. 1. ann. 39. num. 5. 6. 7.*

XXVII.

e 1. Cor. 1.

f *Baron. tom. 1. ann. 57. n. 3.*

g 1. Cor. 3.

Cepham verò nominari pro ministro, eodem modo quo Apollo & Paulus, nominati A
sunt; si non haberur ex illis verbis, quæ attulit Baronius ex tertio capite primæ ad Corinthios, habetur tamen ex alijs paulò post ad finem eiusdem capitis, dum ait; Nemo itaque glorietur in hominibus; omnia enim vestra sunt; sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive Mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.] Totus profecto in eo est Paulus, vt fideles nullum sibi hominem, tanquam caput, adscribant; sed omnes, à quocumque Magistro fuerint edocti, solum Christum tanquam caput agnoscant; vt bene illi soli agnoscebant, qui dicebant, Ego sum Christi: nam Apostoli & Prædicatores erant tantum Ministri, ipsorũ fidelium causa a Christo deputati; ideò dicebat Paulus, omnia vestra sunt, sive Paulus sive Apollo, sive Cephas: id est, in vestri causam ordinati, & ministri eius cui credidistis; quasi dicat, Tantum abest vt Apollo, aut Paulus, aut Cephas, aut quicunque homo purus B
sit vestrum caput, vt possit quis dicere, Ego sum Apollo, ego Pauli, ego Cephę, vt etiam isti potius sint vestri ministri, vobis inseruientes, & vestri tantum causa Apostoli ordinati.
a Aug. in Ps. 44. Hanc Pauli mentem optime explicans Augustinus, ita scribit. [a] Narrabo nomen tuum fratribus meis. Mortuus est Christus, resurrexit, ascendit, absentauit se corpore, susceperunt fratres eius vxorem eius, prædicatione Euangelij generaturi filios, non per semetipsos, sed per Euangelium, propter nomen fratris:
b 1. Cor 4. c Deut. 25. [b] In Christo enim Iesu, inquit, per Euangelium, propter nomen fratris, ego vos genui. Itaque [c] suscitantes propter nomen fratris semen fratri suo, quotquot genuerunt non Paulianos, aut Petrianos, sed Christianos nominauerunt.] Et paulò post; Ideo ipsos quos suscitauerat fratri suo Paulus, cum videret currere ad nomen suum exclamauit, Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?] Si itaque bene dicebant illi, neque errabant, (quod vult Baronius) qui dicebant, C
Ego sum Cephæ; meritò se Petrianos poterant etiam vocare; à quo tamen quia abhorret Augustinus, & ita errare Petrianos putat, sicut & Paulianos, quis dubitat Augustinum dicturum eos eodem modo schisma cogitasse, qui dicebant, Ego sum Cephæ; sicut illos qui dicebant, Ego sum Pauli? & sicut laudat factum Pauli, dum exclamauit, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Ita certè diceret & Petrum ad idem obligatum fuisse, si audisset alicubi fidelem aliquem dicentem, Ego sum Cephæ. Et sane erasse etiam illos qui dicebant, aut qui dicere potuissent, Ego sum Cephæ; expresse docet idem Au-
d Aug. ser. 124 de Verb. Domini. gustinus illis verbis, [d] Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificare super homines, dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ; ipse est Petrus: & alij qui nolebant ædificare super Petrum, sed super Petram, Ego autem sum Christi: Apostolus autem Paulus agnouit se eligi & Christum D
contemni: diuisus est, inquit, Christus, nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? quomodo non in Pauli, sic nec in Petri; sed in nomine Christi; vt Petrus ædificaretur super Petram, & non petra super Petrum.] Ita Augustinus in nostri etiam temporis Petrianos. Chrysostomus Pauli spiritu plenissimus, sic locum explicat.
e Chrys. Hom. 3. in 1. Cor. c. 1. [e] Nam si Pauli, & Apollo, & Cephæ non licebat ipsis nomina laudare; multò minùs aliorum: si magistrum, & principem Apostolorum, & tanti populi admonitorem sibi arrogare non debebant; quanto minus eos qui nusquam essent?] Et aduerte verbum illud, Magistrum, non referri ad Apostolos, Petrus enim non fuit Magister Apostolorum; sicut ad eos refertur verbum Princeps, fuit enim Princeps, id est primus inter Apostolos; sed refertur ad ipsos fideles, & populum; statim enim vocatur etiam populi admonitor.
f Leo 9 Ep. 1. ad Michaelem Constant. Tom. 3. g Innocent. 3. lib. 2. Ep. 209. Periculosa itaque redditur illa Baronij expositio, nimis subtilis, ac propterea reijcienda: E
Hactenus de coniecturis Petri Primatus, quas Diuinæ Scripturæ videri possent suppeditare. Eas pene omnes collegit [f] Leo nonus Pontifex Romanus, ad confirmandum Petri Primatum: Et postea [g] Innocentius Tertius. Transeamus ad alias.

XXVIII. Affert [h] Bellarminus adhuc octo coniecturas ex octo alijs prærogatiuis Petri, ex varijs Autoribus collectis. Quarum prima est, quod Christus suis manibus Petrum dicatur baptizasse. Huius rei autorem facit Euodium Antiochenum, ex relatione [i] Euthymij, & [k] Nicephori. Sed fides sit penes autores, si mihi certum esset Euodium Petri Discipulum hoc dixisse aut scripsisse, tunc demum dicerem hoc fuisse indicium magnæ dilectionis erga Petrum, tanquam primogenitum, & feruentissimum. Sed quia Baptismum vim accepisse ab aqua & sanguine, quæ ex latere Christi fluxit, dicunt Theologi, & communiter tenent Baptismum obligare non cæpisse, nisi post Resurrectionem: & verba illa Christi; [l] Euntes docete & baptizantes, &c. id maximè confirmant. Sicut & illa Ioannis, [m] Ego quidem

h Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 23. 24.
i Euthym. in Ioan. 3.
k Niceph. lib. 2. Hist. c. 2.
l Matth. 28.
m Matth. 3.

A dem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.] Hinc facilè mihi persuadeo illam propius accedere ad fabellam, quàm ad sacram historiam: Neque video Apostolos Baptismo indiguisse, quos Dominus priuilegio singulari, etiam sine Baptismo aquæ, Spiritu suo egregiè emundauerat. Et Augustini verba sunt; [a] Dominus Iesus Christus Baptismum suum noluit alicui dare; non vt nemo baptizaretur Baptismo Domini, sed vt semper ipse Dominus baptizaret.] Cyrillus verò Hierosolymytanus, de Ioanne Baptista loquens, ait; [b] Bonus ille, qui in aqua baptizabat, sed quid ad illum qui baptizat in Spiritu, & igne? Spiritu Sancto & igni Apostolos baptizauit Saluator, quando est [c] de cœlo factus repentè sonus, &c.] *Item*, [d] Descendit autem *Spiritus Sanctus*, vt & virtute induat, & vt baptizet Apostolos; dicit enim Dominus; [e] Vos autem
B baptizabimini Spiritu Sancto.] Ac sanè eosdē Apostolos fluminis Baptismo non fore baptizandos, sed solo Baptismo flaminis, satis colligitur ex eisdem Christi verbis; [f] Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.] Est enim locutio aduersatiua, excludens aquam. Augustinus tamen probabilius esse censuit [g] Apostolos omnes fuisse etiam aquâ baptizatos; nullum tamen à Christo; & probat ex Euangelio Ioannis. Apud Tertullianum [h] vtrumque relinquitur probabile, siue affirmare Apostolos fuisse aquâ baptizatos, siue negare.

a *Aug. Tract. 5. in Ioan.*
b *Cyrill. Hier. Catech. 3.*
c Act. 2.
d *Cyrill. ibid.*
e Act. 1.
f Act. 1.
g *Aug. ep. 108.*
h *Tertul. de Baptism.*

Secunda Petri prærogatiua, extra sacram Scripturam, dicitur esse; quod solus Petrus à Christo Episcopus fuerit ordinatus: cæteri autem Apostoli à Petro Episcopalem acceperint consecrationem. Sed & hoc adhuc magis fabellam redolere mihi videtur: & est com-
C mentum [i] Turrecrematæ, neque sacris Scripturis, neque sanctis Patribus vnquam cognitum: imò fortasse diuinis Scripturis contrarium; aliam enim in Apostolis consecrationem in Episcopos non inuenimus, nisi vocationem ipsorum ad Apostolatum, & missionem; quibus enim dixit Christus; [k] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: illis profectò dedit simul, his dictis, potestatē Episcopalē, hoc est, Apostolicā ordinariā: quæ Episcopalis & Apostolica potestas in eo tota consistit, vt Euangelium prædicetur, & fideles in fide, & viuendi Christiana ratione instruantur. Ad hoc autem consecratione Christus opus non habuit. Sicut nunc Canonistæ dicunt; [l] solo verbo posse Romanum Pontificem facere aliquem Episcopum, & Sacerdotem; absque vlla alia ordinatione, & consecratione. Huic tamen potestati Apostolicæ, seu Episcopali, quasi accessoria addita fuit à Christo seorsim, omnibus tamen simul, & potestas conficiendi corpus Christi, quando in vltima cœna dixit eis;
D [m] Hoc facite in meam commemorationem: & alia remittendi peccata, quando in omnes simul insufflauit, & dixit; [n] Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, &c Et sic plenè facti sunt omnes simul, absque vlla peculiari consecratione, & Apostoli, & Episcopi; de quo nobis erit fusiùs & exactiùs libris sequentibus, præsertim 2. & 5. disputandum. Obijciunt Paulum: Cùm tamen ipse [o] Apostolum se dicat esse non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum; libentiùs ipsi credam, quàm cuiquam alij; ipsum etiam à Christo iam glorificato immediatè verbo, sine peculiari consecratione, factum esse simul Apostolum, & Episcopum; cum potestate & primaria, quam iurisdictionis nunc vocant, & accessorijs, quas ordinis solent nuncupare. Sed & de hoc alibi. Sicut & de Iacobo fratre Domini: nam is aut non fuit Apostolus ex duodecim, si est ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus; aut si fuit Apostolus, illa non fuit ordinatio, sed tantùm, de consensu communi, ad illam curam deputatio. Quod verò afferunt Romanam Ecclesiam propterea esse Matrem omnium Ecclesiarum, & ab ea omnes Epi-
E scopos habuisse consecrationem, & dignitatem, quia Petrus, qui eam fundauit, fuit primus & solus Episcopus à Domino consecratus, nihil probat: suis enim locis hæc omnia falsa esse ostendemus. Obijciunt adhuc aliqui solam missionem non posse facere Episcopum, quia multi Prædicatores mittuntur ab Episcopis ad prædicandum &c. non tamen propterea fiunt Episcopi: Respondeo si mitterentur à Christo immediate, certe essent Episcopi; sicut etiam si mitterentur cum plena potestate Ecclesiastica ab habente autoritatem, ad plebem proprium Episcopum non habentem.

i *Turrecrem. lib. 2. de Eccl. cap. 32.*
k Ioh. 20.
l *Angel. in lib. 1. cap. de sent. pass. & in li. 2. ca. de rem sacr. Rebuff. in prax. benef. tit. vbi de Cler.*
m Luc. 22.
n Ioan. 21.
o Gal. 1.

XXIX.

Tertia prærogatiua; Quod [p] Petrus Simonem Magum primus detexit, & postea damnauit, & plane extinxit; Sane hoc Petrus fecit, quia Petro & non alteri contigit negotium cum Mago: Quod si alteri id contigisset, idem præstitisset: si tamen Christi ordinatione id ita contigit, voluit primum Apostolorum & zelo fidei, ac pietatis feruentissimum, hac prærogatiua decorare. Certe Petro soli gloriam hanc, deiecti Magi, non tribuit Cyrillus Hieroso-

XXX.

p *Baron. Tom. 1. ann. 35. nu. 25.*

Hierosolymitanus; sed Paulum etiam æqualem ei in hoc negotio socium tribuit, & ait; A
[a] Errorem autem latius se proferentem coarguerunt duo viri boni, huc perlati; Petrus & Paulus, Ecclesiæ præfecti: & Simonem sese Deum ostentantem, talemque existimatum, confestim morte affecerunt: Nam cum Simon sese sublimem in cœlos latum iri profiteretur, & in aërem dæmoniorum vehiculo ferretur, genibus prouoluti serui Dei, & concordiam illam præ se ferentes, quam Iesus dixerat; [b] Si duo ex vobis consenserint, de omni re quamcunque petierint, succedet eis: consensionis telum, precum interuentu, in Magum eiaculati sunt; & in terram eum deiecerunt.] Fabulam hanc esse aliqui dicerent à quodam non antiquissimo [c] Hegesippo confictam: Sed quia Cyrillus hic (vtinam & ipse non suppositus) & [d] Ambrosius, & [e] Theodoretus Cyri, vt historiam id admittunt, admittamus & nos.

a Cyril. Hieros. Cat. ch. 6.

b Matth. 18.

c Hegesip. de excid. Hieros. l. 3. c. 2.

d Ambr. lib. 4. Hexam. c. 8.

e Theodor. haret. fabul. l. 1.

XXXI. Quarta, quod Romæ sedem suam diuino iussu collocauerit, vbi erat Principatus Mundi.] Atqui verò quid si sedes illa aut magis, aut non minus dicenda sit sedes Pauli? De hac nos plura libro quarto. B

XXXII. Quinta, Quod sub finem vitæ Petri Christus ei apparuerit, & dixerit; Venio Romam iterum crucifigi: significans Petrum esse suum Vicarium; & quod Petro fit, sibi ipsi fieri. Hanc quoque Hegesippi [f] fictam fabulam esse multi censent; quia tamen id Ambrosius [g] admittit, & vt historiam profert, sic respondeo: si hæc coniectura valet, multo magis valebit ad idem probandum de cæteris, quòd omnibus dixerit, [h] Qui vos spernit, me spernit; & quando dixit Saulo, [i] Quid me persequeris? significauit ne vnumquemque fidelem quem Paulus persequebatur, esse ipsius Vicarium in terris? Certe Augustinus sæpissimè docuit Christum totum esse caput, & corpus, siue membra, & quod in quocunq; membro Christi fit, id in se fieri Christus affirmat. C

f Hegesip. de excid. Hieros. l. 3. c. 2.

g Ambr. concione de Basilicis non tradend.

h Luc. 10.

i Act.

XXXIII. Sexta, Quod solæ Ecclesiæ à Petro fundatæ sint habitæ semper Patriarchales.] Nos de sedibus Apostolicis, & Patriarchalibus agemus libro tertio; & ostendemus ex magnitudine sæculari Ciuitatum; Patriarchales & Metropoliticas Ecclesias, iure humano potissimum erectas, & institutas.

XXXIV. Septima prærogatiua, quod Ecclesia Vniuersalis festum Cathedræ solius Petri, & non aliorum celebret] Hoc tamen ideo factum est quia Petrus primus Euangelium Gentibus prædicauit, vt supra docuimus; & primus Ecclesias in Gentibus, & Nationibus fundauit. Alij verò sunt ipsum subsecuti, & de hoc lib. 4.

XXXV. Octaua, Quod in literis formatis antiqui ponerent nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Petri, [k] hoc pacto, Π. Υ. Α. Π. Atticus enim Episcopus, vt legitur in Concilio Chalcedonensi ad finem, exponit illis literis contineri Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, & Petrum. Ita etiam [l] Iuo Carnotensis. Mihi tamen in illis elementis sola Trinitas contineri videtur, Πατὴρ, Υἱὸς, Ἅγιον Πνεῦμα. Tertiam enim Trinitatis personam duplici dictione efferimus, siue Græce, siue Latine, hoc est, Spiritus Sanctus, siue Sanctus Spiritus. Petrum vero quartam vnitatis personam facere mihi videtur maxima saltem stultitia. D

k Bellar. vbi supra cap. 24. & Baron. tom. 3. an. 325 num. 164. & 169.

l Iuo de causis Cler. par. 6. c. 433. & 434.

XXXVI Nullæ igitur coniecturæ, nullæ Petri prærogatiuæ ipsius confirmant Monarchiam; sed solum ad summum Primatum ordinis, ætatis, dignitatis, & excellentiæ personalis. Atque illud mihi mirabile videtur quod Monarchici isti nuper expergefacti, quantumcunque laborent in hoc Petri absoluto Principatu indagando, nunquam tamen ipsum à priori (vt loquar cum Logicis) aut ostendant, aut nitantur ostendere; sed ipsimet sponte, vt vidimus, licet coacti vi veritatis, fateantur se à posteriori tantum, ex quibusdam signis & coniecturis, hunc colligere Principatum: vt quod Christus cum solo Petro loquatur de fundamento, de clauibus, de pastura, alijs præsentibus: quod primus Petrus numeretur, interroget, respondeat, &c. Quia tamen hæc signa primatum ad summum personalem supponunt, vt docui apertissimè, manet Ecclesiastica potestas æque in omnibus Apostolis, non minus quàm in Petro: vt propterea Monarchia in Ecclesia, Apostolorum tempore, nullo modo sit admittenda. Sed adhuc habent Monarchici quo sibi Monarchiam hanc Petri tueri posse videantur: nimirum Patrum dicta, qui eam conceptis verbis admittere videntur, & confiteri. Iam igitur illos etiam audiamus; & quid sibi velint, bene percipiamus. E

CAP.

CAP. X.

Primatum Petri Patres asserentes producuntur, & explicantur.

SUMMA CAPITIS.

Patres Graci & Latini, qui faciliorem habent explicationem recensentur à num. 1, ad num. 12.
Reliqui difficiliores, à num. 13, ad num. 28.
Pontificum etiam Romanorum in hoc dicta, aut explicantur, aut reijciuntur, num. 29, 30.
Negare Primatum Petri an sit hæresis damnata explicatur, num. 31, 32.
Conclusio Capitis, num. 33.

COllegit non paucos, postremus Monarchicorum [a] Bellarminus, Patres & Græcos, & Latinos, qui Petrum Monarchiæ videntur fauere; quos omnes, & multos etiam præterea alios, siue eosdem pluribus locis de hac re loquentes afferam ipse hoc capite; ea tamen habita distinctione, vt primum eos Patres, siue illa Patrum dicta in vnum fascem congeram, quæ facillimam, imò apertissimam admittant expositionem, de solo primatu personali, quem nos Petro omnino concedendum ostendimus capite quinto. Ipsum enim & primum Apostolorum, & principem fecimus, & maxime dignum, & primatum inter Apostolos habuisse, & eorum caput ac Præsidem, siue vt Decanum extitisse, ac primogenitum inter fratres. Deinde aliquanto exactius singula dicta eorundem considerabo, quæ videantur veram quodammodo præ se ferre Petri Monarchiam; quamuis non pauca iam sint à nobis in superioribus & prolata, & explicata. I.

[a] Bellarm. li. 1. de Rom. Pont. c. 25.

Eusebius, Petrus, *inquit*, Apostolus naturâ Galilæus, & Christianorum Pontifex primus.] Si primus vocatione factus est Apostolus, meritò primus Pontifex etiam dicitur: & quidem non Romanus, sed Christianorum; quia tam ipse, quàm cæteri Apostoli indifferenter curam susceperunt quorumcunque in toto Mundo Christianorum; quanquam postea inter se voluntarie, & de communi consensu Prouincias diuiserunt. Historici verò de primis locorum Episcopis, qui non essent Apostoli loquentes, meritò eis singulares assignant Cathedras, quia singularibus ab Apostolis præfecti sunt locis: non ita Petrus, neque vllus Apostolorum. De Iacobo minore solo erit nobis sequenti libro, cap. 2. quæstio excutienda. Quod verò idem autor vocat Petrum omnium Apostolorum probatissimum, & maximum, primorum principem, & ducem, ac magistrum militiæ Dei; à primatu personali non recedit: Dux enim, & Magister militiæ Dei fuit quidem Petrus, sed non solus; idem fuerunt reliqui Apostoli: neque id significat caput militantis Ecclesiæ, sed Apostolum, & prædicatorem primum seu primarium, & peritissimum ac diligentissimum; & in collegio Apostolico Præsidem. II

[b] Euseb. in Chron. an. 44.

Basilius, [c] ille, *inquit*, beatus qui cæteris prælatus Discipulis fuit, cui claues regni cœlestis commissæ.] Nos etiam dicimus prælatum fuisse cæteris in hoc quod primatum vocationis, & primogenitură habuerit, & pro figura ac typo totius Ecclesiæ fuerit assumptus, factusque inter Apostolos caput. De clauibus nihil dico, quia certo certius Patres omnes viderunt, omnes Apostolos pari potestate claues habuisse. III.

[c] Euseb. l. 2. Hist. c. 14.

[d] Basil. serm. de iudicio Dei.

Nazianzenus, [e] Vides, *inquit*, quemadmodum ex Christi Discipulis, magnis vtiq; omnibus & excelsis, atq; electione dignis, hic Petra vocetur, atq; Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat; ac reliqui Discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant.] Nazianzeni verba de sola præcedenti prælatione sunt intelligenda: nam omnes Apostolos æque fundamenta fuisse iam probatum est: quod verò maxime, & præcipue id Petro Dominus contulerit, non ægre cæteri ferebant. IV.

[e] Naz. or. 4. de moder. fug.

Epiphanius, [f] Petrum, *inquit*, elegit vt dux esset Discipulorum.] Quia primus, & senior: nomine tantum Dux & similitudine, non iurisdictione. *Item*, [g] hic est, *inquit*, qui audiuit, Pasce agnos meos; cui creditum est ouile.] Non soli, sed præcipuo, & principaliter, & nomine Prælatorum Ecclesiæ, quos omnes repræsentabat. V.

[f] Epiph. hær. 51.
[g] Idem in Anchor.

Digitized by

VI. a Cyril. li. 12. in Ioan. cap. 64.

Cyrillus Alexandrinus; [a] Vt Princeps, *inquit*, caputque cæterorũ, primus exclamat, Tu es Christus Filius Dei viui.] Princeps & caput ordine vocationis, & dignitate. A

VII. b Chrysost. Ho. 55. in Mat. c Idem Homil. 87. in Ioan. d Idem Hom. 86. in Mat.

Chrysostomus; [b] Petrum Ecclesiæ futuræ pastorem constituit.] Præcipuum quidem, sed non solum. Asserit verò etiam à Christo [c] Orbis terrarum curam Petro esse demandatam: Sed statim hoc idem de reliquis quoque affirmat Apostolis; subdit enim; Cùm essent orbis terrarum curam susceperturi, simul amplius esse non oportebat.] Et Petrum vocat idem Chrysostomus [d] Caput, & verticem Apostolorum: Fuit caput & vertex, quia erat Præses inter reliquos Apostolos.

VIII. e Euthym. in Ioan. cap. 21. f Oecum. in cap. 1. Act.

Euthymius; [e] Petrus accepit præcedentiam super Discipulos.] Considerabat præcedentiam ex ætate, & vocatione. Ita & Oecumenius; [f] Surgit, *inquit*, Petrus, non Iacobus, & velut feruentior, & velut is, cui Discipulorum præcedentia commissa erat.

IX. g Theophylact. in Luc. cap. 22.

Theophylactus; [g] Quia te habeo vt Principem Apostolorum, postquam negato me flueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros; hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum.] Sed hæc iam explicata sunt: Principem vocat Discipulorum, id est, primum, qui post Christum præcipua petra fuit, sed non sola, & præcipuum fundamentum. B

X. Io. Damasc. Orat. in Transfig.

Damascenus; [h] Petrum dignum Ecclesiæ præsidem à Christo prædestinatum scribit, eique factam reuelationem, tanquam qui Princeps futurus erat, & totius Ecclesiæ clauum susceperturus.] Hæc tamen encomiasticè dicta sunt, ex solis verbis Euangelicis, non ex sententia, quam verba Euangelica contineant, eruta, & amplificata. Et Petrum vt præcipuum, non vt solum Ecclesiæ præsidem extollunt, sanè oratoriè non Theologicè. Sed neque Damascenus est tantæ autoritatis, vt inter recentiores, aut dormitantes, aut adulantes, non possit interdum reponi.

XI. i Ambr. in Luc. cap. vlt.

Ambrosius considerans illa Christi verba ad Petrum, Petre, amas me? ita scribit; [i] Is interrogatur de quo dubitatur: sed Dominus non dubitabat, qui interrogabat non vt disceret; sed vt doceret, quem eleuandus in cœlum amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat: sic enim habes, Simon Ioannis diligis me? Vtique tu scis, Domine, quia amo te: Dicit ei Iesus, Pasce agnos meos. Benè conscius sui, non ad tempus assumptum, sed iamdudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis est enim alius qui de se hoc facilè profiteri possit? & ideò quia solus profitetur ex omnibus, omnibus anteferetur. Maior enim omnibus caritas.] Hucusque Ambrosius. Qui sanè nihil aliud in his dictis intendit, nisi ostendere Petri excellentiam supra alios, in amando Christo: Sensus ipsius talis est. Quasi dicat Petro Christus: Petre, quandoquidem tu me amas plusquam cæteri, amorem hunc quem habes erga me, iam me discedente, conuerte erga oues meas; vt sicut me amas plus his; ita plus his, mea vice, ama oues, (hoc enim est relinqui à Christo, quasi Vicarium amoris ipsius; nempe, tu mea vice, & loco mei, ama meum gregem, & succede mihi in ipso amore erga gregem.) Et quia nullus erat sibi conscius, se adeò amare Christum vt Petrus, ideò Petrus cùm solus profiteatur supra omnes se amare Christum, in hoc omnibus anteferetur, videlicet, vt ei iniungatur plusquam cæteris munus amandi, & pascendi pro Christo oues: nam sicut inter virtutes maior est caritas, ita qui caritate excellebat omnes, etiamsi forasse alijs virtutibus alij, vt Ioannes, ipsum superarent) ex caritatis præcellentia omnibus anteferetur, in hoc, vt plus ei quàm cæteris oues commendentur. Hic est sensus Ambrosij, qui nihil facit ad primatum Iurisdictionis, fuitque aliquid personale in Petro, vt [k] supra docui. Idem verò Ambrosius, dum alibi ait; [l] Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.] Loquitur de primatu vocationis ad Apostolatum, & alijs personalibus præeminentijs Petri. Alia Ambrosij loca sunt à nobis iam explicata. C D E

k Supra cap. 8. num. 12. Ibiorum. l Ambr. in 2. Cor. cap. 12.

XII. m Leo Epist. 7. n Idem Epist. 66.

Leo; [m] Cùm enim, *inquit*, beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit principatum] Apostolicus principatus est, quod sit primus Apostolorum: nam etiam eundem Petrum, idem Leo vocat [n] præcipuum Apostolorum. Sunt & alia plurima sanctorum Patrum loca, quæ solum primatum continent personalem, quibus non est operæpretium immorari. Sed ad alia Patrum loca difficiliora accedamus, Græcorum prius, deinde Latinorum.

XIII. o Origen in Epist. ad Rom. cap. 6.

Origenes; [o] Petro, *inquit*, cum summa rerum, de pascendis ouibus, traderetur, & super ipsum, velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi caritatis, exigitur.] Certè verba illa Latini interpretis puto Ruffini, (*summa rerum traderetur*) latinè amplam habent significationem: libentiùs Græcum Origenis dictum considerarem, si extaret; arbitror enim aliquid modestius dici, nimirum Petro principaliter, & maximè

A maximè pasturam ouium committi: nam alioquin Origenes etiam inter Apostolos perfectam posuit æqualitatem; vt in præcedentibus suis locis est [a] ostensum.

Chrysostomi dicta possunt plura proferri, quibus Petri videatur astrui Principatus. [b] Petrum, *inquit*, Ecclesiæ futuræ Pastorem constituit. *Et*, Deus concedere solus potest, vt futura Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cuius Pastor, & caput homo piscator, atque ignobilis. *Et*, Hieremiam vni genti Pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi, Christus præposuit. *Et*, [c] Petrus adeo abluit illam abnegationem, vt etiam primus Apostolorum fuerit factus, ac terrarum orbem totum subiecerit *Et*, [d] Surgens Petrus in medio discipulorum dixit, &c. Quàm est feruidus? quam agnoscit creditum à Christo gregem! quam in hoc choro princeps est? & vbique primus omnium incipit loqui, &c. *Et*, [e] Non autem Paulus solus talis fuit, sed ille quoque qui fuit Apostolorum

B caput.] Hæc tamen Chrysostomi dicta sunt ferè omnia à nobis in superioribus explicata: & patet vt plurimum ea de solo personali Primatu intelligenda, quod fuerit primus inter Apostolos: atque de suprema Petri potestate Apostolica; qua tamen minorem cæteri Apostoli non habuerunt, præsertim in habitu: nam si de actu loquamur, non dubitamus Petrum cæteros vndecim longe præcessisse; quia multo maiorem orbis partem solus Petrus prædicando, & fundando Ecclesias peragrauit, quam quilibet aliorum Apostolorum, imò fortasse quàm omnes, vno excepto Paulo, qui in hoc Petrum adhuc superauit. Atque in hoc actuali Apostolatus exercitio, quia Petrus plurimum supra alios laborauit; hinc consecutus est primatum quendam, seu principatum super omnes, non quod ipsius Apostolatus, hoc est potestas Apostolica à Christo tradita maior fuerit in Petro, quàm in cæteris (erant enim pares) sed quod plus Petrus quàm cæteri hanc potestatem exercuerit, præsertim in occidente; de quo ita Eusebius, [f] Benigna & propitia Dei totius huius Vniuersitatis Rectoris erga humanum genus prouidentia, fortem ac præpotentem, & reliquorum

C omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem facile principem Petrum, Romam versus ad eiusmodi (*Simonis Magi*) pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit, qui quidem, vtpote generosus & strenuus Dei Dux, diuinis armis obtectus, munitusque, eximiam, & preciosam tanquam mercaturam veri luminis mente sola comprehensi, ab oriente ad occasum vsque deportauit, ipsamque Regni cœlorum prædicationem, cœlestem scilicet lucem, & salutarem animarum doctrinam, palam diuulgauit.] Hæc Eusebius. Non igitur mireris quod Chrysostomus Petrum Ecclesiæ caput, & Pasterem dixerit, quia enim primus Apostolorum erat, & quasi omnium Procurator assumptus, & institutus, & adeo diligens ac solicitus in Euangelica prædicatione; hinc

D solet à Sanctis Ecclesiæ caput appellari, vt iam sæpius est à me in præcedentibus declaratum.

Euthymium ad hoc affert [g] Bellarminus, ita scribentem; [h] Si dicas quomodo Iacobus sedem Hierosolymis accepit? Respondeo hunc (Petrum) totius orbis magistrum esse constitutum.] Vbi docet, *inquit Bellarminus*, sicut Iacobus fuit Episcopus Hierosolymorum, ita Petrum fuisse Episcopum totius orbis.] Euthymius, vt solet, Chrysostomi verba transcripsit: [i] Quod si quis, *inquit ipse Chrysostomus*, percontaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit; responderem quòd Petrum totius orbis doctorem (*Dominus*) præposuerit.] Hoc est, si quis Iacobum, & non Petrum Ecclesiæ Hierosolymitanæ à Domino præfectum cernens, quippe Ecclesiæ omnium Ecclesiarum primæ, & matri cæterarum, Iacobum Petro Prælatum autumaret, sciat Petrum fuisse Iacobo longe maiorem;

E quia hic vni vrbi allegatus est Pontifex, ille vero toti orbi datus est Magister. Quia nimirum Petrus vt Apostolus, sicut & quilibet alius Apostolorum, indefinitè factus est totius [k] orbis Doctor, & informator, hoc est Apostolicum, in quancunque orbis partem ei Euangelium deferre placuisset; illi enim, simul cum reliquis decem dictum est à Christo; [l] Euntes docete omnes gentes: at verò Iacobus, qui Apostolus ex duodenario numero non erat, vt passim supponit Chrysostomus, soli Hierosolymitanæ Ecclesiæ particulari præfectus à Domino fuit. De quo Iacobo, ipsiusque ordinatione erit nobis in secundo proximè sequenti libro cap. 2. differendum.

Cyrillus Alexandrinus refertur in opusculo quod dicitur Thomæ Aquinatis contra Græcos, ita scripsisse in suo Thesauro; & affertur à [m] Bellarmino: Sicut Christus, *inquit*, accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ Gentiũ, dux ex Israel, egrediens super omnem Principatum, & potestatem, super omne quodcunq; est, vt ei cuncta curuentur; sic & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit, & nulli alij quàm Petro Christus quod suum est plenũ,

a *Sup. c. 6. n. 4. & seqq. huius lib. 1.*

XIV.

b *Chrys. hom. 55. in Matt.*

c *Idem orat. 4. aduers. Iud.*

d *Idem hom. 3. in Act. Apost.*

e *Idem hom. 6. de laud. Pauli.*

f *Euseb. lib. 2. Hist. c. 13.*

XV.

g *Bellar. de Rom. Pont. l. 1. c. 15.*

h *Euthym. in cap. 21. Ioan.*

i *Chrys. hom. 21. in Ioan. De quo Bellar. vbi supra c. 26.*

k *Supra c. 8. n. 5. & infra n. 21. & 26. huius capitis.*

l *Matt. 28.*

XVI.

m *Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 25. Et lib. 2. c. 29.*

sed ipsi soli dedit.] Hoc dictum cum directè repugnet sacrę Diuinę Scripturæ Euangelicę, in qua habemus omnibus Apostolis dictum fuisse a Christo, [a] Quæcunq; alligaueritis, &c. Item, [b] Sicut misit me Pater, &c. Item, [c] Euntes docete, &c. quibus tamen contrarium omnino exprimat, nimirum soli Petro, & nulli alij; nisi ipsi, & successoribus, potestatem à Christo plenissime datam, cum exclusione aliorum Apostolorum; qui tamen, vt abunde docuimus, æque plenam cum Petro habuerunt potestatem; ipsis etiam Monarchicis id non negantibus; neque tale dictum in Cyrillo reperiatur, confictum ipsum esse facile crediderim, & ab aliquo Hieromonarchicorum ante Aquinatem dolo malo suppositum. Cyrillus enim perfectam inter Apostolos & ipse cognoscit paritatem. Contemplabatur sane aliquando Sanctus hic Doctor Patriarcham celeberrimum Iacob seruituti Laban se mancipantem, atque in eo cognouit figuram populi Christiani, [d] Hic enim, *inquit*, ob fidem in Christum dignitatem illam primogeniti filij adeptus est, ac primum Israelem supplantando longe propulit.] Atque mox vt ostendat in Christiano populo etiam illud reperiri quod Iacob, relictis patrijs suæ natiuitatis laribus, ad alienos [e] transijt, ibi in magnam gentem multiplicandus; id in ipsis Apostolis adimpletum explicat: & sane in omnibus æquè, quos omnes primitias vocat populi Christiani: sicut & illud quod curam pascendarum ouium non minus quam Iacob, relicta propria gente, inter extraneos suscepissent, multarum gentium parentes futuri. Sed quod Pastores, *inquit*, spirituales habeantur, Diuinæque Disciplinæ magistri, hinc facile patet cum officium suum exercere curam quam maximam habuissent, doctrinam vnam Christi Præceptoris sui statim in medium adferunt, & viam qua quod vtile sit consequi valeant, mirificè ostendunt. Ita namque & diuum Iacob, cum & ipse pastor esset, pastores eos agere qui ex Charan erant admonere accepimus: [f] multa enim, inquit, adhuc dies est, nondum tempus est vt pecora congregentur; potantes ergo euntes pascite. Audisne Pastoribus vt iusserit vt oues suas, cū adhuc multa dies esset, pascerent? Quod & sapientissimus ille discipulus idē agere præsbyteris populi præcipiebat. [g] Seniores, inquit, qui apud vos sunt, hortor consentior ego, pascite, &c. Sed cum per vrbes, prouinciasque curritarent, populis qui credebant, complures pastores præficiebant.] Hæc Cyrillus. Vides primum quàm indifferenter, & indistincte dat curam pastoralem omnibus Apostolis: deinde vbi opportunum habuit dictum Petri, Pascite, &c. affert ipsum vti dictum vnius ex discipulis: imò eodem loco aliud eiusdem Petri dictum, [h] Vos ergo genus electum, &c. ponit in ore omnium Apostolorum. Vbi tamen non modo opportunitas, sed potius necessitas exigebat, vt de primatu Petri faceret mentionem. His addo alterum eiusdem Patris locum, dum nimirum considerans illud Christi dictum, [i] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; sic loquitur; [k] Ordinauit his verbis orbis doctores, & Diuinorum Mysteriorum ministros, quos vt luminaria ad illustrationem, non Iudæorum regionis solummodo misit, quæ iuxta [l] legalis mandati mensuram à Dan vsque Bersabee patebat, vt scribitur; sed vniuersum terrarū orbem illuminare iussit. Verax igitur est Paulus dicens; [m] Non sibi aliquem honorem accipere, nisi vocatus à Deo sit. Ad glorioſum enim Apostolatum Dominus noster Iesus Christus Discipulos suos vocauit, qui commotum orbem firmârunt, sustentacula eius facti: Vnde per Psalmistam de terra, & de Apostolis dicit; [n] Quia ego firmaui columnas eius. Columnæ enim, & robur veritatis Discipuli sunt, quos ita dicit mittere, sicut ipse à Patre missus est; vt etiam Apostolatus dignitatem ostenderet, & magnitudinem potestatis eorum aperiret.] Hactenus Cyrillus. Quæ sane nullo modo conueniunt cum ijs quæ illi perperam tribuuntur, neque stare possunt, si solus Petrus plenam habuit potestatem, & audis omnes Apostolos æquè esse columnas, & firmamentum Ecclesiæ. Non ergo solum Petrum Cyrillus agnoscit petram, & fundamentum. Accedamus ad latinos.

a Matth. 18.
b Io 20.
c Matth. 28.
d *Cyrill. l. 11. in Genes.*
e Gen. 29.
f Gen. 29.
g 1. Pet. 5.
h 1. Pet. 2.
i Io. 20.
k *Cyril. in 1. c. 12. c. 15.*
l Iosue. 15.
m Hæb. 5.
n Psal. 74.

XVII.

Cyprianus, qui maxime omnium, Apostolorum æqualitatem astruit, maxime tamen omnium ad Petri primatum, per summam violentiam, à Monarchicis vel inuitus trahitur: cuius varia dicta simul congerit [o] Bellarminus. Et sunt hæc, [p] Exordium ab vnitate proficiscitur: & primatus Petro datur, vt Ecclesia vna monstretur.] Item ibidem, Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: Et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine: Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germi-

o *Bellar. de Rom. Pont. l. 1. c. 12 & 25.*
p *Cypr. tract. simpl. Prael.*

germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præcisus arescet] Ex his ita primum colligit [a] Bellarminus: Exordium ab vnitate proficiscitur, id est à Petro; cœpit enim Ecclesia in vno Petro, tanquam in fundamento, & capite; & ex hoc quod Ecclesia vnum habet fundamentum, & vnum caput, vna tantum esse monstratur; sicut vna domus dicitur ab vno fundamento, & vnum corpus ab vno capite.] Hanc verò esse Cypriani sententiam confirmat ex illis Cypriani similitudinibus; Hanc enim radicem, & hunc fontem, vnde vnitas Ecclesiæ sumitur, Petri sedem esse, *inquit*, multis in locis Cyprianus docet: imò in hoc ipso loco ait: [b] Petrum a Cypriano fieri fontem, & radicem totius Ecclesiæ] Sed hoc plane est intolerabile: nam apertissimè Cyprianus totam Ecclesiam, prout vna in solidum sumitur, quæ deinde in particulares Ecclesias distribuatur, intelligit esse solem, radicem, fontem; & de Petro ne somniabat quidem: & illam vnam Ecclesiam vocauerat Episcopatum vnum, cuius à singulis in solidum pars teneretur. Exordium quidem ab vnitate docebat proficisci; at verò vnitatem esse Petrum, vel primatum Petro dari, nunquam aut dixit, aut intellexit, (vt suo loco [c] exposui, & adhuc pluribus lib. 4. exponam,) sed Petrum fuisse figuram, & typum vnitatis Ecclesiæ. Neque sane poterat Cyprianus Petrum intelligere vnum totius Ecclesiæ fontem & radicem, qui ibidem dixerat hoc esse Apostolos, quod erat Petrus, pari consortio præditos honoris, & potestatis: hoc verò maxime pugnat cum illa radice, & illo fonte. Affert Bellarminus alia Cypriani dicta, quibus censet confirmari in Cypriano fontem, & radicem Ecclesiæ esse Petrum, vt dum ait, [d] Nauigare audent ad Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.] Quod Romanam Ecclesiam vocet principalem, nihil ad primatum absolutum Petri; nam sicut Petrus fuit principalis, sed non solus Apostolus, ita sedes eius principalis erit, sed non sola. Et quia Petrus figura fuit, & typus Vnitatis totius Ecclesiæ, ideo propter ipsum sedes ipsius illa esse fortasse dicitur, vnde Vnitas Sacerdotalis exorta est. Petrus enim significabat omnes simul Prælatos Ecclesiæ, qui sunt Christi Sacerdotes; qui omnes simul tacitunt vnum Sacerdotem; siue vnum, vt loquebatur Cyprianus, [e] Episcopatum in solidum; quæ Vnitas huius vnius Episcopatus, siue Sacerdotij, in Petro fuit figuraliter, & mysticè posita & expressa; ideoque omnes Episcopi, & omnes Sacerdotes, inde intelligunt Vnitatem hanc esse profectam, siue exortam; vt singuli Episcopi & Sacerdotes agnoscerent se partem tenere illius vnius in solidum Episcopatus, vniusque sacerdotij, quod in Petro figurabatur, & mysticè tantum exprimebatur. Atque hic est verus & legitimus Cypriani intellectus, semper idem & constanter perseuerans. Alius Cypriani locus à Bellarmino ad suum propositum non bene productus, est vbi ait, [f] Scimus hortatos nos esse vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent, & tenerent.] Vult igitur propter Petri primatum Romanam Ecclesiam hic à Cypriano vocari matricem, & radicem. Sed fallitur; Cyprianus enim, sicut & supra, sibi semper similis, radicem & matricem Ecclesiæ Catholicæ, intelligit Ecclesiam totam & vniuersalem, illam quam supra [h] vnum Episcopatum in solidum nominabat; cuius partes essent Romana, Carthaginensis, & aliæ: illam quam, supra, solem, fontem, radicemque dixerat; vbi de nulla singulari sede loqueretur. Eodem modo loquitur, vbi ait (*quem etiam locum affert Bellarminus*) [i] Nos Ecclesiæ vnius caput, & radicem tenemus] Non enim loquitur de Romana, siue alia singulari sede, sed de tota Ecclesia vniuersali; de illa quæ est verè vna. Neque enim vllum nimirum indicium habemus aut ex præcedentibus, aut ex consequentibus, ibi Cyprianum de Romana loqui Ecclesia; sed totius Ecclesiæ, quæ est caput & radix singularum, dogma tutum vult esse contra Nouatianum, qui rebaptizabat Catholicos ad ipsum deflectentes, Vnicum esse in Ecclesia Catholica baptismum, non amplius iterandum. Et infra [k] explicans Cyprianus, *inquit Bellarminus*, quæ sit hæc radix, ait, Nam Petro primum Dominus, super quem ædificat Ecclesiam, & vnde Vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit.] *Item*, Ecclesia quæ vna est, super vnum qui claues eius accepit, voce Domini fundata est.] Vbi clare vides, *inquit Bellarminus*, Ecclesiam dici vnam, quia super vnum Petrum fundata est.] Explicat proculdubio priore loco Cyprianus quæ sit illa radix, sed non docet hanc esse Petrum, vel sedem Petri; sed esse illam vnam totalem Ecclesiam, quæ vt vna esse monstretur, à Christo Petro primum & ædificatio promittitur, & potestas clauium datur, vt inde, tanquam ex typo, & mysterio, ortum haberet in Discipulorum cognitione, vnitas Ecclesiæ, quam intendebat. Et posteriori loco est eiusdem dicti repetitio, nimirum, ideo super vnum Petrum videtur Ecclesia voce Domini fundari, non quia re vera

a *Bellar. vbi sup. c. 12.*

b *Bellar. l. 1. de Rom. Pon. c. 25*

c *Supra c. 7. n. 18.*

d *Cyprian. l. 1. Ep. 3.*

e *Cypr. tract. de Simpl. Prael.*

f *Cyprian. l. 4. Ep. 8.*

g *Infra l. 3. c. 1. n. 11. & l. 4. c. 10 n. 77.*

h *Cypr. tract. de simpl. Prael.*

i *Cypr. ad Iuba.*

k *Bellar. l. 1. de Rom. Pon. c. 12.*

in vno Petro fundetur, sed quia ex hoc habetur mysterium, Ecclesiam totam vnam esse debere, & non in sectas diuisam. Vbi clarè videat Bellarminus, non ideo Ecclesiam vnam dici, quia in vno Petro fundatur, vt ipse inuertit; sed ideo in vno Petro seorsim Ecclesiam illam fundari, quæ etiam in alijs fundatur, vt hinc mysticè pateat sanctam Ecclesiam vnam esse debere. Affert demum [a] Bellarminus etiam illud Cypriani dictum, vbi ait; [b] Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, se vindicauit, seu aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit vt diceret, se Primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potius oportere.] Quibus verbis indicat, ait Bellarminus, Petrum habuisse Primatum, & potuisse alijs omnibus iubere.] Quomodo quæso potuit hoc de Petro sentire, & proloqui Cyprianus, qui Apostolos omnes pari potestate præditos cum Petro asseuerauit? Argumentum igitur Cypriani est huiusmodi: Si Petrus, qui Christi vocatione primus erat Apostolorum, & omnibus antiquior, & primus etiam super quem ædificata sit Ecclesia, patienter tamen audiuit Paulum nouellum Apostolum, & omnium postremum, se obiurgantem; neque ei obiecit se esse primum inter Apostolos, omnibus seniorem, & qui in ædificanda Ecclesia plurimum prædicando iam laborauerat; vt propterea par esset, & æquitati, ac honestati conforme, vt iuniores obtemperarent senioribus, ijsque obsequerentur: quanto magis nos etiam, &c. Vide locum Cypriani pleniorem supra cap 8. num. 10. Ne colligas ergo ex Cypriano Petrum potuisse iubere, & imperare Apostolis; sed tantum æquum fuisse, & honestum, valdeque decens, vt qui iuniores essent, & in Apostolatu posteriores, Petro seniori, & primo obsequerentur, ipsiusque documenta, monita, & consilia amplecterentur: quod supremum in Petro Primatum nullum arguit. Sciant itaque Monarchici se perpetuum, & constantem hostem habere Cyprianum, Monarchiæ oppugnatorem.

a *Bellar vbi supr. c. 25.*
b *Cyprian. ad Quintum.*

A B

XVIII.

Optatum quoque producit [c] Bellarminus: Sed vt mihi videtur, non omnino fideliter, nec integrè. Verba Optati sunt: [d] Ergo quia probamus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit in toto terrarum Orbe diffusa, eius iam commemoranda sunt ornamenta; & videndum vbi sint quinque dotes, quas tu sex esse dicis; inter quas Cathedra est prima: Vbi nisi sederit Episcopus, coniungi altera dos non poterit, qui est annulus. Videndum est qui, & vbi, prior Cathedra sederit: si ignoras, disce; si nosti erubesce; ignorantia tibi ascribi non potest: Restat ergo vt noueris: scientem errare peccatum est: nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci. Igitur negare non potes scire te, in Vrbe Roma Petro primo Episcopalem Cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; vnde & Cephas appellatus est: In qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas quisque sibi defenderent; vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus; sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, &c. Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie, qui noster est socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vna communionis societate concordat.] Vides nomen capitis, *inquit Bellarminus*, & Petri Cathedram, ac successorum, vnicam totius Ecclesiæ Cathedrã nominari.] Quomodo Petrus sit caput, iam supra cap. 5. satis explicaui. Cephas verò vt caput significet, non patitur Ioannes [e] quenquam interpretari. Cathedram sane Optatus hic intelligit ipsam potestatem Ecclesiæ gubernatiuam, per legitimas ab Apostolis successiones descendentem. Ita & [f] Cyprianus, Vnam Ecclesiam esse dicit, & vnam Cathedram, sicut vnus est Christus: intelligitque Ecclesiam, & Cathedram vniuersalem. Quam Cathedram, id est potestatem, primam Ecclesiæ Catholicæ dotem, esse affirmat Optatus. Non igitur intelligit particularem Cathedram Romanam; quæ non est prima dos totius Ecclesiæ vniuersalis: sed Cathedram vniuersalem; quatenus potestas hæc vnica est in solidum in omnibus Ecclesiæ Rectoribus, in toto orbe, vt lib. sequenti explicabitur. Et sane volebat ostendere Optatus Donatistas, qui iactabant se solos habere veram Ecclesiam, esse omnino extra Ecclesiam veram, quæ Catholica est & Vniuersalis, per totum orbem diffusa: idque probat, quia prima dos veræ Christi Ecclesiæ est habere Cathedram: illi verò cum Cathedram non haberent, nec poterant veram habere Ecclesiam, quam tamen Catholici habebant; quia etiam Cathedram habebant: idque probat, quia Catholicæ Ecclesiæ Africanæ, coniunctæ erant communione cum Romana: Romanam verò Ecclesiam habere Cathedram illam quæ est prima dos Catholicæ Ecclesiæ, probat per legitimam successionem ab ipso Petro Apostolo. At verò Donatistæ cum suam successionem ab Apostolis non

c *Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 25.*
d *Optat. lib. 2. contr. Parmen.*
e *Io. 1.*
f *Cypr. lib. 1. Epist. 8.*

C D E

A lis non habeant, neque communicent cum Catholica, Cathedram habere non possunt, & consequenter neque veram Ecclesiam, cuius prima dos est Cathedra. Quam Cathedram Optatum intelligere non particularem Romanam, sed vniuersalem totius Ecclesiæ Catholicæ, satis constat, quia reducit se ad Petrum; non quia Petrus erat vnus singularis & primus Apostolus, sed quia erat Apostolus: successio enim à quocunque, siue ab vno, siue a pluribus, siue ab omnibus esset Apostolis, Cathedram legitimam constituebat; ait enim ibidem, Si Macrobio (*is erat Episcopus Donatista Romæ*) dicatur vbi illic sedeat: nunquid potest dicere in Cathedra Petri? Quam nescio si vel oculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit, quasi schismaticus contra Apostolum faciens, qui ait; [a] Memorijs Sanctorum communicantes. Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum. Dicite si ad has ingredi potuit, ita vt obtulerit illic, vbi Sanctorum memorias esse constat.] Et Libro 3. eosdem alloquens Donatistas, ait: Quod si & modo Deo placuit, B quod passos vos esse dicitis, qui Vnitatem cum toto orbe terrarum, & cum memorijs Apostolorum, quæ Deo placita est, habere noluistis?] Et Libro 4. docet in psalmo [b] peccatorem à Deo non vocari, & reprehendi, illum, cui dissensio & schisma displicet, qui concordat cum fratre suo, & cum vna Ecclesia, quæ est in toto Orbe terrarum; qui communicat septem Ecclesijs, & memorijs Apostolorum, amplexusque est vnitatem: sed ipsos Donatistas, qui enarrabant iustitias Dei per os suum, &c.] Cathedra ergo vera est Ecclesiæ Catholicæ, secundum Optatum, quæcunque tandem in Apostolos quoscunque resoluitur, eorumque memorias veneratur, & doctrinam conseruat; qualis erat in Occidente Romana à Petro & Paulo: in Asia septem Ecclesiæ à Ioanne fundatæ, & aliæ. Et qui Episcopi his omnibus communicarent, hi veram Cathedram tenere sint dicendi, siue in vera Cathedra sedere. Nam & idem Optatus sicut hoc loco se ad Petrum tandem reducit; ita paulò post, non semel, in alios, aliarum sedium Apostolicarum fundatores Apostolos, Cathe- C dræ suæ, & aliarum Catholicarum Africanarum autoritatem, & legitimitatem resoluit. Nam de septem Ecclesijs Asiæ, quas Ioannes in Apocalypsi instruit, ita loquitur: [c] Extra septem Ecclesias quicquid foris est, alienum est. Aut si inde habetis aliquem vnum Angelum, per vnum cõmunicatis & cæteris Angelis, & per Angelos memoratis Ecclesijs; & per ipsas Ecclesias nobis.] Et rursus ibidem: Tibi vnitas displicet: hoc si crimen putas, argue nos Thessalonicensibus, Corinthijs, Galatis, septem Ecclesijs quæ sunt in Asia, communicasse. Si nefas tibi videtur, aut si reatum putas memorijs Apostolorum, aut Sanctorum omnium communicasse, hoc nos fecisse non solùm non negamus, sed etiam gloriamur.] Vides itaque non solùm communionem cum Romana arguere Cathedræ legitimam autoritatem, sed etiam cum reliquis Ecclesijs, quæ alios Apostolos habuerint fundatores, & instructores, eorumque memorias, ac doctrinam retineant. Et de his erit mihi posteà, Libro 2. & 4. & 7. agendũ. Dum igitur hoc loco dicit Petro primo esse in Vrbe Ro- D ma Cathedram Episcopalem collatam, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur Apostolis, non intelligit singularem Cathedram Romanam: sed Petrum primum omnium, dum Romæ esset, cæpisse Cathedram tenere; post ipsum verò, etiam alios Apostolos eandem Cathedram, per vniuersum orbem, dilatasse. Vt hîc mysterium vnitatis, quod Cyprianus iam explicârat, appareret: & non multæ, sed vnica in solidum esset Cathedra, quæ in vno, seu ab vno incæpit, & per omnes Apostolos, eorumque successores, est absoluta. Contra quam Cathedram Vniuersalem toto orbe dilatatam, vnicam in solidum atque singularem, si quis alteram collocaret, is peccator esset, *inquit*, & schismaticus. Et concludit: Ergo Cathedra vna, quæ est prima de dotibus.] Primam dotem Ecclesiæ Catholicæ esse asserit, vt in ea tota, per totum orbem, non sit nisi vnica, Cathedra in solidum. Vnica nimirum & eadem potestas, per Apostolicam descendens successionem, à quocunque illa Apostolo descendat: quia & in Apostolis omnibus vnica & eadem erat in solidum E ipsa potestas, vt explicatum est in præcedentibus; & vlterius in sequentibus explicabitur. In hac vna & Vniuersali Cathedra, sedit, *inquit*, prior Petrus Romæ, deinde Linus, & cæteri. Ita profectò in eadem Cathedra Vniuersali, sedit in Ecclesijs Asiæ prior Ioannes: post illum Smyrnis Polycarpus: alij alibi. Sic in eadem Cathedra Vniuersali, Antiochiæ sedit prior Petrus & Paulus; post illos, Ignatius, seu Euodius: & sic de cæteris. Quicunque igitur sedet in Ecclesia aliqua ex Catholicis; is profectò sedet in illa vna Cathedra, in qua Romæ prior sedit Petrus; vt lib. 2. fusiùs explicabo. Et ipse Optatus, hoc loco quem discutimus, ait; Vbi nisi sederet Episcopus, coniungi altera dos non potest.] In illa ergo vnica Cathedra, quæ est prima dos Catholicæ Ecclesiæ Vniuersalis, collocat quemcunque Episcopum,

[a] Rom. 12.

[b] Psal. 49.

[c] *Optat. lib. 2.*

* Optat.lib.2. Episcopum, non solùm Romanum. Habet & illud idem Optatus, * Etenim Ecclesiæ numerantur in nomine, sed vno intellectu suo intelliguntur in corpore: vt in manu digiti, quos interuallis singulos videmus esse distinctos; vnde qui tenet vnum, totos teneat necesse est; cum vnusquisque à paribus separari non possit. Adde quod non vnam solam, sed omnes proprie possidemus. Igitur de dotibus supra dictis cathedra est, vt supra diximus, prima; quam probauimus per Petrum nostram esse.] Prima dos Vniuersalis Ecclesiæ est cathedra, id est, potestas per successiones legitime propagata: & hæc in Africam per Petrũ Romà peruenit. Itaq; vnaquæq; Ecclesia particularis Catholica, de vna hac vniuersali cathedra participat, & per illam in vnum corpus cum tota vniuersali Ecclesia coalescit. Sic etiam in fine libri septimi ait, A Christo esse concessam cathedram Petro, & claues. Et sane cathedra hæc Petro concessa est à Christo, antequam Petrus videret Romam. Quoniam tamen potestatem hanc ordinariam Petrus (vt putat Optatus, nescio quam bene) primùm cæpit Romæ exercere, ideo Romæ primum cathedram Petrus posuisse ab eodem asseritur. Non ergo putauit Optatus Antiochenam Petri cathedram, Romanam tempore præcessisse. A B

XIX.

a Arnob.in Ps.138. Arnobius Afer & ipse, ita fertur scripsisse; a Ecce Apostolo pœnitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & maior gradus redditur ploranti, quam sublatus est deneganti. Quod vt doceam, illud ostendo, quod nullus Apostolorum nomen Pastoris accepit, solus enim Dominus Iesus Christus dicebat, Ego sum Pastor bonus: hoc ergo nomen sanctum, & ipsius potestatem nominis, post Resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit: & negatus negatori suo, hanc quam solus habuit tribuit potestatem; vt non solum recuperasse quod amiserat probaretur, verumetiam & multo melius pœnitendo, quam negando perdiderat, acquisiuisse.] Opus tamen illud in psalmos Arnobij non esse, facile comprobatur; vt bene norunt sapientes. Autoritas igitur Viri antiquissimi prætensa, in hoc nos non moueat. Sed & dictum ipsum parum mouet; nam & Episcoporum Episcopum nullum admittit b Cyprianus; & non nomen Pastoris immediate, sed actus pascendi fuit tunc Petro commissus: Pasce: sed idem est, Docete &c. vt iam probaui. Et omnes Apostoli fuerunt Pastores, neque verum est Petrum plus accepisse quàm perdiderat: idem enim quod promissum ei fuerat accepit: & si quid amiserat illud solum recuperauit. Quæ omnia iam sunt à nobis probata, & explicata. C

b Cypr. in Concil. Carthag.

XX.

c Hieron.l.1. in Iouin. Hieronymus licet expresse dixerit c Ecclesiæ fortitudinem ex æquo super omnes Apostolos solidari; quia tamen ibidem subdit, Petrum electum in caput; locum hunc Monarchici pro Petri primatu iactant plurimum. Sed mysticam ibi à Hieronymo illis verbis exprimi vnitatem, satis d supra docui. Pergit tamen Hieronymus; Sed cur non Ioannes electus est virgo? Aetati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, ac pene puer, progressæ ætatis hominibus præferretur.] Prælatus ergo Petrus est, saltem Ioanni: si Ioanni, ergo & Apostolis, vt vult e Eckius. Præfertur sanè Petrus & Ioanni, & cæteris, in eo tantum quod Petrus, & non Ioannes, aut alius assumptus fuerit in caput mystice, & figuraliter duntaxat, ac typum, & symbolum Vnitatis. Obijcies verba Hieronymi hæc esse; Ne hominibus pene puer præferretur. Ergo Petrus prælatus est hominibus: quod non significat eum esse præ alijs assumptum in typum, sed vere præfectum, & in superiorem deputatum. Respondeo præfectum fuisse primatu primogeniti, primi Apostoli, & dignitate supra alios; non autoritate & iurisdictione, aut potestate in alios: semper tamen in figuram, & typum, vt schismatis, *inquit idem Hieronymus*, occasio tolleretur. Hic ille Hieronymus est, qui dixit, f Vt Plato fuit Princeps Philosophorum; ita Petrus fuit Apostolorum.] Ecce tibi in quo sensu Hieronymus fecerit Petrum caput Apostolorum; in eo enim caput est, in quo Princeps. D E

d Sup.cap.7. num.21.

e Eckius l.1 de prim.Pet. c.3.

f Hieron.adu. Pelag.lib.1.

XXI.

Augustinus, qui nihil illustre in Petro per se in propria persona sumpto g agnouit, nisi id ad totam Ecclesiam referretur, cuius figuram in omnibus maioris momenti rebus ipsum semper gestare contendit; non potest, nisi ipse sibi repugnet, Petri supremum vsquam asserere Principatum. Nihilominus videtur interdum aliquid in hoc genere proferre, vt dum ait, h Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis Sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet &c.] Reputat Augustinus excellentem gratiam in Petro, quod primus fuerit admissus in Apostolatum, & hinc præeminentiam habuerit; ex hoc enim primatu secutum est, quod sæpius idem tradidit Augustinus, vt figuram totius Ecclesiæ semper gestauerit: quem alibi dicit, i In Primatu Apostolorum Martyrij gloria coronatum esse. Addit tamen pri-

g Aug.in ps. 108.

h Aug.lib.2.de Bapt.cont.Donat. c.2.

i Idem l.7.de Bapt.c.1.

ori

A ri loco Augustinus;[a] Puto quod sine vlla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrij gloriam. Cæterum magis vereri debeo ne in Petrum contumeliosus existam : Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum, cuilibet Episcopatui præferendum? Sed et si distat Cathedrarum gratia, vna est tamen martyrum gloria.] Hunc locum Augustini tractans Bellarminus, sic loquitur; [b] Obseruandum hoc loco est multum omnino, ex sententia Augustini, Petri Cathedram præstare particularium Episcoporum cathedris : cum veritus sit, ne contumeliam Petro videretur facere, si cum eo compararet Cyprianum; qui tamen non solum Episcopus, sed etiam Primas erat totius Africæ.] Ego verò multum omnino obseruo, ex sententia Augustini, non Petri cathedram, præsertim si quis Romanam intelligat; sed Petri Apostolatum, siue, vt loquitur Augustinus, principatum Apostolatus, particularium Episcoporum cathedris præstare. Si enim quicunque Apostolatus excedit potestate quancunque particularem cathedram, cum Apostolus quilibet in toto mundo possit suum Apostolatum exercere, quod Episcopi iam non possunt nisi in limitatis Diœcesibus, siue Prouincijs, aut Regnis; quanto magis primi, & præcipui Apostoli, aliorum pluribus nominibus principis, Apostolatus, singularem quancunque cathedram excedet? Quod si nomine Cathedræ Petri, intelligat ipsius Apostolatus potestatem, nihil de Romana Ecclesia dictum erit : Latius enim extendit se Petri, & cuiuscunque Apostoli Apostolatus, vt [c] supra, & sequenti secundo libro ostendam, quàm Romana, aut quæcunque alia Cathedra Episcopalis. Meritò igitur verebatur Augustinus Cyprianum cum Petro comparare, quia cathedra Carthaginensis extra Africam non extendebatur : Apostolatus verò Petri nullis certis limitibus in terris concludebatur : & in Augustino non comparatur sedes Cypriani, id est, Carthaginensis, cum sede Romana : sed cum Apostolatu Petri; hoc est, cum potestate Petri Apostolica; dicebat enim Augustinus, Apostolatus principatum, cuilibet Episcopatui præferendum; et postea paululum immutans dictionem, ait, [d] Nec ideo tamen quisquam nunc in Ecclesia, quantumlibet profecerit, Petri Apostolatui conferendus est.] Vbi sane idem dicit, & tamen nullam cathedræ facit mentionem, quam tamen vocem cathedræ subdole inseruit Bellarminus. Atque vt verum est Petrum fuisse Pontificem Orbis terræ totius, in habitu, non in actu : ita verum est quencunque Apostolum eodem modo Pontificem fuisse Orbis terræ totius, vt [e] supra docui : & iusius sequenti libro docebo. Alium præterea locum proferunt Augustini, vbi ait, [f] Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, in ipso vertice componit membrorũ omnium sanitatem.] Caput, & verticem Apostolorum, non renueret, puto, Augustinus, vocare Petrum, quia fuit primus, & Præses collegij Apostolici; dignitate, non potestate; sed caput, & verticem Ecclesiæ, Augustinus verò, nisi caput & ipse haberet morbidum, & sanandum, nunquã vocaret Petrum : qui nihil illustre in Petro agnoscit, nisi vbi sit ipse figura Ecclesiæ. Sermonem itaque illum Augustinus nunquam agnoscet suum. Multò minus sanum caput habuit, qui libellum de vera, & falsa pœnitentia Augustino appinxit; in quo inter alia putida, similiter Petrus vocatur Caput Ecclesiæ post Domini Ascensionem. Afferunt præterea dictum quoddam ex opere quod tribuitur Augustino, quæstionum veteris & noui testamẽti q. 75. quod sic habet: Sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, Ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.] Hoc dictum hucusque extensum nos [h] supra exposuimus. Addit tamen idem autor ibidem. Manifestum est in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscatur. Semper enim in præpolito populus aut corripitur, aut laudatur.] In doctrina Augustini hæc de Petro exponenda sunt, quatenus Petrus typus esset, & figura omnium Prælatorum, & in solum Vnitatis mysterium cæteris præpositus.

Leo sæpius libenter facundiam suam admirabilem, in Petri primatum facile permittit excurrere: & quamuis non raro, vt in superioribus est ostensum, Petrũ præcipuum, & principalem faciat Apostolũ, cui non quidem soli, sed [i] specialius oues sint cõmissæ, nihilominus tamen interdum etiam videtur Petrum absolutum facere Ecclesiæ Principẽ, oratorio more, Petri dignitatẽ amplificãdo. Cumq; Romanus esset Põtifex, adhuc libentius, & facilius, humanitate aliquid suggerẽte, id præstitit, quod in suæ dignitatis ornamentũ redundaret. vt cũ dicit, [k] Petrum in consortium individuæ vnitatis assumptum à Christo, pertam nominatum, quæ erat ipse Christus.] Hæc fuit amplificatio oratoria, sed satis exorbitãs; vt individuæ vnitatis consortium sit inter Petrum, & Christum, propterea quia nomen ei Christus, quod erat

a *Idem l. 1. de Bapt. c. 1.*

b *Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 25.*

c *Sup. c. 8. n. 5. & hoc cap. 10. n. 16.*

d *August. de Bapt. cont. Donat. l. 6. c. 2.*

e *Sup. c. 8. n. 5.*

f *August. serm. 124. de temp.*

g *Idem de vera & falsa pœn. c. 3.*

h *Sup. c. 9. n. 6.*

XXII.

i *Leo Ep. 93. ad Viennens.*

k *Leo serm. 3. de assumpt. ad Pont.*

erat ipsius, communicauit. Indiuidua vnitas in Christo erat sola cum Patre, & Spiritu Sancto, in natura, & essentia Diuinitatis: qualem vnitatem quis asserat inter Christum, & Petrum? nisi Petrum faciamus vnũ ex Trinitate, quæ est blasphemia horrendissima. Sed & illud ad suam dignitatem extollendam dixit Leo; [a] De toto mundo vnus eligitur Petrus, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.] Hoc speciosum Leonis dictum, quia de ipsius Petri primatu verè, & proximè non profertur, de quo tamen tota hæc nostra est hoc libro instituta disputatio, non est à nobis nunc exactè discutiendum; loquitur enim, vt constat, de Petro in successoribus Romanis Pontificibus, qui, Leonis tempore, Vniuersalem quandam curam omnium Ecclesiarum gerebant; de qua nobis libro 4. cap. 9. fusior postea erit sermo. Quia tamen illud tantùm ad Petrum propriè, & proximè spectat, quod dicit Leo, Petrum electum, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur.] Dico Leonem intellexisse Petro maximè, & præcipuè, &, vt alibi dixit specialius, curam omnium gentium demandatam; & ipsis etiam Apostolis, ætate, vocatione, dignitate, familiaritate Christi, & cura diligentiori in fideles, fuisse præpositum, hoc est, prælatum, siue antelatum: nam de vera præpositura supra Apostolos, cum potestate erga illos, & iurisdictione, loqui non poterat ille, qui alias dixerat; [b] Sed huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret.] Quique optimè nouerat nullum in sacra Scriptura extare indicium, quo plena erga Apostolos in Petro præfectura posset apparere; sicut neque in eadem habetur Petrum vniuersarum gentium vocationi intendisse; quod munus [c] datis etiam dextris, Paulo potissimum, ex compositio, reliquisset, sibi præcipua reseruata circumcisionis cultura, & conuersione. Similiter neque in eadem Scriptura cernere est actum vllum præposituræ, & iurisdictionis Petri erga Apostolos, aut alios Ecclesiæ Patres. In qua tamen patentissima habemus documenta summæ inter omnes Apostolos æqualitatis. Præpositus autem fuit Petrus vocationi gentium; quia Petrus primus ad [d] Centurionem gentilem detulit Euangelium: Præpositus fuit Apostolis, quia fuit eorum Præses & caput, modis explicatis: Præpositus demum fuit Ecclesiæ Patribus, tanquam exemplum ad imitandum. Multò minus ad nostrum negotium facit alter locus Leonis, quem affert [e] Bellarminus, dum ait Leo, [f] Magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem Vniuersalis Ecclesiæ cura confluaret, & nihil vnquam a suo capite dissideret.] Nam hic nihil de Primatu Petri habemus, sed de Romana sede: prius tamen conuinci debemus Petrum habuisse summum verum Principatum, postea de Romana sede aliquid crederemus; quamuis & Romana sedes videatur aliunde quandam generalem superintendentiam habuisse, & caput, hoc est, primam inter omnes Ecclesias factam fuisse, non tamen ex Petri principatu, de qua nos suo loco libro quarto disputamus. De Petri tamen Primatu alijs locis non semel ita loquitur Leo, vt tamen ipsum solum Principem Ecclesiæ totius liberè non asserat, sed etiam alijs Apostolis suam relinquat dignitatem, à Petro independentem: vt cum ait, [g] Cum enim beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit principatum, &c.] Apostolicum principatum intelligit, non super Apostolos, sed inter Apostolos, inter quos Dominus voluit ipsum esse primum, quem primum etiam fecit Apostolum ante omnes. *Et*, [h] Oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cuius Ecclesiæ gubernaculis te Dominus voluerit præsidere, & eius meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus, per totum mundum quidem vniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena, & Romana vrbe fundauit.] *Et* [i] Cui cum præ cæteris, soluendi & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ouium cura specialius mandata est. Cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem; sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.] Quem quæso principatum? qualem & quantum? Quod Petrus, *inquit*, fuerit præcipuus Apostolorum; quodque ei specialius cura ouium fuerit mandata. Non excludit ergo cæteros, quia & ipsi plenam singuli habuerint Apostolicam potestatem, & à Petro independentem, quod in sacris diuinis Scripturis erat manifestissimum, neq; Leoni ignotum, ait enim; [k] Quoniam & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris,

[a] Leo Serm. 3. de assump. sua ad Pontif.

[b] Leo Epist. 93. ad Vicar.

[c] Gala.

[d] Act. 10.

[e] Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 25.

[f] Leo Epist. 84. ad Anastas. quæ Tom. 1. Ep. Decretal. Rom. Pont. par. 2. Est 88.

[g] Leo Epist. 7. Tom. 1. par. 2. Epist. Decret. Rom. Pont.

[h] Idem Epist. 66. ad Max. Antioch.

[i] Idem Epist. 93. ad Vicar.

[k] Leo Epist. 88.

A ris, fuit quædam discretio potestatis: & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est vt cæteris præmineret.] Eo modo intellige, quo Cyprianus, Hieronymus, & Augustinus hanc præeminentiam [a] intellexerunt, & exposuerunt. Interim tamen fateor Leonem Petri Primatum super totam Ecclesiam libenter admittere: & fortasse esse primum qui Romanum Papatum ad Petri primatum reduxerit. De quo nos Lib. 4.

a *Supr. c. 3. nu. 6. 9. 11. & c. 7. n. 18. 19. 20. 21. huius*

Oratoria itaque erunt etiam illa, quæ ex Maximo afferuntur: [b] Quanti ergo meriti, *inquit*, apud Dominum suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur.] Et, Hic est Petrus cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas ouiculas suas ouesque commendat.] Illa priora conueniunt etiam Andreæ, & filijs Zebedæi, Iamque docuimus illa verba, Pasce oues meas, soli quidem Petro dicta, in omnibus tamen æquè verificata: & omnes Apostolos æquè gubernacula totius Ecclesiæ

XXIII.

b *Maxim. ser. 3. de Apost.*

B accepisse. Quia tamen ob mysterium soli Petro seorsim dicta fuerunt, hinc Concionatores sumunt locum amplificationis in Petri exaltationem. Sed ne quid nimis. Posteriori itaque loco nihil noui habet Maximus, sola recenset verba Euangelij.

[c] Gregorius, & cum ipso Hadrianus, ita loquitur: Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod Beatissimo, & omnium Apostolorum Principi Petro, Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est] *Item*, Ecce claues regni cœlestis accepit; potestas ei ligandi atque soluendi tribuitur; cura ei totius Ecclesiæ, & principatus tribuitur.] Sed ibidem, vbinam cura hæc totius Ecclesiæ fuerit Petro commissa, idem Gregorius addit: Ipsi quippe dicitur, *inquit*, Petre amas me? pasce oues meas: Ipsi dicitur; Ecce, Satanas expetijt cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, &c. Ipsi dicitur, Tu es Petrus, &c. &, Tibi dabo claues, &c] Quæ omnia quomodo intelligenda sint, & quomodo & quem Primatum Petro tribuant, iam fusè est in præcedentibus explicatum: Et si Petro totius

XXIV.

c *Greg. l. 4. Epist. 32. & Hadr. Epist. 3. item. 2.*

C Ecclesiæ cura est tributa, eadem etiam alijs Apostolis tributa est: & principatus in Ecclesia Petri est typicus tantum, & figuralis: atque ad summum comparatiuus, quia plus alijs vndecim prædicauit; & latius Euangelium extendit.

Beda, [d] Vidit, *inquit*, cordis simplicitatem, vidit animi sublimitatem, cuius merito cunctæ esset præferendus Ecclesiæ.] &, Ditauit eum vocabulo, quod totius Ecclesiæ præsuli congrueret.] Prælatus fuit Petrus toti Ecclesiæ, sed non solus: solus tamen mysticè & figuraliter, siue maximè, & principaliter. Idem [e] Beda alibi; Ideo, *inquit*, beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claues Regni cœlorum, & Principatum iudiciariæ potestatis accepit; vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei, vel societatis illius, quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possint Regni cœlestis ingredi.] Spe-

XXV.

d *Beda hom. in vigil. S. And.*

e *Idem hom. in festo SS. Pet. & Paul.*

D cialiter, inquit Beda; sicut & supra Leo: & hoc alios Apostolos non excludit à potestate iudiciaria, & clauium; quamuis Petrus principatum quendam, typicum intellige & figuralem, præ cæteris obtinuerit. Attingit præterea hic Autor Romanæ Sedis prærogatiuam, in puritate fidei retinenda: de qua nos libro quarto, & septimo sumus acturi. De eodem etiam Principatu siue typico & figurali, siue comparatiuo, intelligenda sunt etiam illa verba Theodori Studitæ, ad Leonem III. dum ait, [f] Quandoquidem Petro magno Christus Deus, post claues Regni cœlorum, pastoralis etiam principatus contulit dignitatem, &c.] vt videlicet esset princeps, hoc est primus inter Pastores.

f *Apud Baron. tom. 9 ann. 809. num. 18.*

Bernardus de Principatu Petri videtur planius locutus, & non semel; ait enim ad Eugenium Romanum Pontificem scribens: [g] Locus in quo stas, terra sancta est; locus Petri est, locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius; locus illius est, quem constituit Do-

XXVI.

g *Bernard. Epist. 237.*

E minus Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.] *Item*: [h] Instar Domini gradiens supra mare, vnicum se Christi Vicarium designauit; qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet; siquidem aquæ multæ, populi multi.] *Item*: [i] Peccauit peccatum grande Petrus Apostolus, & fortassis quo grandius nullum est; & tam velocissimè quàm facillimè veniam consecutus est; & sic vt nihil de singularitate sui Primatus amitteret.] *Item*: [k] Et forte præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno pastore. *Et post pauca*, Denique Iacobus qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro Vniuersitatem cedens. *Et postea*; Signum singularis Pontificij Petri, per quod non Nauem vnam, vt cæteri quisque suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum.] Bernardus certè in illud incidit sæculum, cum iam Monarchia Ecclesiastica aliquas radices, sed nondum nimis altas fixerat; vt propterea non tam autoritas Bernardi, quam argumenta, & rationes ipsius sint

h *Idem lib. 2. de consider. c. 8.*

i *Idem Bernar. serm. 1. in festo SS. Pet. & Paul.*

k *Idem lib. 2. de Consider.*

inspicienda.

inspicienda. His verò locis, aut sensus mysticos tantum & allegoricos, nihili in hoc negotio faciendos profert: aut aliqua supponit, quæ tamen parum habent firmitatis, & facilè ijs contraria ex diuinis Scripturis possunt elici: vt quod dicit de Iacobo; nam si is Apostolus erat, soli Hierosolymæ vi sui Apostolatus alligatus non fuit: & quod de cæteris asserit, quemque suam habuisse Ecclesiam, stare non possunt cum Euangelio; in quo omnibus Apostolis dictum est, Euntes docete omnes gentes; vt [a] supra etiam contra eundem Bernardum obseruaui. Nisi velit ipsius dicta intelligi de diuisione, seu distributione Prouinciarum, & Regnorum, facta inter Apostolos, ipsorum communi consilio, voluntate, & consensu. Sed hoc nihil facit ad Petri principatum, quamuis cæteri vndecim ex composito, seu sortitione certas assumpserint orbis terræ partes, quisque suam; Petrus verò noluerit certæ parti alligari, quin posset quaqua versus excurrere. Quanquam ne hoc quidem discrimen fortasse admitteret Didymus: ait enim; [b] Accipite Spiritum Sanctum: &, Docete omnes gentes; quasi omnes cunctis gentibus mitteret. Neque enim omnes Apostoli ad omnes gentes pariter sunt profecti: sed quidam in Asiam, quidam in Scythiam, & alij in alias dispersi nationes; secundum dispensationem illius quem secum habebant, spiritus sancti.]

a Sup. cap. 8. num. 5.

b Didym. lib. 1. de Spir. Sanct. apud Hieron. tom. 6. in fine.

XXVII. Dixi, nondum tamen admodum altas, tempore Bernardi, fixas habuisse radices hanc Romanâ Hireomonarchiâ: Vnde & libere Papæ Romano dicebat Vir sanctus [c] In criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has accepistis claues &c.] *Item*, [d] Si sapis, eris contentus mensura quam tibi mensus est Deus; nam quod amplius est, à malo est. Disce exemplo prophetico præcedere non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro.] *Et post pauca:* Nam quid tibi aliud dimisit Sanctus Apostolus? quod habeo hoc tibi do: quid illud? vnum scio non est aurum, neque argentum, cum ipse dicat, [e] Argentum & aurum non est mihi. *Et post pauca rursum:* Esto vt alia quacunque ratione hæc tibi vindices, sed non Apostolico iure. Nec enim tibi ille dare quod non habuit potuit: Quod habuit hoc dedit, solicitudinem, vt dixi super Ecclesias. Nunquid dominationem? audi ipsum, non dominantes, ait, in Clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Euangelio &c.] Omitto multa similia Bernardi dicta opportunioribus locis afferenda. Etsi ergo in Petro aliquem primatum posuerit hic sanctus Abbas, maiorem quam antiquitas, Monarchiam tamen tam amplam, & late patentem, in ipso Petro non agnouit: in Romanis tamen Pontificibus vsurpationem nonnullam sentiebat, & abusum.

c Bern. l. 2. de consid. c. 6.

d Idem de consid. l. 2. c. 6.

e Act. 3.

XXVIII. Quod dixi de Bernardo, ipsum in ea iam tempora incidisse, quibus Monarchia hæc non nihil inualuerat, vt non tam ipsius mouendi simus autoritate, quàm fundamentis, & rationibus, quibus Petri primatum asserebat; idem de omnibus alijs Catholicis Doctoribus, & præsertim Romanis Pontificibus, post illa tempora, est sentiendum. Vt propterea Hugonis illius Etheriani, siue Heretriani dictum à Bellarmino [f] relatum, me non multum moueat; quod nulla proferat sui dicti quibus nitatur fundamenta. De primatu etenim Petri assertiones in Ecclesia Catholica nullas obseruaui, nisi postquam Romani Pontifices cæperunt primatum suum prætendere, promouere, & dilatare: Quod, vt sequentibus libris ostendam, cæperunt post plura sæcula à morte Christi: initio quidem sobrie, & modeste; sed progressu temporis semper maiora sumpserunt incrementa. De absoluta hac & perfecta Ecclesiastica Monarchia, non inuenio tractatum à Doctoribus Catholicis ex professo, nisi à duobus, aut tribus ad summum postremis ante nostros dies sæculis. Antiquissimus enim ex Autoribus quos recenset [g] Bellarminus, qui reuera scripserint in hac materia, & plane constet eos ipsos illa scripsisse, est Ioannes de Turrecremata, qui libros suos de Ecclesia scribebat circa annum Domini 1450. Sed donemus obsecro eis ex sexdecim sæculis sex; ita vt à sexcentis annis possint proferre Autores qui Petri Primatum & asserant, & confirment. (Nam Bernardus Clareuallensis, quem facile inter Monarchicos permittam numerari, vndecimo floruit sæculo) certe reliqui erunt mille anni in quibus cuiquam ex Catholicis Doctoribus (excipiam semper Romanos Pontifices, qui in propria causa non sunt tanquam idonei testes facile admittendi) ne in mentem quidem venerit magna illa Petri Monarchia; vt iam à nobis est ostensum, & in sequentibus adhuc apertiùs ostendetur.

f Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 25.

g Bell. in præf. in suos lib. de Rom. Pont.

XXIX. Dicat igitur vt libet fictus [h] Melchiades, Priuilegium iudicandi Episcopos Beato Claui gero solummodo Petro vice Christi esse commissum.] Dicat [i] Nicolaus Primus, Romanam

h Melchiad. ad Episc. Hisp. tom. 1 par. 1.

i Nicol. ep. 8. tom. 3.

A Romanam Ecclesiam esse primam sedem cui ille præfuit, quem vox Christi prætulit vniuersis;& quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet deuota primatem.] Dicat [a] Leo Nonus Petrum esse qui cælestis Regni meruit gubernacula obtinere.] Dicat [b] Innocentius Tertius; Licet Dominus noster Iesus Christus Ecclesiam suam instituens, Discipulis suis eandem super credentes ligandi & soluendi dederit potestatem, vnum tamen in ea, beatum scilicet Petrum Apostolum, voluit præeminere, dicens, Tu es Petrus, &c. Intelligendum ex his tribuens fidelibus vniuersis, quod sicut [c] vnus erat mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, [d] pacificans quæ in cœlis erant, & quæ super terram: & [e] dissoluens macerium parietem, ac faciens vtraque vnum; sic & in Ecclesia sua vnum ex ipso, & per ipsum omnium caput esset: nec in membris fieret vlla diuersitas, quæ non per vnius autoritatem, ac prouidentiam capitis, ad vnam fidei vnitatem

B eandemque Religionis regulam reducerentur & cultum. Quod etiam eo loco monstratur, in quo & de confirmandis fratribus, & pascendis Dominicis ouibus præceptum à Domino nostro legitur ei datum: Ex hac ergo potestate quæ ad Beatum Petrum ex Dominica traditione peruenit, &c.] Dicat idem [f] Ecclesiam vnam esse in Christo fundatam, & eius magisterium Apostolorum Principi Beato Petro esse concessum.] Pronunciet idem vt placet, & dicat; [g] Licet vnum sit corpus Ecclesiæ in quo Christus est caput, & vniuersi fideles sunt membra, ille tamen qui à Christo Petra dictus est Petrus, etiam à Christo capite vocatus est caput, ipso testante qui ait, Tu vocaberis Cephas: Quod secundum vnam interpretationem exponitur caput: quia sicut plenitudo sensuum abundat in capite, ad cætera verò membra pars aliqua plenitudinis deriuatur, ita cæteri vocati sunt in partem solicitudinis, solus autem Petrus assumptus est in plenitudinem potestatis.] Dicat Innocentius Quartus; [h] Christum ne gregem sui pretio sanguinis glorioli redemptum, ascensurus post Resurrectionem ad Patrem, absque Pastore desereret, ipsius curam beato Petro, vt suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana Religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera suæ accenderet deuotionis ardore, commisisse.] Dicat Clemens Quintus; [i] Se ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium sibi in persona beati Petri concessit, procedere.] Dicat Ioannes XXII. [k] sibi in persona beati Petri terreni simul & cælestis imperij iura, Deũ ipsum cõmisisse.

Dicant & alij quicquid libet, & sibi quantum volunt blandiantur: si maiorem aliquem quàm personalem toties à nobis explicatum, asserunt tantum & non probant, in Petro primatum, autoritate ipsorum non mouemur; dum sacram Scripturam, & Patres Sanctissimos contrarium exprimere didicimus: si probationes afferunt attendimus & eas

D soluimus veris sacri Euangelij, & Diuini textus interpretationibus. Dicimus enim de Priuilegio iudicandi Episcopos, soli Petro clauigero concesso, nihil extare; sed hoc esse vanum commentum. Dicimus Petrum voce Christi prælatum cæteris, ætate & vocatione, atque in typum vnitatis, & figuram Ecclesiæ: & eum ab Ecclesia agnosci primatem, id est, primum & præcipuum Apostolum, personalibus prærogatiuis insignem. Dicimus non Petrum solum, sed æque omnes Apostolos Regni cælestis, hoc est, militantis Ecclesiæ, gubernacula obtinuisse. Dicimus solum Christum adhuc etiam in terris esse caput Ecclesiæ, quam per ministros plurimos, & non per vnum solum ipsemet regit: nam si Petro dictum est, Tu es Petrus; &, Pasce oues. Dictum est idem & omnibus Apostolis, vt fuse iam est à me ostensum. Et confirmare fratres cadentes ille inbetur seorsim, qui solus suo exemplo id poterat præstare. Dicimus Magisterium Ecclesiæ non soli Petro, sed omnibus æque Apostolis fuisse concessum. Dicimus Cepham non

E significare caput, sed Petram: & negamus in Petro vllam fuisse proprie rationem capitis, qui nihil plus acceperit potestatis in regenda Ecclesia, quàm cæteri Apostoli: esseque merum figmentum Petrum solum in plenitudinem potestatis vocatum, cæteros verò Apostolos in partem solicitudinis; quod in Sacra Scriptura nullum habet fundamentum; imo quæ ei aperte repugnat; nam summam inter Apostolos ponit illa in potestate æqualitatem. Dicimus curam gregis Christi non soli Petro, sed æque cæteris commissam post eius in cœlum Ascensionem. Dicimus denique & Petro, & reliquis æque Apostolis traditum nudum ministerium spirituale erga fideles, ad eos instituendos in fide Christi, & ad æternam beatitudinem spiritualem dirigendos: ac nimis liberam videri illam assertionem, hominum nimis anxiè terrena quærentium, qua dicitur, Petro terreni simul & cælestis imperij iura fuisse concessa. Iura enim terreni imperij ab Ecclesiasticis ministris sunt remotissima. Melius suis locis postea id à nobis tractabitur, lib. 6.

[a] *Leo IX Ep. 1. c. 12. Tom. 3.*
[b] *Innoc. III. l. 1. Ep. 316.*
[c] 1. Tim. 2.
[d] Coloss. 1.
[e] Ephes. 2.
[f] *Innoc. III. l. 1. Ep. 354.*
[g] *Idem l. 2. Ep. 124.*
[h] *Extra de Homic. c. pro humani in 6.*
[i] *Clem. de Sent. & re iud. cap. Pastoralis.*
[k] *Extrauag. Si Fratris Ne sede vac. &c.*

XXX.

XXXI. Afferunt adhuc [a] Monarchici, totius, vt putant, Ecclesiæ autoritatem, Petri absolutum principatum admittentem, & definientem: nam in Concilio Constantiensi damnantur articuli Ioannis Hus, quorum septimus talis est; Petrus non fuit, nec est caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ.] Et Ioannes xxij. (inquiunt) Marsilium de Padua, & Ioannem de Ianduno, tanquam hæreticos condemnauit, qui inter cæteros errores dicebant, quod Petrus Apostolus non plus autoritatis habuit quàm alij Apostoli habuerunt; & quod aliorum Apostolorum non fuit caput.] Et in iam dicto Concilio Constantiensi ponuntur interrogationes ad examinandos suspectos de hæresi: inter quas vna est, Vtrum credat quod beatus Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi & soluendi super terram?] Quare & Bellarminus rem facit de fide dicens; [b] Est enim reuera non simplex error, sed pernicioſa hæresis, negare beati Petri primatum à Christo institutum.] A

[a] Turrecrem. lib. 3. de Eccl. cap. 22.

[b] Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10.

XXXII. Sed quæ sint propriè terminationes de fide, quæ vetè Conciliorum definitiones, quæ Concilia legitima & accepta, pluribus agendum erit nobis libro septimo. Nunc dicimus propositionem illam Ioannis Hus, posse habere sensum hæreticum, Si quis pertinaciter negaret Petro omnem prorsus Primatum, etiam personalem, quem ex pluribus habuit causis, vt iam docui, cap. 5. Et præsertim si ei negaretur potestas vniuersalis, nempe Apostolica, in tota Ecclesia, à nobis [c] declarata. Et in hoc sensu ex merito condemnatur: non autem in eo sensu accepta, in quo eam sancti Patres acceperunt, & nobis tradiderunt. De Marsilio & Ianduno nihil habeo quod dicam: si enim fuerunt hæretici, ipsi viderint; certè eorum condemnatio non reperitur authentica, & legitimè formata; nam neque in corpore iuris Extrauagans illa Ioannis xxij. fuit reposita: neque cernere est formam in tali condemnatione seruatam: & non nisi ex priuata aliorum relatione habetur: neque nominatur Concilium, in quo discussæ fuerint illorum hæreses, & damnatæ. Facile verò est nostris Pontificibus, & solenne eos omnes pro hæreticis habere, & declarare, quicunque ipsorum non probatæ doctrinæ, aut corruptis moribus aduersantur; etiamsi Catholicâ & Apostolicâ doctrinâ ac perfectè Orthodoxâ, quis in eos insurgat. Quod verò asserebant Petrum non plus autoritatis habuisse, quàm alij Apostoli, id asserebant quod tota sanctissimorum Patrum antiquitas, & tenuit & docuit: neque in hoc potuerunt Marsilius & Ianduns condemnari, quin simul etiam Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, & tota ferè Sanctorum vniuersitas condemnaretur, vt iam fusè à nobis est in præcedentibus explicatum. Interrogationes porrò illas esse formales de fide decisiones nemo puto dixerit: Petrum verò & fuisse Christi Vicarium, simul cum cæteris Apostolis, & cum illis æquam habuisse ligandi & soluendi potestatem, sicut in illo Concilio supponitur, ita à nobis defenditur, & probatur. Esse igitur pernicioſam hæresim negare Petri primatum illum magnum & absolutum, sibi immeritò persuasit Bellarminus: &, Si in hoc ipse seipsum decepit, desinat obsecro nos etiam velle decipere: sed in quo consistat hæc hæresis, & vnde illa damnata ostendatur, prius proferat, & nos conuincat: alioquin si ei non credamus, non miretur. B C D

[c] Supra cap. 8. nu. 5 & hoc cap. 10. nu. 21. & 26.

XXXIII. Nos interim ex sacra Scriptura, & Patribus ostendimus, & Christum primatum hunc inter Apostolos sustulisse, & Petrum nullo tali primatu ornatum in Ecclesia, per multa sæcula in paritate Apostolatus cum cæteris, cognitum fuisse: Nostri enim Monarchici, non ex vlla erga sanctum Petrum deuotione, sed vt sub Petri nomine Romanum Pontificem Deum in terris faciant, adeò sunt de Petri exaltatione soliciti; & ei potestatem tribuunt quam ipse in cœlis positus, sibi cum tanta aliorum Apostolorum, & eorundem successorum depressione, impudenter magis, quàm imprudenter à nobis tribui, si ita dicere fas est, erubescit. Et fœtent illi huiusmodi vanitatis laudes; Christi enim Ministrum ille se, cum cæteris collegis, semper agnouit, non Principem Ecclesiæ, non caput visibile, non Monarcham. Ac propterea non ille sibi à me iniuriam vllam fieri reputabit, si ego veras ipsius laudes, insigneſque virtutes toto animo venerans, falsas, inaneſque blanditias ipsius nomini obtrusas respuere cogor, & ostendo eas esse ab Ecclesia sancta repudiandas. E

CAP.

A

CAP. XI.

Primatum inter Apostolos, & à diuina Scriptura, & à Patribus reprobari.

SVMMA CAPITIS.

Primatum autoritatiuum inter Apostolos reprobat Euangelium: num. 1. 2. 3. & Christus nudum ministerium, sine iurisdictione, & dignitate dominandi, dedit Apostolis. num. 4. 5 6.

B *In Petro verò ipsi Apostoli talem Primatum non agnouerunt. num. 7. 8. 9. Neque Petrus illum vsquam exercuit. num. 10. 11. 12. Et Pauli reprehensio, qua Petrum acrius obiurgauit, aliaque Pauli dicta contrarium conuincunt, à num. 13. ad 23.*

Paulus collatus Petro, Petrum à summo Primatu deijcit. num. 24. 25. 26.

Patrum dicta à Petro Primatum remouentia, à num. 27. ad finem.

APpetitus naturalis humanus propriæ excellentiæ, & in alios dominatus, Apostolorum animos adhuc imperfectos, nec parum, nec rarò titillauit. Qui enim Messiam dominatione temporali Regem Israel in mundo regnaturum, ex sacris Scripturis non bene intellectis, & communi Hebræorum intelligentia existimabant, magnas sibi apud Christum, quem Messiam agnouerant, dignitates pollicebantur, quippe qui ipsius primi essent assecłæ, & familiares; & cum duodecim essent, inter ipsos etiam vnum aliquem primum locum habiturum, varijs humanis coniecturis, autumabant. Petrum enim Ioannem & Iacobum sæpius in maiorem quandam familiaritatem à Christo adhibitos cernebant: Petro verò seorsim insignia promissa facta audierant: Ioannē singulariter dilectum animaduertebant. Hinc varijs oblatis occasionibus, modo internis angebantur cogitationibus, quisnam esset ille, qui primas apud Christū in regno obtineret: [a] Intrauit autem cogitatio in eos quis eorū maior esset.] Modo verò etiam eandem inter se mouebant quæstionem: [b] Quid in via tractabatis? At illi tacebant, siquidē in via inter se disputauerant quis eorum maior esset.] Modo ex Christo ipso hoc idem curiosius inquirebant, vt diceret ipse, quemnam ex ipsis ad supremam apud se dignatem designaret: [c] In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas, maior est in regno cœlorum?] Modo audacter primas ambientes aliqui ex ipsis, siue per se ipsos, supremas petunt dignitates; [d] Accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi dicentes: Magister volumus vt quodcunque petierimus facias nobis: At ille dixit eis; Quid vultis vt faciam vobis? & dixerunt, Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.] Siue per ipsorum matrem, quæ quia fortasse erat Christi matertera, & ipsum secuta fuerat à [e] Galilæa, ministrans ei cum quibusdam alijs mulieribus ex proprijs facultatibus, id promeruisse sibi videbatur, vt ei in filijs grates rependeret, qui nihilominus & ipsi, relictis retibus & Patre, ipsum sequebantur. [f] Accessit igitur ad eum mater filiorū Zebedæi, cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo, qui dixit ei quid vis? ait illa, Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dextram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.] Modo verò in apertam erumpunt contentionem. Ad mensam enim quando cum Christo postremum comedebant pascha, audito iam ex ore Christi ipsum [g] à Deo esse clarificandum, & videntes Ioannem discipulum Christo dilectissimum iuxta ipsum assedisse, & in sinu eius recubuisse, eadem omnes agitati ambitione, de eodem Primatu cœperunt contendere; nam [h] Facta est & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.] I.

a Luc. 9.
b Marc. 9.
c Matth. 18.
d Marc. 10.
e Mat. 8. 27.
f Matth. 20.
g Io. 17.
h Luc. 22.

Quid verò Christus? Angebantur discipuli, humanum patiebantur, turbabantur; ipse verò angoris & turbationis nonnullam præbebat eis occasionem, dum erga Petrum prærogatiuis insignibus esset liberalior: dum Iacobum & Ioannem maiori præ cæteris familiaritate honoraret. [i] Quousque animas eorum tollit? Cur tandem eis non exponit palam, si Petrus futurus erat totius Ecclesiæ princeps, se Petro hanc deferre dignitatem, vt ipse sit ipsius Vicarius generalis? & quidem in sola potestate Ecclesiastica, & spirituali, non autem in regno temporali: Sed medicina, quam huic discipulorum morbo semper adhibet, est negatio absoluta cuiuscunque Principatus; & explicatio Apostolicæ dignitatis in quo II.

i Ioan. 10.

illa consistat; & ad quid eos vocauerit; & in quo prælatio Ecclesiastica opere exerceatur; A
a Mar. 9. b Luc. 9. c Matth. 18. ait enim; [a] Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister: [b] Qui minor est inter vos omnes, hic maior est. [c] Et aduocans Iesus paruulum statuit eum in medio eorum & dixit, Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, d Luc. 22. non intrabitis in regnum cœlorum. [d] Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur: vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut minor; & qui præcessor est sicut ministrator: nam quis maior est qui recumbit an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.]

III. Morbus hic profecto erat omnium communis: nam de omnibus indefinite dicitur, Intrauit cogitatio in eos. *Et*, In via inter se disputauerant. *Et*, Accesserunt Discipuli, & interrogauerunt, Quis putas maior est? *Et*, Facta est contentio inter eos.] Ergo etiam Petrus includitur. Et Christus, nemine excepto, retundit æque omnium ambitionem. Quod si Petrus erat ille maior, saltem designatus, cur etiam ipse contendit? cur disputat? cur quærit? cur Christus ipsum etiam obiurgat? cur non fatetur Dominus se Petro tradere primatum, & qualemnam tradat non explicat? Quia nimirum nullum admittit autoritatis primatum: quia verum quemcunque ab eis amouet principatum: quia ad solam diuinæ gratiæ, & gloriæ, quam in cœlesti Patria consequantur, illis verbis eis promissam: & [c] ego disponо, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam, in Regno meo: & sedeatis super thronos [f] iudicantes duodecim tribus Israel? eos traducit excellentiam. Promittit eis thronos in gloria, ex eo quod permanserunt cum ipso in eius tentationibus: hoc est quod tribulationes cum ipso, & post ipsum passi, per eas essent cœlestem gloriam consecuturi. Et de throno Ecclesiæ, ne verbum quidem facit. Debuit quidem animos eorum à temporalibus dignitatibus abducere, quas etiam sibi somniabant; non tamen debuit tacere de vero & proprio throno Ecclesiastico, si quem sub ratione throni, & principatus relinquebat. Neque debuit solam ignorantiam prauæ dispositionis auferre, qua sibi temporalem dominatum effingebant; sed etiam permittere non debebat eos ignorantia puræ negationis vlterius laborare: sed instruendi fuissent, quamnam maioritatem inter ipsos essent habituri: & tunc præsertim quando in ipso fere momento ipsius in cœlum eleuationis, illi in suis delirijs perseuerantes, [g] Aliud, (vt loquitur Augustinus) audire cupiebant, & quod illis maxime fuerat necessarium, non quærebant,] dicentes; [h] Dic nobis si in tempore hoc restitues regnum Israel?] Expectantesque vt in ipso discessu declararet quemnam Proregem institueret. Ipse verò omnibus simul æque curam suæ Ecclesiæ vltimis verbis committit dicens; Accipietis virtutem Spiritus Sancti: & eritis mihi testes &c.] Vt tandem cessarent de primatu inquirere, quem nullum inter ipsos relinquebat.

e Luc. 22. f Matth. 19. g Aug. l. 2. con. 2. Gaud. ep. c. 12 h Act. 1. B C D

IV. Quia igitur æque omnes Apostolos Ecclesiæ suæ præficiebat; & Præfecturam hanc Ecclesiasticam nolebat in se formam vllam dominatus, aut principatus, aut veræ iurisdictionis humanæ habere; idcirco in eo totus semper fuit Christus Dominus, vt in eorum mentibus imprimeret, prælaturam Ecclesiasticam ad quam eos vocauerat, totam in solo & nudo Ministerio & seruitute consistere. Ideoque dicebat, Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium Minister.] Non sunt hæc verba comminatoria; sed *instructoria*: quasi dicat: Quicunq; cupit ex vobis primatum Ecclesiasticum assequi, is erit, hoc est, fiat, omnium nouissimus, & omnium minister: nimirum nemini præesse contendat, prælatione dominij & iurisdictionis: sed omnibus seruiat & ministret: & qui sic minor est inter vos omnes, *inquit*, hic maior est.] Qui enim maxime omnium, ad seruiendum omnibus, sit promptus, & paratus, & se maxime omnium omnibus exhibet seruum & ministrum, omnibus prodesse satagendo, non propter proprium commodum, sed ad illorum vtilitatem; nihilque omittat facere quod prodesse possit; potestate sua in fidelium vtilitatem vtens; non verò ad propriam elationē & gloriā; is profecto erit ille Maior, & Primas, & Prelatus Ecclesiæ. E

V. Atque hoc ipsum sibi vult Dominus illis aliis verbis; Qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, siue Dux, siue Rector, sicut ministrator.] In quibus verbis conantur Monarchici [i] Maiorem aliquem inter Apostolos ponere: nam, *inquiunt*, à Christo dicitur; qui est maior: de præsenti: non qui erit, aut qui cupit esse: & consequenter iam supponi inter ipsos aliquam esse maiorem: atque huic ipsi qui iam est maior, dari documentum humilitatis, vt non dominetur instar Regum, qui gentibus præsunt; sed gerat se perinde

i Sander. l. 6. de Visib. mon. c. 1. & Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 9. num. 1.

A perinde ac si minimus omnium esset. Hic tamen sensus est omnino detortus. Nam idem significant ista verba; Qui maior est inter vos, fiat sicut minor.] quod illa alia, Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister.] Et illa, Qui minor est inter vos omnes, hic maior est.] Quibus verbis nullum ponit, aut supponit Christus realem primatum; imò omnem aufert, sicut & illis; Reges gentium dominantur eorum: Vos autem non sic.] Nam ne putarent ipsum eos vocasse ad dignitates, & præfecturas, quæ dominium in alios, & imperium exercerent; expresse prohibet ipsis dominatum, hoc est, Præsulatum cum propriedicta Iurisdictione: separatque eos, & plurimum vult differre à Regibus in Regimine; Vos autem non sic; vt pluribus explico lib. 5. cap. 2. Ab omni vnius vero Principatu remouet Apostolos omnes, quorum duntaxat sit ministrare: & Ecclesiasticus Maior ille est in verbis Domini, qui maximè alijs ministrando laborat; docendo, instruendo, Sacramenta administrando, à peccatis purgando; non autem iurisdictionem
B talem, qualis est Regum etiam legitima, & iusta exercendo: vt propterea inter vos nullo sit opus principe, nullo Maiore, quia omnes estis Ministri æque ad Ecclesiastica munia obeunda deputati. Nam si ego qui sum vestrum, & totius Ecclesiæ caput, & Rex Spiritualis, ad hoc natus, & missus à Patre; nihilominus totus occupor, non in imperando, aut dominando, sed in ministrando; quanto magis vos, qui estis meri ministri mei, in hoc solo debetis insistere, & toti in ministerium ad quod vos elegi incumbere? [a] Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Iam tandem ergo capite, vos inaniter de Primatu, inter vos, contendere, & decertare; qui omnes non ad dominandum, sed ad ministrandum, & seruiendum à me electi estis, & ordinati. [b] Nolite vocari magistri; aliàs dixerat, Vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.] Nullus itaque Apostolus est reliquorum Apostolorum Magister, sed omnes sunt inter se fratres. Vbinam igitur Petri Primatus, & superioritas inter Apostolos?

a Luc.22.

b Matth.23.

C Origenes hunc ipsum Euangelij locum ita exponit, vt velit ex ipso palam fieri, [c] Prælationem Ecclesiasticam totam, ministerio, & seruitute peragi. Ipsum opportunius infra lib. 5. cap. 2. huius operis produco. Bernardus etiam, vt ibidem ostendo, Dominatum omnem ab Apostolico munere segregauit, & solum nudum Apostolis tribuit ministerium: Ac sane non ex humilitate, sed ex veritate Euangelica literali, ex hoc loco, Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic. Hac dere supra etiam c. 2. huius libri sunt a me non pauca pertractata.

VI.

c Orig. Hom. 6. in Isa.

Iam verò illud obsecro, Dicant mihi Monarchici, Si aperte Dominus Petrũ constituit, aut saltem designauit Monarcham Ecclesiæ, quando ei coram omnibus dixit, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: &, Tibi dabo claues Regni cœlorum,] vt ipsi contendunt; Cur postea cogitant, & disputant, & inquirunt, & contendunt,
D quis ipsorum sit maior? Cur Ioannes, & Iacobus petunt primas sedes apud Christum, si iam Petro datam, aut saltem promissam, & obligatam sciebant primam sedem? Cur [d] indignantur decem, inter quos erat & Petrus, audita duorum fratrum petitione? Non enim indignantur ex ambitionis detestatione, sed, vt scribit Iansenius, [e] Sicut duo fratres carnaliter petierunt, ita & reliqui decem (*ergo & Petrus*) carnaliter indignati sunt de petitione illorum, quod scilicet peterent præponi alijs, cum cæteri non minus primatũ ambirent, eumque sibi quisque speraret.] Siue indignantur omnes, quia vt exponit [f] Cyrillus, omnibus æque iam promissum fuerat præmium æquale, æqualis honoris, & dignitatis; Dixerat enim Christus, [g] Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, &c. Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel. Quibus auditis nimis ambitiosi filij Zebedæi voluerunt ad se solos trahere, & rapere, quod omnibus iam fuerat promissum: Ideoque indignantur cæteri, quod duo soli fratres petunt sibi solis id quod ipsis omnibus à Christo promittebatur. Baronius difficultatem puto subodoratus, vt illam effugiat, ita scribit; [h] Est obseruatione dignum, nunquam Apostolos de primatu
E quæstionem mouisse, nec indignè tulisse Petrum præpositum cæteris esse: verum haud æquanimiter tolerare potuisse Ioannem, vel Iacobum fratres apud Christum primos haberi.] Si negat de primatu inter omnes, etiam incluso Petro, quæstionem sæpius motam ab Apostolis, fallitur; non enim de solis Iacobo, & Ioanne quærunt quis sit maior: neque de ijsdem queruntur quod Petrum vellent de sua sede deturbare, & seipsos in ea collocare; sed omnes decem, etiam Petrus, [i] indignantur, vt vidimus, quia ipsi etiam magnos à Christo honores expectabant. Sed esto etiam de Iacobo, & Ioanne conquerantur, vt Petrus in sua remaneat sede, quem primum esse æquanimiter ferebant: quomodo Iacobus

VII.

d Matth.20.

e Iansen. in Concor. c. 104.

f Cyrill. l. 10. Thes. c. 5.

g Matth. 19.

h Baron. Tom. 1. Ann. 34. n. 32.

i Marc. 10.

bus & Ioannes primas sedes petunt, si iam Petrum in prima collocatum esse sciebant? Si ergo volebant Petro etiam præferri, non agnoscebant in eo Primatum vllum, neque in actu, neque in promissione: nam dum vnus petit dextram, certè immediatam & proximam & adhuc vacantem; alter sinistram similiter proximam, quem locum relinquunt Petro? & obiurgatio Christi cadit in omnes, etiam in Petrum. Nullus ergo ipsorum ad vllum primatum fuerat euectus, quandoquidem de illo omnes æquè certant. Ad quem tamen neque imaginarium, neque verum, vllus ipsorum erat peruenturus: non ad imaginarium temporalem, quia Christus temporalem Mundi gubernationem non suscepit: non ad verum Spiritualem & Ecclesiasticum, quia in Ecclesia Primatus verus, cum dominio & iurisdictione humana, nullus est: & Prælatio illa quæcunque est, in vno solo non erat, sed æquè in omnibus Apostolis eminebat. Huc adde, si placet, ea quæ ex Hieronymo sunt à me [a] supra adducta & ponderata, de errore Apostolorum. Et Chrysostomus [b] censet Ioannem & Iacobum de maioritate inter Apostolos fuisse solicitos, quia eam Petro in Christo datam, ex coniecturis suspicabantur.

a *Supra c. 9. nn. 6.*
b *Chrysost. in Matt. hom. 59.*

A

B

VIII.

Obijcere nobis possent, eundem Chrysostomum in illa duorum fratrum petitione, Primatum aliquem inter Apostolos agnoscentem, dum sic ait, [c] Quanquam omnes fuerint Apostoli, omnes super sedes duodecim sessuri sint, omnes sua reliquerint, omnes simul cum ipso versati fuerint; tamen tres ex illis accepit. Rursus & horum trium quosdam eminere & excellere dixit, sedere enim à dextris, inquit, & à sinistris non est meum dare, nisi quibus paratum est.] Sensus enim Chrysostomi ille videtur: Ex duodecim Apostolis priuilegiati fuerunt tres, Petrus, Iacobus, & Ioannes; atque horum duobus, nempe Iacobo & Ioanni dictum est à Christo, sedere à dextris & sinistris non est meum dare vobis, sed quibus paratum est:] Igitur paratum erat, vt alicui ex ipsis daretur dextera; & iste profecto excellebat. Sed hinc nihil habemus de primatu in Ecclesia militanti: loquitur enim Chrysostomus de Primatu gloriæ, qui tamen præsupponat Primatum virtutum & laborum in hac vita: & ita inter Apostolos admittit inæqualitatem, & excellentiam personalem, in virtutibus & meritis, quibus ex promissione Christi, debetur merces gloriæ. Quamuis dum Chrysostomus arctat dictum illud Christi, sedere à dextris & à sinistris non est meum dare, ad solos illos tres, videatur non nihil durum: optimè enim ostendit Iansenius, [d] ibi neque excludi duos illos fratres, neque de illis solis intelligi illud, *quibus paratum est*: sed esse sermonem generalem, dextram, & sinistram cœlestis gloriæ, non esse dandam ex mero arbitrio, & libera voluntate Christi, sed pro meritis, vt qui maximè meritis excelluerit, ipse proximus Christo in gloria sit futurus.

c *Chrys. hom. 31. in Epist. ad Rom. c. 16.*

C

d *Iansen. in Concor. c. 104.*

IX.

Addo verò idem Chrysostomi dictum, ab eo fuisse alibi, cum sensu tamen prorsus contrario repetitum. Ait enim; [e] qui tamen cum esset orandi gratia secessurus, tres secum sumpsit; alioquin, hos inter, neminem præstare asserit, cum dixit, Sedere autem ad dexteram meam, &c.] Sed hoc etiam loco agit de inæqualitate meritorum inter Apostolos, imò etiam inter illos tres priuilegiatos; & ratio ex sessione deducta idem probat: & vtrobique Petrus alijs præfertur in amore erga Christum illis verbis, Petre, amas me plus his? Ioannes verò etiam ipse vtrobique alijs præfertur, in eo quod plus quam cæteri à Christo amaretur. Iam igitur satis clarè, & apertè habemus Primatum inter discipulos, non modo nullum fuisse, sed etiam à Christo expressè prohibitum, & reprobatum. Nunc verò etiam aliunde demonstremus in sacris Scripturis Petrum nullum habuisse supra cæteros Principatum. Occurrit verò mihi ille Euangelij locus, vbi Christus inquit; [f] Si te non audierit, dic Ecclesiæ.] Chrysostomus hoc loco nomine Ecclesiæ, [g] dicit intelligi Præsules & præsidentes; ergo præter Petrum erant alij Ecclesiæ Præsules & Præsidentes; ergo non solus Petrus; puta Apostoli & Presbyteri: & de his omnibus simul sumptis, sub nomine Ecclesiæ subinfert Christum, Quæcunq; alligaueritis, &c. & non dicit amplius soli Petro ibidem præsenti, imò cum quo fortasse immediatè tunc loquebatur, Quodcunque ligaueris, &c. Quis itaque non videt Petrum etiam à Chrysostomo includi in numero Præsulum, & præsidentium, non verò præferri nec præfici?

e *Chrysost. de præmijs sanctorum.*

D

f *Matth. 18.*
g *Chrys. hom. 61. in Matth.*

E

X.

Petrum igitur nusquam hactenus reperire potuimus Principem & Monarcham Ecclesiæ, ac solum Christi Vicarium, in ipsa Ecclesia constitui, aut declarari, aut saltem supponi. Nunc verò vlterius ostendimus, ipsum nunquam in terris hunc suum Primatum exercuisse; vbi præsertim, si Primas is fuisset quem nostri prædicant, eum omnino se pro tali gerere oportuisset. Et quamuis sæpius in præcedentibus, vbi sese aliqua obtulit occasio, alia tractantes, hoc ipsum, & in sacris Diuinis Scripturis, & in Sanctis Patribus pene oculis

iam

A iam perspeximus, & manibus contrectauimus, nunc tamen plenius rem, vti proprio loco, persequemur. Ac primum quidem, cum Ecclesia iam esset numerosior, & opus esset ad eius bonum regimen nouorum ministrorum institutione, num Petrus solus suam in hoc exercet potestatem ad Diaconatum inducendum. [a] In diebus illis, *habet Diuina Scriptura*, crescente numero Discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eò quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum dixerunt; Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu Sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus: Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni B multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; & orantes imposuerunt eis manus.] Itaque primos illos septem Diaconos, omnes Apostoli, communicato inter se consilio, & instituerunt, & manuum impositione confirmauerunt. [b] Credendum est, *inquit Bellarminus*, id factum esse Petro autore, vel certe consentiente.] Quid obsecro in re clara diuinandum? An Lucas, qui rem narrat, odio in Petrum, male fidus historicus, rem vti proprie gesta est, occultauit. Et quod autore Petro actum est, omnibus simul tribuit Apostolis, siluitque Petrum huius consilij autorem? Nonne dicit omnes duodecim, inter quos est & Petrus, hoc negotium simul aggressos? Hic plane constat Petrum seorsim in hoc nullam habuisse propriam actionem. Illo verò consentiente, id factum, non est dubium. Si enim duodecim conuocauit multitudinem, & imponunt manus super nouos Dia- C conos, cum Petrus sit vnus, imò primus ex duodecim, ipse etiam simul & in solidum cum alijs, & conuocauit, & consensit, & manus imposuit. Num verò propterea sequitur ipsum fuisse & autorem, & Principatum gessisse? Tunc, *inquit Bellarminus*, derogaret id eius Primatui, si probaretur factum eo nolente, & inuito.] Si eo nolente & inuito Apostoli hoc fecissent, positiue hinc probaremus Petrum non habuisse Primatum, nimirum ex actione positiue contraria eius Primatui. Nunc verò negatiue idem probamus; quia cernimus actionem ad ipsius Primatum pertinentem ab omnibus Apostolis fieri, & non à Petro solo; quam procul dubio ipse solus fecisset, & facere aut committere alijs debuisset, si ipsi soli totius Ecclesiæ Regimen plenarium commissum fuisset; fuit enim illa vna ex maxime principalibus actionibus ad regimen Ecclesiæ pertinentibus; hinc colligimus Petrum solum toti Ecclesiæ non præfuisse.

Deinde habemus etiam in sacra Scriptura illud; [c] cum autem audissent Apostoli qui e- XI. D rant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem.] Quomodo ergo Petrus caput est & Princeps super Apostolos, si Apostoli de ipso disponunt, & mittunt in Samariam? Respondet [d] Eckius, etiam in Diuinis filium dici mitti à Patre; & tamen esse Arianismum inde colligere Patrem esse maiorem filio. Et Senatores solent mitti à Plebe; & Herodes misit Magos in Bethleem, in quos nullam habebat autoritatem. Ita ferme etiam [e] Baronius. Bellarminus verò, vt in hoc saluet primatum Petri, ait, [f] Respondeo nomen missionis non necessario significare subiectionem in eo qui mittitur. Dicitur enim mittere quicunque est autor alicui vt eat, siue id faciat præcepto, siue consilio, & suasione. Quomodo & par parem, & minor maiorem aliquando mittit. Ita [g] Herodes Magos: & [h] populus Iudæorum sacerdotem summum Phinees. Igitur miserunt Apostoli consulendo, & suadendo, Petrum ad Samaritanos.] Hæc Bellarminus. Ego E tamen in humanis (mitto enim ineffabiles illas in diuinis missiones, cum simus in humanis) vix percipio veram missionem, sine aliqua autoritate in mittente, & superioritate supra missum: rogare enim, & consulere, reuera non est mittere: & quando plebs mittit senatorem si ibi est Democratia, est etiam autoritas, & iurisdictio in Plebe, supra Senatores; alioquin non mittit, sed rogat, vt Senator ipsius plebis causam apud Principem agat, vt factum est etiam in Phinee: Præterquam quod Senator, siue Sacerdos, quando est vnus ex Communitate, inferior est tota Communitate. Herodes verò aut orabat Magos; & illud, *Ite*, non erat imperantis, sed rogantis, seu permittentis, & non impedientis; aut forte etiam imperabat, quia Rex in sua ditione censetur habere autoritatem supra quemcunque, qui in ea reperiatur; siue aduena sit, siue inquilinus. Nonne dicunt Iurisperiti, vbi fit delictum, ibi delinquentem forum sortiri? subditur ergo etiam aduena. Tyrannus præterea, qualis erat sanguinarius ille Herodes, imperat pro libidine, etiam vbi non habet autoritatem.

[a] Act. 6.

[b] *Bell. de Rom. Pont. l. 1. c. 16.*

[c] Act. 8.

[d] *Eckius l. 1. de prim. Pet. c. 28.*

[e] *Baron. tom. 1. an. 33. num. 11.*

[f] *Bell. l. 1. de Rom. Pont. c. 16.*

[g] Matth. 2.

[h] Ioſu. 22.

Minor

Minor verò propriè suum maiorem, & superiorem, mittere nunquam dicetur, si orèt, vt dixi: præsertim verò vbi est sermo de supremo Domino, & Principe qui supra se alium non cognoscat. Esto tamen sæpè missio non supponat autoritatem, & superioritatem in mittente, & specialiter hæc missio quam nunc præ manibus habemus, nullam significet subiectionem in misso, respectu mittentis (quamuis reuera tota Ecclesia autoritatem habeat in quodcunq; singulare membrum,) nihilominus missio hæc, si non arguit inferioritatem in misso, arguet saltem non superioritatem: & hoc nunc sufficit, atque ad hoc solum missio hæc profertur, vt pateat Petrum non fuisse Monarcham illum, & Principem absolutum, & supremum in Ecclesia: siquidem legetur ab Apostolis in Samariam. Si enim Collegium Cardinalium mitteret Papam in aliquam legationem, proculdubio maximum fieret præiudicium ipsius autoritati Papali. Possent enim rogare, & persuadere; ille tamen nunquam diceretur missus à Cardinalibus, sed diceretur profectus rogatus à Cardinalibus. Satis igitur habemus ex hac missione, vnde colligamus paritatem inter Petrum & Apostolos; & Petrum non fuisse superiorem ipsis, si non possumus colligere, fuisse subditum & inferiorem, nempe vt vnus quiuis Apostolus subijcitur reliquo vniuerso Apostolorum Collegio. Si enim fuisset superior, visa illa necessitate, & maxima dilatandæ fidei opportunitate, vel ex seipso eò profectus fuisset, si suam maximè operam requiri ibi animaduertisset; vel alios pro ipsius arbitrio, siue etiam consultis cæteris Apostolis, ipse tamen ad illud opus destinasset.

XII. Orta grauissima quæstione Ecclesiastica, num circumcisio esset adhuc necessaria, illis præsertim qui ex Gentibus ad Christi fidem conuertebantur, Paulus, & Barnabas [a] statuerunt vt ascenderent ad Apostolos, & Presbyteros in Hierusalem, super hac quæstione] Cur (quæso) ad Apostolos & Presbyteros, & non ad Petrum? si Petrus solus locum Christi propriè tenebat, ad ipsum erat confugiendum, & non ad Apostolos, & Presbyteros. Quid tibi videtur (Lector) dum pro grauissima quæstione recurritur ad Apostolos, & Presbyteros, & non ad vnum quempiam; sapitne tibi hoc Monarchiam, an Aristocratiam? Si Christus Monarchiam in sua Ecclesia reliquit, cur illa Aristocratice ab Apostolis & Presbyteris gubernatur? Sed videamus an fortasse ad Petrum solùm peruenerint, & ab eo solutionem quæstionis acceperint. Cum autem, *inquit Lucas*, venissent Hierosolymam, susceptisunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & Presbyteris, siue Senioribus.] Deliberatio verò à quo facta est? Num fortasse Petrus conuocauit Apostolos, vt consultatione inita, ipse tamen quid facto opus esset decerneret? Ita tamen fieri debuit, si Petrus erat solus Vicarius Christi generalis. Sed dicit Scriptura; Conuenerantque Apostoli, & Seniores, *hoc est, Presbyteri*, videre de Verbo hoc.] Audis, conuenerunt videre; non consilij tantum causa, sed Decreti: & quamuis Petrus, vt primus Apostolus, & omnibus senior, & quasi Decanus Collegij Apostolici, primus dicit sententiam, quam & confirmat, & corroborat Iacobus, & superaddit ei aliquid; tunc tamen placuit Apostolis, *ait sacra Historia*, & Senioribus, cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam, cum Paulo & Barnaba, Iudam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus.] Non ergo Petrus legatos tam graues, in grauissima Ecclesiæ causa eligit, & mittit; sed omnes Apostoli, & Presbyteri, cum tota illa Ecclesia rem decernunt. Cuius nomine fuit expeditum illud Breue? an Petri, & sub annulo Piscatoris? Minimè verò. Audi. Scribentes per manus eorum Apostoli, & seniores fratres, ijs qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem. *Et paulo post*; Visum est Spiritui Sancto, & nobis.] [b] Paulus verò, non multò post, electo Sila, profectus est traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam, & Ciliciã, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.] Certum porrò est hæc esse illa præcepta, qui decreta fuerunt in hoc Concilio; de quibus & illud; [c] Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Hierosolymæ.] Non ergo à Petro solo: non enim de Petro seorsim vlla amplius mentio facta est; nam etiam Petrus inclusus est cum cæteris, verbis illis, *Apostoli*, &, *Nobis*. Hæccine est Monarchia. Audiamus Cyrillum Hierosolymitanum; [d] Nam propter eam, *inquit*, quæ fuit Antiochiæ quæstionem, qui dicebant necessarium esse circumcidi, & legem Moysis seruare; Paulo & Barnaba misso Hierosolymam, Apostoli, qui hic erant in Hierosolymis, omnibus legalibus, & typicis rebus, per scriptam Epistolam, vniuersum orbem liberârunt. Num data illis erat tantæ rei autoritas? sed fatentur scripto Misso; Visum est Spiritui Sancto, & nobis: per quod scriptum hoc apertè declarârunt; quod tametsi ab hominibus Apostolis hoc erat scriptum, sed ex

a Act. 15.

b Act. 15.

c Act. 16.

d Cyrill. Hier. Catech. 17.

A ex Spiritu Sancto, & œcumenica est constitutio.] De Petro verò nihil.

Maxima præterea illa Pauli [a] libertas, in reprehendendo publicè Petro, quod Gentes cogeret Iudaizare, *mihi videtur* plurimum Petri primatui derogare. Veram enim, & non ex composito simulatam, vt voluit Hieronymus, fuisse illam reprehensionem, cum Cypriano, Augustino, & alijs plurimis, admittit etiam [b] Bellarminus. Et Hieronymus acerrimus in hac re contra Augustinum disputator, victus fortasse momentis rationum, alias & ipse videtur subscripsisse. Ait enim, [c] Digna pœnitentia (*Onesimus*) maculas vitæ prioris abstersit, in tantum, vt is Apostolus conuersionis eius testis fieret, qui quondam Petrum increpauerat, non recto pede in Euangelij veritate gradientem.] Sed potest, *inquit Bellarminus*, minor maiorem reprehendere, vbi causa postulat, & debita seruetur reuerentia.] Atque hinc soluit nostrum argumentum, vt id totum factum fuerit, citra vllum sum-

B mi primatus Petri præiudicium. Quomodo verò debitam seruauit Paulus reuerentiam erga supremum totius Ecclesiæ caput, erga vnicum verum, & proprium Christi Vicarium, erga illum ad cuius solius nutum Vniuersa totius Ecclesiæ spectaret gubernatio; vbi palam in faciem ei resistit, obiurgat, increpat? Esto, errauerit; error tamen supremi Principis à subdito eius palam, & cum autoritate non reprehenditur; sed vtendum est priuatis insinuationibus, cum magna prudentia, & reuerentia. Ac sanè si inter Paulum & Petrum non fuisset paritas; sed Petrus fuisset totius Ecclesiæ Princeps, non video quomodo Paulus posset à magna imprudentia, & nimia audacia, atque arrogantia, imò & procacitate excusari; vt habes inferius num. 21. clarè explicatum.

Sed ex alia etiam causa, reprehensio hæc à Paulo facta, primatui Petri obest plurimum

C Istene est ille Petrus, id est, illa petra super quam fundanda erat Ecclesia, cui soli volunt Monarchici, post Christum inniti totum Ecclesiæ ædificium; nunc verò factum ruinosum fundamentum, non ambulat rectè ad veritatem Euangelij? Destruebat profectò, si Paulo credimus, non ædificabat Ecclesiam, dum Gentes ad fidem venientes Iudaizare compellebat. Ex quo & conuersis [d] Christus nihil proderat: & conuertendi à conuersione abterrebantur, nimia legalium austeritate. Hicne ille Petrus, cui commissa dicitur cura vel ipsorum Apostolorum, verbis illis Christi; [e] Confirma fratres; Nunc verò, iam post susceptum plenè principatum, ipse eget confirmatione, correptione, & instructione à nouissimo Apostolorum? Decipiebant nos igitur illi, qui ad Petri Personam nos docebant illa Christi verba spectare, [f] Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portas inferi aduersus hanc petram, quæ sit Petrus, non prævalituras. Et benè dicebat Augustinus (quod sæpè, sed nunquam satis, à me inculcatur) [g] Nihil illustre dari Petro *in* ipsius persona,

D nisi id ad totam Ecclesiam referatur, Sed & de hoc rursum erit nobis libro septimo agendum.

Negat tamen [h] Baronius, Petrum errasse verè & propriè, in eo in quo fuit à Paulo reprehensus; & tamen meritò Paulum ei succensuisse concedit. [i] Gloriaturque se, de antiquissima, atque in ore omnium versata, multisque chartis tractata quæstione, legitimum, eundemque germanum historiæ sensum restituisse: ea posita explicatione, nimirum; [k] Licuisse Apostolis, absque vlla leuissima culpa, secundum loci & temporis rationem, vti legalibus; hacque licentiâ Petrum sine culpa, optima oblata opportunitate vsum; timentem ne Iudæi illi offenderentur, qui à Iacobo Hierosolymis venerant Antiochiam; qui & ipsi Hierosolymis, licet iam Christiani, adhuc tamen legalibus multis vti permittebantur: scandalo verò graui turbati fuissent, si Petrum ipsorum proprium Apostolum vidissent quasi ab eis defeciisse, & Gentilibus Christianis adhæsisse: ideoque cum subtraxisse se à

E Gentilibus, & ad illos hospites Hierosolymitanos se recepisse, cum legalium circa cibos obseruatione. Hos verò quia ex accidenti, & inopinato, ac præter intentionem ipsius Petri incommodè cecidit, & pernicioſum peperit effectum, meritò Paulum perturbasse; quia Gentiles, Petri exemplo moti, ad iudaizandum mouebantur: Iudæi verò Christiani etiam ipsi, eodem Petri exemplo subtrahebant se à Gentilibus fratribus, cum aperto schismate, & magna dissensione ac confusione: Quinetiam Barnabas, proprius Gentium Apostolus, & ipse Petri secutus exemplum, iudaizando, à conuictu Gentilium Christianorum abstinebat, cum graui ipsorum scandalo & perturbatione: vnde & ipsi legalia sibi etiam necessaria esse, perperam animo concipiebant, & opere complebant, cum oppressione Euangelicæ libertatis. Ideoque Paulum excanduisse in Petrum, & factum cœpisse acrioti obiurgatione detestari, vbi tamen Petrus omni prorsus culpa vacaret, quia præter ipsius spem id acciderat. Viso tamen malo effectu illius suæ simulationis, qua ad vitandum Iudæorum scandalum seruabat

XIII.

a Gal. 2.

b Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 16.

c Hieron. in Epist. ad Philic.

XIV.

d Gal. 5.

e Luc. 22.

f Matt. 16.

g Aug. in Epist. 108.

XV.

h Baron. Tom. 1 an. 55. nu. 34. & seq.

i Idem ibid. nu. 46.

k Idem ibid. num. 39.

seruabat legalia in cibis, quæ sciebat tamen iam expirare, & ita se Iudaicè adhuc viuere fi- A
mulabat, reprehensionem illam, *inquit*, æquo animo admisit, & Paulo optima monenti, consensit.] Ita Baronius, nouo hoc excogitato ab ipso modo celebris illius quæstionis absoluendæ: & Pauli veram, non simulatam agnoscit reprehensionem; & Petrum ab omni errore liberum facit, & immunem.

XVI. Et quia vrgebat Augustinus contra Hieronymum, mendacium admitti in Sacris literis, si vera non fuit, sed simulata illa reprehensio, & redargutio; eidem Augustino Baronius
a Baron. vbi sup. n. 37. tacitum insciliæ lapsum appingit: [a] Hieronymus enim, *inquit*, non hæc dicebat, Paulum esse mentitum, & ad Galatas scripsisse mendacia; quod tunc contigisset, si quæ minime facta essent, ea perinde ac facta scripsisset, vel aliter quàm gesta fuissent: quorum neutrum Hieronymus impingit Apostolo; sed ipsum quæ vere facta, & vt facta essent scripsisse, nullatenus dubitauit. At longe aliud est à Paulo vera esse narrata; aliud B
ea quæ sunt vera narrata, per simulationem ex composito facta; quod Hieronymus & alij affirmabant autores: quod absque peccati scrupulo facere licuisse, exemplo Domini comprobarunt] Hæc Baronius.

XVII. Ego verò longe oculatiorem Baronio agnosco Augustinum, cui Hieronymi, & aliorum eiusdem opinionis sensum non dubito fuisse perspectissimum. Posita enim Hieronymi opinione, dissensionem illam & simultatem, ac obiurgationem fuisse ex composito, totam simulatam; optime Augustinus arguit mendacium in Scriptura reperiri, Paulus enim [b] scribit se in faciem restitisse Petro, & eum reprehendisse, quia reprehensibilis erat: & se vidisse quod non recte ambularent (*Petrus & Barnabas*) ad veritatem Euangelij. Hoc totum esset mendacium: resistere enim, & reprehendere, significat contranitentiam, & verum, aut saltem reputatum verum errorem: & asserere aliquem esse, vel C
fuisse reprehensibilem, significat in eo vere esse, vel fuisse veram causam cur reprehendi mereretur. Dicere verò alicui quod non ambulet ad veritatem Euangelij, significat illum vere & proprie deuiare. Quod si simulate Petrus reprehenditur de deuiatione, igitur deuiatio non erat vera: igitur scribit Paulus se mendacio vsum contra Petrum, licet etiam Petrus conniueret. Posita itaque illa simulatione, nihil horum erat verum: & ita Paulus propriè mentiretur; quia non narraret rem quæ vere fuerit; neque verum exposuit modum quo est gesta: Vt si pictum hominem alicui ostentaret, ea adhibita arte & solertia, & eo etiam animo, eaque intentione, vt ille deceptus, verum, & viuum hominem existimaret. Scimus enim quorsum Galatis illa narret Apostolus; quia nimirum à legalibus seruandis eos absterrebat, quæ Iudæi multi iam conuersi adhuc necessaria & putabant, & prædicabant; Euangelicamque libertatem plurimum turbabant: Ac ne quis ei contrarium prædicanti opponeret, vt fortasse opponebant, eum esse nouum Apostolum, & magis credendum prioribus, ac præsertim Petro, quos Hierosolymis inter Iudæos adhuc Iudaizare ab illis turbatoribus audiebant; in eo serio laborat, vt doceat, nihil minus sibi credendum, quàm cuicunque ex Apostolis, quia ipse etiam erat Apostolus immediate à Christo & instructus, & missus. Ad hoc facit totam illam narrationem, vt viderent Galatæ, & Gentiles, quam fidem deberent ei adhibere. Ac ne Petro autore errorem suum tuerentur, narrat etiam Petrum in hoc errasse; & ab eo reprehensum fuisse. Quis ergo dicat ex simulata, & non vera actione, Paulum verum, & non simulatum effectum conari, & moliri? Si illa simulatio eò facta est, vt ex composita obiurgatione Gentes instruerentur legalia iam cessasse, quod cum Paulo etiam Petrus in veritate sentiret; quid opus ista simulatione? cur non aperiebat etiam Petrus veritatem liberè? An plus credebant illi Paulo obiurganti, quàm E
Petro docenti? Cur Paulus non potius consensum Petri in eadem veritate Galatis explicat, sed fictam eis reprehensionem pro vera obtrudit? Bene ergo Augustinus Hieronymum intellexit, & bene opposuit mendacium in Scriptura admissum iri, si simulata fuit, & non vera acrior illa Pauli obiurgatio.

XVIII. Sed neque satis excusat Petrum Baronius nouo illo ipsius post tot insignes summorum virorum concertationes inuento: neque in eo sibi tantopere complacuisset, si Theologicam de [c] Scandalo doctrinam intimè fuisset perscrutatus. Non enim semper excu-
c 2.2. q. 43. a. 1. & 2 & alij. sat à peccato bona intentio, seu carentia malæ intentionis: & præsertim in materia scandali. Est enim scandalum verum, & proprium, cum quis directe, & immediate, intendit lapsum proximi, & ad hoc aliquid operatur vt proximum labi faciat in peccatum: sed etiam est scandalum, & cùm peccato, quando quis, licet non intendat peccatum alterius, facit tamen opus aut ex se malum, aut apparenter, ex quo scit, aut scire debet, consecuturum

A cuturum alterius peccatum, aut quodcunque malum; nam etiam dicitur illud voluntarium interpretatiue. Et opus nostrum quoties siue natura sua, siue ex superaddito accidente alicuius circumstantiæ, est inductiuum proximi ad peccatum, siue causatiuum magni mali, siue turbatiuum boni spiritualis, siue impeditiuum fidei, &c. quamuis etiam effectus non sequeretur, malum est, & peccatum. Tale fuit opus Petri: si enim iam indifferenter versabatur cum fratribus Gentilibus, & cum libertate Euangelica, legalia onera in circumcisione, & ciborum delectu contemnebat; & iam fortè præcesserat magna illa turbatio & dissentio inter Christianos ex Iudæis, & Gentilibus, pro qua sedanda celebratum iam fuisse primum Apostolorum Concilium concedit, imò & contendit [a] Baronius; & [b] statutum ne legalibus Gentiles obligarentur, quis non videt subtractionem illam Petri qua repente cœpit abstinere ab ipsis Gentilibus, & cum suis hospitibus Iudaizare, fuisse
B tunc inductiuam scandali, ob ipsius autoritatem, qui erat primus Apostolus, & prima columna; & innouatiuam dissensionum, & consequenter malum, errorem, & peccatum? Locus enim, tempus, & personæ tunc maximè Iudaizandum non esse, apertissimè declarabant: & hoc sciebat, & aduertebat; aut saltem scire & aduertere tenebatur ille, qui inter Apostolos primus erat. An leue tibi malum videtur Diuinam autoritatem, & reuelationem in dubium reuocare; & in Apostolica doctrina, schisma inducere? Prædicat Paulus suis Gentilibus, legalia cessasse: conuersatione sua Petrus contrarium docet: vterque est Apostolus à Christo immediatè missus & instructus. Auditores Pauli Petri exemplum magis sibi sequendum putant, quam Paulo contrarium docenti credendum. Vnde Paulus igitur suam doctrinam ex Christi reuelatione habitã cogitur commendare: quam Petri exemplum destruebat? & mendacẽ faciebat: & hic non erat error grauissimus, Pauli deprimens Apostolatum? Aut ergo Petrus in sua Iudaizatione grauiter errauit, aut Paulus longe grauius peccauit in sua Petri reprehensione. Valeat igitur Baronius cum sua excusatione: & Augustinum cum Cypriano, & alijs grauissimis venerandæ antiquitatis Viris, longe acutiorem in hanc quæstionem obtutum defixisse fateatur: siquidem etiam Hieronymus ipse, vt Paulo ante dixi, errorem Petri visus est confiteri. De quo ipsius humano errore, erat enim homo, non Deus, ex multis autoritatibus, quas habemus, seligam, quæ mihi vtiæ fuerint insigniores.

[a] Baron. tom. 1. ann. 51. n. 4. & 40.
[b] Act. 15.

XIX.

Cyprianus: [c] Non est autem, *inquit*, de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum; nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, se vindicauit, &c. nec despexit Paulum quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilio veritatis administrationis legitimæ quam Paulus vindicabat, facilè consentit: documentum scilicet nobis &
D concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & Collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima ipsa potius amplectamur.] Hucusque Cyprianus, in quo obserua, obsecro Lector, Petrum circumcisionem Gentibus necessariam censuisse: Paulum legitimè, & pro veritate sine fictione tunc decertasse: Petrum, quippe reum, patienter reprehensionem illam tulisse: Petrum tuisse errori obnoxium, quem si admonitus defendisset, pertinacem futurum fuisse: Paulum fuisse fratrem, & Collegam, non subditum Petri: Petrum etiam aliorum consilio, & correctione indiguisse. Hæc omnia in paucis Cypriani verbis continentur.

[c] Cyprian. ad Quintum.

XX.

Augustinus, consideratis his Cypriani verbis ad rem suam facientibus, illud subiungit:
[d] Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sacris didicimus, Apo-
L stolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quam veritas postulat, de circumcisione agere solitum, à posteriori Apostolo Paulo esse correctum, &c.] Et paulò post; Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam postea Ecclesia tenuit, cogere gentes Iudaizare, cur non potuit, &c.] Et post pauca; Veruntamen, si quisquam nunc cogat circumcidi aliquem more Iudaico, & sic baptizari, multò amplius detestatur hoc genus humanum, quam si aliquis cogatur rebaptizari. Quapropter cum Petrus illud faciens à Paulo posteriore corrigitur, & pacis atque vnitatis vinculo custodito, ad martyrium prouehitur.] In his verò Augustini dictis, præterquam quod confirmat & ipse de circumcisione fuisse etiam tunc illam dissensionem; illud potissimum etiam vellem obseruari, Augustinum, sicut & Cyprianum, inter Paulum & Petrum nullam aliam maiorem distantiam reperisse, nisi quod Petrus esset prior, Paulus posterior, nempe tempore in Apostolatu. Ac de hoc Petri errore multis alijs in locis agit Augustinus, præsertim libro quarto de Baptismo cont. Donat. cap. 6. & lib. 6. c. 2. & l. 7. c. 1. & cap. vlt. lib.

[d] Augustin. l. 2. de Bapt. contr. Donat. c. 1.

de

de vnico Bapt. contra Petilianum cap. 13. & in Psal. 55. præter Epistolas plures huius concertationis cum Hieronymo. His subiungi potest [a] Macarius senior Aegyptius, antiquus Pater, qui in hoc Petri facto verum agnouit errorem. A

[a] Macar. hom. 27.

XXI. Glossa interlinearis ad ea verba Epistolæ ad Gal. c. 2. In faciem ei restiti : Hanc continet explicationem. Quod non auderet nisi se non imparẽ sentiret.] Quæ verba Gratianus tribuit Hieronymo hoc pacto. [b] Paulus Petrum reprehendit : quod non auderet nisi se non imparem sciret.] Similia habet & Ambrosius, [c] Nam quis eorum, *inquit*, auderet Petro primo Apostolo, cui claues Regni cœlorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis qui fiducia electionis suæ, sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat ?] Ergo & vera fuit reprehensio, de vero errore. Et Paulus id non fecisset si Petrum supremum Ecclesiæ Monarcham agnouisset ; sed quia parem nouerat, palam obiurgat.

[b] 2. q. 7 cap. Paulus.
[c] Ambr. in ep. ad Gal. c. 2.

B

XXII. Gelasius Romanus Pontifex antequam sibi Ecclesia Romana supremam Monarchiam adscriberet, ita loquitur; [d] Sanctus Petrus primus Apostolorum, sic existimans noui testamenti gratiam prædicandam, vt à legis veteris non recederet institutis, quædam per simulationem legitur inter Iudæos Gentilesque gessisse. Numquid ideo aut illa eius sequenda sunt, quæ meritò, & coapostolus eius facta redarguit, & postea consequenter ipse vitauit ; pariterque assumenda sunt cum his, quæ (vtpote primus Apostolus) salubria prædicauit? Nunquidnam aut eius recta doctrina, cum his quæ humanitus acciderant repudianda est ; aut illa adhuc imbecillis inscitia, cum perfecta eius suscipienda est doctrina?]

[d] Gelas. tom. de anath. vin. init.

Gregorius, [e] Certe Paulus, *inquit*, qui se [f] legi mortuum per legem dicit, quia vt in Christo crederet, ei hoc & lex ipsa prædicauit, magno fidei ardore succensus, præcepta legis tenere carnaliter noluit, circumcisionem in Gentibus fieri vetuit. Et cum Petrus Apostolus seruari adhuc in circumcisione legis consuetudinem vellet, ei in faciem restitit ; eumque hac in re fuisse reprehensibilem dicit. Et in hoc eius studium, discipulis loquens, non solum culpam, sed, quod est magis, hypocrisim, id est, simulationem nominat. Ecce Paulus in Epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem ; & ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in ijs quæ scripserat admirandum. Certe enim nisi legisset Petrus Pauli epistolas, non laudasset : si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis dicitur, inuenit. Amicus ergo veritatis, laudauit etiam quod reprehensus est, atque ei ad hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat, sensit.] Pulchra est illa Gregorij (etiam Romani Pontificis) obseruatio, Petrum legisse Pauli Epistolas, easque laudasse, licet in ijs videret vniuerso orbi promulgari se fuisse reprehensum à Paulo, quia & erat reprehensibilis.] Mirum verò quod Petrus, hoc est summus Ecclesiæ Monarcha, & supremus Christi, ac Dei Vicarius, illam Pauli Epistolam ad Galatas, in indicem expurgatorium statim non coniecerit ; quippe ipsum primum, & supremum Papam adeo deprimentem, & ipsius errores exaggerantem. Certe Petri Successores tales epistolas, & libros, qui ipsorum errata, & reprehensiones rationabiles continent, iam ferre nolunt : proscribunt eos & diris deuouent. * Expectandum profecto, vt si planè nostri Papæ viderint ex Euangelio Canonico Papatum destrui, Euangelium etiam ipsum in prohibitorũ librorũ indicem detrudant. Hæc obiter... Quomodo ergo tota Ecclesia super vno Petro dicenda est inniti, qui adeo labilis est, vt in ipso limine offendat? Huic Paulinæ reprehensioni subnecto etiam ; Tum quod idem Paulus, cum insigniores Apostolos nominat, [g] Petrum alijs postponat ; vt vbi primo loco ponit Iacobum, post illum Cephan, & deinde Ioannem. De quibus tribus, & non de Petro solo dicit, Qui videbantur columnæ esse. Iacobo ergo, & Ioanni Petrum exæquat. Tum quòd Iacobus, Cephas, & Ioannes dextras dederint societatis ipsi Paulo, & Barnabæ ; vt hi in gentes illi verò in circumcisionem ferrent Euangelium. Illæ dextræ societatis Petri summum imperium non admittunt. Tum demum quòd Paulus dicat ; [h] Nihil minus fui ab ijs, qui sunt supra modum Apostoli.] Quæ verba maximum faciunt primatui magno Petri præiudicium.

[e] Greg. hom. 18 in Ezechiel.
[f] Rom. 7.

C

D

* Etiam antequam edantur ; vt nunc primum huic nico contigit Operi.

[g] Gal. 2.

E

[h] 2. Cor. 12.

XXIV. Nunc vero ex comparatione Petri cum Paulo, videamus an in Petro solo Patres agnouerint positum Ecclesiæ Principatum. Ac sane si Petro dicitur, [i] Pasce oues meas : vnde ei totius Ecclesiæ cura commissa intelligatur ; Paulus ipsemet fatetur se premi cura & [k] solicitudine omnium Ecclesiarum. Præstat tamen in his comparationibus Patres audire : Irenæus ; [l] Ipsius, *inquit*, (*Dei*) Petrus erat Apostolus, cuius & Paulus.] Vbi Petrum reducit ad paritatem cum Paulo ; disputat enim contra illos, qui solum Paulum dicebant ex Apostolis

[i] Io. 21.
[k] 2. Cor. 11.
[l] Iren. l. 3. adu. Hær. c. 13.

A postolis veritatem cognouisse. Non tamen eum præfert Paulo. Autor Constitutionum Apostolicarum Apostolos omnes inducit Petrum, non Principis, supremique supra ipsos Monarchæ, sed coapostoli duntaxat nomine insignientes: Aiunt enim; [a] Ananias & Saphira, Petri coapostoli nostri sententia, morte sunt affecti.] Similiter & Gelasius modò adductus, Paulum vocauit Coapostolum Petri: Et in collecta Ecclesiæ eodem modo, Petrum & Coapostolum eius Paulum, &c.] Et collegam Petri facit Paulum [b] Augustinus: Et æque Principes Apostolorum vocantur non semel à [c] Ioanne Papa VIII. & [d] Nicolao I. Nam & Augustinus de Paulo loquens ait; [e] Verum etiam in ipso quoque Euangelio, vbi & tanti Apostolatus meruit Principatum, &c.] Monarchia tamen Petri non deberet ferre vt Paulus etiam Apostolorum vocetur Princeps: & dicatur gerere Apostolatus Principatum. Rursus Augustinus de Paulo sic; [f] Paulus Apostolus, quamuis ex persecutore factus sit prædicator, abundantiorem gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quam cæteri Apostoli.] Et tamen par fuisset Petrum, si totius erat Princeps Ecclesiæ, abundantiore supra omnes gratia donari. Origenes Paulum vocat [g] fundatorem Ecclesiarum post Christum præcipuum: Nazianzenus verò [h] Petrum & Paulum, *ait*, Verbi, & sapientiæ, & gubernationis gratiam à Christo percipere meruisse: & numerans eos qui populis præfuerunt, in Testamento nouo ponit primum Ioannem Baptistam: proximè verò duodecim Apostolos. Cyrillus Hierosolymitanus; [i] Errorem autem, *inquit*, (*Simonis Magi*) latitis se proferentem, coarguerunt duo viri boni huc perlati, Petrus, & Paulus, Ecclesiæ præfecti.] Ambrosius verò, etsi Paulum non faciat in gratia Petro superiorem, vt facit Augustinus, eum nihilominus parem facit: [k] Vna enim, *inquit*, gratia fulgebat in his quos spiritus vnus elegerat: nec Paulus inferior Petro, quamuis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens Architectus, sciens vestigia credentium fundare populorum: Nec Paulus indignus Apostolorum Collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit æqualem.] Quid clariùs? neque hic mihi quispiam æqualitatem hanc in alio, & non in autoritate regiminis ponat, ex libus adhibitis de more distinctiunculis. Si enim Ambrosius agnoscebat Petri summum Primatum, cur nos decipit, & hic Paulum ei prorsus exæquans, non monet, æqualem quidem Petro Paulum fuisse in alio, non tamen in autoritate regiminis? Dum tamen Ambrosius, & cæteri primi Patres, sæpissimè æqualitatem hanc ponunt inter alios Apostolos, cum Petro, & nunquam distinguunt in Petro hanc ipsius summam autoritatem a reliquis rebus, in quibus toties ponunt paritatem, planum est eos veram, & perfectam intellexisse in substantialibus Apostolatus æqualitatem. Vnde & rursus Ambrosius, [l] Beati Petrus & Paulus, *inquit*, eminent inter vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt: Verum inter ipsos quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione.] Leo etiam sic loquitur de Petro & Paulo; [m] Quos gratia Dei in tantum apicem, inter omnia Ecclesiæ membra, prouexit, vt eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum.] Vbinam caput illud visibile? Si membrum tantummodo est Petrus ex æquo cum Paulo, nempe oculus in Ecclesia, caput non erit.

Extollitur Petrus quod interdum; à Chrysostomo præsertim, vocetur os Apostolorum: Extollitur etiam Paulus, qui ab Ambrosio dicitur, [n] Os Christi. Rursum extollitur Petrus, quod dicatur fundamentum, & stabilimentum Ecclesiæ: Extollitur etiam Paulus ab Ambrosio, dum [o] Pauli vocationem Ecclesiæ firmitudinem esse dixit. Extollitur Petrus quod Christum plus dilexerit, quam cæteri decem: Extollitur etiam in hoc Paulus vel ipsum Petrum superasse; de eo enim ait Chrysostomus, [p] Paulus Christum dilexit adeo vt nemo vehementius.] Extollitur Petrus quod fuerit petra & firmamentum Ecclesiæ: Extollitur etiam in hoc Paulus ab eodem Chrysostomo dum dicitur, [q] Columna Ecclesiæ, petra, ferro, & adamante firmior. Vocatur Petrus à Chrysostomo [r] Coriphæus Apostolorum: eodem titulo ab [s] eodem insignitur & Paulus. Petro dicitur Ecclesia commissa: [t] Paulum verò, aut idem Chrysostomus, Electum à Deo, cui res orbis, mysteria cuncta, vniuersamque dispensationem concederet.] Quid verò amplius sentiat de Paulo in comparatione Petri idem Chrysostomus, audiamus. [u] Quemadmodum igitur, *inquit*, præputij nomine designat gentes, ita & circumcisionis nomine Iudæos: iamque se cæteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi summo comparat; declarans quod horum vnusquisque parem sortitus sit dignitatem] Et, si quis verum Ecclesiæ principem descriptum cupit legere, legat eundem Chrysostomum; non quidem

a *Constitut. Apost. l. 7. c. 1.*

b *Augustin. l. 2. de Bapt. cont. Donat. c. 4.*

c *Ioan. 8. Ep. 45. 75. 77. tom. 3*

d *Nicol. Ep. 7.*

e *Aug. l. 2. de pec. mer. & rem. c. 13.*

f *Idem in Ps. 130.*

g *Orig. l. 1. contr. Celsum.*

h *Nazianz. in Apologetico, circa medium.*

i *Cyrill. Hieros. catech. 6.*

k *Ambr. l. 2. de Sp. Sancti. in fine.*

l *Ambr. serm. 66. de Natal. P. & P. & Augustin. serm. 27. de Sanct. & Maxim. serm. 54.*

m *Leo serm. 1. in Natal. SS. P. & P.*

XXV.

n *Amb. l. 2. de pœn. c. 7.*

o *Ambr. l. de Isaac & anima cap. 4.*

p *Chrysost. l. 3. de Sacerd. nim longe abinit.*

q *Chrysost. Hō. 2. in Ep. ad Rom.*

r *Idem Hom. 29. in Ep. ad Rō.*

s *Ibid. Hom. 18.*

t *Idem ibid. Hom. vlt.*

u *Idem in Ep. ad Gal. c. 2.*

Digitized b

dem de Petro, sed de Paulo ita scribentem. [a] Ille non solum quæ sua curabat cum solicitudine, sed & quæ totius mundi: & tu quidem pro vna domo, ille autem pro ijs qui in Hierosolymis erant pauperibus, qui tot & tanti erant; pro ijs qui in Macedonia; pro ijs qui vbique pauperes erant; pro ijs qui dabant illis, non minus quam qui accipiebant Nam duplex illi cura erat pro orbe terrarum; & quomodo necessaria non deficerent, & quomodo spiritualia abundarent: & nullum sic contristant esurientes pueri, vt illum omnia fidelium negotia: Quid dico fidelium? neque enim à cura infidelium liber erat, à qua sic cruciabatur, vt oraret etiam anathema fieri pro illis, &c. Et tu quidem pro vxore vna solicitus es, ille autem pro Ecclesijs quæ per totum orbem: Dicit enim, [b] Solicitudo omnium Ecclesiarum.] *Item alibi*, [c] Quia seipsum, *inquit*, consecrauerat Deo, etiam orbem vniuersum studuit offerre: qui terram videlicet ac mare, Græciam simulque Barbariem, omnemque prorsus quanta est sub cœlo regionem volitans, circumuit. *Et*: Beatus Paulus, qui nos hodie congregauit, quique terrarum etiam illuminauit orbem, &c.] *Item*, [d] Paulus alter Iacob quasi pro vno quodam totius mundi Grege semper inuigilans: Paulus alter Ioseph, spirituali fame tabescente mundo, veritatis alimenta distribuens: Paulus alter Moyses, qui omnes gentes à Tyrannide Diaboli reduxit ad Christum. Paulus alter Aaron, Mundi totius populis iunctus Sacerdos.] *Item*, [e] Non vides vt Paulus orbem conuertit vniuersum? *Et*: Quid eo fœcundius, qui orbem progenuit totum?] *Item*, [f] En Tabernaculorum texendorum artifex, non ipsam tantum Græciam, sed & Barbaram terram omnem conuertit; non Siciliam modo atque Italiam, Verum vniuersum terrarum orbem verbum Dei prædicans, peragrauit. *Item*, [g] Neque enim si populum suum Deus repulsurus fuisset, Paulum sibi ex Israelitis elegisset; cui omnem prædicationem, cui res orbis, mysteria cuncta, vniuersamque dispensationem concrederet.] *Item*, [h] Quid enim iis pedibus, *Pauli*, speciosius, qui vniuersam, quæ sub cœlo posita est, terram peragrarunt?] *Item*, [i] Quotidie igitur curæ ei erat quid Corinthij, quid Macedones, quid Philippenses, quomodo Cappadoces, quomodo Galatæ, quomodo Incolentes Pontum, quomodo omnes homines valerent: & licet totius orbis curam suscepisset, nihilominus tamen non solum pro gentibus integris, sed & pro vno homine solicitus erat.] *Item* [k], Neque his contentus, cura omnium Ecclesiarum, non paruæ vnius, vel duarum, vel trium; sed omnium quæ in toto orbe, & quantam terram Sol radijs suis illustrat, tantam curam & solicitudinem habuit Paulus.] Ac tandem audi eundem Chrysostomum mirificè Pauli Principatum Ecclesiasticum extollentem; [l] Dauid, *inquit*, Goliath vno solo lapide deijciebat: at si Pauli præclara opera scrutatus fueris, pueri fuerit opus illud: & quantum inter militem, & Pastorem distat, tantum videbis discrimen. Hic enim, non lapidem mittens deiecit Goliath, sed solum loquens omnem Diaboli destruxit flammam: Sicut Leo rugiens, & flammam de lingua emittens, ita omnibus intolerabilis: & vbique assiliebat continuò, currebat ad hos, veniebat ad illos, assistebat illis, irrumpebat ad alios, insiliens vento velocior; & quasi vnam domum, vel nauem vnam, totum orbem gubernans, eos qui mergebantur sursum trahens, & qui turbabantur, atque cadebant confirmans: nautis imperans, in puppi sedens, proram obseruans, rudentes extendens, remum apprehendens, velum trahens, in cœlum suspiciens, omnia ipse existens, & nauta, & gubernator, & proræ director, & velum, & nauem, & omnia ferens, vt omnium mala soluat.] Hucusque Chrysostomus. Qui eadem munera, quæ maximè insignia Petro vidimus concredita, ex quibus primatum eius eliciebant Monarchici, Paulum etiam cum non minori, imò fortè maiori primatu obijsse commemorat. Si Petrus circumibat Ecclesias, eas [m] visitando; idem Paulum præstitisse, ait Chrysostomus. Et [n] Scriptura apertè docet; Si Petrus dictus est gubernator totius Ecclesiæ, Paulus etiam à Chrysostomo orbis totius dicitur gubernator. Si Petri nauis dicitur Ecclesia, in hac naui ponit in puppi Paulum Chrysostomus Gubernatorem: si Petro iniũctum est vt fratres confirmaret, confirmabat & Paulus. Vide adhuc Chrysostomum supra cap. 4. num. 6. egregiè hac de re disserentem.

XIV. His ego huius sanctissimi Patris tot & tam vehementibus consideratis dictis, illud constanter ausim affirmare; si Petrus supremo illo, & absoluto primatu fuit à Christo insignitus, quem in Petro nostrates Theologi Neoterici agnoscendum esse contendunt; per summam inuidiam, & odium in Petri Principatum, hæc omnia de Paulo Chrysostomum protulisse, & maligno animo, nunquam excipere voluisse Petrum, vbi de suprema Pauli auto-

ritate

a Idem Chrys. in Ep. 2. ad Cor. c. 6. Hom. 12.

b 2. Cor. 11.

c Idem Chrys. Hom. 1. de laud. Pauli, & Hom. 29. in Ep. ad Rom.

d Idem Chrys. de Laud. Pauli Hom. 8.

e Idem in Ep. ad Tit. Hom. 2.

f Idem Chrys. in Ep. ad Rom. Hom. 2.

g Idem ibid. Hom. 18.

h Idem in Ep. 2. ad Cor. Hom. 13.

i Idem Hom. de Professu Euag.

k Idem Hom. 11. in Genes.

l Idem Chrys. Hom. 25. in 2. Cor. 11.

m Act. 9.

n Act. 15.

A ritate toties, in longum etiam, protraxit sermonem; dum eadem, & præcipua quæ ad Petri primatum confirmandum afferri solent priuilegia, Paulo etiam attribuit. Quod quia impium est, ac penè blasphemum de tanto viro cogitare, nedum proloqui, cogor ipse necessariò fateri, Chrysostomum in Petro primatum illum supremum non agnouisse. Ex his etiam facilè iudicium ferri potest, quàm parum aptè in quodam [a] sermone, Petro clauis potentiæ tribuatur, Paulo verò scientiæ: quasi & Petro fidei non fuerit facta [b] reuelatio: & Paulus cum maxima autoritate Ecclesias non rexerit: nisi dicamus ibi intelligi Petrum maximè excelluisse in signis, & miraculis; Paulum in doctrina.

a Serm. 66. inter Sermones Ambr.
b Mat. 16.

Referamus nunc pauca Patrum dicta, quæ hunc à Petro remouent principatum: aut cum Petri principatu non possunt cohærere. Dionysius Areopagita, qui alias [c] Petrum vocauit Apostolorum facilè Principem, hoc est, primum inter Apostolos, primatum hunc

XXVII.

c Areopag. li. de Hierar. Eccl.

B non intellexit cum suprema potestate supra cæteros: nam alio loco prius posuit Iacobum, quàm Petrum, dum ait, scribens ad Timotheum; [d] Aderat autem & Domini frater Iacobus, & Petrus, suprema & antiquissima Theologorum summitas.] [e] Idem fecerat & Paulus, vt iam vidimus, priori loco Iacobum, posteriori Petrum numerando.

d Apud Damasc. Orat. 2. de dormit. Deipar.
e Gal. 2.

XXVIII.

Clemens libro sexto Hypotyposeon refert, *inquit Eusebius*, [f] Petrum, Iacobum, & Ioannem, post Saluatoris ad cœlum ascensum, cum essent a Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendisse inter se, sed vno consensu Iacobum iustum Hierosolymorum Episcopum designasse.] Non ergo solus Petrus, sed simul Iacobus, & Ioannes summum dignitatis inter Apostolos locum à Christo habuerunt, vt scripsit Clemens; Qui sanè, si Monarchiam in Petro agnouisset, dum hæc scriberet, illam omnino significasset; neque Petro in gradu dignitatis Iacobum, & Ioannem exæquasset. Iustini e

f Euseb. Iust. li. 2. cap. 1.

C tiam Martyris dictum quoddam de Simone Petro obseruo, quod mihi videtur cum Petri Monarchia non satis benè cohærere: de illo enim ait; [g] Qui vnus Apostolorum erat.] Quod si Petri Apostolatus fuisset cum summa in Ecclesiam Monarchia coniunctus, certè Petrus non debuisset vnus Apostolorum dici, quod significat æqualitatem; sed ex maiori ipsius dignitate debuit nominari.

g Iustin. ad Iud.

Hieronymus dictum illud Pauli; [h] Paulus Apostolus non ab hominibus; & illud, Ego Euangelium ab homine non accepi; [i] Oblique in Petrum dicta esse, posse accipi asseuerat. Quid verò est oblique in Petrum, nisi Paulum à Petro non dependisse, sed per se seorsim suam plenam Apostolicam autoritatem habuisse? Ac sanè si Petrus supremus Ecclesiæ Pastor solus fuisset à Christo institutus, vt esset Pastor omnium ouium, etiam Apostolorum; ad eum, & non ad Ananiam misisset [k] Saulum instruendum. Sed ne primatum sibi

XXIX.

h Gal. 1.
i Hier. in Epist. ad Gal. init.

k Act. 9.

D Petrus, quem ambierant [l] filij Zebedæi, arrogaret, Saulum euehit ad Apostolatum, inscio & inconsulto Petro, eique curam totius fermè mandat Gentilitatis, à Petro omnino independenti: eumque pastorem longè maioris gregis præcipuum instituit, quam fuerat Petrus institutus. Ideo se Paulus vocat Apostolum, non per hominem, sed per Iesum Christum; & negat se ab homine Euangelium accepisse; oblique in Petrum, *ait Hieronymus*, id est, non à Petro, qui primus videbatur; & absque vlla subiectione ad ipsum Petrum, & propterea non esse cur quis ei Petrum opponat. Neque plus credendum esse Petro, quam ipsi Paulo. In oculis igitur Petri surgit nouus Doctor, nouus Pastor, nouus Euangelizator, qui [m] oues Christi, sed extra ouile positas, ad ouile, vti præcipuus earum pastor, adduceret. Idem Hieronymus, siue alius autor aliorum commentariorum in Epistolas Pauli, Paulum sic loquentem inducit; [n] Ego in nullo sum Petro inferior; quia ab vno Deo sumus ambo in ministerio ordinati.] Habet & illud de Petro Hieronymus: [o] Vt Plato fuit

l Matt. 20.

m Io. 10.

n Hieron. in cap. 2. ad Gal.
o Idem l. 1. adu. Pelag.

E Princeps Philosophorum, ita Petrus fuit Apostolorum.] Aliam monarchiam in Petro non agnoscit Hieronymus.

XXX.

Augustinus, [p] si ergo, *inquit*, attendas Christum in Petro, inuenies Discipuli præceptorem.] Igitur per Augustinum à Christo ad Petrum eadem est relatio, quæ ad alios Apostolos: Vbinam relatio Vicarij, & capitis, loco Christi? Hic nunc de Augustino idem dico, quod paulò ante num. 25. dixi de Chrysostomo. Adde alium Augustini locum sic de Petri negatione scribentis; [q] Quomodo est igitur in corpore Christi, qui negat hominem Christum? Qui enim caput negat, quomodo est membrum?] *Et paulo post*: Neque nos cum ista dicimus primum Apostolorum accusare delectat; sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus fidat.] Vbi etiam nihil præterea agnoscit Augustinus in Petro, nisi ipsum esse vnum ex membris Christi: De capite verò visibili, ne verbum quidem, vbi tamen vel maxime locus id flagitabat. *Item*, Quod enim,

p Aug. tract. 59 in Io.

q Aug. tract. 66 & 108. in Io.

inquit, ad ipsum (*Petrum*) proprie pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus; abundantiori gratia vnus, idemque primus Apostolus.] Cur vero altius non ascendis Augustine? Vbi dignitas capitis visibilis Ecclesiæ, & Vicariatus generalis? Habemus & in Chrysostomo locum insignem, vbi excitat ipsemet tale quæsitum;[a] Quid est cur Dominus, omissis alijs, Petrum solum affatur, Petre amas me? Pasce oues meas. Certe si Chrysostomus Petrum agnouisset esse solum Christi Vicarium, & Monarcham Ecclesiæ, in promptu habuisset sui quæsiti solutionem: & tamen ne verbum quidem de hac Monarchia: sed alias hinc inde sui quæsiti venatur solutiones: Primùm; Quia Petrus, *inquit*, erat eximius, ac præcipuus inter Apostolos, eorumque os & coryphæus.] Quæ erat Petri dignitas personalis, ob ipsius ætatem, vocationem, & feruorem, vt ostendi cap. 5. huius libri. Deinde quia Petri desperationi ita Christus censuit occurrendum; vt explicatum est supra cap. 8. num. 11. huius.

a *Chrysbom. 87. in loco.*

XXXI. Cyrillus Alexandrinus, [b] Paulus certè, *inquit*, sapientissimus fundamentum dicit esse Iesum Christum, & qui in ipsum credunt, velut lapides pretiosos superstrui, ait, in sanctum Templum, in ædificium Dei, in spiritu. Proinde sanctos Mystagogos virtutum varietate, & pulchritudine intelligibili resplendentes, lapidibus pretiosissimis comparat: & alios dicit in fundamenta positos esse sanctæ Ciuitati, alios in propugnacula, alios portarum & munitionis vsum, ac locum supplere. Atque hæc quidem de Ciuitatis Præfectis, quod nobis hæc describit oratio.] Redolent ne tibi, quæso lector, verba hæc Cyrilli vllam vllius ex Apostolis Monarchiam? Quomodo ergo potuit idem asserere soli Petro, & non alijs Christum suas vices commisisse in gubernanda Ecclesia, qui eiusdem Ecclesiæ Præfectos ex æquo plures, omnes nimirum Sanctos Apostolos agnoscit?

b *Cyrill. l. 5. in Isai. c. 54.*

XXXII. Ambrosius, [c] Non debebat, *inquit*, filius Dei, (*didrachmum*) non debebat & Petrus, in adoptionem à Patre adscitus.] Propterea ergo solum Petrus fuit priuilegiatus, ex Ambrosio, vt non teneretur ad tributum, quia erat filius Dei adoptiuus: & non quia erat Vicarius Christi, & ipsius locum tenens, caputque totius Ecclesiæ, saltem designatus? Cur Ambrosius quod longe maius est tacet; & quod minus est commemorat? quia illud maius non nouerat. Item Ambrosius propositis illis verbis Christi, [d] Pasce oues meas, ait; [e] Meritò Petrus Sacerdos eligitur, quia sparto caritatis Diuinæ triplici se ligauit.] Non est ergo factus illis verbis; Pasce oues meas, nisi Sacerdos? non caput Ecclesiæ? non Vicarius supremus Christi? Quid verò illud eiusdem Ambrosij, [f] Statim loci non immemor sui primatum egit, primatum confessionis vtique, non honoris; primatum fidei non ordinis?] Vel igitur negat Ambrosius primatum verum Petro: vel saltem vitare debebat, aliqua superaddita explicatione, prætudicium quod primatui Petri verba hæc afferre posse videbantur.

c *Ambr. in Exod. c. 30.*

d *Io. 21.*

e *Ambr. in ps. 43.*

f *Idem Ambr. de Incar. c. 4.*

XXXIII. Addo testimonium recentiorum, nimirum Petri Blesensis, autoris valde grauis, qui eo tempore scribebat quo Monarchia Romana iam se plurimum erexerat. Fuit enim Bernardo Clareuallensi contemporaneus. [g] Idem confirmatur, *inquit*, Petri facto, qui cum Roma fugiens, Saluatorem sibi occurrentem interrogasset; Domine quo vadis? audiuit, Vado Romam iterum crucifigi: vbi exprimitur Christum quodammodo in eo crucifigendum, quem sibi adoptauit in membrum.] Si autor hic Petrum agnouisset supremum Christi Vicarium, proculdubio dixisset, ideo Christum se in Petro crucifigendum protulisse, quia Petrus ipsius in terris gestaret personam, eiusque vices in terris plene gereret. Ait tamen ideo hoc à Christo dictum, quia Petrum adoptauerat in membrum.] Et hoc est donum commune cum omnibus Apostolis, & fidelibus, non verò Petri proprium, qui membrum non caput visibile vocatur. Huc spectant Patres omnes quoscunque supra cap. 3. huius libri protuli ad æqualitatem inter omnes Apostolos, etiam cum Petro, probandam. Qui enim hanc astruunt æqualitatem, illi profecto omnes à Primatu illo Petri abhorrent. Eundem Primatum tollunt ea quæ ex Augustino considerabam supra cap. 4. num. 4. & cap. 5. num. 5. & ex Ambrosio eodem cap. 5 num. 4. Atque ita quod hoc capite decimo proposuimus, tam habemus vt puto, confirmatissimum.

g *Pet. Bles. ep. de conu. S. Paul.*

CAP.

CAP. XII.

Reipublicæ Ecclesiasticæ formam in terris non esse Monarchicam, sed potius Aristocraticam.

SVMMA CAPITIS.

Non Monarchicum, sed aliquo modo Aristocraticum est regimen Ecclesiæ in terris. nu 1.2.3. Monarchia enim inter Ministros Christi, in Vniuersali Ecclesia, ab Euangelio reprobatur. n. 4. Et obiectio soluitur. num. 5.

In Ecclesiastica Republica, inter ipsius Rectores propriè non modò non est Monarchia, sed neque Aristocratia, neque Democratia, num 6. sed suo modo est Monarchia aliqua, num. 7. 8. 9. & Democratia. num. 10.

Obiectiones pro vera Monarchia afferuntur, & soluuntur, à num. 11. ad num. 22.

Imò neque Vetus Ecclesia Iudæorum, fuit Monarchica, à num. 23. ad num. 34. sed fuit Aristocratica, à num. 35. ad num. 40.

Argumenta nostræ Aristocratiæ, siue Democratiæ oppugnatiua soluuntur, à nu. 41. ad finem.

I. Tota huius primi libri quæstio erat de forma Reipublicæ Ecclesiasticæ; & quicquid hactenus est à me vndecim præcedentibus capitibus disputatum, ad hanc formam Reipublicæ indagandam pertinebat; eoq; tot disputationibus, & satis prolixis, iam arbitror deuenimus, vt planè asserere debeamus, Ecclesiam totam, etiam militantem in terris, sub vnico capite suo vero, & proprio, qui est Christus Dominus, regi & gubernari, verâ & propriâ Monarchiâ Si tamen ministeriale Ecclesiæ regimen, per mortales homines Christi Ministros exercendum consideremus, ipsum non Monarchicum, sed quodammodo Aristocraticum esse à Christo institutum, iam manifestaui: siquidem abunde pro aui Christum suam Ecclesiam Apostolis omnibus æque commendasse, eosque ad hoc necessaria potestate omnes æquè adornasse. Ex quo manifestum redditur Christum, non Monarchicam, sed potius Aristocraticam formam regiminis Apostolis omnibus, tanquam suis Ministris, reliquisse; nihil tamen interim variata vera forma Monarchiæ, qua ipse Rex solus, & caput Ecclesiæ adhuc in ea perseuerat.

II. Hanc Aristocratici regiminis in Ecclesia formam, egregiè describit Apostolus dicens, [a] Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundò Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Aemulamini autem charismata meliora.] Et ne dicas cum [b] Bellarmino, Hîc numerari à Paulo varia dona, quæ sint in Ecclesia; nam curationes, & genera linguarum, sunt charismata sancti Spiritus; audi iterum eundem Apostolum, [c] Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus Ministerij, in ædificationem corporis Christi.] Vbi apparet sermo manifestus de numero Ministrorum ad ædificationem Ecclesiæ à Christo destinatorum; inter quos ne vestigium quidem adest Monarchiæ. Vnde & Ambrosius locum hunc etiam priorem Pauli non intellexit de donis & charismatibus, sed de Ecclesiastica Republica; sic enim scribit: [d] Caput itaque in Ecclesia Apostolos posuit, qui legati Christi sunt, sicut dicit idem Apostolus, Pro quo legatione fungimur; ipsi sunt Episcopi. &c.] Ita & Basilius, qui sic scribit; [e] Cæterum Ecclesiæ gubernationes, nonne manifestè, & citra contradictionem per Spiritum Sanctum peraguntur? Ipse enim dedit, inquit, Ecclesiæ primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, postea virtutes, deinde dona sanationum, defensiones, gubernationes, genera linguarum.] Igitur Ecclesiæ caput visibile si credimus & Paulo, & Ambrosio, & Basilio, non est vnicum à Deo institutum, sed integrum collegium Apostolorum, & Episcoporum; qui omnes simul, & in solidum regunt, & gubernant totam Ecclesiam militantem Consentit etiam Ignatius martyr, dum [f] ad Apostolos, veluti ad Presbyterorum Ecclesiæ Collegium, recurri postulat. Collegium verò esse Aristocraticum nemo ignorat.

a 1. Cor. 12.

b Bellar. l. 1 de Rom. Pont. c. 9.

c Ephes. 4.

d Ambr. in 1. Cor. c. 12.

e Basil. l. de Sp. Sanct. c. 16.

f Ignat. in Ep. ad Philadelph.

III. Si igitur Christus Aristocratiam quandam inter suos Ministros, in sua Ecclesia, proximè post eius in cœlum ascensum, reliquit, quis non videt temerarium fore, si postea quis tentauerit formam à Christo de facto institutam, & consequenter lege firma, & immobili præfixam mutare, & aliam inducere? Et si hæc mutatio facta est, malè certe, & per errorem, ac vsurpationem, non ab Ecclesia ipsa, sed ab humano quorundam consilio profecta est, Ecclesia tota nunquam in hoc consentiente. Hæc dixerim propter Bellarminum, qui contra Aristocratiam sic argumentatur: [a] Nam ea posita, *inquit*, sequetur vel Christum, vel Ecclesiam errasse; si enim Christus initio Aristocratiam instituit, errauit ergo Ecclesia, quæ relicta hac forma à Deo data, mutata sit in Monarchiam: & si Monarchia est melior Aristocratia, ex quo & facta sit hæc mutatio, errauit ergo Christus, qui ei Aristocraticam formam dederit.] Ita Bellarminus non multum sapidè: Christus enim eam formam dedit, quam ipse iudicauit Ecclesiæ militanti meliorem. Meliorem autem suæ Ecclesiæ Aristocratiam iudicauit, & ita re ipsa eam instituit, vt sub se vnico capite, multitudo esset Ministrorum; Inter Ministros verò nullus esset propriè caput, sed omnes æquè Ministri, sub ipso adhuc viuente, & regente vero capite: & ideo non errauit. Licèt itaque verum sit Monarchiam in humanis, eam potissimùm quæ legibus ex parte sit temperata, esse optimam, in Ecclesia tamen inter Ministros summi ipsius Regis, verique Monarchæ Christi, Monarchiæ quantumcunque temperatæ locum dandum non esse Christus ipse censuit, eam enim in Ecclesia pessimam esse iudicauit. Nam etiam in humanis non semper, nec vbique Monarchia est optima: Alioquin Deus Aristocratiam, & Democratiam humanæ naturæ non permisisset, si semper Monarchia in omni Republica, omnique humana societate esset optima. Quia ergo vni populo optima erat futura Monarchia, alij Aristocratia, alij Democratia, iccirco has varias Reipub. formas ipse iure suo diuino naturali instituit. Cùm itaque in Ecclesia Christus inter suos Ministros Monarchiam pernicioſam esse iudicauerit, Aristocratiam verò longe ipsi Ecclesiæ meliorem; errauerunt profecto, non Ecclesia, sed Romani Pontifices, qui ex Aristocratia Ecclesiastica à Christo instituta paulatim, vt ostendam in sequentibus, laicis Principibus ad hoc sua vi eos plurimum iuuantibus, in Monarchiam, imò in Tyrannidem, Ecclesia tota orientali semper reclamante, & plurimis ex occidentalibus aut expressè resistentibus; aut saltem sub oppressione gementibus; aut etiam non paucis assentantibus; non tanquam in meliorem, imò in valde deteriorem deflexerunt. Pergit ibidem Bellarminus: Imo sequitur, ne Christum quidem esse Monarcham Ecclesiæ, sed eum esse instar Ducis Venetorum; nunquam enim visum est vnum eundem populum esse & Rempublicam, & Regnum; aut in vno Regno adesse etiam formam Reipublicæ.] Nos tamen dicimus Christum esse verum, & proprium Regem, & Monarcham Ecclesiæ, & non vt Ducem Reipublicæ Aristocraticæ. Ecclesiam enim verè, & propriè facimus Monarchiam sub Christo. Inter Ministros tamen, si separemus ipsum Christum, non nisi Aristocratiam quandam ex Christi institutione agnoscimus. Sicut in vero Regno, si quis separet Regem, & quærat quæ forma regiminis sit inter Regni Magistratus, ac Ministros Regios, proculdubio quisque dicet formam relinqui quasi Aristocraticam, siquidem inter ipsos Magistratus, & Ministros nullus est, qui solus cæteris, & toti Regno imperet, vbi præsertim Prorex non est vllus. Ita Christus Proregem nullum instituit, non enim verè aberat, sed multos Ministros habere voluit, inter quos nullus super alios supremam haberet autoritatem; at omnes simul, & in solidum Ecclesiam gubernarent; & hoc abundè in præcedentibus est probatum. Verè igitur, propriè, & absolutè Ecclesia est sub Monarchia: Ministri tamen Christi eam iussu ipsius Christi, quasi Aristocraticè gubernant, integra interim manente sub Christo Monarchia.

[a] Bellar. in libello contra Marsium.

IV. Saluator ipse satis præuidit quàm pernicioſa foret in Ecclesia hæc Monarchia, & quàm facilè in tyrannidem illa posset erumpere, ideoque vt tyrannis hæc vitaretur, vsus est similitudine quadam seruorum, dicens: [b] Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore, &c. Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet Dominus seruiillius, &c diuidet eum, partēq; eius ponet cum hypocritis.] Docebat hac similitudine Apostolos suos, vnum quemq; ipsorum esse seruum ipsius, quibus cōmendabat suam familiā, id est, Ecclesiam, vt cibum ipsi familiæ verbi, & bonæ doctrinæ ministrarent: cauerent tamen ne quis eorum factus inter conseruos tyrannus, incipiat eos percutere, & dominium in eos exercere, & proprijs tantum commodis inhiare, quod est tyrannorum proprium. Atque ideò tantopere laborabat,

[b] Matt. 24 & luc. 12.

A bat, vt eos ab appetitu illo pessimo dominandi (quod iam vidimus,) absterreret. Sciebat enim Monarchiam Ecclesiasticam furtim introductam, ad tyrannidem apertum tandem transitum facturam. Meritò itaque Cardinalis Cameracensis Papalem Monarchiam omnino temperandam esse censet Ecclesiastica Aristocratia; vt habes infra l.4 c.5.n.15.

V.

Obijcient mihi, tres articulos esse Ioannis Hus, Concilio Constantiensi damnatos, in meis assertionibus ferè contentos; videlicet, [a] Articulus 27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militanti Ecclesia conuersetur, & conseruetur. Art. 28. Christus sine talibus capitibus monstruosis, per suos veraces Discipulos, per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet. Art. 29. Apostoli, & fideles Sacerdotes Domini, strenue in necessarijs ad salutem regularent Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum: sic facerent deficiente, per summe possibile, Papa, vsque ad diem judicij.] Respondeo pri-

B mùm, hos Articulos in meis assertionibus non contineri, in illis partibus in quibus damnari possunt: non enim docui generaliter non esse necessarium vnum caput, si de Christo loquamur, hoc est enim expressa hæresis: neque dico Petrum, aut vllum Episcopum esse monstruosum caput, sine quo regi possit Ecclesia; quia & Petrum, & omnes Episcopos necessarios fuisse, & esse Ecclesiæ, tanquam Christi ministros affirmaui; neque agnosco tempus vllum sine Papa, id est, sine prima in Ecclesia Dignitate, quæ est Patriarchalis: vt suo loco ostendam. Male ergo contra me isti articuli afferrentur. Respondeo secundo, eos, tametsi aliquid simile cum meis assertionibus continerent, damnatos tamen non esse legitimè; quia eorum singulorum examen non apparet; sed in confuso simul cum multis alijs sunt in sententia contra Ioannem Hus, sub huiusmodi Censura notati; Non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensiuos, pluresque eorum esse temerarios, & seditiosos,

C & nonnullos eorum esse notoriè hæreticos.] Erant igitur hi tres articuli ex illis qui dicuntur aurium offensiui, quia turgent odio fortasse nimio erga Romanum Pontificem, & videntur acerbius, & sine charitate prolati. Doctrina tamen in eis contenta, nimirum in Ecclesia non dari vnum caput supremum, & Monarcham, præter Christum: Christum suam Ecclesiam per multos ministros, sine vno isto Monarcha mortali, regere perfectè, & gubernare, est doctrina Catholica, à Sanctis Patribus hactenus egregie explicata, & confirmata. Et fatetur Gersonius [b] multos articulos horum, tunc damnatos in Concilio Constantiensi, posse ad bonum sensum trahi: Sed & Concilium Constanstiense nostri Romani non recipiunt, quod sane Caietanus [c] flammis dandum esse asserit: quia nimirum Ecclesiam in capite quoque reformare volebat, & quia Papam Concilio tuppossuit. Cur etiam itaque flammis non erit dandum, dum articulos istos verissimos, & maxime Catholicos damnat; & assertorem eorum dat flammis?

[a] Concil. Const. sess. 12.

[b] Gers. ser. prò vtag. Reg. Rom. par. 2. direct. 3.

[c] Caiet. Opusc. 1. cap. 8.

D Porrò in hac Ecclesia nostra militanti quærere, & indagare veram aliquam formam Reipublicæ, est actum agere: procedimus enim semper ex falsa quadam suppositione; quæ suppositio sua plurimum nos turbat falsitate; neque permittit vt veram, & omni difficultate carentè afferamus quæstionis nostræ principalis solutionem. Supponimus enim Christum ab Ecclesiæ suæ regimine absentem; &, eo excluso, quærimus quæ forma regiminis maneat in Ecclesia: cum tamen reuera Christus adhuc suam regat Ecclesiam; sitque actu ipso ipsius Caput, Rex, & Dominus, vt primo capite huius libri est demonstratum. Quid mirum igitur si vbi in facto est perfecta Monarchia, excluso per solam cogitationem Rege, resultet quædam forma regiminis, quæ neque sit propriè amplius Monarchica, neque Aristocratica, neque Democratica, sed mixtum quoddam, etiam quoad nomen descriptionemque valde imperfectum. Aristocratiam sane quandam hactenus probaui inter Ecclesiæ Ministros à Christo relictam: sed Aristocratia hæc non habet in se veram formam Aristocraticam, in qua Optimates illi, qui Remp. gubernant, omnes quidem, aut plurimi in

E vnum coacti habent potestatem; singuli verò nihil possunt. Non sic in Ecclesia, quæ ita quidem ab omnibus Apostolis, post Christi Ascensum regebatur, vt tamen à singulis etiam abinuicem separatis, Ecclesiastica plene exerceretur potestas. Itaque dum pono Aristocratiam, includo quidem optimatum regimen, tum vt excludam plebem; tum etiam vt excludam vnius solius in tota Ecclesia principatum. Cæterę tamen Aristocratiæ veræ proprietates si absint, hoc erit quia reuera regimen est Monarchicum sub Christo: & in vera Monarchia quærere aliam formam regiminis, est importunum. Habet itaque Ecclesia inter suos Ministros qui illam regunt in terris Aristocratiam, ex ea tantum parte, qua & vnius

VI.

vnius solius suprema potestas, & totius plebis excluditur autoritas; & optimates soli potissimum regunt, sed in solidum tam diuisim, quàm coniunctim: hoc est illi, qui ad ministerium sunt legitimè deputati. A

VII. Habet rursum Ecclesia in terris, alio duplici sensu Monarchiam: Primùm, quia singulæ Ecclesiæ Monarchicè ab vno Episcopo gubernantur: Episcopi verò, tempore Apostolorum, ab ipsis Apostolis, siue vnitim in Concilijs, siue etiam separatim regebantur; prout quisque quemcunque haberet Apostolum ordinatorem, aut viciniorem. Post Apostolos verò plures Episcopi, Ecclesiasticis statutis, suo subduntur Metropolitano; Metropolitani verò cum suis suffraganeis Primati: Primates verò cum Metropolitanis, & eorum suffraganeis suo Patriarchæ: Patriarchæ verò nemini subduntur, vt fusè libro tertio ostendetur.

VIII. Atque hanc solam, in particularibus Ecclesijs, Ignatius posuit Monarchiam; aliam maiorem totius Ecclesiæ non inuenit. Ait enim, [a] Quid est Episcopus, nisi qui principatum omnem, & potestatem supra omnes obtinet, vt obtinere homo potest, qui est pro viribus Christi Dei imitator? Quid verò Presbyterium, nisi Collegium sacrum, Consiliarij, & consessores Episcopi? Quid item Diaconi, nisi imitatores Angelicarum virtutum, & ministrantes ministerium purum & immaculatum?] Audis Episcopum, sane quemcunque, omnem Principatum, & potestatem supra omnes, suos nempe ministros, obtinere tantam quantam potest obtinere homo Christi minister? Quid ergo relinquitur Romano Pontifici supra Episcopos? Certe si ille habet maiorem potestatem quàm habeant Episcopi, & supra Episcopos, errat Ignatius: aut si verum dicit Ignatius, tota Ecclesiastica Monarchia terminatur, & finitur in vnoquoque Episcopo. Inde verò iam incipit quædam Aristocratia. Hieronymus etiam maiorem illam Monarchiam in Ecclesia similiter non agnoscit. Ita enim loquitur; [b] Singuli Ecclesiarum Episcopi; singuli Archipresbyteri; singuli Archidiaconi; & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur.] Cur non ante omnia dixit, Vnicus totius Ecclesiæ summus Pontifex? quia sicut in singulis partialibus Ecclesijs aliquam videbat Monarchiam; Ita in tota Ecclesia vniuersali illam non cernebat, sed Aristocratiam: & absoluram, imò in particularibus etiam Ecclesijs nondum plenam agnoscebat Monarchiam: ait enim, [c] Et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, cœtum presbyterorum.] Quia censebat Episcopum, non sine consilio sui collegij, propriam Ecclesiam debere regere. B C

a Ignatius ad Trallianos.

b Hieronymus ad Nepotian. ep. 4.

c Idem Hieron. ad c. 3. Isai.

IX. Alio etiam sensu Monarchiam quandam inter Apostolos, & inter omnes Episcopos, cuiuscunque gradus dignitatis & conditionis sint, statuere possumus, & debemus; Quod nimirum omnes simul Apostoli tunc, & nunc omnes simul Episcopi, intelliguntur vnus in solidum Episcopus; eo modo quo multi fratres indiuisi, vbi nulla sunt iura primogenituræ, constituunt vnicam fraternitatem in solidum; & omnes simul in solidum vnicam, & eandem possident hæreditatem indiuisam. Et quamuis inter se, commoditatis gratia, partiantur interdum eiusdem hæreditatis possessiones, vt vnus curam gerat vnius, alter alterius, & sic de cæteris; adhuc tamen tota illa hæreditas est vna, omnium simul; & ius in eam totam est in vnoquoque eorum ex æquo, totum permixtum, & indiuisum. Ita Ecclesia tota totius Mundi, vna est generalis, & vniuersalis, quæ ex multis partialibus coalita intelligitur: ideoque Episcopatus multi singulares, & partiales, vnicus dicuntur à Cypriano Episcopatus, totus & Vniuersalis. [d] Deus, *inquit*, vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna, super Petram, Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest.] Loquitur de illa vna totali Ecclesia Catholica. Ait præterea, [e] Nam etsi Pastores multi sumus, vnum tamen gregem pascimus.] *Item*, [f] Et cum sit, *inquit*, à Christo vna Ecclesia per totum Mundum in multa membra diuisa: item Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, &c.] *Item*, [g] Cum Ecclesia quæ Catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa, sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata.] *Item*, [h] Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna est quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur.] In hoc ergo sensu meritò possumus Monarchiam in Ecclesia militanti agnoscere, vt sicut omnes prorsus fideles, quotquot sunt in vniuerso terrarum orbe positi, vnicam solam Ecclesiam Catholicam constituunt; ita prorsus omnes Ministri, qui eorum per totum orbē sparsi curā gerunt, vnicus intelligantur Episcopus in solidum, & vnicus minister totalis: quia omnes simul & in solidum vnius Ecclesiæ curam exercent, & vnicum constituunt corpus sacerdotum. Sicut vbi multi Pastores, vnicum & eundem sed magnum curant gregem: & D E

d Cypr. l. 1. ep. 8

e Cypr. l. 3. ep. 13.

f Id. l. 4 ep. 2

g Idem. lib. 4 Ep. 9.

h Idem Tract. de simplic. Prael.

A & multi vinitores vnicam & eandem colunt vineam; omnes tamen ex æquo, & in solidum: ita nunc sub vnico solo vero [a] Episcopo animarum nostrarum Christo, vnico vero bono Pastore, vnico vineæ hærede, & Domino, absque vlla alia inter ipsos in Ecclesiastica potestate subordinatione, ministri omnes Ecclesiastici ad vnicum redacti corpus, Ecclesiam gubernant. Quæ omnia erunt à nobis in sequentibus libris exactius explicanda. Habet demum Ecclesia suo modo in se non nihil formæ Democraticæ; non in eo tantum, quod etiam ex infima plebe assumi possint & soleant homines, ad Ecclesiastica officia, & ministeria, etiam ad Episcoparus, si qui sunt idonei; quod tamen vix redolet minimum quid Democratiæ; & hoc in plebe est aliquid passiuum duntaxat, ipsa verò hinc nihil habet potestatis, & auctoritatis: sed etiam in hac ipsa Ecclesiastici regiminis auctoritate, Democraticum aliquid insurgit, dum suo modo tota etiam multitudo concurrit actiuè; & B executiue ad aliquem excommunicandum. Docebo enim postea libro quinto Præsulem quidem agnoscere, & explicare ordinariè quæ sit ouis morbida, & à cœtu fidelium excludenda; sed tamen multitudinem ipsam idipsum non raro, etiam sua sponte, exequi, indignos à commertio abdicando: eandem præterea multitudinem nonnihil potestatis habere interdum circa peccatorum remissam, ex Patribus eodem libro quinto conabor planum reddere. Et supra aliquid [b] innui ex Augustino. In electionibus verò ministrorum, etiam Apostolorum tempore, & ipsorum instituto, plebem & totam multitudinem magnam partem habuisse ostendam lib. 3. qui est primus, & forsitan præcipuus Democratiæ effectus, vt ipsa multitudo sibi eligat Magistratus, & gubernatores: quibus etsi ipsa non tribuat potestatem Ecclesiasticam, plurimum tamen est quod ipsi [c] reniteuti, & inuitæ, nemo sit, nisi is in quem ipsa consenserit, præficiendus: nisi aut lex, aut Rex aliter disponat. C Nam etiam in vera sæculari Democratia, plebs nullam tribuit suis Rectoribus, quos ipsa eligit, & sibi præficit potestatem. Si enim [d] non est potestas nisi à Deo, facta certe electione sola, & quasi applicatione; Rector ille iam à Deo suam habet potestatem; vt propterea etiam in Democratia humana, Qui potestati ab ipso populo sibi præpositæ resistit, Dei ordinationi resistat. De quo agam libro sexto copiosè. Denique etiam in controuersijs fidei tractandis, totum Ecclesiasticum cœtum suas quasdam partes adhibere, ostendam libro septimo. Vbi cum Apostolo docebo totam, [e] Ecclesiam esse columnam, & firmamentum Veritatis: & hanc Ecclesiam totam non esse in solis Episcopis, & Presbyteris; neque spiritum illum quem Christus sui Vicarium relinquebat in terris, alligatum esse soli ordini Presbyterorum, aut Episcoporum aperiemus: sicut olim, & Prophetæ, & Scribæ, & Pharisæi etiam extra ordinem Leuiticum, & Sacerdotalem, magis illustrabant Synagogam, quàm Sacerdotes. Cum igitur [f] Spiritus ille veritatis, qui docturus erat Ecclesiam omnem veritatem, non sit obligatus certo generi personarum in Ecclesia, sed possit etiam in plebe & multitudine, hoc est in aliquibus ex plebe, & multitudine reperiri; illi etiam in stabiliendis rebus fidei suam pro modulo operam conferunt, vt docebo. Atq; ex hoc etiam Ecclesia non parum continet Democratiæ.

a 1. Pet. 2.

b Supra c. 7. n. 28. huius.

c Dist. 83. c. fin.

d Rom 13.

e 1. Tim. 3.

f Io. 16.

XI.

Posuimus in Ecclesia & Monarchiam, non tamen illam quam moderni ponunt Monarchici: & Aristocratiam aliquam: & certo modo etiam Democratiam: In his omnibus à Monarchicis plurimum dissentientes: propterea, vt positio nostra ab eorum oppugnationibus vindicetur, missa quidem nunc exactiori ipsius probatione, & in sua loca reiecta, respondendum est ad ea quæ contra nostram positionem prædictam opponunt nostri recentiores. Monarchiam itaque suam in primis vt astruant; & inter ipsos Ecclesiæ ministros vnum supremum, cum suprema supra totam Ecclesiam, & alios omnes ministros iurisdictione, esse tueantur, multa adducunt vndequaque petita [g] Turrecremata, [h] Sanderus, & [i] Bellarminus, & alij cum ipsis; quæ quatenus meis assertionibus possint obesse, neque sunt mihi dissimulanda, neque insoluta relinquenda.

g Turrecrem. l. 2. de Eccles. c. 2.
h Sander l. 3. & 4. de Visib. Monar.
i Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 2. & 9.

XII.

Primum itaque opponunt Monarchiam simplicem, simplici Aristocratiæ, & Democratiæ præstare. Ego verò respondeo hoc nihil, vt initio dicebam, ad nostram rem facere: non enim disputamus de eo quod fieri deceret, & secundum humanam prudentiam deberet: sed de eo quod iam factum est: & quærimus qualem Rempub. Christus in facto instituerit, perpetuo retinendam, non qualis instituenda per humanam sapientiam, quæ in rebus diuinis potius insipientia est, videretur. Humana enim ratio fidei nostræ ancillari debet vt pedisequa, non dominari vt magistra. Et humanam philosophiam sæpissime cernimus tanquam animalem, non percipere quæ Dei sunt. [k] Quid Athenis, & Hierosolymis? *inquit Tertullianus*, quid Academiæ, & Ecclesiæ?] Et Hilarius; [l] Hoc, *ait*, stultitiæ humanæ

k Tertull. de præscript.
l Hilar. l. 6. de Trin.

humanæ error incepit, dum quod sapiunt, ex se potius quam Deo sapiunt.] In facto verò iam probauimus Christum inter suos ministros noluisse Monarchicam gubernationem, sed aliam maxime ad Aristocratiam accedentem. Et quia illa omnino forma regiminis in Ecclesia erat optima futura, cæterisque præstantior, quam Christus instituisset, cum ea fuerit fere Aristocratica, eam omnino alijs præstare in Ecclesiæ regimine, necessario est fatendum: nisi velimus nos æternæ sapientiæ modum, & leges præscribere, eamque humanæ censuræ subijcere: quod esset summæ & stultitiæ, & impietatis. Respondeo præterea, quandoquidem Monarchia simplex præstat cæteris Reipublicæ formis, propterea Deum Opt. Max. Ecclesiam suam, sub vnico capite & Rege Christo Domino totam disposuisse, & collocasse, vt iam pluribus est à me explicatum. Respondeo denique, si quid incommodi habet Aristocratia, cui Monarchia facilè possit obuiare, Ecclesiam Spiritu Christi instructam, propterea & in singulis Ecclesijs voluisse Monarchiam, & in se tota Aristocratiam; vt altera alterius vitia corrigeret, & tolleret incommoda.

XIII. Adde verò multa adduci testimonia à Monarchicis Sapientum, quæ potius multorum per se singulorum diuisim regnare simul & imperitare conantium confusionem reprehendunt; quam veram Aristocratiam Optimatum; qui non singuli, sed omnes simul exerceant gubernationem. Pleraque etiam non totalem & vniuersalem; sed partialem tantum quam in Ecclesia non negamus, laudant, & approbant Monarchiam. Quale est quod dicit Cyprianus; [a] Rex vnus apibus; dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus.] Et Hieronymus; [b] In apibus principes sunt; grues vnam sequuntur ordine literato: Imperator vnus, Iudex vnus Prouinciæ; Roma vt condita est duos fratres simul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur: singuli Ecclesiarum Episcopi, &c.] Singula enim apum examina habent, vt fertur, suum Regem; non tamen omnes apes totius mundi sunt sub vnico Rege. Ita de gregibus, de armentis, de gruibus, de exercituum Imperatoribus, de Iudicibus Prouinciarum, de solius Romanæ Ciuitatis Rege, de Episcopis, &c. Sed instat [c] Bellarminus, Ecclesia non est nisi vna, sic vnum alueare, & vna caterua dici potest. Itaque vniuersa Ecclesia quia vna, vnum ductorem debet habere.] Ego verò iam ostendi cum Cypriano, Ecclesiam totam vniuersalem esse quidem vnam, sed quæ ex multis partialibus coalescat. Sicut maximus grex multos necessario requirit pastores, quia ab vnico regi non potest; & maxima vinea quam vnicus agricola solus non potest colere, indiget multis: & est quidem vnica tantum Ecclesia, non quidem collectione numerali, quia sic multæ sunt, sed fide, caritate, & Sacramentis. Et ratione huius vnitatis habet vnicum Regem, & Caput Christum Dominum. Quatenus verò collectione personarum est multiplex; hinc multos etiam requirit Rectores. Qui tamen omnes simul sumpti, vnicus in solidum censentur, illius vnius totalis & vniuersalis Ecclesiæ Rector; vt iam explicaui num. 8.

a *Cypr. tract. de Idol. vanitat.*
b *Hieron. ad Rusticum. cap. 4.*
c *Bellar. vbi supra. c. 2.*

XIV. Ordo, *inquiunt*, in Monarchia maior quam in cæteris est, & gubernatio magis ordinata; omnes enim subijciuntur, & vnus solus præest: non ita vbi aut omnes, aut multi sunt in suprema autoritate pares.] Atque ego ordinem non in multitudine & subordinatione graduum, sed in eo colloco, vt sint & qui subijciantur, & qui præsint: hoc autem est in omni Repub. cuiuscunque formæ sit. Nam etiam in Democratia ipsemet populus, qui vniuersus imperat, Magistratibus tamen à se institutis parêt in singulis; & ordinem seruat prælationis, ac subiectionis, Ita Optimates in Aristocratia omnes, & vniuersi imperant, singuli verò subsunt & parent. Imò in Ecclesia multo melius, & vtilius est, vt nemo sit, etiam ex Rectoribus, qui non subsit, & alicui pareat, vt ita à tyrannide ipsa sit immunis, quàm si adesset Monarchia; Monarcha enim Ecclesiæ cum nemini subsit, nemini pareat, nemini teneatur in terris suarum actionum reddere rationem, neminem timeat; ex hoc facilè potest labi: quod non est in Ecclesiastica Aristocratia, nam quicunque in hac Republica Dux, hoc est, quicunque Episcopus, siue Primas, siue Patriarcha, si peccat in Ecclesiasticam Rempub. habet coercentes se, & in officio continentes: Et quamuis in Repub. Aristocratica ciuili, ordo quidam exactus requiratur, in qua est vera iurisdictio, vera subiectio, & verum imperium: in Republica tamen Ecclesiastica id non reperitur, nisi respectu illius [d] qui potest & animã & corpus perdere in gehennam. Qua de re ex professo disputo lib. 5. cap. 2. Et sicut inter operarios in vinea laborantes nulla prælatio, nulla subiectio, sed omnes æque debent in vinea laborare, soli Domino vineæ subiecti; ita in Ecclesia. In qua inuenietemus postea lib. 3. Hierarchiam ab ipsamet Ecclesia institutam; sed sine vera, & propria subiectione, cum suaui quadam dispositione.

d *Matth. 10. 2*

XV. Pax, *inquiunt*, & coniunctio inter ciues certius, & facilius obtinetur, si vni parendum sit,

A sit, quàm si multis: vix enim fieri potest vt multi, quorum vnus ab alio non dependeat, de rebus ijsdem eodem modo iudicent: si igitur alius aliud imperet, aut alicui non parebitur, aut in varia studia populum scindi oportebit. Ita [a] Bellarminus: Sed hoc veram nostram Ecclesiasticam Aristocratiam non oppugnat. In ea enim singuli nostri optimates, hoc est Episcopi, nihil possunt toti Reipub. imperare; & lex seu imperium ab illis in totam Remp. aut nullum emanat, aut vnicum & idem, omnibus in ipsum, vel maiori parte consentientibus. Atque ita hoc incommodum in ea non est timendum. E contra verò præceptum omne & sanius, & salubrius à multis, vt plurimum prodibit, quàm ab vno: plus enim vident oculi quàm oculus: & facilius est vt vnus, ex animi perturbatione, ad legem iniquam ferendam moueatur, quàm multi. In nostro etiam casu, qui veram Aristocratiam in Ecclesia non habemus, huic incommodo adhuc melius prospectum est, dum singulis Ecclesijs singulos Episcopos præfici debere est compositum, & mandatum; ac vetitum ne quis in alienam messem falcem immittat.

a Bellar. de Rom. Pont. lib. 1. c. 2.

B

Addunt illud [b] vbi in amplis familijs multis seruis idem Ministerium assignatur, negligenter negotia procurantur, quod vnus alijs Prouinciam communem relinquat. Rex autem qui scit à se vno pendere omnia, cogitur nihil negligere.] Respondeo, Vbi sunt multi serui eidem operi applicati, segnioris negligentiam, fideliorum, & feruentiorum solicitudine suppleri; & opus, operisque Dominum, nihil propterea pati detrimenti: præsertim ea adhibita rerum moderatione, vt vnicuique seruorum sua pars separata operis assignetur: sic enim in alium onus suum nemo potest reijcere. Ac longè minus incommodum erit, si ex multis seruis, aliquis interdum negligenter suo satisfaciat muneri, quam si vni soli totum committatur opus, & ille socordia torpeat: nam non particula aliqua operis, sed totum opus Domini, illius torpore interibit. Regis verò exemplum ad rem nostram non est:

XVI.

b Bellar. ibid. cap. 2. in prin.

C

Rex enim sui Regni dominus est, ad proprietatem ipsius sceptrum quod gerit spectat, in causa propria etiam benè regendo laborat, sic enim & sibi, & posteritati post ipsum regnaturæ, consulit, dum & sibi, & posteris regnum florens, & pacatum facit. Propterea dum mente sanus est, regnum suum non potest negligere. At verò noster Ecclesiasticus, supra totam Ecclesiam Vniuersalem Monarcha, quem nostri ponunt, non habet vllum dominium in Ecclesiam, Ecclesia non est ipsius, sed Christi, ille verò purus ipsius Christi Minister, ad cuius proprietatem non spectat Ecclesia: in aliena verò, & non propria re facilè, imò nimium procliue est, esse negligentem. Ac propterea si Hieromonarcha hic noster non sit optimè in caritate erga Christum fundatus, tantò facilius conuerti potest ad [c] verberandos conseruos, & ad inebriandum se, & ad propria, suorumque sola commoda quærenda, & anxiè cumulanda; omisso toto sui Domini opere, ac penitus postergato.

c Mat. 24. & Luc. 12.

D

Aiunt etiam, [d] Ecclesia vnicum ouile est, cuius [e] vnicus etiam debet esse Pastor, & sane mortalis homo in terris, vt Petrus, & successores: Christus enim, *inquiunt*, loquebatur de ouili quodam in quo nondum erant Gentiles: at in ouili Dei cuius Pastor dicatur Deus, semper fuerunt tam Iudæi, quàm Gentiles. Ouile ergo illud erat, cui Petrus humana gubernatione præesset.] Hæc illi pluribus. Ego verò dico Christum loqui ibi de ouili suo, cuius ipse Pastor esset, Deus homo. Ouile enim verum Christi erat populus Iudaicus; ipse verò pastor ille erat, quem tandiu sibi à multis sæculis [f] Promissum expectauerat Synagoga. Et in hoc ouili nondum erant Gentiles, sed ingressuri ab ipso Christo prædicuntur; quorum etiam se Pastorem fore declarat; quippe qui ex vtroque populo vnicum ouile esset congregaturus. Quamuis ergo Deus fuerit semper totius humani generis Pastor; Christus tamen Deus homo, vt homo, Pastor humani generis totius non fuit; sed initio totius populi Iudaici, mox verò etiam Gentilium ad fidem ipsius conuersorum. Qua de re ita Augustinus disserit; [g] Ergo audite ipsam veritatem vehementius commendantem. Habeo, *inquit*, alias oues quæ non sunt de hoc ouili. Loquebatur enim primo ouili de genere carnis Israel; erant autem alij de genere fidei ipsius Israel, & extra adhuc erant in gentibus; erant prædestinati, nondum congregati, hos nouerat, quos prædestinauerat; nouerat, qui redimere sanguine suo venerat. Videbat eos nondum videntes eum, nouerat eos nondum credentes in eum. Habeo, inquit, alias oues, quæ non sunt de hoc ouili, quæ non sunt de genere carnis Israel; sed tamen non erant extra hoc ouile, quia oportet me adducere eas, vt sit vnus grex, & vnus pastor. Meritò huic pastori pastorum, &c.] Dicere etiam possumus cum Basilio; [h] Ouile illud in quo non erant Gentiles, fuisse synagogam, quam Christus per hoc ouile significabat. Interim tamen etiam Gentiles prædestinatos ad salutem, fuisse aliud eiusdem Christi ouile verè mundum, & sanctum.

XVII.

d Bellar. ibid. cap. 9.

e Ioan. 10.

f Deut. 18.

g Aug. Serm. 50. de Verbo Domini.

h Basil. Hom. 17. in Ps. 28.

Ait

Ait enim Christus, habeo alias oues, non dicit habebo; sed ex vtrisque ouibus, vnicum congregandum esse ouile, & non amplius distinctum, prædicit Christus.] Oues igitur & Dei, & Christi semper fuerunt tàm Iudæi, quàm Gentiles; sed primùm in distinctis ouilibus; postea verò, facta mundi redemptione, ad vnicum Christi ouile oues omnes sunt redactæ; quarum omnium verus & proprius pastor fuit Christus. Et hoc non per ingressum gentilium in ouile Iudæorum, quod factum non est; sed per reductionem & Gentilium, & Iudæorum, ad vnicum ouile nouum, quod est Ecclesia. A

XVIII. *Afferunt tamen locum* [a] *Cypriani dicentis, iccirco Dominus, insinuans nobis vnitatem de Diuina autoritate venientem, ponit & dicit, Ego & Pater vnum sumus. Ad quam vnitatem redigens Ecclesiam suam, denuo dicit, & erunt vnus grex, & vnus Pastor. Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente; nemini succedens, & à se incipiens, alienus sit & profanus.*] Sed quomodo obsecro Cyprianus, si non delirat, potest hoc loco intelligere vnicum pastorem totius vniuersalis Ecclesiæ, esse Cornelium Romanum, contra quem aliam Cathedram Nouatianus erexerat; qui dixit, *supra num. 8.* Pastores multi sumus, & vnum gregem pascimus? *Item,* Ecclesia vnus est Episcopatus, multorum Episcoporum concordi numerositate diffusus, & cuius à singulis Episcopis in solidum pars teneatur?] Quomodo ille qui in Petro noluit vnquam agnoscere solius, & supremi Pastoris curam, eam in Cornelio agnoscet? Quod igitur Christus de suo toto vno ouili, & de se ipso vno Pastore dixerat, id per accommodationem duntaxat Cyprianus applicat cuique singulari, & partiali Ecclesiæ; & in specie illi in qua Nouatianus schisma fecerat, hoc est Romanæ, cum ipse esset Romanus Presbyter; hoc sensu; Si de totali grege fidelium Christus dixit, se esse vnicum vnius gregis Pastorem, certe in partiali quacunque Ecclesia, in qua suo modo vnicus est grex, sed partialis, debet esse vnicus Pastor, quomodo Pastor erit Nouatianus, qui sedem collocauit in ea Ecclesia, in qua iam suus residet legitimus Pastor, in ea legitime collocatus? [a] *Cypr. l. 1. ep. 6* B C

XIX. Aliud ex eadem Cypriani epistola argumentum ducit pro sua Monarchia Bellarminus, quod tale est: [b] *Posteaquam Cyprianus, inquit, docuit Arcam Noe, typum fuisse Ecclesiæ, inde probat Nouatianum non potuisse fieri huius Arcæ gubernatorem, quia iam Cornelius factus erat; & Nauis vna vnum Rectorem postulabat, non plures.*] Verba tamen Cypriani non recitat, quia nobis, vt suspicor, imponere studuit. Quæ enim Bellarminus Cypriano hic appingit, apud Cyprianum nunquam in eo sensu ea reperies: Dicit etiam, Arcam Noe fuisse typum Ecclesiæ; & quemadmodum nemo tunc saluari per aquam potuit, qui in Arca non fuerit, ita, *inquit,* per Baptisma viuificari non potest, qui in Ecclesia non est.] Vt hoc pacto excludat Nouatianistas; & datis mox alijs ad hoc symbolis, & exemplis, pergit ostendere, *quamuis in hoc pie ipse Cyprianus erraret,* à Nouatiano baptizatos, baptismum vere non suscipere; & ait, Propter quod cum sola Ecclesia habeat aquam viuam, & baptizandi atque abluendi hominis potestatem, qui dicit apud Nouatianum baptizari, & sanctificari aliquem posse, prius ostendat, & doceat Nouatianum in Ecclesia esse, aut Ecclesiæ præsidere. Ecclesia enim Vna est, quæ Vna & intus esse, & foris non potest. Stenim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit: si verò apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit; & quem præter Sacerdotij honorem, Martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Ecclesia non est; nec Episcopus computari potest, qui Euangelica & Apostolica traditione contempta, nemini succedenti, à seipso ordinatus est: habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.] Hæc Cyprianus. Qui nec somniauit quidem quit quam de Cornelio gubernatore Arcæ: sed propterea probat Nouatianum non esse in Ecclesia, neque prælationem vllam tenere in Ecclesia, quia Cornelius illi Ecclesiæ particulari nempe Romanæ, præsidebat legitime, in qua Nouatianus sibi ipsemet, absque legitima electione & successione, sedem fixerat. At in vnaquaque Ecclesia, vnus tantum est legitimus Episcopus, legitima successione ordinatus. Proculdubio eodem argumento vsus fuisset Cyprianus, si Nouatianus schisma fecisset in quacunque alia Ecclesia, in qua esset proprius legitimus Episcopus: sed de Romana loquitur, quia in Romana schisma fecerat Nouatianus; non autem loquitur de tota Ecclesia Vniuersali. [b] *Bellarm. vbi sup. c. 9.* D

XX. Vrgent vlterius; *Si in singulis Ecclesijs Ministris omnibus & Parochis, ac toti clero inferiori præest vnus Episcopus: Episcopis verò omnibus vnius Prouinciæ vnus Metropolitanus: & in maioribus vrbibus Primates & Patriarchæ: cur non debet toti Ecclesiæ vnus* E

præesse

A præesse, cui Primates quoque & Patriarchæ subijciantur?] Respondeo, Hierarchiam hanc, & subordinationem inter Episcopos, ab ipsamet Ecclesia, solo iure humano Ecclesiastico, ad vitandas confusiones esse introductam: alioquin ex primaria institutione, omnes hi æquales sunt in potestate, iure diuino, vt fusè libro 2. & 3. disputabo. Et quamuis ad vitandam, vt dixi, confusionem, inducta sit hæc Hierarchia, in tantum tamen inducta est, in quantum sufficit ad prædictum finem. Schismatibus autem sufficienter occurritur, si alij alijs subijciantur, quousque commodè Hierarchicum hoc regimen exerceri possit. Itaque in vna Ecclesia vni Episcopo subduntur Parochi, & illius Ecclesiæ Ministri iure diuino. Plures verò Episcopi illius Prouinciæ iure Ecclesiastico vni subduntur Archiepiscopo, seu Metropolitano. Metropolitani plures plurium Prouinciarum vni similiter Primati eiusdem regionis. Primates verò vni Patriarchæ eiusdem Regni, seu plagæ orbis terrarum: qui
B verò sunt in longè diuersis Regnis, & plagis terræ, cùm non possint commodè frui beneficio vllius qui sit ab ipsis plurimum dissitus, iccircò Ecclesia primas sedes, quæ supra se alias sedes non haberent; fecit plures sedes Patriarchales. Concedo itaque in vna Prouincia vnum eminere Archiepiscopum, quia commodè ab vno potest regi; & sic de regionibus, ac Regnis: non tamen propterea concesserim Ecclesiam Vniuersam, cùm sit vna, ab vno vniuersali debere regi Gubernatore: quia Ciuitas, & Prouincia, & Regnum, commodè hoc regimine vnius potest frui, non sic totus mundus. Et Hierarchia isthæc, atque subordinatio, non nisi commoditatis gratia, & vt confusiones, multaque incommoda vitarentur, est vt dixi ab ipsa Ecclesia iure humano Ecclesiastico introducta. Sed de hoc plura suis locis.

Insurgunt præterea, propagationem Ecclesiæ à Monarcha fieri, cui incumbat solici- XXI.
tudo conseruandi totius Ecclesiæ corporis, & propagandi: & ab alio id fieri non posse.
C Imò re ipsa per Romanos tantùm Pontifices Ecclesiam esse post Apostolos propagatam. Quomodo enim, *inquiunt*, prædicabunt nisi mittantur? Mittere autem in alienas Prouincias, non est Episcoporum particularium, qui certis suæ Dioecesis finibus continentur, extra quos nullum ius habent.] Sed certè aut falluntur, aut nos fallere, ista dicendo, conantur: ostendam enim suis locis in sequentibus libris 2. & 4. Episcopos etiam particulares, magnam totius Vniuersalis Ecclesiæ curam gessisse; & de iure diuino, sicut Apostolorum singulorum fuit illimitata potestas, quod iam explicuimus; ita Episcopos quoscunque in quacunque parte potuisse fidem Christi dilatare. Et in Historijs ita etiam eos, facto ipso, potestatem hanc exercuisse, constare ostendam: & Patriarchas postea omnes ac Primates, & Metropolitanos in hoc, ex officio speciali, inuigilasse, singulos in suis regionibus, Regnis, & Prouincijs, ac vlterius etiam circa ipsas suas regiones; vt nouis ab eis missis
D Apostolis, & Prædicatoribus, ac Episcopis, nouas ad fidem Christi reducerent, quæ circa se essent, nationes. Romanos verò Pontifices in partibus terræ occiduis tantùm, & non in alijs, sed neq; solos, hanc olim feciisse fidei propagationem, facilè concesserim; quia in toto Occidente solus Romanus Pontifex summum habet Patriarchatum. Sed de his omnibus etiam plura posteà.

Addunt vnitatem fidei postulare necessariò Monarchiam, vt sit vnus Iudex in rebus, & XXII.
controuersijs fidei, cui omnes acquiescere teneantur. Quasi verò Christus Dominus suum Spiritum, & suam assistentiam, quam promisit in suo discessu corporali, vni soli homini obligârit; & non potius omnibus Apostolis, & successoribus dixerit; [a] Ecce ego vobiscum a Matt. vlt.
sum, vsque ad consummationem sæculi: totaque Ecclesia, & non solus Romanus Pontifex dicatur à Paulo; [b] Columna, & firmamentum Veritatis. Ostendam equidem libro 7. b 1. Tim. 3.
E ex diuina institutione, supremum iudicium, & supremam decisionem rerum fidei, penes Concilia semper, approbante deinde tota Ecclesia, fuisse. Quid enim post Scripturas continet in officio benè credendi & docendi, omnes Episcopos, circa mysterium Trinitatis, nisi Decretum Concilij primi Nicæni, à tota Ecclesia statim admissi, & approbati? Circa verò mysterium Incarnationis, Decreta Concilij Ephesini. Quis sustulit tandem dubium de Hæreticorum Baptismo, & eam controuersiam sedauit, quæ Cypriani tempore totum penè mundum vexauit? [c] Plenarium Concilium, inquit Augustinus: Et sic de alijs, vt libro c Aug. de Bapt. contra Donat. l. 2. c. 4.
septimo fusè explicabo.

Non contemnendum adhuc illud habent Ecclesiasticæ Monarchiæ patroni cui nituntur XXIII.
argumentum, nimirum Ecclesiam Christi, quæ nunc est in terris sub Euangelio, eandem prorsus esse, quæ olim fuit sub Natura, & sub Lege: Quòd si vetus illa Ecclesia Monarchiæ semper formam, respectu humanæ visibilis gubernationis retinuit, quæ primum à singulis Patriarchis, incipiens ab Adamo, subsequentibus Seth, Noe, Melchisedec, Abra-

ham, Isaac, & Iacob, in vtroque foro erecta fuit: Deinde sub lege à Moyse, Aaron, & stirpis ipsius summis, & singulis Sacerdotibus successiuè, in spiritualibus semper fuit gubernata: in temporalibus verò ab eodem Moyse, Iosue, Iudicibusque pluribus, ac tandem Regibus, vsque ad Christum fuit administrata: Cur eadem forma regiminis adhuc non perseuerat? Hoc argumentum fusè de more tractat [a] Sanderus: tractat & [b] Bellarminus. A

a Sander. de Visib. Mon. l. 2. c. 3. & l. 3. c. 3. & 4.
b Bellarm. l. 3. de Verbo Dei. c. 4 & l. 1. de Rō Pont. c. 2. 3. 9.

XXIV. Negare equidem neque debeo neque possum vnam essentialiter, & eandem esse Ecclesiam veteris ac noui testamenti: cœtus enim hominum Diuina fide imbutorum, Dei Ecclesiam facit; & scribit optime Origenes, hoc pacto: [c] Non tu mihi ex aduentu Saluatoris in carne sponsam dici, aut Ecclesiam putes; sed ab initio humani generis, & ab ipsa constitutione Mundi; imò vt Paulo duce altius mysterij huius originem repetam, ante etiam constitutionem Mundi. Sic enim dicit ipse; [d] Sicut elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essemus Sancti, & immaculati coram ipso in charitate, prædestinans nos in adoptionem filiorum. Sed & in Psalmis scribitur, [e] Memento congregationis tuæ, quam cōgregasti ab initio. Prima enim fundamenta congregationis Ecclesiæ statim ab initio sunt posita, vnde & Apostolus dicit, [f] Aedificati Ecclesiam non solum super Apostolorum fundamenta, sed etiam Prophetarum. Inter Prophetas autem numeratur & Adam, qui magnum mysterium prophetauit in Christo, & in Ecclesia dicens, [g] Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.] Hæc Origenes: Similia etiam paucis Chrysostomus; [h] Omnes, *inquit*, vbique terrarum fideles, & qui iam sunt, & qui fuerunt, quique futuri sunt: denique & qui ante Christi aduentum Deo placuerunt, vnum corpus sunt.] Incipit ergo Ecclesia in Adam, & eadem perseuerat vsque ad consummationem sæculi. B

c Orig. Hom. 2. in Cant.
d Ephes. 1.
e Psal. 73.
f Ephes. 2.
g Gen. 2.
h Chrysin Ep. ad Ephes. homil. 10.

XXV. Sed sicut etiam Ecclesia triumphans in cœlis, cum Ecclesia militante in terris vnica est Ecclesia, quia vnus & idem Deus qui se reuelauit, & reuelat vtrique, quique est vtriusque vltimus finis, & summa beatitudo; & solis accidentibus inter se differunt, viæ, & Patriæ; [i] visionis facie ad faciem, & fidei per speculum in ænigmate, ac similibus; non propterea licet argumentari à regimine Ecclesiæ triumphantis, ad regimen militantis: illa enim quæ est [k] Ecclesia primitiuorum, regnat cum suo Rege capite Christo Iesu, nec indiget amplius ministerijs humanis: Nos verò ijs plurimum egemus, & ipsis ministris Ecclesiasticis in multis subdi tenemur; de quorum duntaxat regimine nunc disputamus; qui in cœlis nulli sunt, nullaque vera prælatio, nulla subiectio propria cuiquam puræ creaturæ. Etsi inter Angelos aliqua sit disparitas, & inæqualitas, superioritas & inferioritas, illa tamen est longe alterius generis ab ea, quæ in terrenis Rebuspublicis, & humanis gubernationibus reperitur; & non nisi aliqua similitudine, & proportione correspondens. Ita ergo primùm respondere possumus, etsi vnicam Ecclesiam fateamur veterem ante Christum, & nouam post Christum, in essentialibus; in accidentalibus tamen plurimum eas differre: illa enim tota timore regebatur, nostra amore; illa vt plurimum carnaliter, & temporaliter; nostra spiritualiter: illa sub vmbris, & spe Christi communis capitis; nostra sub ipsomet Christo & viso, & audito: Quid mirum igitur si modus etiam regiminis esset in vtraque diuersus? vt illa Monarchicè, nostra Aristocraticè gubernetur; ita temporibus varijs, variisque circumstantijs exposcentibus: Nam & varietatem magnam in multis perspicimus manifestè. [l] Multa enim, *inquit Gratianus*, concedebantur tunc, quæ nunc penitus prohibentur. Tunc enim [m] Samuel Agag pinguissimum Regem Amalec in frusta diuidendo concidit: nunc nulli Ecclesiastico rum iudicium sanguinis agitare licet: Tunc Phinees Iudæum coeuntem cum Madianita interfecit, & reputatum est ei ad iustitiam, hodie Sacerdotibus in perniciem sui officij verteretur.] Modus ergo regiminis fuit valde diuersus: & concedit Sanderus, dum ait. [n] Si hoc ita euenisset in veteri testamento, tamen nulla ratio cogeret vt idem in nouo testamento fieret, cum mutata sit ratio Ecclesiastici regiminis.] C D E

i 1. Cor. 13.
k Heb. 12.
l 2. q. 7. c. Nos si. §. Item.
m 1. Reg. 15.
n Sander. l. 2. de Visib. mon. c. 3.

XXVI. Vt autem huic argumento cumulatius fiat satis, Respondeo secundo, Ecclesiam veterem in duplici statu posse considerari; videlicet ante legem scriptam, & post legem scriptam: Certè ante scriptam legem vix vnam possumus formare Ecclesiam vniuersalem visibilem, & conspicuam; sed multas tamen obseruamus partiales in singulis ferè familijs; vt in familia Adami, Seth, Enos, Henoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, & duodecim filiorum: Et in his, similibusque familijs, primogenitos fuisse Sacerdotes est multorum opinio, vt tradit [o] Hieronymus; qui coniicit hæc esse primogenita quæ vendidit Esau fratri suo Iacob. Sed institutio iam Leuitico Sacerdotio, lex scripta pri-

o Hier. in tradit. & in Ep. ad Euag.

moge-

A mogenituræ prærogatiuam illam tantum assignat, vt primogenitus [a] duplam habeat in patrimonio portionem) Cum itaque plurimi essent primogeniti, singuli in singulis fidelium familijs, nullusque expressè appareat, qui supra alios emineret, nullus aliorum esset ordinator, aut rector, Monarchiam hanc Ecclesiasticam in tota lege naturæ non est reperire. Atque hoc potissimum verum est in duodecim familijs filiorum Iacob, dum essent in Aegypto, antequam Moses, & Aaron ipsis præficerentur. Certè de Melchisedec scribit hæc Chrysostomus; [b] Sacerdos autem erat fortè à semetipso ordinatus, sic enim tunc erant Sacerdotes.] De regnis verò, &c. Monarchijs ciuilibus, in regimine Laico, & temporali, non laboramus.

[a] Deut. 21.

[b] Chrys. hom. 35. in Gen.

In eodem statu inter Gentiles quoque non modo erat Melchisedec Sacerdos Dei Altissimi, quem etiam templum habuisse, scribit [c] Iosephus; Verumetiam circa tempora Moysis fuit Iob vir fidelis, & iustus, imò & Sacerdos; de quo hæc Origenes; [d] Quis autem offerebat easdem hostias? Certum est quod ipse Iob, si enim post hoc pro amicis suis ipse iussus est [e] offerre, atque hostias immolare, multo magis pro filijs suis ipse offerebat sinceras, atque Deo placabiles hostias. Erant nihilominus ea tempestate Sacerdotes, necdum adhuc à lege ordinati, sed naturali sapientia hoc requirente, ac perficiente; Ita sacerdotio functus est Noe; ita sacerdotio functus est Abraham; ita sacerdotium gessit Melchisedec, ita & ipse Iob post illos sacerdotio functus est. Sed interim, sicut diximus, erant etiam Sacerdotes per loca, qui pro indigentibus hostias offerebant Domino, per diuersa tempora. Quod autem fuerint pro certo Sacerdotes illo tempore, ostendit ipse Iob, dicens; [f] Qui mittit Sacerdotes captiuos. Siue ergo memorati Sacerdotes, siue ipse per semetipsum Iob offerebat hostias pro illis, secundum numerum illorum] Hæc Origenes, Quis ergo, obsecro, potuit his omnibus Sacerdotibus, tum inter Hebræos, tum inter Gentiles politis, & dispersis Monarchicè præesse?

B

[c] Ioseph. l. 7. de bell. Iud. c. 18.

[d] Orig. in Iob. lib. 1.

[e] Iob 42.

[f] Iob 12.

C

Post legem filijs Israel datam, Leuiticumque Sacerdotium institutum, adhuc Ecclesiam Israeliticam, quam Synagogam vocabulo generali solemus appellare, vnam partialem Ecclesiam, non totalem, nec vniuersalem facere debemus: nam extra Synagogam quoque inter Gentes adhuc fuisse fideles, & Ecclesias; licet non tam visibiles, nec apparentes, si alia non probarent, certè insignis Ionæ Prophetæ in Assyrios Gentiles, in magnam Niniuem expeditio satis manifestat; cuius prædicatione redacti [g] Niniuitæ ad pœnitentiam, iram Dei à se sunt deprecati. Erant igitur, aut saltem facti sunt Niniuitæ fideles, Dei veri cultores, à Leuitico Sacerdotio nihil penitus dependentes.

[g] Ionæ Prophetia.

Quia ergo summus Israelitarum Sacerdos erat vnius particularis Ecclesiæ Pontifex, hinc est quod Anacletus, Aaron nostrorum Episcoporum locum tenuisse in figuram asserat, dicens; [h] Si ergo Aaron filij Presbyterorum figuram gestabant, & Aaron summi Sacerdotis, id est Episcopi, Moyses indubitanter Christi tenebat formam.] Damasus verò, [i] Nec in lege Domini, *inquit*, quæ Moysi ab ipso Domino legitur dictata, de his quæ summis Sacerdotibus, id est Moysi, & Aaron erant specialiter concessa, filij Aaron quicquam præsumebant. Nulli enim dubium est quod Moyses, & Aaron soli, præcipiente Domino, in [k] Tabernaculo Dei erigebant altare, soli vngebant, soli Sacerdotes facta vnctione instituebant, & alia, quæ ad summum Sacerdotium pertinebant, de quibus sufficienter in Diuinis legitur literis, agebant; quoniam summi Domini Sacerdotes erant, sicut de eis scriptum est, [l] Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius: sic & modo, quia vmbra legis transijt, & lux Euangelij in nos, Dei gratia, manifestè coruscat, de his, quæ in summis Sacerdotibus, id est Episcopis sunt, quorum figuram Moyses & Aaron tenuerunt, illi qui septuaginta discipulorum formam gestant, in quorum videlicet typo filij Aaron erant, nihil præsumere debent; sicut nec illi quicquam de summi Sacerdotij ministerio attingebant.] Idem repetit totidem fermè verbis [m] Leo, & [n] Concilium Spalense. Hieronymus verò ait; [o] Quod Aaron & filios eius, hoc Episcopum & Presbyteros esse nouerimus.] Concilium Aquisgranense sub Ludouico Imperatore, sic habet; [p] Quo in loco contemplari oportet Aaron summum Sacerdotem, id est Episcopum fuisse: & filios eius Presbyterorum figuram præmonstrasse.] Theodulphus Abbas Floriacensis, & Episcopus Aurelianensis, ille, cuius carmen Ecclesia nostra in die Palmarum occinit, quod incipit; Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christi redemptor, &c. ante octingentos pene annos, & ipse sic ad suos Presbyteros Aurelianenses scribit; [q] Scitote vestrum gradum, nostro gradui secundum, & pene conuinctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradum summi Pontificis

D

[h] Anaclet. ep. 2.

[i] Damas. ep. 5.

[k] Num. 7.

[l] Psal. 98.

E

[m] Leo ep. 92. tom. 1 par. 2.

[n] Concil. Spalen. c. 7.

[o] Hieron. ep. 2.

[p] Concil. Aquisgr. c. 9.

[q] Apud Baron. tom. 9. ann. 835. num. 5.

a Iuo ep. 63.

Aaron; isti verò filiorum eius.] Iuo denique Carnotensis; Quid Aaron, *inquit*, nisi summos Sacerdotes; quid filij eius, nisi minores significant Sacerdotes?] Horum omnium autoritate motus aliquando Bellarminus, non amplius summum Romanum Pontificem, sed vnumquemque Episcopum eundem locum in Ecclesia habere fassus est, quem Aaron habuit in Testamento veteri: Sic enim scribit; [b] At Episcopi id sunt in Ecclesia, quod erant Pontifices in Testamento Veteri: id Presbyteri apud nos, quod illic minores Sacerdotes: vt etiam id Diaconi nostri, quod illorum Leuitæ, vt dicit Damasus in Epistola 3. de Chorepiscopis, Hieronymus in Ep. ad Euag. 81. Leo in Ep. ad Episc. Germ. & Galliæ 88. Concil. Hispal. 2. can. 7. & alij permulti grauissimi autores.]

b Bellar. lib. 1. de cler. c. 14.

XXX.

Cyrilli Alexandrini huius figuræ applicatio, ab his non nihil diuersa, plurimum mihi arridet; ait enim: [c] Tabernaculo præficit Aaron, & filios eius cum eo: Custodient, inquit, sacerdotium suum, & omnia quæ pertinent ad altare, & quæ sunt intra velum: id est illa secretiora, ac mystica magis, & eorum officia qui diuino altari præsto erant. Ac perspicuè quidem ea figura ad Christum pertinet, quem constituit Pater super domum suam; cuius domus nos sumus. Cæterum non incongrue illi Aaron in sacris operibus administro, sanctum illum, & admirabilem Apostolorum chorum quodammodo cooperantium, atque ministrantium Christo, significare poterunt. Dei namque cooperatores fuerunt, & asseruatores, dispensatoresque mysteriorum Dei, atque ministri etiam per quos credimus.] Aaron igitur aut Episcopum quemcunque particularem repræsentabat, aut si alium Episcopis superiorem, is fuit Christus; vt optimè Cyrillus explicabat.

c Cyrill. l. 13. de ador. in Sp. & ver.

XXXI.

Sicut igitur Aaron & successores ipsius summi Pontifices, non præerant vlli Pontifici, sed solis suis sacerdotibus Leuitici generis; & non alijs, qui erant in Ecclesijs Gentilium; ita quilibet Episcopus præest suis sacerdotibus, & non alijs, qui sunt alterius Episcopatus. Et sic habemus Monarchiam in partialibus Ecclesijs, & non in totali vniuersali Ecclesia, ita nunc post Euangelium, sicut prius ante Christi aduentum. Fateor equidem latissimè Israeliticum populum fuisse diffusum extra Palæstinam inter Gentes, & Nationes; nego tamen aut Templa, aut loca sacrificiorum multiplicata habuisse: sed vno tantum loco [d] quem eligeret Dominus, illius populi sacrificia peragebantur: postremus fuit celeberrimum Templum Hierosolymitanum. Ac propterea vnicum habebant collegium sacerdotum, & consequenter vnicum caput, & summum Sacerdotem. Quod si multiplicata Templa habuissent in multis Prouincijs, & Regnis diuersis, & super omnes omnium Templorum Sacerdotes, etiam summos, Hierosolymitanus Pontifex ius & imperium habuisset, argumentum hoc à Synagoga desumptum speciosiùs contra nos polleret.

d Deut. 12.

XXXII.

Habebant profectò Iudæi per totum orbem, & habent Synagogas, & in Synagogis suos Archisynagogos; sed hi neque Sacerdotes erant, neque Hierarchico vllo ordine fuerunt cum summo Pontifice Hierosolymitano colligati. Quamuis ex proprio capite, absq; vlla probatione, aut indicio, [e] Sanderus, etiam Archisynagogos per totum orbem dispersos, Hebræorum summo Pontifici supposuerit: Bellarminus etiam, absque vllo fundamento & ipse asserit, [f] Mosem ordinasse Remp. Iudæorum, scripsisse eis leges, quas à Deo acceperat, Aaronem consecrasse Pontificem, eique vni Sacerdotes omnes, & Leuitas subiecisse. Ac deinde vsque ad Christi tempora, *addit idem*, nunquam defuit vnus Princeps Sacerdotum, qui omnes Synagogas totius Mundi gubernaret.] Quia tamen hæc vltima additio probatione indigebat, eam verò nullam habebat; & additio ipsa totam vim dabat argumento; artificiosè illud subdit. Id quod facil eprobari posset; nisi ab Aduersarijs concederetur,] Et affert ex Magdeburgensium Centurijs quoddam dictum, quo asserunt Summum Iudæorum Sacerdotem omnes agnoscere, & ei parere debuisse. Qui tamen de Synagogis ne verbum quidem: Et, si illi idem dicerent, ego omnibus in hoc contradicerem: Ac merito sane: Summi etenim Sacerdotis tota potestas vltra Sacerdotes & Leuitas non extendebatur: cuius officium si totam sacram Scripturam reuoluas, circa sola sacrificia, & Altaris, Tabernaculi, ac Templi seruitutem occupari inuenies. Quæ ipsius officia & munera facile est enumerare; Hæc enim fuerunt: Vt [g] Tabernaculum ingressus quotidie lucernas concinnaret: [h] Ingressus verò in Sanctuarium, incensum ad altare thymiamatis adoleret: [i] Singulis hebdomadis panes propositionis conficeret, & in mensa eorum haberet: [k] Sacrificia populi, vna cum Sacerdotibus interdum, præsertim festis diebus faceret: [l] Semel in anno in die expiationum sacris vestibus indutus ingressus Sanctuarium, ipsum cum altari, thymiamatis expiaret, & simul pro se, ac domo sua, & toto populo preces funderet. In Synagogis verò, aut circa Synagogas nihil vnquam Pontifices

e Sander l. 4. de visib. Mon. c. 4. in fine.

f Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 9 Tertia ratione.

g Exod. 27 & Leuit 24. & 2. Paral. 13.

h Exod. 30. & 1. Reg. 2. & 1. Paralyp. 6. & 26.

i Leuit. 24. & 1. Reg. 21.

k Leuit. 9. & Iosephus de bello lib. 6.

l Exod. 30. & Leuit. 16. & Heb. 9.

A ces habuisse iuris ac muneris, quod sciam, inuenitur. Dices, Nonne [a] Saulus obtinuit à Principe Sacerdotum Epistolas in Damascum ad Synagogas? Respondeo epistolas illas non fuisse solius Principis Sacerdotum, sed totius Concilij, cui ille præsidebat. Nam causæ omnes graues, & difficiliores circa Religionem præsertim, in Concilio erant iudicandæ, ex [b] Moysis primum, deinde ex Regis [c] Iosaphat renouata institutione, de quo mox dicam. Cum itaque ageretur de summa rerum ad Religionem spectantium, nimirum de Messiæ, quam Iudæi putabant, fictione; & de Diuinitatis ab homine, vt excæcati censebant, vsurpatione, negotium erat vel maximè omnium in Concilio discutiendum. Ideoque [d] Collegerunt Pontifices & Pharisæi hoc Concilium, dum Christus multa signa faceret. Et iterum quando ad capiendum Iesum [e] Missi sunt cum Iuda milites, à principibus Sacerdotum, & Senioribus populi. *Item*, quando captum Iesum coram se statuerunt, [f] vbi B Scribæ & Seniores conuenerant: tunc enim Principes Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falsum testimonium. Et rursum contra Iesum, [g] Concilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi. Apostoli prædicant Christum, tunc iniecerunt manus in eos, & posuerunt in custodia publica, & [h] Conuocauerunt Concilium, & omnes Seniores filiorum Israel, & statuerunt eos in Concilio: cæsi fuerunt, & ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. [i] Contra Stephanum commouerunt plebem, & Seniores, & Scribas, & adduxerunt eum in Concilium; & mox eiecerunt extra ciuitatem, & lapidatus est.] Si hæc omnia in causa Christi, & Apostolorum, in Concilio sunt peracta, certè etiam Epistolas, pro eadem causa, summus Pontifex, tanquam huius Concilij præses, dedit Saulo ad Synagogas, vt persecutio in Christianos ex Iudæis conuersos excitaretur.

a Act. 9.
b Deut. 17.
c 2. Paral. 19.
d Ioan. 11.
e Luc. 23.
f Matt. 26.
g Mat. 27.
h Act. 5.
i Act. 6.

XXXIII.

Quid verò in Synagogis tractabatur? Sacra Scriptura legebatur, & illa explicabatur. [k] Moyses enim, *inquit Iacobus*, à temporibus antiquis, habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.] Princeps Synagogæ, seu Archisynagogus is assumebatur, qui doctrina, & legis intelligentia esset insignis: neq; propterea aut ipse, aut quicunque alius qui in Synagoga disputaret, erat ex certa Tribu, aut ex vllo certo ordine Hierarchico Ministrorum. Ita enim [l] Christus celebrabat Synagogas, & docebat, & magnificabatur ab omnibus, & traditus est illi liber [Isaiæ Prophetæ, &c.] Et ipse testatur dicens; [m] Ego semper docui in Synagoga.] *Item*, Apostoli [n] prædicabant Verbum Dei in Synagogis Iudæorum. [Sed neque Christus, neque Apostoli erant Leuitici ordinis Sacerdotes, neque in hoc subdebantur Principi Sacerdotum. Vanum ergo prorsus est, quod dicunt Monarchici, summum Iudæorum Pontificem omnibus Archisynagogis præfuisse, & totius mundi Synagogas gubernasse. Quæro enim vlterius, in quo gubernatio hæc consistebat. Certè alia non potuit esse nisi in institutione, quia nullum aliud erat in Synagogis exercitium, nisi doctrinale, vt vidimus. Arqui summum Sacerdotem non fuisse Legis vnicum interpretem, facilè est comprobare; primùm quia sic legimus in Hieremia: [o] Ibo igitur ad optimates (*non dicit ad Pontificem*) & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui.] Deinde quia Iosaphat Rex constituit in Hierusalem, Leuitas & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, vt iudicium, & causam Domini iudicarent, &c. [p] Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicunque quæstio est de Lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum.] Nunc quæro si in aliqua synagoga dubium aliquod emergeret, quod in ea solui non posset, ad quem erat recurrendum? Sanderus & Bellarminus responderent ad summum Pontificem; at sacra Scriptura docet, ad Concilium Hierosolymitanum, multorum sapientum, sacerdotum, & laicorum fuisse recurrendum.

k Act. 15.
l Luc. 4.
m Ioan. 18.
n Act. 13. 14. 17.
o Hier. 5.
p 2. Paralip. 19.

XXXIV.

Deinde constat penes sacerdotes, & ipsorum Pontificem, solum externũ Tabernaculi, & Templi, ac sacrificiorum regimen, & exercitiũ resedisse. Nam & Iosephus; [q] Lex, *inquit*, Sacerdotibus in communi quidẽ res præcipuas dispensare permittit; summo verò Pontifici aliorum Sacerdotum principatum competenter iniungit.] Itaque summus Pontifex non nisi super Sacerdotes habuit Principatum, & sanè Ecclesiasticum, non ciuilem. Quæ verò ad populi institutionem, correptionem, reprehensionem, verbi prædicationem, legis explicationem, & totius Synagogæ vniuersalis illuminationem, & spiritualem gubernationem pertinebant, ea omnia non per Sacerdotes solos, sed etiam per Scribas, legis Doctores, & præcipuè per extraordinarios Prophetas exercebantur. Vnde & meritò Paulus Ecclesiam fundatam esse ait [r] Super fundamentum Apostolorum (*posito Christum*) &

q *Iosephus lib. 2. contra Apion.*
r Ephes. 2.

Prophetarum, *ante Christum*, non dicit super fundamentum Apostolorum, & Sacerdotum, ac Pontificum. Et sane [a] super Cathedram Moysi, in qua doctrina fidei est explicanda, sederunt, Christo Domino teste, non Sacerdotes, & summi Pontifices, sed Scribæ, & Pharisæi, qui ex ordine Leuitico non erant: nam semper vt diuersi nominantur in Euangelijs Sacerdotes, & Leuitæ, & Scribæ, seu Legisperiti, & Pharisæi: quamuis ex Legisperitis potuisset esse aliquis Pharisæus: nam Pharisæi, & Legisperiti, erant, vt apud nos, Religiosi, & Theologi, *inquit Iansenius*: [b] Illi ex sua professione, & ordine præ alijs maiorem sanctitatem præ se ferebant: hi verò maiorem in scripturis doctrinam.] Sed tamen Scribæ qui essent etiam Pharisæi, [c] dicuntur diligere primas cathedras in Synagogis, (*ad docendum*) neque in eo quod ex officio docerent reprobantur, sed quia essent hypocritæ, & alligarent onera indiscreta populis. Vides igitur in numero Ecclesiasticorum fuisse Scribas, & Pharisæos, quibus tamen summus Pontifex non præesset: & præcipuè etiam Prophetas, qui Primas in regimine Ecclesiastico populi in fide & moribus, semper tenuerunt, & à Sacerdotibus atque Pontificibus nunquam dependerunt; neque inter se vllum aliud caput, præter Deum immediatè, agnouerunt; tametsi non raro Sacerdotalia quoque obirent munera, sacrificantes. Nonne Gedeon de Tribu Manasse [d] erexit altare in Ephra, ibique obtulit holocaustum Domino? Nonne Samuel Propheta Domini, de tribu quidem [e] Leui, non tamen ex descendentia Aaron, Sacerdotio & ipse functus est, & toties extra locum Tabernaculi [f] sacrificauit? Nonne idem fecit [g] Elias Thesbites? Ostendat mihi qui potest quam subiectionem habuerit Gedeon ad Phineem, seu Abisuem summum Sacerdotem, cui sola tribus [h] Leuitica suberat, & non nisi in ijs quæ ad sacrificia, & cultū Tabernaculi spectarent; in alijs enim ad vitam ciuilem pertinentibus, vt [i] aliæ tribus, ita & Leuitica suos habebat [k] Principes, & Iudices ipsam regentes, & [l] iudicantes; Quid Samueli cum [m] Achimelec, seu [n] Abiathare summis Pontificibus, si ipsis inscijs, & inconsultis erigebat pro suo libito altaria, & congregabat populum ad sacrificia in [o] Masphat, Bethel, Galgala, Ramatha, [p] Bethleem? Ita de Elia, & alijs. Quis ergo Monarchiam vniuersalem Ecclesiasticam in Synagoga, audebit inducere in qua constat ne vestigium quidem ipsius apparere?

a Matth. 23.
b Iansen. in Concor. c. 84
c Luc. 11. & Matth. 23.
d Iud. 6.
e 1. Paral. 6.
f 1. Reg. 16.
g 3. Reg. 18
h Num. 3.
i Exod. 18.
k Deut. 1.
l Num. 5. 6.
m 1 Reg. 20.
n 1. Reg. 23. & 30.
o 1. Reg. 7.
p 1. Reg. 16.

XXXV. Iam verò expressam in veteri Iudæorum Ecclesia Aristocratiam in spiritualibus, ostendamus: vt vel sic tandem Monarchici obmutescant Et quidem de spirituali, si solos ad peragenda rite sacrificia dantaxat, & ad cultum seruitiumque Tabernaculi primùm, deinde Templi deputatos ministros excipias, inter quos quandam Monarchiam facilè est agnoscere; reliquum quicquid ad Ecclesiasticum, & spiritualem cultum potuit pertinere, id totum, si humanam spectemus operam, à forma Monarchici regiminis alieniſsimum, & remotissimum reperimus. Deus enim qui nationem illam filiorum Israel, peculiari modo sibi assumpsit regendam, vt esset ei [q] in peculium de cunctis populis, voluit ipsemet totum ipsius regimen exercere; & ad hoc variis vtebatur ministris, pro temporum opportunitate, qui essent meri executores regiminis ad nutum ipsius, & præscriptum. Tradidit igitur Deus ipse huic populo leges minutissimas, ad vtrunque forum pertinentes. Ipse eos docebat sæpissimè voce propria, siue per Angelos, & vt plurimum per Prophetas; inter quos, vt dixi, nulla fuit Hierarchica subordinatio; sed ferme singuli vnus post alium à Deo excitabantur: & vix vnquam contigisse scio, vt idem esset & Propheta, & primus Sacerdotum: In Moyse tantum ad exiguum tempus, & nunquam fortasse amplius fuit id obseruatum; si tamen Moyses propriè fuerit Sacerdos.

q Exod 19.

XXXVI. Quoniam tamen Prophetarum missio erat extraordinaria, non defuit Cathedra ordinaria quæ esset Diuinæ legis interpres generalis, & diuinæ voluntatis explicatrix; quæ sane Cathedra non ab vnico Doctore Monarchicè possidebatur, sed Aristocraticè optimates in ea, ex Diuina institutione, residebant: Eratque Concilium quoddam, quod Consistorium Gazith [r] Thalmudistæ vocant, & Sanedrin: Græci verò Synedrion, & Cathedram. Moyses enim Propheta Dei celeberrimus, à Deo in primum, & præcipuum ministrum ipsius, ad educendos filios Israel ex Aegypto, & ad instituendam inter ipsos pulcherrimam Rempublicā assumptus, cùm ipse solus initio instructissimus esset in omnibus, quæ ad illius populi regimen spectarent, quippe qui cum Domino [f] facie ad faciem loqueretur, & quid in singulis dubijs agendum esset minutim instrueretur, ipse etiam solus, non per modum Imperij, sed per solum modum instructionis, populum aliquandiu rexit, tanquam solus tunc interpres diuinæ voluntatis, ministerque merus, & instrumentum Dei in regendo illo populo, cuius Deus solus immediatus Rex esset, & Dominus: Tam enim in spiritualibus

r *Apud Signon. l. 6. de Rep. Hebr. c. 7. & Baron. Tom. 1. an. 31. n. 10.*
f Exod. 33. & Deut. 5.

causis,

A caulis, quam etiam in ciuilibus, & temporalibus, responsa dabat, & dubiorum solutionem, à mane ad vesperam in his occupatus. [a] Venit ad me; *inquit*, populus quærens sententiam Dei: cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & Leges eius.] Cum verò in hoc nimium defatigaretur, nec sufficere posset tantæ moli negotiorum omnium, etiam priuatorum, multitudinis vltra numerum [b] decies centenûm millium: consilio etiam sui soceri vsus, negotia ciuilia à se abdicauit, instituens varios Magistratus, qui ciuilia curarent; ipse verò sola negotia spiritualia sibi reseruauit, iuxta consilium eiusdem soceri sui Iethro, quod tale fuit, [c] Esto tu populo in his quę ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum; ostendasque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.] Institutique sunt ab eo Principes populi, Tribuni, & Centuriones, & Quinquagenarij, & Decani, B [d] qui iudicabant, *inquit Scriptura*, plebem omni tempore: quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.]

a Exod. 18.

b Num. 1.

c Exod 18.

d Exod 18.

Impostea, [e] accepta a Deo lege, quam ipsemet ei dictauerat, cum omnibus mandatis, & ceremonijs, & totius regendæ Reipublicæ præceptis, ac legibus necessarijs, cum ipse solus esset in tota lege vtriusque fori instructissimus, ipse etiam solus difficiliora quæque, dum vixit, explicabat; non, inquam, vt Rex & Imperator, sed vt merus Minister, & interpres: ait enim; [f] Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius.] Quoniam tamen ipse propediem erat moriturus, Rempub. quam iussu Dei cæperat ordinare, diuersorum Magistratuum institutione, pro negotijs, & iudicijs facilioribus absoluendis, debuit etiam perficere vt esset qui ei succederet in perfecta legis cognitione, pro solutione etiam quorumcunque negotiorum, & iudiciorum vtriusque fori, quæ difficiliora essent, neque ab ordinarijs magistratibus possent solui. Atque successorem hunc noluit Deus esse vnicum hominem, puta supremum Sacerdotem Aaron, aliumue ex ipsius in Pontificatu summo successoribus; sed Optimatum numerum competentem, qui Aristocratice, & ab omni Monarchico dominio remotissimi Remp. regerent Hebræorum. Atque hoc erat illud quod diximus Consistorium seu Concilium; cuius institutio diuina ordinatione ita se habet.

XXXVII.

e Exod. 20. & 34.

f Deut. 5.

C

[g] Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram; & iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, neque declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis; morte morietur homo ille, & auferes malum de Israel.] Hoc idem supremum Tribunal totius Reip. quomodo a Iosaphat fuerit instauratum repetamus: Constitutis enim Iudicibus in cunctis Ciuitatibus, in [h] Hierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel, vt iudicium, & causam Domini iudicarent habitatoribus eius, præcepitque eis dicens; sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto: Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicunque quæstio est de Lege, de Mandato, de Ceremonijs, de Iustificationibus, ostendite eis vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros; sic ergo agentes non peccabitis.]

XXXVIII.

g Deut. 17.

D

h 2 Paral. 19.

E

Locus huius Concilij initio mutabatur, prout constituebat Dominus, ad mutationem Tabernaculi. Primum enim fuit in [i] Silo; facto verò Templo, mansit in Hierusalem. Et obserua in hoc Concilio non fuisse solum Sacerdotes & Leuitas, qui erant personæ sacræ; sed etiam Laicos, Iudicem nimirum loci, & Principes familiarum. [k] Thalmudistæ huc includunt etiam [l] Septuaginta Seniores, seu Senatores à Deo Moysi olim adiunctos: omnes enim hi, etiam [m] Rex, intelliguntur inclusi verbis illis, (qui præsunt loco quem elegerit Dominus:) nam Rex, Sacerdotes, & Seniores populi, præcipui erant qui in Regia præsertim ciuitate præesse dicebantur. Vnde & Iosephus ita de hoc Concilio scripsit; [n] Si verò Iudices nesciunt de rebus ad se delatis pronunciare, integram causam in vrbem sanctam mittent, & conuenientes Pontifex, & Propheta, & Senatus, quod visum fit pronuncient.] In Concilio tempore Christi erat Ioseph ab Arimathia, certè laicus, & vnus ex Senatoribus. Et omnes suffragio non soùm consultiuo, sed etiam iudicatiuo, & decisiuo pollebant.

XXXIX.

i Psal. 77.

k *Apud Galatinum.*

l Num. 11.

m *Sigon. de Rep. Hebr. lib. 6. cap. 7. & infra num. 40.*

n *Ioseph. lib. 4. Antiq.*

Aut

Ait enim Scriptura; Quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco. Igitur dum subditur ibidem, Qui autem superbierit nolēs obedire Sacerdotis imperio; vel singulare sumitur collectiuè pro plurali, vt sæpe solet; vel præsidem totius Concilij innuit, qui nomine eiusdem Concilij Decreta eiusdem publicaret; quemque alium à summo Pontifice facit [a] Baronius; cum nimirum, qui ex septuaginta duobus senioribus primus, & caput huius Collegij haberetur: quem etiam Principem Sacerdotum vocatum autumat: atque Christi tempore Annam dicit fuisse hunc Principem Sacerdotum, hoc est huius Concilij præsidem; Caipham verò fuisse Principem Sacerdotum & ipsum, hoc est summum Pontificem, qui esset etiam principibus Sacerdotum superior. Quod si verum est, [b] Saulus etiam ab hoc principe Sacerdotum, & non à summo Pontifice, epistolas illas ad synagogas impetrauit: Quem sane non primum ex senioribus 70. vel 72. qui erant Laici; sed primum ex Leuiticis Sacerdotibus, qui non pauci in hoc collegio includebantur, vt vidimus, fuisse, à summo tamen Pontifice diuersum, est vero similius. Ac ne putes ibi Monarchiam aliquam in illo Sacerdotis imperio contineri, memineris adiungi illi imperio etiam Iudicis decretum; vt qui noluerit obedire & imperio Sacerdotis, & decreto Iudicis, is morte multaretur. Non enim legendum (*ex decreto*) sed (*& decreto*) vt habent Biblia Hebræa, & correcta vulgata editio latina. De hoc concilio aliqua etiam supra attigimus ac ostendimus num. 22. tempore etiam Christi, & Apostolorum, causas Religionis in hoc concilio Hierosolymitano fuisse pertractatas. Nam & ad hanc iudiciorum distinctionē, vt alia essent ordinaria in causis ordinarijs per iudices Ciuitatum ordinarios: alia vero grauiora penes hoc concilium, mihi videtur Christus Dominus respexisse quando dixit, [c] Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo Racca, reus erit concilio.] Et inter octoginta canones, qui dicuntur Concilij Nicæni, Canon. 33. habet, [d] Honorandum esse Episcopum Heliæ, hoc est Hierosolymorum, plusquam alij Episcopi, quia ipse, *inquit*, residet in sancta ciuitate, vnde crux Dei Domini nostri cæpit, & vbi est locus iudicij. Propter hoc Concilium, Hierusalem dicitur locus iudicij. Vnde frustra laborat Turrianus, sensus duntaxat morales, pro huius apocryphi canonis interpretatione, excogitando.

a Baron. tom. 1 an. 31 num. 10

b Act. 9.

c Matt. 5.

d Tom. 1. Conciliorum Romana impress.

XL.

Hoc Concilium fuisse ab Herode moderatum, cum ablatione potestatis sanguinis, affirmant Thalmudistæ: vt propterea Pilato Iudæi responderint, [e] Nobis non licet interficere quenquam; sed falluntur: patet enim ex Euangelijs Iudæos condemnasse Christum, & mortis reum fecisse: Conuenerunt enim in Concilium [f] vt eum dolo tenerent, & occiderent: Et [g] reum mortis condemnauerunt. Dum dicunt igitur, Nobis non licet interficere quenquam; vel propter diem festum hoc dicebant, vt vult [h] Chrysostomus, & [i] Cyrillus: Vel quod fortasse non haberent satellites, & executores, nisi ipsis à Præside commodarentur. Proprijs tamen adhuc, à Romanis iam subacti, & viuebant legibus, & vtebantur iudicijs; vt propterea in primitiua Christi Ecclesia maxime illi passi fuerint, qui ex Iudæis ad Christi fidem conuerterentur, nam statim ad maximam redigebantur inopiam: ideoque facta [k] conuentione inter Petrum & Paulum, vt ille in circumcisione potissimum Euangelium seminaret, hic verò cum Barnaba in Gentes abirent; cum hac addita eis conditione, vt pauperum qui essent Hierosolymis essent memores. Pro quibus tantum laborauit Paulus [l] collectas pro ipsis procurando. Hinc Paulus & flagellatus, & lapidatus; Stephanus item lapidatus; Apostoli cæsi. Quod non tam facile contingebat ijs qui ex Gentibus credebant: non enim licebat, *inquit Chrysostomus*, [m] Gentilibus eos qui à se deficiebant occidere, vel lapidare, vel aliter opprimere propria tyrannide, vel sententia: At si quis deprehendebatur tale quidpiam, præter iudicum sententiam, patrasse, is puniebatur. Quod tamen Iudæis erat adhuc permissum, idque magna licentia. Vnde grauissime affligebantur qui inter eos credebant.] Hæc Chrysostomus. Ex quibus omnibus hactenus de Hebræorum regimine traditis, manifesta redditur illius regiminis Ecclesiastici Aristocratia. Et quia ad nostrum negotium nihil faciet forma Reipublicæ Hebræorum, quæcunque illa fuerit in ciuilibus, & regimine temporali, illam omittamus.

e Ioa. 18.

f Matth. 26.

g Marc. 14.

h Chrys. hom 86. in Matth.

i Cyril. l. 12. in Ioa. c. 6.

k Gal. 2.

l Act. 11. 1. Cor. 16. Rom. 15.

m Chrys. serm de eleemos. & collat. in sanct.

XLI.

Destruximus iam itaque, vt arbitror, argumenta illa omnia, quibus freta Monarchia nostrorum temporum Ecclesiastica, suas cristas erigebat: nunc verò illa etiam reprimamus, quibus nostram Aristocratiam, siue Democratiam, Monarchici moderni destruere sunt conati. Et quidem aduersus Democratiam sic insurgunt: [n] Primùm, quia in Democratia Magistratus à plebe constituuntur, & ab illa autoritatem sumunt. *Item*, Appellare licet à sententia Magistratus, ad populum. Præterea leges quibus Resp. gubernanda est à Magistratu

n Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 6

A Magistratu proponuntur, sed à populo iubentur. Demum accusari & iudicari à populo possunt ipsius Magistratus & puniri: Quæ in Ecclesiastico regimine non reperiuntur. Respondeo non esse in Ecclesia veram Democratiam, & completam, sed in aliqua parte tantum. Et quidem Episcopi & alij Ministri à plebe neque constituuntur, neque ab ea sumunt autoritatem, sed à Deo, per impositionem manuum Sacerdotalium; & per missionem ab habentibus autoritatem, qui non sunt nisi Sacerdotes. Plebs tamen in hoc habet aliquid sui, quia in electione personæ concurrit; siue ipsa, siue Princeps illius pro illa, vt suis locis ostendetur. Item Appellatio ad plebem in iudicijs proprijs Ecclesiasticis, potest interdum contingere; vt si quis, tanquam hæreticus, ab aliquo, vel aliquibus Episcopis condemnaretur, & excommunicaretur; posset is suam doctrinam, hæreticam reputatam, iudicio totius Ecclesiæ supponere, iterum eorum iudicio pensitandam, & ab illa veritatis approbationem, confirmationemque expectare; quæ sola dicitur [a] Columna & firmamentū veritatis: Totam verò Ecclesiā non esse in solis Episc. & Presbyteris, ostendā suis locis. Præterea Leges Ecclesiasticæ, cùm non sint de rebus fidei, fide credendis, sed de rebus agendis, vt de ieiunijs, de nouorum festorum institutione, & similibus; à populi acceptatione plurimum pendent: si enim eas respuat populus, non obligant, vt tradunt etiam [b] Canonistæ. Si verò sint fidei definitiones, seu explicationes, vltimum earum iudicium est penes totam Ecclesiam: & tunc tandem aliquid fide credendum est, quando tota Ecclesia consentit, vt in sequentibus libris erit explicandum. Demum accusatio Prælatorum si sit de criminibus personalibus ciuilibus, ad Ecclesiam illa non spectabit, nisi ex humano priuilegio, vt postea libro sexto, & vlt. ostendam: si de Ecclesiasticis, & præsertim de fide, B C potest iudicium hoc, vt dixi, ad totam Ecclesiam delabi; non ad effectum punitionis personæ, nisi per solam exclusionem à communione vniuersali, sed ad effectum damnationis doctrinæ: aliam enim punitionem Ecclesiasticam externam, vltra pœnitentias salutares, quàm excommunicationis, & amotionis à gradu, in Ecclesia non esse, suis locis ostendetur libro 5. Vera autem excommunicatio vniuersalis, à tota Ecclesia vniuersali fit, quando omnes prorsus Ecclesiæ suam alicui negant communionem: sed de hoc erit nobis eodem libro quinto sermo opportunus.

a 1. Tim. 3.

b Syluester in Sum. v. Lex. q. 6.

Deinde illud afferunt argumentum, Democratiam esse pessimam ex tribus formis Reipublicæ, & diuinam sapientiam dedecere, ut deterrimum regimen in sua Ecclesia esse velit. Respondeo, deterrimum esse regimen populare, si naturam corruptam spectemus, nullis extraordinarijs viribus adiutam. Si verò ei adsit à Deo nouum lumen, & nouum auxilium supernaturale, tota concidit difficultas. Ita est in Ecclesia: Deus enim Spiritum suum toti Ecclesiæ promisit, non alligando ipsum certis personis, siue certo generi personarum, puta solis presbyteris, alijsue Clericis ad ministeria Ecclesiastica deputatis: sed ipsum voluit esse per omnes, licèt non per singulos, diffusum: & consensus totius Ecclesiæ, in aliquo articulo, non minùs intelligitur in Laicis, quàm etiam in presbyteris, & Prælatis. Sunt enim etiam Laici in Ecclesia, imò ex Ecclesia, ipsiusque solidam, & maiorem partem constituunt. Sed de his libr. 7. explicatiùs. XLII. D

Aristocratiam nostram Ecclesiasticam Monarchici sic impugnant: Optimates vel sunt Laici, puta Principes: vel Ecclesiastici, puta Episcopi: & apud neutros esse regimen Ecclesiasticum contendunt. [d] Non apud Principes sæculares, quia Apostolis succedunt Episcopi, & quia scimus ex Historijs, ab Episcopis excommunicatos aliquos Principes.] Nos verò Principes etiam includimus in Ecclesiastica Democratia, sicut & Prælatos omnes: tota enim Ecclesia includit omnes fideles, etiam ipsos Pastores, siue spirituales, siue temporales: sicut in temporali Democratia non est sola plebs, sed sunt etiam illi qui in ipsa sunt nobiliores, & doctiores. Seorsim tamen Principibus laicis non committimus regimen Ecclesiæ, vt ipsi propriè ipsam propria autoritate regant. Committemus tamen suo loco Principibus laicis fidelibus curam, & superintendentiam rerum & personarum Ecclesiasticarum, cum magna interim autoritate & potestate, si non directa, saltem indirecta: Ita vt in quolibet Regno, Rex possit meritò, in bono sensu Catholico, dici, esse caput, id est, supremus Gubernator Ecclesiæ totius Regni sui: Dum videlicet cogere etiam potest Ecclesiasticos, vt muneri suo satisfaciant, vt reforment Clerum & Ecclesias, vt fidem & Religionem sartam tectam conseruent, vt hæreses & schismata comprimantur, & vbicunque generaliter Rex cernit ab Ecclesiasticis posse aut bonum ciuile commune promoueri, aut boni cōmunis ciuilis obstacula impediri; imo etiam vbi videt spirituale suorum subditorum bonum aliquid pati detrimenti, ex officio potest, & tenetur omnem mouere XLIII. E

d Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 7.

uere lapidem, vt & pacem communem commodaque Reip. seruata Dei lege, conseruet, & vt salus animarum non periclitetur. De quo suis etiam locis in sequentibus, præsertim lib. 6. fusè disputabo. Interim moneo argumentum illud ab Historijs desumptum, de Theodosij, aliorumue Principum à Sacris exclusione, Aristocratiam hanc, etiamsi inter optimates vel ipsi Principes seculares reponerentur, non oppugnare. Quid enim obstat quin Senatus totus optimatum, iudicare & punire possit singulos Senatores eiusdem Senatus, si delinquant? Dices ab vnico Episcopo Theodosius fuit punitus, & non à toto aliquo Conuentu. Respondeo, Aristocratiam Ecclesiasticam in eo à propriè dictâ, hoc est, Ciuili Aristocratiâ deflectere, vt supra docui num. 6. quod & omnes, & singuli Prælati habeant plenam autoritatem Ecclesiasticam: quia omnes in solidum vnicam regunt Ecclesiam. A

XLIV. Oppugnant demum nostram Aristocratiam; & Ecclesiasticum regimen præcipuè penes Episcopos, esse non posse, his conficere conantur argumentis. [a] Primò; non est locus in Scripturis, quo potestas Ecclesiastica detur Collegio vlli, seu Conuentui, aut Concilio Prælatorum. Secundò; Ecclesia ferè semper careret Rectoribus, nec esset vllus cui sit curæ commune bonum: omnes enim Prælati inter se pares ponuntur, & commune bonum curare non possunt, nisi vel simul congregentur, vel communi consensu Magistratum aliquem eligant, qui hoc præstet: Congregatio verò Conciliorum fit rarissime, & cum maximo incommodo: Magistratus autem talis nullus reperitur institutus: Patriarchæ etenim etiam ipsi singulis suis clauduntur regionibus, neque extra illas, (vt nos ponimus,) potestatem habent vllam. Tertio; Si est Aristocratia Episcoporum in Ecclesia, quo plures conuenient ad Concilium, eò validius decernent: & tamen fuerunt interdum Concilia minoris numeri, validiora alijs numerosioribus. Quarto; Hæreses & schismata ac factiones ab optimatibus potius excitantur, quam à plebeis: Ideoque in Ecclesia adhuc peior est Aristocratia, quàm Democratia. B C

[a] *Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 8.*

XLV. Hæc tamen facile diluuntur. Ad primum respondeo, Iam abundè me probasse omnibus Apostolis æquè commissum fuisse à Christo regimen Ecclesiæ, quando eis dictum est: [b] Sicut misit me Pater, Et ego mitto vos. *Et*, [c] Euntes docete omnes gentes.] Apostolis verò successerunt Episcopi omnes: & omnes in solidum regunt Ecclesiam; & concordi numerositate vnum gregem pascunt; vt optime explicabat [d] Cyprianus. Ad secundum; commune bonum à singulis promouetur, & ab omnibus in solidum; & ex officio vnusquisque Episcopus tenetur bonum totius Ecclesiæ vniuersalis procurare: quod me in sequentibus probaturum polliceor lib. 2. & supra iam ex parte probaui, & docui numero 16. peiorem fore Ecclesiæ conditionem, si cura hæc vniuersalis vni soli incumberet. Neque igitur vllo Magistratu opus est, vbi in solidum omnes laborant ad vnum finem: neque ipsorum congregatio generalis adeo frequens est necessaria, nisi in grauissimis causis totius Ecclesiæ. Synodi tamen Prouinciales sicut debent, ita possunt facilè esse frequentissimæ; & dum singulæ Prouinciæ bono regimine gubernantur, tota Ecclesia vniuersalis egregiè remanet gubernata. Sicut vbi singuli operarij vineæ suam quisque partem bene colit, tota vinea bene culta ad optime fructificandum redditur idonea. D

[b] Ioan. 20.
[c] Matth. 28.
[d] *Supra hoc c. num. 9.*

XLVI. Ad tertium; Ostendam postea lib. 7. Concilia minora ordinariè corrigi à maioribus: etsi interdum minus Concilium melius sensit quam maius; etsi etiam maius interdum errauit, in quo minus nō errauit, tamē error illius maioris damnari nō potuit, nisi adhuc à maiori numero Episcoporum, siue Conciliariter congregatorū siue singulariter, & diuisim in suis Ecclesijs residentium, & Ecclesiæ totius Catholicæ veritatis sensum exprimentium. Contingere enim potest, vt sexcenti Episcopi essent in Concilio congregati, & vnicus in aliquo angulo mundi siue Episcopus, siue Presbyter, siue etiam Doctor Laicus, errorem aperiat, & dissentiat, ac reclamet; quem postea tota sequatur Ecclesia, & consequenter à maiori numero optimatum illi sexcenti corrigantur, ipsismet etiam correctioni subscribentibus; & ita numerum bene sentientium adaugentibus: sed de hoc plura postea lib. 7. E

XLVII. Ad quartum, facilius etiam est vt vnus subuertatur, & in hæresim prolabatur; & sic sua suprema autoritate & impunitate plurimos corrumpat; quàm aut multi decidant à fide. Et, si inter Optimates Ecclesiæ, dissensio hæc surgit, iam dixi remedium esse in maiori parte Ecclesiæ per totum orbem diffusæ, quæ habet assistentiam illam Sancti Spiritus, à qua Ecclesia tota dicitur esse [e] Columna & firmamentum veritatis: & dissensiones, vbi maior pars negotium decidit, facile sedantur. Si tamen obstinati erumpant in schisma, & totius Ecclesiæ sententiæ nolint acquiescere sibi tantum, & non Ecclesiæ obsunt

[e] 1. Tim. 3.

A *sunt.* Idem contingere & multo faciliùs posset in illo vno Monarcha totius Ecclesiæ, si daretur. Defectum hunc igitur, atque hoc periculum, naturæ corruptæ fert infirmitas, *non* verò forma Reipublicæ: Neque propterea in Ecclesia dicenda est melior Democratia, quàm Aristocratia: quia si in Aristocratia inter Optimates facilè contingat aut lapsus in fide, aut dissentio, & schisma; in Democratia tamen, præterquam quod idem æque facilè potest contingere, cum in Democratia includantur cum plebe etiam Optimates; seditiones & tumultus præterea facilè pollunt, & solent exoriri. Vt ideo neque propriè sit in Ecclesia inter ministros & Rectores Aristocratia, neque Democratia; sed vtraque, etiam cum aliqua Monarchia imperfecta permista: Certè tamen interim ipsa totalis Ecclesia à vera remotissima est Monarchia; qualem perfectissimam, & absolutissimam, imò re vera omni ex parte tyrannicam noster Papatus iam exercet.

B Atque hæc nobis de forma Reipublicæ Ecclesiasticæ dicta sufficiant. *Ita mecum plenè* XLVIII.
sentiunt, & sapiunt non pauci nostræ S. R. E. alumni, & Episcopi mei collegæ, sub illa
constituti: Et si detur facultas doctis pro veritate liberè loquendi, ac scribendi, aperiet orbis Christianus oculos: &, Christo sole iustitiæ illucescente, dissipient obcæcatæ Ecclesiæ densissimas tenebras, quibus vi oppressæ [a] palpant in meridie. a Deut. 28.

Libri primi finis.

DE REPVB-

A

DE REP. ECCLESIASTICA

B

LIBER II.

Qui est

De Rectoribus, & Ministris Ecclesiæ.

PROŒMIVM.

C Ecimus, Deo benè iuuante, primo proximè præcedenti libro, vniuersale totius operis fundamentum; quod egregiè satis planam posset viam sternere, ad *vnionem omnium, sub nomine Christi militantium Ecclesiarum, conciliandam.* Cùm enim abundè sit à nobis declaratum, Aristocratici cuiusdam regiminis formam, in Ecclesia sua, Christum Dominum instituisse; ac ostensum regimen hoc omnibus Apostolis ex æquo fuisse ab eodem commissum, inter quos tamen idem Dominus verus esset Rex, & solus Monarcha, vsque ad consummationem sæculi; exclusa omni alia in Vniuersam Ecclesiam Monarchia; facilè poterimus, vt spero, ab illis Ecclesijs, quæ a nobis dissentiunt, illud impetrare, vt concedant, non toti fidelium multitudini, Ecclesiasticum regimen commissum, sed certis quibusdam personis, puta primùm Apostolis, deinde alijs, qui in locum & officium, ac munus succedant Apostolorum: & nunc etiam non debere quenquam sibi [a] assumere honorem, nisi illum qui à Deo vocatur, tanquam Aaron; agnoscantque nobiscum ordinis sacri necessitatem, per quem Apostolicum regimen, spirituali quadam propagatione, decedentibus alijs, ad alios transeat, & ab ijs per manus excipiatur. I.

a Hebr. 5.

Sed & vice versa, Ecclesiæ illæ omnes, quotquot à Romana nostra sunt separatæ, suo iure videntur exposcere, ac meritò postulare, vt nos Romani, supremam illam, quam mordicùs tenemus, deponamus Monarchiam: & tandem nos etiam cognoscamus, veram Ecclesiastici regiminis formam, quam Christus in sua Ecclesia, inter ipsius Ministros instituit, proximè accedere ad Aristocratiam; quod esset maximum & potentissimum initium veræ & perfectæ concordiæ inter vniuersas prorsus, quotquot in toto orbe terrarum diffusæ sunt Christi Ecclesias, ineundæ. II

E

Dissidium sanè inde maximè oritur, dum partes prius concordes nimium sibi arrogant, alterique altera detrahunt, siue iurisdictionis, siue opinionis, & existimationis; neque componi potest dissensio, neque partes ad concordiam possunt redire, nisi restitutio fiat in integrum: & quæ pars nimium alteri detraxit, remittat detractum. Si planè constat Romanam nostram Ecclesiam alijs libertatem abstulisse, & se nimium supra alias erexisse, id primum cognoscat, imò agnoscat: & si ita esse, summamque æqualitatem inter Episcopos omnes, etiam ipso Romano incluso, iure diuino inueniat; ad eam se formam regiminis accommodet, quam Christus in sua Ecclesia ordinauit. Aliæ verò Ecclesiæ, Ecclesiastica priuilegia inter se seruent; & si quid malè sentiunt, ac contra vniuersalis Ecclesiæ sensum vniuersalem studeant innouare; id corrigant, & pluris faciant concordiam, vnionem, & charitatem, quàm sensum proprium. [b] Non enim est dissentionis Deus, sed pacis. Et si illis cælibatus III.

b 1. Cor. 14.

necessitas in suo Clero non placet, aut Monachorum præsentia instituta non probant, abundent in sensu suo, & quidem non malo, vt ostendam in hoc libro. Nec propterea à nobis debent abijci & abhorreri. A

IV. Concordiam non multo ante ediderunt ij qui Lutherum sunt secuti: in qua etsi tenacius adhuc suas aliquas videntur fouere opiniones; si tamen Charitas illa quæ [a] patiens est & benigna, & quæ non quærit quæ sua sunt, illam benigne, & patienter excepissent; egregiam, meo iudicio, nacta fuisset occasionem negotium hoc tam turpis, & inueteratæ dissensionis, ad pacem, & veram concordiam reuocandi. Vtinam Illustrissimus Bellarminus, totus alioquin hac vera charitate inflammatus, non adeo acer fuisset in erroribus illius concordiæ exaggerandis, & ad malum sensum trahendis, ac mendacijs conquirendis; sed potius dicta illorum, si quid adhuc suspectæ doctrinæ in se latentis haberent, expurganda cum charitate & benignitate, ac perficienda, assumpsisset; & si deuiant à veritate, benignè ac humaniter, in rectam viam, docendo, & monendo, reducere laborasset; procul dubio multo melius profecisset; ansam enim ipsis concordiam prætendentibus, veræ concordiæ, per veritatis perfectiorem detectionem amplectendæ præbuisset: Quod mihi erit in sequentibus, quantum Diuina gratia illuxerit, enitendum. Nunc igitur Apostolici regiminis progressum, & quosnam ipsi Apostoli, quaue autoritate successores sibi substituerint, indagemus. B

[a] 1. Cor. 13.

V. Duodecim Capitibus totum hunc librum complectemur.

In primo, agemus De successione quam habuerint Apostoli.
In secundo, De Episcoporum prima institutione.
In tertio, De Differentia inter Episcopum & Presbyterum.
In quarto, De Sacris ordinibus, & varietate Ministrorum. C
In quinto, De Episcopali potestate, vnde illa sit.
In sexto, De æqualitate inter Episcopos.
In septimo, De extensione potestatis Episcopalis, respectu locorum.
In octauo, De erectione nouorum Episcopatuum.
In nono, De Canonicis, & Parochis, ac Chorepiscopis.
In decimo, De cælibatu Clericorum.
In vndecimo, De voto continentiæ in Sacris ordinibus; & de Matrimonio post votum.
In duodecimo, De statu Monachorum.

D

E

CAP.

A

CAP. I.

Apostolorum munus, & autoritatem in Ecclesia quis retineat.

SUMMA CAPITIS.

Ecclesia cum ministros habere debeat, qui externa exhibeant ministeria, num. 1. Christus primum ei Apostolos deputauit, cum potestate alios sibi adiungendi, & successores etiam instituendi, num. 2. cum tota & integra ordinaria Apostolica potestate regendæ Ecclesiæ necessaria, per legitimam missionem: doceturque in quo consistat vera missio, qua ministri fiunt, num 3,4,5,6.

B *Potestas hæc missiua, ex diuina Euangelica institutione ponitur in Episcopis, num. 7. qui propterea passim verè agnoscuntur Apostolorum successores. num. 8.*

An soli Petro detur successio, à num. 9. ad num. 15.

Successionem omnibus Apostolis in solidum dari affirmat etiam Papa Cœlestinus. num. 16.

Caput concluditur. num. 17.

I.

SI Ecclesia est [a] castrorum acies ordinata, non est sine Ducibus, Tribunis, & Centurionibus, aliisque Militiæ Præfectis: si est [b] grex, & ouile, habet necessario & Pastores: si est Nauis, adsunt nautæ, & gubernatores: Christus verò Dominus est quidem huius exercitus supremus, & solus Imperator: huius ouilis verus Pastor bonus: huius Nauis vigilantissimus gubernator: is tamen per alios Duces minores, Pastores, & Nautas, Ecclesiam suam regit, pascit, & gubernat. Eam verò, dum ipse ageret in terris, Apostolis à se electis regendam, & gubernandam ipsum commisisse, satis probauimus libro præcedenti. Neque satis ille, qui ipsamet est increata Sapientia, huic suæ Ecclesiæ prospexisset; si solis eam Apostolis ita commendasset, vt illis extinctis, quippe mortalibus, nulli alij succederent in eodem munere gubernandi.

a Cant. 6.
b Ioan. 10.

C

II.

Non deserit Christus sponsam suam, non deserit [c] hæreditatem quam à Patre postulauit & impetrauit; sed spiritu suo perpetuo præsens, eam ipsemet regit adhuc & gubernat tanquam caput & Dominus; cui [d] promisit se adfuturum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Vtitur tamen ministris & operarijs, qui ipsius nomine, ea exhibeant ministeria, quæ opere peraguntur corporali. Hos iam [e] ostendi fuisse primos sanctos Apostolos, ab ipsomet Christo electos, & ad hoc munus assumptos; qui tamen, vt ipsi etiam possent aliquo modo esse perpetui in Ecclesia, omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi, dedit eis potestatem, vt & ipsi possent alios eligere, & assumere ad idem opus, sicut & ipse eos elegerat, & assumpserat. Dixit igitur illis: [f] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.] Cum commissione & mandato generali; vt sicut ipse habuit à Patre [g] mandatum docendi, instruendi, & conuertendi mundum, ad cognitionem ipsius veri Dei, & Ministros ad hoc necessarios, necessaria autoritate instructos deputandi; ita & ipsi haberent idem officium, & mandatum, cum eadem potestate, ministros eligendi; & ita successiuè, vsque ad consummationem sæculi, continuata successione. Debuit ergo in Ecclesia manere potestas hæc adeo necessaria, pro ministrorum institutione: & reuera mansit, & manet, per legitimas successiones, ab Apostolis ipsis, à Christo tradita, cum autoritate eiusdem in alios transmittendæ: & ita bene ordinatam, & institutam suam Christus in terris reliquit Ecclesiam; cui nihil deesset ad optimum regimen, & perfectissimam ipsius gubernationem. [h] Ecclesia enim sine his (nempe sine Clero) non est, vt ait Ignatius. Et Cyprianus sentit [i] Ecclesiam esse plebem suo Sacerdoti adunatam; & gregem suo Pastori adhærentem. Hieronymus quoque [k] Ecclesiam non esse dixit, quæ non habeat Sacerdotem.

c Psal. 2.
d Matth. vlt.
e *Lib. 1. præced. c. 1. nu. 16. & c. 2. init.*
f Io. 20.
g Io. 14.
h *Ignat ep. 2.*
i *Cypr. l. 4 ep. 9.*
k *Hieron. adu. Lucif.*

D

E

III.

Quoscunque igitur Apostoli, siue omnes, aut plures vniti; siue singuli eligebant, & ad Ecclesias regendas mittebant, ij proculdubio parem cum ipsis Apostolis potestatem accipiebant, si vim ipsam institutionis spectemus. Quicquid enim potestatis ordinariæ, ad regimen Ecclesiæ necessariæ, ipsi accepissent, id totum in Episcopos ab se ordinatos transmittebant, virtute illorum Christi verborum: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos: & sane cum eadem rursus, vt dixi, potestate; vt ipsi possent, pro necessitate, & opportunitate,

alios assumere, ordinare, & mittere; cum eadem Apostolica ordinaria, id est, Episcopali autoritate. Ita Ecclesia quæ erat Hierosolymis, vbi erant Apostoli; [a] miserunt Barnabam vsque Antiochiam: cuius sane opera, apposita est multa turba Domino.] Ita Saulus & Barnabas, disseminato Euangelio inter Gentes, [b] constituerunt illis per singulas Ecclesias presbyteros:] Hoc est Episcopos. Ita Paulus, [c] ordinauit Episcopum Timotheum; & per ipsum varias [d] confirmabat Ecclesias. Similiter Titum [e] constituit Episcopum Cretæ, ita vt posset ille alios Ministros per singulas Vrbes in illa Insula constituere.

a Act. 11.
b Act. 14.
c Tim. 4.
d Act. 17. 19. & 1. Tim. 1. & Phil. 2.
e Tit. 1.

IV.

Obseruandum porro est, non statum Episcopalem alicui tunc tradi potestatem, cum quis ab Apostolis dicitur aliquo missus, ad fidei & Religionis confirmationem, quia [f] Apostoli, qui erant Hierosolymis, miserunt in Samariam Petrum & Ioannem. Quis verò dicat Petrum & Ioannem tunc accepisse potestatem, seu ordinem Episcopalem ab Apostolis? Nonne iam ante & Petrus & Ioannes audiuerant à Christo: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos? Nonne seorsim Petro dictum fuerat ab eodem Christo: Pasce oues meas? Hæc ergo missio, non fuit ordinatiua, sed dispositiua tantum; communis enim dispositio fuit, vt illi duo, iam plene Apostoli & Episcopi à Christo ordinati, eo proficiscerentur, fideles illos nouos in fide confirmaturi. Ita vbi Paulus & Barnabas dicuntur [g] segregati, & dimissi, per impositionem manuum Discipulorum, qui erant Antiochiæ; non debet intelligi ibi ipsorum peractam fuisse ordinationem; nam & Paulus expresse fatetur se esse [h] Apostolum non per hominem, neque ab homine, sed immediate per Iesum Christum: & [i] Barnabas iam fuerat ab Apostolis missus Antiochiam; & consequenter factus Episcopus; & vterque exercuerunt Apostolatum, siue Episcopatum in multis locis; & non exiguo tempore, vt constat in Actis Apostolorum; & infra melius ostendetur.

f Act. 8.
g Act. 13.
h Gal. 1.
i Act. 11.

V.

Igitur missio alicuius, tunc primum assumpti in ministerium Verbi, & regiminis Ecclesiarum, facta ab Apostolis, Apostolicisue viris, in hoc ministerio iam constituto, facit proprie Episcopum, Apostolorum successorem. Neq; ego inuenio inter verum Apostolum, ac Episcopum, aliud discrimen; nisi quod Apostolus sit, vt docui in præcedenti [k] libro, qui Christum prædicat, tanquã testis oculatus, ab ipsomet Christo immediatè missus; Episcopus verò sit, qui eundem prædicat, vt testis instructus, & fide illuminatus, ac missus à Christi ministris; nisi Apostoli nomen in latiori accipiamus significatione, pro quocunq; misso; sicut & Christus ipse à Paulo dicitur [l] Apostolus, & Pontifex confessionis nostræ: & ab eodem Epaphroditus vocatur [m] Philippensium Apostolus: & Barnabas non à Christo immediate, sed ab Apostolis missus, & ad Euangelizandum destinatus; [n] Apostoli tamen nomine vna cum Paulo insignitur: [o] Andronicus & Iunias, cognati Pauli, nobiles in Apostolis Romæ fuisse dicuntur: multos Discipulos fratres, Paulus vocat [p] Apostolos Ecclesiarum.

k Sup. l. 1. c. 2. num 3. 4.
l Heb. 3.
m Philip. 2.
n Act 14.
o Rom. 16.
p 2. Cor. 8.

VI.

Vt propterea inanis admodum videatur fuisse illa satis longa, & importuna [q] contentio in Gallijs, de Martiali, num sit inter Apostolos necne connumerandus. Si enim sermo sit de Apostolo vero, & proprie ita dicto, sic neque Barnabas, neque Lucas, neque Marcus, sunt proprie Apostoli, quia neque fortasse immediati Christi sunt Discipuli, neque testes oculati, neque certe immediate à Christo vocati & missi, Martialis profecto inter Apostolos non est reponendus: si tamen in latiori significatione Apostolum accipiamus, sicut Barnabas à Luca vocatur Apostolus, quia fuit ab Apostolis ad Euangelizandum directus; poterit & Martialis Apostolus, non tamen propriè, nuncupari; sicut solent improprie Apostoli dici, quicunque primi ad prædicandum Euangelium nouis gentibus, quæ ipsum nondum audierunt, missi, proficiscuntur. Et quamuis fuisset, vt asseritur, vnus ex septuaginta duobus Discipulis, [r] quos Iesus misit ante faciem suam prædicare; non tamen propterea dicendus est Apostolus; quia Iesus Apostolos illos duodecim [s] nominauit, quibus solis (Iuda Iscariote excepto) post Resurrectionem completum officium Apostolatus iniunxit: quibus nos, in libro [t] præcedenti, meritò adiunximus Matthiam & Paulum.

q Apud Baro. tom. 11. an. 109. num. 6. & seqq.
r Luc. 10.
s Luc. 6.
t Sup. lib. 1. cap. 2. num 4. 6.

VII.

Hanc verò potestatem missiuam, & ordinatiuam Episcoporum, esse in Ecclesia, iure Diuino, & Euangelico documento institutam, si quis mihi non credit, eam in illis Christi verbis fundanti; Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; credat Cypriano illa scribenti: Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest; qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à se ipso ordinatus est.] Ordinatio ergo Episcopi, quam Ecclesia tunc seruabat, non solum ex Apostolica, sed etiam ex Euangelica traditione emanabat. Vis verò cognoscere qualemnam ordinationem seruaret tunc Ecclesia in Episcopis instituendis? Consule eundem Cyprianum, & ab ipso audies, Episco-

u Cypr. l. 1. ep. 6

porum tunc fuisse Episcopos creare: sic enim de creatione Cornelij Episcopi Romani scribit: [a] Et factus est Episcopus à plurimis Collegis nostris, qui tunc in Vrbe Roma aderant.] Euangelicam verò ego traditionem aliam non obseruo clariorem, quam verbis illis expressam: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. In quæ verba Cyrillus Alexandrinus ita scribit: [b] Ordinauit his verbis orbis Doctores, & Diuinorum mysteriorum ministros; quos vt luminaria ad illustrationem, non Iudæorum regionis solummôdo, misit, quæ iuxta Legalis mandati mensuram, à Dan, vsque Bersabee patebat, vt scribitur; sed vniuersum terrarum orbem illuminare iussit. Verax igitur est Paulus dicens; [c] Non sibi aliquem honorem accipere, nisi vocatus à Deo sit.] Sicut igitur Christus, mittendo Apostolos, eos ad Apostolatum euexit, & tanquam Aaron vocauit; ita ipsi Apostoli, accepta eadem potestate, dum alios ad fundandas, vel regendas Ecclesias mittebant, eos ad Episcopatũ euehebant; totumq, ipsorũ officium, cum tota potestate ministeriali, eis committebant; vna illa propria personali dignitate excepta, quòd essent testes oculati vitæ, & Resurrectionis Christi, ab eoque immediatè vocati, & missi ad euangelizandum: quam ego personalem illorum dignitatem Apostolatum posthac vocarim libenter, qua ab eis separata, reliqua sit in eisdem tota dignitas & potestas Episcopalis; vt fusiùs etiam sequenti capite secundo explicabo.

a *Cyrill. lib. 4. Epist. 2.*

b *Cyrill. in Ioa. lib. 12. cap. 55.*

c Heb. 5.

Hinc igitur meritò fit, vt passim Episcopi, Apostolorum successores, à sanctis Patribus vocitentur. Clemens primus Romanus Episcopus, siue quicunque ille sit, de Petro ita scribit; [d] Episcopos ergo, vicem Apostolorum gerere, Dominum docuisse dicebat: & reliquorum Discipulorum vicem tenere presbyteros debere insinuabat.] Anacletus similiter; [e] Ipsis quoque (*Apostolis*) decedentibus, *inquit*, in locum eorum successerunt Episcopi.] Et in constitutionibus Apostolicis ita loquentes inducuntur Apostoli: [f] Sed à Domino edocti Consequentiam rerum, Episcopis Pontificatus munera assignauimus.] Sixtus primus; [g] Apostolorum dispositione, ordinante Domino, Episcopos primitus constitutos esse asserit. Cyprianus; [h] Hoc enim vel maximè, *inquit*, frater, & laboramus, & laborare debemus, vt vnitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.] *Item*; [i] Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis Vicaria ordinatione succedunt: Qui vos audit, &c.] Clarus à Muscula Episcopus, in Concilio Carthaginiensi apud Cyprianum, & Augustinum, ita loquitur; [k] Manifesta est sententia Domini nostri Iesu Christi, Apostolos suos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes, &c.] In Concilio vno Romano sub Syluestro, ponitur admonitio; Non debere quenquam Domini Discipulis, id est, Apostolorum successoribus, detrahere.] Hieronymus; [l] Episcopi, *inquit*, & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros; quorum honorem possidentes, habere merentur & meritum.] *Item*; [m] Apud nos, *inquit*, Apostolorum locum Episcopi tenent; apud eos (*Montanistas*) Episcopus tertius est.] Augustinus; [n] Si solis, *inquit*, Apostolis dixit; [o] Qui vos spernit, me spernit, spernite nos: si autem sermo eius peruenit ad nos, & vocauit nos, & in eorum loco constituit nos; videte ne spernatis nos.] Dictum Psalmi; Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, exponunt Hieronymus, Augustinus, & Euthymius; [p] Pro Patribus Apostolis, Ecclesiam habuisse filios Episcopos. Gregorius; [q] Horum profectò, *inquit*, (*Apostolorum*) nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atque soluendi autoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.] Audis Episcopos sortiri in regimine Ecclesiæ eundem gradum, quem tenuerant Apostoli? [r] Chrysostomus anathematizandi potestatem ab Apostolis ad successores eorum, nimirum Episcopos, transiisse asserit. Ioannes Damascenus; [s] Ligandi & soluendi potestatem, non Regibus, sed Apostolis, & eorum successoribus, & Pastoribus, & Doctoribus, Christus dedit.] Mitto recentiores innumerabiles, & Concilia plurima; est enim vniuersalissimus totius Ecclesiæ Catholicæ consensus, penes Episcopos, Ecclesiasticum regimen illud ipsum residere, quod Apostoli sancti à Christo Domino ordinarium acceperunt.

VIII.

d *Clem. Epist. 2.*

e *Anacl. Epist. 2.*

f *Constit. Apost. lib. 8. cap. vlt.*

g *Sixt. 1. Epi. 2.*

h *Cypr. lib. 2. Epist. 10.*

i *Idem l. 4. ep. 9*

k *Aug. de Bap. cont. Donat. l. 7. cap 43.*

l *Hieron. Ep 13*

m *Idem Ep. 54.*

n *Aug. de Verb. Dom. Ser. 24.*

o Luc 10.

p *In Psal. 44.*

q *Greg. in Euang. Hom. 26.*

r *Chrysost. Ser. de Anathem.*

s *Ioan Damasc. de imag. orat. 2.*

Testimonia hæc, vti re vera est, ita plenam, imò plenissimam esse supponunt potestatem Apostolicam, in nobis Episcopis, eam prorsus quæ fuit in Apostolis; seclusis tamen Apostolorum proprijs, & peculiaribus priuilegijs, quæ fuerunt Apostolis ipsis, vt iam exposui, personalia. Sicut enim Apostoli simul & in solidum Aristocraticè curam gerebant Ecclesiæ, cum potestate æquali, & vniuersali; ita Episcopi omnes, simul & in solidum, eandē regunt Ecclesiam, singuli cum plena potestate. Et sicut Apostolus quisque, plenè erat Episcopus,

IX.

& independenter vnus ab alio, sed immediatè à solo Christo, cuius omnes æquè Ministri erant: ita Episcopi. Et hoc omninò sibi volunt testimonia omnia prolata. Neq; in hoc nobis hîc diutiùs immorandũ esset, positis iam nostri 1. lib. præcedentis solidis fundamentis; & seruata deductione modo facta; nisi nos nostri Hieromonarchici hic non parùm interturbarent; qui, vt vidimus li. 1 nostro c. 3. nu. 20. & 33. negant successionẽ Apostolis omnibus, vno excepto Petro; cui soli succedi contendunt, idque à solo Romano Pontifice, in tota potestate ordinaria Ecclesiastica. Ita omnium Monarchicorum nunc Princeps, & compilator Bellarminus: [a] Volunt enim totam illam plenam Apostolicam potestatem, ad vnicum Romanum Pontificem transijsse; reliquos verò Episcopos, Apostolicam quidem habere potestatem, sed illam certis finibus, ac restrictionibus limitatam, & à Romano Pontifice dependentem. Distingunt enim duplicem potestatem in Apostolis: Alteram cum tota plenitudine, ratione Apostolatus; vt possent in toto mundo eam non minus quam Petrus exercere: quamuis, inquiunt, in Petro esset potestas hæc ordinaria, in alijs verò Apostolis vt delegata. Ac propterea à Petro ad successores, cum eadem plenitudine transmittenda; alij verò Apostoli eam item plenam, sine successione tamen, haberent. Alteram Episcopalem secluso Apostolatu, & sine plenitudine, sed cum dependentia à Petro. Successionem itaque respectu prioris potestatis non dant Apostolis reliquis, sed soli Petro: eam verò dant respectu posterioris; adeo vt Episcopi omnes sint Apostolorum successores, non secundum plenitudinem potestatis, sed in parte solicitudinis; Romanus verò solus Pontifex Petro succedat, in plenitudine potestatis.

a Bellarmin. de Rom. Pont. l. 1. c. 9. & l. 4. c. 25.

X. Ego verò iam eodem libro primo capite tertio plane conuici, omnes Apostolos fuisse, etiam cum Petro, in omnibus, exceptis quibusdam personalibus, æquales. Attigi verò leuius eodem primo libro cap. 8. num. 5 & cap. 10. num 21. 26. Petrum, & vnumquemque aliorum Apostolorum, ex vi Apostolatus, fuisse æque Episcopum; sicut & cap. 9. num. 29. innui vnam & eandem esse Episcopalem, & Apostolicam potestatem; quæ plenius confirmabo cap. 2. proxime sequenti. Quicquid enim Christus Dominus voluit conferre potestatis suis Apostolis, contulit illis verbis: [b] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; tunc verò eos & Apostolos fecit, & Episcopos. Neque mihi poterunt in toto Euangelio inuenire, vbi in Apostolis possimus distinguere potestatem Episcopalem minorem, à potestate maiori Apostolica; aut plenitudinem potestatis, à parte solicitudinis; de qua plenitudine fusius agam in sequentibus cap. 5. Apostolatum verò esse, sicut & Episcopatum, nudum opus, & ministerium, eodem lib. 1. probaui cap. 2. Apostoli itaque omnes, vnam & eandem in solidum habuerunt pro Ecclesia regenda potestatem: atque hanc potestatem similiter in Episcopos omnes, vnam & eandem in solidum transfuderunt: vt iam explicabo.

b Io. 20.

XI. Sane, quod spectat ad Petrum, cum ipsius potestas nulla esset, quæ ad ipsum solum seorsim, & separatim ab alijs Apostolis accepta spectaret, nullum etiam hoc pacto suum specialem potuit habere successorem: Quatenus tamen potestas hæc rectiua Ecclesiæ in Petro, erat illa vnica potestas, quæ in solidum concessa fuit a Christo omnibus, & singulis Apostolis, hac ratione Petro succedunt, quicunque ad Ecclesiæ regimen sunt assumpti. Patet hoc euidenter in primis illis Episcopis, quos Apostoli adhuc vientes ordinabant; & sumamus, exempli gratia, Barnabam: Is enim factus socius, & collega Pauli, simul cum eo iecit primum fundamentum Ecclesiæ [c] Antiochenæ, primumque nominis Christiani ibidem fecere initium. Obibat verò plene munera Apostolica Barnabas, quæ obire non poterat, nisi fuisset in Episcopum ordinatus; & tamen nulli certæ sedi alligabatur: Sed [d] datis dextris cum Petro, Iacobo, & Ioanne; ille & Paulus gentium conuersioni sunt destinati; hi verò in circumcisionem. Et ita factum est vt nullo certo loco Barnabas consisteret, sed multas regiones [e] peragraret prædicando. Idem videmus in [f] Sila, Iuda, & multis alijs. Non ergo prima Episcoporum institutio fuit vt Apostolis singulis darentur successores, qui post eorum mortem in eorum singulorum locum subrogarentur; sed quicunque ab Apostolis Episcopi fiebant, ij eandem cum ipsis Apostolis in solidum autoritatem accipiebant, & sane vniuersalem in habitu, & illimitatam; in actu verò, aliqui indifferenter, quocunq; eos Spiritus Sanctus, aut Apostoli dirigebant, terrarum orbem circuibant: aliqui verò certis locis consistere iubebantur. Vt Titus, peragrata prius & Dalmatia, in [h] Creta, iubente Paulo substitit. Timotheus lustrata prius [i] Macedonia, [k] Ephesi sedem, eodem Paulo sic disponente, fixit. Qui ergo eandem potestatem in solidum habebant cum Petro, Petri etiam successores poterant meritò nuncupari: ij autem sunt æque Episcopi omnes.

c Act. 11.
d Gal. 2.
e Act. 14.
f Act. 15. 16.
g 2. Tim. 4.
h Tit. 1.
i Act. 19. & 1. Thessal. 3.
k 1. Tim. 1.

Propterea

A Propterea alij etiam Episcopi, præter Romanum, Petri dicuntur successores. Cyprianus sanè ait; [a] Dominus noster, cuius præcepta metuere & obseruare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Euangelio loquitur, & dicit Petro: Ego tibi dico, Quia tu es Petrus, &c. Inde per temporum, & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit; vt Ecclesia super Episcopos constituatur; & omnes actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.] Omnes ergo Episcopi idem sunt quod Petrus, & ei succedunt; & Petrus idem fuit, quod nunc omnes Episcopi. Hieronymus; [b] Non est facilè, *inquit*, stare loco Pauli, tenere gradum Petri.] Dissuadebat Helodoro Clericatum, & Episcopatum, commemorauitque non posse quemcunque Episcopum adeo facilè sustinere locum pro dignitate, quem habuerunt initio Petrus & Paulus. Sentit itaque Hieronymus vnumquemque Episcopum, locum & gradum

B tenere & Petri & Pauli; & consequenter eum ipsis succedere, sed non facile virtutibus coæquare. Cyrillus Alexandrinus Episcopos illos, qui adhuc viuente Petro fuerant ab Apostolis instituti, Petri successores vocat: Considerans enim Petri verba, quibus ille, sicut audierat tibi dictum à Christo; [c] Pasce oues meas; ita hortatur Episcopos Asiæ, Bythiniæ, Cappadociæ, Ponti, [d] Pascite qui in vobis est gregem Dei; [e] Similia, inquit, successoribus suis Petrus scripsit præcepta.] Ephræm, de Sancto Basilio Episcopo, ita scribit: [f] Et sicut rursus Petrus Ananiam & Saphiram, fraudantes de precio agri enecauit; ita & Basilius, locum Petri obtinens, eiusque pariter autoritatem, libertatemque participans, suam ipsius promissionem fraudantem Valentem redarguit, eiusque filium morte mulctauit.] Chrysostomus tractans locum illum, [g] Petre amas me? [h] Neque enim, *inquit*, tum volebat testatum esse; quantum a Petro amaretur; siquidem id multis nobis argumentis constabat; verum hoc ille tum agebat, vt & Petrum, & cæteros nos edoceret, quanta beneuolentia, ac charitate erga suam ipse Ecclesiam afficeretur; vt hac ratione & nos quoque eiusdem Ecclesiæ studium, curamque toto animo susciperemus. Quanam item de causa idem ille (*Christus*) sanguinem effudit suum? Certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus, *Græcè tum ijs qui post eum*, committebat.]

C Traliuntur procul dubio, qui [i] locum hunc de Romanis intelligunt Pontificibus; planum enim est per successores Petri, Chrysostomum hic intelligere eos, quos dixit simul cum Petro edoceri; vt curam, & studium, erga Eccle iam susciperent, nempe Episcopos; vt Petrum, & cæteros nos edoceret.] ait Chrysostomus: Consolatur enim Basilium nuper Episcopum factum; eique accommodat, tanquam vni ex Petri successoribus, ea quæ de Petri caritate considerabat. Gaudentius Brixiensis [k] Ambrosium vocat Petri successorem. Et Gildas sapiens malos Episcopos, quoscunque, ait, [l] Sedem Petri immundis pedibus vsurpare. Patres Concilij Parisiensis, sub Ludouico, propriam dignitatem stabilire, & honorem sibi exhiberi qui eis deberetur, suadentes, illud Euangelij proferunt, sibi in Petro dictum; Quodcunque ligaueris, &c. sic enim aiunt; [m] Quod ex verbis Domini facilè intelligere possunt, quibus B. Petro, cuius vicem indigni gerimus, ait, Quodcunque ligaueris, &c.] Petrus Blesensis vnum Episcopum ita alloquitur. [n] Recolite, Pater, quia B. Petri Vicarius estis.] Item ad Eboracensem; [o] Quia igitur estis successor, & Vicarius Petri; qui oues Domini custodiendas accepit, &c. & ad Vigorniensem; Hæres es, & Vicarius Petri, Pasce oues.] Et post aliqua; Christi villicus es, & Vicarius Petri.] Huc optimè faciunt quæ ex Ambrosio tractauimus lib primo; vbi ille, Nos omnes Episcopos in

E Petro, & simul cum Petro claues accepisse à Domino asserit. Et ex Augustino, vbi ille toties Petrum & claues, & pasturam ouium accepisse docet, non suo proprio nomine, sed nomine totius Ecclesiæ, cuius figura esset; hoc est nomine omnium Prælatorum Ecclesiæ. Itaque Prælati omnes meritò & successores, & Collegæ Petri dicuntur; imò & Petrus ipse, si quidem Petrus nos omnes repræsentaret, & nostrum omnium nomine, curam acciperet Pastoralem.

XII.

[a] *Cypr. l. 3. ep. 6.*

[b] *Hieron. ep. 2.*

[c] *Ioan. 21.*
[d] *1. Pet. 5.*
[e] *Cyrill. l. 12. Thes. c. 13.*
[f] *Ephræm. erat. de laud. B. fil.*

[g] *Ioan. 21.*
[h] *Chrysost. l. 2. de Sacerd. init.*

[i] *Bellar. de Ro. Pont. l. 2. c. 12.*

[k] *Gaud. tract. prima die suæ ordinat.*
[l] *Gildas in Eccles. ordinis increpat. Bibl. SS. PP. tom. 5.*
[m] *Concil. Paris. l. 3. c. 8.*
[n] *Petr. Bles. ep. 118.*
[o] *Idem in Can. Episcopali.*

XIII.

Quodsi communi totius Ecclesiæ consensu, vt iam vidimus, Episcopi Apostolorum dicuntur, & sunt successores, erunt proculdubio consequenter etiam Petri successores; non enim arbitrandum ita Episcopos dici Apostolorum successores, vt aliqui succedant Petro, alij Paulo, alij Ioanni, alij Iacobo, aliisque singuli singulis Apostolis: Atque ita quisque suo Apostolo succedat, vt tamen alteri non succedat; hoc enim esset admittere schisma in Ecclesia, contra Pauli reprehensionem, vt aliqui dicant; [p] Ego sum Apollo, alij ego Pauli, alij ego Cephæ: sed Episcopi dicuntur Apostolorum successores, quia in eorum officio, quod erat Apostolorum omnium commune, succedunt omnes omnibus in solidum.

[p] *1. Cor. 1.*

solidum. Quod ex illis Patribus facile confirmatur, qui per analysim ad sua principia, Episcoporum omnium successiones reducunt ad Apostolos in genere; & vix ad vnum aliquem Apostolum singularem, vt singularis est. Irenæus; [a] Nunc, *inquit*, duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis (*Romæ*) habet Eleutherius.] Et paulò post: Polycarpus, *inquit*, ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia, constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate, docuit &c.] Tertullianus; [b] Edant ergo, *inquit*, origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit autorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum, refert: sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum: proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant.]

a *Iren. l. 3. c. 3.*

b *Tertul. de præscrip.*

XIV.

Vbi vides tum ab Irenæo, tum à Tertulliano, non numerari inter Episcopos alicuius loci Apostolos ipsos, qui primos Episcopos certis in sedibus collocabant: nam vterque primum Episcopum Smyrnæ ponit Polycarpum, non Ioannem: & primum Romanum Episcopum Clementem (siue Linum) non Petrum. Ita Eusebius primum [c] Hierosolymorum Episcopum ponit Iacobum fratrem Domini, quem Hegesippus scribit [d] post Apostolos illam Ecclesiam gubernandam suscepisse. Et Ignatius [e] Euodium primum post Apostolos dicit Antiochenæ Ecclesiæ gubernacula sortitum esse: Apostoli enim nonerant singulares Episcopi vllius loci determinati, licet postea ipsimet censuerint, necessitate etiam ita cogente, prout infra declarabitur, expedire, vt quæque singularis Ecclesia, proprio & vno frueretur Episcopo. Itaque perinde credendum esse docent successoribus Polycarpi, atque successoribus Clementis (siue Lini, quicunque ex his fuerit primus Romæ Episcopus) quia tam illi, quam hi, quamque aliarum Apostolicarum sedium successores, originem suam æque trahunt ab Apostolis: Quorum doctrina ipsis à Christo tradita, per manus postea ad successores transfusa, in Ecclesia perseuerat. Atque hoc est, quod supra dicebam, Apostoli cuiuscunque Episcopatum particularem particularis Ecclesiæ, nihil aliud esse, quam exercitium actuale suæ Apostolicæ, & vniuersalis autoritatis in illa Ecclesia. Et propterea si sint omnes, vel plures Apostoli in eadem Ecclesia particulari, in eaque laborent, erunt in ea tot Episcopi, æquales prorsus in potestate, quot Apostoli: etsi in illa Ecclesia ordinabant particularem Episcopum, qui non esset Apostolus, ille non erat successor vllius certi Apostoli, sed Apostolorũ in genere; & ille proprie dicebatur illius sedis primus Episcopus. Ideoque Cyprianus generali assertione ait: [f] Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis Vicaria ordinatione succedunt; Qui vos audit, &c.] Et Pacianus Barinonensis venerandæ antiquitatis Episcopus, [g] Episcopos omnes Apostolorum Cathedram tenere affirmat.

c *Euseb. l. 4. c. 5.*
d *Apud Hieron. de Scrip. Eccl. in Iacobo.*
e *Ignat. ep. 12.*
f *Cypr. l. 4. ep. 10*
g *Patian. ep. 1. ad Sympron.*

XV.

Non negamus itaque Petrum fuisse vniuersalem totius Ecclesiæ pastorem in habitu; ita tamen vt etiam reliqui Apostoli, omnes simul cum ipso, & in solidum, essent & ipsi Pastores similiter vniuersales. Et hoc est à me lib. 1. cap. 8. copiosè explicatum. In hac autem potestate vniuersali, succedunt Episcopi, non modo vniuersi, sed etiam singuli. Docebo enim infra cap. 7. Episcopum quemcunque, ex diuina institutione, habere plenam potestatem in habitu, seu actu primo, & illimitatam, eodem modo quo fuit in vnoquoque Apostolorum, etiam primo. Quamuis deinde Ecclesia, vnumquemque Episcopum, certæ sedi particulari, sicut necesse fuit, alligârit. Quo igitur modo Monarchici dant Petro successionem, in potestate illa vniuersali; eodem prorsus cuicunque ex Apostolis, eandem successionem, in eadem potestate dare coguntur. Sicut enim Romani Pontifices dicuntur Petri successores, quia nimirum Petrus Romæ primum dedit Episcopum, puta Linum, siue Clementem, à quo, successione continuata, & serie non interrupta, Pastoris officium ad præsentem Romanum peruenit Pontificem: & sicut eadem ratione Antiochenus Episcopus, quicunque sit legitimus, Petri est & dicitur successor, quia in Petrum tandem ascendendo Antiocheni Pontifices fortasse reuoluuntur: sic de Alexandrino; siquidem Marcus dicitur primus à Petro Alexandriæ Episcopus fuisse præfectus: Ita vidimus supra Polycarpum successisse Ioanni, ex Irenæo, & Tertulliano, in sede Ecclesiæ Smyrnæorum. Sed rursum audi Tertullianum: [h] In summa, *inquit*, si constat id verum quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apostolis; pariter vtique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac à

h *Tertull. l. 4. adu. Marcion.*

Paulo

A Paulo Corinthij hauserint: ad quam regulam Galatæ sint recorrecti: quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij; quid etiam Romani de proximo sonent; quibus Euangelium, & Petrus, & Paulus, sanguine quoque suo signatum, reliquerunt. Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias; nam & si Apocalypsim eius Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum **ad originem accensus, in Ioannem stabit autorem.**] Igitur sicut **Romana** Ecclesia dat fidei regulam Tertulliano, in doctrina quam retinet, eo quod per successionem Episcoporum reducatur tandem ad Petrum, & Paulum; ita & Corinthiaca, Galatarum, Philippensis, & Thessalonicensis, **propter successionem à Paulo**: ita [a] Ephesina Smyrnensis, Pergamensis, Thyatirana, Sardicensis, Philadelphiensis, Laodicena successione Episcoporum à Ioanne regula sunt & ipsæ Apostolicæ doctrinæ, & Euangelicæ veritatis. Nihil minùs itaque vniuersalem regit Ecclesiam in fide, & Christiana institutione, successio B Episcoporum Corinthiorum, Philippensium, Ephesinorum, Sardicensium, &c. à Paulo, à Ioanne, & reliquis; quàm successio Romanorum Pontificum à Petro. Igitur etiam Paulo, & Ioanni datur successio, & non minoris autoritatis, quàm sit successio quæ Romæ Petro datur. Succeditur enim vnicuique Apostolorum, non vt tali, & singulari Apostolo, sed vt Apostolo in genere: hoc est, in ipsa Apostolatus, siue episcopatus potestate, quæ erat vna, & eadem in solidum.

a Apoc. 2. & 3.

Optimè itaque Cælestinus, scribens ad Synodum Ephesinam: [b] Docebat, *inquit*, qui in Apostolis suis se confirmat audiri; hæc ad omnes in commune Domini Sacerdotes mandatæ prædicationis cura peruenit: hæreditario namque in hac solicitudine iure constringimur, quicunque per diuersa terrarum, eorum voce nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur; Ite, docete omnes gentes. Aduertere debet vniuersa fraternitas, quia accepimus generale mandatum, omnes etiam nos id agere voluit, qui illis sic in communi mandauit officium, necesse est vt competenter nostros sequamur autores (*hoc est, Apostolos*) subeamus omnes eorum labores, quibus omnes successimus in honore.] Et post pauca: Agendum igitur nunc est labore communi, vt credita & per Apostolicam hucusque successionem detenta seruemus.] Vides ne omnes Episcopos, omnibus in communi Apostolis, vnius magni nominis Romani Pontificis confessione succedere?

XVI.

b *Cælest. Epi. 7.*

Vanum igitur prorsus, & arbitratium est, ac nullis innixum fundamentis, aut probationibus stabilitum, quod dicunt nostri, soli [c] Petro dari successionem in regimine vniuersali Ecclesiæ, non verò alijs Apostolis. Nam & [d] probatum est à nobis, & à Monarchicis concessum, vnumquemque Apostolorum habuisse plenitudinem potestatis: Nos verò etiam conuicimus [e] eam in quocunque Apostolo fuisse æquè ac in Petro, sanè primariam, non D delegatam: nunc verò vidimus etiam alijs Apostolis datam esse veram successionem: & quantum Romani Episcopi Petro succedunt, tantum, & nihil minus, Corinthij Paulo, Smyrnenses Ioanni, tanquam Apostolis: tantundem etiam alij alijs succedant, necesse est. Itaque omnis successio in omnibus Apostolicis sedibus, tandem stat in Apostolis, siue vniuersis, siue pluribus, siue singulis, non tamen singulariter: Atque in hoc pares sunt omnes dictæ sedes, vt fusiùs adhuc suis locis explicabimus. Sed neque solæ Apostolicæ sedes successionem suam reducunt ad Apostolos, sed etiam reliquæ omnes quotcunque fundatæ sunt etiam à viris Apostolicis; quia Apostoli missi immediatè à Christo, miserunt etiam ipsi Episcopos multos ad fundandas Ecclesias; & deinde Episcopi ab Apostolis missi, miserunt alios, & quotidiè mittuntur; & sic nullus est Catholicus legitimus Episcopus, qui suam successionem tandem non reducat ad Apostolos. Et ita quicunque Episcopus legitimus, E est verè & propriè successor Apostolorum, nihil minus, quàm sedium Apostolicarum Episcopi, vt erit nobis plenè agendum libro tertio. Cùmque potestas mittendi, hoc est, ordinandi Episcopum, tanta fuerit in Ioanne, Iacobo, Andrea, & cæteris, quanta in Petro; æquè enim omnibus dictum est à Christo; Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos, quis potest capere, Episcopos omnes ritè ordinatos, non esse in æquali potestate constitutos; sed in maiori potestate succedere Apostolis, ordinatos à Petro, quàm ordinatos ab alijs? Et de hoc plura alias; sicut & quæ pertinent ad successionem Romanorum Pontificum à Petro, tanquam ab vniuersali, & solo, quem Monarchici faciunt, Ecclesiæ Pastore, deriuatam, sunt à nobis libro quarto pluribus pertractanda.

XVII.

c *Bonar. de Ro. Pont. l. 1 c. 9. & lib. 4. cap. 25*

d *Hic Opere l. 1. ca. 3. c. 4. & 10.*

e *Eo. l. 11. cap. 3. & cap. 4.*

CAP.

CAP. II.

Apostolos propriè fuisse Episcopos à Christo ordinatos: & quomodo, & à quo Episcopi alij sint ordinandi.

Summa Capitis.

Episcopi succedunt Apostolis, non in priuilegijs Apostolatus, sed in potestate Episcopali, num. 1. fuerunt enim Apostoli propriè Episcopi, n. 2.

Explicatur quando, & à quo fuerint Apostoli ordinati Episcopi, num. 3. & id ex Patribus declaratur, num. 4.

Refutatur assertio illorum, qui Apostolos à Petro ordinatos Episcopos censuerunt, num. 5. 6. 7. Qua occasione Matthiæ ordinatio explicatur num. 8. 9. Pauli & Barnabæ, num. 10. 11. 12. 13. 14.

Iacobi fratris Domini ordinatio in Episcopum Hierosolymitanum examinatur, num. 15. 16. 17. 18. Et quis fuerit hic Iacobus, & an fuerit Apostolus indagatur à num. 19. ad num. 37. Noduque de Maria huius Iacobi matre soluitur, n. 38. 39. 40. 41.

Hac occasione alij Christi consanguinei quaruntur, n. 42. 43. 44.

Obiectiones circa hæc quæ de Iacobo sunt disputata soluuntur, à n. 45. ad n. 50.

Plebs non ordinat Episcopos, num. 51. 52. sed Apostoli; eorumque successores Episcopi, non sine ceremonijs, num. 53. 54. 55. Neque ab alijs fieri potest Episcoporum ordinatio, num. 56. ad finem.

I. EPiscopos locum Apostolorum in Ecclesia militanti plene obtinere, probatum est capite præcedenti: Episcopi tamen, sicuti non sunt, ita neque vocari debent Apostoli, sed Episcopi; nam Apostolis, in quantum ipsi erant Episcopi, succedunt Episcopi; non in quantum erant Apostoli; hoc est, succedunt eis in tota regiminis Ecclesiastici ministeriali potestate, non tamen in eo vt sint testes vitæ, doctrinæ, & Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & sane testes oculati; neque in eo quod à Christo Domino immediate eligantur, & ad Euangelizandum mittantur: neque in multis gratijs & prærogatiuis; vt in copia Spritus, in Doctrinæ infallibilitate, in confirmatione in gratia, in plenitudine scientiæ, in dono linguarum, & miraculorum, &c. In his enim Apostolorum proprietatibus, nulla datur successio ordinaria in vlla Ecclesia, quæcunque illa sit particularis, imò ne in vniuersali quidem: Fuerunt enim dona, & priuilegia Apostolatus propriè dicti, vt [a] sæpius fuit, & erit mihi inculcandum. Cæterum quicquid reliquæ potestatis, ac officij habuerunt Apostoli, id totum fuit Episcopale, & in Episcopos ab Apostolis transfusum; non modo post mortem ipsorum, sed etiam adhuc ipsis viuentibus: quos enim ordinabant, & siue ad Euangelizandum transcursuros per regiones, mittebant siue Ecclesijs certis, & singularibus præficiebant; ij omnes Episcopi erant, & plenam Apostolicam regiminis Ecclesiastici potestatem accipiebant; vt in præcedenti capite est à me numero vndecimo explicatum.

[a] *Hoc opere, l. 1. c. 2. n. 3. 4.*

II. Apostolos porro fuisse verè & propriè Episcopos, præterquam quod ex munere, & officio ipsorum id per se patet, Vnde & Iudæ Apostolatum ex Sacra Scriptura, [b] Petrus vocat Episcopatum; docent etiam expresse Patres. Areopagita [c] Christum asserit Apostolos ad Sacerdotij honorem extulisse; & Apostolos Petri condiscipulos dicit pariter fuisse Pontifices, & honorem Apostolatus honorem vocat Pontificium; & Apostolorum Collegium pariter vocat numerum, & Chorum Pontificum.] Polycrates Ephesiorum Episcopus antiquissimus, octauus ab Apostolis, ad Victorem humanum scribens, ait: [d] Sed & Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, & Pontifex eius fuit.] Ioannem Christi Pontificem fuisse asserit: hoc est, à Christo factum Pontificem. Cyprianus,

[b] *Act. 1.*
[c] *Areop. de Eccles. Hierar. vbi de consec.*
[d] *Hieron. de Script. Eccles. in Polycrat.*

[a] Memi-

A [a] Meminisse autem, *inquit*, Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos, & Præpositos, Dominus elegit; Diaconos autem, post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros.] Epiphanius; [b] Romæ Petrum, & Paulum primos fuisse, ait, & Apostolos, & Episcopos. Ambrosius; [c] Susannam, *inquit*, pseudopresbyteri arguunt; prodit pseudoepiscopus Saluatorem; Episcopus enim & Iudas fuit, sicut ait Propheta de eodem dicens; [d] Fiant dies eius pauci; & Episcopatum eius accipiat alter] Et alibi idem Ambrosius ait; [e] Caput itaque in Ecclesia Apostolos posuit, qui Legati Christi sunt, sicut dicit idem Apostolus: Pro quo Legatione fungimur; ipsi sunt Episcopi: firmante istud Petro Apostolo, & dicente inter cætera de Iuda; & Episcopatum eius accipiat alter.] Chrysostomus de Episcopis loquens, ait: [f] Sicut Sacerdotum Principes sunt Apostoli, ita & Monachorum Princeps Ioannes Baptista.] nempe, eodem
B modo Ioannem fuisse primum Monachum, à quo formam Monachalem cæteri sumpserint; quo modo Apostoli fuerunt primi Episcopi; quos in Episcopatu secuti sunt alij.

a *Cypr. l. 3 ep 9.*
b *Epiphan. har. 27.*
c *Ambr. ser. 2. in Dan.*
d Psal. 108.
e *Ambros. in 1. Cor. c. 13.*
f *Chrys. hom. 1. in Matt.*

Quod si quæras quomodo, & à quo, & quando Apostoli ordinati fuerint Episcopi: Respondeo, In Apostolis meritò duplicem distingui potestatem, vtramque spiritualem: alteram ordinis: alteram (vt ita nunc dicam) Iurisdictionis: de quibus aliqua iam diximus cap. præced. & plura adhuc erunt dicenda libro quinto. Ordinis ego potestatem intelligo nunc, ad conficiendam Eucharistiam, & sacrificij in cruce per Iesum Christum peracti memoriam celebrandam; ad quod Sacerdotium quoddam est necessarium. Ad hoc Sacerdotium promoti sunt Apostoli à Christo Domino, in vltima cœna, quando eis dixit; [g] Hoc facite in meam commemorationem.] Potestatem Iurisdictionis intelligo, potestatem prædicandi, docendi, baptizandi, peccata remittendi, ligandi & soluendi, excommunicandi, & ordinandi; & hanc etiam Christus suis tradidit Apostolis; partim quidem vbi eis
C dixit; [h] Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunq; solueritis super terrã, erunt soluta & in cœlo.] Partim etiam quando in Apostolos insufflauit, & dixit; [i] Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.] Et quando Petro, & in Petro omnibus [k] Prælatis Ecclesiæ dixit; [l] Pasce oues meas.] Ac vniuersaliter, quando dixit eis; [*] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.] *Et*, [m] Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.] Atque ex hac vtraque potestate, completur plene totus & integer ordo Episcopalis. Præstat nunc audire Patres, de hac Apostolorum ordinatione in Sacerdotes, ac Episcopos, differentes.

III.

g Luc. 22 & 1. Co 11.
h Matth. 18.
i Io. 21.
k *Sup. lib 1. cap. 8. n. 3.*
l Io. 21.
* Io. 20.
m Matth. 28.

Dionysius Areopagita; [n] Quia etiam, *inquit*, diuinus ac primus Pontifex noster (hoc enim etiam causa nostra humanissimus Iesus factus est) non se ipsum [o] clarificauit, vt Di-
D uina scripta tradunt; sed qui locutus est ad eum; [p] Tu es Sacerdos in æternum: loco Aaron, secundum ordinem Melchisedec. Itaque ipse cum discipulos ad Sacerdotij honorem efferret, quanquam erat, vt Deus, autor sacrorum; tamen sanctissimo Patri suo, diuinoq; spiritui munus consecrationis attribuit; [q] præcipiens discipulis, vt scripta diuina loquuntur, ne Hierosolymis discederent; sed expectarent promissionem Patris, quam à me audistis; quia vos baptizabimini Spiritu Sancto.] Vbi Dionysius vult Christum, vt erat homo, contulisse quidem potestatem Episcopalem Apostolis, quasi in habitu tantum, seu in sola potentia, vt illa fuerit quasi sola electio; Deum verò ordinationem illam absoluisse, & virtutem ac gratiam Episcopalis muneris bene exequendi, per Spiritus Sancti infusionem, largitum fuisse; de quo nos postea, cap. 4. Cyrillus Alexandrinus tradit expresè, Apostolos ordinatos fuisse illis verbis, Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. [r] Ordinauit, *inquit*,
E his verbis orbis Doctores, & diuinorum mysteriorum Ministros, &c.] Vide locum in [s] præcedentibus. Ambrosius; [t] Meritò, *inquit*, Petrus Sacerdos eligitur, qui sparto caritatis diuinæ triplici se ligauit.] Significat porrò Ambrosius Petrum Sacerdotem, hoc est Episcopum, fuisse à Christo electum, illis verbis, [u] Pasce oues meas; quando ter de amore fuit interrogatus. Sed siue tunc primum seorsim ab alijs fuerit Petrus factus Episcopus; siue in Episcopatu iam cum omnibus habito illis verbis; [x] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; & illis, [y] Quæcunque alligaueritis &c. denuo confirmatus; siue Apostolatui ferme per negationes amisso, restitutus, vt libro primo dixi, cap. 8 num. 11. nihil nos turbet hoc Ambrosij dictũ; quia si Petrus hoc loco solus fit Episcopus à Christo, alijs locis fiunt & cæteri, vt paulo ante docui, num. 2. Non enim ex vnico loco colligimus plenam Episcopalem autoritatem traditam Discipulis, sed ex pluribus. Et, quibus locis perficitur in Apostolis Apostolatus ipse, siue autoritas Apostolica ordinaria, iisdem etiam perficitur

IV.

n *Areopag. vbi sup.*
o Heb 5.
p Psal. 109.
q Act. 1.
r *Cyrill. in Io. l. 12. c. 55.*
s *Hic opere. l. 1. c. 10. n. 16.*
t *Ambros. in Ps. 43.*
u Io 21.
x Io. 20.
y Matth. 18.

ficitur in ipsis Episcopatus, & autoritas Episcopalis. Sunt enim in Apostolis vnum & idem essentialiter, Apostolatus, & Episcopatus; si priuilegia illa Apostolatui proprijssime dicti peculiaria demas, quod sint à Christo immediate vocati, & tanquam testes oculati ad Euangelizandum Christum missi. &c. Et quamuis Lucæ 6. vocentur Apostoli, id tamen intelligendum est inchoatiuè tantum, & tanquam designati essent: nam perfecte Apostoli, vt mihi videtur, non fuerunt, nisi post Christi Resurrectionem. A

V. Vanissimus propterea redditur totus conatus Ioannis de Turrecremata, dum contendit, [a] Petrum solum à Christo immediate fuisse ordinatum, & factum Episcopum; reliquos verò omnes Apostolos, & alios Episcopos, vel per Petrum, vel per alios. Omnes enim Apostolos immediate à Christo fuisse & vocatos, & instructos, & de Apostolatu plenè inuestitos, nemo sanæ mentis dubitat; & nos abunde libro præcedenti [b] probauimus. Cum itaque Episcopatus in Apostolis sit ipsemet Apostolatus, planum est eos tunc, & ab illo factos Episcopos, quando, & à quo facti sunt Apostoli; quicquid dicat etiam [c] Bellarminus. Totius tamen huius vanitatis fundamentum fuit dictum quoddam ficti illius Anacleti, quod tanquam gemma ponitur in Decreto, & sic habet: [d] In nouo autem Testamento post Christum Dominum, à Petro sacerdotalis cæpit ordo; quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est; dicente Domino ad eum, Tu es, inquit, Petrus, &c. Hic ergo ligandi atque soluendi potestatem primus accepit à Domino.] Hoc porro dictum (in bono sensu verum) si subdit alios Apostolos Petro, falsum esse, & Diuinæ Scripturæ contrarium, ex nostro primo lib. cap. 3. iam constat: & statim ipsum ipsemet Autor destruit, paritatem cum Petro in consortio & potestate in cæteris Apostolis astruendo. Subsecuti sunt viri grauissimi, Romani tamen Pontifices, qui eo libentissime vtantur, & repetant id frequentissime. Ait enim Siricius, [e] Cum in vnum plurimi fratres conuenissemus, ad sancti Apostoli Petri reliquias, per quem & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cæpit exordium &c.] Idem profert Innocentius, totidem verbis in prima sua epistola Decretali; & in alia hoc pacto loquitur: [f] A quo (*Petro*) ipse Episcopatus, & tota autoritas huius nominis emersit.] Gregorius tertius, [g] Bene nosti satis, *inquit*, quia Beatus Apostolus Petrus, & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi, non ex nobis &c.] Repetit per Petrum Apostolatum, & Episcopatum in Christo cepisse exordium [h] Nicolaus primus; & postea multi alij. Atque in hoc Anacleti dicto, hoc est in arena volubili, fundat Turrecremata Petri Monarchiam; vt vidimus etiam lib. 1. & conatur docere, quod de solius Petri à Christo immediata ordinatione in Episcopum, contendebat. B C

a Turrecr. l. 2. de Eccles. c. 32. 33. et 34.
b Cap. 9. nu. 19.
c Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 23
d Dist. 21. c. In nouo.
e Siricius ep. 4. tom. 1. par. 2.
f Inno 1. ep. 31 tom. 1 par. 2.
g Greg. 3. ep. 4. tom. 2.
h Nic. in ep. 40. et 42. tom 3.

VI. Cum tamen post Anacletum fictum, alij veri Pontifices dixerint, per Petrum & Apostolatum, & Episcopatum cæpisse exordium, non vidit hic Doctor dicta hæc omnia de prioritate tantum temporis esse intelligenda; nimirum Petrum fuisse ante omnes vocatum ad Apostolatum; & post ipsum vocatos reliquos Apostolos. Petro ante omnes soli dictum fuit; [i] Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; &, Tibi dabo claues; postea alijs & commissa fuit hæc ædificatio Ecclesiæ; [k] Euntes docete &c. Et datæ claues; [l] Quæcunque alligaueritis &c. Quorum remiseritis, &c. [m] Sicut misit me Pater &c. Petro etiã soli dictũ est, [n] Pasce oues meas, &c. Et tunc putatur ab Ambrosio factus esse Sacerdos; (sed iam erat Episcopus factus cum omnibus, illis verbis, [o] Sicut misit me Pater) Post hæc tamen etiam reliqui facti sunt Sacerdotes, & Episcopi illis verbis, Euntes docete &c. Sicut igitur negate non potest Turrecremata, Petrum dici dedisse exordium Apostolatui, ratione temporis tantum, non quod ipse alios fecerit Apostolos; ita negare non debet de Episcopatu & Sacerdotio. Non aliud, puto, præter hanc temporis solius prioritatem, volunt illi Pontifices; nam alioqui, autoritati Diuinæ Scripturæ bene explicatæ, aduersarentur. D E

i Matth. 16.
k Matth. 28.
l Matth. 18.
m Io. 17.
n Io. 20.
o Io. 21.

VII. Addit idem autor verba Clementis, in secunda epist. in qua Petrum ipse Turrecremata dicit vocari Principem, magistrum, institutorem, & ordinatorem Apostolorum. Sed sicut toti Ecclesiæ conatus est imponere ille, qui epistolas illas sub nomine Clementis confinxit; ita nobis Turrecremata imponit, dum dicta ipsa illius qualiscunque Epistolæ, peruertit. Ita enim habet illa. [p] Hæc nos familiarius docebat, & hæc nobis publicitus, prædictus magister, & instructor atque ordinator noster, princeps Apostolorum Petrus, in Ecclesia prædicabat.] Ordinatorem appellat nostrum, hoc est, Clementis & Iacobi Hierosolomytani Episcopi, ad quem scribitur hæc epistola, qui Iacobus, vt ostendam infra, apud hunc Clementem præsertim, non est Apostolus, sed extra numerum duodecim Apostolorum. Aduertat etiam pius Lector, in hoc Doctore blasphemiam illam, non sine hæresi,

p Clem. ep. 2. ad Iacob. F. D.

vbi

A vbi asserit, [a] Christum fuisse Sacerdotem, & Episcopum æquiuocè. Quam Romani Censores obductis oculis pertranseunt, quia Monarchiam Romanam ille asserit, & propugnat. Quare plurimum vereor, ne facilè possint hæreses inter nos disseminari, per libros peniferos, dummodo in ipsis Primatus Romanus defendatur; nam ex approbatione doctrinæ Primatum hunc asserentis, approbatio etiam sequitur hæresum, si quæ in talibus tractatibus asperguntur.

[a] Torrens. li. 2 de Eccles. 32.

VIII.

Manent igitur Apostolos omnes fuisse immediatè factos Episcopos à Christo Domino, sed difficultas exurgit de Matthia, Paulo, & Iacobo fratre Domini. Hi enim duo priores cùm fuerint veri, & propriè Apostoli, vt lib. primo cap. 2. nu. 3. 4. scripsimus, nihilominus Matthias [b] Videtur factus Apostolus, & ordinatus Episcopus ab Apostolis. Paulus etiam videtur, & ipse ordinatus fuisse à [c] Prophetis & Doctoribus Antiochenis. De Iacobo
B verò minori, & ipso reputato Apostolo adsunt historiæ, & dicta Patrum, ipsum fuisse à Petro, Iacobo maiore, & Ioanne ordinatum Episcopum primum Hierosolymorum. Si ergo Paulus, & Iacobus erant iam Apostoli, certè Episcopi adhuc non erant, si aliâ ordinatione per Apostolos indigebant. Et si Matthias factus fuit Apostolus ab Apostolis, non ergo soli Apostoli sunt qui a Christo immediatè sunt vocati, & missi. Atque hæc sunt nobis exactiùs elucidanda.

b Act. 1.
c Act. 13.

IX.

De Matthia habet hæc Isidorus Hispalensis; [d] Omnes qui in Ecclesiastici Ministerij gradibus sunt ordinati, generaliter Cleri nominantur. Cleros autem, aut clericos, hinc appellatos Doctores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Sic & omnes, quos illis temporibus Ecclesiarum Principes ordinabant,
C sorte eligebant; nam Cleros sors interpretatur.] Sumpsit hæc ex Augustino. Augustini enim verba sunt; [e] Nam & Cleros, & Clericos hinc appellatos puto, qui sunt in Ecclesiastici Ministerij gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.] Hanc tamen ordinationem necesse est intelligamus, vt etiam primo libro ca. 2. num. 4. docui, solam propositionem. Duodenarius enim fuerat numerus Apostolorum, & per interitum infœlicem Iudæ proditoris numerus hic est vno imminutus; & non nisi vndecim erant post Christi Ascensionem. Petrus igitur, Spiritu Sancto afflatus, primus cogitauit de explendo numero, vt plenè essent duodecim, in ipso initio fidei propagandæ; sicut duodecim fuerant à Christo vocati, & [f] Apostoli nominati: proposuitque [g] oportere ex illis viris qui simul cum ipsis Apostolis secuti fuerant Christum, & cum ipso familiariter conuersati, vnum assumi in testem resurrectionis Do-
D mini. Et facta electione non per Petrum solum, sed a tota Ecclesia illa, hominum ferè centum viginti, statuerunt duos, Ioseph, & Matthiam.] Hucusque opus Petri, Apostolorum, & fratrum, sed nondum habemus duodecimum Apostolum, neque videmus ordinationem vllam per Apostolos factam; nisi ordinationem vocemus cum Augustino, solam hanc nominationem, & propositionem horum duorum, & orationem qua Dominum precabantur, vt ipse in Apostolum substitueret alterum ex illis, quos illa tota Ecclesia, ad opus hoc idoneos iudicabat. Et datis sortibus, diuina est habita electio Matthiæ; qui statim explicata per sortes diuina vocatione, absque vlla alia ordinatione, annumeratus est cum vndecim Apostolis. De qua Matthiæ electione ita loquitur Dionysius; [h] Atque etiam ipse Discipulorum facilè Princeps, cùm decem condiscipulis paribus, & Pontificibus, cùm ad supplendum, perficiendumque condiscipulorum duodecim numerum, in Pontificio honore veniisset, Deo electionem timidè, religiosèque permittit, cùm dixit; Ostende nobis quem elegeris. Atque eum qui diuina sorte diuinitùs declaratus est, in sanctum duodecim
E numerum, qui Pontificum erat, admisit. De diuina autem sorte quæ diuinitùs Matthiæ obtigit, alij alia dixerunt non rectè, meâ quidem sententiâ: ego verò meam etiam sententiam exponam. Videntur enim mihi scripta diuina sortem appellare diuinum quoddam munus, quod illi Pontificum choro, eum qui diuino iudicio delectuque esset renunciatus, iudicaret.] Hæc Areopagita; qui totam Matthiæ electionem, in diuinam solam confert vocationem. Sed & de hoc egimus libro primo, capite 9. num. 19. vbi Chrysostomi hâc de re sententiam expendimus.

[d] Isid. li. 2. de offic. Eccles.

[e] Aug. in Psa. 67.

[f] Mat. 10. & Luc. 6.
[g] Act. 1.

[h] Areopa. de Eccl. Hierar. vbi de Ord.

X.

Venio ad Pauli ordinationem: Contendunt enim multi, etiam ex antiquioribus, Paulum ad Apostolatum fuisse quidem immediate à Christo, iam in cœlis glorioso, vocatum: sed in Ecclesia [i] baptizatum, & Episcopum ordinatum per [k] manus ministrorum Ecclesiæ. De eo sic Hieronymus. [l] Reuertens Hierosolymam à Petro, Iacoboque, & Ioanne, Gentium Apostolus ordinatur.] Rudis tamen est qui non intelligit ordinationem hic

[i] Act. 9.
[k] Act. 13.
[l] Hier. lib. de Script. Eccles. Paulo.

[a] Gal 2.

à Hieronymo vocari, compositionem illam, qua de communi consensu, [a] datis dextris, A
curam potissimam conuertendarum Gentium assumpsit Paulus cum Barnaba, relicta Petro, Iacobo, & Ioanni circumcisione. Chrysostomus in ea verba; [b] Paulus qui & Saulus.
[c] Hic nomen, *inquit*, illius mutatur, cum ordinatione, id quod & Petro accidit.] Videtur itaque Chrysost. innuere, per illam manuum impositionem, tunc primum ordinatum Paulum in Apostolum; & ex tali ordinatione aliud nomen fuisse sortitum, sicut Petrus, ex Simone dictus est Petrus, quando ei datus est Apostolatus, illis verbis, [d] Tu es Petrus, &c. Sed neque hic veram ordinationem inuenio. Nam Petrus non est ordinatus tunc quando ex Simone dictus est Petrus, sed potius tantum designatus: imo iam vocabatur Petrus. Agnoscit ergo aliquam in eo actu ordinationem Chrysostomus, sed non veram neque propriam; sicut vera & propria non fuit illa in Petro, quando ei dictum est, Tu es Petrus.
Leo vt persuadeat sacras ordinationes debere fieri cum ieiunijs; [e] Præter autoritatem, *inquit*, consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam Sacra Scriptura manifestat, quod cum Apostoli Paulum & Barnabã, ex præcepto Spiritus Sancti, ad Euangelium Gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes, & orantes, imposuerunt eis manus.] Vidit Leo aliquam similitudinem inter hunc actum segregationis Pauli & Barnabæ, cum manuum impositione, & Sacras ordinationes, vt meritò posset esse illis exemplar; veram tamen ordinationem in ea segregatione non agnoscit, vt mox probabo. Sicut neque Ambrosius, licet ita scripserit; [f] Paruerunt ergo Paulus & Barnabas Sancti Spiritus imperatis: paruerunt & omnes Apostoli, statimque eos quos separari iusserat Spiritus, ordinauerunt.] Sed neque fuit vera ordinatio, vt infra dicam, neque ab Apostolis facta, sed à Prophetis tantum & Doctoribus Ecclesiæ Antiochenæ; vbi tunc nullus aderat ex duodecim Apostolis. His tamen nixi Neoterici, Paulum omnino ordinatum fuisse ab Ecclesia Episcopum, [g] volunt; licet à Christo fuerit vocatus è cœlo, & factus Apostolus. C

[b] Act 13.
[c] Chrys Hom. 28. in Act.
[d] Matth. 16.
[e] Leo Ep 7. Tom. 1.
[f] Ambr. l. 2 de Spiritu Sancto ad fin
[g] Turrec. l. 2. c. 32. & Bellar. l. 1. de Rom. Pont. cap 23.

XI.

Sed errant profecto toto cœlo, quicunque Paulum & Barnabam verè & propriè ordinatos, etiam in Episcopos, tunc putant, quando dixit Spiritus Sanctus, [h] Segregate mihi Saulum & Barnabam, &c. & per manuum impositionem sunt dimissi. De Paulo saltem habemus illud; [i] Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem.] Et paulo post. Notum enim vobis facio fratres Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem; neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.] Quid verò aliud est esse Apostolum non per hominem, sed per Iesum Christum, quàm missum ad Euangelizandum ab ipso Christo immediate? Quid verò facit Episcopum magis quàm missio? [k] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, dixit cæteris Christus, adhuc in terris D
agens. Et, [l] Euntes docete omnes gentes.] Quidquid ergo potestatis habuerunt reliqui Apostoli quando sunt missi à Christo in vniuersum mundum, cum pleno completo & perfecto Apostolatu; id totum habuisse Paulum etiam ab eodem Christo necesse est, dum dicit se esse Apostolum per Iesum Christum, & non per hominem. Hæc de Paulo seorsim.

[h] Act 13.
[i] Gal. 1.
[k] Io 20.
[l] Matth. 28.

XII.

Iam verò & de Paulo, & de Barnaba simul ostendo vtrumque fuisse plene Episcopum ante hanc segregationem. Paulus quidem toto integro triennio post ipsius conuersionem, [m] exercuit plene suum Apostolatum; quo toto triennio ne vidit quidem vnquam vllum Apostolorum: [n] & post tres annos venit Hierosolymam. [o] Barnabas autem tunc apprehensum illum, duxit ad Apostolos: & erat cum illis intrans, & exiens in Hierusalem, fiducialiter agens in nomine Domini.] Audis exercitium Apostolatus eorum E
& integrum, illud idem, quo cæteri Apostoli in vinea Domini laborabant? Inde verò motus, propter Iudæorum persecutionem, iuit Cæsaream, & Tarsum; procul dubio ad Euangelizandum. Si ordinatione indigebat, cur Apostoli illum dimittunt absque ordinatione? [p] Barnabam verò & ipsum Apostoli Hierosolymis mittunt Antiochiam, vt initia conuersionis illius Ciuitatis regat, & confirmet. Nunquid & ipsum mittunt pro officio fidei, & non ordinant Episcopum? Quid verò aliud erat missio cum potestate in rebus fidei & Religionis, quam creatio Episcopi? An non gerebant se & Paulus, & Barnabas Antiochiæ, vt Episcopi, quando [q] fundabant illam Ecclesiam, & dederunt initium nomini Christianorum, antequam facta fuisset illa segregatio?

[m] Act 9. Gal. 1
[n] Gal. 1.
[o] Act 9.
[p] Act. 10.
[q] Act. 11.

XIII.

Rursus verò post quatuordecim annos perpetui laboris in Euangelio, [r] venerunt Paulus & Barnabas ex Antiochia in Hierusalem; deferentes multas eleemosynas fratribus indigentibus, & fame vniuersali laborantibus; indeque [s] iterum sunt Antiochiam reuersi.

[r] Act. 11 & Gal 2
[s] Act. 12.

Et

A Et ne tunc quidem eguerunt ordinatione in Episcopos? Cur si nondum erant ordinati Episcopi, per decem & septem annos Apostolica peragunt munera? Cur ab Apostolis Hierosolymis non ordinantur? Sed post hæc omnia, & post tot labores, & tot Ecclesias fundatas, ac gentes conuersas, & [a] post datas dexteras Hierosolymis circa diuisionem Gentium & Iudæorum; scilicet, ordinibus sacris iam tandem debent initiari. A quonam, obsecro, dicuntur initiati? num ab Apostolis? Certè ab alio quàm ab Apostolo, Apostoli & Episcopi vniuersales, non alicuius certè Ciuitatis, sed totius Vniuersitatis gentilium, non poterant ordinari: & tamen non Apostoli, sed [b] Prophetæ, & Doctores Ecclesiæ Antiochenæ illos ordinauerunt. Siccine? illi non modo non erant Apostoli, sed neque Episcopi; quomodo ergo non Episcopi Episcopos ordinabunt? & sanè Episcopos amplissimos, & vniuersales? nisi dicamus in Clero particulari vnius Ciuitatis, stetisse potestatem ordinandi Episcopos, non vnius Ciuitatis, sed pene totius Mundi. Hæc igitur non fuit ordinatio noua, sed deputatio quædam, & impulsio Spiritus Sancti destinantis Paulum & Barnabam ad maiores adhuc labores, & ad nouas, amplioresque Prouincias Christi fide imbuendas. Ad hoc verò quoniam egebant plurimum gratia Spiritus Sancti, qui illos regeret, foueret, confirmaret, & tueretur, iccirco ipsimet, vt par est credere, ita expoſcentibus, & rogantibus, Ecclesia tota illa in qua erant Antiochena, ieiunijs & orationibus, tam grande opus conuersionis Gentilium, Domino commendabat, & gratiam Spiritus Sancti, pro his duobus implorabat, & per impositionem manuum impetrabat. Quæ impositio manuum non erat Sacramentalis, siquidem inferior non potest ordinare superiorem; sed ceremonia pia, & tunc consueta, vti pars quædam efficacis orationis. De qua impositione manuum erit nobis sæpius in sequentibus pertractandum.

a Gal.2.

b Act.13.

B

C Explodenda igitur ab Ecclesia, & ex sacris libris Ecclesiasticis expungenda, ac procul amandanda est glossa illa, quæ dictum quoddam Innocentij primi corrigit, seu explicat, qui dixerat; [c] Nullum in occidente instituisse Ecclesias, nisi eos quos Petrus, vel eius successores constituissent Sacerdotes. Addit verò glossa ad verbum, *Petrus*, illa verbà; Vel aliquis ex eius mandato, vt Paulus: nam Petrus Paulo dedit licentiam prædicandi, autoritate Domini, dum dicit, Segregate mihi Paulum & Barnabam] Hic sane quot pene verba, tot adsunt errores, non modo in historia, sed etiam in fide. [d] Paulus enim dicit (& de fide hoc est ei credendum) se esse Apostolum, non per hominem, sed per Iesum Christum: legista verò Theologiæ expers dicit; de mandato, & licentia Petri, Paulum prædicasse. Hoc Romani Pontifices quotidie vident, & audiunt, & non modo non expungunt ex præcipuis ipsorum post sacram Scripturam Codicibus, sed etiam [e] confirmant, & approbant; dummodo ipsorum Principatus asseratur.

XIV.

c *Dist.11.c. Quidmiscet.*

d Gal.1.

e *Greg.xiij in suam edit. concil.*

D

Longè difficilior superest soluendus nodus, de Iacobo fratre Domini, Episcopo Hierosolymitano. In quo enodando iam nobis est aliquandiu immorandum. Primum sane Hierosolymorum Episcopum fuisse Iacobum fratrem Domini habemus ex multis. Paulus profecto satis hoc innuit, dum narrat, [f] Se venisse Hierosolymam, ad videndum Petrum post tres annos suæ conuersionis, seu sui reditus ex Arabia in Damascum; & tunc, ait, Se (præter Petrum) ex Apostolis neminem vidisse, nisi Iacobum fratrem Domini, reliqui igitur Apostoli dispersi per Iudæam Euangelizabant. Cur verò Iacobus fixus manet Hierosolymis? nisi quia putatur iam fuisse illi speciali Episcopatui deputatus. Ac propterea in Concilio primo Apostolorum, post Petrum [g] Iacobus dicit sententiam, & fermè concludit decernenda: quia nimirum, vt multi censent, erat Episcopus illius sedis. Hinc illud est etiam quod dicit Paulus de Petro, [h] prius enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat; cum autem venissent se subtrahebat.] Qui Hierosolymis veniebant, dicuntur venire à Iacobo, quasi dicat à Ciuitate, siue Ecclesia Iacobi: Ideoque demum in vltimo aduentu Pauli Hierosolymã, [i] Introibat, inquit Lucas, ad Iacobum; & nulla fit cuiusquam Apostoli mentio, sed tunc etiam solus Iacobus videtur Hierosolymis substitisse, tanquam loci illius Episcopus specialis.

XV.

f Gal.1.

g Act.15.

h Gal.2.

E

i Act.21.

Proferamus nunc aliquid clarius ex Patribus. Anacletus hæc habet. [k] Porro & Hierosolymitarum primus Episcopus Beatus Iacobus, qui Iustus dicebatur, & secundum carnem, Domini nuncupatus est frater, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis est ordinatus.] Idem repetit Anicetus. [l] Scimus enim, *inquit*, Beatissimum Iacobum, qui dicebatur Iustus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis, Hierosolymorum Episcopum esse ordinatum.] Ignatius, [m] Stephanum asserit fuisse Diaconum Iacobi; & [n] ministrasse eum Iacobo, & Presbyteris qui erant

XVI.

k *Anacl. ep.2.*

l *Anicet. ep. vn.*

m *Ignat. ad Trallianos.*

n *Idem ad Hero-nem.*

Hierosolymis.] Cyrillus Hierosolymitanus; [a] Nam de his, *inquit*, non mihi solum, sed etiam Apostolis, & Iacobo huius Ecclesiæ olim Episcopo curæ fuit; scribuntque Apostoli, & seniores omnibus gentibus communem Catholicam Epistolam, vt in primis Idolothytis abstinerent, deinde & sanguine, ac suffocato.] Item, [b] Postea visus est à Iacobo, fratri suo, primo huius Parochiæ Episcopo.] Hieronymus, [c] Iacobus, *inquit*, qui appellatur frater Domini, cognomento Iustus &c. post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, vnam tantum scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est.] Hegesippus proximus Apostolorum temporibus, vt est apud Hieronymum, ait, [d] suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos, frater Domini Iacobus, cognomento Iustus. Multi siquidem Iacobi vocabantur.] Augustinus, [e] Cùm vidisset quosdam, *inquit de Petro*, venisse ab Iacobo, id est a Iudæa. Nam Ecclesiæ Hierosolymitanæ Iacobus præfuit.] *Item*, [f] Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet.] Chrysostomus, [g] Vide verò, *inquit*, Iacobi modestiam. Is acceperat Hierosolymis Episcopi munus, & tamen hic nihil loquitur.] Idem alibi. [h] Deinde visus est Iacobo. Mihi fratri suo videtur, quem quidam ab ipso Hierosolymis Episcopum primum constitutum volunt.] Quinisexta Synodus hæc habet; [i] Nam & Iacobus Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primum est creditus, &c.] Planum itaque est Iacobum fratrem Domini, Episcopum primum Hierosolymorum eam Ecclesiam rexisse; nunc de ipsius ordinatione videamus.

a *Cyr. Hieros. Catech. 4.*
b *Id. Catec. 16.*
c *Hieron. de script. Eccles. Iacobo.*
d *Hieron. ibid.*
e *Aug. in expos. ep. ad Gal.*
f *Idem l. 2. con. Petil. lit. c. 51.*
g *Chrys. hom. 3 in Act.*
h *Idem hom. 38. in 1. Cor. 15.*
i *Trull. can. 32.*

XVII.

Hunc Iacobum, nempe minorem dictum, fuisse Apostolum, qui & in Euangelijs, actisque Apostolorum, vocatur Iacobus Alphæi, quod nos paulo post examinabimus, & ab Apostolis Episcopum consecratum, contendunt multi. Quod si verum esset, nos malè statuimus Apostolos omnes à Christo immediate esse factos Episcopos, & Episcopos generales; non particularium sedium particulares. Iam ergo videamus prius a quo iste Iacobus fuerit Episcopus Hierosolymorum ordinatus; postea discussuri fueritne Apostolus, tum verò, quomodo fuerit frater Domini. De ordinatione itaque Iacobi hæc habemus. Clemens Romanus ita inducit loquentes Apostolos: [k] De ordinatis autem a nobis Episcopis in vita nostra, significamus vobis quod hi sunt; Hierosolymis ordinatus est Iacobus frater Domini: quo mortuo secundus Simeon Cleopæ: post eum tertius Iudas Iacobi.] Hic ergo ponitur Iacobus ordinatus ab Apostolis omnibus. Vnde & repetit idem Clemens (si tamen ille est) [l] A Moyse, *inquit*, Deo carissimo Pontifices instituti sunt, Sacerdotes, Leuitæ: à Saluatore nos tresdecim Apostoli: ab Apostolis ego Iacobus, & ego Clemens.] Anacletus, & Anicetus, vt supra vidimus, Iacobum hunc faciunt ordinari à Petro, Iacobo, & Ioanne. Clemens Alexandrinus in sexto hypotyposeon libro, de Iacobo scribens sic refert; [m] Petrum, Iacobum, & Ioannem, post Seruatoris ad cœlos ascensum, cum essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendisse inter se, sed vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum designasse.] Eusebius vero ita scribit: [n] Iudæi ergo, cum Paulus prouocasset ad Cæsarem, & ad Vrbem Romam à Festo missus esset, spe penitus, qua consilium in eius necem comparassent excidentes, in Iacobum fratrem Domini, cui ab Apostolis sedes Hierosolymitana delata fuit, omnem suam maleuolentiam conuertunt.] Idem Eusebius de Cathedra Iacobi Apostoli cum veneratione conseruata scribens, ait: [o] Iacobi enim Apostoli Cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum à Seruatore, & cæteris eius Apostolis delectus, quemque fratrem Christi nuncupatum Diuina perhibent eloquia) ad istud tempus seruatam &c.] Epiphanius de Iacobo Iusto genealogiam texens, de ipso ita scribit. [p] Et primus hic accepit Cathedram Episcopatus, cui concredidit Dominus thronum suum in terra primo.] Hieronymus, [q] Iacobus, *inquit*, post passionem Domini, statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus.] Et alibi; [r] Sed præcipue, *inquit*, hic (*Iacobus*) frater dicitur, cui filios matris suæ, ad Patrem vadens Dominus, commendauerat.] Intelligit Hieronymus de Iudæis Ecclesiæ Hierosolymitanæ filijs, & alludit ad Hierosolymitanum Episcopatum: quod videlicet Iacobus, vt Hieronymus ibidem loquitur, primus eidem Ecclesiæ præfuerit, quæ mater Domini terrena cum esset, prima in Christum credens, ex Iudæis fuerat congregata.] Hegesippus libro quinto commentariorum, vt superius etiam posuimus, de Iacobo ita narrat. [s] Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos

k *Const. Apost. l. 7. c. 46.*
l *Ibid. l. 8. c. 47.*
m *Apud Euseb. l. 2. Hist. c. 1.*
n *Euseb. l. 2. hist. c. 22.*
o *Idem lib. 7. hist. c. 14.*
p *Epiph. her. 78*
q *Hier. l. de scri. Eccl. in Iacobo.*
r *Idem in ep. ad Gal. c. 1.*
s *Apud Hier. l. de scrip. Eccl. in Iacobo.*

A Apostolos frater Domini Iacobus cognomento Iustus. Multi siquidem Iacobi vocabantur.] Siue vt est apud Eusebium; [a] Iacobus frater Domini, qui a Seruatoris temporibus ad nostram vsque ætatem Iustus; (Iacobi enim nomine multi donati erant) ab omnibus appellatus fuerat, Ecclesiæ administrationem vnà cum cæteris Apostolis suscepit.] Supponit igitur ab ipso Christo Episcopatum hunc habuisse, & simul cum cæteris Apostolis ordinatum. Chrysostomus quisnam Iacobum fecerit Episcopum, explicat. Ait enim; [b] Deinde visus est Iacobo: mihi fratri suo videtur, quem quidem ab ipso, Hierosolymis Episcopum primò constitutum volunt.] Et supra similiter, hunc Iacobum supponit fuisse iam Episcopum Hierosolymorum adhuc ante Christi ascensum: scribit enim; [c] Vide verò Iacobi modestiam, Is acceperat Hierosolymis Episcopi munus, & tamen hic nihil loquitur.] Nimirum circa Matthiæ electionem, quæ fuit prima Apostolorum actio. Greg. Turonensis sic scribit; [d] Iacobus frater Domini vocitatus, ab ipso Domino nostro Iesu Christo Episcopus dicitur ordinatus.]

a Euseb. li 2. Hist. cap. 22.

b Chrysost. Hom. 38. in 1. Cor. 15.

c Idem Hom. 3. in Act.

d Greg. Turon. hist. l. 1. c. 27.

B Quisquis ergo fuerit hic Iacobus primus Episcopus Hierosolymorum, is certè liberè & absolutè asseri non potest fuisse à Petro, seu alijs Apostolis ordinatus: Epiphanius enim, Chrysostomus, & Turonensis expressè à Christo Domino fuisse Iacobum Hierosolymitanæ Ecclesiæ Præfectum narrant. Hegesippus, cui vel maximè ex historicis credendum est, dicit Iacobum suscepisse Episcopatum Hierosolymitanum post Apostolos, & non dicit ab Apostolis: imò simul cum Apostolis Ecclesiæ administrationem à Christo habuisse illum affirmat. Hieronymus etiam ipse, quamuis priori loco dixerit Iacobum ab Apostolis ordinatum, posteriori tamen loco re melius considerata, dixit, eum à Christo habuisse commendatos filios Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Eusebius quoque, qui prius dixerat ab Apostolis sedem Hierosolymitanam Iacobo delatam, postea tradidit expressè etiam à Seruatore ipsum illam habuisse. Clemens Alexandrinus non dicit Iacobum ab Apostolis ordinatum, aut factum Episcopum, sed designatum. Nicolaus [e] Methonensis Iacobum facit Christi, in gubernanda Ecclesia Hierosolymitana, proximum Successorem. Clementis verò Romani, Anacleti, & Aniceti opera, quæ producuntur, sunt Apocrypha, valdeque suspectæ fidei in Ecclesia; vt posteà inferiùs sum ostensurus. Itaque esto Iacobus hic fuerit Apostolus vnus ex duodecim, si is Hierosolymitano se Episcopatui alligauit, id planè fuit diuina inspiratione, & aliorum Apostolorum non præcepto, aut ordinatione vera, sed consilio, & ex communi consensu: vt vbi cæteri omnes in Prouinciarum diuisione, ac partium orbis inter se distributione, essent ad varias regiones perrecturi, ipse Iacobus vni Hierosolymæ suam operam impensurus, & Apostolicam, hoc est, Episcopalem, & sanè generalem autoritatem, quam à Christo immediatè acceperat, in sola Hierosolymorum cultura exerciturus remaneret. Hoc enim Hegesippi, Eusebij, Epiphanij, Hieronymi, Chrysostomi, & Gregorij Turonen. verba facilè patiuntur; nec aliud ab hoc diuersum possunt euincere, vt patet eorum dicta consideranti. Atque ita soluta manet tota difficultas, quam nostro negotio præsenti Iacobi ordinatio ingerebat. Semel tamen susceptam de Iacobis, & Domini fratribus cognoscendis prouinciam, non deseramus, sed eam ad exitum perducamus: Quæramusque an re vera Iacobus frater Domini fuerit ex 12. Apostolis, necne.

C

e Biblioth. P. P. tom. 6.

XVIII.

D Iacobum hunc, quem Hierusalem primum habuit proprium Episcopum, fuisse Apostolum, multa insinuant argumenta. Paulus sanè se Hierosolymis, in suo primo aduentu, præter Petrum, [f] neminem Apostolorum vidisse asserit, nisi Iacobum fratrem Domini. Ac certè inter duodecim Apostolos duo Iacobi [g] recensentur, nimirum Iacobus Zebedæi filius, frater Ioannis; & Iacobus Alphæi. Alterum ergo horum Paulus videtur vocare fratrem Domini, ad distinctionem alterius qui non fuerit Domini frater. Hic tamen qui dicitur Domini frater, non potest esse filius Zebedæi; nam fratres Domini à Marco ponuntur quatuor, [h] Iacobus, Ioseph, Iudas, & Simon; inter quos cùm non sit Ioannes, planum est hunc esse Iacobum alium à fratre Ioannis: Adde quod Iacobus frater Domini ponitur vt suprà, Episcopus Hierosolymorum, ad multum tempus: Iacobus verò Zebedæi [i] occisus fuit ab Herode paulò post Domini passionem. Pergamus autem videre de Apostolatu huius Iacobi, qui dictus est frater Domini, & Hierosolymorum fuit Episcopus.

XIX.

f Gal. 1.

g Mat. 10. & luc. 6. & Act. 1.

h Mar. 6.

i Act. 12.

E Dionysius Areopagita. [k] Aderat, *inquit*, & Domini frater Iacobus, & Petrus, suprema, & antiquissima Theologorum summitas.] Nescio an encomium hoc Iacobi ad Petrum collati, in non Apostolum conueniat. Clemens Alexandrinus, libro secundo hypotiposeon, illud de Iacobo hoc commemorat; [l] Iacobo Iusto, Ioanni, & Petro,

XX.

k Apud Dionys. Orat. 2. de dor. Deip.

l Apud Euseb. lib. 2. Hist. ca. 1.

Petro, Dominus post ascensionem suam, singularem quandam impertijt cognitionem, quã illi reliquis Apostolis tradiderunt.] Hæc de non Apostolo vix dici queunt, aut cogitari. A

a Eusseb. l.7. c.14. Eusebius, [a] Iacobi Apostoli Cathedram Hierosolymis seruatam supra commemorabat. Cyrillus Hierosolymitanus, inter Apostolos, & Patres primi [b] Concilij Hierosolymitani, [c] reponit Iacobum hunc Episcopum Hierosolymorum. Hegesippum etiam, qui hunc Iacobum potuit facilè videre, supra produxi asserentem; [d] Iacobum ipsum, cum cæteris Apostolis, à Christo accepisse Ecclesiæ administrationem. Chrysostomi consideratio est, propterea Paulum dixisse Iacobum fratrem Domini, & non filium Cleophæ, [e] quoniam, *inquit*, existimabat honorum titulos Apostolorum esse proprios.] Supponit igitur hunc Iacobum fuisse Apostolum. Bernardus; [f] Denique Iacobus, *inquit*, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens.] Hic etiam plane Iacobus supponitur Apostolus: Sicut & ab Innocentio tertio Bernardum secuto, [g] Iacobus enim, *inquit*, Frater Domini, qui videbatur esse columna, Hierosolymitana contentus, vt ibi semen fratris præmortui suscitaret, vbi fuerat crucifixus, Petro non solum vniversam Ecclesiam, sed totum reliquit sæculum gubernandum.] Claudat agmen Hieronymus, [h] Nulli dubium, *inquit*, est duos fuisse Apostolos Iacobi vocabulo nuncupatos, Iacobum Zebedæi, & Iacobum Alphæi: istum nescio quem minorem Iacobum, quem Mariæ filium, nec tamen matris Domini, Scriptura commemorat, Apostolum vis esse an non? si Apostolus est, Alphæi filius erit; si non Apostolus, sed tertius, nescio quis Iacobus, quomodo est frater Domini putandus? & quomodo tertius ad distinctionem Maioris appellabitur Minor, cum maior, & minor non inter tres, sed inter duos soleant præbere distantiam: & frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente, [i] alium Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini.] Hucusque Hieronymus. Quibus autoritatibus addamus argumentum Bellarmini, [k] Si non est Apostolus hic Iacobus, nulla erit in Ecclesia memoria Iacobi Apostoli, qui dicitur Iacobus Alphæi, qua præter Iacobum Zebedæi nihil habet Ecclesia de alio Iacobo, nisi de hoc fratre Domini, & Episcopo Hierosolymitano]

b Act. 15.

c Cyril. Hierosol. Catech. 4.

d Apud Eusseb. l. 2. c. 23.

e Chrys. in Ep. ad Gal. c. 1.

f Bern. de consid. l. 2. c. 8.

g Innoc. 3 ad Patriarchum Constantinop. incipit Apostolicæ sedis lib. 2.

h Hieron. cont. Heluid.

i 1. Cor. 15.

k Bellar. l. 1. de Verbo Dei, c. 18.

XXI.

Non desunt tamen plurima alia documenta quæ videntur euincere contrarium; nimirum Iacobum hunc nequaquam fuisse Iacobum Alphæi, neque ex numero duodecim Apostolorum, sed tertium extra illum numerum. Hegesippus multos Iacobos fuisse supra dicebat; multi verò de duobus non dicuntur, & ex illis multis dicit fuisse Iacobum fratrem Domini; eumque asserit, post Apostolos, vt est apud Hieronymum, [l] Ecclesiam Hierosolymæ suscepisse. Si post Apostolos, ipse ergo ex Apostolis non erat. Clemens Romanus Apostolos omnes ita loquentes inducit. [m] Nos ergo qui digni facti sumus vt essemus testes aduentus ipsius, cum Iacobo fratre Domini, & alijs septuaginta duobus, & septem Diaconis, &c.] Separant à se Iacobum, tanquam non Apostolum. *Item*; [n] A Moyse enim Deo carissimo Pontifices instituti sunt, Sacerdotes, Leuitæ: à Saluatore nostro nos tresdecim Apostoli, ab Apostolis ego Iacobus, & ego Clemens] Expresse tamen in ijsdem constitutionibus numerantur [o] in primis duodecim Apostoli, in quibus duo Iacobi, alter Zebedæi, alter Alphæi: et his additur tertius Iacobus non Apostolus, sed Episcopus Hierosolymitanus, frater Domini. Elucidans hæc Ioannes Carolus Bouius Episcopus Ostunensis, ita scribit; [p] Noli mirari Iacobum fratrem Domini extra duodecim Apostolos numeratum: Fuit enim hæc constans, non modo Clementis, sed etiam Eusebij, Epiphanij, Ambrosij, atque aliorum sententia.] Procul dubio Clemens ille, quicunque sit, hoc passim supponit. Imò verò si Clemens Romanus potuit literas scribere ad Iacobum fratem Domini Episcopum Hierosolymorum, is certè esse non potuit Iacobus ille frater Domini, de quo Hegesippus, Eusebius, Clemens Alexandrinus, Hieronymus, & alij. Hic enim Iacobus à Iudæis necatus est anno Domini 63. vt bene ostendit [q] Baronius: Clemens verò scribebat post nonagesimum Domini annum, vt patet ex Chronologia: Epistolæ enim illæ supponunt Clementen iam sedentem in Romana Cathedra; in ea verò non sedit, si nostros sequamur, nisi post Cletum, & Linum, hoc est, anno decimo Domitiani vt probat [r] Baronius, qui incidit circa 93 Christi annum. Propterea si Apocryphis innitemur, in deuia abripiemur. Eusebius de Iacobo illo, cui Christum [s] apparuisse seorsim, postquam apparuerat plusquam quingentis fratribus, affirmat Paulus, hæc habet, [t] Hunc autem non modo vnum ex his qui in Discipulorum numero habebantur, verum etiam ex illis qui sunt fratres Domini nuncupati, extitisse constat.] Ecce vnum Iacobum fratrem Domini extra numerum Apostolorum,

l Hieron. de script. Eccles. in Iacobo.

m Const. Apost. l. 2. c. 59.

n Ibid. l. 8. c. 47.

o Ibid. l. 6. c. 14.

p Ostunens. Scholiast. Const. Apost.

q Baron. Tom. 1. ann. 63. n. 2.

r Baron. Tom. 1. an. 93. n. 2.

s 1 Cor. 15.

t Eusseb. l. 2. hist. c. 12.

B C D E

A sum, sed ex numero Discipulorum. Et Dorotheus Tyri, post enumeratos Apostolos Domini, vbi ad 70. Domini discipulos numerandos accedit, primo loco ponit [a] Iacobum hunc fratrem Domini, primum Hierosolymorum Episcopum. In Aethiopica quoque Liturgia Diaconus dicit, [b] Per beatum, & sanctum Patriarcham nostrum, N. & per venerandum Antistitem nostrum, N. Per Simonem Petrum, Andream, Iacobum, Ioannem, Philippum, Bartholomæum, Thomam, Matthæum, Taddæum, Nathanael, Iacobum Alphæi, & Matthiam Apostolos. Per Iacobum Apostolum fratrem Domini nostri, Episcopum Hierusalem Sanctæ, &c.] Quid obstat ergo hunc fuisse Episcopum Hierosolymitanum, ab Apostolis, siue etiam ab ipso Christo specialiter ordinatum?

a Dorath. in Synopsi.

b Biblioth. SS. PP. tom. 6.

XXII.

B Hieronymus quoque mihi videtur vehementer aliquando inclinasse in eam opinionem, Iacobum nimirum fratrem Domini non fuisse ex duodecim Apostolis, ait enim: [c] Quod autem, exceptis duodecim, quidam vocentur Apostoli, illud in causa est, Omnes qui Dominum viderant, & eum postea prædicabant fuisse Apostolos appellatos, vt ad Corinthios scribitur; [d] Quia visus est post hæc illis vndecim; deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt: deinde visus est Iacobo: deinde Apostolis omnibus: Paulatim verò tempore procedente, & alij ab his quos Dominus elegerat, ordinati sunt Apostoli; sicut ille ad Philippenses sermo declarat, dicens; [e] Necessarium autem existimaui Epaphroditum fratrem cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ mittere ad vos. Et ad Corinthios de talibus scribitur: [f] Siue Apostoli Ecclesiarum in gloria Dei: Silas quoque, & Iudas ab Apostolis, Apostoli numerati sunt. Vnde vehementer erravit qui arbitratus est Iacobum hunc de Euangelio esse Apostolum fratrem Ioannis; quem constat post Stephanum, iuxta fidem Actuum Apostolorum, [g] sanguinem fudisse pro Christo. Hic autem Iacobus Episcopus Hierosolymorum primus fuit, cognomento Iustus]

c Hieron. in ep. ad Gal. c. 1.

d 1. Cor. 15.

e Philip. 2.

f 2. Cor. 8.

g Act. 12.

C Quorsum hæc omnia Hieronymus? vt doceat quis sit Iacobus ille, de quo Paulus dicebat se neminem Apostolorum vidisse, nisi Iacobum fratrem Domini; nam, inquit, præter illos duodecim, sunt alij Apostoli, puta quales inter Apostolos dicitur à Paulo hic frater Domini, cui visus est Christus post illos vndecim; non ergo est ex illis vndecim: & errant, inquit, qui putant, hunc esse Apostolum ex Euangelio fratrem Ioannis; de Iacobo Alphæi nihil dicit: sed statim subdit, hunc esse illum primum Hierosolymorum Episcopum, cognomento Iustum. Cur non dixit hunc esse alterum Iacobum Apostolum, qui in Euangelio est Iacobus Alphæi? sed supponit, quasi amplius dubitandum non sit, hunc non esse illum Alphæi; aliunde enim hunc non describit, nisi ex solo Hierosolymitano Episcopatu, in cuius gratiam alios Apostolos extra numerum duodenarium adiuuenit; vt verificaretur

D dictum Pauli, quo inter Apostolos hunc fratrem Domini [h] reposuerat. Sed dices non videri verisimile Paulum neminem vidisse ex innumerabilibus illis discipulis, qui extra numerum duodenarium, etiam Apostoli vocabantur. Responderi potest facile esse tunc Hierosolymis, etiam ex his neminem fuisse, hoc vno excepto Iacobo: loquitur enim de ijs quos Hierosolymis in Petri visitatione reperisset; quia, vt inquit ibidem Hieronymus, illi ad Euangelium prædicandum toto fuerant orbe dispersi.] Clarius apud eundem Hieronymum alij; [i] Qui præsentem, *inquit*, Damasci vastitatem sub Romano intelligunt Regno, hæc de Apostolis significata contendunt, &c. Duas oliuas, & tres, & quatuor, & quinque, quatuordecim Apostolos interpretantur, id est duodecim qui electi sunt, & decimum tertium Iacobum qui appellatur frater Domini: Paulum quoque Apostolum vas electionis.] Quæ cum non reprobet admittere censendus est Hieronymus.

h Gal. 1.

i Hieron. l. 5. in Isai. c. 17.

XXIII.

E Cyrillus Monachus, Iacobum hunc primum Hierosolymorum Episcopum in numero collocat Discipulorum, non Apostolorum, sic etenim de Martyrio, & Elia Episcopis Hierosolymitanis scribit, [k] Præuidit autem Magnus Euthymius perspicaci oculo animi, ea quæ erant ventura Martyrio, & Eliæ, nempe fore vt Iacobi, qui clarus erat in Choro discipulorum, vnusquisque eorum sedis sit successor futurus.] Nisi quis velit hic Cyrillum æquiuocare, vbi clarè & apertè ac propriè erat loquendum: Alij enim fuerunt discipuli, alij Apostoli. Gregorius Nyssenus apertè Iacobum minorem fratrem Domini excludit ex numero Apostolorum; ait enim, [l] Marcus autem Iacobi parui, & Iosæ matrem eam vocauit, quoniam alter erat Iacobus Alphæi, magnus iccirco, quia duodecim Apostolis connumeratus erat; nam paruus non erat de numero eorum.] Quid clarius? Chrysostomus necessariò cogitur admittere tres Iacobos, & hunc qui dicitur frater Domini esse diuersum à duobus Iacobis qui erant Apostoli. Hunc enim [m] facit filium Cleopæ: illi verò sunt alter Zebe-

k Cyrill. in Euthymio apud Sur. die 20. Ian.

l Nyssen. orat. 2. de Resur.

m Chrysost. in ep. ad Gal. c. 1.

ter Zebedæi, alter Alphæi, quod Chrysostomo non erat ignotum. Epiphanius cum [a] faciat Iacobum fratrem Domini filium Ioseph, sponsi Beatæ Virginis, ex priori vxore, & non filium Alphæi, neque Apostolum ex duodecim, sed merum Hierosolymitanum Episcopum, cogitur & ipse tres Iacobos fateri. Ideoque numeratis nominatim 12. Apostolis, [b] seorsim ponit Iacobum fratrem Domini. Nicephorus, [c] Iacobum fratrem Domini expresse à duodenario Apostolorum numero separat. Genebrardus demum, ex Liturgia Aethiopica à nobis supra citata, & Epiphanio, & libris recognitionum Clementis, tres Iacobos admittere cogitur, duos Apostolos, & tertium fratrem Domini. A

a Epiph. hær. 78

b Niceph. l. 2. hist. c. 3. & c. 40

XXIV. Videat ergo Baronius, ne sit de more tam procliuis in contumelias, nec tam facilè imprudentiæ [c] arguat eos qui tres Iacobos recensuerunt, cum sint autores grauissimi: neq; ipse tam constanter asserat, ex reiectis duntaxat Clementis nomine scriptis Recognitionum libris, de tribus Iacobis autoritatem semel sumptam, in nonnullos esse inconsultissime propagatã. Quos enim ipse nunc adduxi, ij ex propria sententia rem agunt; et si non argumenta, saltem coniecturas ex Diuina Scriptura assumunt non contemnendas. Neq; putet Baronius, vt est mos ipsius perpetuus, se difficultatem totam exhausisse, vnico alicuius patris dicto, vnicoue sacræ Scripturæ loco, detorto, & quomodocunque iniecto; vbi & idem Pater, & alij aliter loquuntur & sentiunt: & vbi Scriptura multas in oppositum habet interpretationes; vt in re proposita partim iam ostendi, & partim mox sum ostensurus. Interim monebo Baronium Constitutiones Apostolicas libro secundo capite 19. quamuis sint apocryphæ, Iacobum tamen fratrem Domini extra numerum ponere duodecim Apostolorum. Ipsius vero obiectionem solui ab Eusebio; [d] qui vltra numerum 72. Discipulorum, agnoscit in Scriptura sacra multo plures: & hunc Iacobum ipse etiam collocat extra numerum tum duodecim Apostolorum, tum septuaginta duorum Discipulorum; nec vllum in hoc agnoscit absurdum. B

c Baron. tom. 1 an. 44 num. 36.

d Euseb. l. 1. hist. c. 12.

XXV. Nulla sane certior, nulla tutior potest iniri via ad Iacobos hosce distinguendos, & plane dignoscendos, quam si fieri posset vt ex ipsorum parentibus, & agnatis discernantur. De quibus, antequam ipse quicquam statuam, aliorum proferam commentationes. Epiphanius itaque sic scribit; [e] Hic equidem Ioseph frater fuit Clopæ: erat autem filius Iacob, qui Panther cognominabatur. Hi ambo à Panthere appellato gignuntur. Habuit autem hic Ioseph primam suam vxorem ex tribu Iuda, & peperit hæc sibi liberos numero sex, quatuor masculos, duas fœmellas: quemadmodum Euangelium secundum Marcum, & secundum Ioannem declarauerunt. Habebat igitur primogenitum Iacobum cognominatum Oblian, quod significat murum, & cognominatum item Iustum. Erat autem Nazaræus, quod significat sanctum, primus hic accepit Cathedram Episcopatus, cui concredidit Dominus thronum suum in terra primo: qui etiam frater Domini vocabatur: quemadmodum etiam Apostolus ijs consentit, sic dicens, Alium vero Apostolum non vidi nisi Iacobum fratrem Domini. Frater autem Domini hic appellatur propter coeducationem, non secundum naturam, sed per gratiam: Maria enim tradita ipsi Ioseph videbatur vxor esse viri, non habens ad ipsum corporum coniunctionem: ex hoc vero argumento vicinitas propinquitatis filiorum Ioseph ad Saluatorẽ, in fratrum loco appellata est, imò potius reputata est. Quemadmodum etiam ipse Ioseph, non habens societatem ad natiuitatem Saluatoris secundum carnem, in patris loco reputatur secundum mysterij dispensationem; velut dicit Lucas Euangelista de ipso Saluatore; [f] Existens filius velut putabatur Ioseph; & velut ipsa etiam Maria dixit ad ipsum in Euangelio secundum Lucam; [g] Ecce ego & pater tuus quærebamus te dolentes. Quis igitur dixerit Ioseph patrem Domini, qui nullam ad ipsum habuit causam? maxime cum aduentus in carne extra semen viri sit. Verum per dispensationem res ipsæ hanc sortem acceperunt. Et genuit quidem hunc Iacobum circa quadragesimum plus minus ætatis suæ annum. Post ipsum vero nascitur ipsi filius Iose vocatus: deinde post ipsum Simeon, postea Iudas; & duæ filiæ Maria: & quæ vocatur Salome.] Hucusque Epiphanius. Idem sentit Eusebius dum ait: [h] Eodem fere tempore Iacobum, qui frater Domini propterea appellabatur quod erat filius Ioseph, qui Pater Christi fuisse putabatur: cui Maria virgo desponsa.] C D E

e Epiph. hær. 78

f Luc 3.

g Luc. 2.

h Euseb. l. 2. hist. c. 1.

XXVI. Hieronymus vero; [i] Iacobus, *inquit*, qui appellatur frater Domini, cognomento Iustus, vt nonnulli existimant Ioseph ex alia vxore; vt autem mihi videtur, Mariæ sororis matris Domini, cuius Ioannes in libro suo meminit, filius.] Censet ergo Hieronymus eum esse filium [k] Mariæ Cleophæ, de qua alibi ita scribit: [l] Restat conclusio vt Maria ista quæ [m] Iacobi minoris scribitur mater, fuerit vxor Alphæi: & soror Mariæ matris Domini, quam Mariam

i Hier. de script Eccl. in Iacobo.

k Io. 19

l Hieron. ad. Hedib. q. 11. c. 15.

A Mariam Cleophæ Ioannes Euangelista commemorat; siue à Patre, siue à Gentilitate familiæ, aut quacunque alia causa ei nomen imponens. Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alibi dicatur Maria Iacobi minoris mater, & hic Maria Cleophæ, disce Scripturæ consuetudinem, eundem hominem diuersis nominibus nuncupari.] Et post pauca, Nunc illud est quod conamur ostendere, quemadmodum fratres Domini appellentur filij matertera eius Mariæ, qui antea [a] non credentes postea crediderunt: licet fieri potuerit vt vno statim credente, alij diu increduli fuerint. Et hanc fuisse matrem Iacobi, & Ioseti, id est, Mariam Cleophæ, vxorem Alphæi; & hanc dictam [b] Mariam Iacobi minoris; quæ si esset mater Domini, magis eam, vt in omnibus locis, matrem illius appellasset, & non aliorum, dicendo matrem, alterius voluisse intelligi. Verùm in hac parte contentiosum fune m non traho: alia fuerit Maria Cleophæ, alia Maria Iacobi, & Ioseti, dummodo con-

B stet non eandem Mariam Iacobi, & Ioseti esse, quam Matrem Domini] Ita Hier. vt videtur, satis perplexus. Ac proinde alibi fraternitatem hanc Iacobi cum Domino, non secundum cognationum gradus, sed spiritualiter tantùm, & allegoricè explicat, dicens; [c] Memini me dum Romæ essem, impulsu fratrum, librum de sanctæ Mariæ virginitate edidisse perpetua: in quo mihi necesse fuit de his qui fratres Domini dicti sunt, diutiùs disputare. Vnde qualiacunq; sunt illa quæ scripsimus, ijs contenti esse debemus. Nunc hoc sufficiat; vt propter egregios mores, & incomparabilem fidem, sapientiamque non modicam, frater sit dictus Domini, (*Iacobus*;) & quia primus ei Ecclesiæ præfuerit, quæ prima in Christum credens ex Iudæis fuerat congregata. Dicuntur quidem & cæteri Apostoli fratres Domini, &c] Sentiebat sanè difficultatem in vera, & literali explicanda fraternitate, qui fratres Domini, Iosephi esse filios, iam negârat.

C Augustinus; [d] Iacobus, *inquit*, Domini frater vel ex filijs Ioseph de alia vxore, vel ex cognatione Mariæ matris eius debet intelligi.] Chrysostomus in ea verba Pauli; [e] Cæterorum autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini, ita scribit; [f] Sed vide quanto cum honore & hunc nominauit. Non enim simpliciter dixit Iacobum, sed magnificum illud elogium addidit, fratrem Domini. Vsque adeò liber erat ab omni liuore: etenim si tantùm indicare voluisset de quo loqueretur, poterat alia nota declarare, si dixisset, Iacobum Cleophæ, quod cognomen ponit Euangelista. Verùm non ita locutus est, sed quoniam existimabat honoris titulos Apostolorum esse proprios, veluti seipsum honestans, ita & illum veneratur: non enim appellauit eum Iacobum Cleophæ, vt dicebam; sed quomodo? fratrem Domini. Atqui nec frater erat Domini iuxta carnem, sed esse putabatur.] Hæc Chrysostomus satis obscurè. Vtinam in Euangelio aliquid tale reperiremus,

D vt Iacobus hic frater Domini, Iacobus Cleophæ vocetur. In Euangelio sanè Ioannis habemus*Mariam Cleophæ, sororem Matris Domini. Videtur itaque Chrysostomus facere hunc Iacobum filium huius Mariæ, ex patre Cleopha, vt sit tantùm consobrinus Domini. Alia tamen ex parte dum ait; Neque fratrem fuisse secundum carnem, sed putatiuum, videtur innuere eum fuisse ex cognatione Iosephi; & si non fuit Christi secundum carnem cognatus, neque ad Mariam Cleophæ potuit spectare, quæ erat soror Matris Iesu.

Alibi tamen rem magis adhuc obscurat idem Chrysostomus; nam fratres Domini facit Iacobum, & Ioannem, nempe Zebedæi filios, & hunc Iacobum facit Episcopum Hierosolymorum, ad quem [g] Paulus fuerit ingressus. Et tamen multò antè Iacobus frater Ioannis fuerat ab Herode [h] occisus. Atque hos Domini fratres Iacobum, & Ioannem, fratres tantùm facit iterum putatiuos; dicens; [i] Vnde igitur, inquies, fratres eius dicuntur

E Iacobus, & Ioannes? Non aliter omninò quàm quo ipse Ioseph Mariæ putabatur maritus. Multa quippe sunt ad opacandum illius partus mysterium obducta velamina: propter quod ita etiam eos Ioannes vocabat, dicens; [k] Neque enim fratres eius credebant in eum. Sed tamen hi ipsi qui parùm ante crediderant, clari postea in fide, ac mirabiles extiterunt. Quando enim Hierosolymam Paulus ingressus est, vt cum cæteris Apostolis de dogmatum varietate conferret, continuò intrauit ad Iacobum: Tam enim fuit ille mirabilis, vt Episcopatum primus acciperet. Aiunt enim genua illius obduruisse callo, &c] Si hæc sunt Chrysostomi, miror in tanto viro inaduertentiam; nam præter Iacobi æquiuocationem, confundit etiam [l] secundum in vrbem Pauli aduentum cum [m] quarto: nihilominus dum putatiuos tantùm facit fratres Domini, putauit illos esse patrueles Christi putatiuos, nempe ex fratre Iosephi genitos. Expressè tamen Chrysost. (si ipsius sermo ille est) illos Domini fratres, qui in Euangelio passim ita vocantur, Iosephi facit filios, vbi sic ait; [n] Hic est ille Ioseph, qui honestis ante nuptijs coniunctus fuerat, liberósq; susceperat, vxorẽ amiserat, & ex illo

a Ioan. 7.
b Mar. 15.
c *Hier. in Epist. ad Gal. c. 1.*

XXVIII.

d *Aug. in exp. Epi. ad Gal.*
e Gal. 1.
f *Chrys. in Epist. ad Gal. cap. 1.*

* Ioan. 19.

XXIX.

g Act. 21.
h Act. 12.
i *Chrys. hom. 5. in Mat. 1.*

k Ioan. 7.

l Act. 11.
m Act. 21.

n *Chrys. hom. in Anagn. B. V.*

ex illo tempore cum magna temperantiæ laude vixerat, in disciplina & correctione Domini liberos educans, & instituens. Ideoque pergens Apostolus Paulus, vt Euangelium prædicaret, & cum vnum ex his liberis ostendisset, scripsit dicens; [a] Alium verò Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Non vt, ex Virgine Maria, sed ex Ioseph genitum.] Hæc ille.

a Gal. 2.

XXIX

Gregorius Nyssenus [b] Iacobum minorem, Iosen, Iudam, & Simonem, quatuor & ipse facit filios Iosephi ex priori vxore, & hinc fratres Domini, nempe putatiuos, fuisse passim appellatos asseuerat. Theophylactus [c] Mariam Cleophæ vult esse filiam Cleophæ, vxorem verò Alphæi; & horum fidelium esse Iacobum minorem fratrem Domini, hoc est, consobrinum. Hegesippus verò Mariam Cleophæ supponit vxorem esse Cleophæ, dum [d] Simeonem facit filium Cleophæ, & consequenter Domini cognatione attinentem Cleopham verò dicit fratrem fuisse Iosephi Christi nutritij. Audi Eusebium sic de substitutione Episcopi, in locũ Iacobi fratris Domini, narrantem; [e] Omnes ergo vno consensu Simeonem filium Cleophæ (cuius etiam Sacra Euangelij Scriptura mentionem facit) idoneum, habilemque, qui Ecclesiæ ibidem institutæ sede, & Præfectura donaretur existimabant; qui, vt fertur, Seruatoris consobrinus fuit, nam Cleopam fratrem Iosephi fuisse narrat Hegesippus.] Epiphanius etiam habet, [f] Simonem filium Clopæ, nepotem Iacobi minoris ex sorore.] Maria ergo Cleopæ in Epiphanio videtur filia Ioseph; & vxor Cleopæ fratris Ioseph. De filijs huisce Ioseph ex priori vxore, consentiunt etiam [g] Hippolitus Portuensis, [h] Origenes, [i] Hilarius, [k] Ambrosius, & [l] plures alij. Mariam verò Cleopæ infra ostendam eandem esse, quæ est Salome in Euangelio, & mater filiorum Zebedæi, Deiparæ sororem, saltem consobrinam; & consequenter vxor non erit, sed filia Cleopæ fratris Ioseph, ex aliqua Deiparæ Virginis matertera.

b Nyssen. mat. 2. de Resurrect.
c Theophyl. in Matth. c. 27.
d Apud Euseb. l. 3. hist. c. 26.
e Euseb. l. 3. hist. c. 10.
f Epiph. hær. 78.
g Apud Niceph. l. 2. c. 3.
h Orig. in Mat. c. 13.
i Hilar. in Mat. c. 1.
k Ambr. in Ep. ad Gal. c. 1.
l Theophyl. in Matth. c. 27. & Euthym. in Matth. c. 2.

XXX.

Ioannes Gersonius, nescio historiamne an fabulam narrat, illis verbis: [m] Constat enim ex Historijs, & Hieronymus testis est, quod Anna post genitam Mariam ex Ioachim, duobus viris nupsit, Cleopæ, & Salomæ: & à primo Mariam Cleopæ, ab altero Mariam Salomæ suscepit, quarum Genealogiæ metris comprehensæ sunt,

Anna tribus nupsit, Ioachim, Cleopæ, Salomæque;
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias:
Quas duxere Ioseph, Alphæus, Zebedæusque:
Prima Iesum: Iacobum, Ioseph, cum Simone Iudam
Altera dat: Iacobum dat tertia, datque Ioannem.

m Gerson. ser. de Nat. B. V.

Quæ si aliquo pacto locis Sacræ Scripturæ, aut insignium scriptorum, præsertim antiquorum confirmasset, à me libentius audirentur. Ludolphus Saxo ista [n] ponit, quæ habet hîc Gerson. Sed vnde illa habeat nihil dicit. In Euangelio certè nullus est vir qui vocetur Salome, sed à Marco ponitur vna mulier sub hoc solo nomine [o] Salome. Et hæc quam Marcus vocat Salome; à Matthæo dicitur [p] mater filiorum Zebedæi; à Ioanne verò vocatur [q] Maria Cleophæ. Et hæc est vna, atque eadem mulier ex Euangelio, vt infertius constabit. In Hieronymo autem nihil tale obseruamus; cuius sententias non sine magna perplexitate ab ipso expositas, iam produxi. Repugnat & [r] Baronius.

n Ludolph. de vita Christi par. 2. c. 3.
o Marc. 15 16.
p Matth. 27.
q Ioan. 19.
r Baron. tom. 1. in appar. n. 41.

XXXI.

De Simone verò & ipso fratre Domini, bone Deus quot tricæ, quotque ambiguitates scribuntur. Quatuor enim fratres Domini expressè ponuntur in Euangelijs, [s] Iacobus Iosæs, Iudas, & Simon. Hunc Simonem fratrem Iacobi huius minoris, Episcopi Hierosolymitani, Hieronymus [t] facit vnum ex duodecim Apostolis, illum eundem qui dicitur in Euangelio [u] Simon Cananæus, & Zelotes; & quia expressè inter Apostolos duodecim etiam ponitur Iudas Iacobi, nimirum [x] frater huius eiusdem Iacobi, vt videtur, sequitur ex illis quatuor fratribus tres fuisse Apostolos, si Iacobus idem sit qui dicitur minor, & qui dicitur Alphæi: nimirum Iacobum Alphæi, Simonem Cananæum, & Iudam Iacobi, qui & Thaddæus, & Lebbæus; atq; hi omnes erant, vt videntur, fratres Domini. Eundemq; Simonem facit idem Hieron. successorem Iacobi in Episcopatu Hierosolymitano; & passum tandem narrat sub Traiano in ætate annorum centum viginti. Hegesippus tamen Simonem Iacobi successorem, dicit esse Cleophæ filium; & non Apostolum; & probat optime [y] Baronius esse duos diuersos, Simonem Apostolum Cananæum, & Simonem Cleophæ, Iacobi successorem. Hoc enim colligitur ex Hegesippo, [z] & Eusebio.

s Matth. 13. & Mar. 6.
t Hieron. de script. Eccles. in Simone.
u Matth. 10. & Luc. 6.
x Ep. Iudæ.
y Baron. tom. 1. an 68. n. 7.
z Euseb. l. 3. h. c. 26

XXXII.

Baronius rem ita firmat, vt [a] Maria quæ dicitur Iacobi minoris, & Iosetis mater, sit vxor Alphæi, & eius filius Iacobus minor sit Iacobus Alphæi. Ipsa verò sit matertera Domini, vt inde eius filij dicantur Domini fratres, hoc est, consobrini: Matertera verò

a Baron. tom. 1. in appar. n. 61. & 1. 99.

A verò Domini fuisse hanc Mariam sumit Baronius ex [a] Hieronymo, & [b] Theodoreto. Sed Hieronymus [c] supponit Mariam hanc Iacobi esse eandem quæ Maria Cleophæ, & à Ioanne vocatur soror matris Domini. Ipse verò Baronius cum contendat, & meritò, Mariam Cleophæ esse aliam, non potest cum Hieronymo asserere eam esse materteram Domini. Theodoretus similiter supponit Iacobum esse filium Cleophæ, ait enim, Vocatur quidem Iacobus frater Domini, sed non erat natura; sed nec fuit Iosephi filius, vt quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed erat quidem Cleophæ filius, Domini enim consobrinus.] Cum tamen Baronius in hoc non sequatur ipsum, dum vult Iacobum esse Alphæi, non Cleophæ filium; & Mariam matrem Iacobi non esse Cleophæ, sed Alphæi vxorem, non potest hinc asserere Iacobum esse Domini consobrinum; & aliunde non ostendit cur Iacobus sit dictus frater Domini. Ideoque actum

B agit. Mariam verò Cleophæ, Domini sororem, non germanam fane, vt ipse contendit, sed consobrinam & vxorem Cleophæ, matrem facit alterius Simonis, non Zelotis, sed Iacobi successoris Episcopi Hierosolymitani, Domini similiter consobrini.

a Hieron. in Mat. 12. in fin.
b Theodoret. in epist. ad Gal. ad fin.
c Hieron. adv. Helvid.

Itaque Maria Iacobi, in Baronio, & Maria Cleophæ, sunt duæ sorores, Beatæ Virginis consobrinæ, & Domini materteræ, non proximæ sed remotiores: earum verò filij erunt Domino in tertio gradu consobrini: & sane satis remoti. Hæc tamen nullo certo stabiliuntur fundamento, sed sunt magna ex parte meræ Baronij arbitrariæ assertiones. De Simone tantum quæ dicit, ea ex Hegesippo facile comprobantur. De Alphæo autem neminē prorsus reperies ex antiquis qui ipsum in cognatione Domini vlla ratione, neq; cōsanguinitatis, neque affinitatis reposuerit. Hieronymus enim ex mera suspicione, ipsius id imaginabatur: & moderni nihil afferunt, quo Alphæus ad cognationem Christi potuerit pertinere. Est ergo arbitrarie & gratis dictum, Iacobum Alphæi, fratrem Domini, siue Iacobum minorem,

C aut Iustum, appellari; sicut & gratis, ac sine vllo probabili saltem iudicio Maria Iacobi ponitur in cognatione Deiparæ; si illa diuersa sit à Maria Cleophæ; vt propterea totus Baronij in hoc labor sit otiosus, & inutilis.

XXXIII.

Quid ergo nos in tanta opinionum varietate ac discrepantia statuemus? Adsit Diuina gratia; & radio sacræ Scripturæ duce, è tantis tenebris pedem eruamus: nam eodem duce facile erit, vt spero, apocrypha & fabulosa, ab authenticis & bene fundatis narrationibus, & genealogijs, discernere, & separare. Itaque quid certi habeamus in Sanctis Scripturis Canonicis, ante omnia proferamus. Fratres aliquot, saltem ita dictos, & vocatos, Dominum Iesum habuisse, est manifestum. [d] Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres, stabant foris quærentes loqui ei.] [e] Nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? & sorores eius nonne

D omnes apud nos sunt?] [f] Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater, & fratres eius; & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus.] [g] Dixerunt autem ad eum fratres eius: transi hinc, & vade in Iudæam, vt & Discipuli tui videant opera tua quæ facis: nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse; si hæc facis, manifesta te ipsum mundo: neque enim fratres eius credebant in eum:] [h] Et cum audissent sui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est.] [i] Hi omnes (*duodecim Apostoli*) erant perseverantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius.] [k] Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?] [l] Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.]

XXXIV.

d Mat. 12. & Marc. 3. & Luc. 8.
e Mat. 13. & Marc 6. & Ioan. 6.
f Ioan 2.
g Ioan. 7.
h Marc. 3.
i Act. 1.
k 1. Cor. 9.
l Gala.

Fratres certè Christi peculiares & germanos, in vero & proprio sensu carnali, omnino

B2 cogimur admittere: aciosi sane in vera & stricta ac ordinaria significatione, in qua veri & germani fratres accipi solent, non pro remotioribus in cognatione. Qui enim dicebant, Hic est filius fabri & Mariæ; statimque subiungunt, nonne fratres ipsius sunt isti & isti, ex-actissimam eius notitiam, per proximos ipsius parentes, & proximos fratres describebant. Quasi dicerent, Nonne hi dicti progenitus ijsdem parentibus, quibus sunt progeniti Iacobus, & Ioses, & Iudas, & Simon, quos ipsius fratres esse iam nouimus? Quæ exacta cognitio genealogiæ ipsius, non procederet per consobrinos, siue patruales, aliosue cognatos remotiores; reducunt enim se ad individuum, vt ipsum esse agnoscant fabri Ioseph filium & Mariæ, quia frater est eorum, qui Ioseph & Mariæ filij communiter agnoscebantur. Et dum Euangelistæ certas personas designant, & vocant fratres Domini, certè cognatos quoscunque non intelligimus: non enim omnes eius cognati, siue consobrini descendunt cum illo, & Matre eius Capharnaum: neque ijdem omnes inuitabant eum in Iudæam:

XXXV.

neque

neque omnes eius cognati erant in eum non credentes, vt planum est de Ioanne, & Iacobo Zebedæi. Non enim dicunt Euangelistæ: aliqui ex fratribus: sed fratres. Et sunt semper ijdem: non igitur intelligunt remotiores cognatos: sed veros fratres, quos Marcus vocauit, suos. Et quoniam si illum comitabantur in itineribus cum matre: Descendit, inquit Euangelium, Capharnaum ipse, mater eius, & fratres eius, planum est fuisse fratres proximos: nam si non fuissent eiusdem domus, eiusdem familiæ, & eiusdem patris filij, non essent illius perpetui assectæ, cum Matre ipsorum, vt ita nunc dicam, communi. Nam alia ratione adhærebant ei Discipuli, alia fratres: discipuli ob doctrinam tantum; fratres verò quia erant de eius domestica familia; & cum matre ac ipso simul victitabant. Nam post mortem Ioseph, par est Mariam Deiparam totius familiæ Viri sui, totiusque domus curam gessisse. In ò vero etiam dicũtur fratres eius in eum non credidisse; & eum, aliquando vt furiosum reputasse: sequebantur enim illum fere ex necessitate; quia tota familia consequebatur ipsam matrem familias; mater verò filium Iesum, [a] cum alijs mulieribus ei ministrantibus de facultatibus suis, in omni itinere consequebatur. Neminem vero ipsorum fuisse ex duodenario numero Apostolum, facile constat, quia hi [b] nondum in eum credebant, quando iam omnes duodecim Apostolos elegerat; & quia semper seorsim ab Apostolis reponuntur, vt vidimus Ioannis 20. Act. 1. & 1. Cor. 9. Et supra de Iacobo iam ex parte est probatum, ne ipsum quidem fuisse Apostolum proprie; sed paulo post adhuc melius idem sum probaturus. A B

a Luc. 8. & Mar. 1. 6.

b Io. 7.

XXXVI. Interim scias Lector, Theodoretum Cyri Episcopum nobis plurimum fauere, dum asserimus fratres Domini in vero, & proprio sensu accipiendos esse, non pro consobrinis: sic enim argumentatur; [c] Iacobus a Paulo [d] frater Domini vocatur: Atqui verbum [e] vnigenitus in sinu patris dicitur, & filius Dei vnigenitus. Vnigenitus autem fratrem non habet. Igitur Christo quædam conueniunt secundum diuinitatem, quædam secundum solam humanitatem. Itaque in generatione diuina vnigenitus est, nec fratres habet, at in generatione humana habet fratres. Carni enim conuenit, non Verbo, habere cognationem.] Ex qua differendi forma facile infero, iuxta Theodoreti sensum, Christum secundum carnem non esse vnigenitum, quia fratres habet. Et argumentario hæc ipsius, si fratres sumantur pro cognatis remotioribus, nullam vim habebit, quia cognati remotiores, etiamsi sint innumerabiles, non auferunt quin aliquis sit verè, & perfectè, etiam secundum carnem vnigenitus, si fratrem germanum nullum habeat. Christi igitur secundum carnem fratres germani illi erant, non tamen naturales, sed legales, ex eodem Patre Iosepho, non ex eadem Matre geniti; qui pater erat communis, illis quidem naturalis, Christo verò legalis, nimirum verus matris Iesu maritus. Atque ita ratione patris terreni, qualiscunque pater ille Christi fuerit (certe in Christi terrena [f] genealogia proximè positus) Christus in terris vnigenitus non erat, sed fratres habebat huiusmodi, qui ne vnigenitus esset, satis impediebant. Sed neque Iacobum fratrem Domini Chrysostomus patitur nos accipere pro aliquo ex ipsius Domini remotioribus consanguineis: [g] negat enim Iacobum hunc fuisse Domini fratrem iuxta carnem, sed esse, *inquit*, putabatur.] Eodem nimirum modo quo Iesus [h] putabatur filius Ioseph, ita putabatur frater Iacobi qui erat filius Ioseph. Vera ergo consanguinitas nulla erat, secundum Chrysostomum, inter Iesum & Iacobum eius fratrem dictum, nisi putata, & legalis. C D

c Theod. in dial. Eranist. lib. 3.

d Gal. 1.

e Io. 1. & 3.

f Mat. 1. Luc. 3

g Chrys. in ep. ad Gal. c. 1.

h Luc. 3.

XXXVII. Quis itaque non videt in ipsa sacra Diuina Scriptura, & non in [i] Petri solum aut Iacobi, pseudoeuangelijs, aliorumue apocryphorum deliramentis, (pace ac venia doctissimi [k] Hieronymi, si ei contradictum) plane diserertum quenque conuinci; merito totam fere me sanctorum Patrum antiquitatem, fratres illos Domini Ioseph filios agnouisse? non quidem ex Maria matre Domini, quæ est falsitas, & ab [l] Epiphanio contra Antidicomarianitas, & à Hieronymo contra Heluidium, oppugnata (perpetuam enim Dei genitricis Virginitatem, deuote Ecclesia Sancta Catholica semper est venerata) sed ex alia vxore, ante Beatæ Virginis desponsationem demortua. Sicut igitur Ioseph non modo à plebe mysterij insciа, sed ab ipsamet etiam matre Domini, pater Christi vocatur: [m] *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te!*] Nimirum pater putatiuus, & legalis, quia maritus Matris, & nutricius Iesu; cur filij eiusdem Ioseph non vocabuntur eadem ratione fratres Christi, si sunt iam dicti patris eius filij? Sed & alter Iacobus, Zebedæi filius, erat consobrinus Christi, vt inferius probabo, & multi docent; cur igitur hic etiam non vocatur frater Domini? Imo ab hoc, tanquam à non fratre Domini, contradistinguitur ille qui frater Domini erat proprie, & non tantum consobrinus. E

i Baron. tom. 1. in apparatu num. 62. ex Origene.

k Hier. in Mat. c. 12.

l Epiphan. hær. 78.

m Luc. 2.

Surgit

A Surgit statim contra nos grauis obiectio; Atqui fratres hi Domini habent matrem viuam sub ipsa Christi passione, nempe [a] Mariam, quæ dicitur Iacobi minoris, & Ioseph mater: Vel igitur illi non sunt filij Ioseph, vel Ioseph eodem tempore duas habebat viuas vxores; [b] quod est auribus piorum hominum molestissimum, vt ait Baronius; & hoc vel cogitare animus horret. Nos verò & Ioseph, filios constanter asserimus, & nihilominus duas vxores eius simul viuas non agnoscimus, sed vnicam: nimirum beatissimam Deiparam Mariam; & hanc ipsam esse illam Mariam, quæ & à Matthæo, & à Marco, Maria Iacobi, & Ioseph mater appellatur. Huc me verba ipsa sacrosancti Euangelij sæpius adduxerunt: ac fateor me nunquam ausurum fuisse hoc promere, nisi tandem post multam cogitationem, & lectionem ante alios primus quasi casu occurrisset Vir sanctissimus Greg. Nyssenus, inter omnes Orientales Episcopos (vtar encomio [c] Baronij) qui tunc temporis viuebant, B insigni eruditione ornatissimus, & ob præclaras res gestas æstimatione facilè Princeps; adeò vt Epistola quædam eius à Græcis inter Canonicas sit recensita. Is igitur tantus vir, cum alijs quoque, vt inferiùs patebit, cùm mihi manum porrigat, id iam liberè possum affirmare: Malo tamen ipsius, quàm meis verbis, id proloqui, ipsum audiamus.

XXXVIII.

a Mar.15.

b Baron.Tom. 1.an.appar.n.65

c Baron.Tom. 1.an.56.n.29.

[d] Quoniam autem, *inquit Nyssenus*, multarum Mariarum in Euangelijs mentio fit, tres numero omnes esse statuere debemus: quas Ioannes comprehensim numerauit cùm diceret, [e] Stabant autem iuxta Crucem Iesu Mater eius; & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ: nam Mariam Iacobi, & Iosæ matrem apud alios [f] Euangelistarum nominatam, Deiparam, & non aliam esse credimus. Quoniam enim ita dispositum, & destinatum erat, vt & diuinus partus obumbraretur, & sanguinarijs Iudæis non manifestaretur, quod circa ipsum tempus, quo ad lectum iugalem ducenda erat Virgo, ex Spiritu Sancto concepisset: quemadmodum literis mandatum est, quòd & vir huius, & pater eius vocatus sit Ioseph; eodem modo Iosæ, & Iacobi filiorum Iosephi fabri ex prioribus nuptijs, & præmortua vxore, puerilem ætatem agentium, mater Deipara & appellabatur, & nominabatur. Hæc nimirum obtrectantes etiam Iudæi de Seruatore dicebant, [g] Nonne hic est filius fabri? nonne mater eius vocatur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioses, & Simon, & Iudas? Atque idcirco Ioannes quidem, vt qui liberè diuinam Historiam conscriberet, eam quæ stabat iuxta Crucem, id quod re ipsa erat, Matrem Iesu appellauit. Cæteri verò Euangelistæ, qui multum circa dispositionem laborauerunt, certo consilio, matrem eam Iacobi, & Iosæ appellauerunt (hi enim primi erant, & insignes filij Iosephi) hoc apertè significante Scriptura, quod hac dispositione, & ordinatione, atque inde concepta opinione, absque periculo Maria passioni salutari intererat; nam si vulgus eam Virginem sciuisset, D perdita forsitan fuisset ab inuidis Iudæis. Reperias autem eam etiam vnius solius filiorum Iosephi matrem apud Euangelistas nominatam; [h] Mariam Iacobi, & [i] Mariam Iosæ. Marcus autem Iacobi parui, & [k] Iosæ matrem eam vocauit: quoniam alter erat Iacobus Alphæi, magnus idcircò, quia duodecim Apostolis connumeratus erat, nam paruus non erat de numero eorum.] Hæc Nyssenus: Qui Iacobum hunc in comparatione ad Iacobum Alphæi minorem ab Euangelista vocatum putat. Ego verò minorem dicerem ex eo quia non erat Apostolus, in comparatione ad vtrumque Iacobum Apostolum, tam Alphæi, quàm Zebedæi; ex quo Hieronymi soluitur quædam instantia, quam contra Heluidium faciebat suprà hoc capite num. 20. Potest enim vnus esse minor duobus vel pluribus alijs: Quamuis Græcè non minor comparatiuè, sed paruus positiuè in Marco legatur, fortassis à statura.

XXXIX

d Nyss. Orat. 2. de Resur.

e Ioan.19.

f Mat.27. & Mar.15.

g Matt.13.& Mar.6.

h Mar.16.

i Mat.15.

k Mar.15.

E Hæc Nysseni explicatio Iacoborum & Mariarum, mihi videtur optima, & quæ omnes auferat difficultates, quæque in ipso Euangelico textu sit egregiè fundata. Planum enim est crucifixioni plures mulieres interfuisse, vt omnes Euangelistæ testantur: sed inter has tres insignes nominantur, & in earum nominatione conueniunt ipsi Euangelistæ. Matthæus sanè has tres nominat; [l] Mariam Iacobi & Iosephi matrem; Mariam Magdalenæ, & matrem filiorum Zebedæi.] Marcus, Mariam Magdalenæ; Mariam Iacobi minoris & Iosephi matrem, & Salome.] Cùm verò hæ tres apud Marcum sint illę eædem, quas posuit & Matthæus, planum est vnam & eandē esse tum Salome, tum matrem filiorum Zebedęi. Consentit [m] Iansenius, [n] Baronius, & communiter cæteri omnes, tam Græci, quàm Latini. Ioannes verò eâsdem item tres in eodem actu crucifixionis commemorans, vnam dicit esse Matrem Domini, alteram Mariam Cleophæ, tertiam Mariam Magdalenæ. Quis non videt Matrem Domini esse eandem cum Maria matre Iacobi, & Ioseph? Mariam verò Cleophæ, patre nimirum Cleopha genitam, sororem Deiparæ consobrinam,

XL.

l Matt.27.

m Iansen.in cap.104.suæ concor.

n Baron.Tom. 1.in appar. nu.65.

eandem esse, quæ est in Marco Salome; forsitan ita dicta ex familia; & quæ est in Matthæo, Mater filiorum Zebedæi? Vnusquisque enim horum trium Euangelistarum in eadem actione easdem tres personas cum ponat nominatim, iam patet Nysſenum optimam inijsse explicationem. Et cum certum sit ex Ioanne Mariam Matrem Domini cruci affuisse, cum in eam filius eius Dominus noster ageretur, quam inepti Scriptores fuissent Matthæus & Marcus, si alijs nominatis mulieribus, de matre Domini tacuissent; sed certè non tacuerunt, eam enim sub nomine matris Iacobi, & Ioſephi, quorum illa nouerca erat, & mater putatiua, ob mysterium à Nysſeno explicatum recensuerunt. Sed præterea optime iam intellexerāt ipsum Dominum libenter à tali expressa matris nuncupatione abstinere: vt cum ad nuptias dixit, [a] Quid mihi, & tibi est mulier? Et in cruce: [b] Mulier, ecce filius tuus. Carnem enim, & sanguinem non venerat secuturus, iuxta illud: [c] Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Ideoque matrem Iesu dicere noluerunt, sed obscure posuerunt: pro quibus postea suppleuit Ioannes.

a Io 2.
b Io. 19.
c Matth. 12.

A

B

XLI.

Meminisse etiam debemus, mulieres illas quæ dicuntur aspexisse Christum in Cruce pendentem, ex illis fuisse, [d] quæ cum esset Iesus in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei; & si alienæ ministrabant, quanto magis mater eius Sanctissima, quæ nunquam illum deseruit, sed quocunque ille pergeret, & ipsa comes individua sequebatur? Voluit Christus nuptijs in Cana Galileæ interesse, [e] & erat Mater Iesu ibi. Post hoc descendit Capharnaum; quid de matre? Ipse, & mater eius, & fratres eius, & Discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus.] Merito ergo Epiphanius, de Matre Domini loquens, dicit; [f] Erat Maria assectatrix Iesu, cum ipso semper existens.] Quis ergo dubitet Mariam illam quæ dicitur Iacobi, & Ioſephi, esse Mariam matrem Iesu, quæ ipsius erat perpetua assectatrix? mater verò, hoc est, nouerca Iacobi, & Ioſephi, & aliorum. Abhorrebat verò ab hac assertione Hieronymus, [g] Dummodo, *inquit*, constet non eandem Mariam Iacobi & Ioſetis esse, quam matrem Domini.] Quia Mariæ virginitatem perpetuam defendebat, ac negabat Iacobum & Ioſem esse filios Ioſephi, ex ipsa Maria matre Domini. Quod autem fuerit non mater, sed nouerca, materque putatiua duntaxat, perpetuæ eius virginitati nihil officit, pro qua sola Hieronymus pugnabat. Neque nos turbet quod Matthæus, & Marcus illas mulieres à longè stetisse dixerint, Ioannes verò illas suas iuxta crucem collocarit: Si enim ex his [h] Baronius colligit alias, & alias esse; colligat etiam Mariam Magdalene aliam esse in Ioanne, & aliam in alijs: cum tamen Magdalene & dicatur à longe spectasse crucifixionem; & iuxta crucem stetisse. Intelligat igitur aliquas ex multis illis mulieribus à longe constitisse; alias verò vt Christo propinquiores, & in eius amore feruentiores, aliquanto propiùs accessisse; siue, ante erectionem crucis omnes à longe stetisse, post erectionem verò ad ipsam crucem peruenisse.

d Mar. 15.
e Io. 2.
f Epph. hær. 78.
g Hieron. com. Heluid.
h Baron. tom. 1. in appar. n. 67.

C

D

XLII.

In Genealogia itaque Saluatoris Zebedæi filij Iacobus, & Ioannes, erunt inter ipsius consobrinos, in tertio cognationis gradu numerandi: Siquidem Maria Cleophæ, siue Salome, mater ipsorum, [i] soror dicitur, consobrina fortasse potius quam germana. Beatæ Virginis (Hanc enim solam precibus à parentibus impetratam narrant piæ [k] Historiæ) Acre uera, & merito à multis inter Domini cognatos reponuntur. Neque argumentum [l] Iansenij in contrarium, quicquam obest: dum ait & probat, matrem filiorum Zebedæi ex Galilæa venisse, & seruisse Domino ex facultatibus suis. Quasi verò B. Virgo non fuerit & ipsa ex Galilæa, ex [m] ciuitate Nazareth. Fallitur etiam dum negat ex Euangelijs posse colligi consanguinitatem inter matrem filiorum Zebedæi, & matrem Domini. Iam enim ex Euangelijs colligimus Mariam Cleophæ, quæ dicitur à Ioanne soror Deiparæ, ipsam esse matrem filiorum Zebedæi. Quod verò Epiphanius [n] Ioannem alienum secundum carnem à Domini Matre dicat, non officit. Intelligit enim Ioannem non fuisse verum ex ventre Filium Beatæ Virginis, licet ei Iesus dixerit, [o] Ecce mater tua. Fuerunt igitur Iacobus, & Ioannes Zebedæi filij, Christi Domini consanguinei; fratres tamen Iesu non fuerunt in vera significatione fratris, sicut fuerunt Iacobus minor, & eius fratres, nimirum putatiui: Nam priuigni eiusdem mulieris, cum ipsius filijs, passim fratres vocantur, quia communis est pater. Ita Ioſeph communis fuit pater, & illorum, & Domini, Domini tantum putatiuus, & legalis, & tamen verus matris sponsus; illorum autem verus, vt est explicatum. Et addo contra [p] Baronium omnes quatuor illos fuisse eodem modo fratres Domini: quod verò interdum duo soli ponantur, vt vbi Maria dicitur mater Iacobi & Ioſæ, hoc breuitatis causæ fit; nam etiam interdū vnius tantum mater nominatur, vt vidimus. Et Nysſenus [q] eo saluat de duobus, quod illi essent insigniores.

i Ioan. 19.
k Euseb. hær. 9. & Baron. to 1. in appar. n. 41.
l Iansen in c. 104 sua concor.
m Luc. 1.
n Epiph. hær. 78.
o Io. 19.
p Baron. tom. 1. in appar. n. 64.
q Nysſen. vbi sup.

E

Nysſe-

A Nyssenum verò sequutos esse alios Ecclesiæ Patres, postea obseruauit. Chrysostomus sanè expresè ait, [a] Matrem Iesu esse illam quam Matthæus Mariam Iacobi appellat. Theophylactus quoque idem asserit, [b] facitque Iacobum, & Ioseh filios Ioseph ex priori vxore, ita vt horum nouerca sit ipsa Deipara. Sedulius ita cecinit;

—— [c] hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæque simul cum munere matres
Messis aromaticæ, notum venere gementes
Ad tumulum. ——

XLIII.

a *Chrysost. hom. 89. in Mat.*
b *Theophylact. in Mat. c. 27. in Marc. c. 15. in Luc. c. 24. in Ioan. c. 19.*
c *Sedul. l. 4. op. Pasch.*

Anastatius Nicænus idem clariùs explicat, dicens; [d] Quoniam autem multarum Mariarum fit mentio in Euangelijs, debemus scire tres esse Marias, quas omnes Ioannes simul enumerauit dicens: Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ: Mariam enim Iacobi, & Ioseph matrem ab alijs Euangelistis nominatam, didicimus esse Deiparam. Quomodo enim (vt regeretur dispensatio, & diuinus obumbraretur partus, & non fœuis manifestaretur Iudæis) scriptum est Ioseph fuisse appellatum tanquam maritum Virginis, & patrem Iesu; ita quia Ioseph, & Iacobus erant filij Ioseph fabri, ex vxore quæ prius decesserat, mater eorum appellabatur Deipara. Hac ratione Dominum quoque blasphemantes Iudæi dicebant, Nonne hic est filius fabri, & eius mater dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? Et ideo Ioannes quidem etiam ad crucem stantem, vt qui liberè, & cum confidentia Theologicè loqueretur, matrem Iesu appellauit. Cæteri autem Euangelistæ, qui magna ex parte occupati fuerant in dispensatione, per dispensationem eam appellarunt matrem Iacobi, & Ioseph, Inueniri autem potest etiam ab Euangelistis eam nominari ex vno solo ex filijs Ioseph, nempe Mariam Iacobi, & Mariam Ioseph.] Hæc ille. Obiectiones porrò quas facit [e] Sixtus Senensis contra Chrysostomum, & Theophylactum, sequutus Euthymium, nulla censeo dignas consideratione: nam ex his ipsis Patribus, quos iam recensui, facili negotio diluuntur.

d *Anastas. Nican. in Scripturam q. 90.*

B

C

e *Sixt. Senens. Bibl. l. 6. post annot. 126.*

Tres itaque Iacobos in sacra Scriptura Christi tempore, & Christi ministros apertè affirmamus, & necessario admittendos esse non dubitamus; Iacobum Zebedæi, Apostolum ex duodecim, Christi consanguineum secundum carnem: Iacobum Alphæi, & ipsum Apostolum ex duodecim; & Iacobum fratrem Domini, filium Ioseph patris putatiui Domini, extra numerum duodecim Apostolorum; Apostolum tamen [f] à Paulo vocatum ea ratione putamus, qua multi discipuli, & Christi sectatores, adhibiti ad prædicandum, Apostolorum nomen sunt sortiti, quoque præsertim idem Paulus libentissimè Apostolorum nomine sæpius cohonestat. [g] Andronicus & Iunias nobiles in Apostolis: [h] Epaphroditus Apostolus Philippensium: [i] Fratres nostri Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi.] Et sanè veros Apostolos illos duodecim, videtur vocare Magnos, & supra modum Apostolos, dum dicit; [k] Se nihil minus fecisse à magnis Apostolis; & [l] se nihil minus fuisse ab ijs qui sunt supramodum Apostoli; vt significaret se præter magnos Apostolos, alios etiam in Apostolica dignitate cognoscere, qui non essent illi duodecim magni, & supramodum Apostoli, sed alij illis inferiores; discipuli tamen & assectæ Christi, & de Christo instructissimi. Cum verò suum Euangelium non ab homine se didicisse assereret, neminem se Apostolorum, excepto Petro & Iacobo fratre Domini, in primo Hierosolymitano congressu vidisse [m] protestatur, siue ex magnis, siue ex inferioribus, qui perinde ipsum instruere potuissent atque magni, quippe testes oculati vitæ, & resurrectionis Christi. Neque enim idem est Iacobus hic frater Domini, cum Iacobo illo, [n] qui simul cum Petro & Ioanne dextras ei dederunt in altero congressu, [o] post annos quatuordecim. Cum enim hi tres columnæ dicantur, planum est hunc esse Iacobum fratrem Ioannis, adeo cum fratre & Cepha à Christo priuilegiatum; nondum enim tunc occisus fuerat. Est tamen idem iste frater Domini cum illo, à quo venerant fratres Antiochiam, quando orta est illa inter Paulum & Petrum contentio; [p] Cum venissent, inquit, à Iacobo; hoc est ab Hierosolymis, vbi Iacobus hic minor frater Domini, non Apostolus ex duodecim, ab ipsis duodecim Apostolis, & consequenter etiam à Iacobo vtroque magno Apostolo, fuerat in ipso initio Hierosolymitanæ Ecclesiæ Pastor specialis, fortasse etiam à Christo ipso, ordinatus; vt totam penè testari videmus antiquitatem. Hic etiam Iacobus minor, seu potiùs paruus, est ille, cui seorsim post xj. Apostolos Dominum rediuiuum apparuisse [q] affirmabat Paulus: quique sententiam dixit in primo Concilio [r] Hierosolymitano, vt Episcopus illius Ecclesiæ: & ad quem Paulus [s] in vltimo suo aduentu Hierosolymam, est ingressus.

XLIIII.

f Gal. 1.
g Rom. 16.
h Phil. 2.
i 2. Cor. 8.
k 2. Cor. 11.
l 2. Cor. 12.
m Gal. 1.
n Gal. 2.
o Act. 11.
p Gal. 2.
q 1. Cor. 15.
r Act. 15.
s Act. 21.

D

E

XLV.

Epistola illa quæ inter septem Catholicas Iacobi dicitur, cuius Iacobi sit ex tribus, Deus nouit. [a] Si Eusebio credimus illa sane Iacobum fratrem Domini, & non Apostolum, habet autorem. Nec dissentit [b] Hieronymus, licet in Iacobo æquiuocauerit, & illum qui fuit Hierosolymitanus Episcopus, ac frater Domini, Apostolum filium Alphæi, sed immerito, fecerit. Iudas porro [c] Iacobi, vnus ex duodecim Apostolis, qui & Thaddæus, seu Lebbæus, huius Iacobi frater esse non potest; quia, vt supra monui, quatuor illi Domini fratres magna ex parte nondum credebant; & seorsim ponuntur ab Apostolis: & consequenter neque fuit frater Domini; cuius verò Iacobi frater fuerit nouit item Dominus. Sicut & Simeon frater Domini, vnus ex illis quatuor filijs Ioseph, eadem ratione Apostolus non est, nempe Simon ille Zelotes; sed neque Simon hic frater Domini esse potest Episcopus ille Hierosolymitanus, qui Iacobo fratri Domini datus est successor: Hunc enim [d] Hegesippus aperte facit filium Cleophæ, fratris Ioseph: & Maria Cleophæ, nempe eius filia, vxor Zebedæi, huius Simonis fortasse soror erit; & consequenter Simeon hic, Deiparæ frater erit consobrinus. Et decipitur Baronius, aut decipit, dum [e] scribit, Simeonem hunc (de quo Hegesippus) esse filium Alphæi, ex Maria Cleophæ; nam Hegesippus ne somniauit quidem de Alphæo. Itaque de quatuor illis Domini fratribus, vno excepto Iacobo, nihil certi habemus; [f] nisi eos in Christum non credidisse: sed tamen fieri potuit, *inquit Hieronymus*, [g] vt vno statim credente, alij diu increduli fuerint.] Tantum abest vt tres ex ipsis in supremorum Apostolorum 12. num. possint collocari. Quod vero & titulo, & laudibus, & encomijs Apostoli, Iacobus Domini frater sæpe, à sanctis etiam antiquissimis Patribus celebretur, nihil mirum: sequuntur Paulum: & fuit adeo insignis, vt multi 14. [h] faciãt Apostolos, duodecim cum Matthia in numero ordinario; & duos extra hunc numerũ, hunc Iacobũ, & Paulũ. Præterquã quod nõnulli humano errore decepti, putarint, id quod non est, Iacobum fratrem Domini, esse eundẽ cum Iacobo Alphæi; cum tamen nihil tale ex Scripturis possit euinci; imò contrarium ex ipsis colligatur.

a *Euseb. l. 2. hist. c. 22.*
b *Hier. de script. Eccles. in Iacobo.*
c *Luc. 6. & Act. 1. & epist. Iudæ.*
d *Apud Euseb. l. 2. hist. c. 10. & 26.*
e *Baron. tom. 1. an. 44 num. 39*
f *Io. 7.*
g *Hieron. adu. Heluid.*
h *Hier. l. 5 in Isai. c. 17.*

XLVI.

Nulla igitur erit, *inquit Bellarminus*, [i] memoria vnius ex duodecim Apostolis, si quæ de Iacobo minori scribuntur, non pertinent ad Iacobum Alphæi.] Sed quamnam quærit quæso memoriam in Ecclesia? num quod ipsius acta ignorantur? An ne nouum hoc in Ecclesia? & quorum Apostolorum acta habentur, quæ extra id, quod in Diuina Scriptura de ipsis narratur, sint authentica? sane pauca. Apocryphis omnia plena. Nonnullorum ex Apostolis vix potuit vnica, & breuis lectio in Breuiario Romano confici; & ea satis infirma, parumque probata; & de aliquo nihil, vt de Matthia, & Thaddæo. An diem passionis, & genus mortis poscit hæc memoria? sic nulla est memoria Ioannis dilecti à Domino, cum præsertim non desint, qui adhuc viuum censeant. An requiritur dies festus? si dies mortis ignoratur, non potest in ipsius memoriam celebrari. Posset tamen Ecclesia aliquem ei diem dedicare, vt fecit Ioanni Euangelistæ. Dices Ecclesia celebrat primo die Maij eius memoriam, tanquam Iacobi Apostoli, qui fuit filius Alphæi: eo tamen die legitur de Iacobo fratre Domini. Respondeo Ecclesiam etiam Vniuersalem, nedum Romanam solam, posse, in ijs, quæ facti sunt, errare. Mutet ergo Legendam, siue in nocturno, siue in Martyrologio; & non Iacobi Iusti, sed Iacobi Alphæi acta inueniat, ac recitet; atq; ita dies festus, & memoria Iacobi Alphæi, iuxta Ecclesiæ intentionem, primo die Maij celebrabitur: siquidem frequentes cernimus, & Breuiariorum, & Martyrologiorum correctiones, ac perpetuas reformationes. Quot errores sunt ex illis sublati, etiam nostris diebus? Hieronymus [k] certe in Simone aperte, humanum passus, æquiuocauit, vel in homine, vel in nomine, & Simonem Cananæum, siue Zelotem Apostolum, facit Simonem illum qui in Episcopatu Hierosolymitano Iacobo fratri Domini successit: quem ex Hegesippo & Eusebio meritò corrigit [l] Baronius. Quid mirum si etiam Breuiaria, quæ huiusmodi sequuntur scriptores, cum illis interdum lapsum patiantur? In festo Mariæ Magdalenæ Breuiarium Romanum supponit eandem esse & Mariam Magdalenæ, & Mariam sororem Lazari, & mulierem in Ciuitate peccatricem: cum tamen, (si erit locus in hoc opere) apertissime sim ostensurus, in sacris Diuinis Scripturis has esse tres omnino diuersas; & grauem iniuriam irrogari siue Magdalenæ, siue Mariæ Lazari, dum meretrices illæ fuisse perhibentur, quæ tamen honestissimæ fuerint, & fortasse virginalem perpetuò coluerint castitatem. Si alios errores Ecclesia Romana in suis Breuiarijs, & Missalibus vidit tandem, & correxit; videbit, spero, aliquando & istos, & eos corriget, ac emendabit. Interim verò huiusmodi errores ex optima Ecclesiæ intentione possunt pie tolerari: & Christus Dominus æqui bonique consulit, etiam quando pro Iacobo Apo-

i *Bellar. l. 1. de Verbo Dei. c. 18.*
k *Hier. de script. Eccl. in Simone.*
l *Baron. tom. 1. an. 68. nu. 6.*

stolo,

A stolo, Iacobi non Apostoli, sed eximij eius Ministri, & carissimi fratris memoriam celebramus.

Sed vera Iacobi Apostoli memoria in Ecclesia est, quod ipsa optimè nouit, quotidiè legit, & recordatur, duodecim fuisse à Christo Apostolos primum electos, huius Ecclesiæ duces ac magistros: & in his duodecim fuisse Iacobum Alphæi. Non enim expunctus est ex albo Apostolorum, etiamsi diem proprium festum non haberet, neque actiones ipsius in Ecclesijs recitarentur. Sed si obstinatiùs nostras non tueremur, etiam claudicantes opiniones, Iacobus Alphæi suo honore extrinseco in Ecclesijs non destitueretur. Habemus enim ipsius actiones seorsim conscriptas, & ipsius proprias, à Iacobo Zebedæi, & Iacobo fratre Domini diuersas; [a] Nimirum ipsum in Aegypto tandem, in ciuitate Ostracina, pro Christi fide, Crucis martyrium subijsse. Sed quia Baronius semel in ea sese firmauit opinione, vt quæ ab Hegesippo, & Epiphanio, alijsque grauissimis Scriptoribus de Iacobo minore, & fratre Domini, non Apostolo, dicuntur, ea de Iacobo Alphæi, vel ipsis inuitis, dicta velit: cumque hæc longè diuersa sint, (quid ni erunt, si sunt diuersæ personæ?) ab his quæ tradit Dorotheus, & Nicephorus de Iacobo Alphæi, queritur Baronius de Nicephoro, quod de hoc referat [b] quædam mirum in modum, *inquit*, inter se discrepantia, atque prorsus abhorrentia ab ijs quæ Hegesippus fidelissimus autor de eodem Iacobo vno, eodemque cum fratre Domini, scriptum egregijs monumentis posterorum memoriæ commendauit.] Hæc Baronius: & sanè immeritò, vt vidimus, accusat Nicephorum: quam ergo memoriam cupit Bellarminus in Ecclesia Iacobi Alphæi, eam habet in Dorotheo, & Nicephoro, ex quo tamen Nicephoro plurimum, tanquam ex veridico autore, ornat sæpè suos annales Baronius, licèt illum in Iacobo Alphæi repudiauerit, non alia de causa, nisi quia per summam vim alterius Iacobi, non Apostoli historiam, Iacobo Apostolo cuius non est, noluerit accommodare. XLVII.

a *Dorath. Tyrl. in Synops. & Niceph. l. 2. hist. cap. 40.*

b *Baron. tom. 1. ann. 44. nu. 36.*

C Non me latet à quibusdam alterum adhuc Iacobum fratrem item Domini, nescio quo pacto, fuisse excitatum, qui proximè successerit priori Iacobo in Episcopatu Hierosolymitano; quod est prorsus intolerabile. Iam enim vidimus ex Hegesippo, Eusebio, & Epiphanio, Simeonem Cleophæ filium, non Iacobum, proximè successisse Iacobo primo Episcopo Hierosolymitano; & nusquam habemus hunc Simeonem fuisse Iacobum etiam, & fratrem Domini nominatum: quamuis fuerit forsasse & patruelis Christi, ex parte patris putatiui, & consobrinus secundum carnem, ex parte matris, in tertio tantùm gradu: frater tamen non erat Domini, sicut hic Iacobus, qui erat ejusdem patris, nempe putatiui, filius. Fictio porrò huius secundi Iacobi fratris Domini, eo tota initio spectauit, vt saluarentur & dicta Clementis Romani in libris Recognitionum, ac Constitutionum Apostolicarum; & Epistolæ eiusdem Clementis ad Iacobum fratrem Domini. Cùm enim Clemens illa non scripserit, neque fingatur scripsisse, nisi post mortem Petri, & post adeptam plenè Cathedram Romanam; Iacobus verò Iustus prius occisus fuerit, quàm Petrus; alium Iacobum fratrem Domini ei conantur substituere; errore tamen satis palpabili forsitan etiam decepti. [c] Marianus enim, & [d] Genebrardus, obseruarunt illi quidem in antiquis, & classicis Autoribus, præter duos Iacobos Apostolos in numero duodenario, admitti, extra dictum numerum, tertium, qui Iustus, & frater Domini dicebatur; sed tamen nescio qua hebetudine ex vna parte Iacobum Alphæi faciunt primum Episcopum Hierosolymorum; ex aliâ verò parte Iacobum illum Iustum non Apostolum, ipsi vti primo Hierosolymorum Episcopo faciunt successorem: & mortem quæ est in omnibus illis Autoribus Iacobi Iusti fratris Domini, volunt esse mortem Iacobi Alphæi, tanquam alterius, post quam deinde Iacobus hic frater Domini incipiat sedere. Atque ita Iacobo Iusto fratri Domini eundem Iacobum Iustum fratrem Domini dant successorem, post quem sequatur Simeon, & alij deinceps. Neq; vident primũ illũ Iacobũ, qui primus omniũ Cathedrã tenuit Hierosolymis Episcopalẽ, esse hunc ipsum Iacobũ Iustum fratrẽ Dom. qui statim post Domini passionem fuit in throno Hierosolym. Episcopus collocatus. Et de nullo alio Iacobo primo Episcopo Hierosolymorum tractant Scriptores, nisi de Iacobo solo Iusto fratre Domini; licet Hieronymus, & alij putauerint hunc Iacobum Iustum eundem esse cum Iacobo Alphæi: si est idem, tunc ei succesit Simeon, & non alter Iacobus: si est diuersus, tunc Iacobus Alphæi non erit primus Episcopus Hierosolymitanus, sed hic Iacobus Iustus, & ei statim successit Simeon. Et ad hunc Iacobum fratrem Domini Episcopum Hierosolymitanum, qui non est nisi vnus, siue sit Apostolus, siue alius non Apostolus, scribuntur Epistolæ à Clemente, quo tempore Iacobus hic Iustus frater Domini non erat in viuis. Frustrà XLVIII.

c *Marian. in schol. in Hist. Epist. 62.*

d *Genebrard. l. 2. Chron. an. mundi 4151.*

stra ergo, & parum apte defendunt isti illas Epistolas, & alia apocrypha Clementis: præterquam quod ex alijs causis Epistolæ illæ tanquam apocryphæ & fictitiæ à nobis sint etiam aliquantulum deprimendæ. A

XLIX.

Restat sola difficultas de bigamia Ioseph, quæ teneras nimium videtur mentes offendere: cum præsertim [a] Hieronymus, [b] Augustinus, & [c] Theodoretus expressè Virginem Ioseph asseuerent, quibus [d] plurimi alij consentiunt; qui tamen omnes pijs contemplationibus indulgentes, ex quadam æquitate, & congruentia id protulerunt, vt Virgo Dei Mater electa, Virgini Viro in coniugium traderetur. Si enim in Virum Sanctum, *inquit Hieronymus*; fornicatio non cadit, & aliam eum habuisse vxorem non scribitur, Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quàm maritus, relinquitur eum Virginem mansisse cum Maria.] Quod si Hieronymus, & alij considerassent, nulla alia via Dominum potuisse habere fratres in propria significatione, nisi filios Ioseph, patris ipsius putatiui; & eandem esse in Euangelistis Mariam Iacobi, & Iosæ matrem, quæ erat Maria Mater Domini, & Virgo; procul dubio dixissent propterea tantùm eam matrem dici Iacobi, & Iosæ, quia erat illa nouerca, ipsi priuigni; & quia Ioseph vir Sanctus erat, filios non ex fornicatione suscepit, sed ex legitimo coniugio, Viro autem coniugem habenti vnicam, Spiritus Sanctus sponsam suam non commisisset, sequitur necessario Ioseph olim fuisse vxoratum, & tunc viduum, quando Beatam Virginem desponsauit. Adde reliquam totam antiquitatem sic sentientem. Ac demum considera neque virginitatem in vllo tunc precio fuisse, neque coniugium obscænitatem vllam secum ferre, vt delicatæ mentes Bigamiam Ioseph debeant tantopere detestari. Ideoque minus cautè, minusque prudenter, imò audacter nimis Petrus Damiani protulit, [e] Magna fiducia Ecclesiæ fidem in eo esse, vt non modo Deipara, verum etiam putatiuus pater, atque nutricius, virgo habeatur.] Mox credo de fide erit in Ecclesia, quicquid etiam contemplatiuorum libelli de vita Christi, & presertim de eius puertitia, contemplantur. Hæc mihi de Iacobis dicta sufficiant: vt his plenè, & absolute soluatur argumentum, quo aliqui Apostolorum ordinationem in Episcopos a Petro, siue alijs Apostolis fieri solitam, exemplo Iacobi minoris confirmabant. Is enim Apostolus nequaquam fuit ex primis duodecim, vt est prolixiori disputatione nunc ostensum. B C

a Hieron. con. Helud
b Aug ser. 14. in Nativit. Domini.
c Theodoret. in Ep. ad Gal.
d Apud Baron. tom. 1. in appar. n. 63.
e Petr. Dam. Ep. 11. c. 4. ad Nicol. 2. circ.

L.

Vt ergo eò redeamus vnde digressi sumus, Apostoli, Episcopi etiam fuerunt, & Presbyteri, & sane à Christo Domino immediate hanc potestatem, absque vlla peculiari ceremonia, seu consecratione, habuerunt; per sola verba illa, [f] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. [g] Hoc facite in meam commemorationem. [h] Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. [i] Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c. & [k] Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c. Vbi tamen addidit insufflationem. Sed hæc sola insufflatio plene Episcopos non effecit; neque transijt in præceptū, aut exemplum. Quibus verbis Apostolos quali Principatum in Sacerdotio possidentes, & initiatores fidei, à Christo esse demonstratos, ait [l] Didymus. Sed quonam pacto, & à quo successores Apostolorum Episcopi, Episcopalem in Ecclesia accipiant dignitatem, & potestatem, non est adeo manifestum; & num peculiaris ad hoc externa fuerit, & sit necessaria ceremonia: Quæ omnia iam sunt à nobis exactius pertractanda. D

f Ioan. 20.
g Luc. 22.
h Matth. 18.
i Matth. 28.
k Ioan. 21.
l Didym. l. 2. de Spir. Sancto.

LI.

Ecclesiasticorum ministrorum propagatio adeo in Ecclesia necessaria, olim sub lege, carnali propagatione peragebatur, vt quicunque ex semine Aaron gignebantur traduce naturali, ij omnes Sacerdotio suis temporibus fungerentur. Reliqua verò tota Leui progenies, rerum sacratum, Tabernaculi primum, deinde templi ministerio erat addicta. Nunc verò postquam Christus Homo-Deus, factus est [m] Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, (qui [n] Melchisedec sine patre, sine matre, sine genealogia esse dicitur) carnalis hæc Sacerdotum propagatio non debuit amplius in Ecclesia habere locum; sed Christus ipse Rex, & Sacerdos verus, ac Dominus, & caput suæ Ecclesiæ, sicut libera electione primos suos ministros eidem Ecclesiæ præfecit, ita electione propagationem successorum fieri debere, & ostendit, & expressit, dicens: [o] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Vt quemadmodum ego Patris concessione, & mandato, elegi vos libere; ita vos etiam concessione, & mandato meo, eligere debeatis Episcopos alios, qui vobis succedant; & illi alios; atque ita deinceps vsque ad consummationem sæculi: Consentit in hoc sponte [p] Bellarminus. Quæ commissio & autoritas, cum mandato iam dictæ propagationis per electionem, sicut non est data à Christo nisi solis Apostolis, quibus solis dixit, se eos mittere ita vti ipse fuerat à Patre missus: pari ratione Apostoli etiam mandatum idem non extendebant E

m Psl. 109.
n Hebr. 7.
o Ioan. 20.
p Bellarm. l. 4. de Eccles. c. 8.

A tendebant ad alios, neque poterant extendere, nisi ad illos solos quos siue socios, siue successores assumebant. Quis ergo dicat plebem, ac reliquum vulgus, habere potestatem committendi munus, & officium pastorale ei, in quem populus ipse fidelium consentiat?

LII. Verum quidem est, vt postea suo loco sequenti tertio libro docebo, plebem in electionibus Episcoporum magnas partes olim habuisse, nunc verò vt plurimùm Principes suæ plebis in hoc potestatem exercere: Sed si Christi institutionem sequi volumus, excludamus necesse est plebem iam fidelem ab hac Episcoporum, seu Presbyterorum creatione, ita nimirum, vt præter consensum quendam, siue approbationem personæ eligendæ, siue ipsius etiam electionem, in traditione potestatis Ecclesiasticæ ipsa nullam vnquam habeat partem, cui nempe non est dictum; Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et sanè Barna-

B bas, Silas, Epaphroditus, Timotheus, Titus, & tam multi primi Episcopi ab Apostolis, siue omnibus simul, siue ab aliquo ipsorum, & commissionem, & potestatem acceperunt Episcopalem: Populus verò in eorum vocatione nihil operæ suæ collocauit, similiter si extra sacram Scripturam Ecclesiasticos consulamus scriptores, * Clemens à Petro, sine populo, factus est primus Episcopus Romanus. Iacobus Iustus, si non à Christo, certè ab Apostolis solis, vt iam vidimus, factus est Episcopus primus Hierosolymorum. Ita de Euodio, Polycarpo, Marco, & innumeris alijs ab Apostolis solis, siue viris Apostolicis, eos factos Episcopos Ecclesiastica scripta testantur, vt sequenti capite ostendetur. Atque ijdem Ecclesijs iam satis numerosis, & populo fideli plenis, præficiebantur.

* Tertull. de præscript.

LIII. Hanc tamen Episcoporum deputationem ab Apostolis primum, & deinde à successoribus ipsorum, perpetuis temporibus in Ecclesia per consecrationem, & ceremonias externas, præsertim per manuum impositionem fieri solitam facile est ostendere. Paulus ita

C scribit ad Timotheum Episcopum, [a] Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. *Item*, Manum nemini citò imposueris.] Monet circumspectione vtendum in Episcopis ordinandis, vt est communissima expositio. *Item*, [b] Resuscita gratiam quæ data est tibi per impositionem manuum mearum] Ipsimet igitur Apostoli per impositionem externam manuum Episcopos faciebant. Est præterea Canon Apostolicus; [c] Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinetur. Idem habent [d] Constitutiones Apostolicæ Clementis, quæ cum sint valdè antiquæ, antiquos Ecclesiæ ritus profecto continebunt. [e] Adsunt ibi ceremoniæ de Euangelijs super caput ordinati imponendis, & aliæ. Addit vnctionem capitis [f] Anacletus, quæ est antiquissima. Nam & Basilius Magnus à Gregorio Nazianzeno seniore in Episcopum Cæsariensem, vnctione etiam sacra adhibita, est ordinatus; de qua sic Nazian-

D zenus filius: [g] Nam ad eum vngendum viros pietate claros, ac zelo flagrantes, ab exteris regionibus excitauit; in ipsumque nouum Abraham & Patriarcham nostrum, parentem inquam meum, qui firmus ac valens oculos erectos habens, à manuum impositione, & vnctione, addo etiam, & ab illius qui vngebatur capite roboratus.] Et de sua ipsius in Episcopum, per eundem ipsius parentem facta consecratione, hæc habet Gregorius ipse filius; [h] Me Pontificem vngis dignum; me verò & vobis qui vngitis, & eo propter quem peragitur, & in quem tendit hæc vnctio, perspectum hoc habet pater.] Areopagitæ quoque Dionysio tributum opusculum, vnctionem ponit expressè: qui & alias ceremonias recenset; sic, [i] Pontifex quidem, qui ad perfectionem, virtutemque Pontifice dignam euehitur, utroque genu flexo ante Altare, supra caput habet libros à Deo traditos, manumque Pontificis: atque hoc modo ab eo Pontifice, qui eum consecrat, sanctissimis precationibus,

E appellationibusque consecratur.] Concilia antiqua plena sunt Decretis circa Episcoporum consecrationem, etiam cum ceremonijs, & ritibus externis. Carthaginense magnæ in Ecclesia autoritatis, & cui Augustinus interfuit; [k] Episcopus, *ait*, cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem super caput, & cernicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.] Omitto innumerabilia testimonia venerandæ antiquitatis, de Episcoporum consecratione, & ordinatione. Multa etiam in sequentibus libris erunt mihi alijs occasionibus congerenda.

a 1. Tim. 4.

b 2. Tim. 1.

c *Can. Apost.* 1.
d *Const. Apost. l.* 3. *c.* 20. & *l.* 8. *c.* 33.
e *Ibid. l.* 8. *c.* 2.
f *Anacl. ep.* 2. *refertur dist.* 75 *c. Ordinationes.*
g *Nazianz. orat.* 20. *de laud. Basil.*

h *Idem orat.* 5. *ad Pat. & Basil.*

i *Areopag. de Eccl. Hierar. cap.* 4.

k *Concil. Carthag.* 4. *Can.* 2.

LIV. Indubitatum itaque maneat, & manuum impositionem, & alias sacras ceremonias ab Apostolis Apostolicisque viris, ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, in deputatione Episcoporum fuisse adhibitas; & à nobis inuiolabili Ecclesiæ sanctæ consuetudine esse adhibendas. Miror itaque Caluinum dixisse, [l] præter manuum impositionem, nihil præterea ceremo-

l *Apud Bellar. de sacram. ord.*

ceremoniarum adhibitum se legere: alias enim legi, & inueniri in vsu antiquissimas ceremonias, iam ostendi. Multo magis miror eundem dixisse, [a] Ordinationem nihil aliud esse, quàm merum ludibrium: grauis enim sit iniuria & Paulo super Timotheum manus imponenti, eumque sic in Episcopum ordinanti; & toti antiquitati, quam vidimus pie & sancte in ordinationibus Episcoporum ceremonias adhibuisse. Nisi velit, vt videtur, modernas aliquas nouas nostras ceremonias respuere, & actus aliquos in ordinationibus Episcoporum ad speciem tantum, & vere ad ludibrium vsitatos suggillare: vt quod, verbi gratia, de vita & moribus formetur processus, vt plurimum in Curia Romana, vbi ab ordinãdo testes offeruntur, qui ei placuerint; aut vbi nulli testes personam nouerint: quòd & illiterati, & vitijs insignibus deprauati, promoueantur; examina tamen dicuntur præcedere; ieiuna quidem illa, & inania, non sine fuco fortasse & fallacijs. In his tamen, & similibus si ludibrium aliquod contingit, non vim ipsam ordinis negent; abusum reprehendant, ordinationem tamen Ministrorum rite factam, etiam cum externis, & pijs ceremonijs, laudent, approbent, admittant, vt in hac parte omnes conueniamus, neque dissensionibus Ecclesiam laceremus. Ceremonias vero ordinum infra Presbyteros, inferius discutiam cap. 4.

a *Apud Bellar. de sacram. Ord.*

A

B

LV. Num verò consecratio hæc, & ordinatio Episcoporum conferat ipsis per modum Sacramenti potestatem Episcopalem, sitque absolute, & simpliciter necessaria, adeo vt sine consecratione Episcopus nihil efficiat si attentet Episcopale proprium munus exercere; quale est puta baptizatos confirmare, & ministros ordinare, proximo sequenti capite videndum erit. Interim verò certum nobis sit, & constans, neminem in Ecclesia habere autoritatem Ministerialem regendi, & gubernandi ipsam, nisi [b] qui vocetur à Deo tanquam Aaron; & [c] neminem posse legitime prædicare, nisi qui legitime mittatur; non quod immediate Christus iam amplius [d] vocet, & mittat operarios in vineam suam, vt fecit semel in Sanctis Apostolis; sed mediantibus iam ipsius Apostolis, eorumque successoribus; vt vere neque Episcopus sit, neque Episcopalem habeat potestatem, neque quicquam efficiat, nisi qui sit rite ab alijs Episcopis assumptus, & ministerio Ecclesiastico applicatus, cum vera, & legitima successione tali, vt ipsa ad Apostolos Sanctos recta analysi resoluatur; siue ad alios Episcopos, qui cum illis habuerint communionem, qui ad Apostolos suum recensum habent. Nemo igitur se verum, & legitimum in Ecclesia Christi ministrum putet, qui non sit verus & legitimus Apostolorum, modo dicto, successor, per veram, & legitimam ordinationem; hoc est vocationem, & missionem, per veros & legitimos Apostolorum successores assumptus, & plebibus præfectus.

b Heb. 5.

c Rom. 10.

d Matt. 20.

C

LVI. Exceptionem verò quam, vt audio, nonnulli apponunt, ego non possum admittere: contingere nimirum posse, & nostro tempore contigisse, vt nouos Apostolos quoque post illos primos; vel saltem eorum loco Euangelistas excitarit Deus: & talibus nuper opus fuisse asserunt, qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reducerent.] Vellent enim hoc pacto interruptam iam Apostolicam successionem, nouo ordine in suis Ecclesijs resarcire, & proprium Apostolatum tueri. Sed hoc mihi videtur esse plane intolerabile. Non quod Deus vt ante Christum prophetas, ita post Christum viros doctos, & pios subinde, opportunis temporibus, ad opitulandum suæ Ecclesiæ mirabiliter non excitarit, & excitet; sed quia ad hoc non opus habet vt quasi [e] translato Sacerdotio, etiam legis translatio fiat; sed manente eadem lege, eodem Euangelio, eadem Ecclesia, eademque in propagatione Ministrorum potestate, ab ipso Christo per Apostolos vsque ad consumationem sæculi, absq; vlla interruptione transfundenda; abusus & errores, si qui quando obrepserint, aut obrepant, optime potest auferre, excitato fortasse etiam puero Daniel, [f] qui contra insanos presbyteros, iudicij inducat in Christi Ecclesiam æquitatem: quod salua pace, & vnitate ipsius Ecclesiæ, potest ille efficere, [g] qui non in spiritu grandi, neque in commotione, neque in igne, sed in sibilo auræ tenuis, adesse solet, vt afflictam Ecclesiam consoletur. Admisso vero nouo ordine Apostolico, qui cum primis Domini Apostolis continuata serie, & successione non sit colligatus, fallaces Christi facimus promissiones, qui suis primis Apostolis se perpetuo, [h] vsque ad consummationem sæculi adfuturum, firma pollicitatione affirmauit. Igitur primorum Apostolorum successionem, absque interruptione in Ecclesia vniuersali, vsque ad consummationem sæculi duraturam, in Verbo Dei habemus stabilitum.

e Heb. 7.

f Dan. 13.

g 3. Reg. 19.

h Matth. 28.

D

E

LVII. Et sane si nouos Apostolos, siue Euangelistas, absq; nouis miraculis, & patentibus eiusdem Christi ac firmis reuelationibus, propria sola ipsorum assertione inductos, semel vt veros admittamus, schismatibus, & hæresibus omnibus, amplum aditũ in Ecclesiam Dei aperimus.

A mus. Quinis enim hæresiarcha, quem diabolus suscitaret etiam ad Euangelium extinguendum, nouam Antichristianam religionem inducendam, totamque Scripturam euertendam, posset hanc suam nouam à Deo prætexere excitationem. Nec haberet Ecclesia vllum Lydium lapidem ad probandam vocationem, & missionem talium Prophetarum extraordinariorum; cui à Christo Lydius lapis datus est legitimarum ab Apostolis successionum: Quo vsus est Cyprianus aduersus Nouatianum. [a] Nouatianus, *inquit*, in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ordinatus est: habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.] Atqui si licuisset Nouatiano dare exceptionem hanc nouam, in ipso nempe nouum cæpisse Apostolatum, vt Ecclesiam ab Antichristi defectione reduceret; ne hiscere quidem aduersus ipsum Cyprianus potuisset. [b] Sed cùm

B sit, *inquit*, à Christo vna Ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa, item Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam, & vbicunque coniunctam Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, humanam conetur Ecclesiam facere; & per plurimas ciuitates nouos Apostolos suos mittat, vt quædam recentia institutionis suæ fundamenta constituat; cumque iampridem per omnes Prouincias, & per vrbes singulas ordinati sint Episcopi, in ætate antiqui, in fide integri, in prælura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios pseudoepiscopos audeat, quasi possit aut totum orbem noui conatus obstinatione peragrare, aut Ecclesiastici corporis compaginem discordiæ suæ seminatione rescindere, nescius schismaticos semper inter initia sua seruere, incrementa verò habere non posse, nec augere quod illicitè cœperint, sed statim cum praua sua æmulatione deficere. Episcopatum autem tenere non posset, etiamsi Episcopus primus factus, a Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ v-

C nitate desciscceret; cùm Apostolus admoneat, vt inuicem nosmetipsos sustineamus, nec ab vnitate quam Deus constituit, recedamus; & dicat, [c] Sustinentes inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem Spiritus in coniunctione pacis.] Hactenus Cyprianus: Qui præclarè docet, Nouatianum, ipsiusque sectam esse penitùs extra Ecclesiam; primùm, quia in sua ordinatione successionem non habet ab Apostolis, cùm non sit ab ijs ordinatus; qui Apostolis succedentes potestatem etiam habeant Ministros alios ordinandi. Deinde licèt fuisset ab Episcopis Apostolorum successoribus prius ordinatus, & legitimus factus Episcopus cum dicta successione, cùm tamen à toto Ecclesiæ corpore, & à communione cum Episcopis eiusdem Ecclesiæ legitimis perperam desciuisset, adhuc tamen extra Christi Ecclesiam erit. Itaque Cyprianus Nouatianum ab Ecclesia ejicit duplici causa; altera est quia non habet in sua ordinatione ab Apostolis successionem: altera verò est, à priori diuersa,

D quia schisma fecerat, & ab Ecclesia Catholica malè desciuerat. Vt ergo aliquis, qui se pro Ministro Ecclesiastico gerit, verè Ecclesiasticus non sit, neque in Christi Ecclesia, facit defectus legitimæ ordinationis. Optatus quoque tractat egregiè hoc argumentum, & ex defectu Cathedræ, quam facit primam Ecclesiæ Christi dotem, Donatistas ab Ecclesia excludit, quia nimirum Cathedram, hoc est, potestatem Ecclesiasticam, per legitimas successiones ab Apostolis traditam Episcopis, neque acceperant, neque habebant. Vide illum omninò à nobis libro præcedenti capite 10. num. 18. prolatum.

Hoc genus argumenti à Cypriano, & verbo, & facto, admirabili prorsus cum sapientia agitati, totum concideret, si hæc exceptio, de nouis interdum excitatis à Deo Apostolis, siue Euangelistis, extra ordinem successionis ad primos Apostolos, locum haberet. Nouatianus enim idem dicebat verbo, & facto comprobabat, dum nouos Apostolos ipse etiam in diuersas partes legaret. Quia tamen ipse, & ipsius noua nouorum Apo-

E stolorum progenies, [d] extra palmitem Apostolicæ successionis, adulterinis surculis succrescebat, meritò totus [e] aruit; quia non habebat ex prima vite, quæ est Christus, humorem. Donatistæ etiam in Africa eadem sunt vsi olim exceptione, asserentes satis imperitè, totam Ecclesiam Christi in toto mundo periisse, & in sola Africa inter ipsos mansisse. Contra quos Augustinus ita pugnat. [f] Si, *inquit*, communione malorum pereunt iusti, iam Ecclesia temporibus Cypriani perierat. Vnde igitur extitit origo Donati? Vbi catechizatus est, vbi baptizatus, vbi ordinatus, quando iam Ecclesiam contagio communionis extinxerat? Si autem erat Ecclesia, nihil obesse mali bonis in vna communione potuerunt: quare vos separâstis?] Et totus ipsius planè aureus liber de vnitate Ecclesiæ contra Donatistas, in eo versatur, vt doceat, Ecclesiam Christi, prout prædictum fuit in Prophetis & Psalmis, per totum orbem esse diffusam, iuxta illud; [g] Oportet impleri

LVIII.

a *Cypr. lib. 4.*

b *Item ad Ant. lib. 4. epist. 2.*

c Ephes. 4.

d Iosu. 15.

e Luc. 8.

f *Aug. l. 2. de bapt. cont. Don. c. cap. 6.*

g Luc. 24.

pleri omnia quæ scripta sunt in lege, Moyse, & Prophetis, & Psalmis de me. Quomodo oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem] A

a Act. 1. [a Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudea, & Samaria, & vsque ad extremum terræ.] Quis iam ergo audebit Ecclesiam hanc coarctare in vnicum angulum, quasi ex tota terra perierit, & in sola Africa, vt volebant Donatistæ, neque tota, illa superfuerit, vbi iam nulla erat ab Apostolis successio, nulla cum primis Apostolis, eorumque successoribus colligatio? Qui labor Augustini inanis euaneſceret, si semel daremus licentiam Donatistis nouam Ecclesiam, a reliqua tota illorum temporum diuersam, per nouos Apostolos, & Euangelistas, à Deo extraordinariè excitatos, fundandi, & multiplicandi. Eodem modo Sectarij quicunque extra Catholicam nouas sectas inducentes, redderentur inuincibiles, si hoc insigne eripiatur Ecclesiæ telum, vnitatis, & vniuersitatis; quam vnitatem, & vniuersitatem tanquam nequaquam necessariam, vocatio hæc extraordinaria penitus infringit. Optimè enim Irenæus, [b] Quapropter, *inquit*, eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colligantur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ; vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes; aut rursus vt hypocritas, quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes.] Apparet igitur fuisse semper in Ecclesia validissimum, & irrefragabile argumentum ad hæreses cognoscendas, & profligandas, vbi non esset connexio Pastorum, doctrinam aliquam nouam proferentium, cum Apostolis, per legitimam successionem: secessionesque semper fuisse suspectas. B C

b Iren. l. 4. adu. hær. c. 43.

LIX. Ex Christi itaque institutione potestas ministros propagandi data est solis Apostolis, & Apostolorum successoribus, non plebi fidelium, vt est ostensum: neque confugium Grammaticale ex verbo χειροτονία, quicquam prodest, quasi significet, vt [c] quidam asserunt, populi suffragia, per elationem manuum: Ecclesiastici enim Scriptores vtuntur eo verbo pro ipsa manuum ordinantium impositione, vt constat ex tot locis in quibus fit Chirotonia, nemine ex populo præsente. Imò in ipsa Scriptura illa vox ponitur, vbi Christi electio suorum Apostolorum, qui futuri erant testes oculati ipsius Resurrectionis, significatur, illis verbis; [d] Sed testibus ab ipso præordinatis; (προκεχειροτονημένοις) nempe per ipsius Christi solius (certè sine populo) χειροτονίαν. Et [e] Hieronymus huius vocis interpretationem etiam pro ipsa ordinatione quæ fit vocis imprecatione, & manus impositione, & ponit, & admittit. Imò verò etiamsi populus esset præsens, & suo suffragio concurreret interdum in personam ordinandam, adhuc tamen solus ordinator, siue ordinatores, nimirum Apostoli, vel Episcopi, dicebantur χειροτονεῖν: Quod si suffragia illa populi manus in signum attollentis ordinarent, ipse populus, & non Episcopi dicerentur chirotonizasse. Eligat itaque quantum vult populus, & nulla sit ritè facta ordinatio, quæ inuito populo iam fideli celebretur, nisi tamen ordinatio ipsa proximè, & immediatè fiat ab Episcopo vero, & legitimo Apostolorum successore, Minister ordinatus legitimus esse non potest. Quod verò interdum Apostoli etiam, cum totius Ecclesiæ præsentia, & consensu ordinarent Ministros, quos postea in varias regiones legabant (nam & ille [f] cuius erat laus in Euangelio, ab Ecclesijs ordinatus datus est socius Paulo) hoc tamen neque in omnibus, & semper factum est; neque necessarium absolute erat, vt minister sufficientissimè diceretur ordinatus; vt iam satis ex hactenus explicatis habetur exploratum: & sequenti lib. 3. de eadem re rursus disputaturus hoc adhuc melius confirmabo. D E

c Bellar. l. 1. de Clerc. c. 7. & de Sacram. Ord. cap. 2.

d Act. 10.

e Hieron. in Isai. c. 58.

f 2. Cor. 8.

LX. Obijcere possunt illud Augustini dictum; [g] Pro Apostolis nati sunt tibi filij, constituti sunt Episcopi. Hodiè enim Episcopi qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum.] Ecce Ecclesia ipsa dicitur ab Augustino constituere Episcopos in sedibus Apostolorum: Stupidi tamen nimium erimus, si adeò stupidum putemus fuisse Augustinum, vt non agnouerit ex diuina, & non Ecclesiastica institutione Episcopos in Apostolorum locum succesſisse; & Apostolos ipsos à Christo habuisse instituendorum Episcoporum potestatem, non totam Ecclesiam. Quicquid verò & Apostoli, & Episcopi, & habuerunt, & fecerunt, ac faciunt, id totum Ecclesia ipsa dicitur habuisse, & fecisse, ac facere, nimirum per ipsius præsules. Explicabat igitur Augustinus illum Psalmi versiculum; Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes: debuitque ostendere in locum Patrum Apostolorum, Ecclesiam

g Aug. in Ps. 44.

A cleſiam ipſam genuiſſe filios, qui & ipſi fierent Patres, ſicut Apoſtoli fuerunt; & hoc in Epiſcopis verificari docet; qui & filij ſunt Eccleſiæ; in Eccleſia enim per baptiſmum nati, & ab Eccleſia educati, lacteque Eccleſiaſticæ doctrinæ imbuti, mox ab eadem Eccleſia, mediantibus videlicet prioribus tam ipſius Eccleſiæ Præſulibus, ipſi poſteriores, in ſedibus Apoſtolorum collocantur. Nam Eccleſia tota eligit, & proponit aliquem ex ſuis filijs, vt fiat Epiſcopus; ac ipſa eadem non amplius tota, ſed per ſuos Præſules, eundem ordinat, & inthronizat. * Epiſcoporum enim ordo, vt loquitur Epiphanius, Patrum generator eſt; Patres enim generat Eccleſiæ.] * Epiph. hær. 75.

CAP. III.

B

Epiſcopatum à Presbyteratu non parum diſcrepare.

SVMMA CAPITIS.

Tractationis huius quinque ſunt capita. num. 1.
Primum, Vocatio & collectio Diſcipulorum. num. 2. Atque ex eis duplicis ordinis ſeparatio, duodecim Apoſtolorum, & ſeptuaginta Diſcipulorum. num 3,4,5,6.
Secundum, Electio miniſtrorum diuerſi ſimiliter ordinis per Apoſtolos ex Chriſti inſtitutione facta, Epiſcoporum nimirum, & Presbyterorum. num. 7,8,9,10,11,12.
Tertium, diuerſitatem hanc ordinum Eccleſiam agnouiſſe, & expreſſiſſe. nu. 13,14,15,16,17.
Quartum, Munerum diuerſitatem, & praxis Eccleſiæ Epiſcopos præfert Presbyteris. num 18,19.
Quintum, Obiectiones ex Scriptura colliguntur. num. 20. Ex Patribus. num. 21,22,23,24,25, C *26,27,28. Soluuntur loca Scripturæ, à num. 29. ad nu. 40. Obiecta ex Patribus ſoluuntur, à nu. 41. ad nu. 51. Obiectio ex Concilijs quibuſdam proponitur, & ſoluitur num. 52,53,54.*
Corollarium ex dictis duplex; Alterum de Lino, Cleto, & Clemente Romanis Pontificibus, nu. 55,56,57,58,59,60,61. Alterum de duobus Anacletis, num. 62. ad finem.

I.

VT hæc quam proponimus enodetur quæſtio, quam Hieronymus noſtræ Dalmatiæ, & totius Chriſti Eccleſiæ decus, & ornamentum fecit celebrem, & cuius noſtra tempora, vel maxime ſolutionem requirunt, ante omnia in Chriſti Domini actiones ſunt mentis noſtræ oculi ſeriò defigendi, vbi ille miniſtros ſuos aut colligit, aut inſtruit, aut mittit. Tum verò diligenter perſpiciendum eſt, quid Apoſtoli fecerint in alijs miniſtris ſibi adlegendis. Ac demum quid Eccleſia Spiritu Chriſti recta, & gubernata, & ab Apoſtolis etiam inſtructa perpetuò in hoc ſenſerit, & inuiolabiliter etiam obſeruarit perquirendum eſt. Tum verò obiectiones ſoluendæ, ex hoc enim quintuplici capite, ſpero quæſtionis huius perfectam ſolutionem emerſuram. D

II.

Initio ſuæ manifeſtationis cum ad Ioannem ſuum præcurſorem ſubinde Dominus accederet, poſt [a] Baptiſmum etiam ab eo ſuſceptum, & poſt [b] quadragenarium in deſerto ieiunium, Ioannemque illum apud ſuos diſcipulos frequenter commendaret, primos Chriſti diſcipulos, vt illum ſequerentur ipſe Ioannes diſpoſuit: vna enim die ipſum Dominum ſuis diſcipulis demonſtrauit, ac dixit; [c] Ecce agnus Dei; tunc primum ipſe Dominus tres aſſequutus eſt diſcipulos: duos quidem qui Ioannis erant alumni, quorum vnus erat Andreas: tum verò Simonem Andreæ fratrem ab Andrea ad Chriſtum allectum. Altera die [d] Philippum ipſe Dominus vocauit, Philippus autem Nathanaelem inuitauit. Sed ne hos quidem tunc habuit omnes quinque ſibi penitus adhærentes, nam tres priores illo tantùm primo die cum Domino [e] manſerunt, ergo in proprias domos ad tempus redierunt. Et poſtea Petrus, & Andreas ad perfectam ſequelam ſunt à Chriſto [f] vocati: & nihilominus diſcipulos ſecum habuiſſe, antequam & hos duos Petrum & Andream, & alios ad perfectam ſequelam vocaſſet, certum eſt. Nam in Cana Galilææ vocatus eſt ipſe, & mater eius, & diſcipuli eius ad [g] nuptias, tertia die poſt vocatum Philippum & Nathanaelem. Habuit præterea Chriſtus in ſuo Comitatu, præter diſcipulos, fratres etiam ſuos, qui tamen diſcipuli non erant; nimirum quatuor illos Ioſephi filios, [h] Iacobum, Ioſen, Iudam, & Simonem. [i] Poſt hæc deſcendit Capharnaũ ipſe, & mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius.] Et paulò poſt aſcendit Hieroſolymam, certè cum aliquot diſcipulis; nam dum eiecit è templo negotiatores, [k] recordati ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt, Zelus, &c. [l] Poſt hæc venit

a Matth. 3. Marc. 1.
b Matth. 4. Marc. 1.
c Ioan. 1.
d Ioan. 1.
e Ioan 1.
f Matth. 4. Marc. 1. Luc 5.
g Ioan. 2.
h Marc. 6.
i Ioan. 2.
k Ioan 2.
l Ioan 3.

venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis; & * baptizabat, A
non per se, sed per discipulos hosce suos. Ille quidem docebat & euangelizabat, (quomodo
enim suum Christus daret baptismum, sine euangelizatione?) discipuli verò hi tunc pri-
mùm adhuc rudes, & nondum satis ad Euangelizandum instructi, verè adhuc discipuli,
nondum magistri, suum ministerium solummodo in baptizando, ita iubente Christo, ex-
ercebant; [f] nondum enim illos suos duodecim collegerat, neque vllum ex discipulis ad
Euangelizandum adhuc miserat, sed quos habebat discipulos, eos tantum apud se, vt disce-
rent, & testes oculati esse possent vitæ, & actionum ipsius, detinebat, eosque ad baptizan-
dum interdum adhibebat, mox ad Euangelizandum, & baptizandum tanquam magistros
emissurus. Horum discipulorum numerus in dies crescebat. Iam enim & [a] Pharisæi au-
dierunt quod Iesus plures discipulos facit, quàm Ioannes. Et tamen nondum vocati fue-
rant ad plenam Christi sequelam Petrus & Andreas fratres, neque Iacobus & Ioannes B
Zebedæi filij, neque Matthæus, vt in sua Concordia optime ponit Iansenius, dum histori-
am Euangelicam per sua tempora disponit egregiè. Postea enim duo illa fratrum paria,
bini & bini, vno eodemque die [b] vocati sunt è naui: & post hos [c] Matthæus.

III. Quando ergo iam opportunum visum est Domino, vt ex multis discipulis, quos sequa-
ces, & familiares habebat, aliquos iam perfectiores, & instructiores ad opus, & minister-
um applicaret, duplicem fecit ex ipsis electionem. Vnam ad numerum duodenarium: [d] Vo-
cauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.] Cum
verò de vocatione speciali sex Apostolorum huius duodenarij numeri, nimirum Iacobi
Alphæi, Thomæ, Bartholomæi, Thaddæi, Simonis Zelotæ, & Iudæ Iscariotæ nihil in
Scriptura habeamus, necesse est hos multitudini illi discipulorum, vel sponte, vel vocatos
fuisse iam aggregatos, ex qua multitudine postea duodecim sunt separati. Nisi velimus, C
quod mihi videtur fermè certum, Simonem Zeloten fuisse ipsum [e] Nathanaelem, cuius
vocatio specialis in Euangelio est celebris: nam & Simon hic Zelotes [f] Cananæus etiam
dictus est, à Cana Galileæ, non Chananæus. Atqui ex Cana Galileæ erat ipse Nathanael,
vt testatur [g] Ioannes, & ei Christus post resurrectionem apparuit, & simul cum aliquot
Apostolis ibidem numeratur. Et Liturgia [h] Aethiopica inter duodecim Apostolos Simo-
nem hunc recenset, sub nomine tamen Nathanaelis, vtpote binominem. Altera electio ex
eadem reliqua discipulorum multitudine fuit ad numerum septuaginta, seu vt habet vulga-
ta nostra editio, septuaginta duorum. [i] Posthæc autem designauit Dominus & alios sep-
tuaginta duos &c.]

IV. Hic iam igitur diligenter obseruandum est, non absque graui causa, duos ministrorum
ordines inter se diuersos, operi, & ministerio Christum Dominum, in prima illa Euangelij D
quamuis imperfecta & limitata promulgatione, adhibuisse. Et sanè duodecim illos Apo-
stolos iam sic proprie nominatos, firma & constanti electione ordinarios suos ministros
dum viuerent esse voluit, quibus Ecclesiam suam & committebat, & erat commissurus. Hos
verò septuaginta discipulos ad certum, & stabile aliquod talis numeri corpus non redegit;
sed suos præcursores esse voluit: [k] misit enim illos binos ante faciem suam in omnem ci-
uitatem, & locum quo erat ipse venturus.] Peracto verò hoc primo munere, postquam
reuersi sunt gaudentes, & lætantes in signis quæ fecerant, præsertim in dæmoniacis libe-
randis, non legimus eos amplius à Christo missos in ministerium verbi, neque nouam illis
fuisse replicatam commissionem cum extensione, sicut duodecim Apostolos scimus denuo
accepisse à Christo, post Resurrectionem, mandatum, & commissionem generalem sui A-
postolatus perpetui, & vniuersalis in vniuersum orbem. In prima enim illa missione duo- E
decim Apostolorum, dictum est illis, [l] In viam Gentium ne abieritis, neq; in ciuitates Sa-
maritanorum introieritis, sed potiùs, Ite ad oues quæ perierunt domus Israel. At postea
post resurrectionem solis vndecim (quia Iudas perierat) dixit, [m] Euntes, docete omnes gen-
tes. [n] Sicut misit me Pater. [o] Accipite Spiritum Sanctum, &c. Et de illis septuaginta nul-
lam amplius habemus mentionem in sacris literis, sub hoc præfixo numero, nisi sub com-
munissimo discipulorum nomine, qui erant plurimi.

V. Non defuerunt qui suspicati sint, non modo [p] Donatistæ olim, sed etiam nostri patres
grauissimi, [q] Epiphanius, [r] Ambrosius, & [s] Augustinus, hos 70. discipulos à Christo
defecisse. Et quidem Ambrosius, & Augustinus, necnon Donatistæ illos in numerum
reproborum collocant, penitusque faciunt Apostatas; at verò Epiphanius aliquos ad Chri-
stum redijsse censet: Hæc tamen defectio, præsertim cum totali Apostasia, & ipsorum
reprobatione, nullo modo videtur asserenda; siquidem his 70. discipulis à Christo ex-

* Ioan. 3. & 4.
a Ioan. 4.
b Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5.
c Matt. 9. Marc. 2.
d Luc. 6.
e Ioan. 1.
f Matth. 10.
g Ioan. 21.
h *Supra cap. 2. num. 22. huius.*
i Luc. 10.
k Luc. 10.
l Matt. 10.
m Matt. vlt.
n Ioan. 20.
o Ioan. 21.
p *Apud Aug. de vnit. Eccl. c. 12. & ep. 204.*
q *Epiph. her. 51.*
r *Ambr. in ep. ad Rom. 8.*
s *Aug. in psl. 98.*

A presse dictum sit; [a] Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Quibus verbis mihi eorum videtur manifesta prædestinatio contineri. Quapropter verum non potest esse hos 70. seu 72. Discipulos vnquam à Christi sequela, vel ad tempus defecisse; illi enim [b] multi, qui ex manducatione carnis Christi scandalo accepto recesserunt, & iam non cum illo ambulabant, quosque tanquam non credentes Christus perstrinxerat, non poterant esse ex his 70. quorum iam nomina scripta fuerant in cœlis; sed ex alia turba Discipulorum, in qua multi erant, qui illum ex curiositate potiùs, quam ex deuotione sequerentur. Et hos multos qui defecerant, non negabo cum Augustino, [c] abijsse post Sathanam, & omninò perditos fuisse; sed ex septuaginta illos fuisse nequaquam dixerim: Neque in hoc consenserim Augustino, sicut ille [d] Donatistis est assensus, & expresse [e] affirmauit. Neque mihi credibile videtur omnes Discipulos abijsse, quando ad suos 12 Dominus conuersus dixit;
B [f] Nunquid & vos vultis abire? cum illis enim, & non cum reliquis qui remanserant Discipulis agit, vt illos potissimùm firmaret, quibus mundi conuersionem reseruârat.

Itaque non propterea quod defecerint 70. negabo illis directam successionem per nostros Presbyteros; sed quia illos non tanquam stabile aliquod corpus illius numeri Christus instituerit, sicut stabile duodecim Apostolorum Collegium fecerat; vnde & in locum Iudæ, antequam illi aggrederentur munus Apostolicum, post resurrectionem ipsis commissum, [g] substituendus fuit Matthias, profectò ipsius Christi inspiratione, & in sortibus illis concursu: & quoad quisque eorum vixit, Apostolicum munus expresse sibi cum mandato generali commissum exercuit. Quam confirmationem, quodque mandatum, & generalem missionem, quia a Christo factam septuaginta duobus Discipulis non inuenio, neque possum affirmare in ipsis fuisse directè, proximè, & immediatè institutum ordinem presbyteralem, sicut in 12. Apostolis directè, & immediatè institutus est ordo Episcopalis.
C Quia tamen iam semel initio Christus duos diuersos ordines Discipulorum statuit, & ex innumerabili Discipulorum turba selegit, ac separauit, illisque solis duobus ordinibus totum ministerium plenum commisit, & non alijs, Apostolisque duodecim tanquam veris, proprijs, & ordinarijs suæ Ecclesiæ Ministris, plenam dedit potestatem, vt illi quoque possent, imò & deberent alios Ministros facere, & instituere; Sicut, *inquit*, misit me Pater, ita & ego mitto vos: Vt sicut ego à Patre habui potestatem eligendi Ministros, etiam diuersi ordinis, ita & vos pariter habeatis; Idcirco Apostoli ex ipso Christi facto instructi, quando post Ascensionem cœperunt Ministros autoritate sibi à Christo data seligere, & instituere, duos & illi similiter ordines Ministrorum instituebant; & hoc sanè iure diuino, hoc est, ex ipsamet Christi institutione. Sicut enim quando Eucharistiæ conficiendæ ipsis dabat potestatem, dixit eis; D [h] Hoc facite in meam commemorationem: Nimirum id quod me videtis nunc facere, & vos facite; hoc est, sumite panem, benedicite, frangite, & porrigite; similiter & vinum. Et consequenter Apostoli ex ipso facto Christi instructi, certè diuina Christi institutione dabant Eucharistiam: ita profectò acceptâ commissione ordinandi Ministros, per illa verba, Sicut misit me Pater, &c. ordinauerunt illos eo pacto, quo Christum ordinantem viderant, & obseruârant; videlicet sub duplici ordine, vt aliquos in proprium locum Apostolicum (exceptis priuilegijs illorum duodecim proprijs) cum plena potestate Apostolica ordinaria, hoc est, Episcopali ordinarent: Alios verò, ad [k] similitudinem septuaginta Discipulorum, tanquam Ministros inferiores, & secundi ordinis constituerent: sanè, vt dixi, iure diuino. Sic olim Deus voluit, vt Moyses figura Christi, haberet primùm [i] Principes tribuum 12. Deinde [k] septuaginta Seniores, qui in regimine populi essent adiumento. Et Paulus dicebat; E [l] Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, &c. Hic manifesta ponitur distinctio graduum per Christum facta; & certum est Apostolos primum locum tenere, siue in se, dum superstites erant; siue in suis successoribus, qui sunt Episcopi: post quos in inferiori gradu erunt alij ordines, quicunque illi sint, modò non sint Apostoli, nec Apostolorum proprium locum teneant.

Imò ante omnia, ne penitùs irrita esset illa Christi actio, qua 72. selegit, Apostoli sancti illos eosdem 72. Discipulos, vt verè perpetuos Christi asseclas, etiam post peractam primam illam missionem, quorum nomina iam fuerant in cœlis scripta, denuò vniuerunt post Christi Ascensionem, & socios sibi adsciuerunt, eorumque opera plurimùm vsi sunt: quod Patres & agnouerunt, & apertè sunt testati, etiam antiquissimi. [m] Clemens asserit Christum sui cognitionem Apostolis tradidisse, Apostolos autem postea 70. Discipulis.] Epiphanius post Ascensionem, non modò duodecim [n] Apostolos præcipuos Euangelij

a Luc. 10.
b Ioan. 6.
c *Aug. tract. 27. in Ioan.*
d *Aug. de vnit. Eccles. cap. 12. & conf. 104.*
e *Idem in Psa. 58 & Euthym. in Ioan. cap. 6.*
f Ioan. 6.

VI.

g Act. 1.

VII.

h Luc. 22.

* *Bellar. de Ro. Pont. li. 4 ca. 25.*

i Num. 1.
k Num. 11.
l 1. Cor. 12.

VIII.

m *Apud Euseb. lib. 2 cap. 1.*
n *Epiph. hær. 20.*

facit Præcones, sed etiam septuaginta Discipulos.] Chrysostomus etiam inclinat & ipse, illos [a] septuaginta, quos Christus selegerat, affuisse in illo numero [b] 120. fratrũ, qui electioni Matthiæ interfuerunt.] Theophylactus de illis 70. discipulis loquens, ait: [c] Palmæ sunt isti, qui nutriuntur, ac eruditur ab Apostolis. Nam quanquam Christus hos etiam elegit, erant tamen duodecim illis inferiores, & postea illorum discipuli, ac sectatores.] Ex his 70. discipulis plures sunt ab Apostolis facti similiter Apostoli generales (sumpto Apostoli nomine in latiori significatione) & alij Episcopi particulares, cum plena Episcopali, hoc est, Apostolica ordinaria potestate, vt de Iacobo fratre Domini affirmat [d] Eusebius, & de Marco [e] Epiphanius, & de alijs alij. Imò & Matthias in Apostolatum Iudæ suffectus, erat vnus ex 70. discipulis, vt affirmat Eusebius lib. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 1. Epiph. hæ. 20. Hieron de Scriptor. Eccles. in Matthia.

a Chrysl. hom. 3. in Acta Apost.
b Act. 1.
c Theophyl. in Luc. c. 10.
d Libro 2. c. 1.
e Hær. 51.

A

IX. Ordinabant igitur Apostoli, ex diuina Christi institutione, duplicis ordinis ministros, alios cum plena Apostolica ordinaria potestate, & hi erant Episcopi, verè ac propriè in hoc Apostolorum soli successores; alios verò inferioris ordinis, qui non in plenitudinem potestatis, sed in partem solicitudinis assumerentur, Presbyteros esse voluerunt. Ac quemadmodum, cum primum Christus huius duplicis ordinis discipulos selectos, suos fecit ministros, in officio, & munere, ac ministerio fermè fecit æquales; Apostolis enim dicit in prima illa missione, [f] Euntes prædicate dicentes; Quia appropinquauit regnum cœlorum; infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmones eijcite, gratis accepistis gratis date.] Septuaginta vero duobus ait: [g] Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculum, neque peram; curate infirmos, & dicite illis, appropinquauit in vos regnum Dei; Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit;] ita profectò Presbyteris Apostoli maximam partem muneris, & ministerij Apostolici, non minùs quàm Episcopis, committebant: hoc est plenam potestatem Euangelizandi, & Sacramenta ministrandi. Sicut enim vnicum est Euangelium, ita vnicum est Ministerium, & vnicum Sacerdotium, tam in Episcopis, quàm in Presbyteris; neque est vlla essentialis distinctio inter Episcopos, & Presbyteros, respectu ministerij; sicut neque essentialiter differebant 70. Discipuli à 12. Apostolis in eodem ministerio: Apostoli tamen erant à Christo primarij, & ordinarij ex æquo ministri instituti, quibus solis vndecim post resurrectionem, sed ante Ascensionem, & duobus, Matthiæ, & Paulo post Ascensionem, & non alijs, suæ Ecclesiæ & fundationem commisit ille, & regimen. Ita tamen vt ipsi possent munera omnia ministerialia quibusdam inferioris ordinis ministris committere; regiminis tamen Ecclesiastici, seu Ecclesiasticæ propriæ iurisdictionis potestatem, in ordinandis ipsis ministris, & Ecclesijs [h] disponendis, sibi, & successoribus Episcopis reseruarent. Sicut Christus Dominus duodecim elegit proprios, & ordinarios suos ministros, quibus quasi in auxilium, & adiumentum etiam 70. addidit discipulos, quibus tamen regimen, & Ecclesiarum dispositionem non erat ipse commissurus. Nam propterea solis Apostolis, non item his discipulis dixit, [i] Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. In hoc nobiscum consentit Bellarminus, ait enim, [k] Nam constat Christum, à quo Ecclesia noui testamenti cœpit, duodecim Apostolos tantum elegisse Episcopos, & Sacerdotes, & eis commisisse omnem autoritatem pascendi, & gubernandi Ecclesiam.] Sed de hac Ecclesiastica potestate tam Episcoporum, quàm Presbyterorum, erit nobis pluribus lib. 5. differendum.

f Matth. 10.
g Luc. 10.
h 1. Cor. 11.
i Ioan 20.
k Bellar. l. 4. de Eccles. c. 8.

B C D

X. Quod si quæras, vndenam constet Apostolos quibusdam totam suam plenam Apostolicam ordinariam, hoc est Episcopalem potestatem communicasse; quibusdam verò non nisi partem, & solos Presbyteros fecisse; [l] Respondeo id in primis patere ex eo quòd, facta persecutione prima Hierosolymitana, quando Stephanus protomartyr est lapidibus obrutus, quando dispersi sunt discipuli omnes per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apostolos, qui dispersi erant pertranſibant Euangelizantes Verbum.] Euangelizabant profectò, quia habebant autoritatem, & consequenter iam ordinati erant, & facti ministri verbi. [m] Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur] Episcopi autem propriè dicti non erant, quia nulli sedi ab Apostolis alligati. Sed neque erant Apostoli, cum potestate vniuersali excurrendi ad Euangelizandum, quia ad hoc non mittebantur, sed illi persecutione compulsi de loco ad locum fugiebant. Ergo erant presbyteri, qui ratione ordinis Presbyteralis iam susceperant, missi in genere, seu in actu primo erant; ex dispersione verò occasione susceptæ, in actum secundum suæ missionis exibant. Propterea igitur [n] Philippus, non Apostolus, sed discipulus, & Presbyter, simul etiam Diaconus, &

l Act. 8.
m Rom. 10.
n Act. 8.

E

ab

A ab Apostolis non nisi vt presbyter [a] missus, autor fuit vt Samaria reciperet verbum Dei. Nam quia neque Apostolus, neque Episcopus erat, qui posset ibi Ecclesias fundare, ordinare, & instituere, necesse fuit vt Apostoli eo legarent Petrum, & Ioannem, qui manus imponerent, ac Spiritum sanctum darent baptizatis à Philippo: & Ecclesias ibi constituerent.

[a] Cypr. ad Iubaia.

XI.

Ita eiusdem dispersionis fideles discipuli, qui erant Presbyteri, Antiochiam quoque Euangelium detulerunt. [b] Et illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam; nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cùm introijssent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum, & erat manus Domini cum eis.] Id cùm audierunt Apostoli qui erant Hierosolymis,

[b] Act. 11.

B misserunt Barnabam, profectò tanquam Episcopum, non amplius vt solummodo Presbyterum, vt ipse iam tanquam Apostolus, & Episcopus, illius Ecclesiæ fundationi vacaret, cui fundandæ, & instituendæ, primi illi prædicatores profectò Presbyteri non erant idonei, quia Episcopi non erant. Idem Paulus in [c] Ephesina Ecclesia Timotheum tanquam Episcopum agnoscit, cui Presbyteros illius Ecclesiæ subijcit: [d] Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.] Ordinatio ergo Timothei fuit in Episcopum; ordinatio verò Presbyterorum fuit inferior ordinatione Episcopi, & sanè vtraque ab Apostolis facta. Quod autem Timotheum eundem Paulus monuerat,

[c] 1. Tim. 1.
[d] 1. Tim. 5.

[e] Seniorem ne increparet, sed moneret vt patrem, non est contrarium autoritati illi Episcopali, qua accusationes contra Presbyteros audire ille poterat, sanè & corripere: Sed Chry-

[e] 1. Tim. 5.

C sostomus id de [f] senibus ætate, non de Presbyteris intelligit. Ego verò puto Paulum non autoritatem minuere, sed modum increpandi etiam Presbyteros, præsertim verò ætate seniores, præscribere; vt non amarè, & cum iuuenili nimio ardore quemquam cuiuscunque conditionis, sed cum benignitate simul ac caritate, sine typho imperantis, argueret, & moneret. Titum Paulus quoque ordinauit Episcopum totius Cretæ, cum Apostolica ordinaria potestate, vt posset etiam Episcopos alios in vrbibus illius Insulæ constituere, ac multo magis Presbyteros. Episcopalem verò potestatem explicat Paulus, dicens; [g] Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.] Quæ sane potestas in Presbyteris non erat, quatenus Presbyter significat ordinem Episcopo inferiorem.

[f] Chrysost. hom. 13. in 1. Tim.

[g] Tit. 1.

XII.

Episcopos porrò veros, & proprios, qui videlicet singuli suis Ecclesijs præessent eodem modo, quo nunc præsunt qui legitimè præsunt, fuisse adhuc Apostolorum tempore, non

D modo ex iam dictis probamus, sed etiam ex eo quod Ioannes Euangelista ad Angelos singulos singularum [h] Ecclesiarum Asiæ, increpationes suas, & Prophetias destinârit; nimirum, vt communis est tententia, ad earum Episcopos. Erant igitur Episcopi singuli in singulis Ecclesijs, qui ijs præessent. Scribit verò etiam Hieronymus, à Marci temporibus, [i] Alexandriæ in more fuisse, vt Presbyteri illius Ecclesiæ vnum ex se electum sibi præficerent, quem Episcopum nominabant. Iam ergo Marci, hoc est Apostolorum temporibus, Episcopi erant supra Presbyteros. Scribit etiam idem Hieronymus [k] Iacobum fratrem Domini, statim post Christi ascensionem, factum esse Hierosolymorum Episcopum. Igitur in illis initijs erant Episcopi, & sanè cum vera superioritate, & præeminentia supra Presbyteros; Nam in Concilio [l] Hierosolymitano aderant Apostoli, aderant & Presbyteri, non modo qui essent veri Episcopi, sed etiam alij minores, veri tantùm Presbyteri; & tamen Iacobus dat vltimas definitiones, qui tamen non erat Apostolus ex duodecim, vt

[h] Apoc. 1. 2. 3.
[i] Hieron. ep. 85. ad Euagr.
[k] Idē de Script. Eccl. in Iacobo.
[l] Act. 15.

E cap. præcedenti probaui. Hæc igitur Iacopi prælatio inde erat, quòd ipse esset Hierosolymorum verus, & proprius Episcopus. Itaque temporibus adhuc Apostolorum iam Episcopi propriè dicti regebant Ecclesias. Ignatius, & Tertullianus, vt paulò post videbimus, Episcoporum vt Presbyterij superiorum meminerunt. Et antiqui plures Patres Ecclesiasticæque historiæ, Eusebij præsertim, passim præcipuarum Ecclesiarum primos Episcopos, immediatè ipsis Apostolis subnectunt. Semper ergo à suis primordijs Ecclesia Christi per Episcopos est gubernata.

XIII.

Vidimus quid Christus instituerit; vidimus quid Apostoli fecerint, & exercuerint circa Ministrorum electionem, & ordinationem; superest vt videamus quid Ecclesia senserit, & continuata praxi obseruarit. Canon vnus ex illis qui dicuntur Apostolici, certè antiquus, ita habet. [m] Presbyteri, & Diaconi, sine sententia Episcopi nihil perficiant. ipse enim est, cuius fidei populus est creditus, & à quo pro animabus ratio exigetur.] Clemens

[m] Can. Apost. 38.

in epistola prima ad Iacobum fratrem Domini, distinctionem expressam poscit, ex Christi institutione, inter Episcopum, & Presbyterum. Idem facit Anacletus in 1. & 3. quæ ipsi tribuuntur epistolis: Sed has epistolas, vt dubiæ fidei, non admodum vrgeo. A

XIV. Ignatius Martyr Trallianos ita hortatur; Episcopo subiecti estote, velut Domino. Quid enim aliud est Episcopus, quàm is qui omni principatu, & potestate superior est, & quoad homini licet, pro viribus imitator Christi Dei factus? Quid verò Sacerdotium aliud est quam sacer cœtus, consiliarij, & assessores Episcopi?] Et ibidem; Episcopus, *inquit*, typum Dei Patris omnium gerit; Presbyteri verò sunt consessus quidam, & coniunctus Apostolorum cœtus.] Solet Ignatius Presbyteros interdum Apostolis comparare, sed tunc Apostolos non considerat vt primum, & supremum gradum ministrorum in Ecclesia, sed secundum, post Deum, & post Christum; & tunc Episcopum vult locum Dei, & Christi Domini sustinere, sicut quando dixit in eadem epistola, sed & Presbyteris subiecti B estote vt Christi Apostolis.] Præmiserat verò, Episcopo subiecti estote velut Domino nimirum Christo. Scribit & illud idem Ignatius. [a] Decet vos accedere sententiæ Episcopi, qui secundum Deum vos pascit, quemadmodum & facitis edocti à Spiritu: nam memorabile Sacerdotum vestrorum collegium dignum Deo coaptatum, est consentitq; Episcopo.] Simile aliquid habet etiam [b] Origenes. Illud quoque scripsit Ignatius, [c] Boni sunt Sacerdotes sermonisque ministri, præstantior est Pontifex, cui sancta sanctorum, & secreta Dei credita sunt.] Idem ad Smyrn. Laici Diaconis subijciantur; Diaconi Presbyteris; Presbyteri Episcopo; Episcopus Christo, vt ipse Patri.] Tertullianus de ministro baptismi differens ait, [d] Dandi quidem habet ius summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi autoritate, propter Ecclesiæ honorem. Opusculum, quod dicitur Dionysij Areopagitæ de Ecclesiastica hierarchia, sæpe distinguit C hos ordines Presbyteratus & Episcopatus. Est igitur Pontificatus, inquit, ordo, qui perficiente vi præditus munera hierarchiæ, quæ perficiunt, secretus à cæteris, ac cum delectu exequitur, sacrorumque disciplinam interpretando tradit, sanctumque & consentaneum eorum statum atque vim docet. Sacerdotum autem ordo qui ad lucem deducit, spectatum diuina mysteria introducit eos, qui initiantur, subiectus Pontificum ordini, & cum eo propria, suaque munera exequitur. Atque in ijs quidem quæ facit diuina opera sanctissimis signis & Sacramentis ostendit, spectatoresque eos, qui accedunt, efficit, & in sanctorum mysteriorum societatem, communionemque admittit: sed ad Pontificem remittit eos, qui disciplinæ mysteriorum, quæ adspexerunt, cupiditate ducantur. Demonstratum est igitur Pontificum quidem ordinem vim perficiendi habere, atque re perficere: Sacerdotum autem illustrandi vim habere, atque lucem afferre.] Qui duo actus hierarchici cùm in- D ter se differant plurimum, etiam ordines ipsos quorum actus sunt differre inter se est necesse.

XV. Damasus in eo totus est vt duos distinctos ordines in Ecclesia institutione Christi, agnoscat; [e] Episcoporum qui Apostolorum locum teneant, & Presbyterorum qui in locum septuaginta duorum discipulorum successerint. Idem habet [f] Leo ad verbum ex Damaso repetitum. Idem [g] Ioannes tertius. Et ante omnes concilium Neocæsariense [h] Chorepiscopos, hoc est Presbyteros ad similitudinem septuaginta factos esse affirmat.

XVI. Ambrosius iissensiones Corinthiacas occasione cœnæ Dominicæ suscitari ibi solitas inde profectas exponit, quod nondum esset ibi constitutus Ecclesiæ Rector, hoc est Episcopus, sed ad cuiusque Presbyteri aduentum munerum fieret oblatio, & sic oriebantur schismata, quia non se inuicem expectabant, vt omnium simul munera vnica omnibus E communi benedicerentur oblatione. Atque de Paulo sic loquitur, [i] Hos notat, qui sic in Ecclesiam conueniebant, vt munera sua offerentes, aduenientibus Presbyteris, quia adhuc rectores Ecclesijs non omnibus locis fuerant constituti, totum sibi, qui obtulerat, vendicaret schismatis causa.] Clariora habet Ambrosius, alio loco, vbi ait, [k] Apostoli ergo sunt fontes, qui totius terræ faciem doctrinæ suæ flumine rigauerunt, & fatigatis gentium populis potum diuini mysterij propinarunt. [l] Septuaginta autem palmas iuxta fontes Apostolicos generatas septuaginta illos discipulos dixerim, qui secundo ab Apostolis gradu, propter salutem hominum à Domino diriguntur; quos Lucas Euangelista describens, [m] binos & binos asserit destinatos: qui vere, velut palmæ, post curas hominum cum exultatione redeuntes, gloriantur apud Dominum sibi & Dæmonia esse subiecta. Rectè igitur comparantur palmis, qui palmarum præmio Diaboli extitere victores.] His similia habet & Hieronymus, vbi duodecim hos fontes explicat allegoricè illis verbis, [n] Nec dubium, quin de duodecim

a *Ignat. epist. ad Ephes.*

b *Orig. tract. 4. in Matth.*

c *Ignat. epist. ad Philadelph.*

d *Tertull. de Baptismo.*

e *Damas. epist.*

f *Leo epist. 92.*

g *Ioan. epist. ad Episc. Germ.*

h *Concil. Neocæs. c. 12.*

i *Ambr. in 1. Cor. c. 11.*

k *Ambr. ser. 24. qui est 2. de quadrag.*

l *Exod. 15.*

m *Luc. 10.*

n *Hieron. ad Fabiolam de 42. mansionibus.*

A duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus aquæ deriuatæ totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmæ, quas & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores; Luca Euangelista testante duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta Discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Dominus præmittebat.] Sentit ergo Hieronymus Apostolos tunc, quando irrigabant totius mundi siccitatem, nimirum post Christi Ascensionem, habuisse iuxta se illas septuaginta palmas, id est, illos septuaginta Discipulos inferioris ordinis sub ordine Apostolorum. Eandem Allegoriam ante Hieronymum, & Ambrosium, tractauit [a] Tertullianus.

Epiphanius hæresim fuisse [b] Aërianorum recenset, & confutat, ea occasione exortam, quòd Aërius, cùm esset ambitiosus Presbyter, nec potuerit ascendere ad Episcopatum, vt se consolaretur confinxit, & primus excogitauit Presbyterum nihil esse Episcopo inferiorem. Quam hæresim similiter ponit etiam [c] Augustinus; Summam verò necessitatem Episcoporum in Ecclesia explicuit Hieronymus illis verbis; [d] Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot Sacerdotes.] Effectus hic in Ecclesijs reformatis, quæ Episcopatus aboleuerunt, est notissimus.

B

Est porrò perpetua, & constans Ecclesiæ praxis, & consuetudo ab ipsius incunabulis, vt multa possint Episcopi, quæ Presbyteri non possunt, quæque Præsbyteris nunquam licuisse constet. Damasus de Chorepiscopis, quos in solo Presbyterorum ordine collocat, ait; [e] Quod verò eis non liceat Sacerdotes consecrare, nec Diaconos, aut Sub-diaconos, nec Virgines, nec altare erigere, nec vngere, aut sacrare, nec Ecclesias dedicare, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in Missa quenquam pœnitentem reconciliare, nec formatas Epistolas mittere, nec populum benedicere, nec ante Episcopum in baptisterio, aut in sacrario introire, nec præsente Episcopo infantem tingere, aut signare, nec pœnitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare, nec eo præsente, nisi illo iubente, Sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere, aut salutare, nec plebem exhortari. Quæ omnia solis Pontificibus deberi tam ex superioribus, quam ex alijs Patrum constitutis, aut sacris Canonibus edocti estis.] Multa coniecit Damasus quæ Presbyteris non liceant, & ad solos pertineant Episcopos, fatetur tamen etiam ipse non hæc omnia iure diuino in sola Episcopali esse potestate, sed multa ex his solo iure humano Ecclesiastico Presbyteris esse inhibita, vt à solis Episcopis exerceantur. Quod tamen spectat & ad regimen Ecclesiæ, & ad manus impositiones tum pro baptizatorum confirmatione, Spiritusque Sancti traditione, tum pro Ministrorum ordinatione, ipso diuino iure, & Christi institutione ad solos Apostolos, & consequenter ad solos Episcopos Apostolorum plenos successores spectare, & Damasus obseruauit, & Ecclesia sancta plene agnouit, & facto ipso est professa. Sanè Damasus illud habet; Quicquid enim inter Episcopos aut de rebus ad eos solummodò pertinentibus egerint, (*Chorepiscopi*) necesse est vt irritum fiat, quia quod non habent, dare nequaquam possunt, præsertim cùm nullum ex septuaginta Discipulis, quorum speciē isti antequam prohiberentur, in Ecclesia gerebant, nil de hoc, quod Apostolis, eorumque successoribus specialiter debebatur, legitur assumpsisse. Quod autem solis Apostolis, eorumque successoribus proprij sit officij tradere Spiritum Sanctum, liber [f] Actuum Apostolorum docet; præsertim cùm nullus ex septuaginta Discipulis, quorum isti in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum Sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse.] Hæc totidem fermè verbis in quodam [g] fragmento vnius Epistolæ Leonis Papæ repetuntur, quæ plurimus Damasus in hac sua Epistola est persecutus. Epiphanius quoque in eo insistit, quòd Episcopus [h] Patres generat, Presbyter non nisi filios.] Hieronymus etiam solam Ministrorum ordinationem aufert Presbyteris, & dat Episcopis; [i] Quid facit, *inquit*, Episcopus, excepta ordinatione, quòd Presbyter non faciat?]

C

D

E

De iurisdictione autem in regenda Ecclesia, quæ propriè spectet ad Episcopos, siue in potestate clauium, & excommunicationis; siue in dogmatibus fidei examinandis, & definiendis, siue in Canonum promulgatione, ac dispensatione; siue in iudicijs Ecclesiasticis pertractandis; siue in bonis externis administrandis; siue in beneficijs conferendis; siue in potestate Ecclesiastica in similibus exercenda, agam fusè in libris consequentibus: in quibus pomeridiana luce clarius apparebit proprium Ecclesiasticum regimen penes Episcopos semper resedisse, quos semper Ecclesia tanquam proprios, & veros Apostolorum successores est venerata; vt in primo quoque huius libri capite est ostensum. Nam quod interdum apud

a *Tertul. li. 4. adu. Mar.*

XVII.

b *Epiph. hæres. 75.*

c *Aug. de hæres. hær. 53.*

d *Hieron. adu. Lucif.*

XVIII.

e *Damas. Ep. 5.*

f *Act. 8.*

g *Leo Epist. 92.*

h *Epiph. hæres. 75.*

i *Hieron. Epist. 85. ad Euagr.*

XIX.

Patres, etiam Presbyteros videamus Apostolorum successores nominari, intelligimus duntaxat Presbyteros etiã omnia Apost. munera essentialia, ordinariaque, non minus quam Episcopos vi ordinis sui exercere; nõ tamen accidentalia. Essentialia intelligo munera Apost. quæ sunt ipsis tanquã ministris Euangelij directè, & per se, ac expresse a Christo commissa: Accidentalia verò, quæ essent extra hoc ministerium, & ipsi ministerio adiuentitia, ac superaddita, Ecclesiæ tamen necessaria; non ad ipsius fundationem, sed ad decorum, & conseruationem. Vt quando in Academijs creatur quis Doctor, huic essentiale est vt possit iam docere, Cathedras tenere, iura interpretari, &c. At verò si præterea detur ei facultas, vt possit & ipse alios doctores creare, hoc profectò doctori, vt doctor, est accidentale; quod tamen accidentale, respectu ipsius doctoratus verè accidentale est, at respectu creationis aliorum doctorum per ipsum, est essentiale. Ita ista accidentalia Apostolis vt ministris sunt accidentalia, at verò vt sunt ordinatores, sunt eis essentialia. Et ita Episcopi quatenus ministri ijdem sunt cum presbyteris: At verò vt ordinatores sunt, & Rectores, à Presbyteris differunt essentialiter, per id tamen quod ministerio est tantùm accidentale. Ideò ait Hieronymus, [a] Episcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum.] Et ad Heliodorum scribens, [b] Sacerdotes qui ore suo corporis Christi conficiunt Sacramentum, Apostolico gradui, ait, succedere. Eadem de causa Ignatius [c] Presbyteros vocat cœtum Apostolorum. Et Chrysostomus, [d] Sacerdotes omnes Vicarios Christi esse asserit. Omnes enim sunt operarii Christi.

a *Hieron. ep.* 13

b *Idem ep.* 1.
c *Ignat. ep.* 2. & *ep.* 7.
d *Chrys. Hom.* 47. *in Matth.*

XX.

Habemus nihilominus contra nos aliquot Sacræ Scripturæ loca, quæ vix vllam videntur pati inter Episcopum & Presbyterum distinctionem, quibusque nixus Hieronymus accerrimus inter Episcopum, & Presbyterum paritatis assertor fuit, & propugnator. Ac primum occurrit nobis locus vbi Paulus, & Barnabas segregati iussu Spiritus Sancti multas fundârunt Ecclesias, quæ ne sine Pastoribus remanerent, cum ipsis incumberet onus transcurrendi per ciuitates, & prouincias, & spargendi in nationes Christi Euangelium, [e] constituebant, inquit Lucas, illis per singulas Ecclesias Presbyteros.] At hi Presbyteri qui Ecclesijs singulis præficiebantur, quid aliud sunt nisi Episcopi? 2. Ad tedandam seditionem Antiochenam, quam commouerant Iudæi conuersi, circumcisionem, & legalia seruanda esse adhuc contendentes, Idem Paulus, & Barnabas legati proficiscuntur in Hierusalem [f] ad Apostolos, & Presbyteros; & super illa quæstione fit Concilium, in quo non minus Presbyteri quàm etiam Apostoli, et locum habent, & ius suffragij, & exit rescriptum sub eo titulo; Apostoli, & Presbyteri (*hoc enim sunt seniores fratres*) Habitis verò Conciliaribus decretis, quid faciebat Paulus? [g] Perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Presbyterorum, siue seniorum.] [h] Et cum pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Presbyteris, seu senioribus, qui erant Hierosolymis.] Vnicum ergo, & idem corpus conflabatur ex Apostolis, & Presbyteris; hoc est, ex illis omnibus qui erant ad ministerium assumpti. Igitur illi multi Presbyteri qui erant Hierosolymis, quandoquidem simul cum Apostolis Synodalia conficiunt decreta, erant plenè Episcopi, & simul cum Apostolis Ecclesiam gubernabant. 3. [i] A Mileto accersit ad se Paulus Presbyteros qui erant Ephesi (*ij sunt Maiores natu Ecclesiæ*) habet ad eos concionem, & inter alia ait; Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit suanguine suo] Vocauerat Presbyteros, & sanè plures eiusdem ciuitatis, & eos omnes, non modo nomine vocat Episcopos, sed re ipsa docet ex munere quod ipsis imminebat, eos omnes fuisse Episcopos, qui regerent Ecclesiam Dei. 4. [k] Corinthiaca Ecclesia si vnicum habuisset Episcopum, & plures Presbyteros illo Episcopo inferiores: dicam melius; si Corinthiacæ Ecclesiæ ministri, & Rectores, non fuissent omnes in potestate pares, sed vnus Episcopus, reliqui Presbyteri, non pullulassent schismata illa, vt alij dicerent se esse Apollo, alij Pauli, alij Cephæ: exemplificauit enim in his tribus, sed procul dubio intelligebat de multis alijs Presbyteris, qui in illa Ecclesia spiritualia regebant, quique consequuntur omnes erant Episcopi. 5. Scribit Paulus ad [l] Philippenses; Omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & diaconibus, gratia, &c.] Cur prætermisit Presbyteros? Quia illi sunt Episcopi. Cur dicit, cum Episcopis, & ad vnicam scribit Ecclesiã, nisi quia omnes Presbyteri erant Episcopi? 6. Timotheus ordinatus fuit à Paulo, procul dubio Episcopus, [m] Per manus tamen Presbyterij; vbi significantur plures Presbyteri

e Act. 14.
f Act. 15.
g Act. 15.
h Act. 16.
i Act. 20.
k 1. Co. 1.
l Philip. 1.
m 1 Tim. 4. & 2. Tim. 1.

A teri manus Timotheo imposuisse. Presbyteri autẽ Episcopum non creant nisi sint Episcopi.

7. [a] Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeãtur.] Loquitur igitur Paulus de Episcopis: nam Episcoporũ est præesse. Et quia de illis loquitur qui erant Ephesi; Omnes ergo Presbyteri, simul cũ Timotheo, erant eiusdẽ Ecclesiæ Episcopi. 8. Titus [b] Presbyteros creat per ciuitates Cretæ: quis dubitat illos esse Episcopos? nonne de his ipsis Presbyteris statim subdit Paulus, Oportet enim Episcopum sine crimine esse, &c? 9. Petrus alloquitur Presbyteros (*hoc sunt* [c] *Seniores*) & seipsum compresbyterum vocat: qui ergo Presbyter Petrus erat, erant & illi. Et dum dicit, Pascite qui in vobis est gregem, agnoscit Episcopos tales, qualis erat ipse, cui dictum est à Christo, [d] Pasce oues meas. 10. Ioannes Apostolus [e] Seniorem, hoc est Presbyterum se vocat & ipse. Et in quadam Ecclesia ad quam scribit ipse Ioannes, erant multi Presbyteri, æque Episcopi; in qua tamen [f] Diotrephes B ambitiosus, & in ipsum Ioannem procax, Primatum gerere volebat. Nondum igitur erant Episcopi supra Presbyteros constituti. 11. [g] Obedite Præpositis vestris, ait Paulus: Non ergo vnus, sed plures erant eiusdem Ecclesiæ Rectores. Hæc ex verbo Dei vrget ferme Hieronymus. Accedamus ad Patres.

a 1. Tim. 5.
b Tit. 1.
c 1. Pet. 5.
d Ioan. 21.
e Ioan. Epist. 2. & 3.
f Io. Epist. 3.
g Heb. 13.

Ignatius ita scribit, [h] Nihil sine Episcopis facito: Sacerdotes enim sunt, tu verò Sacerdotum minister; baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt; tu verò illis ministras, vt sanctus ille Stephanus Iacobo, & Presbyteris, qui erant Hierosolymis.] Hero Diaconus erat vnius particularis Ecclesiæ, nempe Antiochenæ; Ignatius etiam Episcopus eiusdem Ecclesiæ aberat, & tamen scribit vt nihil ille faciat sine Episcopis. Erant ergo in eadem Ecclesia, præter Ignatium, alij quoq; & plures Episcopi; quos fuisse veros Episcopos cognosce ex eo, quod & eligunt, hoc est ordinant, & manus imponunt. Et quia Stephanus dicitur Diaconus & Iacobi, & reliquorum Presbyterorum Hierosolymitanorum, C æque ergo illi erant Episcopi atque Iacobus.

XXI.
h *Ignat epist. ad Heron. diac.*

[i] Irenæus; Cum autem, *inquit*, ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos qui aduersantur traditioni, dicent se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram inuenisse veritatem.] Presbyteri ergo sunt apud Irenæum illi, qui succedunt Apostolis; hi verò sunt Episcopi. Idem repetit postea, & ait, [k] Quapropter eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt.] In omnibus ergo Presbyteris vnicum, & eundẽ ordinem Episcopatus, & cognoscit, & confundit Irenæus Tertull. sic loquitur; [l] Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua? &c.] Cur prætermisit Presbyterũ? Quia Presbyter est Episcopus.

XXII.
i *Iren. l. 3. adu. Hær. c. 3.*
k *Idem l. 4. c. 43.*
l *Tertull. de præscrip*

D Origenes etiam Presbyterum cum Episcopo confundit, ait enim; [m] Cùm ergo dicit sponsus, Tigna domorum nostrarum Cedri, intelligere debemus Cedros Dei esse eos, qui Ecclesiam contegunt, & esse aliquos horum validiores qui trabes appellantur. Et puto quod conuenienter hi, qui Episcopatum bene ministrant in Ecclesia trabes dici possunt, quibus sustentatur, & tegitur omne ædificium, vel ab imbrium labe, vel ardoribus Solis. Secundo autem horum loco tigna Presbyteros opinor appellari.] Cùm ergo æque tigna sint Presbyteri, & trabes, atque Episcopi, vnus & idem ordo erunt, secundum Origenem. Qui etiam illud habet, [n] Episcopi autem, & Presbyteri, quibus creditæ sunt Cathedræ, qui tradunt Ecclesias quibus non oportet, & constituunt Principes (*hoc est Episcopos*) quos constituere non expedit, ipsi sunt qui vendunt columbas, quorum Cathedras Christus euertit.] Ecce etiam Presbyteri possident Cathedras, & Ecclesias tradunt.

XXIII.
m *Origen. hom. 3. in Cant.*
n *Idem tract. 16. in Matt.*

E Hieronymus omnium clarissime loquitur, & eundem esse ordinem Episcopi ac Presbyteri sæpe dicit, & probat, & totis viribus contendit. Sanè in Epist ad Heliodorum miscet in vnum munera omnia Sacerdotalia, & Episcopalia, tanquam ad vnicum, & eundem ordinem pertinentia. Et alibi ita scribit; [o] In vtraque Epistola (*Pauli ad Timotheum, & ad Titum*) siue Episcopi, siue Presbyteri, quanquam apud veteres ijdem Episcopi ac Presbyteri fuerint, quia illud nomen dignitatis est, hoc ætatis, iubentur monogami in Clerum eligi.] Fusè & ex professo rem tractat Epistola peculiari; [p] Audio quendam, *inquit*, in tantam erupisse vecordiam, vt Diaconos Presbyteris, id est Episcopis anteferret: nam cum Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos, quis patiatur mensarum, & viduarum minister, vt supra eos se tumidus efferat. ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur? Quæris autoritatem? Audi testimonium: [q] Paulus, & Timotheus serui Christi Iesu, omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconis.

XXIV.
o *Hieron. Oceano. ep. 83.*
p *Idem Euagrio ep. 85.*
q *Philip. 1.*

Vis

Vis & aliud? In Actibus Apostolorum ad vnius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur; A
a Act.20. [a] Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, vt regeretis Ecclesiam Domini, quam acquisiuit sanguine suo. Ac ne quis contentiose in vna Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur eundem esse Episcopum, atque Presbyterum; b Propter hoc reliqui te Cretæ, vt quæ deerant corrigeres, & constitueres Presbyteros per ciuitates, &c. Oportet enim Episcopum sine crimine esse &c. Et ad Timotheum, c Noli negligere gratiam quæ in te est per impositionem manuum Presbyterij. Sed & Petrus, d Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter, & testis passionum Christi, regere gregem Christi, & inspicere &c. Quod quidem Græcè significantius dicitur ἐπισκοποῦντες, id est superintendentes, vnde & nomen Episcopi tractum est. Parua tibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba Euangelica filius tonitrui; Presbyter electæ Dominæ, & filijs eius &c. Presbyter Caio carissimo &c. Quod autem postea vnus electus B
b Tit.1.
c 1.Tim.4.
d 1.Pet.5.
est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam lumperet. Nam & Alexandriæ a Marco Euangelista, vsque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant. Quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?] Hæc omnia Hieronymus.

XXV. Copiose etiam rem eandem tractat idem Hieronymus in suis commentarijs in epistolam ad Titum; ex illis enim Pauli verbis, vt constituas Presbyteros per ciuitates &c. Oportet enim Episcopum &c. sic colligit, e Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus. Et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero vnusquisque eos quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum vnum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officij, relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis &c.] Et postquam reproduxit eadem fermè loca Scripturæ ad Philip. 1. Act. 20. 1. Pet. 5. addito loco ex epistola ad Hebræos, Vbi dicitur, f Obedite præpositis vestris &c. Ibi etiam subdit Hieronymus hæc verba; Aequaliter inter plures Ecclesiæ cura diuiditur.] Mox subiungit, Hæc propterea, vt ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos: paulatim verò, vt dissensionum plantaria euellerentur, ad vnum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere: imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret.] C D
e Hier. in ep. ad Tit. c.1.
f Heb.13.

XXVI. Augustinus quoque Hieronymo videtur consentire; ait enim ad ipsum Hieronymum scribens; g Quanquam secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.]
g Aug. apud Hieron. ep. 97.

XXVII. Ambrosius & ipse videtur Hieronymi sententiæ adstipulari, dum sic loquitur; h Non per omnia conueniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam & Timotheum Episcopum à se creatum, Presbyterum vocat, quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente eo, sequens ei succederet. Denique apud Aegyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temere vsurparet, & esset multis scandalum. In Episcopo omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est Princeps est Sacerdotum.] Item alibi, i Post Episcopum tamen, *inquit*, Diaconi ordinationem subijcit. Quare? nisi quia Episcopi, & Presbyteri vna ordinatio est, vterque enim Sacerdos est, sed Episcopus primus est, vt omnis Episcopus Presbyter sit, non omnis Presbyter Episcopus. Hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est. Denique Timotheum E
h Ambr. in ep. ad Eph. c.4.
i Ambr. in 1. Tim. c.3.

Presbyterum

A Presbyterum ordinatum significat, sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat. Vnde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat, aut licebat vt inferior ordinaret maiorem, nemo enim tribuit quod non accepit.] Hæc Ambrosius.

Isidorus loquens de Presbyteris, ait; [a] His enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est; præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confectione Dominici corporis, & sanguinis consortes sunt cum Episcopis. Similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi; ac solum propter autoritatem summo sacerdoti Clericorum ordinatio, & consecratio seruata est, ne a multis disciplina Ecclesiæ vindicata concordiam solueret, scandala generaret.] Inde verò ingreditur in probationes ex Scripturis à Hieronymo allatis, Presbyteros etiam sub nomine Episcoporum intelligi. [b] Anselmus quoque totidem pene verbis ex Hieronymo paritatem inter Episcopos, & Presbyteros tuetur. XXVIII.

a *Isid. de Eccl. offic. lib. 2. ca. 7. in Concil. Aquisgr. cap. 8.*

b *Anselm. in Epi. ad Titum ca. 1.*

B Vt hæc omnia facilius diluamus, obseruemus primò; initio eodem nomine promiscuè fuisse vocatum vtrumque ordinem Ministrorum ab Apostolis ordinatorum, nimirum siue Episcopatus, siue Presbyteratus; nam & Episcopi dicebantur Presbyteri, & Presbyteri vice versa Episcopi. [c] Vocabulum tunc temporis erat commune, *inquit Chrysostomus*: Imò ait, Episcopis etiam nomen Diaconi, id est, Ministri, fuisse tunc tributum: postea cuique proprium vocabulum esse datum, vt alius vocetur Episcopus, alius Presbyter.] Theodoreti dictum est, [d] Episcopi, & Presbyteri, idem nomen, sed non res.] In maxima enim munerum, quæ ad hos ordines spectabant, parte conueniebant, vt supra admonebam. Sicut & Apostolorum, & Discipulorum nomen sæpe in sacris Scripturis confunditur, vt & duodecim Apostoli vocentur vt plurimùm Discipuli, & Discipuli qui non erant ex duodenario Apostolorum choro, Apostoli non rarò vocitentur, vt præcedenti capite iam nobis innotuit. XXIX.

c *Chrysost. in Epist. ad Phil. inst.*

d *Theodoret. in epist ad Phil. inst & in 1. Tim. 3. inst.*

C Obseruemus deinde, tantam fuisse in primis illis Christi vtriusque ordinis Ministris caritatem, humilitatem, animorum coniunctionem, & in Christi Ministerio solicitudinem, vt certatim omnes ad opus Ministerij accingerentur, & sese inuicem potiùs præuenirent, quàm mandata, & iussa inferiores à superioribus expectarent. Neque putemus Apostolos in Discipulos dominatum exercuisse, qui audierant a Domino, [e] Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor est, sicut ministrator. Et tunc [f] Apostolatus, vt ait Chrysostomus, non erat dignitas, nec honor Apostoli, sed opus, & ministerium: vbi enim nullum crimen aderat in inferioribus quod à superioribus corrigeretur, superiores suam iurisdictionem quam in actu primo habebant, in actu secundo non exercebant. Ita Gregorius optimè dixit, [g] Cum culpa non exigit, omnes Episcopi secundum rationem humilitatis æquales sunt] Hoc est, nihil velit aliquis superbire: Et addit; Ego D cunctorum Sacerdotum seruus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter viuunt.] Si enim nihil occurrit, quod superior reprehendat, superior non habet in quo suam correctiuam exerat autoritatem Vbi præsertim tam superioris, quàm inferioris ordinis munus est essentialiter ministeriale, & idem, tunc enim superior quoque si sit bonus Minister, & gnauus operarius, non mandat suum opus alijs inferioribus, sed ipsemet illud exequitur, & certatim laborat, vt sicut est ordine superior, ita & actione superet inferiores, exemploque commoueat; & qui potior est in ordine operatiuo, ille etiam est in laborando & promptior, & diligentior. Esse verò munera Episcopalia, & Presbyteralia, excepta ordinatione, Ministrorum, omnia communia, & iam vidimus, asseruitque [h] Hieronymus; & à Chrysostomo adhuc expressiùs confirmatur; ait enim; [i] Postquam de Episcopis *Paulus* dixit, eosque formauit quidnam illos habere conueniat, à quo item abstinere necesse sit dictans, omisso E interim Presbyterorum ordine, ad Diaconos transit; Cur id quæso? Quia scilicet inter Episcopum, atque Presbyterum interest fermè nihil. Quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantùm plus quàm Presbyteri habere videntur.] Additur verò præterea Episcopis potestas quædam externæ iurisdictionis Ecclesiasticæ: de qua nos lib. 5. Nunc ad argumenta paritatis respondeamus. XXX.

e *Luc. 22.*

f *Chrys. hom. 3. in Act. Apost.*

g *Aug. li. 7. ind. 2. epist. 64.*

h *Hieron. Epi. ad Euagr 85.*

i *Chrysost hom. 11. in 1 Tim.*

Ad primum sacræ Scripturæ locum, Respondeo, nomina confundi, res autem esse in maxima quidem parte eadem; sed in aliqua parte diuersas; vt in priori obseruatione modò explicaui. XXXI.

Ad 2. Sicut Apostoli adhuc subsistebant Hierosolymis, eoque sæpe conueniebant, dum in sola adhuc Iudæa prædicarent, ita Presbyteros etiam illos qui re ipsa Episcopi essent, & ab Apostolis ad Apostolicam euecti autoritatem, licet ab ætate adhuc Seniores, hoc est, Presby- XXXII.

Presbyteri vocarentur, parati erant ad Euangelium promulgandum, qualis erat Barnabas, Sylas, Iudas, & similes, eodem conuenire solitos, & ibi subsistere quis neget? Tales itaque Presbyteros verè Episcopos, in eo Concilio adfuisse mihi non est dubium. Sed neque interiores Presbyteros excluſos fuisse arbitror, ac præsertim si qui erant ex 70. qui nondum essent ad Episcopatum, siue Apostolatum (in latiori significatione) ab Apostolis promoti, qui fuerant à Christo ministri facti. Ac proinde meritò in eo concilio & Apostoli, & Presbyteri simul & deliberant, & definiunt. A

XXXIII Ad 3. Illi Presbyteri vocabantur etiam Episcopi, quia nomen, vt dixi, commune erat, & quia munera Episcopalia, excepta ordinatione, æquè ac Episcopi propriè dicti exercebant, propter quæ munera dicebantur omnes regere illam Ecclesiam, quia in spiritualibus omnes populum fidelem in viam salutis prædicando, hortando, docendo, monendo, &c dirigebant. Et verbum Græcum pascere potius quam regere significat: Chrysostomus verò paulò ante dicebat Presbyteris quoque curam Ecclesiæ esse permissam. B

XXXIV. Ad 4. Respondet Ambrosius, [a] nondum tunc fuisse datum Corinthijs vnum Episcopum, qui supra Presbyteros illos emineret. Cui ipse quoque assentior: nimirum Apostolos quamdiu ipsi Ecclesijs hisce propinqui essent, non fuisse solitos Episcopum proprie dictum, nimirum ordinaria Apostolica autoritate instructum, præficere; sed solos Presbyteros (qui tamen tunc etiam Episcopi solerent nominari) in Ecclesijs à se fundatis ordinasse; sibi verò solis Episcopalem propriam potestatem reseruasse, eaque in regendis illis Ecclesijs vsos esse. At verò ad loca remota etiam veros Episcopos ordinabant, qualis fuit Titus pro Creta, & Timotheus pro Ecclesia Ephesina, & Barnabas pro Antiochena, &c. C

[a] Ambros. in 1. Corinth. c. 11.

XXXV. Ad 5. Sola ibi est nominum confusio, nam illi verè tantùm Presbyteri vocantur etiam Episcopi, vt mos erat.

XXXVI. Ad 6. Verus etiam Episcopatus est Presbyterium; & Paulus imposuit Timotheo manum Presbyterij, hoc est, [b] ordinis Presbyteratus. Factus est enim verè Episcopus, cum tota plena Apostolica ordinaria potestate: quæ potestas tunc promiscuo nomine, & presbyteralis, & Episcopalis vocabatur.

[b] Hieron. Primas. Anselm. Haymo. Lyra. omnes in hunc locum.

XXXVII. Ad 7. Presbyteri etiam propriè dicti præesse dicuntur; vt supra ad tertium: Quia Presbyteri quoque, non soli Episcopi, curam exercent spiritualem in populum fidelem. Præesse ergo hoc loco non est præesse ipsi clero, sed populo fideli, cui sacra ministrant etiam Presbyteri, eique sunt ductores, & directores ad salutem. Hi porrò Presbyteri aliqui paucioribus sunt instructi talentis, vt preces fundant publicas, Sacramenta distribuant, priuatim hortentur, & moneant fideles, & ad pœnitentiam præparent, atque à peccatis absterreant: Alij verò præterea etiam ad concionandum apti, & ad verbum Dei publicè prædicandum idonei, adhuc melius, & nobiliùs pluribus ditati talentis præsint fidelibus, viæ cœlestis ductores eximij. D

XXXVIII. Ad 8. Siue Titus crearet Presbyteros solos propriè dictos, sibi Episcopalia reseruando; siue etiam Episcopos veros singulis ciuitatibus præficeret, (vtrumque enim potuit) illi qui ordinabantur nomina Episcopi, & Presbyteri habebant communia.

Ad 9. Sola hic adest nominum communitas.

XXXIX Ad 10. Ioannes nobis fauet: Cùm enim in Asia multas fundaret Ecclesias, quas ipsemet Episcopaliter regeret, in illis non Episcopos propriè dictos passim ordinabat, sed tolum Presbyteros. Quia tamen iam Ephesi cernebant Timotheum vera, & propria autoritate Episcopali regere, Diotrephes ille Presbyter primatum Episcopalem sibi nitebatur vsurpare. Quod si Presbyteri ex vi propriæ ordinationis, essent Episcopi, quomodo ille primatum ambiret tanquam aliquid ex vi ordinis maius ordinario Presbyteratu? E

XL. Ad 11. Non ad vnam Ecclesiam particularem, sed ad omnes Hebræos per vniuersum orbem sparsos, & ad Christum conuersos, illa scribit Paulus: Pluribus ergo subsłabant Episcopis veris, & non vni soli; quia omnes Hebræi conuersi non erant in vna sola Ecclesia particulari, sed in plurimis; ideo in plurali dicit Præpositis. Veniamus ad Patres.

XLI. Ad Ignatium; Diaconi sunt ministri non solum Episcoporum propriè dictorum primi ordinis, sed etiam Presbyterorum secundi ordinis; & adhuc tempore Ignatij mos perseuerabat vt nomen Episcopi, & Presbyteri confunderetur. Sed tamen ego hic puto Ignatiũ de veris Episcopis loqui; ordinare enim Ministros, quod est χειροτονεῖν & interpres

Latinus

A Latinus hoc loco *eligere* posuit; similiter manus imponere, hoc est baptizatos confirmare, ad solos Presbyteros nunquam spectauit, sed ad Apostolos, ipsorumque proprios successores Episcopos. Dum itaque ait Heroni Ignatius; Nihil sine Episcopis facito; non intelligit illius Ecclesiæ, nimirum Antiochenæ Presbyterium: sed quoniam curam præcipuam illius Ecclesiæ Heroni commendarat, quem successorem in ipso Episcopatu Ignatius designarat, vt in eadem apparet Epistola, monet ne interim grauiora Ecclesiæ negotia peragat, nisi aut consultis, aut etiam adhibitis circumuicinis Episcopis: nam & in eadem Epistola scribit Ignatius, Commendo tibi Ecclesiam Antiochenam.] & statim subdit; Polycarpo vos commendaui in Domino Iesu Christo.] Vt nimirum si quid opus esset, ipse Polycarpus Smirnæorum Episcopus suppleret. Ad eum ergo & similes Heroni erat confugiendum, pro opportunitate & necessitate, ex hoc Ignatij monito; Sine Episcopis nihil facito.

B Ad Irenæum: Episcopos veros nomine vocat Presbyterorum. Tertulliano commodum fuit tunc omittere Presbyteros. XLII.

Ad Origenem; Potius distinguit duos ordines; & primo loco tigna esse dicit eos, qui Episcopatum bene ministrant in Ecclesia: Secundo verò loco etiam Presbyteris applicat vt sint tigna. Quia videlicet in maxima munerum parte conueniunt Presbyteri cum Episcopis. Et alio loco citato Origenes Episcopos, & Presbyteros tanquam Synonyma posuit. Omnes enim Episcopi sunt etiam Presbyteri, non è contra: & Episcopi vtrumque nomen retinuerunt; non ita Presbyteri. XLIII.

Ad Hieronymum, Video illum erga Episcopos interdum paululum iniquiorem, quem a Ioannes Hierosolymitanus nonnihil suo nimio fastu pupugerat, & commouerat. Nam & quietem monasticam Hieronymo dilectissimam tunc Episcopi aliqui solebant interturbare, dum illos ex Monachis qui essent Clerici ad inseruiendum Ecclesijs compellebant. Distinctos profectò esse ordines Episcopalem, & Presbyteralem, & vnum superiorem, alium inferiorem, Hieronymus bis visus est fateri, vt iam vidimus supra num. 16. 18. Nam & ordinandi potestatem Episcopo concessit, negauit Presbytero; & iuxta duodecim fontes Apostolorum posuit succrescere septuaginta palmas, totidem inferiores gradus discipulorum. Sed in Allegorijs in quibus litera exactè non exutitur licuit Hieronymo. exspaciari, & à propria etiam discedere sententia, ac sequi vulgariorem. Illud verò prius, de Iure & consuetudine Ecclesiastica protulit, non de Iure diuino, & prima Presbyteralis ordinis institutione. Hæc dixerim, quia inconstantem esse Hieronymum, & sibi ipsummet contradicere non patior. XLIIII.

a *Hieron. epist. 60. 61.*

C

D Considerabat itaque Hieronymus primam illam Ecclesiæ nouellæ adhuc sub Apostolis gubernationem, & obseruabat id, quod ego paulò ante secundo loco obseruabam, nempe summam caritatem, & concordiam inter omnes Ministros Ecclesiæ, siue Apostolos, siue Discipulos, ad ministerium tamen ritè assumptos, siue Episcopos similiter, siue Presbyteros; qui sicut nomine Episcopi, ac Presbyteri confuso, indistinctè vocabantur, ita etiam in opus ministeriale seriò, & indistinctè, ac certatim incumbebant. Obseruabat similiter vt plurimum ab Apostolis in Ecclesijs sibi propinquis Presbyteros duntaxat, nomine quidem etiam Episcopos vocari solitos, re vera tamen non nisi Presbyteros propriè dictos, & sanè plures, atque in potestate penitus inter se æquales, constitui fuisse solitos, quia Apostoli ipsi & illos, & illas Ecclesias, vt Episcopi, cum vera Apostolica, hoc est ordinaria Episcopali autoritate regebant. Interim tamen ipsum Presbyterium, siue cœtus Presbyterorum illarum Ecclesiarum, in rebus ac ministerijs ordinarijs, & quotidianis curam simul, & in solidum gerebant; sed breui inde schismata pullularunt, dum quisque Presbyter suam ad se plebis per ipsum conuersæ partem attrahebat, & inter se quis plures haberet proprias oues decertarent. Siue etiam ipsimet fideles nimium suis Magistris addicti, sectas separatas facerent, & alij se gloriarentur esse vnius ex magistris discipulos, alij alterius; qui morbus b Corinthiorum Ecclesiam primam inuasit. Huic malo vt occurreretur, in veritate quidem Apostoli ipsi fategerunt, & qui prius communiter, & ordinariè Presbyteros plures, cum solo Presbyteratu omnes inter se æquales, vt Ministros ordinarios, Vt dictum est, in Ecclesijs non nimium à se remotis collocabant; iam cœperunt vnum in vnaquaque Ecclesia passim verum Episcopum, cum tota Apostolica ordinaria, hoc est Episcopali autoritate ordinare, suæque Ecclesiæ præficere, eique illam quam sibi solis reseruare interdum solebant autoritatem communicare, vt solus primi ordinis minister absolutè præesset (nunquam tamen ab se abdicata propria Apostolica autoritate, quin adhuc possent

E

b *1. Cor. 1.*

sent illum Episcopum instruere, monere, corripere) inde verò separata sunt etiam nomina, ita vt Episcopus ille vocaretur, cæteri verò non nisi Presbyteri; quam nominum appropriationem, Ecclesiæ potius consuetudine, quam Apostolico iussu, factam postea, videtur probabilissimum, & fatetur [a] Augustinus. Hieronymus tamen etiam ipsam ordinis distinctionem ad Ecclesiasticam consuetudinem reducendam esse putauit, non verò solam nominum separationem. Et quod Apostoli, vt iam explicaui, iure diuino fecerunt, id Ecclesiasticæ ille tribuit duntaxat consuetudini.

a *Apud Hier. ep. 97.*

XLVI. Sunt qui Hieronymum in rectam sententiam vel inuitum velint trahere. Ille tamen dum consuetudini soli Ecclesiasticæ, Ecclesiæque humano decreto tribuit id quod ab Apostolis iure diuino est factitatum, aliquantulum certe deflexit, & exorbitauit; neque in hoc aut excusari satis potest, aut in alium contrarium sensum trahi: verba illius neque aliam sententiam, neque defensionem, neque excusationem admittentia sunt hæc, [b] In toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.] Vbinam quæso, a quibus, & quando factum est hoc decretum, si viuentibus adhuc Apostolis, vt probauimus, Episcopi, tanquàm Presbyteris ordinatione superiores, singulis Ecclesijs, singuli præficiebantur? Et rursus ait; [c] Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate, Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere.] Hæc, inquam, nullo modo possunt aut defendi, aut satis excusari. Nam quod ait; [d] Antequam Diaboli instinctu schismata illa fierent, cõmuni Presbyterorum consilio Ecclesias fuisse gubernatas; Verum dicit, de illis Ecclesijs, in quibus Apostoli initio non ponebant adhuc verum Episcopum, sed aliquot duntaxat Sacerdotes, vt est à me in superioribus explicatum.

b *Hier. in ep. ad Tit. c. 1.*

c *Ibid.*

d *Ibid.*

XLVII. Deserimus itaque in hac parte Hieronymum, neque ei in his dictis assentimur. Sed non propterea stultè, & imperite (quod fecit Michael Medina) illum hæreticum facimus Aërianum. Hæreticus enim fuit [e] Aërius, nam & erat Arianus, & paschatis celebrationem reprehendebat, & Episcopatum penitus auferebat, neque Episcopos in Ecclesia vllo iure admittebat, vt explicat etiam Bellarminus: [f] At S. Hieronymus etsi iure diuino, *inquit*, agnoscere non videtur discrimen inter iurisdictionem Episcopi, & Presbyteri, tamen agnoscit hoc ipsum discrimen tanquam legitimè, imò & necessariò ad schismata vitanda ab Apostolis, & Ecclesiæ consuetudine esse introductum. A qua tamen consuetudine admittenda Aërius pertinaciter abhorrebat.] Excusatur verò præterea Hieronymus ab hæresi, quod suas sibi ille videretur in Scriptura habere coniecturas, neque de contraria hæresi habebat Ecclesiæ sufficientem publicam definitionem. Nam quod Epiphanius inter hæreses hanc Episcoporum deiectionem annumerasset, erat priuati hominis sententia, nec mala; nam etiam Augustinus ei subscripsit; non erat tamen Ecclesiæ publica definitio. Et sanè Hieronymus recentissimum Epiphanij adhuc fortasse viuentis librum de hæresibus legebat, in hac tamen Episcoporum, & Presbyterorum paritate, ab Epiphanio damnata dissentiebat, & Epiphanium immeritò inter hæreses eam paritatem posuisse putabat.

e *Epiph. hær. 75*

f *Bellar. de Cler. c. 15.*

XLVIII. Verè nimius rigor mihi videtur id statim hæresis etiam hodie condemnare, si sine peruicacia, & obstinatione aliquis contrarium probabilibus rationibus conaretur cum Hieronymo colligere; modo in Ecclesia penitus Episcopos extinguendos esse non dogmatizaret. Quod verò & Epiphanius, & Augustinus paritatem illam absolutè hæresim esse scripserint, sicut plurimum discrimen inter Episcopum, & Presbyterum, quale perpetuò fuit in Ecclesia obseruatum confirmat, ita pro Ecclesiastica publica definitione id non esse recipiendum arbitror. Nam & Augustinus 40. capitula collegit, & de illis ita scripsit; [g] Hæc 40. capitula ad regulam veræ fidei firmissimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende, & si quem contraria his dogmatizare cognoueris, tanquam pestem fuge, & tanquam hæreticum abijce. Ita enim ista quæ posuimus fidei Catholicæ congruunt, vt si quis non solùm omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hæreticus, & Christianæ fidei inimicus, atque ex hoc omnibus Catholicis anathematizandus appareat.] At verò inter hæc capitula vnum est de [h] gratuita Dei prædestinatione. Et tamen plurimi & docti viri nostri Theologi, & docent, & prædicant prædestinationem ex præuisis operibus, & bono vsu gratiæ per liberum arbitrium: & in nostris Ecclesijs vtraque opinio relinquitur vt probabilis. Non ergo priuata doctorum sententia, sed publica Ecclesiæ definitio

g *Aug. de fide ad Petr. c. 44.*

h *Ibid. c. 35.*

A definitio, facit rem de fide, & damnat hæresim. Certè Philastrius quoque inter hæreses ponit eam physicam assertionem, quæ [a] terræmotum vt rem naturalem ad vim motricem elementorum reducit. Illam quoque quæ [b] stellas in cœlo fixas esse astruit. At quis tam hebes est, qui nunc hæc Philosophiæ naturalis placita, hæreses esse contra Catholicam fidem affirmet?

a Philas. de hæres. ca 54.
b Ibid. cap. 82.

XLIX.

Intolerabilis itaque est [c] Medinæ impudentia, cum summa insciti a coniuncta, dum publicè definitam hæresim esse in Ecclesia perperam putans eam, quam Epiphanius, & Augustinus Epiphanij in eo opere descriptor, inter hæreses Aërij, de Episcoporum, & Presbyterorum patilitate sua ipsorum priuata opinione connumerârunt, Hieronymum audet hæreticum Aërianum pronuntiare. Et in eorundem hæreticorum fascem congerit nominatim Augustinum, Ambrosium, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Oecumenium,
B Theophylactum: Quos tamen omnes Hieronymo consentire est falsum. Ecclesiam nihilominùs ait, hanc opinionem in his Patribus, ob eorum reuerentiam, toleraſſe, sed iterum in Waldensibus, & Wicleffo condemnasse. Quid peius? Ecclesiane ob respectum personarum debet hæreses tolerare? Et qua fronte nos horum Patrum autoritate contra hæreses pugnabimus, si eos hæresibus sordidatos semel admiserimus? Vt optimè insurgit [d] Bellarminus. Sanè Waldenses, & Wicleffus meritò erant in hoc condemnandi, si Episcopatum penitùs tollendum ab Ecclesia, & abolendum esse censuerunt; quem tamen iure diuino institutum esse, iam (ni fallor) probaui. Ideoque qui olim schismate se ab Ecclesia Catholica separabant, vt Nouatiani, & Donatistæ, cùm scirent probè Ecclesiam non esse sine Episcopo, & Episcopum esse omninò necessarium in Catholica Ecclesia, proprios Episcopos habere perpetuò voluerunt. Vnde factum est, vt aliquando Romæ tres
C essent Episcopi, Catholicorum vnus, & verus, ac proprius Romanus Episcopus; Donatistarum Donatista; & Nouatianorum Nouatianus, vt ostendam inferius cap. 9. num. 15. huius. Putabant illi quidem Ecclesiam Catholicam errare, siue impios, & peccatores intra se detinendo, siue lapsos ad pœnitentiam recipiendo, ideoque se ab ea separabant; in Episcopis tamen habendis illam benè sciebant non errare, imò errorem non exiguum agnoscebant, si qua Ecclesia sine Episcopis esse voluisset, quos ex diuina institutione a Christo in Ecclesia positos, vt maximè necessarios, non dubitabant; idcircò proprios Episcopos semper habere voluerunt, sine quibus si fuissent, videbant se posse conuinci extra Christi Ecclesiam se esse constitutos; vt præcedenti capite, nu. 57. cum Cypriano, & alijs explicabam.

d Bellar. lib. 1. de Cler. cap. 15.

L.

Ad Augustinum, respondet [e] Bellarminus illa verba Augustini (iam obtinuit) non opponi tempori antiquo ipsius Ecclesiæ, sed tempori quod fuit ante exortum Ecclesiæ nostræ
D Christianæ. Itaque non est sensus, *inquit*, olim Episcopi, & Presbyteri erant æquales, sed iam vsus obtinuit vt Episcopatus Presbyterio maior sit; sed hic est sensus; Ante Christiana tempora nomina ista Episcopus, & Presbyter non erant honoris vocabula, sed officij, aut ætatis; nunc autem honoris ac dignitatis nomina sunt; & secundum hæc nomina Augustinus Hieronymo maior est, quamuis multis alijs nominibus Augustinus Hieronymo minor sit.] Ita Bellarminus. Sed non satisfacit hæc responsio, neque stare potest: Vbinam enim obsecro ante Christiana tempora erant Episcopi, cum officio Episcopali? Quodnam erat, & vbi officium, quod Episcopi nomine efferetur? Semel in Psalmis habemus [f] Episcopatum, propheticè de Iuda Apostolo, quæ prophetia Act. 1. verificatur, semel [g] Episcopum Leuitarum, non sanè summum Sacerdotem, sed Principem Tribus, in ciuilibus. Comparat Augustinus se cum Hieronymo, se videlicet Episcopum, cum Hieronymo Presbytero: in qua comparatione se tam maiorem Hieronymo inueniebat; sed
E hoc ipsum vt extenuet, & libertatem faciat Hieronymo etiam ipsum Augustinum corripiendi, dicit, ex vsu tantùm Ecclesiæ iam obtineri, vt Episcopus habeatur maioris honoris vocabulum quàm Presbyter. Quæ extenuatio nulla esset, si semper in Ecclesia Christiana, ex diuina institutione, id fuisset. Extenuatio tamen aliqua est, si inter Augustinum Episcopum, & Hieronymum Presbyterum, non sit aliud discrimen, nisi quod solus Ecclesiæ vsus posuerit, prius verò in ipsamet Ecclesia non fuerit. Quid autem extenuat gradum Augustini, respectu gradus Hieronymi, quòd olim ante formatam Ecclesiam Christianam, in qua nunc sunt Augustinus, & Hieronymus, alter Episcopus, alter Presbyter; Episcopus, & Presbyter non essent vocabula honoris, sed officij, aut ætatis; modo in hac Ecclesia in qua sunt Augustinus, & Hieronymus, semper, iure diuino, vocabula Episcopi, & Presbyteri, sint vocabula honoris, & dignitatis? Respondeo itaque Augustinum hoc pacto extenuare suum altiorem supra Hieronymum gradum; videlicet, Initio quidem in Ecclesia Christia-

e Bellar. li. 1. de Cler. ca. 15.
f Psalm. 108.
g 1. Esdr. 11.

na siue Episcopi, siue Presbyteri, licèt essent diuersi aliquantulum ordinis, quoad aliqua accidentalia; in Ministerio tamen essentiali, adeò se esse æquales inter se reputabant, vt ne nominibus quidem voluerint distingui, aut separari. Et talis nunc ego tecum esse volo, vt ratione ministerij, quod est essentiale Sacerdotio, simus penitus æquales. Quod verò ego nunc Episcopus vocor, tu verò non nisi Presbyter, hoc te mouere non debet, quin me possis liberè corrigere, quia solo vsu Ecclesiastico factum est, vt hæc vocabula, quæ prius erant communia, aliqua maioris, & minoris honoris significatione distinguantur; sed prius non erat sic: interim verò tu me alijs nominibus superas. Itaque extenuatio Augustini potissimum est ratione vocabulorum, quorum diuersitas sola Ecclesiastica consuetudine sit introducta. Quod verò spectat ad rem quoque vocabulo significatam, similiter se extenuat Augustinus, dum se ad essentialia vtriusque ordinis reducit: nam potestas ordinandi ministros, & iurisdictionem Ecclesiasticam exercendi, præterquam quod erat accidentalis, in comparatione tamen cum Hieronymo, ab Augustino adhuc magis contemnebantur, quia Hieronymus neque ordinem Presbyteralem ab Augustino susceperat, neque ei subiectus erat, cùm non esset Presbyter sub Augustino in Ecclesia Hipponensi constitutus. A B

LI. Ad Ambrosium, quamuis commentarij illi vix Ambrosium redoleant, adhuc tamen plus nobis fauent, quàm Hieronymo. Agnoscit quidem Ambrosius omnem verum Episcopum esse etiam necessario ex vi sui ordinis Presbyterum, sed præterea dat ei proprium primatum, quem Presbyter, qui sit tantum modo Presbyter, neque habere, neque dare possit. Ait verò antiquissimum Presbyterum solitum fuisse statim succedere in locum demortui; sed non negat istum vlteriori aliqua ordinatione eguisse, vt ex simplici Presbytero fieret Episcopus, & primatum illum obtineret. Quod verò ait suo tempore Presbyteros in Aegypto solitos fuisse consignare; quod etiam habet Autor qq. vet & no. test. apud Augustinum q. 101. (licet hic pro consignare, ponat consecrare) alibi ponderabitur. Interim scias neque confirmationem baptizatorum, neque rerum consecrationes, quæ plurimæ fiunt, vltra personarum ad Sacrum ministerium ordinationem, ad Episcopos adeò propriè pertinuisse, quin etiam Presbyteris committi possent. C

LII. Obijciet tamen aliquis etiam simplices Presbyteros interdum Sacros ordines ministrasse; Ecclesiastico etenim Canone id eis inhibetur: ergo ex vi ordinis eandem habent potestatem, quam diximus esse Episcoporum propriam, hoc est, ordinis duntaxat superioris. Inhibitionem habemus in Concilio Ancyrano, in quo sic statuitur; [a] Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris ciuitatis, sine præcepto Episcopi vel literis in vnaquaque parochia.] Et in alio Concilio illud legimus; [b] Quamuis cũ Episcopis plurima illis *Presbyteris* Mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen autoritate legis veteris, quædam nouellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint; sicut Presbyterorum, ac Diaconorum, ac Virginum consecratio, &c.] Et enumeratis illis fere omnibus, quæ Damasus numerauit, sic subdit idem Canon; Hæc omnia illicita esse Presbyteris, vel Chorepiscopis, quia Pontificatus apicem non habent, quod solis deberi Episcopis autoritate Canonum præcipitur; vt per hoc, &c.] Prohibitio autem, inquies, non cadit in eum qui aliquid absolutè non potest, sed in eum qui alioquin secluſa prohibitione posset. Et prius ibidem [c] narratur de quibusdam ita ordinatis, vt Episcopus oculorum dolore detentus solum manus imposuerit, Presbyter verò orationes, & verba consecrationis dixerit; contra quos ita statuitur, vt à gradu Sacerdotalis, vel Leuitici ordinis, quem peruersè adepti sunt depositi, æquo iudicio abijciantur: tales enim meritò iudicati sunt remouendi, quia prauè inuenti sunt constituti.] Hi sanè si nihil accepissent, deponendi non fuissent à gradu quem dicuntur adepti, neque abijciendi, aut remouendi; sed satis fuisset declarare illos nihil accepisse. Neque illa manuum impositio Episcopi, poterat effectum habere, quia verba consecrationis non proferebat; Sacramentum verò, quale à nostris tenetur esse Sacer ordo, non fit nisi accedat, vt inquiunt, verbum ad elementum. Susceperant ergo ordinem etiam à Presbytero, tanquam à sufficiente ministro, sed contra Ecclesiasticam prohibitionem, ideo deponuntur, & ab ordinis malè susceptì executione remouentur. D E

a *Conc. Ancyr. c. 12.*

b *Conc. Hispal. 2. c. 7. ex Leone ep. 91. & dist. 68. c. Quamuis.*

c *Eodem Conc. c. 5. habetur dist. 23 c. Quorundam.*

LIII. Respondeo non esse insolitum in natura corrupta vt aliqui, qui iam gradum aliquem in Ecclesiastico ministerio obtinent, non modo ambiant superiorem, sed interdum etiam officia aliqua gradus superioris de facto inuadant; vbi præsertim plurima sint officia, & superioris, & inferioris gradus simul communia. Ita Diaconos videbimus inferius cap. 4. sequen-

A sequenti, num. 51. aliquos sibi proprium Presbyterorum munus offerendi vsurpasse, vt propterea fuerint dato Canone compescendi. Hic ergo Canon prior ante omnia cauet, ne quis ad tales perueniat vsurpationes. Quod autem ex delegatione, & commissione Episcopi, videtur concedere Presbyteris vt possint ordinare presbyteros, & Diaconos, non est tam facilè admittendum. Illa enim Gentiani Versio videtur mutila, & imperfecta. Alia clariùs sic habet; Chorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris ciuitatis, sine præcepto Episcopi, vel literis, in vnaquaque parochia aliquid imperare: nec sine autoritate literarum eius, in vnaquaque parochia aliquid agere.] Itaque Canon hic nihil nobis obstat.

Quod verò in Hispalensi Concilio ponitur, munia quædam propria Episcopalia, partim autoritate legis veteris, partim nouellis Ecclesiasticis regulis prohibita esse Presbyteris, satis imperfectè ponitur: nam lex vetus ceremonialis in Ecclesia Christiana nullam vim habet, nisi aut figuraliter, aut imitatione, & qualicunque exemplo. Regulæ vero Ecclesiasticæ & concedunt multa Episcopis, & ea prohibent Presbyteris, quæ alioquin ex vi ordinis essent communia. Inter hæc autem ponere Presbyterorum consecrationes, si per consecrationem intelligit ipsam missionem potestatiuam, & ordinationem, est absurdum: nec in hoc Concilio illi Prouinciali assentiendum, quia iure diuino solis Apostolis, Apostolorumque proprijs successoribus, Ministrorum ordinatio conceditur, vt est à me iam pluribus explicatum. Fortasse igitur loquitur de solis externis Ceremonijs, quæ, habita iam ab habente autoritatem sufficienti missione, possint, de licentia præsertim Episcopi, per Presbyterum adhiberi: sicut tales aliquas ceremonias super [a] Paulum, & Barnabam explerunt Prophetæ, & Doctores Ecclesiæ Antiochenæ, qui Episcopi non erant; de quo agam capite sequenti. Propterea igitur idem Concilium supponit illos accepisse gradum ordinum, quibus Episcopus lippus manus imposuerat, Presbyter verò preces recitarat; deponendos enim censuit, quia videlicet Episcopus, etiam sine verbis, sola illa manuum impositione, illos sufficienter ordinauerat; preces verò illæ ad externam Ceremoniam, decorumque pertinebant, & ad eas fundendas lege Ecclesiastica Episcopi tenentur: sed ordini sacro omni ex parte, & absolutè loquendo, essentiales non sunt; vt sequenti capite explicabo. Hæc de nostra præcipua quæstione huius capitis satis. LIV.

a Act. 13.

Placet nunc ex iam explicatis litem grauem componere, de Lino, Cleto, & Clemente Romanis Pontificibus. Nostri enim Monarchici scriptores sudant egregiè, & Sysiphi saxum ponderosum voluunt, dum successiones à Petro, per singulos Episcopos, ad modum Monarchiæ, conantur deducere. Videat profecto adeo inter se discrepare antiquos scriptores, & Ecclesiæ Catholicæ Patres, in primis illis successionibus Cathedræ Romanæ recensendis, vt negotium illis facessant incredibile: nobis tamen vix vllam relinquunt difficultatem; Aliqui nempe à Petro & Paulo Clementem primum Romæ Episcopum fuisse ordinatum scribunt. Plerosque enim Latinorum id affirmasse habet [b] Hieronymus; quos etiam ipsemet secutus est, quando dixit; [c] De quo, & Clemens vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios.] Prius vero Tertullianus hæc scripserat; [d] Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia, habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum, refert; sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum.] Vbi non ordinationem solam (quo se Baronius [e] recipit) à Petro Clementem habuisse; sed expressè sedem ipsam Romanam primum post Petrum obtinuisse, & rexisse, refert Tertullianus; eodem modo quo Polycarpus primus post Ioannem rexit Ecclesiam Smyrnæorum. Confirmabat enim hic Autor doctrinam suorum temporum Catholicam, ex eo quod ab Apostolis ipsis, per legitimam successionem, quasi per manus tradita, ad præsentes peruenerit: siquidem Ecclesiæ Catholicæ suos census suorum Episcoporum numerent, ita vt in Apostolos ipsos tandem desinant: sicut, *inquit*, Smyrnæorum Ecclesia tandem peruenit ad Polycarpum, qui à Ioanne immediate habuit illum Episcopatum: & Romanorum ad Clementem, qui & ipse immediate Petro successit. Carmen igitur Tertulliani eiusdem, apud Baronium, [f] merum figmentum erit; cum præsertim contra totam antiquitatem quinto loco post Petrum ponat Clementem. In Epistola porro Clementis ad Iacobum dicta, non modo habemus illa Petri verba, [g] Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meę prædicationis, & doctrinę Cathedram trado: sed etiam re ipsa, & executione, vsuque Cathedræ, statim post Petrum Clementem Episcopum Romæ successisse, in eadem Epistola habentur clara documenta. Sic enim loquitur Clemens. Episcopos autem per singulas ciuitates, quibus ille (*Petrus*) non miserat, LV.

b Hieron. de Scrip. Eccl. in Clem.

c Hieron in Isa. c. 52. in fin. & l. 1. in Ioan.

d Tertull. de præscript.

e Baron. tom. 1. ann. 69. nu. 43.

f Baron. tom. 1. ann. 69. n. 39.

g Clemens ep. 1. ad Iacob. Id.

per doctos,& prudentes sicut serpentes, simpliceſque sicut columbas, iuxta Domini præceptionem,nobis mittere præcepit: quod etiam facere inchoauimus, & Domino opem ferente facturi sumus.] Opus sanè Episcopi iam sedentis, erat Episcopos in varias regiones mittere; & si hoc opus inchoatum est à Clemente post Petrum, Clemens ergo statim post Petrum sedit: aut si alij sederunt, nullum Episcopum ad prædicandum emiserunt, quod vix credibile putatur. Petrum porro Clementi sedem Episcopalem in ipsa Vrbe Romana reliquisse, præter testes iam allatos, habemus etiam Ruffinum in præfatione Recognitionum, & inuectiua in Hieronymum. Habemus ipsummet Clementem in Constitutionibus [a] Apostolicis, [b] Anacletum, [c] Alexandrum,& [d] Damasum; Ioannes etiam tertius ad Episcopos Germaniæ ita scribit; [e] Si autem Petrus Princeps Apostolorum adiutores sibi adsciuit Linum, & Clerum, non tamen potestatem Pontificij aut ligandi, aut soluendi eis normam tradidit, sed successori suo Sancto Clementi, qui sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem, tradente sibi Beato Petro, tenere promeruit: Linus verò & Cletus ministrabant exteriora: Princeps autem Apostolorum Petrus, verbo & orationi instabat.] Ex his omnibus habemus Clementem primum post Petrum Romanum Episcopum.

a *Constit. Apo. l. 7. c. 37.*
b *Anac. ep. 1.*
c *Alexan. ep. 1*
d *Liber Pontif. in Petro.*
e *8. q. 1 c. Si Petrus.*

LVI. Nihilominus Linum & Cletum ante Clementem Romanam Ecclesiam rexisse grauissimi testantur autores. Irenæus, [f] fundantes igitur, *inquit*, & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Huius Lini Paulus in ijs, quæ sunt ad Timotheum Epistolis meminit: Succedit autem ei Anacletus; post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens.] Optatus, [g] Linum post Petrum primum facit: post Linum ponit Clementem, & post Clementem Anacletum, Euaristum, &c. Epiphanius [h] post Petrum & Paulum ponit & ipse Linum, post Linum Cletum, Clementem, Euaristum, &c. Augustinus numerat vt Optatus. Hieronymus [i] post Petrum recenset Linum, post hunc Cletum, & quarto loco Clementem. Sed Latinos, *inquit*, post Petrum statim Clementem Romanum Episcopum agnouisse. Affert [k] Baronius alia testimonia ex Martyrologijs, & Canone Missæ, & Diptychis, quibus eundem probat ordinem Petri, Lini, Cleti, Clementis &c.

f *Irea. l. 3. c. 3.*
g *Opt. l. 2.*
h *Epiph. her. 27*
i *Hier. de script. Eccl. in Clem.*
k *Baron. tom. 1. an. 69. num. 42.*

LVII. Hos igitur tam diuersa scribentes, simul conciliare non est possibile, si ab ipso initio, Ecclesiæ, ac præsertim Romanæ, Monarchico Papali semper regimini fuerint subiectæ. Nam & Clementem statim post Petrum actu ipso Romanam Ecclesiam rexisse, fecimus manifestum: Et Linum ante Clementem sedisse plene tanquam Episcopum, non videtur dubitandum. Conciliant hæc Monarchici dicentes, [l] Clementem quidem à Petro ordinatum fuisse Romanum Episcopum, vt ipsi succederet: Linum verò & Cletum fuisse Petri, adhuc superstitis, adiutores, & quasi Chorepiscopos, qui eo recedente, & Euangelizandi causa regiones obambulante, Romanam Ecclesiam, tanquam Petri Vicarij, regerent & gubernarent. Defuncto tamen Petro, Clementem ex modestia noluisse statim Cathedram arripere, sed eam tum Lino, tum Cleto prius administrandam plene reliquisse; ac demum post vtriusque horum mortem in suam Cathedram ascendisse. Epiphanium proferunt adstipulatorem, qui ex sententia veterum (*inquit Bellarminus*) tradat à Clemente sedem, dum viuerent Linus & Clemens recusatam. Sed quod spectat ad Epiphanium, non modo is nihil ex sententia veterum loquitur; sed hoc ipsum quod in hoc genere profert, ex mera propria imaginatione, ac leui quadam suspicione, & coniectura se proferre, aperte profitetur; ait enim, [m] Etenim in Roma fuerunt primi Petrus & Paulus, Apostoli ijdem ac Episcopi; deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, qui contemporaneus fuit Petri & Pauli. Huius mentionem facit Paulus in Epistola ad Romanos: Et nemo miretur quod ante ipsum alij Episcopatum assumpserunt, cum sub Apostolis hic fuerit contemporaneus Petri & Pauli. Nam & illi contemporanei Apostolorum fuerunt. Siue igitur,adhuc ipsis superstitibus, à Petro accepit impositionem manuum Episcopatus; & eo recusato remoratus est; dicit enim in vna Epistola sua; secedo, abeo, erigatur populus Dei: hoc enim in quibusdam Commentarijs reperimus: siue post Apostolorum successionem à Cleto Episcopo hic constituitur, non ita clare scimus. Veruntamen etiam hic potuit, superstitibus adhuc Apostolis, Petro videlicet ac Paulo, alios Episcopos constituere; propterea quod Apostoli sæpe ad alias terras obligabantur, propter Christi Prædicationē; non potuit autē Vrbs Roma sine Episcopo esse: Paulus enim in Hispaniam profectus est: Petrus verò sæpe Pontum, & Bythiniam visitauit. Possibile est autem, postquam discessit ac recusauit Clemens (si modo sic factum est, rationem enim sic meo, non decerno:) postea

l *Baron tom. 1. an. 60. nu. 43. et Bellar. lib. 2. de de Rom. Pont. cap. 5.*
m *Epiph. hær. 27.*

A ftea post obitum Lini & Cleti, quorum vterque ad duodecim annos Episcopatum tenuit, post sancti Petri ac Pauli obitum, qui contigit duodecimo anno Neronis, hunc rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum.] Hæc Epiphanius.

Vbinam quæso veterum vlla hoc loco profertur ab eo sententia de Episcopatu recusato à Clemente? Siue (inquit) hoc fuerit; siue à Cleto habuerit Episcopatum, non clarè scimus: rationem ineo, non decerno.] Nam etiam Epiphanius, vt nos hodie, in vtramque partem assertiones videbat: nec poterat aduersantes sibi autores conciliare, vbi alij Clementem Petro subrogarent; alij Linum, conijciebat Clementem potuisse cedere Episcopatum Lino & Cleto, & postea eum recepisse. Coniecturæ ansam præbuit, nescio quid apocryphum, in quibusdam, *inquit*, commentarijs; cuiusnam essent, nihil scit: in quibus Clemens fertur dixisse, secedo, abeo, erigatur populus Dei. Quæ verba præterquam, quod incertæ sunt fidei, adhuc tamen alium videntur habere sensum, quàm illum, quem suspicabatur Epiphanius, & affirmant Neoterici: Innuunt enim ipsum in aliqua occasione simili Ionæ fuisse, vt ipsius præsentia offensioni esset, & impedimento conuersioni; vt propterea secesserit: non ea modestia qui voluerit Linum, & Cletum prius gerere Pontificatum. Itaque coniectura hæc de cessione Clementis, & leuissima est, & plena difficultatibus, vt primum ordinari, & inthronizari se permittat, ac consentiat; imò vt etiam viuentibus Apostolis, qui ipsum ordinârunt Episcopum, ex eodem Epiphanio, exerceat Pontificalia, & Episcopos ordinet, & plenè Episcopus regat Ecclesiam Romanam, absentibus Petro, & Paulo; postea verò ipsis defunctis nescio quam puerilem faciat cessionem Episcopalis Cathedræ, iterum resumendæ. Auxit igitur, non sustulit Epiphanius difficultates. LVIII.

B

Concilient verò si possint Monarchici ordinationem & Lini, & Clementis in Episcopos Romanos à Petro, siue Petro, & Paulo factam, & non nisi vnum Episcopum vnius Ecclesiæ, præsertim Romanæ, eodem tempore sedentem saluent. Nam de Clemente irrefragabiles protulimus testes: de Lino verò Irænæus qui fortasse potuit Clementem vidisse, aperte asserit [a] Petrum, & Paulum Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradidisse. Hoc ne tibi videtur, Lector, Linum fuisse Chorepiscopum, & adiutorem Petri? Quid rogo plus habuit, quando iam perfectè Pontifex Romanus sedebat, quam Episcopatum administrandæ Ecclesiæ? Sunt ergo vana commenta facere Linum & Cletum Chorepiscopos, siue adiutores, & Vicarios, vbi & ex vi ordinationis, & ex functionibus Episcopalibus, & ex autoritate Scriptorum, qui proximi illis fuerant temporibus, plenè eos fuisse Episcopos habetur exploratum. Fuit ergo mira illa Ioannis 3. phantasia, [b] Linum, & Cletum in exterioribus tantùm fuisse occupatos, nisi fortè prius fuerint Petri Diaconi, vt fuisse Clementem, & Anacletum scripsit [c] Ignatius. Sicut & cæcorum pugna videtur, vbi Canonistæ, [d] ne duos, vel tres Papas totius mundi Monarchas simul cogantur admittere, & obijciunt Lini ac Clementis ordinationem Petro viuente factam; & Petri renunciationi non possunt assentiri; & Clementem faciunt in Lini fauorem renunciare; & iterum; illum faciunt Papam ab Electoribus, & non amplius à Petro factum: aliaque multa audacter proferant & ridiculè; quæque antiquissimis, doctissimisque Patribus prorsus aduersentur. LIX.

C

a *Iren. li. 3. c. 3*

b *Offam qu. 1. c. Si Petrus.*

c *Ignat. Epi. 2.*

d *Glossa. Quoniam, de renunc. n 6.*

D

Nos igitur vt antiquos Scriptores supra memoratos omnes conciliemus, & vera scripsisse omnes, sine vlla inter ipsos pugnantia, ostendamus, dicimus Romam ante omnes Paulum suos aliquot Discipulos misisse, qui prima in ea vrbe Euangelij jacerent fundamenta, & aduentui ipsius quasi viam sternerent. Præcipui ex his fuerunt [e] Prisca, & Aquila, quos suos vocat Paulus adiutores in Christo Iesu: erant Andronicus, & Iunias, quos idem vocat cognatos, & concaptiuos suos, & nobiles in Apostolis. Cùm itaque hos vocet Paulus, & adiutores suos, & Apostolos (in latiori profectò significatione) libenter assererem illos fuisse ad Apostolicam ordinariam potestatem, hoc est Episcopalem, prouectos omnes; siquidem ex Oriente in Occidentem procul mittebantur; tametsi ipse Paulus se designabat subsequuturum. Et video Timotheum proculdubiò Episcopum generalem, hoc est, Apostolum, nulli certæ sedi adhuc alligatum, ab ipso Paulo similiter vocari suum [f] adiutorem: Postea verò quando tandem ipse Paulus iam Romæ erat, video ipsius Discipulum [g] Linum, nec non Clementem eiusdem Pauli [h] adiutorem, & postea Petri [i] Diaconum; Anacletum quoque eiusdem Petri similiter [k] Diaconum, qui & Cletus à quibusdam vocatur, in Romana Ecclesia Ministros constitutos: si quis velit tantùm Presbyteros, non repugno; præsentibus enim duobus maximis Apostolis, satis erat si Presbyteros adiutores habuissent: sed tantos viros, & tantorum Apostolorum carissimos socios, & adiutores libentiùs facerem plenè Episcopos, cum plena ordinaria Apostolica potestate; omnes scilicet LX.

E

e Rom. 16.

f Ibid.

g 2. Tim. 4.
h Phil. 4.
i *Ignat. ep 2.*
k Ibid.

hos tres postremos, inter se æquales, (non enim arbitror priores illos iam fuisse superstites) antequam nimirum Apostoli ipsi opportunum censuerunt, vt in vnaquaque Ecclesia non nisi vnicus præesset propriè Episcopus, reliqui ministri essent duntaxat Presbyteri Episcopi sui adiutores. A

LXI. Cùm itaque, præter duos Apostolos, imò Apostolorum Principes, essent adhuc tres illi plenè Episcopi in vrbe Romana simul, tunc quando adhuc multæ Ecclesiæ communi Presbyterorum consilio gubernabantur, & tamen etiam in Romana Ecclesia esset, vt in cæteris omnibus, ad euitanda schismata, & confusiones, vnus Episcopus reliquo Presbyterio præficiendus, Petrus, & Paulus, præsertim circa vitæ suæ finem, instante martyrio, Clementi plenum Episcopatum detulerunt. Et hoc sibi volunt qui Clementem primum post Apostolos faciunt Episcopum Romanum: Sed quia & Linus, & Anacletus erant iam Episcopali autoritate decorati, quando plures non modo Presbyteros, sed etiam Episcopos eidem Ecclesia habere poterat, qui simul & in solidum illam regerent, Clemens profectò illos in suæ Ecclesiæ regimine socios habere voluit, & collegas: & maxima cum caritate, vt prius, simul Ecclesiam illam gubernabant. Meritò itaque Damasus in suo Pontificali Linum, & Cletum, à numero Pontificum Romanorum excluſit; quia de iure, & de facto Clemens fuit solus Pontifex Romanus, & sanè post Apostolos primus: de facto verò tantùm, sed non sine ordine Episcopali iam recepto, Linus, & Cletus Pontificialia exercebant, admittente eos sponte, & libenter Clemente in socios, & collegas. B

LXII. Iam verò quoniam ex his tribus Collegis, primus obijt Linus, post eum Cletus siue Anacletus, & vltimus ex ipsis Clemens; singuliq; eorum plena autoritate in regimine Ecclesiæ illius, saltem de facto, simul tamen & in solidum summa iuncti caritate perseuerauerunt; hinc factum est vt veteres alij primum locum Lino tradiderint, Anacleto secundum, tertium Clementi, tanquam tribus distinctis, & sibi vno post alium succedentibus; cum tamen reuera inter ipsos nulla fuerit successio propria. Nam si contigisset primum ex his tribus mori Clementem, ante Cletum, & Linum; Clementem Scriptores primum absolutè omnes fecissent, cum ipse verè, & propriè fuerit primus Romanus post Apostolos Episcopus, vt est explicatum. Cletus verò, & Linus inter Romanos Episcopos non fuissent à quoquam numerati, nisi mortuo Clemente iam peculiari electione fuissent ad Episcopatum assumpti; sicut factum est de alijs post Clementem: ac nisi forte adhuc illa consuetudo viguisset, quam vidimus apud Ambrosium, vt [a] antiquissimo antiquissimus succederet, antiquissimi verò vnus post alium, Clementi fuissent, Linus, & Cletus, subrogati. Alioquin satis ipsis non fuisset quod dicantur ab Apostolis Episcopatum habuisse: nam hoc intelligitur de Episcopatu, quo tempore plures simul esse poterant. Sed postquam ex Apostolica ordinatione, & institutione factum est, vt Episcopus vnicus, & fieret & regeret, hoc Clemens solus in Romana Eccl. habuit ab Apostolis. Vera, ergo & exacta Pontificum Romanorum numeratio post Apostolos incipit à Clemente, & cum ipsius successoribus continuatur, vt numerant Tertullianus & Latini: prætermisso tamen rigore alij eos numerant, qui ab Apostolis ordinati Pontificalia Romæ exercuerunt. Hinc est quod Gregorius Turonensis, & Martialem, & Gratianum, vtrumque aut alterum saltem Domini discipulum, à Romanis [b] Episcopis dicit in Gallos missos, alterumque fuisse primum Lemouicensium, alterum Turonicensium, Episcopum; tunc igitur erant Romæ plures Episcopi, qui varijs nationibus dabant Episcopos; quia tres illi summa cum caritate Ecclesiam illam simul regebant, & inde Christi fidem propagabant. C D

a *Ambr. in Ep. ad Gal. c. 4.*

b *Greg. Turon. de glor. confes. c. 4 & c. 27. & hist. Franc. l. 1. c. 30.*

LXIII. Non possum hic rem non quidem magni momenti, sed neque contemnendam prorsus, nimirum de duobus Anacletis, silentio præterire. Nam passim ponunt Scriptores recentiores post Linum, Cletum, quem [c] alij etiam vocatum Anacletum existimarunt; [d] alij verò non nisi Cletum verè, Anacletum verò æquiuocatione dictum, censuerunt. Et rursus post Clementem alium Anacletum ponunt. Ego verò vnum redundare prorsus, facilè mihi persuadeo: neque moueor maxima omnium ferme chronologiorum turba, dummodo illa ex primis fontibus, vnde omnes ista haurire debent, erroris conuincatur. Habemus porrò ex antiquis, non nisi vnicum fuisse Anacletum, quem tamen aliqui Cletum vocant. Irenæus enim, & [e] Eusebius, primos Romanos Episcopos sic collocant; Linus, Anacletus, Clemens, Euaristus, &c. Optatus verò, [f] Augustinus, & Damasus, sic; Linus, Clemens, Anacletus, Euaristus, &c. Epiphanius sic, Linus, Cletus, Clemens, Euaristus, &c. Hieronymus eodem ordine habet tres primos, nempe [g] Linum, Cletum, siue E

c *Bellarm. l. 2. de Rom. Pont. c. 5. ad fin.*
d *Baron. Tom. 1. an. 69. n. 41. & an. 93. n. 1.*
e *Euseb. l. 3. hist. cap. 12. & in chronico.*
f *Aug. Ep. 165*
g *Hieron. de script. Eccles. in Clem.*

A siue (vt Sophronius, & Hollandus legunt,) Anacletũ, & Clementem. Hi sane, etsi inter se discrepant, vel in nomine, vel in loco, & ordine; in numero tamen non discrepant. Quem enim alij dicunt Anacletum, alii eundem vocant Cletum: atque hunc aliqui præponunt immediatè Clementi, alij eundem statim ponunt post Clementem. Qui tamen Anacletum præponunt Clementi, ij post Clementem alium Anacletum non agnoscunt; sed hi omnes immediatè post Clementem ponunt [a] Euaristum. Qui verò postponunt Clementi Anacletum, ante Euaristum, hi ante Clementem neque Cletum, neque Anacletum vllum agnoscunt. Ac profectò Irenæus, qui scribebat sub Eleutherio, ipsum Eleutherium expressè facit duodecimum; & omnes nominatim numerando, vnicum ponit Anacletum, hoc pacto: [b] Linus, Anacletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginius, Pius, Anicetus, Sother, Eleutherius. Et Sixtum dicit esse sextum, & postea Hyginium facit octauum. (Quamuis [c] nonum quoque ipsum prius fecerit, sicut & [d] Cyprianus: sed tunc primum locum dat Petro, & Paulo; secundum Lino.) Neque fuit periculum vt ipse ignoraret, tam vicinus illis temporibus, Cletum & Anacletum fuisse diuersos, siue duos fuisse Anacletos; nam Clementi proximè subrogat Euaristum: neque in hoc numero vllus ex omnibus antiquis ab Irenæo discrepat. Anacletus igitur & Cletus idem sunt & vnus; & is melius Clementi præponitur, quam postponitur: nam Clementi Euaristum immediatè substituunt Irenæus, Optatus, Epiphanius, Eusebius, & Augustinus. Hieronymus & ipse Cletum seu Anacletum præponit Clementi; quis verò Clementi successerit in Hieronymo non habetur, sicut nec in Ignatio: Qui tamen ad Mariam Cassoboliten ita scribit, [e] Mihi autem in mentem venit vt dicam, verum tuisse sermonem, quem de te audieram, cum Romæ apud Beatum Anacletum Papam esses, cui nunc successit Beatissimus Clemens, Petri & Pauli auditor.] Atque ex ipso maximè conuincimus Cletum illum Clementis præcessorem, Anacletum potius vocandum, siquidem Ignatius illius temporis autor, Anacletum agnouerit: & fatetur [f] Mæstræus in omnibus codicibus Anacletum vel Anancletum inueniri: solum verò Turrianum adducit qui dixerit se in vno Codice pro Anacleto Linum vidisse. Certè in Epistola ad Trallianos, Anacletum hunc ipsum, aliquando Petri Diaconum fuisse, Ignatius idem scribit. Absque vllo ergo fundamento corrigit [g] Baronius Ignatij hanc Epistolam, vt Cletus pro Anacleto sit reponendus; & tanti momenti testibus omnino credendum est Anacletum, nec sane nisi vnicum, in Ecclesia Romana, vti priorem Clemente, Episcopum numerari.

a *Iren. l. 3. c. 3. & Euseb. l. 3. c. 28.*

b *Iren. l. 3. c. 3. & 4*

c *Idē l. 1. c. 28.*

d *Cypr. ad Pompeium, epist 74. edit. Pamel.*

e *Ignat. Ep. 1.*

f *Mastr. in notis in Ignat.*

g *Baron tom. 1. ann. 69. n. 38.*

Hunc videant Chronologi, credendumne sibi magis putent celeberimis, & antiquissimis in Ecclesia scriptoribus, non nisi vnicum Anacletum inter primos Romanos Episcopos numerantibus; an verò Apocryphorum somnijs, præter Cletum, siue Anacletum priorem, alium Anacletum Clemente posteriorem inducentibus? Quamuis enim Optatus, & Augustinus Anacletum ponant post Clementem; nullum tamen alium siue Anacletum siue Cletum ante Clementem posuerunt: vt hinc quisque exploratum habeat Anacletum hunc, quem hi Autores posteriorem faciunt Clemente, illum eundem esse, quem alij, & multo plures, multoque instructiores, Clementi anteposuerunt. Somnia verò de altero Anacleto in eo consistunt, quod Ecclesia, [h] inquiunt, duos festos dies, vt diuersorum, Cleti celebret, & Anacleti. Martyrologium enim Romanum habet Cletum vigesima sexta die Aprilis; Anacletum verò Iulij die decimatertia. Et Cletum narrat Romanum fuisse, Aemiliani filium: Anacletum verò Athenienſem, Antiocho patre natum. Velle tamen has nullius fidei Legendas, grauissimorum, & antiquissimorum Patrum assertionibus præferre, maturi iudicij laudem est infringere, ac nolle ad verum Lydium lapidem aurum probare, & ab aurichalco ipsum discernere, ac separare. Martyrologia profecto, dies festi, ac Lectiones Breuiarij, ex his ipsis antiquis, & classicis autoribus debent firmari, ac, sicut nostris etiam diebus factum est, corrigi, & emendari. Romanæ, *inquiunt*, Ecclesiæ, in rebus ipsius proprijs, magis credendum, quam cuiquam scriptori: Indices verò Romani antiqui ita habent. Respondeo cæteris paribus magis ipsi credendum. Vbi vero antiqua documenta falsitatem esse, quam ipsa tuetur, euincunt, errorem ex diuturnitate temporis illapsum ipsa etiam debet cognoscere. Cum etenim vna & constans, non vnius, sed multorum, qui illo tempore viuebant, & scribebant, sit narratio, ac primorum illorum Episcoporum numeratio; quis audebit ei reſragari? Iam de his, ac de toto hoc capite satis.

h *Bellar. l. 2. de Rom. Pont. c. 5. & Baron. tom. 1. ann. 69. n. 42*

LXIV.

CAP.

CAP. IV.

Ordo Sacer quomodo efficiat, & afficiat Ecclesiæ Ministros.

SVMMA CAPITIS.

Proponitur quæstio de sacro ordine, sitne verum Sacramentum, num. 1, 2.
Primum argumentum, quo tollitur ab ordine ratio vera Sacramenti, est, quia ordinatio non semper suum habet effectum, quod probatur ex Patribus, à num. 3, ad num. 11.
Secundum argumentum specialius, Quia Simoniaci nihil accipiunt, & hæretici nihil conferunt, num. 12, 13, 14, 15, 16.
Tertium ex ipsamet Sacramentorum institutione, & peculiari concursu Dei, & quia iterabilis est ordo, & amissibilis; à num. 17 ad num. 23.
Quartum ex differentia ordinationis in Episcopum & in Presbyterum, num. 24, 25, 26, 27, 28.
Obiectiones proponuntur, & soluuntur à num. 29, ad num. 44.
Ordo Diaconatus explicatur, num. 45, 46, 47. Diaconorum officia enumerantur à num. 48, ad num. 52. Qua occasione Diaconi ad altare peruenerint, à num. 53, ad num. 57, Archidiaconi considerantur, num. 58.
De Subdiacono tractatur, num. 59, 60, 61.
De minoribus ordinibus, num. 62, 63.
Ordines, seu officia à Paulo numerata explicantur, à num. 64, ad finem.

I. REctores & operarios Sanctæ Christi Ecclesiæ, post Apostolos, Episcopos fecimus & Presbyteros; docuimusque ad Presbyteratum siue Episcopatum neminem euehi, [a] nisi legitima Ecclesiastica ordinatione promoueatur; ab ijs videlicet, qui potestatem ad hoc à Christo traditam Apostolis, legitima pariter ab ipsis Apostolis successione in Ecclesia rite exercendam, acceperunt. Ordo ergo sacer ab Episcopis datus, procul dubio legitimum facit Ministrum. Sed quomodo hoc ordo ipse efficiat, quidque in ordinato operetur, restat nunc exquirendum. Vt enim verum & indubitatum est, neminem in Ecclesia Rectoris seu Verbi ac Sacramentorum Ministri, habere posse dignitatem, cum necessaria potestate coniunctam, nisi ab habentibus ad hoc autoritatem instituatur; ita inquirendum num sola efficax missio, siue vocatio id plene efficiat; an verò sit ad hoc externa etiam ordinationum, siue consecrationum ceremonia necessaria; adeo vt sine tali externa ceremonia, ordo effectum suum non sortiatur: & sit ne talis ceremonia ad ordinem conferendum necessaria, necessitate, vt loquuntur scholæ, medij, an tantùm præcepti. In his ergo exactius disquirendis in hoc capite est nobis laborandum.

a *Supra cap. 1. num. 9-11.*

II. Qui ordinem sacrum faciunt verè & propriè Sacramentum nouæ legis, quod ex opere operato suum effectum necessario sortiatur, debent profecto fateri ordinationem peragi non posse, nisi externa ceremonia adhibeatur, quæ necessitate medij sit adhibenda; & sine qua ordo ipse nequaquam teneat. Verum enim Sacramentum & verbis perficitur, aiunt, & elementis; hoc est actu aliquo externo sensibili, qui sit materia; & certis verbis, quæ sint totius forma Sacramenti. Hoc itaque tenent communiter Theologi omnes nostri scholastici moderni: qui vel impositionem manuum, vel traditionem calicis, librorum, simulumque rerum, ordinis faciunt materiam: verba verò illa, Accipe potestatem, &c. volunt esse formam huius Sacramenti. Quoniam tamen in hoc à nobis plurimum dissentiunt nostris temporibus multi, & par est nos veritatem indagare, ac ostendere in hac nostra Ecclesiastica Repub. quomodo fiant, & instituantur ij, qui illam regunt, veneranda de more consulta antiquitate, & efficacioribus depromptis ex sacra Diuina Scriptura oraculis, & argumentis, quid statuendum in hoc nobis videatur, indicabimus.

III. Multa sane & ea grauissima testimonia habemus in Ecclesia Catholica, quæ in sacris Ecclesiasticis ordinibus veram Sacramenti proprie dicti rationem non agnoscunt. Ac certe vbi verum est Sacramentum non iterabile, sed imprimens, vt dicitur, characterem,

A rem, id in quocunque, quantumuis fictè, & indignè accedat, suum primum, & proximum effectum necessariò sortitur; ita vt verè, & valide Sacramentum accipiatur; etiamsi res Sacramenti, nempe gratia, non recipiatur. Et adeò fixè, ac immobiliter recipitur ipsum Sacramentum, & consequenter potestas etiam ea validè peragendi, quæ propria sint illius Sacramenti, vt amitti nulla ratione possit; aut effectus talis Sacramenti, quantuncunque illicitè, & sacrilegè is eo vtatur, seruatis substantialibus, impediri. Concedunt hoc mihi libenter Scholastici omnes, aut saltem præcipui quique, quos recentiores Scholæ protulerunt. Quicunque igitur negabunt in ordine effectum hunc ex opere operato infallibilem, veram veri Sacramenti rationem in eo non agnoscent. De quo effectu, quid sancti Patres sentiant, disquiramus.

IV.

B Cyprianus, [a] Solicitè, *inquit*, ac religiosè considerantes in ordinationibus Sacerdotum, non nisi immaculatos, & integros Antistites eligere debemus, qui dignè, & sanctè sacrificia Deo offerentes, audiri in precibus possint, quas faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate, cùm scriptum sit Deus peccatorem non audit, sed si quis Deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit. Propter quod plenâ diligentiâ, & exploratione sincerâ oportet eos ad Sacerdotium deligi, quos à Domino constat audiri. Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis à contagione esse delicti possit, cum Sacerdote peccatore communicans, & ad iniustum atque illicitum Præpositi sui Episcopatum consentum suum commodans: cùm per Oseam Prophetam comminetur, & dicat censura Diuina; [b] Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur; docens scilicet, & ostendens omnes omninò ad peccatum constringi, qui fuerint profani, & iniusti Sacerdotis sacrificio contaminati. Quod idem in Numeris manifestari inuenimus, quando Chore, & Dathan, & Abiron, contra Aaron Sacerdotem sacrificandi sibi licentiam vendicauerunt. Illic quo-

C que per Moysem præcipit Dominus, vt ab eis populus separetur, ne facinoro sis coniunctus eodem facinore & ipse perstringatur; [c] Separamini, *inquit*, à tabernaculis hominum istorum durissimorum; & nolite tangere ab omnibus quæ sunt eis, ne simul pereatis in peccato eorum. Propter quod plebs obtemperans præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præpolito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere.] Hæc Cyprianus.

a Cyprian. lib. 1. Epist. 4.

b Ose. 9.

c Num. 16.

V.

Si ordo esset Sacramentum verum, tale in suo genere, qualis est Baptismus, vt communiter asseritur, Sacerdos etiam indignissimus, eo initiatus, sacrificium legitimum, & sanctum conficeret, id enim esset effectus Sacramenti ex opere operato. Cur verò panis ab eo consecratus dicitur à Cypriano Panis luctus? Cur plebs à sacrificijs huiusmodi debet abhorrere? Cur si ijs misceatur, sacrilegio dicitur contaminari? Comparatio verò illa Epis-

D copi indigni indignè ordinati, cum Chore, Dathan, & Abiron, qui fuerunt meri vsurpatores sacerdotalis officij, & nequaquam Sacerdotes, nonne satis ostendit Cyprianum in ordine opus operatum non agnouisse? Sed audiamus illum rursus de eadem re contra Nouatianum differentem: [d] Episcopatum autem, *inquit*, tenere non posset, etiamsi Episcopus prius tactus à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ vnitate desciscceret; cùm Apostolus admoneat, vt inuicem nosmetipsos sustineamus, nec ab vnitate quam Deus constituit recedamus, & dicat; [e] Sustinentes inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem spiritus, in coniunctione pacis. Qui ergo nec vnitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à Sacerdotum Collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatus nec vnitatem voluit tenere nec pacem.] Separabilis ergo est, & honor seu dignitas Episcopalis, quoad exercitium; &

E ipsamet potestas quoad ordinem, ab Episcopo etiam legitimè ordinato, si fecerit schisma, & vinculum abruperit charitatis; nec potestatem, inquit, potest habere, nec honorem; non dicit exercere. Vbinam igitur ordinis character indelebilis?

d Cyprian. l. 4. Epist. 2. post medium.

e Ephes. 4.

VI.

Sed Dionysius etiam Areopagita nihil arbitratus est efficere ordinationem in homine illiterato, & ad docendum inepto: Ait enim; [f] Quod si Sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profectò penitùs abhorret à Sacerdotum ordine atque facultate, is, qui illustrandi vi non est præditus, ac multò magis etiam is qui illustratus non est. Ac mihi quidem videtur audax, & temerarius, si quis ea sibi sumat quæ sunt propria Sacerdotum, neque metu, & pudore à Diuinorum tractatione, præter captum ac meritum deterreatur; putatq; Deum ignorare, quæ ipse sibi est conscius, & sperat se decepturum eum, qui à se falso nomine appellatur Pater, audetque sceleſtus suas, vt ita dicam, maledictiones (neque enim preces dixerim) in Diuinis ministerijs Christi imitatione proferre. Non est iste Sacerdos, non

f Areop. ad Demo.

est,

est, sed inimicus fallax, irrisor sui, lupusque in gregem Domini, ouina pelle armatus.] Dionysius itaque & ipse Sacra imperiti Sacerdotis maledictiones vocat; quia ipsum existimauit ordinem sacrum nequaquam accepisse. Ordo igitur, ex Dionysio, per modum Sacramenti neque confertur, neque operatur. Et hominis insciticia atque, inhabilitas ad docendum, & ad propugnandam fidem, reddit ipsum, si Dionysium sequamur, sacri ordinis incapacem: vt perinde sit hominem illiteratum, hoc est, in Sacra Scriptura, ac necessaria Theologia imperitum, in Episcopum consecrare; atque si quis tentaret non dicam brutum aliquod, & stolidum animal, sed mulierem, in Episcopali Cathedra collocare. Episcopis enim Apostolorum successoribus dicitur à Domino, [a] Euntes docete; qui verò idoneus non est ad docendum, & prædicandum, is Apostolus esse non potest. Et sicut forma hominis veri, qui sit vniuoce homo, est anima rationalis; sine qua, quicunque videatur homo, aut mortuus, aut pictus, is homo erit æquiuoce: & vt ait Aristoteles, [b] Manus non habens vim operandi, manus non est, nisi æquiuoce; ita Episcopus sine doctrina sacra, & habilitate ad docendum, Episcopus est duntaxat æquiuoce. Et hic est sensus Areopagitæ. Sed de hoc plura alias.

a Matth. 28.

b Arist. l. 4. de. an. c. 2.

A

B

VII.

Hieronymum habemus adstipulatorem; qui promotos ad Sacerdotia modis illegitimis, nequaquam censuit esse verè ordinatos, ait enim; [c] Tertium Apostolorum genus, quod ab homine non à Deo est, cum hominum fauore, & studio aliquis ordinatur: vt nunc videmus plurimos, non Dei iudicio, sed redempto fauore vulgi, in Sacerdotium subrogari.] Quomodo verò tale Sacerdotium erit Sacramentum, si à Deo non est? Imo hoc est proprium Sacramenti, vt Deus in ipso semper operetur, & nunquam exhibeatur ab homine ritus ille externus Sacramentalis, quin semper, & infallibiliter, ex pacto Diuino, Deus ipse Sacramentalem effectum operetur. Cum igitur Sacerdotium aliquando habeat Deum autorem; aliquando non habeat; Sacramentum propriè non erit. Huc adde quæ idem alibi scripsit Hieronymus, nimirum, [d] Qui Pastor est, esse debeat, & magister: nec in Ecclesijs quamuis Sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere quos pascit.] Item [e] Sacerdotes qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam: & necessariam esse tantum solennem orationem, & non Sacerdotum merita, de quibus dicitur, [f] & Sacerdos in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino.] Cosideret porrò Lector, an facere Eucharistiam significet consecrationis fructum percipere; vt locum hunc interpretantur [g] nostri. Non multum discedit à Hieronymo etiam Gelasius, ita scribens; [h] Sacrosancta Religio, quæ Catholicam continet Disciplinam, tantum sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet, nisi pura conscientia, non audeat peruenire. Nam quomodo ad Diuini mysterij consecrationem cælestis spiritus inuocatus aduenier, si Sacerdos, & qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?] Quæ verba Gelasij Aquinas, vt Gratianus superiora Hieronymi, distorquet, [i] dicta esse contra eos Sacerdotes qui se ritè, & dignè Eucharistiam consecrare putant ex eo quod sint Sacerdotes, tamet si peccatorum sordibus immundi sint.] Gelasius tamen negat cæleleste spiritum ad consecrationem mysterij aduenire, vbi sceleste consecrat: non asserit Cœlesti Spiritui ingratum esse Sacerdotem malum Eucharistiam indignè, & cum peccato consecrantẽ; sed significat profectò Eucharistiam à malo inualidè, & non tantum indignè consecrari. Augustinus quoque totidem verbis cum Hieronymo 4. Apostolorum genera ponit: [k] ADeo non per hominem, vt Moyses: A Deo per hominem, vt Iesus Naue: Per hominem tantum, vt multi fauore vulgi in Sacerdotium subrogantur: Ex se, vt pseudoprophetæ. Quæritque quomodo scire possumus qui mittatur à Deo: Et respondet; [l] Illum cognosce missum à Deo, quem non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio eligit; sed illum quem & vita, & mores optimi, & Apostolicorum actio commendat Sacerdotum.] Certè misione legitima fieri Christi Ministrum nemo dubitat: legitima verò missio à Deo est, sed nunc per homines qui ordinant: cum tamen sint aliquando ordinati per homines, qui tamen à Deo non sint missi, vt ex signis eos inquirit Augustinus, planum est ordinationem non esse Sacramentum, quia effectum non semper habet. Leo, [m] Nulla, *ait*, ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti.] Quid si tamen contra ista iura quis consecretur? subiungit idem Leo, Quis ambigat non esse eis tribuendum, quod non docetur fuisse collatum?] Itaque Leo promotos contra Canones, ordinem censuit non suscipere, Non est igitur Sacramentum.

c Hieron. in Ep. ad Gal. c. 1.

d Idem Hier. in ep. ad Ephes. c. 4.

e Idem in solit. c. 3.

f Leuit. 21.

g Gratian. 1. q. 1. c. Neque potest. par. Cum vita.

h 1. q. 1. c. Sacrosancta.

i Aquin. 3. p. q. 82. a. 5.

k Aug. Dialog. q. 65. & 64.

l Ibid. q. 65.

m Leo Ep. 88. 1 2. par. 2.

C

D

E

VIII.

Gregorius Simoniacè ordinatos nihil recipere docuit, [n] Quicunque, *inquit*, Sacerdotium

n Greg. l. 7. ep. 110.

A dotium studet precij datione mercari, non officium, sed nomen attendit; non esse sed dici tantum Sacerdos concupiscit.] Et Ambrosius, [a] Ergo, *inquit*, gratiam cum ordinaueris non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti: & ideo frater si gratiam non accepisti, quomodo Episcopus esse potuisti? Aurum dans perdidisti, & gratiam Sanctam non acquisisti.] Vide locum hunc Ambrosij fusiùs tractatum, huius operis lib. 9. cap. 9. n. 90. Gratia verò ordinationis non est gratia gratum faciens, vt docebo inferius, sed ipsamet potestas. Ecce tibi æquiuoce tantum Sacerdotes, hoc est re vera non [b] ordinatos; & tamen si Sacramentum esset ordo, Symoniaci etiam, cum peccato quidem, sed tamen ordinem reipsa & non solo nomine acciperent. Autor operis imperfecti longè clariùs idem persequitur, quod supra Hieronymus dicebat de ijs qui ab hominibus, & non à Deo ordinantur, ita scribens; [c] Diaconis & Doctoribus secundum præuidentiam suam, illis videtur
B Deus iniungere Ministerium Diaconatus, aut Presbyteratus, qui sunt iusti. Qui autem inueniuntur iniusti, illos homines ordinasse videntur, non Deus: Ab exitu ergo rei cognoscitur qui à Deo ordinatus est, & qui ab hominibus: qui enim Ministerium suum bene consummauerit, apparet quia ex Deo fuerat ordinatus; qui autem Ministerium suum non bene consummauerit, ex hominibus ordinatus est. Quomodo autem quidam Sacerdotes ex hominibus ordinantur manifestè in libro octauo Canonum Apostolorum dicitur: Qui autem ex hominibus ordinatus est, quantum ad Deum non est Diaconus aut Sacerdos: ergo in Sacerdotibus quidem, & Diaconis non est inuentus vt perdat talenta, qui secundum præscientiam ordinatur à Deo. In popularibus autem euenit, quomodo etiam qui peccator futurus est à Deo accepit fidei gratiam. Secundum hæc ergo quæ diximus, si Presbyter, aut Diaconus, peccator inuentus fuerit, quoniam quantum ad præscientiam Dei, sicut iam diximus, non ex Deo, sed ex hominibus factus videtur Presbyter
C aut Diaconus, quasi Laicus inuenitur inter eos qui vnum talentum fidei acceperunt: ac per hoc nemo ordinatus à Deo peccat, nisi qui vnum talentum accepit à Deo. Ideo autem gratia fidei omnibus à Deo præstatur, gratia autem Clericatus non omnibus, sed dignis; quia in illa causa salutis est; in ista autem dispensatio Ministerij.]

Verba Clementis in Apostolicis constitutionibus illa sunt; [d] Episcopus imperitia aut nequitia cumulatus, non est Episcopus, sed falso nomine gaudet, vt qui non à Deo, sed ab hominibus constitutus sit.] Et post pauca, Perspicuum est igitur falso nomine præditos Episcopos atque Presbyteros, diuinam vltionem non declinaturos.] Et postea: Illudque præterea addimus, Deum talibus hominibus gratiam auferre.] Quæ dicta visa sunt [e] Bouio Episcopo Ostunensi, & [f] Sixto Senensi, simul cum dictis & Hieronymi, & operis
D imperfecti, modo à me productis, vergere plurimum in fauorem Husitarum, negantium Episcopum, Presbyterumue, mortali peccato obstrictum, esse Episcopum, vel Presbyterum: eaque interpretantur esse intelligenda, non de ipsa potestate Episcopali, sed de malo vsu; hoc est Deo non esse accepta munera ipsorum Sacerdotalia, & officia cum peccato mortali peracta. Sed verba constitutionis, & illorum autorum, expressè negant esse Episcopos, à Deoque ordinatos: eosque comparant falsis prophetis Ananiæ, Sameæ, Sedechiæ, Achiæ, Balaam, &c. Vt sicut hi non fuerunt veri Propheræ à Deo missj, ita nec illi sint veri Episcopi; sed eos falso Episcopi nomine vocari asserunt: Sacramentum verò quod sine Deo peragitur, Sacramentum non est: adduntque gratiam eis à Deo auferri; Sacramentalis autem gratia illa quæ est apud nos character, nunquam amittitur, neque à Deo aufertur: dicunt etiam gratiam Clericalem non præstari nisi dignis; quæ de solo
E vsu nullo modo possunt intelligi aut explicari. Ad hæc, si potestas ordinis in his esset integra, & vsus malus, non possent dici opera & munera talis ordinis, etiam à sceleftis Episcopis, vel Presbyteris peracta, esse Deo inuisa, & ei neque grata neque accepta; talia enim opera cum supponantur esse Sacramentalia, & consequenter semper multo magis Diuina quàm humana, quia in Sacramentis Deus est qui operatur, sequeretur Deo ipsiusmet opera quæ ipse facit, non esse grata neque accepta. Cur ergo opus Sacerdotis indigni dum offert, benedicit, orat, &c. non est à Deo acceptum? quia est opus operantis. Si verò esset opus alicuius Sacramenti, illud sanè ex opere, vt inquiunt, operato, Deo esset gratissimum, & acceptissimum; etiamsi à sceleftissimo fieret Sacerdote, vt est Baptismus. Vanus igitur est labor Petri Damiani in contrarium conantis: [g] cuius etiam tempore negabant aliqui ordini sacro vim Sacramenti; ipse verò supponens esse verum Sacramentum contendit semper ad ordinationem consequi effectum. Nos verò quia vidimus negari effectum multis ordinationibus, hinc ordinem non esse Sacramentum colligimus.

Ioannes

[a] *Ambros. de dignit. Sacer. cap. 5.*

[b] *1. q. 1. c. Quicunque.*

[c] *Opus imperf. hom. 13. apud Clerf.*

IX.

[d] *Constitut. Apostolic. l. 8. cap. 1.*

[e] *Ostunen. in Scholijs Constit. Apostolicar. l. 8.*

[f] *Sixt. lib. 6. Bibliot. annot. 108.*

[g] *Pet. Damian. ep. 16. in Bibliot. SS. PP. to. 3.*

X. Ioannes ergo Hus, si nihil aliud voluit, nisi Episcopum imperitum, aut nequam, non esse proprie Episcopum, nisi æquiuoce; idem prorsus debet esse de ipso iudicium, quod de cæteris à me hactenus citatis, & posteà citandis; nam vel omnes in hoc errant, vel nullus. Si tamen Hussitæ volunt peccatum mortale Sacramenta administrantis, auferre & impedire vim & efficaciam Sacramenti per malos ministros administrati, errant grauiter. Iam enim ab antiquo explosus est ab Ecclesia error Cypriani, hæreticorum baptisma non admittentis. Et iam statutum est, non hominem esse, sed Deum qui baptizat. Mihi tamen Hussitæ huc non videntur adigendi; nam quamuis negauerit Hus malum Sacerdotem efficere id quod Sacerdotalis ordo potest & solet efficere, ideo negauit, quia ordinem non putauit esse verum Sacramentum: & ordinis quidem gratiam sciebat esse necessariam ad ea quæ sunt ordinis propria peragenda: eam tamen per peccatum amitti existimauit. Quia verò Baptismus non pendet à gratia ordinis, sed à quocunque ministretur, præsertim Baptizato, baptismum optime datum agnouit & ipse cum Ecclesia Catholica. Alias tamen Sacerdotales functiones, ab ordine Sacerdotali necessario pendentes, nullas esse censebat Hus, si ab indigno Sacerdote exercerentur. A B

XI. Opponere tamen Hussitis possumus, vt ex parte opponit Bellarminus, [a] cur ordinationes à Catholicis Episcopis Romanæ Ecclesiæ filijs & alumnis, petunt & accipiunt; cum tamen ipsos Episcopos iam putent esse hæreticos? Si enim ordo non est Sacramentum, vt ipsorum Hussitarum magister censuit, fecit enim delebilem & amissibilem, Hæretici Episcopi non erunt Episcopi, & consequenter nihil possunt dare: Cum verò se rite à talibus Episcopis ordinatos putent, necesse est vel discedant à Magistro; vel Catholicos Episcopos ab hæresi, & nequitia faciant immunes. Quid ipsi ad hoc responsuri sint prorsus ignoro: Ipsi viderint. Si meum in hoc postularent consilium dicerem, ita respondeant, se quantum, in ipsis est, schisma non amare, nec velle se à tota Ecclesia Christi diuellere, Ideoque ordinationes velle ab ijs habere, qui legitima successione ab Apostolis, Apostolicam retinent autoritatem; vt sic legitimi sint ministri, & legitimam habeant & ipsi potestatem ministerialem. Et se quidem nostros Episcopos non putare esse formaliter hæreticos, quia à talibus non peterent ordinationem, si in sui magistri velint iam dicta opinione perstistere; quamuis in multis eos doctrinam patum tutam materialiter tenere arbitrantur, & fortasse hæreses: quæ quia tamen nondum est à tota Ecclesia sufficienter condemnata, ideo tanquam hæreticos nolunt vitare, vt in suis opinionibus quisque abundet pro sensu suo, donec Ecclesia plene, quid sentiendum sit de fide, decernat. Atque vtinam ita & responderent, & facerent omnes Euangelici reformati, vbi non habent commoditatem Episcoporum reformatorum, vt ante omnia schismata dissoluantur. Sed iam susceptam de Sacramento ordinis disceptationem prosequamur. C D

[a] Bellar. lib. 1. de Sacram. in Gen. c. 26.

XII. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, ad Papam Adrianum scribens, & ordinationes Symoniacas reprobans, illa habet; [b] Quanquam (Simoniace ordinatus) nomine Sacerdotium sortitus est; sed in eum falso nomen istud conferri re ipsa comprobatur.] Item, Compertissimum quoque est, in ipsis Sancti Spiritus gratiam non esse, aut Sacerdotij sanctificationem; & quod non acceperunt non habent.] Non dicit quod acceperunt non possunt licite exercere: sed absolute negat eos quicquam accepisse; ac ne nomine quidem Sacerdotum vult eos insigniri. Et Gregorius septimus [c] Ordinationes, inquit, quæ interueniente precio, vel precibus, vel obsequio alicuius personæ ea intentione impenso; vel quæ non communi consensu Cleri & populi, secundum Canonicas sanctiones fiunt, & ab his ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, infirmas & irritas esse dijudicamus; quorum qui taliter ordinantur, non per ostium, id est per Christum intrant, sed vt ipsa veritas testatur, fures sunt & latrones.] Quomodo ergo ordo erit Sacramentum si non semper suum imprimit characterem? nec semper in eo Christus operatur? nec semper ordinatos in numerum reponit ministrorum, sed in numero furum & latronum? E

[b] In decreto t. 7. t. ad c. Eos qui.

[c] Greg. 7. l. 6. regist. ad ep. 5. in Decretis.

XIII. Et sane quod spectat ad ordinationes factas ab hæreticis, eas & nullas, & irritas esse, ac nihil efficere, ex Romanis Pontificibus facile est confirmare. Innocentius verò primus [d] Arianos, inquit, cæteraque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conuersos ad Dominum, sub imagine pœnitentiæ, ac sancti spiritus sanctificatione, per manus impositionem suscepimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotij aut Ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate. Quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus, quod vtique in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti perficitur, nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo Baptismate, illisque mysterijs arbitramur: quoniam cum à Catholica fide eorum autores

[d] Innoc. in ep. 20. tom. 1. par. 2

A autores desciscerent, perfectionem Spiritus, quam acceperunt, amiserunt, nec dare eius plenitudinem possunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam, potius quàm per fidem dixerim, perdiderunt.] Ex quibus Innocentij verbis ordinem de mente Innocentij esse Sacramentum colligere conatur Bellarminus; [a] Quia, *inquit*, ex collatione Baptismi cum ordine, patet Innocentium æquè Sacramentum putasse ordinem, atque Baptismum.] Ego verò ex hac collatione contrarium colligo: quia enim ordinatos ab hæreticis non vult in ordinibus suscipi; baptizatos tamen in illo Baptismate suscipit: certè disparem valdè agnoscebat rationem inter ordinem, & Baptismum, & quæstio præcipua ei proponebatur de ordinatis ab Arianis Episcopis, quos, si conuerterentur, pro ordinatis non esse habendos decernebat: quanquam & baptizatos vix pro baptizatis acceptabat. Non ergo confert ordinem cum Baptismo vt paria, sed vt disparia & dissimi-

B lia. Ac sanè verba ipsius sunt clarissima, dum Episcopos Arianos amisisse, per hæresim, asserit gratiam illam, & Spiritus Sancti assistentiam, quæ in ordinationibus est maximè necessaria: Imò quæ maximè ordinationem ipsam operatur. Vnde & ad Episcopos Macedonas scribens, eandem suam sententiam apertiùs explicat, & ait; [b] Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem. Cùm nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput, vbi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem; quæ sanitas post vulnus secuta, sine cicatrice esse non poterit: Atque vbi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus. Nam si, vt legitur, quod tetigerit immundus immundum erit, quomodo ei tribuetur quod munditia ac puritas consueuit accipere? Sed è contrario asseritur, eum qui honorem amisit, honorem

C dare non posse, nec illum aliquid accepisse; quia nihil in dante erat quod ille posset accipere. Acquiescimus, & verum est. Certè quia quod non habuit, dare non potuit, damnationem vtique quam habuit per prauam manus impositionem dedit: & qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, inuenire non possum.] Hæc Innocentius: qui tamen pergit ibidem confirmare hanc suam sententiam de inualiditate ordinationum ab hæreticis profectarum, soluendo si quid contra ipsius sententiam obijceretur ex Synodo Capuana, quæ ordinatos à Bonoso Episcopo Macedone, suscipi permittebat; & ex Concilio Nicæno, quod Catharos Clericos ad Catholicos venientes, cum suis ordinibus relinqui statuerat: Id enim ex necessitate & pro tempore toleratum fuisse interpretatur Innocentius, sed amplius non esse tolerandum. Ex qua Innocentij disputatione adhuc magis liquet ipsum ordinationes sacras inter vera Sacramenta censuisse non esse numerandas. Nam quo pacto ex vna parte absolutè negat quicquam recipi ab ordinatore hæretico; &

D caput ordinati vulnerari non sacrari: ex alia verò parte ex indulgentia Ecclesiæ vult posse ordines huiusmodi absque vlla noua legitima ordinatione conualidari, nisi quia solam putauit deputationem ab habentibus autoritatem, sufficere ad ordinationem? Vt qui prius non erant ab habentibus autoritatem, nempe ab hæreticis, legitimè deputati, suscepti ab Episcopis Catholicis ex sola concessione vt persistant in ordinibus ad quos deputati videbantur, tam satis deputati censebantur. Et de hoc infra fusiùs.

XIV.

Nicolaus primus de Gregorio Syracusano Episcopo schismatico, qui Photium ordinauerat, ad Michaelem Imperatorem ita scribit; [c] Gregorius ergo qui Canonicè ac Synodicè depositus, & anathematizatus erat, quemadmodum posset quenquam prouehere vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius à Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.] Et post nonnulla rursum; Consideret ergo, *inquit*, diuinitus vester inspiratus apex, quomodo Photius, etiamsi nihil aliud nisi iure valeat impedire, queat in Sacerdotali gradu persistere; quandoquidem institutor suus, cùm hic ordinaretur, non solùm Sacerdotio, verumetiam ipso carebat Christiano vocabulo.] Idem

E fermè habet [d] Adrianus ad Basilium Imperatorem, & ad Ignatium Constantinopolitanum.

XV.

Quid mirum igitur si magister Sententiarum in eandem cum his Patribus inclinet sententiam? [e] Illi verò qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifestè notati, non videntur hoc Sacramentum (*Eucharistiæ*) posse conficere, licèt Sacerdotes sint; quia nemo dicit in ipsa consecratione offero, sed offerimus, quasi ex persona Ecclesiæ, & ideò cùm alia Sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur.] Et post pauca; Nunquid enim si hoc mysterium hæreticus ausus fuerit vsurpare, Angelum de cœlis mittit Deus, oblationem eius consecrare? maximè cum eisdem per Prophetam comminatus sit, dicens; [f] Maledicam benedictionibus vestris. Quodsi benedictionibus eorum se asserit maledictu-

[a] *Bellar. li. de Sacram. ordin. cap. 3.*

[b] *Innocen. 1. Epist. 27.*

[c] *Nic. 1. Epist. 9. tom. 3.*

[d] *Adr. Epist. 3. Tom. 4.*

[e] *In 4. dist. 13.*

[f] *Malac. 2.*

rum veritas, quid erit de Hostia, &c.] Vbi sanè Magister, etiamsi ordinem non auferat ab hæretico, & verum ipsum alibi faciat [a] Sacramentum, hic tamen cogitur fateri ordinem non semper necessario habere suum effectum; & Sacerdotem non semper consecrare, quantumcunque conetur; et hoc plurimùm aufert à vero Sacramento potestatis: & quamuis Scholastici in hoc Magistrum non sequantur, ipsum tamen hoc ita sensisse, & scripsisse, nemo ambigit; cui plurimum fauet [b] Pelagius Papa. Sed ad hanc nostram, quam nunc præ manibus habemus, idem Magister propius accedens quæstionem, An ordo sacer ab hæretico datus teneat, [c] Multa in vtramque partem differit; & licet neutri adhæreat, vtramque tamen relinquit vt probabilem. A

a In 4. Dist. 24.

b 2. 4. q. 1. c. Schisma.

c In 4. dist. 25.

XVI. Fateor equidem hæc tot Patrum dicta asperiora posse videri, & ad terrendos malos Sacerdotes amplificata. Et quidem Sacram ordinationem ex personæ ordinantis, seu ordinatæ insigni aliquo defectu personali interdum quoad Deum irritam esse, & inanem, neque inordinatum quicquam à Deo cõferri, contra tot, & tam serias autoritates, negare absolutè non audeo: vnde & satis colligitur ordinationem non semper operari infallibiliter, sicut verum operatur Sacramentum. Sed tales à solis hominibus ordinatos, & Deo non acceptos, sicut sine certa reuelatione indigitare semper non possumus, neque debemus; ita etiam ministeria talium penitus irrita facere, durum mihi videtur. Sequi tutò in hoc possumus Chrysostomum, assertiones hasce cum aliqua moderatione proferentem; ait enim; [d] An ignoras quid sit Sacerdos? Angelus vtique Domini est, non ex seipso loquitur: si despicis, non illum despicis, sed Deum qui illum ordinauit. Sed vnde, inquies, constat Deum fuisse illius ordinationis autorem? nempe nisi tu hanc habeas opinionem, spes tua inanis facta est: nam si nihil per illum operatur Deus, neque lauacrum habes, neque mysteriorum particeps es, neque benedictionibus frueris. Non ergo Christianus es. Quid? Ergo Deus omnes ordinat? etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat: per omnes tamen ipse operatur salutem populi moliens.] Vult igitur Chrysostomus etiam non ordinatos à Deo, & malos, ac indignos, validè baptismum conferre, Eucharistiam conficere, bona docere, ac alia ministeria peragere. Quod tamen spectat ad ordinationem internam, eam à solo Deo peragi, & non omnes qui ab hominibus ordinantur externe, etiam à Deo ordinari interne apertè testatur; licet per hos quoque multa efficiat Deus ad salutem animarum. Hi ergo si quid efficiunt, non vi ordinis interioris, sed ex speciali Diuina prouidentia efficiunt, ne salus patiatur animarum; cum tamen interim in foro Ecclesiæ pro rite, & legitime ordinatis ordinariè præsumi debeant. B C

d Chrys. in ep. 2. ad Tim. hom. 2.

XVII. Iam verò mihi ordinem an sit Sacramentum intimè consideranti, illud occurrit, Sacramenta esse res maximi momenti in Ecclesia, & ea à solo Christo immediate instituta, & Ecclesiæ tradita, ac mandata fuisse. Quis enim obliget Deum, vt ex pacto adsit operatione certa supernaturali, semper quoties nos certas naturales operationes exercemus; nisi is qui talia instituit, sit Deus? Ac propterea si in Diuina Scriptura clare, & manifeste, conceptis verbis, non mysticis nec allegoricis, sed literalibus, & historicis, alicuius Sacramenti ab ipso Christo immediate, ipsiusmet ore, institutio expressa non habeatur, Magnæ temeritatis mihi videtur arguendus is, qui Sacramenta multiplicet (sumpto nunc in vera, & stricta significatione nomine Sacramenti) absque vlla clara Diuina institutione. Baptismus est clarissimè à Christo institutus; nam & eius necessitatem explicuit, dicens; [e] Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.] Et postea ipsum mandauit expressè, dicens; [f] Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.] Lotionem externam Sacramentalem præcipit; in qua remissionem dari peccatorum optime cognouerunt Apostoli à Christo clarissime edocti, vt tingerent in Trinitate. Ita de Sacrosancta Eucharistia; ipsius necessitatem toties inculcauit; [g] Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.] Postea in vltima cæna; [h] Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meã commemorationem.] Panis consecrationem in Corpus Christi; & Vini in sanguinem, ipse coram Apostolis fecit; eandem ipsi quoque vt facerent, frangerent, & darent, expressè mandauit. De ordine verò nihil prorsus habemus, quo ipsius institutio, ad modum Sacramenti, appareat: vt nimirum aliqua res sensibilis certa, & nota assumatur, aut assumenda præcipiatur, ad effectus supernaturales; sicut aquæ lotio adhibenda præcipiebatur in remissionem peccatorum: & panis consecrabatur, ac consecrari mandabatur in corpus, & vinum in sanguinem Christi; D E

e Io. 3.

f Matth. 28.

g Io. 6.

h Luc. 22.

A sti; vt cibatione corporali anima etiam spiritualiter pasceretur; qui sunt effectus, certi, & infallibiles, promissi a Christo; omnem tamen naturalem vim longè excedentes. Ordinauit sane Dominus aliquot Discipulos in Apostolos, & Episcopos, solo tamen verbo, & simplici mandato, vbi dixit eis, [a] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Et, [b] Euntes docete, baptizantes. Hoc facite: Accipite Spiritum Sanctum; ac similibus: nihil tamen ad hoc sensibile præter verba assumpsit, aut præcepit, sed simplici deputatione contentus, eos in ministros Euangelicos ordinauit. Insufflauit quidem in eos, quando ipsis potestatem remittendi peccata tradebat, dicens; [c] Accipite Spiritum Sanctum &c. sed hanc insufflationem nemo vnquam intellexit fuisse Sacramentalem, neque Apostoli ea vsi sunt, neque Ecclesia aut vnquam vsa est, quod sciam, aut modo vtitur tali insufflatione. Difficile ergo admodum videtur & periculosum, si nos vellimus impositioni manuum, aut
B traditioni Instrumentorum, quæ non à Christo sunt instituta aut præcepta, sed partim ab Apostolis adhibita, partim postea ab Ecclesia in deputationem Ministrorum adinuenta, Diuinæ internæ, & supernaturalis operationis infallibilem consecutionem alligare.

a Ioan.20.
b Matth.28.
c Ioan.21.

Si quidpiam tale fuisset à Christo institutum, adeone obscurè, & latenter id fecisset, vt adhuc, post mille & sexcentos annos, in Ecclesia nostra incertum sit, quæ sit propria huius Sacramenti materia, siue res sensibilis, quæ in Scholis appellatur Elementum; num ipsa manuum impositio? num traditio Calicis & patenæ? de quibus certant Scholastici: sicut & circa formam, ac verba, quibus prolatis impleatur Sacramentum; nam in Presbytero ordinando formam aliqui volunt esse, Accipe potestatem remittendi peccata, &c. Alij verò; Accipe potestatem offerendi Sacrificium. Itane facimus vnum Sacramentum à Christo institutum, de cuius tota substantia adhuc sumus incerti? An Christus ludit & illudit suam Ecclesiam? Et vbinam quæso in Verbo Dei mandatum habemus datum Episcopis,
C vt ordinantes dicant, Accipe hanc vel illam potestatem? Quod baptizantes dicamus, Ego te baptizo in nomine Patris, &c. habemus mandatum Christi, qui dixit, Euntes docete, baptizantes in nomine Patris, &c. Similiter quod consecrantes panem, orationes fundamus, eoque fideles pascamus, Christi iussum facimus, qui id iniunxit, dicens, Hoc facite: nimirum hoc ipsum quod me nunc vidistis facere, & vos facite, circa panis & vini benedictionem, ac distributionem. De ordinationibus verò nihil prorsus, ne remotissimum quidem habemus, ex quo in Euangelio colligere possimus, nos iussu Christi in ordinando debere dicere, Accipe hanc vel illam potestatem, sed ne Apostolos quidem hac, aut alia verborum forma in ordinandis ministris vsos vspiam legitur in Scripturis. Preces quidem aliquas eos effundere solitos ad Deum constat, vt talibus precibus vel eligendum, qui ipsi Deo placeret, agnosceret; vel electum ipsi Deo, & gratiæ ipsius commendarent. Nam &
D Areopagita de precibus in communi adhiberi in sacris ordinationibus solitis mentionem facit: formam tamen verborum certam nullam agnoscit. Certas verò postea precum formulas fuisse in Ecclesijs adhiberi solitas, facilè colligimus ex Nazianzeno: [d] Qui pro miraculo narrat, in baptismo sui Patris contigisse, in signum futuri Sacerdotij; Vt errore ministrorum mutatis solennibus verbis, loco eorum quæ ad baptizandum pertinerent, ea quæ in Sacerdotis promotione dici solebant, proferrentur. Et Gildas Sapiens, [e] Preces & monitiones quæ ante mille annos in ordinationibus adhibebantur, nonnullas recitat.

XVIII.

d *Nazianz. orat. in fun. Patris.*
e *Gild. in increpat. Eccl. ordin. Bibl. SS. PP tom. 5.*

Mirandum verò quod Ecclesia Romana, Canonistarum quoddam dictum adeo approbat, vt ne mutire quidem contra ipsum quisquam ex Catholicis audeat; nimirum, [f] summum Pontificem solo verbo posse facere & Sacerdotem, & Episcopum: si dicat alicui duntaxat, Esto Sacerdos; vel, Esto Episcopus: tunc enim illum plenissimè iam factum vel Sacerdotem, vel Episcopum nolunt posse dubitari. Atque huic doctrinæ conforme quid-
E dam narrat Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, in Relatione suæ Legationis Mediolanensis, Papæ Nicolai primi autoritate, qui in reformatione facta illius Ecclesiæ, Simoniaca & Nicolaitarum hæresi deturpatæ, post iunctas varias errantibus Ecclesiasticis pœnitentias, etiam ipsi Archiepiscopo, sic habet: [g] His itaq; tali modo reconciliatis, decretum est, vt nō mox passim omnibus redderetur officium, sed ijs duntaxat qui & literis eruditi & casti, & morum grauitate viderentur honesti: cæteris autem sufficeret quod Sanctæ Ecclesiæ per Diuinā gratiā essent rursum inserti, à qua eatenus fuerant diræ sententiæ falce præcisi. Illi etiam ipsi quibus ministrandi licentia redditur, non ex male mercata veteri ordinatione, ad missum reparantur officium, sed ex illa potius Beati Apostolorum Principis efficacissima autoritate, qua in Beatum Apollinarem repente vsus est dicens: Surge, accipe Spiritum Sanctum, simulque Pontificatum.] Hæc Petrus Damiani: qui, vt vides,

XIX.

f *Gygas cum DD. ab eo citat. q. 8. de pœnit. 3. & Rebuff. de benef. mut.*

g *Apud Baron. tom. 11. ann. 1059. num. 59.*

Lector, ante omnia ordinationes Simoniacè factas, non modo quoad executionem, sed etiam quoad ordinem ipsum, nullas esse declarauit. Deinde absque noua ordinatione illos Clericos male promotos solo verbo, autoritate Papali ordinauit: asserens idem à Petro Apostolo, cum Apollinari factum fuisse; vt solo verbo præceptiuo, illum Episcopum ordinarit. Sed interim pugnantia sunt ista: ordinem esse verum, & proprium Sacramentum, quod sine externa certa, & constanti ceremonia esse non potest: & solo verbo Papæ posse hominem sacris initiari. Cum tamen satis appareat, & melius sim adhuc mox rem confirmaturus, ordinationem in sola, legitima tamen, & potestatiua deputatione consistere, facile etiam ipse, & Canonistis consenserim, & factum Legati approbarim, posse non modo Papam, sed quemcunque Episcopum solo verbo Presbyterum, & Episcopum facere, nimirum vt factum teneat. Quamuis contra præceptum Ecclesiasticum, si omittantur ceremoniæ, sit, qui hoc fecerit, peccaturus. Qui vero Papam eximunt ab obligatione legum Ecclesiasticarum, ideo hoc solius Papæ priuilegium esse volunt, vt citra delictum, & pœnam possit id, quod etiam alij Episcopi, cum delicto tamen, & pœna, quippe legibus subiecti, possent. A B

XX. Ordinationem porro sacram, modo Sacramentali non peragi, inde præterea satis confirmatur, quod Deus peculiarem sibi reseruauit concursum, ad legitimum ministrum Ecclesiasticum instituendum; sine quo minister legitimus non sit: quem tamen ipsius specialem concursum noluit vlli Sacramento obligare, sicut in veris Sacramentis eum obligauit. Quid enim sibi uoluit aliud Paulus, dum dixit, [a] Neminem sibi assumere honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron: nisi nunc etiam in Ecclesia, per solam Diuinam liberam electionem, homines assumi ad Sacerdotium? Aaron enim neque à populo, neque à Moyse, neque ab vllo homine assumptus est, vt esset primus in lege Sacerdos, & Sacerdotum omnium initium, radix, & seminarium. Ita etiam Christus, inquit Paulus, non seipsum magnificauit, vt Pontifex fieret; neque carnali propagatione ex Aaronis semine, vt in lege Sacerdotes, Sacerdotium est consecutus; sed ab eo solo Sacerdotium habuit, qui dixit ei, [b] Tu es Sacerdos in æternum.] Non aliter, & de ipsius Ministris idem verum est, vt nemo sibi assumat honorem, neque ab hominibus, nisi ministerialiter illum habeat, sed à Deo. Ideoque idem Paulus, vbi commemorat Presbyterium Timothei, gratiam Presbyteralem ipsum esse consecutum ait, non per impositionem [c] manuum, sed per prophetiam, cum impositione manuum. Prophetiam vero, quamuis Chrysostomus, & Ambrosius in hunc locum, intelligant ipsam doctrinam Timothei, qua habilis erat Episcopatum sustinere; mihi tamen etiam probabile videtur, per prophetiam intelligi Diuinam reuelationem, quæ Paulum mouerit, vt ipsum eligeret in Episcopū; cum adiecta manuum impositione: siue, vt vult Chrysostomus, [d] per Spiritum Sanctum, à quo ordinatum fuisse Timotheum ipse explicat. Et hoc etiam est quod supra num. 7. 8. 9. & constitutiones Apostolicæ, & Hieronymus, & Augustinus, & Autor operis imperfecti optime distinguebant ordinatos à solis hominibus, ab ordinatis à Deo. De vera enim ordinatione est dictum illud Pauli, [e] In quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.] Et aliud; [f] Et ipse quosdam dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, & Doctores &c.] C D E

a Heb. 7.
b Ps. 109.
c 1. Tim. 4.
d Chrysost. in 1. Tim. hom. 5
e Act. 20.
f Ephes. 4.

XXI. Hinc etiam Dionysius Areopagita, totam fere sacrorum Ministrorum ordinationem, in Deum proxime, tanquam peculiarem, & specialem autorem, refert. Ait enim, [g] Sanctam consecrationem, & eorum qui consecrantur prædicationem Pontifex recitat. Quod quidem mysterium declarat Pontificem, cui Deus charus sit, interpretem esse Diuinæ creationis, siue electionis; qui non suo munere eos qui consecrantur ad Ecclesiastici ordinis honorem, virtutemque efferat; sed diuini numinis instinctu agitatus, in omnibus consecrationibus, quæ Pontificem attingunt. Sic Moyses sacrorum legis mysteriorum interpres, ac præfectus, ne Aaronem quidem, qui frater erat, ante ad Pontificiam dignitatem extulit, quàm alioquin Deo charum esse, ac dignum Sacerdotio existimaret, quàm ad id agitatus Deo consecrationis Principe, consecrationis ritum, & munus, vt Pontifex executus est.] Et pergit ostendere etiam Christum Dominum, non tam ipsum suos Apostolos ordinasse, quam solum fere elegisse, & postea ordinationem Patri reliquisse, qui eos tunc ordinauerit, cum Spiritu Sancto eos induit ex alto. Ita & Apostolos noluisse Matthiam ordinare, sed ipsius electionem, & consecrationem Deo commendasse. Vnde & subdit, Diuinus enim Pontifex, non suo impulsu consecrationes, quæ Pontificem attingunt, conficere debet, sed Deo promouente eas, vt Pontifice dignum est, Diuinitusque celebrare.]

g Areop. de Eccles. Hierarch.

Cyprianus.

A Cyprianus; [a] Ordinari, inquit, nonnunquam indignos, non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam præsumptionem, & hæc Deo displicere, quæ non veniant ex legitima, & iusta ordinatione, Deus ipse manifestat per Oseam Prophetam dicens, [b] Sibimet ipsi Regem constituerunt, & non per me.] Ac vt Diuina voluntas quænam sit innotescat, docet ibidem Cyprianus hoc plurimum pendere a totius populi examine: vt quem populus dignum & idoneum, bonumque agnoscat, is sit in Episcopum consecrandus: quem verò populus vt malum, & vitijs deditum repudiet, à Deo etiam repulsus esse censeatur. Et Deum esse qui Episcopos facit [c] testatur alibi idem Cyprianus. Testatur & Ambrosius: vt habes huius operis lib. 9. cap. 9. num. 90. Sicut & Chrysostomus supra num. 15. huius capitis. His adde Florum, virum sua ætate, iam ante octingentos annos, laudatissimum: [d] Euidentissime, *inquit*, demonstratur ad hoc munus (*Sacerdotij*) adipiscendum, atque sumendum, sufficere vnicuique gratiam Dei; cooperante fide, & deuotione

B gratiæ eius; absque his autem humano arbitrio nemini posse concedi.] Qui modus loquendi, cum efficacia Sacramenti parum congruit.

XXII.

a *Cypr. li. 1. Epist. 4.*

b *Ose. 8.*

c *Cypr. lib. 3. Epist. 9.*

d *Apud Baron. tom. 12. in Append. ad an. 813.*

XXIII.

Quid quod non modo delebilem & amissibilem, vt iam ostendimus, reperimus sacrum ordinem, sed etiam iterabilem, num propterea erit Sacramentum imprimens characterem?] Certè Patres Concilij Nicæni ita scribunt ad Alexandrinam Ecclesiam, & Ægyptios: [e] Illi autem qui ab eo (*Meletio schismatico*) Presbyteri designati sunt, simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communione admittantur, nimirum vt Ecclesiasticæ dignitatis, & Ministerij gradum habeant illi quidem, sed tamen omnibus Presbyteris in singulis Prouincijs, & Ecclesijs versantibus, qui sunt ab honoratissimo viro, & Collega nostro Alexandro ordinati, sint omninò inferiores.] Cyrillus verò Alexand. Ioannem Chrysost. ab Episcopatu depositũ, inter Laicos relatum fuisse censet; vt propterea nomen eius non esset in sacra Diptycha, inter Sacerdotes reponendum,

C [f] Consequens, *inquit*, non est, vt laicus sacerdotali dignitate eminentibus adnumeretur.] Concilium quoque Toletanum quartum, Clericos iniustè etiam degradatos, supponit verè totum ordinem amisisse, vt propterea in ipsorum restitutione nouam debeant suorum ordinum accipere collationem; sic enim habet; [g] Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si a gradu suo iniustè deiectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum; si Episcopus est orarium, annulum, & baculum; si Presbyter orarium, & planetam; si Diaconus, orarium, & albam: si Subdiaconus patenam, & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ cùm ordinarentur perceperant.] In traditione verò istarum rerum, & instrumentorum consistere Sacramentum ordinationis, plurimi ex nostris decernunt Theologi. Cùm verò Concilium hoc ista repetat, planum est penes ipsum ordinationem esse meram Ministerij deputationem, quæ auferri possit, & reddi. Quinimo Romanum præterea

D quoddam Concilium sub Stephano quarto censuit & ipsum, semel à schismaticis ordinatos, iterum debere à Catholicis consecrari. [h] Ita enim in eodem Concilio statutum est (*inquit Anastasius Bibliothecarius*) vt omnia quæ idem Constantinus (*schismaticus*) in Ecclesiasticis Sacramentis, ac diuino cultu egit, iterari debuissent præter sanctum Baptisma, ac sanctum Chrisma.] Quanquam Baronius contra aperta huius autoris verba, moneat non fuisse iteratam consecrationem, sed quandam reconciliationis benedictionem. Hoc tamen significant illa verba iterari, & iterum consecrari: & longè diuersæ rationis facit Concilium hoc à Baptismate Ordinationem: Baptisma enim vt verum Sacramentum, & initerabile agnoscit, non ita Ordinis consecrationem.

e *Theodoret. lib. 1. Hist. cap 9.*

f *Apud Baron. tom 5. an. 412. nu. 57.*

g *Concil. Tol 1. 4. cap. 27.*

h *Apud Baron. tom. 9. an. 769. nu. 7.*

XXIIII.

Illud quoque non parum conuincit ordinem non esse Sacramentum, quia inextricabiles, & insolubiles emergunt difficultates, si & ordo ponatur verum Sacramentum, & Episcopatus ac Presbyteratus duo diuersi ordines esse asserantur, alter superior, alter inferior.

E Canonistæ ferè omnes in cap. Cleros dist. 21. & in cap. Perlectis. distinct. 25. ac cum ipsis non pauci ex antiquioribus scholasticis, atque vltimo loco [i] Bellarminus, nouum & distinctum à Presbyteratu faciunt Episcopatum. Ac certè posito quod ordo sit proprie Sacramentum, cùm sacramentalis operatio consistat in indiuisibili, ad hoc omninò coguntur, siquidem ipsi quoque constanter asserunt iure diuino Episcopos esse Presbyteris superiores: alioquin si ordinatio etiam distincta non sit, defendere illud nulla ratione possunt, quod expressè fatetur Bellarminus. Sic ergo philosophantur; Episcopatus est ordo ita à Presbyteratu distinctus, vt tamen in se essentialiter includat Presbyteratum; sicut intellectiuum essentialiter includit sensitiuum, licet intellectiuum sit aliquid diuersum a sensitiuo.

i *Bellar. li 1. de Cler. cap. 7.*

Vt propterea Episcopus esse non possit, qui non sit Presbyter: sed dum Presbyter ordinatur in Episcopum, aut nouum characterem assequitur à Presbyterali distinctum; aut additionem quandam assequitur characteri Presbyterali cuiusdam gradus, quem prius non habebat: nam aliqui extendunt duntaxat characterem Presbyteralem, ne nouum inducant: sed bene ostendit Bellarminus hanc extensionem esse non posse, nisi cum reali ipsius augmento; si ergo reale fit augmentum, tantundem est ac si nouus imprimatur. Atque ex hoc nouo charactere, seu additione reali, volunt habere Episcopum nouam quandam potestatem, quam Presbyter non habet, nimirum ordinandi, & confirmandi. Probant verò Episcopatum esse ordinem; Primo, Quia Scripturæ vbi de ordinatione vera, & perfecta loquuntur, semper de Episcopatu loquantur, vt 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Actor. 13. Secundo, Quia Patres vbicunque de Sacerdotio loquuntur, intelligunt Episcopatum. Tertio, Quia Episcopalis ordinatio repeti non potest, & duo potest conferre Sacramenta, Confirmationem, & Ordinem, quæ non possunt alij. Quarto, Quia confertur gratia: nam si propterea Presbyteralis ordo confert gratiam, quia Sacerdos debet posse dignè ministrare quædam Sacramenta: etiam Episcopatus eam debet conferre, quia etiam Episcopus debet quædam alia Sacramenta ministrare, quæ Presbyter non potest. Et si quæras ex ipsis; quid si ordinetur in Episcopum aliquis immediatè, non præmissa ordinatione Presbyterali? Respondent de essentia Episcopi esse vt vtraque ordinatione ordinetur, alioquin nihil assequeretur. A B

XXV. Quia igitur Episcopatus, & Presbyteratus in omnibus ministerijs essentialibus perfectè conueniunt, alij plurimi Theologi communiter etiam Scholastici, Episcopatum nouum ordinem non agnoscunt, sed eundem prorsus qui est Presbyteratus. Ita Aquinas, Alensis, Albertus, Bonauentura, Richardus, Dominicus Sotus, & alij. Sed hi quoque ad magnas angustias redigi possunt, ex eo quod iam etiam nos probauerimus, Iure Diuino Episcopum esse superiorem Presbytero, habereque potestatem saltem ministros ordinandi, etiam Episcopos, quæ potestas in Presbytero nulla est. Aut ergo diuersum ordinem à Presbyteratu distinctum debent admittere in Episcopatu conferendo, aut Presbyteralem characterem per additionem graduum extendere debent, per nouam ordinationem Episcopalem. Quæ extensiones, & additiones, sunt inexplicabiles: sicut & multiplicare diuersos ordines, est etiam multiplicare Sacramenta, si ordo est Sacramentum, ex ijs præsertim quæ dicuntur à nobis imprimere characterem. C

XXVI. Non est ergo Ordo verum Sacramentum, sed mera ad ministerium deputatio, sine istis characteribus, & impressionibus: cui deputationi Deus semper assistit, & potestates illas supernaturales, deputatis ab Ecclesia per ipsius ministros Apostolorum veros successores, ordinariè tribuit, & communicat. Quos ergo Episcopi ad Presbyteratum tantummodo promouent, illi à Deo accipiunt Presbyteralem potestatem. Quod si Presbyterum in Episcopum ordinent, huic Deus per nouam hanc ordinationem addit etiam Episcopalem potestatem, vt præter Presbyteralia ministeria, possit etiam ministros ordinare, & Ecclesiam tanquam ordinarius Christi minister regere. Revera igitur duplex est hæc ordinatio, seu ordo, hoc est, duplex deputatio, cum diuersitate effectus. Presbyteralis enim dat Presbyteralem solam potestatem, Pontificalis verò, & illam, & aliquid vlterius. D

XXVII. Ex his ita Explicatis manifestum redditur quid sit dicendum de alicuius ordinatione ex Laico, seu Diacono, alioúe gradu infra Presbyteratum, immediatè in Episcopum: Is enim plenissimè erit Episcopus, & ex tali ordinatione habet totam etiam Presbyteralem potestatem. Cùm enim Episcopatus essentialiter contineat Presbyteratum, imò essentialiter sit Presbyteratus, cum quibusdam accidentalibus, quæ in Presbyteratu non sunt, atque in his essentialibus quæ spectant ad ministerium vnicus, & idem sit ordo Episcopalis, & Presbyteralis, vt præcedenti capite num. 9. est à me explicatum; Profectò dum Episcopus ordinat Episcopum, essentialiter etiam facit Presbyterum; quod si ille iam Presbyter erat, ordinatio ipsius in Episcopum non facit denuo illum Presbyterum, sed addit illi ea quæ sunt propria Episcopalis potestatis. At dices, Apud Catholicos firmum est Episcopum esse non posse, qui prius Presbyter non sit: Ita enim Patres [a] Concilij Sardicen. Ischyræ ordinationem in Episcopum, plurimum reprehendunt, quia nunquam prius fuerit ordinatus in Presbyterum: Et Aegyptij Episcopi ac clerici, [b] eo pouissimum nomine Timothei Aeluri intrusionem in Episcopatum Alexandrinum vrgent, quod & sine impositione manuum fuerit factus Episcopus, & non habens priorem Presbyteratus ordinem, baptizauerit. Respondeo, lege Ecclesiastica meritò sancitum esse, vt Episcopi E

a *Apud Theodoret. l. 2. c. 8.*

b *Inter Epistolas datas pro Con. Chalced.*

A copi ex ipso clero eligantur: [a] & ad Episcopatum non nisi gradatim ascendatur; vt qui Episcopus futurus sit, prius [b] diu se in ministerijs Ecclesiasticis exercuerit, ac præsertim in Presbyteratu sub Episcopo Ecclesiam rexerit. Atque vtinam hoc nostris temporibus seruaretur, quando Pharisaico more literam quæ occidit in merum ludibrium sequimur; Spiritum vero Ecclesiæ, & proprium literæ sensum, sæpissimè contemnimus. Pro graui scelere habetur [c] si quis per saltum promotus, omissis inferioribus ordinibus, ad superiores repente ascendat: sed cum ex Laico volumus facere Presbyterum, aut Episcopum, vno, duobus, aut ad summum tribus diebus, Papali dispensatione iam ordinaria, & minoribus, & Subdiaconatu, & Diaconatu, & Presbyteratu ordinibus, ad speciem tantum, eum insignimus. Quorum ordinum nullum prorsus actum, præsertim eorum qui sunt infra Presbyteratum, sit vnquam ille executurus. Hoc est proprie ludere, & sanctissimas Eccle-
B siasticas sanctiones deludere. Ac sane si interdum causa grauis perurget, vt Laicum ad Episcopatum assumendum esse censeamus, longè melius est eum immediatè Episcopum consecrare, quam per illusionem eum lectorem facere nunquam lecturum; ostiarium nunquam valuas clausurum aut aperiturum, & ita de cæteris; ac nunquam cum Subdiaconis, aut Diaconis ministraturū. De hac præpropera festinatione queritur Lindanus sic de Subdiaconis scribens: [d] Vix vllus reperitur, qui non ad summū Sacerdotij culmen (quod nunc est quæstuosius) haud aliter festinet, ac si eras aut perendie vetaretur, ne quis creetur Sacerdos. Illos tamen excipio, qui Subdiaconali Præbenda ditati, sus deq; ferunt quid cum Diaconis & Sacerdotibus agatur, suo indulgentes & ventri, & otio. De hoc ordinum saltu multò apertiùs Duarenus, qui hos ordines inferiores tantum [e] dicis causa sumi ait. Imò verò in ru-
C bricis noui Pontificalis Romani, monentur Episcopi ordinantes, ne si Cardinales sint, aut electi Episcopi, qui minoribus initiantur (eos enim ad speciem his initiari oportet, vt gradatim verbo tenus dicantur ascendisse) illæ eis monitiones nequaquam fiant, in quibus præmonentur ordinandi de toto munere, quod eis in illis ordinibus iniungitur: [f] Hæ, *inquiunt nostri Rubricarij*, admonitiones non fiunt Cardinalibus, neq; electis Episcopis.] Vt nimirū expressius etiam hoc pacto fateamur, horum ordinū functiones, nunquam ab istis esse exercendas. Quorsum ergo ordinantur? non vt gratiam accipiant digne eorum ordinū actus peragendi; sed ne per saltum promoti videantur. Re tamen vera per saltum promouetur, qui nihil in inferioribus ordinibus versatus, euehitur ad superiores Quod tamen spectat ad illum Ischyram, neque Presbyter vnquam fuit, neque Episcopus, nisi solo [g] nomine: vt sæpius inculcat Athanasius, & alij.

Est Ergo Ecclesiastica tantum institutio, non diuina, vt prius quis Presbyter sit quam Episcopus. Si tamen immediate aliquis Episcopus etiam ex Laico ordinetur, is de Iure diuino tunc & Presbyter sit, vt dixi, & Episcopus. Ideoque in quibusdam orientalibus Eccle-
D siis, morem fuisse narrat Photius, vt Diaconi immediatè in Episcopos, omisso ordine Presbyterali, consecrarentur. Magnam enim in varijs Ecclesijs rituum & legum varietatem, saluis fidei dogmatibus recensens, ait, [h] Item, si quis apud nos Presbyterij consecrationem præteriens, Episcopi honore Diaconum affecerit, vtpote qui maximè deliquerit, condemnatur: quibusdam vero pari ducitur loco è Presbytero prouehere Episcopum; & è Diacono, medium transilientibus ordinem, ad Episcopi abripere dignitatem.] Quis verò dubiter primos plures Episcopos ab Apostolis Episcopatum habuisse totum immediate, absque præuio Presbyteratu; qualis fuit Timotheus, Titus, Barnabas, Sylas, Barsabas, & similes? Et nostrum in Occidente magnum Cyprianum, Sacerdotium sine præcedentibus ordinibus accepisse, narrat ipsius vitæ descriptor Pontius. Paulinus quoque Nolanus factus est de repente [i] Presbyter, nullo præuio ordine anteriori, vt ipsemet fatetur. Et Cæ-
E cilianus Episcopus Carthaginensis, ex Diacono factus est immediatè Episcopus, & consequenter Presbyter. Quod si ipsius ordinatio in Episcopum fuisset irrita, vt ei opponebant Donatistæ, non Presbyter, sed Diaconus remansisset. [k] Ab ipso enim Cæciliano mandatum est, vt si Fœlix qui eum ordinauerat, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tanquam adhuc Diaconum ordinarent ipsum.] Fœlix porro non nisi semel ei manus imposuerat, cùm fecit è Diacono Episcopum, Sic enim refert Optatus, [l] Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur, & manus imponente fœlice Aptungitano, Episcopus ordinatur.] Si verò prius ordinandus fuisset Presbyter, Optatus id non tacuisset, videlicet prius eum fuisse Presbyterum, deinde Episcopum consecratum. Et quid aliud sibi volunt Iura, & Patres dum ex ordine [m] Diaconorum concedunt posse assumi Episcopum, nisi posse ex Diaco no immediatè fieri Episcopum? Si enim vellent prius Diacono esse dandum Presbyteratum,

[a] *D. 8. 77. c. Illudunt.*
[b] *Dist. 59. cap. Sacrificia & dist. 61. c. Ostiar.*
[c] *Decret. per sal. prom. c. Tuæ lateræ.*
[d] *Lindan. Panopl. l. 4. c. 79.*
[e] *Duaren. de Sacr. Eccles. ministr. l. 1. c. 16.*
[f] *In Pontificali de ordinatione Ostiarij.*
[g] *Lib. Synod. Hieresol. ad Alexandrum apud Athanas. Apolog. 2.*

XXVIII.

[h] *Apud Baron. t. 10. ann. 861. n. 51.*
[i] *Paulin. ep. 6. ad Seuerum. & ep. 12. ad Amandum.*
[k] *Optat. l. 1. & apud Aug. Breuic. collat. 3. die 3. c. 5.*
[l] *Optat. l. 2.*
[m] *Leo ep. 88. & dist. 60. c. fin. & dist. 79. c. 4. & 5. & de ætat. & qual. ordinan. c. A multis.*

byteratum, inde verò Episcopatum, hoc non esset posse ex Diacono fieri Episcopum: fieret enim ex Presbytero; & hac ratione etiam ex Subdiacono fieri posset Episcopus, dummodo prius fiat Presbyter, & ex quocunque etiam alio inferiori ordine; imò etiam ex Laico; nec esset id priuilegium Diaconorum. A

XXIX. Sed aduersus hæc omnia communissima est Neotericorum nostrorum sententia; ordinem sacrum, quo ministri instituuntur in Ecclesia, esse proprie Sacramentum nouæ legis. Atque hoc ipsum multa videntur efficaciter persuadere. Primum, quia non datur sine ceremonia externa, præsertim manus impositione, vt videmus in Timotheo à Paulo, per manus impositionem, ordinato; Qui Paulus, ordinationem, vocabat manus impositionem; [a] Nemini cito manus imposueris.] Et Areopagita [b] Sacerdos, *inquit*, flexis ante aram genibus capiti suo admotam Pontificis manum dexteram habet, atque ita à Pontifice qui eum consecrat sanctis precationibus consecratur.] Et paulo post, Præcipua autem & propria Pontificibus quidem Diuinorum librorum ad caput admotio, &c.] Cyprianus, [c] Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, vt de vniuersæ paternitatis suffragio, & de Episcoporum qui in præsentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant iudicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.] Concilium Nicænum [d] Presbyteri ordinationem per manuum impositionem fieri supponit; Ita etiam [e] Antiochenum. Et [f] Carthaginense quartum; [g] Nicænum secundum, ac [h] Meldense etiam in minoribus conferendis. De eadem manuum impositione in ordinando scribunt Damasus Epist. quinta de Chorepiscopis, tomo primo, parte secunda Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum. Scribunt & alij [i] permulti Romani Pontifices. Scribunt & Patres: Theodoretus [k] ordinationes Episcoporum per manuum impositionem factas describit. Idem in Historijs Ecclesiasticis passim habemus. Hieronymus [l] ordinatio, *inquit*, non solum ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem impletur manus.] Ambrosius, [m] Homo, *inquit*, manum imponit, & Deus largitur gratiam.] Item, [n] Prophetia est, qua eligitur quasi Doctor futurus idoneus; manus verò impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad quos electus accipiens auctoritatem teste conscientia sua, vt audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.] B C

Impositio tamen hæc manuum non potest dici esse ceremonia à Christo instituta, vt in ea consistat ordinis Sacramentum: quia de tali Institutione nihil habemus: & in tanta re non est diuinandum; neque ex humanis solis coniecturis, quæ vix probabilitatem contineant, sunt Sacramenta stabilienda. Constat verò, manuum impositionem ab Apostolis adhiberi solitam, tanquam partem orationis efficacis, vbi preces pro aliqua particulari persona funderentur, vt factum est in noua Apostolica [o] Diaconorum institutione; quam non fuisse Sacramentalem paulo post probabo: & in Pauli ac Barnabæ [p] segregatione, quam similiter Sacramentalem non fuisse in præcedentibus est à me demonstratum. [q] Quia igitur Ministri Christi plurimum indigent Diuina gratia ad rite sua munera obeunda, in ipsorum deputatione preces efficaces adhibendas esse duxerunt Apostoli, per manuum impositionem. Quod se fecisse cum Timotheo [r] affirmat Paulus. Ita etiam cum nuper baptizatis faciebant Apostoli, vt per manuum impositionem inuocarent super eos [s] Spiritum Sanctum. Huiusmodi verò manuum impositiones non fuisse Sacramentales, satis explicat Augustinus, dum de ipsis in vniuersum illud profert: [t] Manus autem impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest: quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?] Nonne etiam per manus impositionem Virgines consecrandæ præcipiuntur in Concilio Venetico? cuius Canon inter alios est talis. [u] Eas etiam quæ virginitatem professæ, & benedictionē fuerint per manus impositionem, sub contestatione huius propositi, consecutæ, si fuerint in adulterio deprehensæ, cum adulteris ipsarum arcendas à communione censemus.] Num verò propterea verum ordinem acceperunt? scimus enim mulieres etiam ad ordines Ecclesiasticos, solitas fuisse cum ceremonijs similibus deputari. Habemus in Constitutionibus Apostolicis illa verba [x] de Diaconissa ego Bartholomeus dispono: O Episcope impones ei manus, præsentibus Presbyteris, Diaconis, & Diaconissis, & dices, Respice super hanc famulam tuam. Imo illæ eædem etiam ordinari dicuntur; [y] Quantæ igitur, *inquit Tertullianus*, & quæ in Ecclesijs ordinari, in Ecclesia solēt, quæ Deo nubere maluerunt &c.] Et de Olympiade quadam Sozomenus ita narrat, [z] Hanc enim cum genere esset nobilissima, quamuis iuuenculam, ex quo vidua facta erat, quia ex præscripto Ecclesiæ egregie philosopharetur, in Ministram Nectarius ordinârat] Vnde Basilius tali pacto ordinatam Virginem [a] impollutam appellat Sacerdotem. Quid igitur aliud in ordinatione isti agnouerunt D E

a 1. Tim. 4.
b *Areo. de Eccl. Hier.*
c *Cypr. l. 1. ep. 4.*
d *Conc. Nicen. can. 9.*
e *Antiochen. can 10. 17.*
f *Carthag. 4. Can 2. 3. 4.*
g *Nicen. 2. Can. 14.*
h *Melden. Can 58.*
i c. *Presbyter. de Sacramentis non iteran.*
k *Theod. l. 4. hist. c. 14 & 21*
l *Hier. in Isa. c. 58.*
m *Ambr. de dign. Sacer c. 5.*
n *Idem in ep. 1. Tim c 4.*

XXX.

o Act. 16.
p Act 13.
q *Supra cap. 2. num. 10. 11. 12.*
r 1. Tim. 4. & 2. Tim. 1.
s Act. 8.
t *Aug. de Bapt. con. Don l. 3. c 16*
u *Conc. Venet. Can. 4.*
x *Const. Apost. l. 8. c. 26.*
y *Tertul in exhort. ad castit.*
z *Sozom. l. 4. hist. c. 9.*
a *Basil. l. de Virgin.*

A nouerunt, etiam cum manuum impositione, nisi meram deputationem, & dedicationem, siquidem fœminas quoque ordinatas reperimus, etiam cum manuum impositione? Et sane sunt ex nostris [a] scholasticis, qui expresse asserunt manuum impositionem non esse sacro ordini essentialem, sed tantum accidentalem. Hanc tamen manuum impositionem in ordinationibus, verè ad diuinam gratiam precibus implorandam olim adhibitam, plerique, quos nisit [b] Hieronymus, eo fieri solitam arbitrati sunt, vt ipsa manuum impositione super caput ordinandi, moneretur, & signaretur is, qui vocis imprecatione ordinabatur; ne alioquin clandestina putaretur, & incerta Clericorum ordinatio. Hanc interpretationem Scriptores Catholici illorum temporum venati non fuissent, si ipsa impositio manuum fuisset certa, & constans Ecclesiastica sacramentalis, in ordinibus conferendis ceremonia. Nam & Christus Dominus manus [c] imposuit super pueros; orando tamen, & non ordi-

a *Sot. in 4 dist. 24. qu. 1. ar. 4.*

b *Hieron. in Isa. cap 58.*

c *Matt. 19.*

B nando.

Non diffiteor impositionem hanc manuum ab Apostolis acceptam, Ecclesiastico præcepto esse omnino in ordinationibus adhibendam; & si ordinatio esset verum Sacramentum, certè pro re ipsa materiali, & sensibili, totoque ritu, & ceremoniâ essentiali, esset ipsamet manuum impositio ei assignanda: ea enim est maximè insignis, & in diuinis Scripturis, ac Conciliorum decretis, Patrumque assertionibus, Ecclesiasticis quoque Historijs, celebrata. Calicis verò, & Patenæ, ac librorum, aliorumue instrumentorum traditio, est merum Ecclesiasticum inuentum; mysticum quidem, & non contemnendum; sed quod nullo pacto pro materiali talis Sacramenti, possit assumi, aut affirmari. Illæ enim instrumentorum porrectiones, & contrectationes in Scriptura sacra Euangelica ne adumbratæ quidem reperiuntur. Vt propterea [d] Sotus, [e] & Valentia nullo modo sint audiendi, qui accidentariam esse manuum impositionem in ordine contendunt, essentialem verò, & necessa-

XXXI.

d *Sot. in 4 dist. 24 qu. 1 art. 4.*

e *Valent. disp. 9. de Sacram. qu. 1. punct. 5.*

C riam instrumentorum traditionem. Sic enim ipsimet ordinem à numero Sacramentorum excludunt, siquidem attrectationem hanc Calicis, alteriusue rei, in tota Scriptura, nunquam sit, aut adhibitam, aut præceptam, aut præscriptam reperire: & Sacramentum probare non possumus, nisi materiam ipsius in sacris Scripturis inuenamus. Cùm verò manuum impositio ab Apostolis adhibita in ordinationibus, ipso Verbo Dei teste, obseruetur, illa potiori iure esset pro *materiali, reque sensibili, & sacra ordinis ceremonia producenda.

* *Bellar. de Sacram. in gen. cap. 24.*

Deinde, effectus etiam gratiæ, quem semper talis impositio manuum videtur operari, & in Scriptura sacra, & in Sanctorum Patrum libris, apertè manifestatur. Ait enim Apostolus Timotheo Episcopo scribens; [f] Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.] Et; [g] Admoneo te vt resuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum.] Ideoque [h] Concilium Chalcedonense Simoniam, & gratiæ venditionem, damnat in ordinibus conferendis. Idem

XXXII.

f *1. Tim. 4.*

g *2. Tim. 1.*

h *Concil. Chalced. can. 2.*

D habent multa alia Concilia, & Patres. Autor quæstionum veteris, & noui Testamenti ordinationis gratiam ab Apostolis, per insufflationem Christi illis verbis; Accipite Spiritum Sanctum, &c. habitam, recensens, ait; [i] Inspiratio ergo hæc gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde & Apostolus dicit ad Timotheum; Noli, *inquit*, negligere gratiam, &c. semel ergo fieri oportuit vt de cætero traditio ista, non sine dono Spiritus Sancti, esse crederetur. Sicut enim in Saluatore forma data est inuisibiliter, vt post Baptismum Spiritus Sanctus credentibus de cætero inuisibiliter dari non ambigeretur; ita & in supradicta causa, forma data est in principio, vt ex eo traditioni Ecclesiasticæ Spiritus Sanctus infusus credatur.] Nyllenus etiam de eadem gratia sacrorum ordinum ita loquitur; [k] Eadem item vis etiam Sacerdotem augustum, & honorandum facit, nouitate benedictionis, à communitate vulgi segregatum. Cùm enim heri, ac tempore superiori, vnus è multitudine ac plebe esset, repentè redditur

i *August. in qq. Vet. et Noui Testam. q. 93.*

k *Nyssen. lib. de sancto Baptis.*

E præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul; eaque contingunt ei, cùm nihil vel corpore, vel formâ mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, inuisibili quadam vi, ac gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerens.] Quis verò hominum potest alligare gratiam certo signo, nisi solus Deus, vbi ipse instituit Sacramenta?

Illud tamen, & certum, & indubitatum est, & iam satis superque à nobis demonstratum, Ministrorum ordinationem, non à quocunque fieri, sed à solis Apostolorum successoribus; & ita fieri vt Deus peculiari actione sua, & gratia concurrat, sine qua nulla ritè peragitur ordinatio: Hoc tamen non efficit, vt in ordinatione verum cogamur admittere Sacramentum; quia iam ostendimus gratiam hanc, & hunc Diuinæ operationis concursum, non

XXXIII.

esse

esse vlli externæ ceremoniæ adeò alligatum, vt infallibiliter adsit semper; & tamen nullus rite ordinatur, in quo gratia hæc præstò non sit, & hic concursus. Atque in hoc quia maximam habet cum vero Sacramento ordinatio similitudinem, licèt verum Sacramentum non sit, iccircò Augustinus toties eam Sacramentum vocat, & Sacramenti vim habere contendit. Nam si de vero, & maximè proprio Sacramento sit sermo, idem Augustinus duo tantùm agnoscit Sacramenta, quæ clarè, & expressè pateant à Christo esse instituta; sic enim loquitur; [a] Vnde Sacramentis numero pauciſsimis, obseruatione facillimis, significatione præstantiſsimis, societatem noui populi colligauit; sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus: Communicatio corporis, & sanguinis ipsius: & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.] Habet igitur ordinatio gratiam, et semper habet, si sit legitima, alioquin non habet, quantumcunque & manus imponãtur, & verba proferantur. Non tamen illam habet per modum Sacramenti ex opere operato, per certam ceremoniam; sed ex sola deputatione legitima auctoritate, in legitimam personam à Deo præelectam, & morali humano aliquo modo manifestatam, facta.

a *Aug. ep. 118.*

XXXIV. Tertio, Ordinem esse Sacramentum ex eo colligunt, quod sit inamiſsibilis, & iterabilis, atque consequenter imprimat characterem; quod non contingit nisi verè, & propriè Sacramentis. Esse verò inamiſsibilem ex eo probant, quod Concilium Nicænum, [b] Episcopos, & Presbyteros in hæresim lapsos, & ad Ecclesiã Catholicam reuertentes, absque vlla noua ordinatione in suo gradu, etiam Episcopali, perfecturos recipiat: Et Melchiades Episcopis [c] Donatistis offerat in Episcopatibus suis permansionem; & Concilium Alexandrinum, peculiare canone, [d] Episcopos in hæresim lapsos, exceptis hæresiarchis, ad fidem Catholicam reuersos, in eodem gradu, & honore quo insigniti essent, statuit recipiendos. Vnde & Augustinus; [e] Nam si quando, *inquit*, ex ipsa parte venientes, etiam Præpositi pro bono pacis, correcto schismatis errore, susceptisunt; & si visum est opus, esse vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi; sed sicut Baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctũ est; non in Sacramentis, quæ vbicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cum expedire hoc videatur Ecclesiæ, vt præpositi eorum venientes ad Catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos: Ideoq; non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat iniuria.] Hæc Augustinus qui non modo ordinem facit inamiſsibilem, sed etiam ipsum expressè asserit eodem modo, vt est Baptismus esse, Sacramentum. Qui etiam ibidem illud habet. Vtrunque enim *(Baptismus nimirum, & ius baptizandi)* Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumq; homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica vtrumque non licet iterari.] Anastasius Secundus, [f] Nullum, *inquit*, de ijs, quos vel baptizauit Acatius, vel quos Sacerdotes, siue Leuitas secundum Canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acatij portio læsionis attingit, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.] Taralius Constantinopolitanus ab hæreticis ordinatos suscipiendos censet, tanquam bene ordinatos, quorum ordinationes à Deo ratas haberi existimat; ait enim; [g] Quid de Anatolio dicitis? Nonne Princeps fuit quartæ Synodi, & tamen à Dioscoro impio illo fuerat creatus, atque id etiam præsente Eutyche? Ergo & nos ab hæreticis ordinatos recipiamus, quemadmodum quoque Anatolius receptus est.] Et iterum vera Dei vox est, [h] Filios non morituros pro patribus, sed vnusquisque pro suo peccato morte morietur. Addatur quod ordinatio à Deo est.] Concilium Toletanum octauum, de hac sacri ordinis inseparabilitate contra illos statuens, qui spernerent Sacros ordines a se susceptos, & ad Laicalem vitam redirent, ita scriptum reliquit; [i] Quomodo ergo, quod in se recipit, à se reijcere poterit, cum hæc à nullo altero conferri, quàm à solis Pontificibus nouit, à quibus, nec ligata solui, nec soluta possunt ab aliquo religari? Sic enim ad Petrum veritas ait; Quodcunque ligaueris, &c. Nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod Diuina iussione, simulque Apostolicæ traditionis autoritate, sacrum noscitur extitisse. Verum sicut Sanctum Chrisma collatum, & altaris honor euelli non queunt, ita quoque Sacrum decus honorum, quod his compar habetur, & socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnimodè inconvulsum.] Et Gregorius ordinem iterari non posse vehementer affirmat, ita scribens; [k] Illud autem quod dicitis, vt is qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenij nostri consideratione extraneum.] Et paulò post; Sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui conse-

b *Conc. Nicæn. Can. 8.*
c *Apud Aug. ep. 162.*
d *Apud Hier. aduersus Luciser.*
e *Aug. con. ep. Parm. l. 2, c. 13.*
f *Anast. 2. ep Vniuersam. 1. par. 2.*
g *Sept Synod. act. 1. Et hist. Theodori lectorii.*
h *Ezech. 18.*
i *Conc. Tolet. 8. Can. 7.*
k *Greg. l. 2. Indic. 10. ep. 32.*

A consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari.

Nos verò aduersus ista, & plura, & fortiora produximus iam testimonia, & argumenta, quæ contrarium omnino conuincebant, ac probabant ordinem & amitti posse, & iterari. Ne tamen tam celebres, & insignes viros mihi post tergum relinquam aduersarios, illud vehementer moneo, Ne quid nimis: Hoc est, non ita facile, & ex quacunque non grauissima causa, ordinem sacrum aut iam susceptum deperdi, aut suscipiendum impediri. Ex doctrina enim non mea, sed summorum quos magistros sequor Ecclesiæ Catholicæ Doctorum, ac Conciliorum in diuinis Scripturis fundata, & à me iam explicata, facile est colligere, non omne peccatum etiam graue, & mortale, auferre Sacerdotium, aut impedire; quod nimis scrupulosè Hussitæ, prout eis tribuitur, profitentur; sed sola potissimum hæresis pertinax, & voluntaria; aliudue grauissimum crimen, quod degradationem iure promeruit, aut ab Ecclesia totalem præcisionem. Cum enim ordinatio sit deputatio Pastoris, per homines quidem facta, sed cum speciali diuino concursu, tunc illa tota cesset necesse est, quando apertissimum sit illum ex Pastore conuersum esse in lupum: & tunc deputatio noua aperte nulla est, quando is qui manifestissimus est lupus, Pastor ordinatur. Lupus verò non minus est Vir illiteratus, & ad pascendos greges prorsus inhabilis, quàm qui hæresi, & grauibus criminibus, ac vitijs est deturpatus. Vbi verò lupus non est, habilis tamen ad regendum, & docendum, etiam si aliquo mortali peccato, occulto præsertim & latenti, sit prægrauatus, imò etiam hæresi ac schismate sine pertinacia, ac bona ex aliqua parte fide laboret, quia hic re vera lupus non est, ordinationem & datam accipit, & acceptam retinet. Sed illa non propterea est verum Sacramentum: imò ab illo multum differt. Sit enim quantumcunque lupus, & pertinacissimus hæreticus, si consentiat vt baptizetur, baptismum verè recipit: nec vnquam potest ipsius, ex quacunq; etiam grauissima causa, pati iacturam. XXXV.

C Sed & illud moneo, Omnem consecrationē ex sua natura poscere, vt non debeat amplius iterari: Quod enim semel Deo sacratum est, & deuotum, id non decet vnquam profanari. Atq; hac ratione non homines modò, sed res quoque inanimes, imò etiam sacro adhibito charismate, solent consecrari; vt sunt altaria, calices, templa, & alia huiusmodi, quę [a] præterea in profanos vsus amplius conuerti non debent. Si tamen contingat, vt ex aliquo capite exsecrentur, tum facilè repetitam admittunt consecrationem. Sed certè quantum in ipsa consecrationis natura est, semel consecrata, amplius non indigent consecratione: nisi videlicet fuerint postea execrata. Atque ex his non erit admodum difficile ea soluere, quæ vltimo loco tanquam tela fortissima iaciebantur. XXXVI.

a De consec. dist. 1. c. Ecclesiæ semel. & c. ligna.

Concilium igitur Nicænum, & Alexandrinum, Melchiades, Hieronymus, & Augustinus, non admittunt indifferenter quoscunque à quibuscunque hæreticis ordinatos, sed illos tantum qui ab illis Episcopis ordinati fuerant, qui decepti potius quam pertinaces, & bona quasi fide, ex pura inaduertentia, ac inconsideratione, in hæresin, aut schisma lapsi, infirmitate, aliaue causa, poterant excusari. Nam de veris hæreticis, Hieronymus apertè fatetur [b] eos non posse esse Episcopos: neque in hoc repugnat Luciferianis: sed in eo tantum quod absolute, nulla admissa distinctione, quoscunque ab hæreticis quibuscunque ordinatos, nollent cum ordinibus recipere; licet reciperent baptizatos. Ita & Augustinus, vel de illis solis loquitur, qui non à lupis, licet à malis sint ordinati; in his enim fere eodem modo, vt Sacramentum baptismi, ipsa ordinatio operatur: vel eo modo intellige quo Chrysostomus supra num. 16. loquebatur; Videlicet etiam per male ordinatos Ministros, imò re vera non ordinatos, aliquid tamen Deum semper operari, ad salutem animarum. Vbi verò etiam ordinis proprias functiones, in hæresi, vel schismate ordinatorum, vt bonas & validas admittit; omnino de hæresi, & schismate miti, & non pertinaci, est interpretandus: Quales erant maxima pars Donatistarum: exceptis enim primis quibusdam obstinatis, cæteri potius decepti in schismate perseuerabant. Et quod negat idem Augustinus, & Gregorius, & Concilium Toletanum, iterari posse ordinem, explicandi sunt, quantum ad consecrationis naturam. Et in hoc faciunt ordinem parem baptismo, non in omnibus: ordinati verò ab Acacio, meritò bene ordinati ab Anastasio Papa censebantur, quia Acacius neque fuit hæreticus, neque schismaticus propriè. Sed in eo tantum erravit, quod bona fide etiam ipse deceptus, & pro bono pacis, Petri Mogi Episcopi Alexandrini hæretici, nomen in diptychis ascriptum retinuerit: De quo alias fortasse plura dicam. Et ordinationem vocat Anastasius Sacramentum, sicut & Augustinus; eo modo intellige quo explicabam supra num. 33. & infra num. 41. Tarasius verò censuit [c] Anatolium fuisse bene ordinatum, à pessimo Dioscoro, non vi ordinationis per Dioscorum peractæ, sed vi Diuinæ XXXVII.

b Hieron. adu. Lucifer.

c Supra n. 29.

uinæ tantum gratiæ Anatolium, vt dignum & idoneum ad Ecclesiasticum ministerium A
sublcuantis. Ordinatio, *inquit*, à Deo est. Sentit igitur Tarasius nihil Dioscorum Anatolio contulisse, nisi solam deputationem. Deum verò ab hominibus deputatos aliquos admittere, eisque gratiam conferre, alios nequaquam, iam probaui num. 20. & seqq. huius cap.

XXXVIII. Quarto probant contra nos ex charactere; quem passim asserunt in ordine etiam imprimi, sicut imprimitur in baptismo. Imprimi verò characterem ex eo probant, quod ordo iterari non potest: & quia, quantumcunque quis ficte, etiam cum peccato grauissimo, ad accipiendum ordinem accedat, is certe, licet gratiam gratum facientem nullam accipiat, ordinem tamen, hoc est potestatem illam accipit, & ita accipit, vt quoties actum ordinis exerceat, etiamsi cum peccato illum exerceat, semper tamen effectum ordinis quem accepit consequitur. Hoc igitur quod in ordinatione accipitur proxime, & directe, etiam secluſa B
gratia, si quis non vult appellare characterem, appellet vim, seu potestatem, seu quidpiam tale: Quod esse non potest nisi effectus veri Sacramenti. Fauet in hoc ipsis Augustinus
a *Aug. cont. ep. Parm. l. 2. c. 11.* dicens, [a] Spiritus autem Sanctus in Ecclesiæ Præposito vel ministro sic inest, vt si fictus non est, operetur per eum Spiritus Sanctus, & ad eius mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem qui per eum siue consecrantur, siue euangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissime scriptum est, [b] Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fretum; deest quidem saluti eius, vt auferat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, ministerium tamen eius non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum.]
b *Sap. 1.* Consecratio igitur qua ordinantur ministri, habet semper efficaciam per Spiritus Sancti præsentiam & operationem. Et hoc sola vera Sacramenta habent proprium, vt neque dantis, neque etiam recipientis indignitas, impediant effectum, quo minus valide, si non C
fructuose & vtiliter, & dentur, & recipiantur.

XXXIX Sed hæc omnia supponunt, vt certum, id quod in ipsa quæstione versatur: nam aut probandum prius est ordinem esse verum Sacramentum, sicut est baptismus: & tunc optime sequetur ipsum habere suos effectus semper & necessario, saltem characterem; siue quicquid illud sit quo Sacramentum dicitur valide datum, & receptum; etiamsi ex defectu recipientis, gratiam gratum facientem non operetur: sequetur etiam ipsum esse indelebilem, & inamissibilem. Siue, saltem à posteriori, probent prius in ordine illa esse, nempe characterem, & indelebilitatem, ac inamissionem; & tum ex his probatis optime colligent ordinem esse verum Sacramentum. Interim nos negamus in ordine ista semper adesse: nam probauimus contrarium; & efficaciam illam ex opere operato in ipsa ordinatione non inuenimus. Augustinus verò ordinationem intelligit quæ fit ordinarie, & modo ordinario ab Ecclesia præscripto, vt & ordinans pastor sit, non lupus; & ordinatus rite cognitus, & D
examinatus, probatusque promoueatur: tunc enim quantumcunque ordinans sit peccator (exceptis illis grauissimis vt supra) sibi quidem nihil meriti lucratur, cum non sit in gratia; ordinato tamen bene prodest. Hinc verò non sequitur ordinem esse proprie Sacramentum, sed habere in se aliquid valde simile & proportionale cum Sacramento. Vnde & Hieronymus Ordinem Sacramenti nomine insigniuit: Ait enim de Vigilantianis Epi-
c *Hier. ad v. Vigilant. init.* scopis loquens: [c] Nisi pregnantes vxores viderint Clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt,] Intelligit verò sacros ordines: nam in fine repetit idem: Nisi, *inquit*, tumentes vteros viderint fœminarum, maritos earum Christi ministerio arbitrantur indignos.]

XL. Quinto idem suadere conantur ex plurium assertionibus Patrum; [d] qui ordinem aut
d *Bellar. l. 1. de sacram. ordinis. c. 3.* expresse tradunt, aut supponunt esse verum & proprium Sacramentum. Refertur à Sozomeno cuiusdam Martyrij dictum ad Nectarium; Tu, *inquit*, o beate recens baptizatus & purificatus, & mox insuper Sacerdotio auctus es: vtraque autem hæc peccatorum E
e *Sozom. l. 7. hist. c. 10.* expiatoria esse, Deus constituit.] Chrysostomus, [f] Sacerdotium, *inquit*, in terra peragitur,
f *Chrys. l. 3. de Sacerdotio.* sed in rerum cœlestium classem, ordinemque referendum est. Atque id perquam merito: quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem eiusmodi disposuit.] Et infra: Tum probe intelliget quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate, Spiritus Sancti gratia dignata fuerit.] Autor Sermonum de Operibus cardinalibus Christi, comparat ordinem cum baptismo; & vtrumque pariter facit iterabile Sacramentum. [g] Nam baptismum, *inquit*, repeti Ec-
g *Apud Cyr. Serm. de Ablut. ped.* clesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumat accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterum renouat, nemo sacro oleo

lita

A lita iterum linit, aut consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministerijs derogat Sacerdotum; quia contumelia esset Spiritus Sancti, si euacuari posset quod ille sanctificat, &c.] Augustinus non modò loco paulò ante citato, libro secundo contra Parmen. capite 13. [a] sed etiam eodem libro, cap. 11. & libro primo de Baptis. cap. 1. & Epist. 50. ad Bonifacium. & de bono coniugali, cap. 18. & 24. & in Serm. de gestis cum Emerito, expressè & vocat ordinem Sacramentum, & facit indelebilem, & gratiæ productiuum. Apud scholasticos verò est hoc placitum communissimum, imò decretum de fide post Concilium Florentinum, [b] & Tridentinum. Hieronymus etiam, *inquit Bellarminus*, in dialogo contra Luciferianos, toto ferè libro, confert ordinationem cum Baptismo, vt etiam ab hæretico datus teneat: Habetque illa verba; [c] Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, & in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinauit.]

a *Apud. Bellar. lib. de Sacram. Ord. cap. 3.*

b *Concil. Trid. Sess. 23 cap. 2. & Can. 3.*

c *Hieron. edo. Lucifer.*

B Autoribus bonis, & Catholicis, bonos, & Catholicos iam opposuimus autores; & illos sanè clarissimè loquentes: Hi verò qui in aduersa acie collocantur, aut nobiscum sentiunt, aut nobis non repugnant. Martyrius ordinem peccatorum expiatorium facit, sicut & Baptismum; sed non eodem modo sunt expiatoria; nam Baptismus per modum Sacramenti id facit, & est proprius, & proximus ipsius effectus; Ordo verò neque per modum Sacramenti, neque proximè expiationem peccatorum attingit, sed remotè: ideo enim Ministri ordinantur, vt ministrent Sacramenta, quæ sunt peccatorum expiatoria. Chrysostomus nihil aliud habet nisi in ordinationibus Deum concurrere, & peculiari modo ordinariè operari; quod est verissimum; sed hinc ordo non habet vt sit verum Sacramentum. Confessio etiam fidei coram Tyrannis habet illam promissionem; [d] Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.] Et hoc esse verissimum

XLI.

d Mat. 10.

C quis dubitat? nunquid igitur talis confessio, & prædicatio, propterea erit inter Sacramenta nouæ legis reponenda? Congregatio etiam duorum vel trium in nomine Christi, habet promissionem, & effectum illum, [e] In medio eorum sume; Et tamen tales congregationes, & concilia non sunt Sacramenta Et qui dederit [f] calicem aquæ frigidæ, habet certam à Christo promissionem mercedis: nunquid ergo porrigere calicem aquæ in nomine Christi, erit nouæ legis Sacramentum? Possemus sexcenta etiam alia hinc Sacramenta numerare. Autor Sermonum de operibus cardinalibus Christi, consecrationes Ministrorum nouit ex sua natura non esse iterandas, intellige, nisi sua culpa Minister ille, suam consecrationem amiserit, & iterum recipiatur. Sicut quæ oleo lita sunt, *inquit idem*; atqui ea quæ oleo lita sunt, & consecrata, puta altare, si ex aliqua causa exsecrentur, denuo debent [g] consecrari. Augustinus fateor in aduersam partem plurimum inclinat; Quia tamen alibi ipse duo tantùm ponit vera, & propria Sacramenta, vt supra ostendi, & adhuc melius in sequentibus libris ostendam, ordinationem vocat Sacramentum in latiori significatione; & ipsam facit indelebilem, & inamissibilem, gratiæque productiuam, modis à me iam [h] explicatis. Hieronymus ordinationes hæreticorum vt legitimas admittit, sicut & Baptismum; & nihilominus hæreticum absolutè negat posse esse Episcopum. Nam & ipse agnouit aliud esse de hæreticis in foro, vt ita dicam, exteriori, coram hominibus; aliud de illis qui etiam in foro interiori coram Deo essent hæretici, & manifesti lupi, vt supra differebam. Scholastici plus interdum indulgent Dialecticis, ac ingeniosis humanarum rationum subtilitatibus, & captiunculis; quam studio sacrarum literarum, Conciliorum, & Patrum: Et post Romanam Monarchiam iam stabilitam, exorti sunt, & multiplicati. Concilia Florentinum, & Tridentinum, aut reuerenter glossanda sunt de Sacramentis in latiori significatione sumptis; aut si glossari recusant, opponetur eis, ritè, & legitimè, iuxta antiquos Canones, non esse celebrata: neque fuisse verè, & propriè generalia, neque ea fuisse à tota Ecclesia Christi acceptata, & approbata: & fortasse ea in multis esse ex Diametro alijs antiquissimis, ac sacrosanctis in tota Ecclesia receptis Concilijs contraria, eorumque destructiua. Sed de Concilijs postea.

e Matt. 18.

f Mat. 10.

g *De consecra. dist. 1. can. Si motum. & cap. Ecclesiæ.*

h *Supra hoc cap. num. 33. et 37.*

D

E

Sexto demum probant idem ratione; [i] Quia ordo habet omnia requisita ad hoc vt sit propriè Sacramentum. Est enim Symbolum externum, seu ritus, illa manuum impositio, de qua Sacra Scriptura continet attestationem, nimirum Actorum 6. vbi Diaconis ab Apostolis manus imponuntur. Et Act. 13. vbi Paulus & Barnabas per manuum impositionem ordinantur. Et Act 14. vbi Paulus & Barnabas chirotonizando ordinant Episcopos per singulas Ecclesias, Quod est per manuum impositionem: & apud Paulum, 1. Tim. 4. & 5. & 2. Tim. 1. Additur mandatum diuinum, siue diuina institutio, Act. 13. Segre-

XLII.

i *Bellar. lib. 1. de Sacram. ord. cap. 2.*

gate mihi Saulum & Barnabam. Act. 20. In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos. A
Ephes. 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores. Adest promissio & effectus gratiæ, 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Et confirmatur; [a] Quia Deus
a Bellar. ibid. ca. 4. cum det in ordine potestatem conficiendi, & ministrandi Sacramenta, congruens est vt det etiam gratiam gratum facientem, vt ordinatus fungatur ritè & dignè tanto Ministerio, ne cum peccato id faciat; sicut in baptismo datur eadem gratia, vt sine peccato possit baptizatus Eucharistiam sumere, & alia recipere Sacramenta. Si ergo ordo conferre debet hanc gratiam ordinatis, necesse est ipsum verum esse Sacramentum: vt propterea etiam
b Apud. Bellar. de ordine c. 1. [b] Caluinus id negare absolutè non potuerit.] Videbat enim in Ecclesiastico ordine magnam vim Sacramenti.

XLIII. Ego verò iam ostendi manuum impositionem, etiam in ordinationibus, preces, & orationem significare: eamque ab Apostolis primum cœptam adhiberi; à Christo verò neque adhibitam, neque præceptam. Docui etiam [c] segregationem illam Pauli, & Barnabæ, nullum Sacramentale mandatum continere; neque tunc ullam factam fuisse horum ordinationem. Quod verò Spiritus Sanctus dicatur posuisse Episcopos in Ecclesia Ephesina Act. 20. & Pastores, ac Doctores in tota Ecclesia, Ephes. 4. significat Diuina quidem ordinatione, & cooperatione speciali id factum esse, & fieri; sed hinc mandatum diuinum haberi pro institutione peculiaris Sacramenti, nemo dixerit, nisi qui inopia probationum, hinc inde colligit quicquid ad manus venerit etiam si nihil ad rem faciat. Mandatum est, Euntes docete, baptizantes: Mandatum est, Hoc facite in meam commemorationem; & talia mihi mandata proferat, qui mihi vult à Christo instituta Sacramenta manifestare. Quod verò dicitur de gratia illa gratum faciente, nihil est: certè veri Sacramenti præcipuus, imò totus finis est, vt gratiam gratum facientem in recipiente operetur. Sacerdos verò illud proxime, & principaliter ab ordinatione recipit, vt possit conficere, & ministrare Sacramenta. Hoc autem tam perfectè ad effectum perducit ipse Sacerdos si sit in gratia, atque si sit in peccato mortali, vt contendunt Scholastici omnes: non ergo ordo est eo institutus, vt dignè quis possit ministrare; sed absolutè, & simpliciter, vt possit ministrare. Adeoque, secundum ipsos, ordo non minus recipitur ab inimico, atque ab amico Dei: & gratia ordinis est efficacia operandi id, ad quod ordo, siue officium rite datur: ex hoc enim quod quis sit legitime ordinatus, mira facit, quæ non ipse facit qui ordinatus est, sed ordo, & officium ipsum quod suscepit; hoc est Deus qui, [d] plantante, & rigante homine, dat incrementum, & fructum; etiamsi ille qui plantat, & rigat aridus in se sit, & infœcundus; [e] Sicut enim (*inquit Ambrosius*) qui dicit Dominum Iesum, in Spiritu Sancto dicit, qualisuis sit; ita & in loco ordinis officij Ecclesiastici positus, gratiam habet, qualisuis sit; non vtique propriam, sed ordinis, per efficaciam Spiritus Sancti. Vnde & inter initia dicit, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.] Et paucis interiectis. Diuisiones autem gratiarum sunt, officijs Ecclesiæ, non humanis meritis deputatæ.] Et hoc est opus operatum, non operantis; sed neque Sacramenti, aut characteris, sed assistentis Spiritus Sancti, qui ordinariè cum suo ministro legitimo operatur; non solum quando ille minister conficit, & confert Sacramenta, sed etiam quando docet, instituit, euangelizat, arguit, increpat, & ad sanam doctrinam, viamque salutis reducit audientes. Hoc enim propriè est illud plantanti, & irriganti dare incrementum; & illud, [f] operari Petro in Apostolatum circumcisionis, & operari Paulo inter gentes. Atque hæc ipsa gratia ordinis non est gratum faciens ordinatum, sed ipsi data gratis: habet tamen magnam similitudinem cum Sacramento, vt propterea Augustinus ordinem vocet Sacramentum: & in hoc facilè assentiebatur etiam Caluinus supra num. 42.

d 1. Cor. 3.

e Ambros. in 1. Cor. c. 12.

f Gal. 2.

XLIIII. Neque mihi dicant, solum characterem ordinis recipi à peccatore, eo modo quo ficte baptizatus solum baptismi recipit characterem. Quia in baptizato, quandiu durat fictio, effectus suos baptismus non operatur; is enim est præcipuus gratia gratum faciens: at verò in ficte ordinato puta Episcopo, etiam durante peccato & fictione, vt volunt nostri Scholastici, ordo ipsius omnes suos effectus potest operari. Quia potest valide, & fructuosè pro illis quibus ille ministrat Sacramenta, non modo baptizare, sed etiam Eucharistiam conficere, & distribuere, confirmare, ordines conferre, pœnitentes reconciliare, excommunicare, absoluere, benedicere, consecrare, & alias omnes ordinis sui functiones exercere. Vnde clarè constat, proximum effectum ordinis, non esse ex natura sua inducere gratiam gratum facientem. Propterea ex hoc ipso etiam optime comprobatur, ordinem

non

A non esse merum Sacramentum; quia proximus ipsius effectus non est gratiam conferre. Et [a] gratia illa quæ dicitur à Paulo data esse Timotheo per impositionem manuum, non est gratia gratum faciens directe, & per se, sed potestas illa duntaxat Sacerdotalis, & varia dona illi annexa, erga alios operatiua, vt vult [b] Chrysostomus: quæ mihi videtur tantum gratia gratis data. Vnde & idem Paulus simul numerat [c] Apostolos, Prophetas, & Doctores; cum virtutibus, gratijs curationum, gubernationibus, generibus linguarum, & interpretationibus sermonum; quæ non sunt nisi meræ gratiæ gratis datæ, vt est per se notissimum. Aut gratia hæc Timotheo data, est ipsius doctrina, & exacta Scripturarum intelligentia, ac fides: sic enim legit Hieronymus, [d] Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est Prophetiæ, per manuum impositionem.] Prophetiam verò intelligere debemus iam dictam Scripturarum notitiam; de hac enim eundem laudat postea Paulus, ita

B ad ipsum rursus scribens, [e] Tu verò permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu.] Atque hanc ipsam notitiam Scripturarum, & fidem, in Timotheo Prophetiæ nomine antea etiam Paulus significauit, dicens; [f] Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te Prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, &c.] Hoc ipsum monuit etiam [g] Chrysostomus: Has verò esse gratias gratis datas, quis ignorat? In hoc sensu gratiam hanc acceperunt etiam Ambrosius, & Chrysostomus, locum illum Pauli interpretantes. Ex benignitate tamen Dei, non ex efficacia Sacramenti, non dubito ordinatis bene dispositis, in ipso actu ordinationis, cum potestate ordinis gratiam etiam accedere ipsum digne exercendi. Baptizatus verò, si non posuit obicem, gratiam accepit gratum facientem, & remissionem omnium peccatorum; ex quo consecutiuè redditus est idoneus, & habilis ad sumendam

C Eucharistiam cum fructu, & sine peccato. Et vanum est quasi præcipuum baptismi effectum illum ponere, vt baptizatus recipiat gratiam sumendi Eucharistiam, & alia Sacramenta sine peccato: Satis enim est quod baptismus mundet animam baptizati ab omni peccato, & Deo gratam faciat: ex quo deinde sequitur, vt digne, & sine peccato, possit se sacris rebus immiscere: secus est in ordine, vt iam explicuimus.

Iam verò quoniam præter ordinationem Episcoporum, & Presbyterorum, alijs etiam ab his diuersis ordinationibus Ecclesia plures alios assumit in Ministerium, puta Diaconos, Subdiaconos, & Minores, consequens est vt videamus quidnam in his Ministris Ecclesiastica ordinatio operetur. Ac primum dicamus de Diaconis. Veros sane ac proprios Ecclesiæ Rectores, Christique ministros, in regenda, & gubernanda Ecclesia, esse solos Episcopos, & Presbyteros, satis, vt arbitror iam habemus exploratum: & nullum alium ordinem à Christo, præter hunc, fuisse institutum iam secimus euidens & manifestum.

D Ad quid ergo Diaconi? Diaconorum institutio, ipsiusque occasio tota clare explicatur à Luca in Actis Apostolorum. Fideles enim in primæua Ecclesia Hierosolymitana, in commune viuebant: [h] Possessiones, & substantias vendebant, & [i] afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum; qui diuidebant singulis prout cuique opus erat. [k] Crescente verò numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt, Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.] Hæc fuit occasio vt illud consilij caperent: nempe, Constituamus super hoc opus septem viros: nos verò orationi, & ministerio Verbi instantes erimus. Et elegerunt Stephanum, alioſque sex. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.] Quid clarius? Ab Apostolis Oeconimi sunt constituti, vt bonorũ temporalium curam gererent. & quæ

E pro communi fidelium victu conferebantur colligerent, & diuiderent, ac mensis ministrarent. Non satis est hoc ad plane cognoscendum Apostolos Christum elegisse, & instituisse; Diaconos verò ab Apostolis primum, non ad regimen Ecclesiæ in spiritualibus, quod erat muneris Apostolici, sed ad curanda temporalia fuisse institutos? Audi Cyprianum; [l] Meminisse autem Diaconi debent quoniam Apostolos, id est Episcopos, & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui, & Ecclesiæ Ministros.] Neque potuit negare Bellarminus [m] Cyprianum hoc loco velle ordinem Episcoporum ab ipso Christo institutum esse; proinde iure diuino in Ecclesia introductum; Ordinem verò Diaconorum ab Apostolis primùm excogitatum fuisse. Demus ergo quodcunque volumus officium, & ministerium

XLV.

a 1. Tim. 4.
b Chrysost. in 1 Cor. 12. hom. 29
c 1. Cor. 12.
d Hieron. Euagrio, epist. 85.
e 2. Tim. 3.
f 1. Tim. 1.
g Chrysost. in 1 Cor. 12. hom. 29.
h Act. 2.
i Act. 4.
k Act. 6.
l Cypr. lib. 3. epist. 9.
m Bellar. l. 4. de Rom. Pont. cap. 25.

Diaconis (de quo nos postea) siue temporale, siue etiam spirituale, cum prima ipsorum institutio sit ab Apostolis, quis iam audeat ordinationem Diaconi inter Sacramenta Christi Domini numerare? An Apostoli potuerunt noua Sacramenta instituere? Sed iam abunde probauimus, ne Presbyteratum quidem, siue Episcopatum, esse proprie Sacramentum; quanto minus erit Diaconatus? A

XLVI. Atque in hac assertione nec nimium repugnant vel ipsi Monarchici, quibus satis est si solus Presbyteratus sit Sacramentum, ad hoc vt ordo in numero Sacramentorum septenario retineatur, & ita Romanæ Ecclesiæ sententia vincat; & sit etiam de fide: nam quod illa decernit, firma fide [a] tenendum esse omnibus, ipsamet edicit; de quo nos alias. Imque libenter nobis concedunt [b] fide Catholica non necessario tenendum esse, Diaconatum ordinatione Sacramentali conferri: nam aliqui expresse negant Diaconatum esse Sacramentum, vt [c] Durandus, & [d] Caietanus: & id probabilissimum esse dicit [e] Victoria: B consentit & [f] Aquinas: dum rationem Sacramenti totam collocat in solo Sacerdotio: in alijs verò non nisi per attributionem ad illum, per quandam participationem: quod est non habere in se formaliter rationem Sacramenti: quanquam sibi contrarius [g] postea etiam in inferioribus ordinibus agnoscat rationem Sacramenti. Alij communiter Diaconatum, sub opinione tamen tantum probabili, faciunt Sacramentum. Sed nihil habent solidum quo nitantur.

a Cap. Ad abolendam. de hær.
b Bellarm. de ord. c. 6.
c Durand. in 4. d. 24. q. 2.
d Caiet. opusc. tom. 1. tr. ult. 11.
e Victoria de Sacram. q. 226.
f Thom. q. 37. ar. 1. ad 2. in addit.
g Idem ib. ar. 2.

XLVII. Vrgent manuum impositionem: Sed illa significat orationem super hominem, vt in præcedentibus ostendimus, ad hoc vt Deus ipsis assisteret gratia sua, in bene adimplendo munere quod ipsis iniungebatur. Obijciunt inamissibilitatem, & characterem: sed negatur & inamissibilitas, & character, nec habent vnde id probent; asserunt quidem sed gratis. Nos verò præterquam quod etiam Sacerdotium fecimus amissibile, ostendere possumus Diaconi ordinationem esse meram officij iunctionem, & liberam deputationem. C Ac primum, Sacramentum non est, quia non est à Christo institutum, sed a solis Apostolis, vt constat: ergo erit simplex officium Ecclesiasticum ab Apostolis datum. Quoties ergo quis remouetur à tali officio, ne in eo amplius se exerceat, totum amittit. Igitur Diaconus, siue priuetur ob demerita, ac deponatur; siue promoueatur ad Presbyteratum, cum in officio Diaconatus nihil amplius negotij habeat, certe Diaconus non est amplius. Deinde ostendo hoc ex ipso facto: Vigilius enim Papa in quadam sententia contra quendam Sebastianum Diaconum prolata, ita narrat: [h] Sed vt tua, Sebastiane non in quantum sunt, sed in quantum referre possumus mala quæ feceris diuersi cognoscant, & iustè te (nam magis tardè) canonicam aduertant subijsse sententiam, ad tuæ ordinationis veniamus initia. Absentibus filijs nostris Diaconis Anatolio atque Stephano, à nobis postulasti, vt ad D tempus, pro implendo officio absentium loco, Diaconum te interim faceremus.] Et post pauca; Officium verò locumque Diaconi, sine aliquo vitio, sine aliqua superbia, sine aliquo neglectu, donec reuerterentur Diaconi memorati, aut quanto te tempore in Leuitarum voluissemus ordinatione ministrare, &c.] Vides ne hic ad tempus, & ad nutum, ordinari Diaconum? [i] Hæc, *inquit Baronius*, non sunt quo ad ordinem, sed potius quoad ministerium accipienda. Sed Vigilius dicit, se illum Diaconum ad tempus fecisse. Facere verò Diaconum aliud est; & aliud Diaconi officium facere. Quibus quæso verbis potuit significantius explicare se etiam pincernam aliquem ad tempus facere, donec alius pincerna venerit? Sed audiamus verba priuationis. Ideoque, *inquit*, pro supra scriptis excessibus, alienos vos à Diaconi esse honore decernimus, & omni ministerio officij Leuitici, prædictum vobis honorem auferentes, penitus submouemus.] Et ministerium aufert & honorem: hoc est & Diaconatum ipsum, & Diaconale ministerium. Dices Ignatius Diaconos à Christo constituros asserit, [k] Qui enim, *inquit*, his obedit, obedit Christo qui hos constituit.] Respondeo à Christo constituta interdum dicuntur quæ ipsius inspiratione, & in ipsius gloriam, ac obsequium, ab ipsius Sacerdotibus & ministris constituuntur. Nam contra apertissimam sacræ Scripturæ narrationem Ignatius loqui non potuit.

h Vigil. ep. 5. tom. 1. Par. 2.
i Baron. tom 7 an. 550. nu. 24.
k Ignat. ad Ephes.

XLVIII. Maxime verò Diaconi munera volunt Sacramenti vim supponere: nam, *inquiunt*, possunt baptizare, Eucharistiam ministrare, reconciliare pœnitentes, prædicare, & fere omnia Episcoporum, ac Presbyterorum munera, in eorum absentia exercere. Quæ cum speciali Dei gratia indigeant, ad hoc opus est ipsis Sacramento. Nos verò de proprijs Diaconorum muneribus mox videbimus: admittantur interim hæc ipsa, quæ hi commemorant; si iam ostendimus Pontificalia, & Sacerdotalia munera rite ab Episcopis, & Presbyteris peragi, ex peculiari gratia diuina, diuinoque concursu, absque Sacramento, cur etiam Diaconi

coni non poterunt diuina gratia iuuari, sed sine veri Sacramenti collatione? At præsentis etiam nostri instituti est vt verum, ac proprium Diaconorum munus in Ecclesia, exactius indagemus. Solis enim mensis, quoad cibaria materialia, Diaconos Præfectos fuisse ab Apostolis, persuadere sibi non potest Baronius: Sed [a] contendit eos curam habuisse vtriusque mensæ, nempe communis, & sacræ. Vtramque verò mensam fuisse Ecclesiasticam, & in Ecclesijs parati olim solitam, idem autumat, & probare conatur ex eo, quod [b] Vnusquisque suam cænam, nempe communem, teste Paulo, in Ecclesia manducabat. In qua tamen præterea erat manducatio alia sacra, panis, & calicis potatio, in mortis Domini annunciationem. Item quia vsus [c] fractionis panis frequens in primitiua Ecclesia perhibetur. In qua fractione vtriusque panis, communis, & sacri, ponit Baronius curam Diaconorum pro [d] ministerio quotidiano: vt ita eos faciat Ministros altaris, & sacros. Consulendi sunt igitur nobis magistri sapientiores.

a Baro. tom. 1. an. 34. exp. 284. 285
b 1. Cor. 11.
c Act. 2. & 1. Cor. 6.
d Act. 6.

XLIX.

In constitutionibus Apostolicis sæpius agitur de Diaconis, eorumque officijs: colligam præcipua; [e] Diaconus sit tanquam Propheta Episcopi, & nuntius: nihil agat Diaconus sine Episcopo, nec cuiquam quicquam det, nisi de illius sententia. Si vides Diacone aliquem inopia premi, admonito Episcopo, illi suppedites. [f] Omnia Diaconus ad Episcopum referat: quæ potest ipse per se gubernet, accepta ab Episcopo potestate. Diaconus esto Episcopi auditus, oculus, os, cor, anima, ne sit in multis solicitus Episcopus, sed tantùm in præcipuis. In oratione publica [g] Diaconus adstans propè Episcopum alta voce dicat; Ne quis contra aliquem, ne quis in hypocrisi. [h] Diaconus in Ecclesia aduentantibus aduenis locum prouideat. [i] Cùm illuminantur mulieres, Diaconus vngit frontem ipsarum oleo sancto. [k] Eliguntur Diaconi vt infirmis ministrare valeant. Necesse est vos Diaconos, omnes inuisere, qui quidem visitatione opus habent, & de oppressis referre Episcopo vestro. [l] Omnibus consurgentibus Diaconus ascendens altum aliquem locum pronunciet, Ne quis auditorum; ne quis infidelium; catechumeni orate. Diaconus pro ipsis oret, dicens, &c. Sic de Energumenis, & de illuminandis, & pœnitentibus. [m] Diaconus vnus præsit pueris ne obstrepant, & alij Diaconi deambulent, & videant viros, & mulieres, ne tumultus aliquis excitetur, & ne quis murmuret, &c. & maneant ad portam virorum. [n] Diaconus teneat calicem, & quando tradit, dicat; Sanguis Christi, calix vitæ. Diaconus dicat; [o] Ite in pace: [p] Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit autem ab Episcopo vel Presbytero; non baptizat; non offert offerente Episcopo, vel Presbytero, ipse dat populo, non veluti Sacerdos, sed veluti ministrans Sacerdoti. Ex alijs Clericis Diaconi officium facere liceat nemini. Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, Diaconissam, si quid tale contingat, absente scilicet Presbytero. [q] Diaconis assignauimus Ministeria erga Episcopos, & Presbyteros. Nam nec Diacono fas est offerre sacrificium, vel baptizare, aut benedictionem paruam, vel magnam facere. Quod si qui [r] Philippum, & [s] Ananiam producant, non ipsi se elegerunt, sed a Christo promoti sunt.] Hactenus ex Constitutionibus Apostolicis. Clemens idem Diaconorum plura commemorat officia: [t] Diaconi, *inquit*, tanquam oculi Episcopi debent circumlustrare Ecclesiam, vt si quem proximum præcipitio animæ inuenerint, certiorem faciant Episcopum, qui prouideat ad audiendum verbū Dei ex ore Episcopi, hortentur eos qui sint segniores, ægrotos fideles perquirant, visitent, & necessaria eis subministrent; eorum quæ ad cultum Ecclesiæ, & disciplinam eius pertinent, curam gerant; suggerant Episcopo de peregrinis refouendis.] Ignatius; [u] Oportet, *inquit*, & Diaconis mysteriorum Christi Ministris, per omnia placere: nec enim ciborum, & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores. Item; [x] Diaconos reuereamini, vt ex præcepto Dei ministrantes.] Et Diaconum alloquens idem Ignatius, ait; [y] Nihil sine Episcopis facito, Sacerdotes enim sunt, tu verò Sacerdotum minister; sacrificant, eligunt, manus imponunt, tu illis ministras, vt sanctus ille Stephanus Iacobo, & Presbyteris qui erant Hierosolymis. Synaxes ne negligas, omnes nominatim inquire, &c.] Euaristus; [z] Diaconi, *ait*, qui oculi sunt Episcopi, septem sint in vnaquaque ciuitate; custodiant Episcopum prædicantem.]

e Const. Apo. lib. 2. cap. 34. 35 36.
f Ibid. cap. 48.
g Ibid. ca. 58. & 61.
h Ibid. cap. 62.
i Ibid. lib. 3. ca. 15.
k Ibid. cap. 19.
l Ibid. lib. 8. ca. 5. & seqq.
m Ibid. cap. 15.
n Ibid. cap. 20.
o Ibid. cap. 23.
p Ibid. cap. 34.
q Ibid. ca. vlt.
r Act. 8.
s Act. 9.
t Clem. Epist. 1. ad Iacob. fol.
u Ignat. Epi 2. ad Trall.
x Idem ad Smyrn.
y Idem ad Hier.
z Euarist. Ep. 1

L.

Iustinus Martyr de sacra Communione singulis Dominicis diebus fieri solita, hæc habet; [a] Ijs quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, vnusquisque participat, eademque ad eos qui absunt Diaconis dantur perferenda.] Origenes Diaconorum ordinem [b] Vocat ordinem adstantium diuino ministerio. Ait quoque alibi; [c] Diaconi autem qui non benè tractant Ecclesiasticarum pecuniarum mensas, sed semper de eis fraudant, & ipsas quas dispensant, non secundum iustitiam dispensant, & diuites fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummu-

a Iustin. Apol. 2. ad finem.
b Orig. in Cantic. hom. 2.
c Idem Tract. 15. in Matt.

nummularij, pecuniarum menses habentes, quas Christus euertit. Quoniam autem mensis Ecclesiasticarum pecuniarum Diaconi præsunt, docent nos in actibus suis Apostoli,&c.] Fabianus, vt fertur, ita scribit; [a] Diaconos in vrbe Roma septem habemus, qui per singulas hebdomadas, & dominicos dies, atque festiuitatum solemnia, & Acolythis, ac sequacium ordinum ministris iuncta sibi obseruant ministeria, & parati omni hora sunt ad Diuinum officium, & quicquid eis inuingitur peragendum.] Cyprianus, [b] In præteritum, *inquit*, semper sub antecessoribus nostris factum est, vt Diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria consilijs suis, & Scripturarum præceptis gubernarent.] Idem Cyprianus narrat miraculum quoddam, in puella quadam, dum ei Diaconus, qui & cæteris calicem offerebat, de Sacramento calicis infudit. Ex quo patet, sicut & supra ex constitutionibus Apostolicis, Diaconorum fuisse, consecratum calicem fidelibus ministrare. Reconciliationem etiam pœnitentium in aliquo casu idem Cyprianus permittit Diaconis; Sic enim scribit; [c] Si Presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, vt manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace.

a Fabian.ep.1.

b Cypr.l.3. ep.14.

c Ibid.ep.17.

LI.

Optatus Mileuitanus crudelitatem narrat Donatistarum, [d] qui cum in Ecclesias Catholicorum inrumpere non possent, aliunde tectum ascenderunt, & deiectis tegulis, Diaconos Sacram mensam defendentes, aliquos vulnerauerunt, & aliquos occiderunt.] Erant igitur Diaconi Sacræ mensæ custodes. Archidiaconum etiam habes ibidem mulierem quandam malè se circa Domini calicem gerentem, acrius increpantem. In Concilio Nicæno Canon est huiusmodi, [e] Peruenit ad Sanctum, magnumque Concilium, quod in quibusdam locis, & ciuitatibus, Presbyteris gratiam Sacræ Communionis Diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradidit, vt ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi Corpus accipiant. Necnon & illud innotuit, quod quidam Diaconi ante Episcopos oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua Diaconi mensura permaneant, scientes quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem Presbyteris habeantur. Per ordinem ergo post Presbyteros gratiam Sacræ Communionis accipiant, aut Episcopo, aut Presbytero porrigente.] Et in alia versione illa adduntur, [f] Quod si non fuerit in præsenti, vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant] Cyrillus Hierosolymitanus Diaconos etiam agnoscit ministros ordinarios baptismi, dum ait, [g] Tempore enim baptismatis cum ad Episcopum accedis, aut Presbyterum, aut Diaconum, vbique enim gratia.]

d Optat.l.2.

e Conc.Nican. ca.18.

f Ibid.c.14.

g Cyril.Hier. catech.17.

LII.

Concilium Carthaginense quartum de Diaconis ita scribit; [h] Diaconus ita se Presbyteri vt Episcopi ministrum nouerit; vt Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget. Vt Diaconus quolibet loco, iubente Presbytero, sedeat. Vt Diaconus in conuentu Presbyterorum interrogatus loquatur. Vt Diaconus tempore oblationis vel lectionis tantùm Alba vtatur. Hieronymus in nimiam Diaconorum arrogantiam excandescens illud protulit, [i] Quis patiatur mensarum, & viduarum ministet, vt supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur.] In opusculo de septem ordinibus Ecclesiæ, inter opera Hieronymi, varia Diaconorum munera numerantur; [k] Euangelizare pacem, annuntiare bona, dissensiones, & rixas, & scandala resecare, docere, Sacramentum dispensare, calicem de mensa tollere, & Presbytero porrigere, inferre oblationes in altari, componere mensam Domini, adsistere Sacerdotibus dum Sacramenta benedicunt, acclamare sursum corda; ac tandem, *inquit*, sufficit huic ordini tantum per Dominum fuisse concessum, vt non solus Sacerdos in templo totum agere, & implere videatur.] Chrysostomus Diaconi munus suo tempore scribit fuisse, vt pro populo [l] preces offerret. Scribit & illud; [m] Diaconus in altiori loco stans magna voce terribili clamore veluti quidã præco manus sustollens in altum, alios quidem vocat, alios autem prohibet, alios excludit, alios introducit.] Cæsarius Arelatensis; [n] Rogo, *inquit*, Vos, & admoneo, fratres charissimi, vt quotiescunque iuxta altarium à clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non solùm corda sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante, Flectamus genua, maximam partem populi veluti columnas erectos stare conspicio, quod Christianis, dum in Ecclesia oratur, omnino nec licet, nec expedit. non enim propter nos, sed propter vos Diaconus clamat.] Autor quæstionum veteris & noui Testamenti, integram formauit quæstionem contra Le-

h Conc.Carthag. 4.c.37.38.39. 40.41.

i Hier.ad Euagr. ep.85.

k Hier.de 7. ord.Eccles.5.

l Chrys.ad Pop. hom.14.

m Idem in ep. ad Heb hom.17.

n Cæsar.hō.34.

uitas

A uitas Romanos, qui se Presbyteris coæquabant: ex qua illa dicta seligam, quæ Diaconorum attingunt proprium officium. [a] Quæ audacia est, *inquit*, Presbyteris Ministros ipsorum pares facere? Quæ temeritatis præsumptio Sacerdotibus baiulos Tabernaculi & omnium vasorum eius, & lignorum concisores, & portitores aquæ conferre? Hoc enim officium fuit Leuitarum: Tale est si præfectis officiales, Dominis [b] serui æquentur. Vt autem non omnia Ministeria obsequiorum per ordinem agant, multitudo facit Clericorum: nam vtique & Altare portarent, & vasa eius, & aquam in manus funderent Sacerdoti, sicut videmus per omnes Ecclesias; & sicut constitutum est à Domino per Moysem. Nunc autem videmus Diaconos temerè quod Sacerdotum est agere, per conuiuia, & in oratione, id velle vt respondeatur illis, cum istud solis liceat Sacerdotibus. Diaconi ergo ordo est accipere à Sacerdote, & sic dare plebi. Perducuntur ordinandi (*per Diaconos*;) fateor facti eorum esse, sed quasi officialis. Ab Episcopo enim mittitur vt obsequium præbeat ordinando. Ita & Diaconi creandis Presbyteris in obsequium mittuntur; & dignos eos fieri Sacerdotes omnes intelligant. Exceptis enim Sacerdotibus, quibus obsequium debent, omnibus proponuntur Diaconi.] Hæc ille Gelasius ita statuit; [c] Diaconos quoque propriam constituimus seruare mensuram, nec vltra tenorem paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus, nihil eorum penitus suo Ministerio applicare, quæ primis ordinibus propriè decreuit antiquitas. Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant; nisi necessitas extrema compellat: quod & Laicis Christianis facere plerumque conceditur. Non in Presbyterio residere, sacri corporis prærogationem sub conspectu Pontificis, seu Presbyteri, nisi ijs absentibus, ius non habeant exercendi.] In Concilio Romano sub Gregorio, ita decernitur: [d] Vt in sede hac (*Romana*) sacri Altaris ministri (*Diaconi*) cantare non debeant: solumque Euangelicæ lectionis officium, inter Missarum solemnia, exsoluant.] Omnia Diaconi munera in vnum collegit [e] Isidorus. Et multa habentur etiam in Decretalibus toto titulo de officio Archidiaconi.

a *Aug. lib. 99. qu. & noui Test. q. 101.*

b Numer. 8.

c *Gelas. c. 6.*

d *Greg. lib. 4. Regist. ep. 88.*

e *Distinct. 25. c. Perlectis.*

LIII.

Ex his omnibus, vt liquet, aliqui nudum & purum relinquunt Diaconis ministerium, circa mensas præcipuè corporales, ac pecuniarum communium curam, aliaque externa ministeria, conuocandi populum ad synaxes, indignos expellendi (quæ est quædam excommunicatio, vt postea libro quinto) monendi Episcopum de indigentibus ope quidem corporali, ex officio dispensandi, & ea occasione de indigentibus ope in spiritualibus: & similia peragendi, opere & seruitute corporali; ex caritate tamen, & Ecclesiastica commiseratione; ita vt sicut Presbyteri, & Episcopi sunt Christi immediati Ministri; ita Diaconi sint Episcoporum, & Presbyterorum ministri. Ita expressè docuit Origenes, Hieronymus, & Autor quæstionum in operibus Augustini. Aliqui verò præterea addunt multa ministeria pura Ecclesiastica circa Altare, & Sacramentorũ, administrationem, & prædicationem, ac instructionem plebis: vt Ignatius, Gelasius, Cyprianus, & Concilia. Et quoniam in his non pauca apparet varietas, tot autoritates ad certam aliquam atque apertam veritatem sunt deducendæ. Itaque primam ego Diaconorum institutionem non dubito fuisse ad hoc tantum, vt solas mensas communes curarent, ac temporalium rerum gererent administrationem. Occasionem enim totam videmus fuisse [f] murmur Græcorum, hoc est Christianorum ex Gentilibus conuersorum, aduersus Hebræos, eo quod ipsorum viduæ contemptui haberentur: siue nimirum quod Gentilium viduæ non assumerentur ad curam dispensationum, sed solæ Hebræorum dispensationibus præficerentur, vt innuit Chrysostomus; siue quod dispensatores, quippe ex fidelibus Hebræis, dum erogarent indigentibus necessaria, viduis potissimum Hebræis prospicerent, Gentiles verò negligerent: Vt ergo huic scandalo occurrerent Apostoli, cum non esset operæpretium ipsos in talibus occupare, Diaconos instituerunt. Quis verò dicat murmur & scandalum fuisse circa mensam sacram, vt Baronius comminiscitur, cuius veri & proprij ministri erant ipsi Apostoli, & Presbyteri ab ipsis ordinati? Illud quidem oneris & officij remittebant Diaconis, quod ipsi à se abdicabant, & cui par non erat, inquiunt, vt ipsi se ingererent. Quomodo verò quis dicet æquum non fuisse vt Apostoli in sacra mensa sanctissimam Eucharistiam ministrarent? Meritò igitur, & Origenes, & Hieronymus Diaconos mensarum, & viduarum ac pecuniarum tantum faciunt Ministros, & Curatores? quod autem etiam sacram pararent mensam, non est improbabile.

f Act. 6.

LIV.

Et quamuis Diaconi etiam, dum vacaret, qui præsertim instructiores essent, & tali dono dotati, commodaue oblata occasione, aut necessitate, verbum prædicarent, vt fecit [g] Stephanus, & Philippus, id tamen ex officio Diaconali non faciebant, sed ex Presbyteratu, erant

g Act. 7. &

erant enim Discipuli ex 72. vt supra explicaui. Ita postea multo plus inualuit in Ecclesia, vt Diaconi, occasione præparandæ mensæ communis, & accipiendarum oblationum populi ac præsertim panis in Ecclesiasticam consecrandi, etiam sacræ mensæ [a] altarique inseruirent. Ac paulatim, Episcopis ita disponentibus, ad alia altaris ministeria accedere sunt permissi. Vt iam meritò duplex Diaconorum genus possimus in Ecclesia distinguere: alterum primæ institutionis, ad curam mensarum communium, & pecuniarum, ac eleemosynarum: alterum verò altaris, variisque sacrarum rerum ministerijs, ab ipsa Ecclesia deputatum. Primum sane quod est proprium & verum Diaconorum genus, iamdiu in Ecclesia cessauit; ex quo pecuniarum & reddituum tota massa ad Episcopos & beneficiarios solos transijt; alterum verò vix ad speciem, aliqua tantum adhuc seruat vestigia.

a Iustin. Mart. Apol. 2. ad calc.

LV. Duplex hoc Diaconorum genus à me non est confictum, sed tanquam diuersum à Patribus in Trullo numeratur: sic enim illi statuunt. [b] Quoniam Actuum liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit; Neocæsariensis autem Synodus sic in à se editis canonibus aperte disseruit, Quod septem debent esse Diaconi ex canone, etiamsi sit magna ciuitas: Ex libro autem Actuum persuadeberis: Nos cum dicto Apostolico Patrum mentem adaptassemus, inuenimus eos esse locutos non de viris qui ministrant mysterijs; sed ministerio quod in vsu mensarum adhibeatur; cum liber Actuum sic habeat, [c] In diebus illis cum discipulorum multitudo crescerét, fuit Græcorum murmur, &c.] Vides mentem illorum Patrum, primos Diaconos ab Apostolis non fuisse, nisi ad mensas illas curandas, quas Apostolos ipsos curare non decebat, institutos: alios verò qui in mysterijs iam ministrabant fuisse ab illis diuersos. Confirmant ijdem Patres hanc Diaconorum diuisionem autoritate Chrysostomi; sic enim pergit Canon. Hæc interpretans Ecclesiæ Doctor Ioannes Chrysostomus, sic prosequitur. [*] Est operæprecium admirari quomodo non est scissa multitudo in virorum electione; quomodo non sunt ab ipsis reiecti, ac reprobati Apostoli: Quamnam autem habebant hi autoritatem, & quam acceperunt ordinationem scire est necessarium. Nunquid Diaconorum? Atqui hoc non est in Ecclesijs. Sed est Presbyterorum dispensatio. Atqui nullus adhuc erat Episcopus, sed soli Apostoli; vnde nec Diaconorum, nec Presbyterorum nomen existimo apertum esse, ac manifestum. *Pergunt Patres in eodem Canone.* Post hæc ergo nos quoque prædicamus, vt prædicti septem Diaconi non de ijs accipiantur qui ministerijs seruiunt, vt est prius exposita doctrina; sed eos esse quibus concredita fuit ac tradita dispensatio eorum, quæ tunc collecta fuerant. Qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis, & studij in eos qui indigent.] Sane verò [d] Ambrosius etiam, Stephanum vocat altaris Ministrum.

b Syn. Quinisexta c. 16.

c Act. 6.

* Chrysost. in Act. hom. 14.

d Amb. de Virgin. l. 3. ad fin.

LVI. Quanquam igitur initio Diaconi mensarum, & rerum temporalium præcipuam curam haberent ex Apostolica institutione; ex occasione tamen aliquid etiam spiritualis ministerij ijdem attingebant: sed progressu temporis adeo immutata fuerunt munera Diaconorum, vt ne aspectum quidem, aut vultum primæuæ institutionis præ se ferrent; adeo vt diuersum à primo in istis Diaconorum genus agnoscere patres sint coacti. Quod si primum illud & proprium Diaconorum genus nihil sacri officij peragebat, ipsumque à Sacramentali ordinatione erat remotissimum, quanto magis id asserendum erit de posteriore hoc genere, Apostolis Apostolorumque temporibus prorsus ignoto, & in Ecclesia sensim ac paulatim exorto? Quantumcunque verò sacris altaribus appropinquet, & rebus sacris sacrisque exercitijs immisceatur, id tamen totum Diaconi vt meri Presbyterorum & Episcoporum ministri peragunt; multa quidem iuste, & legitime ex Ecclesiastica institutione: multa vero sæpe, etiam ex ipsorum autoritate vsurpata. Cur enim toties nimiæ arrogantiæ arguuntur, & à Concilijs & Patribus vt vidimus increpantur? nisi quia inuidia & æmulatione erga Presbyteros ducti, in eorum libenter munera irrumpebant. Nonne eo audaciæ interdum sunt progressi, vt etiam offerre (quod est nunc Missas in Ecclesia Catholica celebrare) non sint veriti? testes sunt Patres Concilij primi Arelatensis, qui, lato Canone, audaciam hanc represserunt. Sic enim statuunt. [e] De Diaconibus quos cognouimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.] Quid mirum igitur si nonnulla etiam ex ijs, quæ in productis autoribus vidimus tribui Diaconis, ab ipsis vsurpata sint, & dolo malo factitata?

e Concil. Arelat. 5. can. 15.

LVII. Diuinat itaque, non probat, Baronius, initio Diaconos vtriusque panis, & sacri, & communis, curam habuisse. Et concessa ei vtraque mensa in Ecclesia (quod erit alio loco expendendum) solam tamen communem, vt ostendi, Diaconi tunc ex officio curabant: Presbyterorum curæ & Episcoporum sacra relinquebatur. Imò etiam si in distributione Eucha-

ristiæ,

A tistiæ, tam corporis, quam sanguinis Domini, Episcopi, & Presbyteri Diaconorum opera vterentur, hoc non est propriè habere partem in mysterijs; scimus enim initio nascentis Ecclesiæ etiam Laicos fideles sibi, & domesticis [a] Eucharistiam proprijs manibus domum solitos fuisse asportare. Patres verò, siue Concilia, si quid plus tribuunt Diaconis, ac in mysterijs ipsis faciunt occupatos, loquuntur de Diaconis posterioribus, non de primis. [b] Ignatius tamen qui Apostolos vidit, loqui non potuit, nisi de primis Diaconis; neque à communi dissentit. Non enim negat Diaconos cibum, & potum ministrasse; imò idipsum affirmat: sed nolebat illos eo nomine contemptui habere, quod cibum, & potum materialem ministrarent: imò docebat fideles vt illos reuererentur, quia id præstabant non vt famuli domestici, qui Domino suo mensas parant; aut pistores qui panem plebi præparant, sed vt Ecclesiæ administratores: hoc est, agnosceret plebs in illo, licèt corporali, & materiali Ministerio, Diaconos tanquam viros Ecclesiasticos, & Ecclesiæ nomine, non vt ipsorum famulos, laborare. Dei verò præcepto, siue mandato Dei ministrare dicuntur ab eodem Ignatio; non quod ex diuina ortum habuerint institutione, sed quia omnes Ecclesiastici Ministri, à quocunque sint instituti, cum diuino prorsus cultui dedicentur, diuino operi, non humano, dicuntur meritò mancipati.

a Bellar. lib. 4. de Eucharist. cap. 12.

b Supra hoc capite num. 51.

B

Cùm verò Archidiaconi, hoc est, primi inter Diaconos, iam passim supra Presbyteros collocentur, id tandem nimia eorum pertinacia, & Prælatorum conniuentia eos euicisse, meritò possumus affirmare. Imò etiam datis ad hoc publicis sedis Romanæ rescriptis, Archidiaconis, & Archipresbyteri, & Primicerij, & Sacristæ, & Custodes, alijque inferiores ordines in Latina Ecclesia subijciuntur: vt sub his titulis legimus in Decretalibus: Cùm tamen olim Patres acriùs reclamarent, & inter Ecclesiasticos Canones expressas prohibitiones, ne Archidiaconi supra Presb. se efferrent, Gratianus [c] reposuerit, & alios inferiores ordines, non tamen Presbyteros, eis suppositerit. In hoc verò abusum, & turbationem ordinis optime cognouit Petrus Blesensis; scribit enim hoc pacto: [d] Porro dignitatis turbato ordine, Archidiaconi hodie Sacerdotibus præeminent, & in eos vim, & potestatem suæ iurisdictionis exercent: ea propter Archidiaconum in Presbyterum promoueri, non est honorem eius augeri, sed minui.]

LVIII.

c Dist. 25 cap. Perlectis. & Dist. 94. cap. Dictum est.

d Pet. Bles. Epist. 123.

C

Subdiaconos etiam sacro ac sacramentali ordine consecrari, docent multi scholastici: Sed fatetur Bellarminus de Subdiaconatu non esse tantam certitudinem illum sacramentaliter conferri, quanta de Diaconatu; [e] Quia, *inquit*, neque in Scripturis fit de eo mentio, nec eius ordinatio habet manus impositionem: & propriè non pertinent ad Hierarchiam, nisi vt ministri Hierarcharum.] Ponit tamen vt probabile, etiam hunc ordinem esse Sacramentum. Sed probabilitas nulla est; si enim Diaconatus Sacramento non confertur, quanto minus Subdiaconatus, qui neque forsitan Apostolis fuit cognitus, sed longè post ab Ecclesia, vt merum officium externum, institutus. Fatetur enim Vrbanus [f] Papa duos solos sacros ordines Presbyteratum, & Diaconatum primitiuam Ecclesiam habuisse. Et affirmat Magister Sententiarum, [g] Subdiaconos esse ab Ecclesia cum alijs minoribus ordinibus instituros. Idem fatetur Gratianus dicens; [h] Subdiaconos, & Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.] Ita etiam Petrus Blesensis; [i] Productior est, *inquit*, ascensus ad hunc gradum (*Sacerdotij*) nunc quàm in primitiua Ecclesia, in qua qui tantùm fidelis erat, Diaconus fiebat, vel Sacerdos. Introducti postea sunt quidam minorum ordinum gradus.] Hæc scribebantur ante quadringentos quinquaginta circiter annos, cùm nondum scholastici miris subtilitatibus institutionem, & introductionem quorundam ministeriorum ab Ecclesia factam, promulgationem interpretarentur, aut vsum, vt ad Christum sese quoquo modo reducerent Sacramenta instituentem, clam, & secretè, & Apostolis eorum promulgationem committentem: certè tamen Subdiaconatus Apostolis fuit incognitus, si post ipsos fuit & institutus, & introductus. Profectò medio iam elapso sexto post Christum sæculo, Subdiaconi ne benedictionem quidem in sui ordinatione, seu deputatione, ab Episcopo accipiebant: & nouum in Concilio 8. Toletano fit statutum; [k] Vt, cùm Subdiaconi ordinantur, cum vasis ministerij, benedictio eis ab Episcopo detur.]

LIX.

e Bellar. de Ord. cap. 2.

D

f De etat. & qual. Ord. cap. A multis. E de ferm. non ordi. cap. Miramur.

g In 4. dist. 24.

h Dist. 21. § Decretis.

i Pet. Blef. Serm. 47.

E

k Concil. Tolet. 8. cap. 6.

LX.

Atque si hæc non sufficiunt ad ostendendum Subdiaconatum esse merum extrinsecum officium ab Ecclesia institutum, considerent qui nobis adhuc non possunt assentiri, duos tantum ordines verè Ecclesiasticos, siue à Christo, siue ab Apostolis institutos, totam antiquam Ecclesiam cognouisse. In Apostolicis sanè constitutionibus [l] Ecclesiastici ordines numerantur, Episcopi cum Presbyteris, & Diaconi. Ignatius [m] Presbyterorum tantum, & Diaconorum, & ipse sæpiùs tanquam Ecclesiasticorum ordinum, mentionem

l Constit. Apost. lib. 8 cap. vlt.

m Ignat. Epist. 3. 4. & 9.

nem facit. Sine Episcopo, *inquit*, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus quicquam faciat.] *Item*, Presbyteri subiecti estote Episcopo; Diaconi Presbyteris; Populus Presbyteris, & Diaconis.] *Item*, Episcopo attendite, & Presbyteris, & Diaconis.] *Item*, Populus pareat Presbyteris, & Diaconis.] Et alibi sæpissime, vbi commemorat ordines qui habeant in Ecclesia ministeriale officium, & auctoritatem, post Episcopum solos semper ponit Presbyteros, & Diaconos; puros verò horum ministros cognoscit cæteros, quibus parendum non sit, sed qui parere teneantur: & inter hos ponit Hypodiaconos; ad Antiochenos enim scribens: Saluto, *inquit*, Hypodiaconos, lectores, cantores, ianitores, laborantes, exorcistas, confessores.] Eodem sane ordine collocat Hypodiaconos cum ianitoribus, & laborantibus, cæteraque turba ministrantium. Zepherinus [a] Presbyteros tantùm, & Leuitas congruo tempore ordinandos præcipit. Origenes [b] Sacerdotalem, & Leuiticum tantum ordinem agnoscit, sicut in veteri, ita in nouo testamento. Et [c] stationes ministrorum in solis Diaconis recognoscit, & ipsius verba sunt illa, [d] Plus à me exigitur, quam à Diacono, plus à Diacono quam à Laico.] Ecce a Diacono tanquam ab vltimo Ecclesiastico ordine, transit statim ad Laicos. Gregorius Nazianzenus, [e] Vide, *inquit*, confessum Presbyterorum, canicie, & prudentia ornatum, Diaconorum modestiam non longè ab eodem remotam, spiritum lectorum, decorem populi, discendi ardorem.] Hieronymus totam Ecclesiam quinq; constare ordinibus scripsit. [f] Quinque, *inquit*, ciuitates, quinque ordines Ecclesiæ, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos sentiunt.] et alibi etiam; [g] Episcopos, Presbyteros, & Diaconos in superioribus ordinibus collocat. Ita & Ambrosius inter sacros ordines duos tantum recensuit post Episcopos dicens: [h] Aliud est enim quod ab Episcopo requirit Deus, & aliud quod a Presbytero, & aliud quod a Diacono, & aliud quod a Clerico, & aliud quod a Laico, vel à singulis quibusque hominibus.] Augustinus propria Ecclesiastica officia [i] Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi officijs concluſit. Et, [k] post Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos, reliquos in inferiori clero collocauit.] Chrysost. [l] Quemadmodum, *inquit*, Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Virgines, Coniuges numeramus catalogum Ecclesiæ recensentes; sic & viduas, &c.] Vrbanus Papa, seu potius Synodus Beneuentana ex Iuone; [m] Sacros, *inquit*, ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiua legitur habuisse Ecclesia.] Leo verò 9. qui solos Sacros ordines numerare voluit, sic habet, [n] Sacerdotum ordo bipartitus est, nec amplius quàm duos ordines, id est, Episcoporum, & Presbyterorum nobis collati sunt, nec Apostoli docuerunt.]

a *Zepher. Ep. 2.*
b *Orig. in Numer. c. 1. hom. 3.*
c *Idem in Cant. hom. 2.*
d *Idem in Hieremiam hom. 7.*
e *Nazian. orat. 33. 27.*
f *Hier. in Isa. l. 5. c. 19.*
g *Idem in ep. ad Tit. c. 2.*
h *Ambros. de dignit. Sacerd. ca. 3.*
i *Aug. ep. 148.*
k *Idem ep. 162.*
l *Chrysost. in 1. Cor. hom. 30.*
m *Dist. 60. cap. fin.*
n *Leo 9. ep. 4.*

LXI.

Subdiaconatus ergo neque Sacramentum est, neq; ordo sacer, neque à Christo, neq; ab Apostolis institutus; imò neque ab Ecclesia in verum sacrum ministerium introductus; sed est merum officium externum circa vasa, ac linteamina altaris occupatum. Videtur, *inquiũt*, [o] imi rimere characterem, cum sit iterabilis.] Iterabilis est, quia semel deputatus ad aliquod officium, nõ indiget renouata deputatione. Characteris verò impressio est imaginaria. Habet annexum solemne votum continentiæ. Esto: quid tum? Monachatus etiam idem habet, & multo clarius, ac solennius: at quis dicit Monachatũ Sacramento acquiri? Est cõmunis sententia Theologorum:] Sed [p] Durand. & Caiet. nobiscum idem negant: & illi ipsi qui id affirmant, non nisi probabiliter id se opinari fatentur: & quidem sententia est, sed nullo firmo nixa fundamento; nostra verò euidenti est demonstratione confirmata.

o *Bellar. de cler. cap. 2.*
p *Vide sup. n. 45.*

LXII.

Post subdiaconatum adhuc alij numerantur ordines, quos vocant minores. Et fatetur [q] Soto eos esse de iure tantum positiuo: Bellar. etiam asserit adhuc minus probabile esse eos in se vim continere Sacramenti, quàm de subdiaconatu: nam neque est, *inquit*, ita communis sententia; & certum est leuiora esse munera horum ordinum, quàm superiorum.] Ideo neque mihi laborandum est vt suadeam, ex illis Sacramentum nullum reperiri, quandoquidem aduersarium vix habeam vllum; Et ex præcedentibus satis superque excluſi sunt hi ordines à ratione Sacramenti. Sunt ergo mera officia manualia, & longe sacris inferiora; ad scopis mundandas, & purgandas Ecclesias; ad ualuas occludendas, & recludendas; ad cereos accedendos, & ferendos, ad sacras lectiones voce intelligibili populo recitandas, & ad similia peragenda. Vnde & mos fuit in quibusdam Ecclesijs, vt etiam [r] catechumeni nondum baptizati, ad hæc officia assumerentur. Certe ostiarij ministerium etiam penitus illiteratos implere posse, non negat [s] Gelasius. Vt propterea circa numerum horum officiorum nihil constans possit statui, ac decerni. Nam tempore præcedente presbyteri libenter multa ipsorum laboriosiora munera in Diaconos; Diaconi sua in Subdiaconos; Hi sua in alios inferiores clericos exonerabant. Iam verò etiam clerici omnia ferè hæc viliora

q *Sot. de iust. & iur. l. 9. q. 7. ar. 2.*
r *Socrat. l. 5. c. 21.*
s *Gelas. ep. 6.*

onera

A onera in solum sacristam, hic verò in famulos etiam laicos, & campanarios, imò & in fœminas viliores non nulla transtulerunt.

Varietas magna in numerandis his officijs arguit, vt dicebam, eos ordines non esse, neque Sacramenta. Nam Ignatius minora hæc officia commemorans supra, [a] Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, laborantes, exorcistas, & confessores salutabat. Siricius [b] Papa inter minora officia Lectores, acolythos, & Subdiaconos numerauit. Cyprianus lectorem ordinat Epistola quinta libri secundi, Hypodiaconum & acolythos memorat in Epistola decima eiusdem libri; & Epistola septima tertij: rursum Lectorem, & Hypodiaconum habet in Epistola vigesima secunda tertij libri. Lectorem & acolythum commemorat [c] Innocentius primus. [d] Zozimus lectorem ponit, exorcistam, acolythum, & Subdiaconum. Gelasius minora ministeria hoc ordine recenset. [e] Ostiarius, lector, B notarius, defensor, acolythus, Subdiaconus. Epiphanius, sic: [f] Lectores, Diaconissæ, Exorcistæ, seu eiuratores, laboratores, ianitores.] Hieronymus, [g] Vnde, *ait*, non solum Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, debent magnopere prouidere, vt cunctum populum, cui præsident conuersatione, sermone, ac scientia, præcedant: verùm & inferior gradus exorcistæ, lectores, æditui, & omnes omnino qui domui Dei seruiunt.] Et in opere de septem gradibus inter opera Hieronymi; Primus ponitur gradus fossatiorum, secundus ostiariorum, tertius lectorum, quartus Subdiaconorum, quintus Leuitarum, sextus Sacerdotum, septimus Episcoporum. Augustinus [h] lectorem deputari, non ordinari asserit. Isidorus ordines tali serie distribuit: [i] ostiarius, exorcista, acolythus, psalmista, lector, subdiaconus, diaconus, & presbyter. In Concilio Chalcedonensi, æque [k] Cantor, seu Psaltes, numeratur inter ordines Ecclesiasticos, atque Lector. At quis vnquam cantores officium suum cum Sacramentali ordinatione susciperе affirmauit? Hos verò omnes inferiores or- C dines vniuersali [l] ministrorum nomine vocauit Areopagita, vt qui Hierarchæ non essent, sed puri ac simplices Hierarcharum administri, & in rebus Ecclesiasticis famulantes. Vt propterea Græcæ Ecclesiæ facilè talibus careant: & tres ex minoribus ordinibus solent contemnere. Quod habetur in bulla [m] Innocentij quarti, super ritibus Græcorum, Artic. 19. Difficultas quoque ingens illa, quæ plurimum Theologos vexat, quo pacto vnicum possit esse ordinis Sacramentum in septem vel octo diuersis gradibus constitutum; & cur non potius septem, vel octo sint, quæ cum alijs sex conficiant tredecim, vel quatuordecim Sacramenta, optimè arguit vim veram Sacramenti in ordinationibus esse nullam.

Hic iam ad extremum videre restat quinam sint illi ordines, quæue illa officia, quæ Paulus commemorat sub nomine gratiarum, ministrationum, & operationum, dicens, esse horum diuisiones. Et, [n] Alij quidem, *inquit*, per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem D sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.] Quæ omnia explicans Ambrosius dicit esse dona officijs Ecclesiasticis coniuncta, & quæ hominibus ratione officij Ecclesiastici susceptі, non ratione meritorum competunt. Ac replicat Paulus, Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.] Item rursus; [o] Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerij, in ædificationem corporis Christi.] Quærere igitur posset quispiam num Paulus in allegatis verbis concluserit ordi- E nes omnes Ecclesiasticos, tam maiores, quam minores.

Respondeo equidem Paulum in his commemorare ministeria illa duntaxat Ecclesiastica, quibus ipsa Ecclesia ædificatur, & crescit, conuersione hominum ad fidem, & vitæ probitatem; quæ ministeria cum proximè ipsum Christi Domini officium exerceant, omnia maiora sunt, & non minora. Et aduerte non propterea multiplicari ipsos ordines, seu genera ministrorum, quia Paulus alios, & alios recensет sub alijs & alijs muneribus, & officijs: hæc enim dona omnia sunt ordinaria, & ordinariè in Episcopis, & Presbyteris; omnia inquam in omnibus, non omnia in singulis. Nam aliqui ex Episcopis, & Presbyteris in Ecclesia excellebant, & excellunt, sacrarum rerum intelligentia, sed dono linguæ carent, & non sunt apti ad interpretandum, & ad flectendos oratione sua animos audientium: alij è contra lingua pollent; alij Scripturas egregiè nouerunt; alij in Scripturarum profundis exquirendis, ac explicandis sunt mirabiles; alij ad docendum aptissimi; alij ad increpandum

LXIII.

a *Ignat. ep. ad Antiochenos.*
b *Siricius ep. 1. tom. 1.*
c *Innoc. 1. ep. 3.*
d *Zozim. ep. 1.*
e *Gelas. ep. 6.*
f *Epiph. in fine Panarij.*
g *Hieron. in ep. ad Tit. c. 2.*
h *Aug. ep. 15. ex secundo addito.*
i *Dist. 5. c. Per lectu.*
k *Concil. Chalcedon. can. 14.*
l *Areopag. ad Demophil.*
m *Summa Bullarij. Quarantæ ver. Græcorum ritus.*

LXIV.

n 1. Cor. 12.

o Ephes. 4.

LXV.

pandum & arguendum mirabiliter efficaces. Iam verò addo etiam extraordinariè in fidelibus Deum solitum fuisse, & esse, aliquo ex his donis, vel extra ipsos Ecclesiasticos sacros ordines, ac inter Laicos, excitare; quorum ministerio extraordinariè vtatur ad vtilitatem Ecclesiæ, non quidem in ministrandis Sacramentis, sed in doctrina sana explicanda. Sunt igitur Apostoli ipsi Episcopi, & Sacerdotes, modis iam declaratis. Prophetæ verò, [a] non illi qui futura vaticinentur, inquit Hieronymus, quales in veteri legimus testamento; sed qui infideles, & imperitos arguant, atque dijudicent.] Neque enim etiam antiquorum prophetarum officium fuit tantum futura prædicere, sed vt plurimum etiam arguere populum, increpare, instruere, ac docere.

a *Hier. in ep. ad Ephes. c. 4.*

LXVI.

Et Vniuersè possumus dicere prophetas esse illos quibus Christus se reuelat? Ait enim Paulus, [b] Quoniam secundum reuelationem notum mihi factum est Sacramentum, sicut supra [c] scripsi in breui, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis, in Spiritu.] Nunc inquit reuelatum est prophetis: loquitur ergo de Prophetis noui Testamenti; qui sanè primum fuerunt ipsi Apostoli, deinde etiam alij non Apostoli, Prophetæ tamen. De quibus Prophetis habemus etiam in Actis: [d] In his autem diebus superuenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam; & surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.] Aliquando enim etiam vaticinandi gratiam habuerunt. Nonne ipsemet Paulus, & Barnabas etiam, inter Doctores, & Prophetas [e] Antiochenos numerantur? Sed officium Prophetæ Euangelici satis ab ipso Paulo manifestatur dum ait: [f] Qui loquitur lingua se ipsum ædificat; qui autem Prophetat Ecclesiam Dei ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare: nam maior est qui prophetat, quam qui loquitur linguis (*hac est plurium idiomatum notitia*) nisi forte interpretetur, vt Ecclesia ædificationem accipiat. Et ideo qui loquitur lingua, oret, vt interpretetur. Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, (*alijs facta & iam scripta*) aut in scientia (*literarum studio acquisita*) aut in Prophetia (*per specialem reuelationem*) aut in doctrina, (*edoctus ab alijs*) itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus (*qui miraculo mouentur, dum donum linguarum repente datum cuipiam cernunt*) Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. Si omnes Prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis sit. Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat: Potestis enim omnes per singulos prophetare, vt omnes discant, & omnes exhortentur] Ex his omnibus facile constat prophetiam esse reuelationem, & cognitionem rerum sacrarum, cum intelligentia mysteriorum in Scripturis reconditorum. Et prophetare esse explicare, docere, exhortari, & interdum duntaxat vaticinari: quod etiam mulieribus donati solitum habemus in Actis: [g] Philippo enim erant quatuor filiæ virgines prophetantes: & talis fuit [h] Agabus. Vt hinc videas donum hoc prophetiæ ordinarium fuisse in Apostolis, & propriis Ecclesiæ ministris: extraordinarie tamen ipsum etiam in Laicis interdum viguisse: & huic dono affinem fuisse gratiam interpretationum, satis clare habes ex his Pauli dictis, quæ modo recensuimus.

b Ephes. 3.
c Gal. 1.
d Act. 11.
e Act. 13.
f 1. Cor. 14.
g Act. 21.
h Act. 11. & 21.

LXVII.

Neque tamen ex varietate donorum colligas totidem, vt supra monebam, esse in Ecclesia officia, inter se distincta necessario, sicut dona ipsa distincta sunt, & effectus eorum. In vnoquoque enim Apostolorum erant omnia. Ita etiam in bonis, & legitime factis Episcopis. [i] Apostoli, *inquit Ambrosius*, ipsi sunt Episcopi. Prophetas duplici genere intelligamus, & futura dicentes, & Scripturas reuelantes: quamuis sint & Apostoli Prophetæ, quia primus gradus omnia subiecta habet.] Potest tamen donum aliquod ex his, etiam extra ipsos in aliquo reperiri. Ideo, inquit ibidem Ambrosius, quanquam melior Apostolus, aliquando tamen eget Prophetis] Ita contigit etiam, vt aliqui ex primis Diaconis aliquo horum donorum fuerint insignes: vt [k] Stephanus, qui Scripturas egregiè interpretabatur, & contra Iudæos disputabat. Ita Philippus etiam dono prædicandi, hoc est euangelizandi, fuit valde insignis; vnde & [l] Euangelista vocatur. Inter ministeria verò Ecclesiæ, etiam Euangelistæ à Paulo supra numerantur. Euangelizabat ergo [m] Philippus, non vt Diaconus, sed vt Euangelista, & Presbyter: ita & Stephanus, vt Propheta siue doctor, aut Euangelista, aut Presbyter, non autem vt Diaconus differebat: dum verò ministrabant mensis

i *Ambr. in ep. 1 ad Cor. c. 12.*
k Act. 6. 7.
l Act. 21.
m Act. 8.

A mensis & viduis, tunc in proprio Diaconorum officio exercebantur. Paulum verò aperte videmus & Apostolum esse, ac vocari passim ; & [a] Propheram, & [b] Euangelistam, & doctorem ; & omnibus ab ipso numeratis donis affluxisse. Sed & omnes Apostoli [c] Euangelistæ erant.

a Act. 13.
b Act. 11.
c Act 5.

Ambrosius sanè illud conatur, vt gradus illos quos Apostolus numerat, suo tempore, quantum fieri potest, inueniat in Ecclesia. Ait enim; [d] Apostoli Episcopi sunt ; Prophetę verò explanatores sunt Scripturarum : quamuis inter ipsa primordia fuerint Prophetæ, sicut [e] Agabus, & quatuor virgines prophetantes, sicut continetur in Actis Apostolorum ; sed propter rudimenta fidei commendanda. Nunc autem interpretes Prophetæ dicuntur : Euangelistæ Diaconi sunt, sicut fuit Philippus, quamuis non sint Sacerdotes, euangelizare tamen possunt sine Cathedra : quemadmodum & Stephanus, & Philippus memoratus. Pastores possunt esse Lectores ; qui lectione saginant populum audientem: [f] Quia non in pane tantùm viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Magistri verò exorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt, & verberant inquietos; siue ij qui literis, & lectionibus infantes solebant imbuere, sicut mos Iudæorum est, quorum traditio ad nos [g] translitum fecit, quæ per negligentiam obsoleuit. Inter istos post Episcopum plus esse intelligitur, qui propter reseratum occultum Scripturarum sensum prophetare dicitur, præsertim quia futuræ spei verba depromit. Qui ordo nunc potest esse Presbyterij; nam in Episcopo omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est; hoc est, Princeps est Sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, & cætera adimplenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium. Tamen postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata, aliter composita res est, quàm cœperat : primùm enim omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuscunque diebus, vel temporibus fuisset occasio : nec enim Philippus tempus quæsiuit, aut diem, quo Eunuchum baptizaret; neque ieunium interposuit : neque Paulus, & Silas tempus distulerunt, quo Optionem carceris baptizarent cum omnibus eius : neque Petrus Diaconos habuit, aut diem quæsiuit, quando Cornelium cum omni domo eius baptizauit : nec ipse, sed baptizare iussit fratribus, qui cum illo erant ad Cornelium ab Ioppe. Adhuc enim præter septem Diaconos nullus fuerat ordinatus. Vt ergo crescerent plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est & euangelizare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesia explanare. At vbi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conuenticula constituta sunt, & Rectores, & cætera officia in Ecclesijs sunt ordinata : vt nullus de Clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium quod sciret non sibi creditum, vel concessum : & cœpit alio ordine, & prouidentia gubernari Ecclesia Quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res, & vilissima videretur. Hinc ergo est vnde nunc neque Diaconici populo prædicant : neque Clerici vel Laici baptizant ; neque quocunque die credentes tinguntur, nisi ægri. Ideò non per omnia conueniunt scripta Apostoli, ordinationi quæ nunc in Ecclesia est ; quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta : nam & Timotheum Presbyterum a se creatum, Episcopum vocat : quia primùm Presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente vno sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum iudicio constitutum; ne indignus temerè vsurparet, & esset multis scandalum] Hæc ille.

d Ambr. sup. Epist. ad Ephes. cap. 4.
e Act 21.
f Matt. 4.
g Act. 15.

LXVIII.

Quia tamen opus illud Ambrosij non putatur, liceat nobis ei in omnibus his non assentiri. Nam quod dicit; Nunc in Ecclesia Diaconos illos esse qui à Paulo Euangelistæ nominantur, non videtur Scripturis satis congruum : quia Diaconi qui nunc sunt, non sunt prorsus illius ordinis, & officij, ad quod specialiter primi septem fuerunt ab Apostolis instituti, vt iam docui : Et quamuis nostri Diaconi nunc præcipuum videantur munus habere circa Euangelij decantationem, hoc tamen non est euangelizare, neque ex hoc Euangelistæ nomine possunt meritò insigniri, sed potius Lectoris : Vnde & Isidorus Hispalensis inter Lectorem, & Diaconum illud discrimen assignauit, quod Lector in Ecclesia publicè Veteris Testamenti Scripturas recitet: Diaconus verò nouit : ac præsertim Euangelia : ideoque ipsum Diaconum cum Lectore comparat, & ait; [h] Nam sicut Lectoribus Vetus Testamentum, ita Diaconis nouum prædicare receptum est.] Prædicare verò hoc loco est recitare, ac decantare, alioquin etiam Lectores faciemus propriè Prædicatores; & quis veros Prædicatores coarctabit, vt qui Nouum prædicant, non prædicent Vetus ; & qui Vetus prædicant Testamentum, non prædicent Nouum ? Sed neque Stephanus, & Philippus euange-

h Dist. 25. cap. Perlectis.

LXIX.

euangelizabant, vt iam dixi, quatenus erant Diaconi, neque ex officio Diaconi, sed ex dono Prophetiæ, & vt erant Euangelistæ, Presbyteri, ac Doctores. Pastores verò qui erant tempore Pauli, quibus ouium pastura à Christo commissa est, durum nimium videtur, vt nunc sint idiotæ Lectores in nudis syllabis occupati: cum passim Pastores, & merito, intelligantur ipsi Episcopi, & Presbyteri, neque enim necesse est (vt iam monui) re ipsa, & personis ista separare, cum possint in vnicam personam, & plura, & omnia concurrere: vt nimirum Episcopi & Apostoli sint ratione doctrinæ, & prædicationis; & ratione regiminis Pastores. Exorcistas etiam magistris primitiuæ Ecclesiæ sublocare, habet alquid violenti: nam Paulus Pastores, & magistros, seu Doctores vnicum facit gradum, non duos, & distinctos.

a Ephes. 4. b *Hier. in ep. ad Ephes. c. 4.*

[a] Alios, inquit, Pastores, & magistros, seu doctores: non dicit; alios Pastores; alios Doctores: vt obseruat Hieronymus. [b] Nec verò, *ait*, putandũ, quod sicut in superioribus tribus alios dixit esse Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas: ita & in Pastoribus, & magistris officia diuersa posuerit: Non enim ait; alios autem Pastores: & alios magistros; sed alios Pastores, & magistros: vt qui Pastor esse debeat, & magister. Nec in Ecclesijs, quamuis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere quos pascit.]

LXX.

Illudque minus placet, quod ait hic Autor, omnibus inter initia concessum fuisse et prædicare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesia explanare; ac postea negotium hoc restitutum fuisse, & aliter in Ecclesia rem processisse. Semper enim necessarium fuit in Ecclesia vt, [c] Nemo sibi sumat honorẽ, nisi à Deo vocetur, tanquam Aaron; & Paulus etiã suo tempore, [d] Quomodo, ait, prædicabunt nisi mittantur? Itaque neque initio, neque postea ex officio quisquam prædicauit, & baptizauit, & Scripturas explicauit, nisi qui ad hoc vocatus esset, & ordinatus, vt iam exposui in præcedentibus. Quod si qui priuati, siue Diaconi, siue etiam laici, dono prædicationis instructi, non tam ex se, & ex officio, quàm vel ex quasi commissione, & delegatione per Apostolos facta; vel etiam fortasse ex propria charitate, & zelo fidei, Verbum Dei disseminarent, non propterea sequitur omnibus confuse omnia licuisse. Et nunc etiam quid obstat quo minus laici docti possint priuatis suis sermonibus, aut scriptis etiam, & ad fidem, & ad bonam frugem, deuios reducere; aut saltem disponere, & ad Episcopos deducere? De baptismo verò nouum non videtur, neque vsurpatum, aut confusum, sed ferme officium verum, & proprium Diaconorum saltem in Ecclesia post Apostolos, vt supra vidimus. Et si in Ecclesia nostra non fuissent adeo multiplicati Sacerdotes, maxima ex parte inutiles, & otiosi; sed soli vtiles, & Ecclesiæ proficui, in prædicando, ac docendo alijsq; ministerijs similibus occupati retinerentur, adhuc, vt puto, baptizandi munus penes Diaconos, imò etiam inferiores ordines, resideret. Omnia itaque, quæ Paulus commemorat de officijs Ecclesiæ primitiuæ, adhuc in Ecclesia Christi perseuerant. Adsunt enim Apostoli ipsi Episcopi, & Sacerdotes: adsunt Prophetæ Scripturarum interpretes: adsunt Euangelistæ tot concionatores, vtinam pauciores, sed meliores: adsunt Pastores, & magistri, ipsi Episcopi, & Theologi: Ecclesia verò circa tempus, modum, & ritus in conferendis ordinibus prudenter multa statuit, arctauit & mandauit; sed officia maiora puta Episcopatus, & Presbyteratus, imo etiam Diaconatus, quoad numerum graduum, neque minuit, neq; auxit. Minora tantum, successu temporum, & pro varietate etiam Ecclesiarum, & plura & pauciora, vt vidimus, fuerunt. Quanquam Diaconatus, idem quidem in genere perpetuo perseuerans, in muneribus tamen specialibus non exiguam, pro diuersitate & temporum, & Ecclesiarum, sortitus sit varietatem. Indignum verò est vt officijs grauissmis, verè spiritualibus, ad Ecclesiæ ædificationem proxime facientibus, in eadem scalà ianitores, Campanarij, baiuli, vespillones, scoparij, lampadum concinnatores, ac emunctores adnumerentur.

c Heb. 5. d Rom. 10.

A B C D E

CAP.

A

CAP. V.

Episcopos suam totam potestatem Episcopalem Iure Diuino habere in Ecclesia.

SVMMA CAPITIS.

Res tractanda proponitur, num. 1. & fundamentum ex præcedentibus resumitur, num. 2. Ex ipsa Christi institutione ostenditur Episcopos ab ipso Christo immediatè accipere totam Episcopalem potestatem, num. 3.

Potestatem suam Iure Diuino Episcopos habere probatur ex Patribus, à num. 4. ad num. 14.

B *De potestate ordinis & Iurisdictionis nonnulla, à num. 16. ad num. 26.*

Leonis locus de plenitudine potestatis, & parte solicitudinis pluribus examinatur, à num. 27. ad num. 36.

Gregorij dicta quædam Episcopos Papæ subiicientia explicantur, num. 37.

Obiectio quædam generalis soluitur, & retorquetur, num. 38, 39, 40.

Ex Romanis scriptoribus veritas confirmatur, num. 41.

Apostrophe Autoris ad Coepiscopos, num. 42.

C

I. Væsitum hoc, de institutione & potestate Episcoporum, solutionem habet sufficientem à me iam politam cap. 1. huius libri. Ex ijs enim quæ fusiùs ibi docui de successionibus Apostolorum, ac de primis primorum Episcoporum institutionibus, facilè est colligere, Episcopos à Deo esse; & Iure Diuino immediatè suam totam habere potestatem: quod ego mox summatim colligam. Labor itaque præcipuus huius capitis in eo tantum collocabitur, vt hanc veritatem in Ecclesia Catholica semper eandem, & constantem, ac indubitatam fuisse ostendatur: nouaque Monarchicorum nostrorum commenta reijciantur.

II. Positum itaque, & copiosè, ni fallor, confirmatum à me est, ex illo Christi amplissimo edicto; [a] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; Apostolis omnibus traditam fuisse potestatem, vt possent & ipsi mittere in Ecclesiasticum ministerium alios, sicut ipsi mittebantur à Christo; & sicut Christus ipse missus fuerat à Patre. Et sanè vt possent ita alios mittere, vt ipsi etiam ab eis missi, cum simili facultate alios mittendi mittèrentur; & sic deinceps, vsque ad consummationem sæculi: vt in Ecclesia Christi nunquam deessent Ministri legitimi, qui non ex se ipsis, etiam non missi [b] currerent; sed a Deo verè, [c] tanquam Aaron vocati, honorem assumerent Euangelistarum. Apostolorum itaque per huiusmodi potestatiuas missiones successores, fecimus Episcopos, omnes legitima successione institutos. Planum verò est Christum Dominum non misisse Apostolos in omnibus, & per omnia eodem pacto, quo ipse missus est a Patre: etiamsi edictum illud videntur vniuersale; Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: nam Christus missus est vt Redemptor, & vt caput, Rex, ac Dominus suæ Ecclesiæ, & vt Doctor & Instructor, ductorque fidelium, [d] ad dirigendos pedes nostros in viam pacis: certè Apostoli non mittebantur vt redimerent Mundum, neque vt Domini & Reges Ecclesiæ; sed vt meri Ministri, vt docui lib. 1. cap. 2. Itaque non nisi ad docendum, prædicandum, baptizandum, & instruendum populos, Ecclesiasque dirigendas mittebantur. Eodem ergo modo ad hæc ipsa officia, & omnia ministerialia, ipsi quoque ex Christi institutione prædicta, Episcopos vocabant, & mittebant. Cum ea quoque differentia, quod Christus suos Ministros & eligebat, & potestatem etiam illam spiritualem, & supernaturalem, qua Ministri Ecclesiæ ad effectus spirituales peragendos instruuntur, ipsis immediatè tanquam Deus communicabat: At verò Apostoli, & Ecclesia Ministros quidem eligit, & deputat, potestatem tamen illam, nec Apostoli, nec Ecclesia tribuit, sed Deus, qui ordinariè his assistit deputationibus.

a Ioan. 20.

b Hieremi. 23.

c Hebr. 5.

d Luc. 1.

III. Ac quemadmodum Apostolis omnibus in vniuersum, & non singulis, ac seorsim, data est à Christo potestas hæc ministerialis in solidum; & æquè omnibus, vt spiritualia promouerent in Ecclesia, eamque dilatarent, & in fide ac officio continerent; vt fusè probaui toto primo libro: Ita etiam docui cap. primo huius secundi libri, Apostolis datos esse Episcopos successores, qui succederent, non singulis Apostolis, sed in solidum vniuersis,

cum plena essentiali Apostolica, hoc est, Episcopali autoritate: exceptis quibusdam gratijs & prærogatiuis, Apostolorum proprijs, in quibus ipsis non erat danda ordinaria successio, in Ecclesia. Vnde igitur Apostoli Apostolicam, & Episcopalem habuerunt autoritatem, & potestatem; inde etiam eam habent Episcopi, Apostolorum successores; nempe à Christo Domino, qui Apostolis omnibus, & non vni soli, dixit, Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; hoc est etiam cum potestate iam dicta alios mittendi. Nam ego, *inquit*, dum vos mitto, vos meos legitimos facio Ministros; & consequenter mea vobis assisto potestate interna supernaturali; vt vobis operantibus perficiam effectus supernaturales internos, in animis fidelium. Sic etiam quoscunque vos miseritis meo nomine, post meum discessum, eos ego, vt meos legitimos ministros, admittam; iisque consequenter eandem exhibebo assistentiam: & sic deinceps perpetuis temporibus. Quo ergo iure Apostoli sunt Apostoli, eodem prorsus etiam Episcopi sunt Episcopi. Eodem enim edicto Christi, simul, & Apostolatus positus est in Ecclesia, atque institutus, & Episcopatus. Solum discrimen obseruo, quod Apostoli à Christo immediate sunt vocati, electi, & missi: Episcopi vero non immediate eliguntur, & mittuntur ore Christi; sed Apostolorum, aliorumque Episcoporum, à quibus sola externa peragitur vocatio, electio, & missio: Christo tamen immediate semper, sicut Apostolis, ita etiam Episcopis, per Apostolos aut Episcopos missis, Apostolicam, seu Episcopalem tradente potestatem. Et posita semel sola externa, sed legitima Ecclesiastica missione, statim missis ordinariè confertur à Deo tota, & integra potestas Episcopalis. Quæ potestas cum sit tota spiritualis, & supernaturalis (vt tradam plene lib. 5.) ab hominibus illam prorsus donari, aut concedi, aut minui, aut ampliari, erit impossibile. Iam verò Episcopalem potestatem totam iure Diuino in Ecclesia haberi, & semper habitam esse, ex doctrina Ecclesiæ communissima confirmemus. A B

IV.

Sixtus primus, quicunque ille sit, fatetur; [a] ordinante Domino, Episcopos primitus esse constitutos. Et Alexander primus adhuc Sixto antiquior: nec non postea Eleutherus dixisse feruntur, [b] Episcopis a Domino Christo Iesu fuisse Ecclesiam vniuersalem commissam. Quo dicto postea Ioannes primus [c] expresse est vsus. C

a *Sixt. ep. 2.*
b *Alex. ep. 2. & Eleuth. ep. vn.*
c *Ioan. primus ep. 1.*

V.

Cyprianus, vt supra vidimus cap. 1. num. 7. non modo ad Apostolicam, sed etiam ad Euangelicam reducit traditionem, Episcopalem successionem. Quæ vero ab Euangelica veniunt traditione, ea iure diuino instituta quis dubitet? Sæpe vero idem Cyprianus Episcoporum autoritatem adeo altam agnoscit, & fatetur, vt actionum Ecclesiasticarum Dominos absolutos, & independentes, nisi à solo Deo, omnino faciat Episcopos. [d] Singulis, *inquit*, Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet; rationem sui actus Domino redditurus.] Intelligit verò soli Domino, & non alijs: nam & in alia Epistola ad Stephanum Papam sic loquitur: [e] Qua in re, nec nos vim cuiquam (*Episcoporum*) facimus; aut legem damus; cum habeat in Ecclesiæ administratione, voluntatis suæ arbitrium liberum vnusquisque præpositus; rationem actus sui Domino redditurus.] Si vero alij, quam Domino soli esset Episcopus rationem redditurus suæ Ecclesiæ administrationis, non haberet liberum arbitrium suæ voluntatis, ad suam Ecclesiam, prout ipse solus rectum censuerit, gubernandam. Et rursus alibi: [f] Actum suum, *inquit*, disponit & dirigit vnusquisque Episcopus; rationem propositi sui Domino redditurus.] Item, [g] Nemini præscribentes, *inquit*, aut præiudicantes, quo minus vnusquisque Episcoporum, quod putauerit faciat; habens arbitrij sui liberam facultatem.] Item ibidem: quod si de collegis aliquis extiterit, qui vrgente certamine, pacem fratribus non putet dandam; reddet ille rationem in die iudicij Domino, vel importunæ censuræ, vel inhumanæ duritiæ suæ.] Et in Concilio Carthaginensi idem sic loquitur: Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit; aut tyrannico terrore, ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit: quando habeat omnis Episcopus, pro licentia libertatis, & potestatis suæ, arbitrium proprium; tanquam iudicari ab alio non possit; cum nec ipse possit alium iudicare; sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi: qui vnus, & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione; & de actu nostro iudicandi.] Vides vnum & solum Iesum Christum habere potestatem Episcopos constituendi: [h] Contra quos si quis audeat, eum contra Deum audere, qui Episcopos facit, dixit alibi. Et sane libertatem hanc singulis relinquit Episcopis Cyprianus, circa baptismum Hæreticorum, & circa lapsorum pœnitentiam; quæ sunt res magni momenti in Ecclesia, & ad fidem spectant. Quia tamen res tunc erant adhuc disputabiles, & nondum decisæ, ideo in talibus liberum relinquit cuique Episcopo arbitrium, pro sua voluntate & D E

d *Cypr. l. 1. ep. 3*
e *Idem l. 2. ep. 1.*
f *Idem l. 4. ep. 2*
g *Idem ad Iubaian. in fin.*
h *Idem Cypr. l. 3. ep. 9.*

sententia

A sententia agendi. Quid verò sentiat his locis Cyprianus de autoritate Conciliorum, ac de Iudicijs Episcoporum, dicam suis locis, libris 7. & 8. Nunc enim satis est in Cypriano videre Episcopos immediatè à Deo suam potestatem accipere gubernationis: & non alij tanquam immediato institutori, & Episcopatus largitori, illos subesse, nisi soli Deo; iuxta illud Apostoli; [a] Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Idem sensit, & scripsit Cyrillus Alexandrinus, dum improbat quorundam Episcoporum factum, qui Petrum Episcopum pecunia tua spoliauerant, tanquã in pœnam malæ administrationis reddituum Ecclesiasticorum; eam verò reddi illi oportere statuit; [b] Primum quidem quod nec tale quid fieri oportebat: & quod valde malè habet, magnaque tristitia afficit sanctissimos Episcopos, qui sunt vbique terrarum, quod sumptuum qui illis eueniunt, dispensationis ratio ab eis exigatur, siue ex Ecclesiasticis redditibus, siue ex fructu aliunde percepto. Vnusquisque enim nostrum dabit suorum malorum rationem omnium Iudici.] Sed præterea Cyprianus, [c] Dominus noster, *inquit*, cuius præcepta metuere, & obseruare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Euangelio loquitur, & dicit Petro; Ego dico tibi: Tu es Petrus, &c. Inde per temporum, & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit; vt Ecclesia super Episcopos constituatur; & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque diuina lege fundatum sit, miror quosdam, &c.] Diuina lege fundatum asserit, vt Episcopi succedant Apostolis: & vt Episcopi, sicut Petrus, & alij Apostoli, fundationi Ecclesiæ insistant; quippe in hoc etiam non minùs Petri, quàm aliorum Apostolorum in solidum, diuino iure, successores: Quibus non minùs quàm Petro dictum sit; Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Habet demum etiam illud idem Cyprianus, vbi de Episcopali dignitate aliqua disseruit aduersum Episcoporum calumniatores: B C [d] Cùm hæc tanta, ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus Sacerdotalis autoritas, & potestas diuina dignatione firmatur, quales putas eos qui, &c.] Non modò dignitatem, & ordinem, sed etiam autoritatem, & potestatem sacerdotalem à Deo firmari asserit, vt eam soli Deo acceptam ferámus.

Origenes Episcopos innuit esse magistros in Ecclesia; [e] Quos Deus in ipsa ordinauerit, *inquit*, post Apostolos, qui in ea primum sortiti sunt locum: ac post Prophetas qui secundum.

Ambrosius Episcopos omnes docet à Domino, simul cum Petro, pasturam ouium suscepisse; vt ostendi lib. 1. cap. 8. num. 3. [f] Quas oues, *inquit*, & quem gregem; non solùm tunc beatus suscepit Petrus; sed & nobiscum eas suscepit: & cum illo eas nos suscepimus omnes.] Quia nimirum, vt toties Augustinus declarauit, Dominus quando Petro dabat claues, eique fundationem Ecclesiæ committebat, ac oues commendabat, tunc toti Ecclesiæ in suis Prælatis, cuius Ecclesiæ, & quorum Prælatorum Petrus figuram gerebat, & tanquam totius Ecclesiæ, nosterque procurator à Christo tunc sumebatur; nobis profectò omnibus Ecclesiæ sanctæ Episcopis, & claues, & potestatem totam dabat immediatè, non mediante Petro. Siquidem, secundum Augustinum, & Ambrosium, nos omnes tunc in Petro eramus; & Petrus potestatem Episcopalem simul, & semel tum sibi, tum nobis; tum suo, tum nostro nomine, à Christo accipiebat, prout est à me fusè, lib. 1. cap. 7. num. 22. & seqq. explicatum. Vnde & idem Augustinus, seu quis alius: [g] Nemo ignorat, *inquit*, Episcopos Saluatorem Ecclesijs instituisse: Ipse enim prius quàm cœlos ascenderet, imponens manus Apostolis instituit eos Episcopos, & ordinauit. Hoc Apostolus Spiritui Sancto deputat, cùm dicit; [h] Attendite vobis, &c.] Hic asseritur tunc Episcopos in Ecclesia esse institutos à Christo, quando etiam Apostoli facti sunt Episcopi. Quia videlicet ita [i] missi sunt; vt mittere etiam possent alios: cum potestate his communicata item mittendi alios: & sic vsque ad finem mundi.

D E Augustini tamen verè dictum est, & clarius, illud: [k] Ecclesia quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro: id est, potestatem ligandi, soluendique peccata.] Ecclesia igitur tota, & consequenter nos omnes Episcopi, qui illam regimus, accepimus claues, & potestatem, non à Petro, sed à Christo in Petro, inquit Augustinus: Quia quando claues à Christo dabantur Petro, tunc dabantur nobis omnibus ab eodem Christo, sed in Petro. Et hoc etiam cum Ambrosio, & Cypriano explicatum est à me lib. 1. cap. 7. nu. 22. [l] Ostendique similiter cum Ambrosio, nos omnes Episcopos curam gregis Christi simul cum Petro suscepisse: eamque tunc Pastoralem curam, non minùs nobis omnibus, quàm Petro, ab eodem Christo fuisse commissam. Cura verò pastoralis magis dicit iurisdi-

[a] Act. 20.

[b] Cyril. in Epi. Canonic.

[c] Idem Cypria. lib. 5 Epist. 6.

[d] Cyp. lib. 1. Epist. 3.

VI.

[e] Orig. in Ioan. Tom. 32.

VII.

[f] Ambr. de dig. Sacerd. cap. 2.

[g] Aug. in qq. nou & vet. Testa. q. 97.

[h] Act. 20.

[i] Ioan. 20.

VIII.

[k] Aug. tract. 118. in Ioan.

[l] Hoc Opere lib. 1. cap. 8. num. 3.

iurisdictionem, quàm ordinem. Vt non immeritò Arnulfus Rhemensis Archiepiscopus, in quibusdam excommunicationibus a se latis, ita loquatur; [a] Autoritate omnipotentis Dei autoritate quoque, & potestate Apostolis tradita, nobisque relicta, excommunicamus, &c.] Hic profectò iurisdictionem immediatè à Deo Apostolis traditam in omnibus Ecclesiæ Prælatis, non in solo Papa substitisse recognoscit. A

[a] Gerber. apud Baron. tom. 10. an. 990. n. 8. 10

IX. Quod supra dicebat Cyprianus vnumquemque Episcopum liberum esse in sua suo modo regenda Ecclesia; tanquam à Domino immediatè in Ecclesiastico regimine dependentem; id facto ipso Augustinus comprobauit; [b] Ego, *inquit*, si Domino placet, illum modum seruo; vt quisquis apud eos (*Hæreticos*) propter disciplinam degradatus, ad Catholicam transire voluerit; in humiliatione pœnitentiæ recipiatur: quo & ipsi eum forsitan cogerent, si apud eos manere voluisset.] Quod si alicui in Ecclesia subiectus fuisset Augustinus, certe non dixisset; Ego ita seruo; sed facti sui rationem dedisset ex autoritate illius superioris, cui ipse subiectus esset; aut suo proprio arbitrio non steterisset, sed superiorem in difficultate illa consuluisset. Et [c] Auxilius Episcopus, pro peccato Patris anathematizabat filios: In quo, quia à recto tramite rationis, in Diuina Scriptura fundatæ deuiabat, reprehensus fuit ab Augustino; per modum profecto doctrinæ, & charitatiuæ institutionis; non superioritatis autoritatiuæ: Non enim dicit, Tu errâsti, quia ego ita sentio; & quia contra meum præceptum fecisti: Sed arguit illum, quia neque ex Scriptura, neque ex vsu Ecclesiæ, poterat sui facti reddere rationem. Liberum igitur ostendit esse cuique Episcopo in sua Ecclesia, quæ ad disciplinam pertinent, vt ei placet, exercere; quia à Domino immediatè habet potestatem. Et [d] alienum seruum nemo iudicat. Sed tamen fraterna correptione monet, vbi factum à Diuina lege, & Ecclesiæ vsu exorbitat. Atque interim, si tibi, *inquit*, quod iuste fiat, Dominus reuelauit (*non dicit Papa, vel superior Episcopus declarauit.*) nequaquam iuuenilem ætatem tuam, & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno, &c.] Non ergo autoritatiuè præcipit, sed doctrinaliter instruit; vt par, non vt superior. Agnoscebat enim Augustinus æque illum Episcopum iuuenem, atque se senem, à Domino Ecclesiæ fuisse immediatè præfectum, & ab ipso regendæ suæ suscepisse Ecclesiæ potestatem. B C

[b] 24. q. 1. cap. Subdistemus.

[c] 24. q. 3. c. 1.

[d] Rom. 14.

X. Augustini præterea verba illa sunt ad Casulanum Presbyterum: [e] Quapropter si consilio meo acquiescis, Episcopo tuo in hac re noli resistere: & quod facit ipse sine vllo scrupulo, vel discrepatione sectare.] Et quæstio erat de ieiunio Sabbati, ac reliquorum dierum: num omnibus Ecclesijs Romana Ecclesia, in dicto Sabbati ieiunio, esset sequenda, necne. Solutionem tanti negotij de ieiunijs Ecclesiasticis, totam ab arbitrio cuiusque Episcopi in sua Ecclesia Augustinus, edoctus ab Ambrosio, vt ipse ibidem profitetur, vult pendere. Nam propterea Hieronymus quoque passim Episcopos vocat [f] Principes Ecclesiarum; atque ita Principes, vt quisque in sua Ecclesia sit supremus, nec alium supra se in terris agnoscat Præsulem iure diuino in Ecclesiasticis superiorem. Nam & absolutè [g] supremum in Ecclesia gradum ponit Episcopalem, absque vlla inter Episcopos distinctione, aut prælatione, aut subiectione, contra Montanistas, vt sequenti etiam libro considerabo. D

[e] Aug. ep. 86.

[f] Hier. in Isa. c. 61. & in Ier. c. 23.

[g] Idem. ep. 54.

XI. [h] Pelagij 2. nec non [i] Gregorij 1. acerrima contra Ioannem Constantinopolitanum concertatio, super titulo Oecumenici; eo potissimum fundamento cum tota pene nitatur, quod Episcopus nemo possit vocari Vniuersalis, quin reliquis faciat iniuriam Episcopis, quasi ipse solus sit Episcopus, & reliqui non nisi ipsius ministri, plane nobis manifestat Gregorium, id, quod reuera est, sensisse, Episcopos omnes, & singulos à Diuina pendere institutione: eam verò conuelli quoties quis se faciat Episcopum Vniuersalem. De quo agam pluribus l. 4.

[h] Dist. 99. cap. Nullorum.

[i] Greg. l. 4. Ind. 13. ep. 32. 36. 38. & l. 7. Ind. 1. c. 30. habetur dist. 99. c. Euse.

XII. Bernardus, cum ferre non posset vt Abbates, & Monachi, Romanis priuilegijs ab ordinaria potestate suorum Episcoporum eximantur Eugenium, Romanum Pontificem sic alloquitur: [k] Si iustitiæ est ius cuique seruare suum; auferre cuique sua, iusto quomodo poterit conuenire? Erras si vt summam, ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas: si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait; [l] Non est potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: & si principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Denique idem ait; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non ait sublimiori, tanquam in vno; sed sublimioribus tanquam in multis. Non ergo tua sola potestas à Domino; sunt & mediocres; sunt & inferiores. Nisi tu putas alium esse qui posuit in Ecclesia, [m] quosdam quidem Apostolos, quos- E

[k] Bern. de consideratione l. 3. c. 4.

[l] Rom. 13.

[m] 1. Cor. 12.

A quosdam autem Prophetas, &c.] Conuictus ab Apostolo Bernardus fateri cogitur, non modo Papalem, sed etiam Episcopalem autoritatem à Deo esse immediatè in Ecclesia. Dum tamen summam ponit, & mediocres, & inferiores; certè ex Scriptura hoc non didicit; in qua summam iam [a] posui inter Apostolos; & ponam capite sequenti inter Episcopos, æqualitatem. Didicit tamen ex vsu, & praxi, quam non ius Diuinum, sed humanum Ecclesiasticum, (vt ostendam l. 3. sequenti) induxit in Ecclesiam.

a Aug. l. 1. c. 3.

XIII.

Episcopos à Deo ordinatos, vnumquenque in sua Ciuitate, affirmat [b] Canon quidam antiquus Græcarum Synodorum. Et Concilium Toletanum 8. [c] Diuinam esse asserit Episcopalis eminentiæ autoritatem. Et Synodus Aquisgranensis sub Ludouico pio cap. 25. Episcopalem autoritatem ait à Christo Domino commissum officium habuisse. In Concilio Lateranensi sub Leone x. vbi iam Hieromonarchia Romana in proprio solio exultabat, B lecta fuit schedula continens priuilegia Religiosorum: tunc Episcopus Signinus surrexit, & dixit; [d] Quod videbatur sibi quod narratiua vbi ponebantur illa verba; Quod Episcopi fuerunt assumpti à Pontifice; debebat poni; quod fuerunt assumpti à Christo.] Dixerat enim Leo in ea Schedula; [e] Nouimus Episcopos in partem solicitudinis nostræ assumptos: Et hoc Signinus in publico Concilio meritò reprobabat.

b Collect. Mart. Bracar. c. 6.
c Concil. Tolet. 8. c. 7.
d Concil. Later. sess. 11.
e Ibid.

XIV.

Bene itaque etiam Canonistæ fatentur plurimi, [f] Episcopalem dignitatem esse de Iure diuino. Nec leuis huius rei confirmatio inde peti potest, quod prisci omnes Episcopi, se Episcopos DEI GRATIA nominabant; vt videre est inter Epistolas Petri Blesensis, & aliorum. Nunc verò Roma iam introduxit, vt Episcopi se DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA Episcopos nominent, & profiteantur. Cum tamen à Deo solo immediatè Episcopi suam habeant dignitatem, & non à sede Apostolica; nisi interdum meram electionem, & externam missionem; adulationis ad minimum vox erit, se Apostolicæ C sedis gratia Episcopum confiteri. Nescio an D. Papa libenter confiteretur se Dei, & Cardinalium, siue Episcopi Ostiensis gratia, esse Episcopum Romanum.

f Apud Gyg. de perf. q. 2. n. 3.

XV.

Baronius Cardinalis Romanus, dum Sacra Euangelia considerat, & quid Christus instituerit in sua Ecclesia ad ipsius regimen seruandum perlustrat diligentius, in firmum veritatis scopulum impegit, fortasse vel imprudens. [g] Munere suo, *inquit*, Christus à Patre missus in hunc Mundum (vt ait [h] Apostolus) peccatores saluos facere, iam prope perfunctus, consulturus Ecclesiæ suæ, eandem, quam, vt homo, accepit à Patre potestatem dimittendi peccata, per Spiritum Sanctum, quem insufflationis visibili signo est impartitus, transfudit in discipulos suos; & illi in posteros succedentes sibi inuicem, vsque ad præsentem diem. Si enim (quod habet liber [i] Numeri) auferens Deus de spiritu, qui erat in Moyse, ac tradens septuaginta viris, eandem prophetandi gratiam in illos contulit, quomodo non magis decuit spiritum Christi, in posteros propagari? Participant procul du- D bio Spiritum Christi, quotquot vice Christi initiantur in Ecclesia Sacerdotio: qui sicut in cœna Dominica faciendi, hoc est sacrificandi, facultatem acceperunt; ita etiam nunc peccata dimittendi, vel retinendi adepti sunt potestatem. Quod enim olim promiserat dicens: [k] Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c. nunc impartiens illis Spiritum Sanctum fœliciter implet.] Hæc ille. Sed plus profecto nobis tribuit quàm velimus, aut quæramus: & multo plus quàm nobis debeatur; non sine errore, meo iudicio, intolerabili. Non eandem quam Christus, vt homo, habuit à Patre potestatem, aut in Apostolos, aut in Episcopos eorum successores transfudit; sed purum ac nudum ministerium, vt iam docui. In Christo enim potestas capitis, & Regis, tota & præcipua est: in Apostolis verò & Episcopis, non nisi ministerialis, vt Patres omnes docent cõmunissime; & tracto ego [l] suis locis. Sed verissimum est à Christo per spiritum suum omnem Ecclesiasticam potestatem, in promissione clauium inclusam, & Apostolis omnibus, & eorum suc- E cessoribus omnibus tradi. Vnde manifestum redditur Episcopos omnes Iure diuino suam totam habere Ecclesiasticam potestatem: quæ sine participatione Spiritus Christi dari non potest. Viderit verò ipse Baronius, quid Domino Papæ supra Episcopos Iure Diuino relinquatur.

g Baron. to. 1. ann. 34. n. 197.
h 1. Ioan. 1.
i Num. 11.
k Matth. 18.
l Supra lib. 1. c. 2. & infra toto lib. 5.

XVI.

Hic subsistere debueram, nisi me noua nostrorum Monarchicorum doctrina adhuc [m] duos passus, vt vlterius procederem, angariaret. Episcopos sane veros Principes, & Pastores, non Vicarios esse summi Pontificis, aut Proreges apertè [n] Bellarminus non semel nobis concedit. [o] Distinguit tamen duplicem in Papa, & Episcopis potestatem: Vnam ordinis; alteram Iurisdictionis: Et de priori fatetur certum esse apud omnes illam æque immediate habere à Deo Episcopos, ac ipsum summum Pontificem: Conferetur enim, inquit,

m Matth. 5.
n Bellar. de Ro. Pont. l. 1. c. 3. & c. 9. & l. 4. c. 24.
o Idem de Ro. Pont. l. 4. c. 22.

quit, per quandam consecrationem, quæ æque operatur in vno, atque in alio. Posteriorem verò, etiamsi in genere eam quoque esse de iure Diuino asserat, & probet ex Paulo Eph. 4. ac in Apostolis æqualem fuisse, ipsisque omnibus æquè immediate à Christo datam [a] concedat; Episcopos tamen eam non nisi à Papa accipere [b] contendit; sed frustra. Primo quia quicquid potestatis ordinariæ habuerunt Apostoli, id totum plenissime translatum est in Episcopos, vt probaui cap. 1. huius libri. Notum verò est Apostolos omnes indifferenter, imò & Discipulos, per Ciuitates Episcopos multos constituisse. [c] Nam cum per Vrbes, Prouincias que circumirent, vt loquitur Cyrillus, populis qui credebant complures pastores præficiebant.] Doceat verò nos Bellarminus quis vnquam ex tot Episcopis ab aliis Apostolis factis, ad Petrum pro accipienda Iurisdictionis potestate venerit, aut procuratores miserit: Aut doceat saltem vbinam constet Petrum suas in hoc vices ipsis Apostolis delegasse, & concessisse. Verba sane Christi, quibus Apostolos ordinauit, vt idem loquitur [d] Cyrillus, sunt illa; sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: quæ æque sunt dicta cuique ex Apostolis, atque Petro. Dedit ergo eis [e] potestatem plenam & ordinis, & iurisdictionis; cum potestate simili alios mittendi: & consequenter cum diuina operatione, quæ tribuit potestatem tam ordinis, quam iurisdictionis; si illæ sunt variæ, atque distinctæ. Non ergo Episcopi facti ab Apostolis indigebant Petri confirmatione: ac proinde Episcopi etiam accipiunt omnes, vt Apostolorum omnium successores, eandem plenam mittendi potestatem, cum tota etiam Iurisdictione. Secundo quia patres citati, ac præsertim Cyprianus, dum facit Episcopos immediate Deo soli subiectos, non solum in actibus ordinis, sed etiam iurisdictionis eos facit subiectos; vt in baptizandis hæreticis: & Augustinus in firmandis gradibus ordinum: & in excommunicandis filijs pro delicto parentum; & sic de alijs. Et Canonibus scimus, factisque historicis, Papam cohiberi, ne Episcoporum turbet iurisdictiones (de quo nos lib. 4.) Cohiberi verò Papa non posset, si ipse solus fons esset, & origo totius Ecclesiasticæ iurisdictionis; neque ei Episcopi resistere potuissent. Tertio quia potestas hæc iurisdictionis, vel est necessaria ministro Christi, vel non: si non, potest meritò contemni, & regi Ecclesia ab Episcopis sola ordinis potestate; si est necessaria, cur Christus dum dat ipse immediate ordinem, non dat etiam iurisdictionem, nempe Episcopalem Episcopo, Presbytero Presbyteralem? Facit ergo Ministrum, & non facit: neque indicium vllum est in tota Scriptura, vnde colligamus separationem hanc potestatis iurisdictionis, à potestate ordinis; & vnam tradi immediate à Deo, alteram non nisi mediante Papa. Quare & solus ordo, vt docebo fusè lib. 5. dat omnem prorsus potestatem, quæcunque Ministro Ecclesiastico, pro regimine Ecclesiæ est necessaria. Quia in Ecclesia non est vlla vera, & propria iurisdictio externa: ex qua sola in Domino Papa immanem illam potius omnipotentiam, quam potestatem, nostri collocant Doctores Neoterici: vt eodem lib. 5. plene demonstrabo: & ex parte iam lib. 1. cap. 2. demonstraui.

XVII. Quid tamen persuasit, inquies, Bellarmino, vt non ordinem modo, sed etiam iurisdictionem plenam Apostolis omnibus æque à Christo concessam, & immediate, confiteretur; & tamen in Episcopis id negaret? Nunquid vrgens aliquis Sacræ Scripturæ, aut sanctorum Patrum locus? minime vero: nihil ex Scriptura, nihil ex Patrum dictis, quo rem tantam confirmaret; sed puras humanæ speculationis, & vana probabilium Dialecticæ exhibet munimenta. Quod verò, *inquit*, omnis ordinaria Iurisdictio Episcoporum à Papa immediate descendat, probatur. Primo ex figura Testamenti veteris &c.] Affertque exemplum Mosis, quando Deus auferens de spiritu illius, dedit septuaginta senioribus, Numer. 11. & notat cum Augustino, vt asserit, absque diminutione, aut debilitatione spiritus Moysis, factam fuisse deriuationem virtutis seniorum, à virtute Mosis. Voluit enim, *inquit*, Deus ostendere in Moyse residere totam autoritatem: alios autem, si quam habent, à Moyse habere.] Sed hoc nihil ad rem: Primum quia sensus allegorici nihil probant: Deinde quia Augustinus nihil habet de illa deriuatione: sed tantum [f] docet non de Moysis spiritu, hoc est de ipsius anima, sumptum aliquid & datum illis, sed de Spiritu Dei id intelligendum: hoc est eodem Dei Spiritu instructos illos septuaginta seniores, quo instructus erat etiam Moyses. Tum verò Moyses de illo suo spiritu nihil ipse dedit senioribus: sed Deus immediate suo spiritu instruxit illos; quo etiam instruxerat Moysem. Ita nunc etiam Deus spiritu Apostolico instruit Episcopos: id est eodem spiritu quo etiam Apostolos instruebat. Et sicut illi septuaginta immediate à Deo habuerunt & spiritum, & officium iudicandi; & nihil prorsus habuerunt à Moyse; ita Episcopi à Deo, non ab vllo Apostolo, aut Papa,

a Bellarmin. de Rom. Pont. l. 4. c. 23.
b Ibid. c. 24.
c Cyrill. in Gen. l. 11.
d Idem in Ia. l. 12. c. 55.
e Sup. hoc lib. cap. 1. num 7. B. & cap. 2. num. 3.
f Aug. q. 18. in l. Numer.

A pa, & longe melius Baronius, paulo ante, Moysem fecit figuram Christi, non Apostolorum, aut Papæ, à quo Christo immediatè, & Apostoli, & Episcopi omnes spiritum accipiant Ecclesiam gubernandi.

XVIII. Secundo, *inquit*, regimen Ecclesiasticum est Monarchicum : ergo omnis auctoritas est in vno, & ab illo in alios deriuatur.] Ego verò toto libro primo, totam penitùs excluſi, & amoui ex Ecclesia nostra vniuersali, visibilem hanc Monarchiam, & Aristocratiam potius induxi : Nec diffitentur Monarchici, Episcopos non esse Vicarios, aut officiales, aut Ministros Papæ, sed [a] Principes absolutos. Hos tamen Principes, ait Bellarminus, non fieri immediatè à Deo, sed à Papa; qui tamen cogatur diuina lege illos constituere. Vt si alicubi Rex teneretur in singulis Prouincijs, non constituere Prætores, aut Præsides, sed veros Duces, ac Principes, qui Prouinciam vt suam regerent, cum dependentia tamen ad Regem.]

[a] Bellar. de Rom. Pont. lib. 1. cap. 3. 9. & lib. 2. cap. 31. n. 7. & l. 4. c. 24. & Turrecr. lib. 2. de Eccles. ca. 84.

B Sed hæ omnes sunt vanæ subtilitates, nullum in Scriptura habentes, vt docui, fundamentum; quæ & Monarchiam hanc respuit in Ecclesia, & ordinationem Ministri internam à Deo immediatè totam, & integram fieri docet : & separationem potestatis iurisdictionis à potestate ordinis, non patitur illam sanè ridiculam, vt alteram Deus immediatè conferat, alteram homo; in vna, & eadem actione. Nec valet exemplum Regis, & Principum, ac Ducum ab eo institutorum : Quia Rex in creatione talis Ducis suam propriam Regiam minuit potestatem; hoc est minorem facit extensiuè, quia separat à se illos subditos, quoad primariam auctoritatem; & vix vllam sibi reseruat : At nostri Monarchici auctoritatem Papæ nolunt, vel minimum quid, decrescere, ex Episcoporum institutione; sed eam totam, & integram manere apud Papam contendunt, etiam in primario; vt paulò antè monebam : sicut à Moyse, dicebat Bellarminus, absque suæ auctoritatis diminutione eam datam esse per deriuationem ipsius Spiritus, illis septuaginta senioribus. Quid si nollet Papa vllum Episcopum facere ? Ecclesia haberet Episcopos cum solo ordine, sine iurisdictione; & ita in vnius hominis potestate situm est, vt Ecclesia tota careat Episcopis, qui iurisdictionem habeant Episcopalem. Lege, *inquit*, diuina tenetur Papa eam dare iurisdictionis potestatem.]

C Habetne libertatem ? Habet profecto. Potest igitur si vult, nihil obstante tali lege, negare iurisdictionem : peccabit quidem, sed tamen negabit. Et adhuc nullus erit Episcopus cum iurisdictione.

XIX. Tertio probat Bellarminus, Episcopos à Papa iurisdictionem habere ex quatuor similitudinibus Cypriani; Vbi sedem, *inquit*, Petri comparat capiti, radici, fonti, soli.] Cyprianus tamen tunc ne cogitabat quidem de Sede Romana, sed loquebatur de vniuersa Christi Ecclesia totali : vt explicaui exactè libr. primo, cap. 10. num. 17. & infra libro 3. cap. 1. num 12.

D XX. Quarto probatur, *inquit*, ex inæqualitate iurisdictionum : Sed æquiuocat; Iurisdictionemque vocat ipsos subditos, in quos exercetur iurisdictio. Iurisdictio enim vna, & eadem, & æqualis est in omnibus Episcopis, tam in eo qui vnum habet oppidulum regendum, quam in eo qui centum, & mille : eadem enim potestas est; & idem ac totum potest paruus Episcopus in suum pusillum gregem, quod potest magnus in magnum. Et potestas pastoralis tam est in Pastore exigui gregis, quàm in Pastore magni gregis. Vnde verò habeant Episcopi suas Dioeceses maiores, aut minores, disputabo postea cap. 7. Ostendamque iure diuino Episcopos, in iurisdictione, etiam respectu subditorum, esse æquales, & non nisi iure humano Ecclesiastico, sed neque Papali, Dioeceses fuisse distinctas. Satis nunc sit aduersus hoc quartum Bellarmini argumentum, tantam iurisdictionem intensiuè habere Episcopum, qui legitimè mittatur ad exiguum populum; quantam habet qui ad maximum. Extensiuè tantùm vna maior est alia; sed hoc est ex accidenti; nihil enim de nouo potestatis, iurisdictionis tribuitur Episcopo paruæ ciuitatis, si illa ciuitas ex concursu populorum ex crescat in maximam. Eadem ergo, ac prorsus æqualis est ipsa potestas, magnæ aut paruæ ciuitatis Episcoporum; tota, in ipsa prima promotione ad Episcopatum, accepta : quæ amplius neque minuitur, neque augetur, diminuto, aut aucto numero subditorum.

E XXI. Quinto arguit Bellarminus. Si haberent, *inquit*, Episcopi à Deo suam iurisdictionem, non posset illam Pontifex auferre, aut mutare; sicut neque poterat illam Petrus auferre, aut mutare reliquis Apostolis; quia illam à Deo habebant immediatè. Et sicut neque Papa potest auferre Presbytero potestatem ordinis.] Respondeo potestatem missiuam, siue in Papa illa sit, siue in alijs etiam Episcopis, de quo agam l. 3. proxime sequenti, siue in ipsa Ecclesia; has facere mutationes, per solas externas personarũ deputationes seu electiones. Is enim qui in Ecclesia potest mittere, quod est ordinare, potest mittere aliquẽ ad talem popu-

populum, inde verò ad alium: & ita consequẽter aufert potestatem illi Episcopo erga priorẽ populum, & confert erga alium Et qui miserat vnicum Episcopum ad vnũ populum magnum, potest mittere alium ad eundem populum, cum diuisione populi; vt vna pars regatur ab vno, alia ab alio: procul dubio cũ restrictione prioris. Sed hæc omnia faciũt mutationes in extensione solã iurisdictionis, non in ipsa iurisdictione, ipsiusq; intensione, quæ eadem semper est in quocunq;, etiam post restrictionẽ, seu ampliationem Diœcesis. Quando verò auferitur tota iurisdictio indigno, per depositionem, & ab habente autoritatem, siue sit Papa, siue metropolitanus, siue Synodus, de quo suis locis, præsertim libro 8. tunc Respondeo etiam ordinem auferri; vt probaui supra cap. 4. Quia Deus ita confert totam potestatem deputatis, & missis ab Ecclesia, vt tamen eandem totam etiam auferat, vbi merito Ecclesia quem deponit: & si quis iniustè deponeretur, tunc omnis actus, tam ordinis, quam iurisdictionis, esset validus coram Deo. Sicut & si quis Episcopus ab habente autoritatem iuste deponeretur, & ille nihilominus vellet persistere in gubernatione suæ Ecclesiæ, & pati etiam ac contemnere excommunicationem; illius quidem actus siue ordinis, siue iurisdictionis, nulli essent: & per Laicam potestatem, vt esset extrudendus, atque ex illa Ecclesia expellendus; vt tradam in sequentibus. Itaque tolli quidem potest per Ecclesiam tota potestas Episcopalis alicui Episcopo, siue respectu tantum alicuius Ecclesiæ particularis, per translationem; siue omnino per depositionem: sed minui ac augeri nullo modo potest, nisi extensiuè, & ex accidenti. Vnde argumentatio Bellarmini seipsam conficit. Nam planum est, quoad hanc extensionem, potestatem etiam ordinis augeri, & minui: & tamen fatetur potestatem ordinis esse à Deo immediate. Extensio itaque potestatis tam ordinis, quam iurisdictionis, pendet tota à iure humano positiuo, vt exponam in sequentibus: ipsa verò potestas vtraque in se, à solo Deo pendet immediate. An verò solus Papa in his extensionibus potestatem habeat, videbimus postea libris tertio, & quarto: Et de nouorum Episcopiscopatuum erectione, dicam infra c. 8.

A B C

XXII. Sexto arguit Bellarminus; quia iure Diuino ex scriptura probatur, sola potestas vniuersalis, & amplissima iurisdictio Apostolorum; quam tamen amplissimam in Episcopis non admittunt, *inquit*, aduersarij.] Quicquid alij admittant, vel non admittant, nihil ad me. Ego sane amplissimam admitto potestatem in vnoquoq; Episcopo, iure Diuino; nõ minorem intensiue, quam fuerit in vnoquoque Apostolorum ordinaria. Extensiuè tamen, solo iure humano Ecclesiastico positiuo, alligationem Episcoporum ad suas particulares Diœceses restringi, ostendam c. 7.

XXIII. Septimo [a] addit testimonia Innocentij 1. & Leonis. Innocentij verba sunt: A Petro ipse Episcopatus, & tota autoritas nominis huius, emersit.] &, Arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris autorem, adferre debere.] Leonis verò; Si quid commune cum eo alijs voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit.] Et, Huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet.] Ego tamen sæpius monui Romanos Pontifices solam literam verborum illorum Christi, Tu es Petrus, &c. &, Tibi dabo, &c. secutos, libenter in propriæ dignitatis exaltationem excurrisse. Vt propterea non nimium Pontificum Romanorum, in propria causa fimbrias dilatantium, autoritate moueamur: vbi præsertim non Theologicè, sed oratoriè, amplificationibus laxant habenas. Innocentij tamen dicta: A Petro, prout ab exemplo, & primo Episcopo in Ecclesia à Christo facto, ante alios omnes; & non tanquam ab Episcoporum institutore, Episcopatum emersisse significat. Quia quo modo Petrus factus est primo ante omnes Apostolus, adeoque Episcopus; ita eadem autoritate, eodemque fine, facti sunt ab eodem Christo omnes Episcopi: & Petrus dicitur nominis, & honoris Episcopalis autor, quia in Petro primum, & vocari, & esse cœpit Ecclesiasticus Episcopatus. Sicut si quis autorem omnium carminũ Lyricorum diceret, exempli gratia, Pindarum, non quod Pindarus omnia Lyrica carmina pangat; sed quia ipse primus exemplum dedit talis carminis condendi. De Leoninis amplificationibus plura dixi libro primo, capite decimo, numero vigesimo secundo. Certe dum asserit per Petrum datam esse Episcopalem potestatem omnibus Episcopis, quibus illa negata non fuit; hoc non nisi mystice est intelligendum Petrus enim hoc tempore Episcopos facere non potest: imò in pluribus, qui viuente Petro, facti sunt à Paulo, à Ioanne, a Tito, à Barnaba, & alijs, Petrus ne minimam

D E

[a] Bellar. l. 4. de Rom. Pont. c. 24. & l. 1. c. 23.

A mam quidem partem habuit. [a] Paulus profectò se ab hominibus nihil potestatis accepisse profitetur: & consequenter dum Episcopos faciebat, sua propria, non Petri, ministerialì tamen, autoritate faciebat. Mysticum itaque in illis verbis Leonis continetur, quod ipsemet paulo post in eodem sermone explicat dicens: transiuit quidem in alios Apostolos vis potestatis ipsius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur: Petro enim ideo hoc singulariter creditur; quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius feratur æquitate iudicium.] Mysterium itaque est, Petrum primum omnium ad Episcopatum promouere, vt Episcopi omnes haberent exemplar æquitatis, & virtutum, quod possent, in regimine Ecclesiarum, imitari. Per Petrum itaque dari Episcopis quicquid eis non negatur, intelligit Leo quoad exemplum
B imitationis: & a Petro, quasi quodam capite, hoc est fonte, & scaturigine exemplari in alios dona diffundi asserit; nimirum per imitationem: sicut malo exemplo, & scandalo, vitia etiam in alios diffunduntur.

a Gal. 1.

Demum Bellarmino, ad probandum quod cupiebat, Episcopos à Papa summi sumere Iurisdictionem, suppetias ferunt etiam moderna diplomata Pontificia; quibus Papa prouidere se dicit Ecclesijs, & præficere talem in Patrem, & Pastorem, ac Episcopum: Committereque ei administrationem in temporalibus, ac spiritualibus.] Quod si hæc verba plus continent, quam putam missionem, & ministerialem deputationem; erunt verba Pontificum sibi iam dictam Iurisdictionem, & multo plura, arrogantium. XXIV.

Et quia grauem sentiebat Bellarminus oppositionem suæ positioni illam, quæ ex successione pendet Apostolorum; vt ab ea se liberaret, [b] negat Episcopos absolute succedere Apostolis; nisi in solo ordine sacro Episcopali; & per solam similitudinem: vt sicut tunc
C fuerunt sub Christo duodecim Apostoli, & septuaginta duo Discipuli; ita nunc sub Papa sint Episcopi, & Presbyteri: & sicut Presbyteri succedunt, inquit, septuaginta duobus Discipulis, per solam similitudinem, non in potestate, quam Presbyteradem discipuli illi non habebant; ita sola similitudine Episcopos succedere Apostolis, non potestate.] Atque hæc sunt intolerabilia. Iam enim [c] probaui omnibus Apostolis in solidum, in tota plenitudine potestatis, succedere omnes Episcopos: & non minus succedi plene reliquis Apostolis, quàm Petro in solidum; sed Presbyteros etiam Apostolis succedere vere & realiter, non similitudine sola, alias probaui. XXV.

b Bellar. de Rom. Pon. lib. 4. cap. 25.

c Hoc l. b. c. 1. nu. 53. 17.

Sed obijcit Bellarminus [d] Episcopos non habere vllam partem veræ Apostolicæ autoritatis: nam non possunt, *inquit*, in toto mundo prædicare, & Ecclesias fundare: non possunt libros Canonicos scribere: non habent donum linguarum, & miraculorum: non habent Iurisdictionem in tota Ecclesia: non succeditur propriè nisi præcedenti: & simul fuerunt in Ecclesia Apostoli & Episcopi. Si igitur Apostolis succedunt Episcopi, cui successit
D Titus? cui Timotheus?] Hæc ille. Respondeo Episcopos succedere Apostolis in tota essentiali autoritate prædicandi, & vniuersaliter regendi Ecclesiã: non in priuilegijs peculiaribus, quæ solis debuerunt dari Apostolis, tanquã accessoria quædam, & non perpetuo necessaria Ecclesiæ, nisi pro tempore. Atq; ita non est necesse vt scribant Scripturas Canonicas, quas tamen scribere non fuit Apostolorum proprium: nam & plures Apostoli non eas scripserunt: & aliqui non Apostoli eas scripserunt; vt Marcus, & Lucas, & Iacobus frater Domini, & fortasse alij. Neq; necesse est vt habeant donum linguarum, & miraculorum; quia nunc non est necessarium, & tunc donum illud non personis, sed tempori dabatur, vt ostendi lib. 1. cap. 2. nu. 21. & seq. Prædicandi autem potestatem in toto terrarum orbe, sicut Apostoli non habebant, nisi habitu; actu verò ibi vbi iam inter se conuenerant; seu vbi eos Spiritus Sanctus esse volebat; vt docui libro 1. cap. 8. num. 5. & cap. 10. nu. 21. & 26.
E Ita Episcopi habitu habent eandem vniuersalem potestatem, iure diuino, eo ipso quo sunt facti rite Episcopi: actu tamen non sunt Episcopi nisi suæ particularis Ecclesiæ, in qua illos [e] Spiritus Sanctus posuit, & detinet, per missionem & iussionem suam, per Ecclesiam, Ecclesiasticosque Prælatos explicatam, & intimatam: vt docebo plenius infra cap. 7. Ita & Iurisdictio in habitu est vniuersalis Iure Diuino in vnoquoque Episcopo; in actu verò non est nisi particularis, sicut erat etiam in Apostolis. Nam Petrus quoque, dum Romæ erat, non habebat actualem Iurisdictionem, nisi pro sola Ecclesia Romana, licet habitualem haberet, sicut & cæteri Apostoli, pro toto Mundo. Successionem vero nunc docui non dari singulis, sed omnibus in solidum. Et quandiu vixerunt Apostoli, Episcopi qui ab illis promouebantur, non erant, neque dici poterant pro tunc Apostolorum

d Bellar. vbi supra, & lib. 2. cap. 12. XXVI.

e Act. 20.

rum successores; sed socij & Collegæ: at postquam mortui sunt Apostoli, tunc Episcopi remanserunt, vt Apostolorum successores in communi, & in solidum, non autem in singulari: nam proprie Apostolis singulis non succedi docui supra cap. 1. Et primi Episcopi Ecclesiarum particularium, non nominantur vlli ex Apostolis; sed illi quos Apostoli ipsi, singularibus Ecclesijs deputabant. Ita Irenæus, & Tertullianus primum Episcopum Smyrnæ ponunt non Ioannem, sed Polycarpum: & primum Episcopum Romanum faciunt non Petrum, aut Paulum, sed Linum, vel Clementem: & sic de alijs. Alioquin Episcopi qui non habent sedes proprie Apostolicas, non essent Apostolorum successores, quod est falsum. Omnes enim quotquot sunt legitimi Episcopi, meritò dicuntur Apostolorum successores; vt ostendi supra cap. 1. num. 8. & cap. 2. init. quia Apostolorum omnium in solidum locum tenent. Itaque neque Titus, neque Timotheus proprie est vllius particularis Apostoli successor: sed fuerunt collegæ Apostolorum omnium tunc viuentium; ac primi Episcopi, alter Cretæ, alter Ephesi. A B

XXVII. Aduersus nostram positionem pugnat maxime celebre in nostris, tam scholasticorum, quam Canonistarum scholis, Leonis dictum, iam passim à Romanis Pontificibus vsurpatum, quo ille Thessalonicensem Episcopum alloquitur. [a] Vices, *inquit*, nostras, ita tuæ concedimus charitati, vt in partem vis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.] Hoc sibi accommodant Romani [b] Pontifices: & hinc orta est illa immensa plenitudo potestatis, ac fere omnipotentia; vt illi soli Ecclesiasticam habeant plenissimam Iurisdictionem in tota Ecclesia vniuersali: Episcopi vero non nisi in partem solicitudinis sint vocati: hoc est, meri adiutores Papæ, & consequenter non nisi eius Vicarij & administri. Solicitudinem enim omnium Ecclesiarum, ad se vult Papa noster totam pertinere. Huius verò solicitudinis ipsius partem se ait Episcopis commendare: vt vbi ipse non potest, illi pro eo suppleant. Quod est profecto Episcopos facere solos Papæ coadiutores: qui non proprium, sed Papæ officium, & munus, ipsius Papæ nomine, exerceant. Siquidem solicitudinem Episcopalem faciunt partem solicitudinis Papalis: quæ sit tota in Papa tanquam in proprio, & adæquato subiecto. In hoc enim sensu Leonis dictum iam passim à Romanis assectis sumitur, & detorquetur; ac proponitur sæpissime, & intimatur. C

a Leo ep. 88 habetur. 3. q. 6. t. Monitum.

b Innoc. 3. de quo nos infra, lib. 4. cap 12. num. 22. 23.

XXVIII. Faciunt porro Episcopos, verbo tenus, Principes absolutos, vt vidimus, & non Papæ ministros: quia luci Sacræ Scripturæ non possunt resistere: nisi velint contra apertissimam veritatem oculos occludere. Dum tamen nullo Scripturæ, aut veritatis ductu; imò contra Scripturam & veritatem semel positum volunt tueri Monarchatum, totam Ecclesiæ solicitudinem ponunt in Papa, tanquam ipsius propriam: & partem huius solicitudinis dant Episcopis; eosque consequenter, vt dixi, solos faciunt Papæ coadiutores. Quod est prorsus & directissime contrarium veritati, quam confiteri coguntur; Episcopos esse Principes absolutos; & non Papæ Vicarios aut Ministros. [c] Assumuntur, *inquit* Bellarminus, Episcopi à Pontifice, ad suum ipsius onus sustentandum.] Onus ergo Episcoporum non est ipsorum onus proprium, sed est onus Papæ: & Episcopi illud, non vt proprium, sed vt Papale, tanquam meri coadiutores, & administri, sustentant. Et ab eodem [d] Bellarmino, Moysi Papa comparatur; Episcopi verò septuaginta senioribus; ita tamen vt nihil diminuto spiritu Moysis, id est tota remanente integra Papali autoritate, eaque in Papa residente; alij, si quam, *inquit*, habent, (*dubitat scilicet an Episcopi vllam habeant*) à Papa habeant. Quorsum ergo faciebat Episcopos Principes absolutos, si sunt meri Papæ coadiutores, & Papæ onus, non proprium, sustentant; quippe vocati in partem solicitudinis? D

c Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 25. ad fin.

d Ibid. c. 24. init.

XXIX. Hanc plenitudinem potestatis Turrecremata considerans, qui prius & ipse [e] negauerat Episcopos esse Papæ Ministros, vel Vicarios, sed fecerat Principes absolutos, vt etiam Bellarminus; statim [f] dat Papæ potestatem, vt possit, quando vult, primariam Episcoporum, & propriam exercere iurisdictionem. Et sane id ratio ipsorum necessario conuincit. Si enim iurisdictio Ecclesiastica tota est in Papa, ipsius solius propria, si quis alius illam habet, non habet nisi ex sola communicatione, & participatione cum Papa, quantum ipse concesserit. nam vocat Episcopos ad solam partem suæ solicitudinis. Vbicunque ergo Papa vult suam solicitudinem ipsemet exercere, coadiutor non potest impedire: quia coadiutor non proprium, sed Papæ onus, in parte illa solicitudinis Papalis, sustentat. Ideoque Innocentius 3. vocat Episcopos, suos [g] coadiutores. Et rogat [h] Episcopos, vt suppleant ipsius defectum: quasi illi non propriam, sed Papæ curam, eius nomine exerceant. E

e Turrecr. l. 2. de Eccl. c. 64.

f Ibid. c. 65.

g Innoc. 3. l. 1. ep. 1.

h Cap. per venerabilem. qui fil. sint legit.

XXX. Meritò igitur etiam Paludanus, & consequenter asserit, [i] Papam posse, etiam sine causa, Episcopũ magis bonũ destituere, & loco eius ponere minus bonũ: ita vt peccet quidem

i Palud. tr. ac. de Eccles. pot. ar. 5. 6.

A dem id faciendo, factum tamen teneat. Et huc reducantur [illegible] Papam faciunt solùm iurisdictionis Episcopalis collatorem, [illegible] palem: Hanc enim Episcopalem iurisdictionem cùm ponant [illegible] simè residere, à quo postea in Episcopos illa deriuetur, ab ipsius [illegible] voluntate, illam etiam auferre, retinendo illam, ne a se in vllam [illegible] illa in ipso, vt in proprio subiecto, & in Episcopis non nisi per [illegible] & participationem; sicut lux Solis in Luna: & si actio Solis esset [illegible] luminanda Luna, sicut communicatio hæc iurisdictionis in Papa est [illegible] lis potestate esset Lunam facere vel lucidam, vel obscuram: & Luna [illegible] ctem, nisi quandiu placeret Soli: qui sola detentione apud se su[illegible] lucis, [illegible] turaret omni potestate illuminandi. Ex quo etiam necessario sequitur, vt, [illegible]

B tota Ecclesia iurisdictio ecclesiastica extinguatur; & sola potestas ordinis [illegible] pis: potestas verò iurisdictionis tota pereat: Nec valet effugium Bellarmi[illegible] [a] Potestatem hanc Episcoporum pendere à Papa in fieri tantùm, sed non in conse[illegible] nit enim & ipse, & communiter Monarchici, vt vidimus, Episcopos esse tantum [illegible] res Papæ, & non proprium, sed Papæ onus gerere, partemque Papalis sol[illegible] bere; et liberum esse Papæ sola voluntate Episcopo cuique, etiam sine causa, auferre [illegible] statem, quæ sit in Papa fontaliter, non tanquam in causa sola efficiente, sed tanquam [illegible] te, in Sole, in radice, quæ sunt causæ & in fieri, & in conseruari. De his inferius, & [illegible] præcedentibus, ac in sequentibus libris, præsertim lib. 5. Propterea hoc Paludanu[illegible] igne dignum pronunciatur ab [b] Almayno. Sed sciat Almaynus, prius dignam esse igne [illegible] sententiam ponentem Monarchiam in Papa, & plenitudinem hanc potestatis, vt ab ipso [illegible] deriuetur in Episcopos: nam si hæc plenitudo est in Papa, sententia Paludani est necessa[illegible]

C riò deducta. Quia tamen re vera hoc dictum est igne dignum, sequitur necessariò vt prius [illegible] sit flammis dignissimum id, vnde dictum hoc sequitur necessariò. Nec mirum, in hæc, & [illegible] alia longè grauiora absurda, vel inuitos deuenire Monarchicos, dum plenitudinem illam [illegible] ponunt in solo Papa potestatis. Agnoscunt enim omnium consequentium absurditatem, & [illegible] fallitatem; sed consequentiæ necessitate, posito falso antecedente, in hæc absurda velint nolint, trahuntur, & ea sponte admittunt, & concedunt. Sed audi horum censuram in Parisiensi factam facultate. [c] Præterea reliquos Apostolos, *inquit Ioannes Maior*, Episcopos factos à Christo diximus post Resurrectionem, & per consequens tam Episcopi, quàm Curati, sunt de iure diuino, quemadmodum Romanus Pontifex. Nec aliquis prorsus homo potest illud ius, & illas potestates tollere ab Ecclesia, plus quàm summum Pontificatum. Licèt Petrus Paludanus, & de Turrecremata teneant oppositum. Sed hoc quod ipsi tenent, censuit in fide hæresim facultas nostra.] Igitur etiam censuit hæresim, & merito, po-

D nere in solo Papa plenitudinem potestatis, & iurisdictionis Ecclesiasticæ; ita vt Episcopi non sint nisi vocati in partem solicitudinis: hoc est, eo sensu, quo exponebat Bellarminus, Episcopos suam iurisdictionem, non nisi per deriuationem immediatè à Papa habere. Alioquin, si hæc positio vera sit, illud necessariò sequebatur, vt dicebam. Habet ibidem Maior illam conclusionem, Ita esse ex institutione Christi Episcopos, sicut est ipse Papa, & illos à Papa non esse, etiam quoad iurisdictionem: nam probationes eius includunt etiam iurisdictionem. Atque inter ipsius argumenta ponit decisionem quandam facultatis Parisiensis, contrà articulum fratris Ioannis Angeli, Tornaci prædicatum, qui talis est; Fratres præsentati Episcopo, & admissi, sunt proprij Sacerdotes, & veri Curati, & melius quàm Presbyteri parochiales, quia facultatem suam habent à summo Pontifice, & dicti Presbyteri ab Episcopo duntaxat. Ecce, *inquit Maior*, examinationem facultatis nostræ, à 34. an-

E nis præteritis: Quicquid sit de prima parte propter æquiuocationem istius termini (proprij) dicit tamen facultas, quod propositio in se, & quoad omnes reliquas partes, & probationem partis vltimæ, qua dicitur (ab Episcopo duntaxat) est scandalosa. in fide erronea, Hierarchici ordinis destructiua, & pro conseruatione eiusdem ordinis publicè reuocanda, & abiuranda.] Sentiebat ergo facultas Theologica, & quidem papalis Monarchiæ sectatrix, scandalosum esse, & in fide erroneum asserere Papam posse plus iurisdictionis Ecclesiasticæ tradere, quàm de se habeant Episcopi, & recipiant Parochi ordinarij.

Leonis tamen dictum longè diuersum habet sensum, ab hoc vniuersali, quem ei appingunt Romani Pontifices, ab eo, sicut tempore, ita etiam spiritu distantissimi; nec non ipsorum assentatores. Leo sanè scribit ad Episcopum Thessalonicensem; non tanquam ad Episcopum, respectu ordinariæ potestatis quam habebat ille vt Episcopus; sed tanquam ad

[a] Ius Ep. 59.
[b] Apud Baron. tom. 11. ann. 1074. num. 3.
XXXV.
[c] Chem. cp. 3.
d 1. Cor. 3;
7. 6. c. 12.
[c] Maior in 4. dist. 24. q. 3. in fine.
XXXI.

suum legatum, respectu alicuius vlterioris, & extraordinariæ potestatis, à sede Apostolica ei delegatæ, quam vt Legatus Apostolicus, exerceret. Semper enim Romanus Pontifex, vt ostendam postea libro quarto, habuit protectionem quandam, & superintendentiam generalem, super omnes Ecclesias Romani imperii, cuius caput temporale sicut erat Roma, ita decuit vt Episcopus Romanus, ex charitate tamen, vt docebo, [a] & alijs nominibus, curam quandam generalem omnium susciperet Ecclesiarum. Atque hæc cura faciebat, vt Papa teneret, in omnibus pene Regnis, Legatos suos; legatione, alicui ex præcipuis illorum Regnorum Episcopis, commissa. Qui Legati nomine sedis Apostolicæ, circa quædam generalia, grauioraque negotia, præsertim iudiciaria operam quandam extraordinariam adhiberent. In hac ergo cura generali, Legati Papæ meritò dicuntur non habere nisi partem solicitudinis; tota verò hæc huius generalis solicitudinis potestas, quæcunque illa esset, in solo Papa asseritur relidere: & respectu huius curæ, & superintendentiæ, Legati illi sunt meri, veri, & proprij duntaxat Vicarij, & ministri Papæ legantis: neque hoc vllum in se continet absurdum. B

a *Inf. l.4.c.9.*

XXXII. Atque vt videas Leonem de potestate ordinaria Episcoporum, & totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, non loqui; eumq; plane agnoscere suæ potestatis non esse Episcoporum ordinariam iurisdictionem, quam de iure Diuino habent, turbare: audi quid statim subdat. Igitur Sanctorum Patrum Canones, spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerētia consecratos, Metropolitanos singularū Prouinciarum Episcopos, quibus, ex dilegatione nostra, fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis, intemeratū habere decernimus.]Et in alia Epist.[b] Solicitudo, *inquit*, nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem diuinitus datā, nec Ecclesijs, nec Ecclesiarum Sacerdotibus, abrogabat.]Fatetur, vt vides, Leo, dignitatē Episcopalem esse Diuinitus datam; nec se vnquam voluisse, aut prætendisse eam abrogare: proculdubio in iurisdictione, *non in solo ordine*. Quis enim Papa, etiam ex ligneis, prætendat vnquam potestatem ordinis cuiquam abrogare? Et post nōnulla, rursum excusans se cum Episcopis Viennensis Prouinciæ, ait: Non enim nobis ordinationes vestrarum Prouinciarū defendimus.]in quo fuerant scandalizati: sed explicat quid ipse iurisdictionis prætendat in Gallijs; nimirum solam illam generalē superintendentiam, qua inuigilabat, vt omnes Episcopi suo muneri digne satisfacerent. Sed vobis, *inquit*, per vestram solicitudinē indicamus, ne quid vltrius liceat nouitati: nostræ enim gratulationi hoc solū crescere profitemur, si Apostolicæ sedis diligētia apud vos illibata seruetur, & per Sacerdotalis disciplinæ custodiam, honori vestro petire, quod suum est, pro nouis vsurpationibus, non sinamus.]Suasq; has generalis curæ vices, statim committit Leontio Episcopo: sed si vobis, *inquit*, placet.]Qui modus tractandi Papæ cum Episcopis, longe diuersum animum Leonis supponit, ab eo quem illi Monarchici nostri appingebant in plenitudine illa potestatis. C

b *Leo ep. 93.*

XXXIII. Neq; solus Leo plurimum detulit Episcopis, tanquā fratribus & collegis, non tanquam suis coadiutoribus, aut ministris: sed etiam alij ante ipsum. Sixto enim primo dictum illud tribuitur, [c] Ab hac sancta sede, a sanctis Apostolis tueri, defēdi, & liberari Episcopi iussi sunt: vt sicut eorum dispositione, ordinante Domino, primitus sunt constituti; sic huius sanctæ sedis protectione, futuris temporibus, sint ab omnibus aduersitatibus semper liberi.]Et Innoc. 1. dum optimè cognoscit veros ipsius fratres, & in opere Domini collegas Episcopos, eis paratam opē suæ protectionis exhibet: & vice versa ab eis operam postulat æqualē: [d] Cui manum, *inquit*, porrigitis vobiscum porrigo: cui porrigo mecū porrigite.]Et Greg. [e] Si sua, *inquit*, vnicuiq; Episcopo iurisd. non seruatur, quid aliud agitur nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo cōfundatur?]Proferentur tamen [f] postea à me plures Pōtifices, qui superioritatē iurisdictionis in Episcopos, non agnouerunt: sed eos vt collegas habuerūt. Ita & sanctos Episcopos, qui Rom. Pont. sibi parem omnino fecerūt, & expresserūt. D

c *8.q.5.c.1.*

d *35.q.9.c.Victoriam.*

e *Greg. Epist.*

f *Infra c.7. & l.4.*

XXXIV. Impinget fortasse quispiam in ep. Pelag. 2. ad Sepaudū Arelat. nuper à Baron.[g] editam; in qua Pelag. per Petri successores in Apostolica sede tam per se, quam per Vicarios suos, Ecclesiam firmitatē obtinere asserit. Ne turbemur tamen, quia Pelagius nihil plus intendit, nisi quod Leonē intendisse, de generali cura, iam exposuimus. Quicunq; igitur ex veteribus Episcopos vocat Vicarios; hunc sensum habuisse de Legatis, nimirū specialibus S sedis, certo scias. Vt sunt verba etiam Greg. (vt videtur) 4. [h] Qui appellationes volebat apud Legatos suos, quos in Prouincijs habebat, audiri, & definiri: grauiora tamē negotia volebat ad ipiā sedē Apostolicā deferri, & nō ad legatos. Quæ, *inquit*, vices suas, ita alijs impertiit Ecclesijs, (*legatione nimirū illarū Episcopis aliquibus cōmissa.*) vt in partē sint vocatæ solicitudini, nō in plenitudinē potestatis.]& quamuis legatos illos dicat ex suo latere missos; intelligit pote- E

g *Baron. tom. 7. an. 556. n. 18.*

h *2.q.6.c.Decreta.*

A quia potestatem Legati à latere missi, vt fieri solet, Episcopis illis tribuebat: Quibus non vniuersitatem causarum iudicandā committebat, sed partem aliquam curæ suæ generalis, & solicitudinis commendabat: propterea eos à maioribus causis abstinere volebat. Iuo saue Canonista optimus idem Leonis dictum de parte solicitudinis, & plenitudine potestatis intelligit, & explicat à Leone prolatum, non de Episcopis, eorumque ordinaria potestate respectu Papæ, sed de solis legatis Apostolicis; [a] Maximè, *inquit*, cum secundum eundem Leonem legationis officium pars sit Apostolicæ solicitudinis, non plenitudo potestatis.] Ita & [b] Legati Gregorij septimi, idem Leonis dictum de solis Rom. Pontificis legatis intelligunt.

a Iuo Ep. 59.
b Apud Baron. tom. 11. ann. 1074. num. 3.

Modernos itaque hoc Leonis dictum, non Legatis Apostolicis, sed vniuersis Episcopis accommodantes; & omnes Episcopos meros Papæ Vicarios, ac Ministros facientes; qui non propria, sed commissa in parte autoritate à Papa, eius nomine, Ecclesias gubernent; XXXV.

B inter adulatores dicam; etiam impostores reponas. Vt fuit ille Epistolarum sub Clementis nomine scriptor, dum facit [c] Clementem vocare Episcopos suos conseruos, & suos adiutores: Conserui quidem sumus omnes, & simul cum Papa nos omnes, & nobiscum Papa, meri Christi ministri: ac simul omnes cooperatores, & [d] adiutores non Papæ, sed Dei. Maiorem fraudem offendes in Gratiano, qui sua fictitia sæpe decreta, pro Monarchia Romana, solet pro antiquis & legitimis venditare: & antiquis autoribus adscribere. Iulij enim Papæ Decretum illud esse dicit, quod sic habet: [e] Qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse Prælatum. Ipsa namque Ecclesia quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit esse largiendas, vt in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis] Atque hunc ego primum obseruo fraudis concinnatorem, qui dictum Leonis de Legatis, ad omnes extendit Episcopos in vniuersum: Illudque in ore ponit Iulij Papæ antiquissimi. Correctores tamen decreti sub Gregorio xiij. Iu-

c Clem. ep. 3.
d 1. Cor. 3;
e 2. q. 6. c. 12.

C lium expunxerunt, & Vigilium substituerunt: Cum tamen neque in Iulio, neque in Vigilio ista legantur. Sed confutus est hic Canon à Gratiano, ex varijs Leonis dictis; ad alium tamen sensum, à Leonis mente alienissimum detortis, & corruptis. His ruinosis nixi fundamentis miseri Canonistæ, quid non audent? Hinc enim semiplenam [f] Glossa ponit in Episcopis Iurisdictionem.

f Glossa in cap. Consequens, dist. 11.

Dices, Bernardum etiam ponere in Papa, plenitudinem potestatis absolutè, & respectu quorumcunque Episcoporum, non Legatorum tantum, dum ait ad Eugenium: [g] Sic factitando probatis nos habere plenitudinem potestatis; sed iustitiæ forte non ita: facitis hoc quia potestis: sed vtrum & debeatis, quæstio est.] Mihi tamen his verbis Bernardus videtur potius irridere plenitudinem illam potestatis, quam approbare. Nescio enim an posse malum agere, sit potestas legitima; an potius defectus: ita posse peccare, & posse facere, quod fieri non debet, nescio an Bernardus sit concessurus, id ad plenitudinem pertinere XXXVI.

g Bern. de consid. l. 3. c. 4.

D potestatis. Certe si Bernardus ponit in Papa plenitudinem aliquam potestatis, eam profecto non ponit nisi legitimam: legitimæ autem potestatis vsus non est malus, neque contra iustitiam. Quod si malus est, & contra iustitiam, & talis qui adhiberi non debeat; potestas in tali casu erit de facto tantum, & non de Iure: erit tyrannica, non legitima; erit violenta, non rationalis. Igitur Bernardus in Papa, Monachos à Iurisdictione Episcoporum ordinaria eximente, agnoscit plenitudinem potestatis de facto, & tyrannicam; non legitimam, neque iustam. Dixerat enim ibidem, non esse solam Papalem potestatem in Ecclesia à Domino; sed etiam esse alias minores, puta Episcopales: de quo supra.

Dices præterea, Gregorium Magnum videri, Episcopis dare Episcopalem Iurisdictionem, quæ ab ipsius immediate pendeat concessione: Ait enim Benenato Episcopo: [h] Et ideo te, quæcunque tibi de (*duarum Ecclesiarum vnitarum*) patrimonio, vel Cleri ordinatione, siue promotione, iuxta Canonum statuta, visa fuerint ordinare, atque disponere, XXXVII.

h Greg. l. 12. ind. 10. ep. 31.

E habebis, vt proprius reuera Sacerdos, liberam, ex nostræ autoritatis consensu, atque permissione licentiam.] Respondeo Iuris Ecclesiastici positiui esse, vt [i] Vnus vni præficiatur Ecclesiæ. Hic verò cum duabus præficeretur, licentia & dispensatione indigebat: & licentia Gregorij est, non vt Pontificalia exerceat (ea enim ordinaria potestate vt Episcopus poterat exercere) sed vt in duabus illa exerceat: & vt sit etiam alterius sibi additæ Ecclesiæ Episcopus proprius; quod Ecclesiastica lege non licebat. Idem fecit etiam cum [k] Agnello, Fundensi, quando ei vniuit curam Episcopatus Terracin. & cum Ioanne [l] Lisitano, cui Scyllatinam commendauit Ecclesiam.

i 7. q. 1. c. placuit. c. sicut.
k Greg. l. 2. ind. 11. ep. 53.
l 7. q. 1. c. pastoralis.

Dices demum: si in Papa non est plenitudo potestatis quoad externam Iurisdictionem; sed Episcopi eam æque plenam habent atque Papa: Nullam ergo prælationem super E- XXXVIII.

piscopos Papa habebit: Quod tamen in tota Catholica Ecclesia reputatur absurdissimum: imò etiam hæreticum, vt fatetur Gersonius, qui sic ait: [a] Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, non potest esse de lege ordinaria, nisi in vnico summo Pontifice formaliter, & subiectiuè. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum: & habere posset multiplex caput ex æquo, quod aperte est hæreticum.] Respondeo verissimum esse de iure Diuino nullum esse Episcoporum Episcopum, vt ait [b] Cyprianus, & suo loco probabo: Gersonium verò & totam Scholam Parisiensem, Monarchiam in Ecclesia inter Episcopos ponere, quamuis non sine Dimocratia: quia in Papa plenitudinem ponunt potestatis, non absolute, tanquam in solo, & absoluto, ac independente in terris Domino; sed tanquam in ministro Dei, & Ecclesiæ, in ordine ad singula, inquit [c] Almaynus, non consequenter ad omnia: quia Concilium ponunt supra Papam. In ordine ergo ad singulos Episcopos Papam faciunt Monarcham, ab Ecclesia tamen dependentem: Vbi verò diligenti adhibita consideratione legerint ea quæ nos contra hanc Monarchiam disputauimus, & adhuc disputabimus, sententiam suam, vt spero, mutabunt multi, & ex doctrina Euangelica, orthodoxorumque tot Patrum explicationibus, facile discent, inter Episcopos omnes summam debere esse, iure Diuino, paritatem: vt sequenti etiam cap. explicabo: & Monarchiam hanc repudiabunt. Gersonius itaque ex falsa suppositione Monarchiæ Ecclesiasticæ, falsas etiam coactus fuit defendere conclusiones. Sed nec immerito dixit hæreticum esse aperte, si multiplex caput ex æquo in Ecclesia locaretur; Tot enim profecto Ecclesiæ essent totales, & per se plenè ab alijs diuisæ, quot essent huiusmodi capita: ac proinde tot essent quot sunt Episcopi, si quisque Episcopus plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ haberet, vt caput & Monarcha absolutus. Nos vero Episcopos omnes, etiam cum Papa, Euangelio, & Patrum doctrina, ac ratione id cogentibus, facimus æquales; simul tamen omnes, & in solidum, non singulos per se seorsim, & singulariter sumptos. Quia Monarchiam nullam vniuersalem ponimus, sed partiales in singulis Ecclesijs; quæ simul omnes vnicam constituant, & compleant Ecclesiam vniuersalem; non Monarchice amplius in vniuersalitate, sed Aristocratice potius gubernatam; iuxta illud Cypriani; [d] Vna est Ecclesia, a Christo, per totum Mundum, in multa membra, diuisa; item Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.] Et [e] Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.] Atque hæc est illa vnica Cathedra, quam cum Optato iam [f] consideraui: Hoc itaque non est multiplex caput ex æquo in Ecclesia collocare, sed multitudinem seruorum & ministrorum Christi, æquali munere, æquali officio, æquali potestate, in vnicum corpus coalescere. Quod non modo non est hæreticum, aut absurdum; sed ita Catholicum, & conuenientissimum; vt contrarium sit prorsus non modo absurdum, sed etiam hæreticum.

XXXIX

Cur vero obsecro facultas Parisiensis, vt supra num. 30. testabatur Maior, hæreticum esse definiuit, asserere cum Paludano & Turrecremata, posse Papam Episcopum ex sua Ecclesia auferre, & minus dignum subrogare? Si Papa est Monarcha Ecclesiæ, cum plenitudine potestatis; quæ plenitudo sit in vnico Papa subiectiue, vt decidit Gersonius, vel [g] fontaliter, vt alibi loquitur: non hæreticũ, sed necessariũm erit, vt supra ostendi, id quod Palud. affirmabat: cum tamẽ hoc reuera hæreticũ sit, erit hæreticũ multo magis id vnde hoc sequitur. Ac propterea hæreticum etiam erit quod ponit Gersonius, plenitudinem potestatis esse subiectiue, & fontaliter, in solo Papa, & non nisi per deriuationem ab eo ad Episcopos eam transire. Quia ex hoc sequitur necessario Papam posse priuare Episcopum sine causa, ita vt, licet peccet, & iniuste faciat, valide tamen faciat, & factum teneat. Abusus enim potestatis non facit vt ipsa suum effectum non sortiatur: & sicut dicebam supra de sole & Luna; ita nunc dico exemplum Gersonij id egregie confirmare: dum vult potestatis plenitudinem esse in Papa, vt in fonte. Certe si fons fluere desistat, necessario riui omnes siccantur, & aqua priuantur: ita sola voluntas Papæ sufficit ad retinendam penes se suam totam potestatem, cum sit agens liberum: & tunc tota in Episcopis, qui ab eo solo fonte dicuntur Episcopalem accipere potestatem, cessabit; & sic Episcopus cessabit esse Episcopus, sola Papæ voluntate fluxum illum, & deriuationem, cohibente, & denegante.

XL.

Vt autẽ huius cessationis positio non sit hæretica, cogetur Gersonius, cum reliquis Monarchicis, asserere, cohibitionẽ illam quam faceret Papa sola voluntate sua, sine causa, effectum non habituram; quod tamen, dato fonte in Papa, est impossibile; quinimo si iste fons totius Ecclesiasticæ potestatis est in solo Papa; posset, si vellet, absolute & vniuersaliter cessare ab omni communicatione & fluxu, vt supra innuebam; & sic extinguere in toto

a Gers. de potest. Eccl. in Expl. conc. 2.

b Cypr. in conc. Carthag.

c Almayn. de auc. Eccl. c. 8. ad 4.

d Cypr. l. 4. ep. 2

e Idem tract. de simpl. prael. siue de vnit. Eccles.

f Supra lib. 1. cap. 10. nu. 18.

g Gers. de stat. Prælat. consid. 3. & 6. & Dial. de pot. lig. & solu.

A toto mundo Episcopatus; vt ipse solus sit Episcopus. Quod sicut ab omnibus, etiam Monarchicis, negatur; ita, velint nolint, fontem illum, & illam solius Papæ plenitudinem, negare coguntur. Alioquin, ne id sequi possit, vel in Papa neganda erit arbitrij libertas: vel perpetuum miraculum ponendum est: & Deus ad hoc miraculum à nobis obligandus erit; ad quod se ipse nunquam obligauit. Verbis itaque Gersonius ludit, dum potestatem totam Ecclesiasticã ponit in Papa fontaliter, re autẽ aliud intelligebat: alio enim loco, vbi rem tractat ex professo, se hoc pacto explicat. [a] Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ hic propriè sumpta, non potest esse de lege ordinaria, nisi in vnico summo Pontifice formaliter, & subiectiuè. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum, & haberet posset multiplex caput ex æquo, quod est apertè hæreticum. Nec tamen plenitudo potestatis Papalis sic intelligenda est immediatè super omnes Christianos, quod pro libito possit immediatè iurisdictionem in omnes per se, vel alios extraordinarios passim exercere: sic enim

B præiudicaret ordinarijs, qui ius habent immediatum, imò immediatissimum super plebes eis commissas actus Hierarchicos exercendi. Extenditur igitur plenitudo potestatis Papæ super omnes inferiores, solùm dum subest necessitas ex defectu ordinariorum inferiorum, vel dum apparet euidens vtilitas Ecclesiæ: quemadmodum dici potest de Episcopis respectu plebanorum, seu propriorum Sacerdotum, quorum possunt supplere defectus.] Atqui hæc explicatio præcidit Episcopos omnes ab illo fonte, dum dicuntur habere eandem plenam potestatem immediatè, imò immediatissimè: hoc est à Deo, nullo mediante à quo veluti à fonte illam hauriant. Et quod ait Cyprianus, Vt dum aliqui Episcopi suo muneri desunt, & malè regunt, imò & sectas faciunt, tunc debeant [b] subuenire cæteri; id munus subueniendi in solo casu necessitatis, tribuit Papæ Gersonius: quæ ipsius restrictio, & limitatio destruit fermè Papatum. Et tamen est diligenter obseruanda, quia vis veritatis eam ex magni Hieromonarchici ore elicuit. Potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem tum ordinis, tum iurisdictionis in singulis Ordinarijs voluit collocari, ita vt dum illi suo muneri

C non desunt, Papa nihil possit in Ecclesiarum aliarum, extra suam Romanam, gubernatione: in quibus proprij Episcopi plenissimam totam Ecclesiasticam potestatem possint exercere. Et ita cognoscit Gersonius vnumquemque Episcopum in sua diœcesi esse Papam plenissimum.

a Gers. de pot. Eccles. an Epiog. consid. 2.

b Cypr. lib. 3. Epist. 13.

Insurgam adhuc pluribus aliàs contra Monarchicos omnes, caput vnicum visibile in Ecclesia, cum plenitudine potestatis, ponentes. Nunc mihi satis sit, ineptè Leonis dictum huc trahi, vt ex eo in solo Papa ponatur plenitudo Ecclesiasticæ potestatis: Episcopos verò, non minus quàm Apostolos, immediatè à Deo suam accipere iurisdictionem ex Romanis nostris Catholicis, expressè tenent, & defendunt, etiam Franciscus Victoria Relect. 2. de potest. Ecclesiæ. Alfonsus de Castro, de iusta hæret. punit. lib. 2. cap. 24. & Franciscus Torrensis, tract. de Resid. Past. Cuius paucula tibi recito verba huiusmodi, [c] Summus Pontifex, tanquam caput, accepit à Deo, secundum gratiam, omne ministerium, ac dispensationem omnem potestatis spiritualis; ita vt quicquid Dominus alijs tribuat, non nisi per Pontificem, tanquam summum Ministrum suum, tribuat: accipiantque de eius potestate cæteri partem: non quidem ab eo tanquam primo autore, & datore, sed à Deo per eum. Qui quidem (si ita loqui libet) dicatur mediatè facere Episcopos, id est, tanquam Minister. Ac sic quidem vt Pontifex facit Episcopos, similiter eligentes faciunt Pontificem, tanquam Ministri.] Papa igitur nihil plus confert Episcopo, dum ipse facit Episcopum, quam Electores conferunt Papæ, dum illum in Papam eligunt. At quis dicet Electores Papæ, dare ipsi Papalem iurisdictionem? Ita ergo neque Papa dum eligit Episcopos, dat eis Episcopalem iurisdictionem; sed Deus immediatè, & Papæ, & Episcopis, eodem prorsus modo, dat omnem quam dat potestatem. An verò Papæ sit omnes Episcopos eligere, idque à Deo habeat, tractabitur libro sequenti. Viderint tamen Torrensis, & socij,

E quomodo asserant, Episcopos accipere non nisi partem potestatis quam habet Papa, si tam Papa, quàm Episcopi, totam quam habent potestatem, à Deo immediatè accipiunt; vt merito ipsi docent. Vnde verò constat Deum minus dare Episcopis quam Papæ? aut partem Episcopis, totum Papæ? Viderint etiam quomodo posita hac veritate, Primatum Papæ iure diuino possint defendere; certè hi autores eodem modo faciunt Papam collatorem potestatis iurisdictionis, sicut & potestatis ordinis; hoc est ministerialiter.

c Torrens. de Resid. Past.

XLI.

Nos interim venerandi, sacrique Præsules, agnoscamus nostram potestatem; locum, & gradum, quem nobis ipse Christus dedit, non ignoremus: Certè a quo habemus ordinem, ab eodem habemus Ecclesiasticam quoque iurisdictionem, & potestatem;

XLII.

testatem; & sanè eam totam, quæcunque est à Christo Domino suis ministris concessa. Nihil est, vt vidistis, à Domino commissum Petro, quod non fuerit vnicuique Apostolo commissum; nihil habet iure Diuino Romanus pontifex, etiamsi Petri successor esset, quod non habeat quiuis nostrum, qui sumus in Ecclesia Christi Episcopi. Nemo nostrum est, qui non æquè Petro succedat, atque Romanus: Ordo Episcopalis secum necessariò fert totam, & plenam Episcopalis iurisdictionis potestatem. Ita Deus voluit, ita Christus instituit, ita Apostoli tradiderunt, ita Ecclesia antequam opprimeretur, & docuit, & exercuit. Vt quid ergo nostra sponte, & voluntariè toleramus [a] iugum super cervices nostras, quod Patres nostri portare non potuerunt? Sit Romanus Papa, si vult, imò si vultis, elector noster, sit si placet confirmator, sit, quando sic lubet, sed immeritò, etiam consecrator, in his tamen omnibus nudum ille exhibet externum ministerium; & ad ipsius, alteriusue ministerium, Deus immediate nobis totam confert Apostolicam ordinariam, hoc est, Episcopalem potestatem: iam in illa electori, confirmatori, & consecratori nostro sumus pares. Nam & ipse ab alijs eligitur, ac consecratur, imò etiam ab alijs confirmatur, vel confirmari debet, vt postea ostendam libro quarto. De potestate ordinis non negat, non enim potest, neque audet: nam tum plene, & apertè se (sicut iam clam, & furtiuè tentat) nostrum Deum verum faceret. Sed neque potestatem iurisdictionis, quam Deus immediatè cum ordine simul confert, à Papa habemus, vt vobis reddidi iam manifestissimum. Si igitur non piget vos, at saltem pudeat, quòd ex fratribus, & reuera collegis Romani Pontificis, facti ipsius duntaxat famuli, & administri, merique vicarij, & ad partem solicitudinis delegati precario præsitis; & non proprio, sed ipsius nomine Ecclesias regatis. Vtimini potestate, quam à Deo habetis, & plenissima vestras Ecclesias autoritate gubernate; neque vobis virgam de manibus à quoquam eripi patiamini. Episcopus Romanus pedum suum iamdiu abiecit, ne scilicet Pastor sit, sed Rex, & Dominus: Si nobiscum Dominici gregis Pastor esse vult, resumat pastorale pedum, & sceptrum deponat; nobiscumque portet pondus diei, & æstus: sin minus, agnoscat saltem vos aperuisse oculos; vosque omnes, ac singulos non famulos, non subditos, non vasallos, sed fratres, sed collegas, sed comministros experiatur. Fulmina ipsius ne vos quæso, terreant, tantum potest cuiusque vestrum fulmen contra illum, si extra paternas exorbitet regulas, quantum ipsius erga nos. Opponite vos murum pro domo Dei, pro Episcopali propria dignitate: sola cognitio plena vestræ potestatis, si vel leuiusculè eam ab illo independenter exercere incipiatis, tyrannidi, quæ nos miserè opprimit, succidet neruos; breuique fiet, vt illa summo cum totius Ecclesiæ bono, tota magno cum fragore corruat, & penitus euanescat. Hoc in vobis potissimum situm est, collegæ Sanctissimi. Faxit Deus.

[a] Act. 15.

CAP-

A

CAP. VI.

Episcopos omnes æquè Vicarios esse Christi, & in potestate Ecclesiastica inter se Jure Diuino prorsus æquales.

SVMMA CAPITIS.

Ex præiactis in præcedentibus fundamentis propositum colligitur, num. 1. ac deinde confirmatur autoritatibus, num. 2, 3, 4.

Confirmatur æqualitas inter Episcopos, etiam cum Papa, pluribus documentis, à num. 5. vsque ad num. 13.

B *Vnus igitur solus Episcopus in Ecclesia Vicarius Dei non est faciendus, cùm sint omnes æquales, num. 14, 15.*

Sed solus Christus est verus Dei Vicarius, num. 16.

I. INter Apostolos omnes, summam æqualitatem, cumulatissimè probaui toto libro 1. cuius hic scopus penè totus fuit: expressè tamen cap. 3. eiusdem lib. æqualitatem hanc demonstraui; atque Ecclesiam vniuersam æquè omnibus Apostolis fuisse commissam, eosque omnes à Christo æque fuisse Vicarios suos institutos, ostendi ibidem cap. 4. Cum itaque Episcopi plene succedant Apostolis, vt in huius secundi lib. cap. 1. probaui, quis non videt summam inter Episcopos, iure diuino, ipsa Christi institutione æqualitatem? Cúmq; C præcedenti capite ostenderim, & conuicerim Episcopalem totam potestatem esse immediatè, & æquè a Deo, non à Romano Pontifice, eadem pariter apparet æqualitas. Eam tamen adhuc plenius hoc peculiari capite suscepi explicandam, & communissimo totius antiquioris Ecclesiæ sensu & consensu confirmandam.

II. Apostolicæ constitutiones, Apostolos omnes ita scribentes ad omnes Episcopos inducunt; [a] Scripsimus vobis vniuersalem hanc doctrinam, quorum fidei vniuersalis Episcopatus est commissus.] Ignatius Communis Ecclesiæ vocat Episcopum eum qui Philadelphensem regebat Ecclesiam: Ait enim ad Philadelphenses scribens; [b] Conspecto vestro Episcopo, cognoui quod non à seipso, neque per homines ad dignitatem euectus est, vt susciperet ministerium hoc Communis Ecclesiæ, &c.] Præterea Eleutheri Rom. Pont. antiquissimi Epistola, siquidem in nostra Romana Ecclesia non reprobatur, ad confirmandam hanc æqualitatem apud nos Romanos plurimum valet. In ea verò habentur hæc verba Eleutheri ad Episcopos Gallicanos: Huius rei gratia Vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.] Quod dictum habes etiam in Ioanne 1. Epist. 1, vt infra. In Concilio Carthaginensi, sub Cypriano; [c] Venantius à Tinisa dixit; Christus Dominus, & Deus noster, ad Patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendauit: vtrumne eam incorruptam, & inuiolatam custodimus; an integritatem eius, & castitatem eius mœchis, & corruptoribus prodemus?] Quod dictum Augustinus admisit vt verum, neque id reprehendit vt arrogans. Quando igitur Dominus Apostolis omnibus æque suam commisit Ecclesiam, tunc Episcopis etiam eorum successoribus eam, vt dicit Venantius, nihilosecius commendauit. Et quando ex hac Christi commendatione Apostoli æquæ omnes cum Petro [d] orbis curam susceperunt, vt loquitur Chrysostomus, tunc simul etiam, vt ait Venantius, Episcopi omnes eandem susceperunt. Et clarius loquitur ibidem, Clarus à Muscula, [e] Manifesta, *inquit*, est sententia Domini nostri Iesu Christi; Apostolos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes, &c.] Qua ergo potestate simul & in solidum Apostoli, dum vixerunt, Ecclesiam Christi totam gubernârunt: eadem nunc Episcopi eandem gubernant: & sicut illi fuerunt in hoc æquales, ita & Episcopos æquales in hoc esse necesse est. Alexander Episcopus Alexandrinus, vbi de exorta in sua Ecclesia hæresi Ariana, per suas literas, reliquos omnes Episcopos certiores reddit, ita exordiur. [f] Cum in sacris literis sit vnum corpus Ecclesiæ Catholicæ, nobis traditum, & præceptum, vt concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus, &c.] Iustus Orgellitanus; [g] Vineam traditam custodibus, dicit esse Ecclesiam quam Christus commisit regendam Apostolis, vel successoribus eorum Episcopis] Episcopi

a *Constitut. Apost. l. 6. c. 14.*

b *Ignat. epist.*

c *Apud Aug. lib. 7. de Baptis. contr. Donat. cap. 13.*

d *Chrys. hom. 87. in Ioan.*

e *Apud Aug. ibid. c. 43.*

f *Apud Socrat. lib. 1. c. 3.*

g *Iust. Orgel. in Cant. vers. 194.*

copi in quinta Synodo generali congregati, ita de se loquuntur. [a] Et nos igitur, quibus regere Ecclesiam Domini creditum est &c.] Episcopi similiter Regni Francorum, qui erant sub Carolo, ad Ludouicum, dum monitorias scribunt, inter cætera hæc habent: [b] Pro certo autem sciatis, quia cum nostris parentibus, id est cum Apostolis Christus Rex Regum, Regnum suum, id est Ecclesiam, conquisiuit, ampliauit, & erexit; & per nos, & nobiscum, (vtinam non ad iudicium vestrum dicamus) eandem Ecclesiam, id est Regnum suum quotidie acquirit, auget, & gubernat idem Dominus Iesus Christus, sicut dictum est à Domino Ecclesiæ per Prophetam, [c] Pro patribus nati sunt tibi filii, id est pro Apostolis creauit tibi Episcopos, qui te regant & doceant. Cum qua Ecclesia nobis à Deo commissa, pro vobis deprecari studebimus &c.] Atque hæc generalis commissio totius Ecclesiæ omnibus Episcopis æque, sed in solidum data explicabitur adhuc magis à nobis in sequentibus.

a Apud Baron. tom 10. an. 858 num. 50.

c Ps 44.

III. Hinc igitur est quod passim in Ecclesia Episcopi perpetuo, & constanter, fuerint vocati æque omnes Christi in terris Vicarij, vt iam ostendo. Sane Alexandri primi ad Episcopos dictum fertur huiusmodi: [d] Sicut filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos eius vice in Ecclesia estis constituti, vt inter Deum & homines legatione fungamini.] Et Eusebio Papæ illud tribuitur, quod tamen Hormisda vere scripsit: [e] Caput enim Ecclesiæ Christus est, Christi autem Vicarij Sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in Ecclesia.] Cyprianus de vnoquoque Episcopo, in quacunque Ecclesia, in communi loquens, sic ait; [f] Nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex, vice Christi cogitatur.] Atque eidem Cypriano merito tribuitur illud quod de se, & de omnibus Episcopis est effatus: [g] Et quoniam nobis, *inquit*, diuina & paterna pietas Apostolatus ducatum contulit, & Vicariam Domini sedem cœlesti dignatione ornauit, & originem authentici Apostolatus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, in superiore vestę portamus: accepta simul potestate soluendi; salutari doctrina admonemur ne cum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi cum eis pariter torqueamur.] Hoc loco sane Cyprianus, seu quis alius Episcopus non Romanus, plane se Petro ipsi, ac reliquis Apostolis exæquat; & Vicariam Christi sedem, suam sedem agnoscit; & se portare fatetur ipsam originem authentici Apostolatus; ac supra se à Christo fundari Ecclesiam perhibet, sibique dictum accipit, Quodcunque ligaueritis, &c. Sicut & [h] supra cap. præcedenti num. 5. In Concilio quodam Romano sub Syluestro; [i] Legimus, inquiunt illi Patres, non debere quenquam Domini discipulis, id est, Apostolorum successoribus detrahere; aut eos infamare: quia iniuria Doctorum, ad Christum pertinet, cuius vice, legatione funguntur.] Ambrosius, [k] Mulier, *inquit*, idcirco debet velare caput, quia non est imago Dei: sed vt ostendatur subiecta: & quia præuaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere, vt in Ecclesia propter reuerentiam Episcopalem, non habeat caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatem loquendi; quia Episcopus personam habet Christi: quasi ergo ante Iudicem, sic ante Episcopum quia Vicarius Domini est, propter reatus originem, subiecta debet videri.] Augustinus; [l] Antistitem, *inquit*, puriorem cæteris esse oportet; ipsius enim (*Christi*) habere personam videtur: est enim Vicarius eius; vt quod cæteris licet, illi non liceat; quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, &c.] Item, [m] Non intrat per ostium ad Ecclesiam, qui per laicalem portam intrat. Non enim laicis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini Vicarijs: Vicarij Domini sunt qui vicem Apostolorum tenent.] Chrysostomus dicit, Gentiles, & hæreticos, & sordidos, ac insensatos Christianos, non intelligere; [n] Sacerdotes Christi, Vicarios esse Christi, & Christum.] Rabanus exponens locum Deuteronomij 17. de iudicio Sacerdotis; Morietur, inquit, homo qui obedire noluerit Sacerdotis imperio; ipsius videlicet Sacerdotis imperio, qui secundum ordinem Melchisedec, Sacerdos factus in æternum, Pastores, hoc est vicarios suos, constituit regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo; vt pro ipso legatione functi, Euangelium toto orbe prædicarent; qui quantæ autoritatis sint ipse demonstrat dicens, Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.] Patres Concilij Meldensis; [o] Nos omnes, *inquiunt*, licet indigni, Christi tamen Vicarij, & Apostolorum ipsius successores, consilium Dei adnunciamus.] Et rursus; [p] Nos autem Dei iudicio, sui ab illo Vicarij constituti, iuxta ministerium nostrum, pro viribus decertare studebimus.] Episcopi similiter Gallicani, de se sic testantur in quodã Concilio apud Compendiũ celebrato; [q] Quale sit ministerium Episcoporũ, qualisq; vigilantia, atq; solicitudo eis circa salutem cunctorum adhibenda sit, quos constat esse Vicarios Christi, & clauigeros Regni cœlorum; quibus à Christo tanta collata

d Alex. 1. ep. 2.

e Euseb. ep. 3. ad Hormis. ep. 60.

f Cypr. l. 1. ep. 3

g Cyp. de Aleat.

h Idem Cyp. l. 5. ep. 6.

i Conc. hom. 2. sub Sylu.

k Ambros. in 1. Cor. 11.

l Aug. in qq. vet. & nou. Test. q. vlt.

m Idem ad fra. de hæres. ser. 37

n Chrys. hom. 17 in Matth.

o Concil. Meld. in præfat.

p Ibid. c. 18.

q Apud Baron. tom. 9. an. 853. num. 10.

collata est potestas, vt quodcunque ligauerint super terram, sit ligatum & in cœlo, &c.] Non dicunt sibi à Papa esse datam hanc iurisdictionalem potestatem; Imperatorem nimirum Ludouicum, ad publicam pœnitentiam deprimendi; sed à Christo, cuius se Vicarios immediatos esse fatentur. Rursum alij eiusdem Regni Episcopi, Ludouicum Regem monent; [a] Vt Rectores, & Pastores Ecclesiarum, vt Patres, & Christi Vicarios colat. Alcuinus illud habet, [b] Sacerdos, qui est Vicarius Christi, implet suum officium, &c.] Henricus secundus huius nominis Imperator, dum obiurgat Episcopos Simoniacos; [c] Lugens vobis, *inquit*, incipio loqui, qui vice Christi in Ecclesia constituti estis.] Gregorius septim. Omnes Carthaginenses, vt Episcopo suo Cynico pareant, ait; [d] Humilitatis Discipuli humilitatem induite: Christi vicem super vos habenti, ex debito obedite.] Et ad hoc ipse quoque inducit illud Christi; [e] Qui vos suscipit, me suscipit: qui vos spernit, me spernit. Quæ verba cùm non minùs Episcopis, quàm Apostolis, dicta censeantur, profectò Episcopi, sicut & Apostoli, vices Christi gerere cognoscuntur. Bernardus dum reprehendit Monachorum Abbates, quod ab Episcoporum obedientia, & subiectione, velint esse immunes; [f] Ite nunc ergo, *inquit*, resistere Christi Vicario, cùm nec suo aduersario Christus restiterit.] Petrus Blesensis; [g] Ordinatur, *inquit*, in infimis Christi Vicarius, Ecclesiæ Prælatus.] Item; Est enim Christi Vicarius, homo columbinus, veritatis filius, Ecclesiæ Prælatus.] Nicolaus de Lyra; [h] Vnus Pastor, *inquit*, Christus: alij autem non sunt nisi Vicarij illius Pastoris.] Et Stephanus Tornacensis ad Toletanum Archiepiscopum scribens, ait; Temperet in Vicario Christi, rigorem dispensatio; ius strictum æquitas; potestatem iudicis, sinus Patris.] Mitto alios. Non est igitur nouum in Ecclesia, Episcopos Christi Vicarios, sicut verè sunt, appellari: soliusque Romani Pontificis titulum hunc adeò speciosum non esse proprium: sed cum cæteris Episcopis omnibus communem. Nisi quis dicat; [i] Papam esse Vicarium Christi generalem, Episcopos verò esse Christi Vicarios foraneos, & rurales: sed ex institutione Episcoporum, ex successione Apostolica, ex potestatis paritate, omnes simul Episcopi in solidum, etiam cum Papa, sunt Vicarius ille Christi generalis; singuli verò sunt, æquè etiam cum Papa, Vicarij Christi, in particularibus suis Ecclesijs, speciales. Ad hanc tamen æqualitatem melius confirmandam iam accedo.

In Episcoporum encomia, Martyr Christi Ignatius, libenter excurrit, & sæpius: quæ sanè encomia, Episcopum quemque, vti summum in sua Ecclesia, celebrant; & Dei locum tenentem: neque patiuntur inter [k] Episcopos subiectionem, & prælationem. Episcopo, *inquit ad Trallianos*, subiecti estote, velut Domino: ipse enim vigilat pro animabus vestris, vt qui rationem redditurus sit.] *Et*, Sine Episcopo nihil tentetis. *Et*; Episcopus typum Dei Patris omnium gerit.] *Et ad Smyrnenses*; Omnes Episcopum sequimini, vt Christus Patrem. *Et*, Sine Episcopo nemo quicquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. *Et*; Honora Deum, vt omnium autorem, & Dominum; Episcopum verò vt principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei quidem propter Principatum; Christi verò propter Sacerdotium. *Et*, Episcopo nihil maius in Ecclesia.] Vides vnumquemque Episcopum, propter summum Principatum quem gerit in sua Ecclesia, Deum repræsentare: qui est summus totius creaturæ Dominus; At si Episcopus haberet supra se alium Episcopum, non gereret summum Principatum, sed subordinatum: & sic Deum non posset propriè repræsentare. Huc verò adde quæ consideraui ex eodem Ignatio meo primo libro, cap. 12. num. 8. & quæ consideraui ex Cypriano, & Augustino, cap. prox. præcedenti huius libri num. 5. & num. 9.

Iulius Papa Romanus ad Eusebianos rescribens, in causa præsertim Athanasij, multa reprehendit; inter hæc, quod eorum Episcopi de loco in locum ad Episcopatus capiendos transilirent; & ait, [l] Si igitur verè patrem, eundemque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, neque ex magnitudine ciuitatum, vt vos scribitis, honorem huius rei crescere arbitramini, oportuit eum, cui concredita est parua ciuitas, in ea quæ credita est permanere, & nequaquam, reiecta concredita, ad eam quæ concredita non est transuolare, ne eam, quæ à Deo data est, aspernari, illam verò quæ hominum ambitu concessa est, magnificare videatur.] Obiecerant sanè Romano Episcopo paritatem, & ex magnitudine ciuitatum, vel paruitate, non crescere, aut minui Episcopalem potestatem: hoc ipsum Iulius admittit, nec reprehendit, aut confutat, sed retorquet aduersus eos, qui nihilominus de Episcopatu ad Episcopatum transilibant: Quod non deberent facere, si quidem Episcopalis honor, & potestas eadem erat in quacunque sede. Vnde & Patres Concilij Sardicensis, eundem Iulium Romanum Pontificem, non nisi comministrum vocant: [m] Pridem itaque, *aiunt*,

a *Apud Baron. tom. 10 ann. 8 num. 29.*
b *Alcuin. de diuin. off. c. 19.*
c *Glab. li. 5. cap. 2.*
d *Greg. 7. li. 1. Epist 22.*
e *Luc. 10.*
f *Bern. Epi. 42.*
g *Bles. Serm. 47. 48.*
h *Lyra in Ioan. cap. 10.*
i *Turrecrem. lib. 2. de Eccles. cap. 61.*
k *Ignat Epi. 2. 7.*
l *Apud Athan. Apol. 2.*
m *Acta Concil. Sard. & Theod. lib. 1. cap. 8.*

I V.

V.

populum, inde verò ad alium: & ita consequẽter aufert potestatem illi Episcopo erga priorẽ populum, & confert erga alium Et qui miserat vnicum Episcopum ad vnũ populum magnum, potest mittere alium ad eundem populum, cum diuisione populi; vt vna pars regatur ab vno, alia ab alio: procul dubio cũ restrictione prioris. Sed hæc omnia faciũt mutationes in extensione solã iurisdictionis, non in ipsa iurisdictione, ipsiusq; intensione, quæ eadem semper est in quocunq;, etiam post restrictionẽ, seu ampliationem Diœcesis. Quando verò auferetur tota iurisdictio indigno, per depositionem, & ab habente autoritatem, siue sit Papa, siue metropolitanus, siue Synodus, de quo suis locis, præsertim libro 8. tunc Respondeo etiam ordinem auferri; vt probaui supra cap. 4. Quia Deus ita confert totam potestatem deputatis, & missis ab Ecclesia, vt tamen eandem totam etiam auferat, vbi merito Ecclesia quem deponit: & si quis iniustè deponeretur, tunc omnis actus, tam ordinis, quam iurisdictionis, esset validus coram Deo. Sicut & si quis Episcopus ab habente autoritatem iuste deponeretur, & ille nihilominus vellet perstitere in gubernatione suæ Ecclesiæ, & pati etiam ac contemnere excommunicationem; illius quidem actus siue ordinis, siue iurisdictionis, nulli essent: & per Laicam potestatem, vi esset extrudendus, atque ex illa Ecclesia expellendus; vt tradam in sequentibus. Itaque tolli quidem potest per Ecclesiam tota potestas Episcopalis alicui Episcopo, siue respectu tantum alicuius Ecclesiæ particularis, per translationem; siue omnino per depositionem: sed minui ac augeri nullo modo potest, nisi extensiuè, & ex accidenti. Vnde argumentatio Bellarmini seipsam conficit. Nam planum est, quoad hanc extensionem, potestatem etiam ordinis augeri, & minui: & tamen fatetur potestatem ordinis esse à Deo immediate. Extentio itaque potestatis tam ordinis, quam iurisdictionis, pendet tota à iure humano positiuo, vt exponam in sequentibus: ipsa verò potestas vtraque in se, à solo Deo pendet immediate. An verò solus Papa in his extensionibus potestatem habeat, videbimus postea libris tertio, & quarto: Et de nouorum Episcopiscopatuum erectione, dicam inferius c. 8.

XXII. Sexto arguit Bellarminus; quia iure Diuino ex scriptura probatur, sola potestas vniuersalis, & amplissima iurisdictio Apostolorum; quam tamen amplissimam in Episcopis non admittunt, *inquit*, aduersarij.] Quicquid alij admittant, vel non admittant, nihil ad me. Ego sane amplissimam admitto potestatem in vnoquoq; Episcopo, iure Diuino; nõ minorem intensiue, quam fuerit in vnoquoque Apostolorum ordinaria. Extensiuè tamen, solo iure humano Ecclesiastico positiuo, alligationem Episcoporum ad suas particulares Diœceses restringi, ostendam c. 7.

XXIII. Septimo [a] addit testimonia Innocentij 1. & Leonis. Innocentij verba sunt: A Petro ipse Episcopatus, & tota autoritas nominis huius, emersit.] &, Arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris autorem, adferre debere.] Leonis verò; Si quid commune cum eo alijs voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit.] Et, Huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet.] Ego tamen sæpius monui Romanos Pontifices solam literam verborum illorum Christi, Tu es Petrus, &c. &, Tibi dabo, &c. secutos, libenter in propriæ dignitatis exaltationem excurrisse. Vt propterea non nimium Pontificum Romanorum, in propria causa fimbrias dilatantium, autoritate moueamur: vbi præsertim non Theologicè, sed oratoriè, amplificationibus laxant habenas. Innocentij tamen dicta: A Petro, prout ab exemplo, & primo Episcopo in Ecclesia à Christo facto, ante alios omnes; & non tanquam ab Episcoporum institutore, Episcopatum emersisse significat. Quia quo modo Petrus factus est primo ante omnes Apostolus, adeoque Episcopus; ita eadem autoritate, eodemque fine, facti sunt ab eodem Christo omnes Episcopi: & Petrus dicitur nominis, & honoris Episcopalis autor, quia in Petro primum, & vocari, & esse cœpit Ecclesiasticus Episcopatus. Sicut si quis autorem omnium carminũ Lyricorum diceret, exempli gratia, Pindarum, non quod Pindarus omnia Lyrica carmina pangat; sed quia ipse primus exemplum dedit talis carminis concinendi. De Leoninis amplificationibus plura dixi libro primo, capite decimo, numero vigesimo secundo. Certe dum asserit per Petrum datam esse Episcopalem potestatem omnibus Episcopis, quibus illa negata non fuit; hoc non nisi mystice est intelligendum. Petrus enim hoc tempore Episcopos facere non potest: imò in pluribus, qui viuente Petro, facti sunt à Paulo, à Ioanne, a Tito, à Barnaba, & alijs, Petrus ne minimam

[a] *Bellar. l. 4. de Rom. Pont. c. 24. & l. 1. c. 23.*

A mam quidem partem habuit. [a] Paulus profectò se ab hominibus nihil potestatis accepisse profitetur: & consequenter dum Episcopos faciebat, sua propria, non Petri, ministeriali tamen, autoritate faciebat. Mysticum itaque in illis verbis Leonis continetur, quod ipsemet paulo post in eodem sermone explicat dicens: transiuit quidem in alios Apostolos vis potestatis ipsius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustra vnicommendatur, quod omnibus intimatur: Petro enim ideo hoc singulariter creditur; quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius feratur æquitate iudicium.] Mysterium itaque est, Petrum primum omnium ad Episcopatum promouere, vt Episcopi omnes haberent exemplar æquitatis, & virtutum, quod possent, in regimine Ecclesiarum, imitari. Per Petrum itaque dari Episcopis quicquid eis non negatur, intelligit Leo quoad exemplum
B imitationis: & a Petro, quasi quodam capite, hoc est fonte, & scaturigine exemplari in alios dona diffundi asserit; nimirum per imitationem: sicut malo exemplo, & scandalo, vitia etiam in alios diffunduntur.

a Gal. 1.

XXIV. Demum Bellarmino, ad probandum quod cupiebat, Episcopos à Papa suam sumere Iurisdictionem, suppetias ferunt etiam moderna diplomata Pontificia; quibus Papa prouidere se dicit Ecclesijs, & præficere talem in Patrem, & Pastorem, ac Episcopum: Committereque ei administrationem in temporalibus, ac spiritualibus.] Quod si hæc verba plus continent, quam putam missionem, & ministerialem deputationem; erunt verba Pontificum sibi iam dictam Iurisdictionem, & multo plura, arrogantium.

XXV. Et quia grauem sentiebat Bellarminus oppositionem suæ positioni illam, quæ ex successione petitur Apostolorum; vt ab ea se liberaret, [b] negat Episcopos absolute succedere Apostolis; nisi in solo ordine sacro Episcopali; & per solam similitudinem: vt sicut tunc
C fuerunt sub Christo duodecim Apostoli, & septuaginta duo Discipuli; ita nunc sub Papa sint Episcopi, & Presbyteri: & sicut Presbyteri succedunt, inquit, septuaginta duobus Discipulis, per solam similitudinem, non in potestate, quam Presbyteralem discipuli illi non habebant; ita sola similitudine Episcopos succedere Apostolis, non potestate.] Atque hæc sunt intolerabilia. Iam enim [c] probaui omnibus Apostolis in solidum, in tota plenitudine potestatis, succedere omnes Episcopos: & non minus succedi plene reliquis Apostolis, quàm Petro in solidum; sed Presbyteros etiam Apostolis succedere verè & realiter, non similitudine sola, aliàs probaui.

b Bellar. de Rom. Pon. lib. 4. cap. 25.

c Hoc lib. c. 1. nu. 13. 17.

XXVI. Sed obijcit Bellarminus [d] Episcopos non habere vllam partem veræ Apostolicæ autoritatis: nam non possunt, *inquit*, in toto mundo prædicare, & Ecclesias fundare: non possunt libros Canonicos scribere: non habent donum linguarum, & miraculorum: non habent Iurisdictionem in tota Ecclesia: non succeditur propriè nisi præcedenti: & simul fuerunt
D in Ecclesia Apostoli & Episcopi. Sic igitur Apostolis succedunt Episcopi, cui successit Titus? cui Timotheus?] Hæc ille. Respondeo Episcopos succedere Apostolis in tota essentiali autoritate prædicandi, & vniuersaliter regendi Ecclesiã: non in priuilegijs peculiaribus, quæ solis debuerunt dari Apostolis, tanquã accessoria quædam, & non perpetuo necessaria Ecclesiæ, nisi pro tempore. Atq; ita non est necesse vt scribant Scripturas Canonicas, quas tamen scribere non fuit Apostolorum proprium: nam & plures Apostoli non eas scripserunt: & aliqui non Apostoli eas scripserunt; vt Marcus, & Lucas, & Iacobus frater Domini, & fortasse alij. Neq; necesse est vt habeant donum linguarum, & miraculorum; quia nunc non est necessarium, & tunc donum illud non personis, sed tempori dabatur, vt ostendi lib. 1. cap. 2. nu. 21. & seq. Prædicandi autem potestatem in toto terrarum orbe, sicut Apostoli non habebant, nisi habitu; actu verò ibi vbi iam inter se conuenerant; seu vbi eos Spiritus Sanctus esse volebat; vt docui libro 1. cap. 8. num. 5. & cap. 10. nu. 21. & 26.
E Ita Episcopi habitu habent eandem vniuersalem potestatem, iure diuino, eo ipso quo sunt facti rite Episcopi: actu tamen non sunt Episcopi nisi suæ particularis Ecclesiæ, in qua illos [e] Spiritus Sanctus posuit, & detinet, per missionem & iussionem suam, per Ecclesiam, Ecclesiasticosque Prælatos explicatam, & intimatam: vt docebo plenius infra cap. 7. Ita & Iurisdictio in habitu est vniuersalis iure Diuino in vnoquoque Episcopo; in actu verò non est nisi particularis, sicut erat etiam in Apostolis. Nam Petrus quoque, dum Romæ erat, non habebat actualem Iurisdictionem, nisi pro sola Ecclesia Romana, licet habitualem haberet, sicut & cæteri Apostoli, pro toto Mundo. Successionem vero nunc docui non dari singulis, sed omnibus in solidum. Et quandiu vixerunt Apostoli, Episcopi qui ab illis promouebantur, non erant, neque dici poterant pro tunc Apostolorum

d Bellar. vbi supra, & lib. 2. cap. 12.

e Act. 20.

rum successores; sed socij & Collegæ: at postquam mortui sunt Apostoli, tunc Episcopi remanserunt, vt Apostolorum successores in communi, & in solidum, non autem in singulari: nam proprie Apostolis singulis non succedi docui supra cap. 1. Et primi Episcopi Ecclesiarum particularium, non nominantur vlli ex Apostolis; sed illi quos Apostoli ipsi, singularibus Ecclesijs deputabant. Ita Irenæus, & Tertullianus primum Episcopum Smyrnæ ponunt non Ioannem, sed Polycarpum: & primum Episcopum Roman faciunt non Petrum, aut Paulum, sed Linum, vel Clementem: & sic de alijs. Alioq piscopi qui non habent sedes proprie Apostolicas, non essent Apostolorum su quod est falsum. Omnes enim quotquot sunt legitimi Episcopi, meritò dicun lorum successores; vt ostendi supra cap. 1. num. 8. & cap. 2. init. quia Apost nium in solidum locum tenent. Itaque neque Titus, neque Timotheus proprie particularis Apostoli successor: sed fuerunt collegæ Apostolorum omnium tunc vi um; ac primi Episcopi, alter Cretæ, alter Ephesi. A

XXVII. Aduersus nostram positionem pugnat maxime celebre in nostris, tam scholasticorum, quam Canonistarum scholis, Leonis dictum, iam passim à Romanis Pontificibus vsurpatum, quo ille Thessalonicensem Episcopum alloquitur. [a] Vices, *inquit*, nostras, ita tuæ concedimus charitati, vt in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.] Hoc sibi accommodant Romani [b] Pontifices: & hinc orta est illa immensa plenitudo potestatis, ac fere omnipotentia; vt illi soli Ecclesiasticam habeant plenissimam Iurisdictionem in tota Ecclesia vniuersali: Episcopi vero non nisi in partem solicitudinis sint vocati: hoc est, meri adiutores Papæ, & consequenter non nisi eius Vicarij & administri. Solicitudinem enim omnium Ecclesiarum, ad se vult Papa noster totam pertinere. Huius verò solicitudinis ipsius partem se ait Episcopis commendare: vt vbi ipse non potest, illi pro eo suppleant. Quod est profecto Episcopos facere solos Papæ coadiutores: qui non proprium, sed Papæ officium, & munus, ipsius Papæ nomine, exerceant. Siquidem solicitudinem Episcopalem faciunt partem solicitudinis Papalis: quæ sit tota in Papa tanquam in proprio, & adæquato subiecto. In hoc enim sensu Leonis dictum iam passim à Romanis assectis sumitur, & detorquetur; ac proponitur sæpissime, & intimatur. C

a Leo ep. 88 habetur. 3. q. 6. c. Multum.

b Innoc. 3. de quo nos infra, lib. 4. cap 12. num. 22, 23.

XXVIII. Faciunt porro Episcopos, verbo tenus, Principes absolutos, vt vidimus, & non Papæ ministros: quia luci Sacræ Scripturæ non possunt resistere: nisi velint contra apertissimam veritatem oculos occludere. Dum tamen nullo Scripturæ, aut veritatis ductu; imò contra Scripturam & veritatem semel positum volunt tueri Monarchatum, totam Ecclesiæ solicitudinem ponunt in Papa, tanquam ipsius propriam: & partem huius solicitudinis dant Episcopis; eosque consequenter, vt dixi, solos faciunt Papæ coadiutores. Quod est prorsus & directissime contrarium veritati, quam confiteri coguntur; Episcopos esse Principes absolutos; & non Papæ Vicarios aut Ministros. [c] Assumuntur, *inquit* Bellarminus, Episcopi à Pontifice, ad suum ipsius onus sustentandum.] Onus ergo Episcoporum non est ipsorum onus proprium, sed est onus Papæ: & Episcopi illud, non vt proprium, sed vt Papale, tanquam meri coadiutores, & administri, sustentant. Et ab eodem [d] Bellarmino, Moysi Papa comparatur; Episcopi verò septuaginta senioribus; ita tamen vt nihil diminuto spiritu Moysis, id est tota remanente integra Papali autoritate, eaque in Papa residente; alij, si quam, *inquit*, habent, (*dubitat scilicet an Episcopi vllam habeant*) à Papa habeant. Quorsum ergo faciebat Episcopos Principes absolutos, si sunt meri Papæ coadiutores, & Papæ onus, non proprium, sustentant; quippe vocati in partem solicitudinis? D

c Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 25. ad fin.

d Ibid. c. 24. init.

XXIX. Hanc plenitudinem potestatis Turrecremata considerans, qui prius & ipse [e] negauerat Episcopos esse Papæ Ministros, vel Vicarios, sed fecerat Principes absolutos, vt etiam Bellarminus; statim [f] dat Papæ potestatem, vt possit, quando vult, primariam Episcoporum, & propriam exercere iurisdictionem. Et sane id ratio ipsorum necessario conuincit. Si enim iurisdictio Ecclesiastica tota est in Papa, ipsius solius propria, si quis alius illam habet, non habet nisi ex sola communicatione, & participatione cum Papa, quantum ipse concesserit. nam vocat Episcopos ad solam partem suæ solicitudinis. Vbicunque ergo Papa vult suam solicitudinem ipsemet exercere, coadiutor non potest impedire: quia coadiutor non proprium, sed Papæ onus, in parte illa solicitudinis Papalis, sustentat. Ideoque Innocentius 3. vocat Episcopos, suos [g] coadiutores. Et rogat [h] Episcopos, vt suppleant ipsius defectum: quasi illi non propriam, sed Papæ curam, eius nomine exerceant. E

e Turrecr. l. 2. de Eccl. c. 64.

f Ibid. c. 65.

g Innoc. 3. l. 1. ep. 1.

h Cap. per venerabilem. qui fil. sint legit.

XXX. Meritò igitur etiam Paludanus, & consequenter asserit, [i] Papam posse, etiam sine causa, Episcopũ magis bonũ destituere, & loco eius ponere minus bonũ: ita vt peccet quidem

i Palud trac. de Eccles. pot. ar. 5. 6.

A dem id faciendo, factum tamen teneat. Sit hæc ter
Papam faciunt solùm iurisdictionis Episcopalis e
palem: Hanc enim Episcopalem iurisdictionem
limè tollere, à quo postea in Episcopos illa der
voluntate, illam etiam auferre, retinendo illam,
illa in ipso, vt in proprio subiecto, & in Episco
& participationem; sicut lux Solis in Luna: &
luminanda Luna, sicut communicatio hæc iur
lis potestate esset Lunam facere vel lucidam, v
ctem, nisi quandiu placeret Soli: qui sola deten
uaret omni potestate illuminandi. Ex quo etiam
B tota Ecclesia iurisdictio ecclesiastica extinguatur; &
pis: potestas verò iurisdictionis tota pereat: Nec
Potestatem hanc Episcoporum pendere à Papa in fier
nit enim & ipse, & communiter Monarchici, vt vidimus,
res Papæ, & non proprium, sed Papæ onus gerere, parten
bere; et liberum esse Papæ sola voluntate Episcopo cuique, et
statem, quæ sit in Papa fontaliter, non tanquam in causa sola effi
te, in Sole, in radice, quæ sunt causæ & in fieri, & in conseruari. De
præcedentibus, ac in sequentibus libris, præsertim lib. 5. Propterea
igne dignum pronunciatur ab [b] Almayno. Sed sciat Almaynus, prius
sententiam ponentem Monarchiam in Papa, & plenitudinem hanc potes
deriuetur in Episcopos: nam si hæc plenitudo est in Papa, sententia Paludani
C nò deducta. Quia tamen re vera hoc dictum est igne dignum, sequitur necessariò
sit flammis dignissimum id, vnde dictum hoc sequitur necessariò. Nec mirum, in ha
alia longè grauiora absurda, vel inuitos deuenire Monarchicos, dum plenitudinem
ponunt in solo Papa potestatis. Agnoscunt enim omnium consequentium absurditatem,
fallitatem; sed consequentiæ necessitate, posito falso antecedente, in hæc absurda velint no
lint, trahuntur, & ea sponte admittunt, & concedunt. Sed audi horum censuram in Pari
sienssi factam facultate. [c] Præterea reliquos Apostolos, *inquit Ioannes Maior*, Episcopos fa
ctos à Christo diximus post Resurrectionem, & per consequens tam Episcopi, quàm Cu
rati, sunt de iure diuino, quemadmodum Romanus Pontifex. Nec aliquis prorsus homo
potest illud ius, & illas potestates tollere ab Ecclesia, plus quàm summum Pontificatum.
Licèt Petrus Paludanus, & de Turrecremata teneant oppositum. Sed hoc quod ipsi te
D nent, censuit in fide hæresim facultas nostra.] Igitur etiam censuit hæresim, & merito, po
nere in solo Papa plenitudinem potestatis, & iurisdictionis Ecclesiasticæ; ita vt Episcopi
non sint nisi vocati in partem solicitudinis: hoc est, eo sensu, quo exponebat Bellarminus,
Episcopos suam iurisdictionem, non nisi per deriuationem immediatè à Papa habere. Alio
quin, si hæc positio vera sit, illud necessariò sequebatur, vt dicebam. Habet ibidem Ma
ior illam conclusionem, Ita esse ex institutione Christi Episcopos, sicut est ipse Papa, & il
los à Papa non esse, etiam quoad iurisdictionem: nam probationes eius includunt etiam
iurisdictionem. Atque inter ipsius argumenta ponit decisionem quandam facultatis Pari
sienssis, contra articulum fratris Ioannis Angeli, Tornaci prædicatum, qui talis est; Fratres
præsentati Episcopo, & admissi, sunt proprij Sacerdotes, & veri Curati, & melius quàm
Presbyteri parochiales, quia facultatem suam habent à summo Pontifice, & dicti Presby
E teri ab Episcopo duntaxat. Ecce, *inquit Maior*, examinationem facultatis nostræ, à 34. an
nis præteritis: Quicquid sit de prima parte propter æquiuocationem istius termini (pro
prij) dicit tamen facultas, quod propositio in se, & quoad omnes reliquas partes, & proba
tionem partis vltimæ, qua dicitur (ab Episcopo duntaxat) est scandalosa, in fide erronea,
Hierarchici ordinis destructiua, & pro conseruatione eiusdem ordinis publicè reuocanda,
& abiuranda.] Sentiebat ergo facultas Theologica, & quidem papalis Monarchiæ sectatrix,
scandalosum esse, & in fide erroneum asserere Papam posse plus iurisdictionis Ecclesi
asticæ tradere, quàm de se habeant Episcopi, & recipiant Parochi ordinarij.

Leonis tamen dictum longè diuersum habet sensum, ab hoc vniuersali, quem ei appin
gunt Romani Pontifices, ab eo, sicut tempore, ita etiam spiritu distantissimi; nec non ipso
rum assentatores. Leo sanè scribit ad Episcopum Thessalonicensem, non tanquam ad E
piscopum, respectu ordinariæ potestatis quam habebat ille vt Episcopus; sed tanquam ad

suum

et, Episcopis illis tribuebat: Quibus non vni
partem aliquam curæ suæ generalis, & so
us cautis abstinere volebat. Iuo sane Ca
udinis, & plenitudine potestatis intelli
eorumque ordinaria potestate respe
nquit, cum secundum eundem Leo
non plenitudo potestatis.] Ita &
m. Pontificis legatis intelligunt.
olicis, sed vniuersis Episcopis
, ac Ministros facientes; qui
ine, Ecclesias gubernent;
isolarum sub Clementis
nseruos, & suos adiu
s, & nobiscum Papa,
non Papæ, sed Dei.
o Monarchia Ro
adscribere. Iulij
præpositum,
orima est, ita
licitudinis,
ncinnato
Illudque
i. Iu
Vigi
im

a Inc Ep. 59.
b Apud Baron. tom. 11. ann. 1074. num. 3.
XXXV.
c Clem. ep. 3.
d 1. Cor. 3.
e 2. q. 6. c. 12.
f Glossa in cap. Consequens, dist. 11.
XXVI.
g Maior dist. 14. in fine.
XXXI.

suum legatum, respectu alicuius vlterioris, & extraordinariæ potestatis, à sede Apostolica ei delegatæ, quam vt Legatus Apostolicus, exerceret. Semper enim Romanus Pontifex, vt ostendam postea libro quarto, habuit protectionem quandam, & superintendentiam generalem, super omnes Ecclesias Romani imperii, cuius caput temporale sicut erat Roma, ita decuit vt Episcopus Romanus, ex charitate tamen, vt docebo, [a] & alijs nominibus, curam quandam generalem omnium susciperet Ecclesiarum. Atque hæc cura faciebat, vt Papa teneret, in omnibus pene Regnis, Legatos suos; legatione, alicui ex præcipuis illorum Regnorum Episcopis, commissa. Qui Legati nomine sedis Apostolicæ, circa quædam generalia, grauioraque negotia, præsertim iudiciaria operam quandam extraordinariam adhiberent. In hac ergo cura generali, Legati Papæ meritò dicuntur non habere nisi partem solicitudinis; tota verò hæc huius generalis solicitudinis potestas, quæcunque illa esset, in solo Papa asseritur residere: & respectu huius curæ, & superintendentiæ, Legati illi sunt meri, veri, & proprij duntaxat Vicarij, & ministri Papæ legantis: neque hoc vllum in se continet absurdum.

a Inf. l. 4. c. 9.

XXXII. Atque vt videas Leonem de potestate ordinaria Episcoporum, & totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, nouo loqui; eumq; plane agnoscere suæ potestatis non esse Episcoporum ordinariam iurisdictionem, quam de iure Diuino habent, turbare: audi quid statim subdat. Igitur Sanctorum Patrum Canones, spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerētia consecratos, Metropolitanos singularū Prouinciarum Episcopos, quibus, ex dilegatione nostra, fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis, intemeratū habere decernimus.] Et in alia Epist. [b] Solicitudo, *inquit*, nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem diuinitus datā, nec Ecclesijs, nec Ecclesiarum Sacerdotibus, abrogabat.] Fatetur, vt vides, Leo, dignitatē Episcopalem esse Diuinitus datam; nec se vnquam voluisse, aut prætendisse eam abrogare: proculdubio in iurisdictione, non in solo ordine. Quis enim Papa, etiam ex ligneis, prætendat vnquam potestatem ordinis cuiquam abrogare? Et post nōnulla, rursum excusans se cum Episcopis Viennensis Prouinciæ, ait: Non enim nobis ordinationes vestrarum Prouinciarū defendimus. in quo fuerant scandalizati: sed explicat quid ipse iurisdictionis prætendat in Gallijs; nimirum solam illam generalē superintendentiam, qua inuigilabat, vt omnes Episcopi suo muneri digne satisfacerent. Sed vobis, *inquit*, per vestram solicitudinē indicamus, ne quid vlterius liceat nouitati: nostræ enim gratulationi hoc solū crescere profitemur, si Apostolicæ sedis diligētia apud vos illibata seruetur, & per Sacerdotalis disciplinæ custodiam, honori vestro pereat, quod suum est, pro nouis vsurpationibus, non sinamus.] Suasq; has generalis curæ vices, statim committit Leontio Episcopo: sed si vobis, *inquit*, placet.] Qui modus tractandi Papæ cum Episcopis, longe diuersum animum Leonis supponit, ab eo quem illi Monarchici nostri appingebant in plenitudine illa potestatis.

b Leo ep. 93.

XXXIII. Neq; solus Leo plurimum detulit Episcopis, tanquā fratribus & collegis, non tanquam suis coadiutoribus, aut administris: sed etiam alij ante ipsum. Sixto enim primo dictum illud tribuitur, 'Ab hac sancta sede, a sanctis Apostolis tueri, defēdi, & liberari Episcopi iussi sunt: vt sicut eorum dispositione, ordinante Domino, primitus sunt constituti; sic huius sanctæ sedis protectione, futuris temporibus, sint ab omnibus aduersitatibus semper liberi.] Et Innoc. 1. dum optimè cognoscit veros ipsius fratres, & in opere Domini collegas Episcopos, eis paratam opē suæ protectionis exhibet: & vice versa ab eis opem postulat æqualē: [d] Cui manum, *inquit*, porrigitis vobiscum porrigo: cui porrigo mecū porrigite.] Et Greg. [e] Si sua, *inquit*, vnicuiq; Episcopo iurisd. non seruatur, quid aliud agitur nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo cōfundatur?] Proferentur tamen [f] postea à me plures Pōtifices, qui superioritatē iurisdictionis in Episcopos, non agnouerunt: sed eos vt collegas habuerūt. Ita & sanctos Episcopos, qui Rom. Pont. sibi parem omnino fecerūt, & expresserūt.

c 8. q. 5. c. 1.

d 35. q. 9. c. Veniam.

e Greg. Epist.

f Infra c. 7. & l. 4.

XXXIV. Impinget fortasse quispiam in ep. Pelag. 2. ad Sepaudū Arelat. nuper à Baron. [g] editam; in qua Pelag. per Petri successores in Apostolica sede tam per se, quam per Vicarios suos, Ecclesiam firmitatē obtinere asserit. Ne turbemur tamen, quia Pelagius nihil plus intendit, nisi quod Leonē intendisse, de generali cura, iam exposuimus. Quicunq; igitur ex veteribus Episcopos vocat Vicarios; hunc sensum habuisse de Legatis, nimirū specialibus S sedis, certo scias. Vt sunt verba etiam Greg. (vt videtur) 4. [h] Qui appellationes volebat apud Legatos suos, quos in Prouincijs habebat, audiri, & definiri: grauiora tamē negotia volebat ad ipsā sedē Apostolicā deferri, & nō ad legatos. Quæ, *inquit*, vices suas, ita alijs impertiunt Ecclesijs, (*legatione nimirū illarū Episcopis aliquibus cōmissa.*) vt in partē sint vocatæ solicitudini, nō in plenitudinē potestatis.] & quamuis legatos illos dicat ex suo latere missos; intelligit pote-

g Baron. tom. 7. an. 556. n. 18.

h 2. q. 6. c. Decretum.

A quia potestatem Legati à latere missi, vt fieri solet, Episcopis illis tribuebat: Quibus non vniuersitatem causarum iudicandã committebat, sed partem aliquam curæ suæ generalis, & solicitudinis commendabat: propterea eos à maioribus causis abstinere volebat. Iuo sane Canonista optimus idem Leonis dictum de parte solicitudinis, & plenitudine potestatis intelligit, & explicat a Leone prolatum, non de Episcopis, eorumque ordinaria potestate respectu Papæ, sed de solis legatis Apostolicis; [a] Maximè, *inquit*, cum secundum eundem Leonem legationis officium pars sit Apostolicæ solicitudinis, non plenitudo potestatis.] Ita & [b] Legati Gregorij septimi, idem Leonis dictum de solis Rom. Pontificis legatis intelligunt.

a Iuo Ep. 59.
b Apud Baron. tom. 11. ann. 1074. num. 3.

Modernos itaque hoc Leonis dictum, non Legatis Apostolicis, sed vniuersis Episcopis accommodantes; & omnes Episcopos meros Papæ Vicarios, ac Ministros facientes; qui non propria, sed commissa in parte autoritate à Papa, eius nomine, Ecclesias gubernent; XXXV.

B inter adulatores dicam; etiam impostores reponas. Vt fuit ille Epistolarum sub Clementis nomine scriptor, dum facit [c] Clementem vocare Episcopos suos conseruos, & suos adiutores: Conserui quidem sumus omnes, & simul cum Papa nos omnes, & nobiscum Papa, meri Christi ministri: ac simul omnes cooperatores, & [d] adiutores non Papæ, sed Dei. Maiorem fraudem offendes in Gratiano, qui sua fictitia sæpe decreta, pro Monarchia Romana, solet pro antiquis & legitimis venditare: & antiquis autoribus adscribere. Iulij enim Papæ Decretum illud esse dicit, quod sic habet: [e] Qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse Prælatum. Ipsa namque Ecclesia quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit esse largiendas, vt in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis] Atque hunc ego primum obseruo fraudis concinnatorem, qui dictum Leonis de Legatis, ad omnes extendit Episcopos in vniuersum: Illudque in ore ponit Iulij Papæ antiquissimi. Correctores tamen decreti sub Gregorio xiij.

c Clem. ep. 3.
d 1. Cor. 3;
e 2. q. 6. c. 12.

C Iulium expunxerunt, & Vigilium substituerunt: Cum tamen neque in Iulio, neque in Vigilio ista legantur. Sed confutus est hic Canon à Gratiano, ex varijs Leonis dictis; ad alium tamen sensum, à Leonis mente alienissimum detortis, & corruptis. His ruinosis nixi fundamentis miseri Canonistæ, quid non audent? Hinc enim semiplenam [f] Glossa ponit in Episcopis Iurisdictionem.

f Glossa in cap. Consequens, dist. 11.

Dices, Bernardum etiam ponere in Papa, plenitudinem potestatis absolutè, & respectu quorumcunque Episcoporum, non Legatorum tantum, dum ait ad Eugenium: [g] Sic factitando probatis nos habere plenitudinem potestatis; sed iustitiæ forte non ita: facitis hoc quia potestis: sed vtrum & debeatis, quæstio est.] Mihi tamen his verbis Bernardus videtur potius irridere plenitudinem illam potestatis, quam approbare. Nescio enim an posse malum agere, sit potestas legitima; an potius defectus: ita posse peccare, & posse facere, quod fieri non debet, nescio an Bernardus sit concessurus, id ad plenitudinem pertinere XXXVI.

g Bern. de consid. l. 3. c. 4.

D potestatis. Certe si Bernardus ponit in Papa plenitudinem aliquam potestatis, eum profecto non ponit nisi legitimam: legitimæ autem potestatis vsus non est malus, neque contra iustitiam. Quod si malus est, & contra iustitiam, & talis qui adhiberi non debeat; potestas in tali casu erit de facto tantum, & non de Iure: erit tyrannica, non legitima; erit violenta, non rationalis. Igitur Bernardus in Papa, Monachos à Iurisdictione Episcoporum ordinaria eximente, agnoscit plenitudinem potestatis de facto, & tyrannicam; non legitimam, neque iustam. Dixerat enim ibidem, non esse solam Papalem potestatem in Ecclesia à Domino; sed etiam esse alias minores, puta Episcopales: de quo supra.

Dices præterea, Gregorium Magnum videri, Episcopis dare Episcopalem Iurisdictionem, quæ ab ipsius immediate pendeat concessione: Ait enim Benenato Episcopo: [h] Et ideo te, quæcunque tibi de (*duarum Ecclesiarum vnitarum*) patrimonio, vel Cleri ordinatione, siue promotione, iuxta Canonum statuta, visa fuerint ordinare, atque disponere, habebis, vt proprius reuera Sacerdos, liberam, ex nostræ autoritatis consensu, atque permissione licentiam.] Respondeo Iuris Ecclesiastici positiui esse, vt [i] Vnus vni præficiatur Ecclesiæ. Hic verò cum duabus præficeretur, licentia & dispensatione indigebat: & licentia Gregorij est, non vt Pontificalia exerceat (ea enim ordinaria potestate vt Episcopus poterat exercere) sed vt in duabus illa exerceat: & vt sit etiam alterius sibi additæ Ecclesiæ Episcopus proprius; quod Ecclesiastica lege non licebat. Idem fecit etiam cum [k] Agnello, Fundensi, quando ei vnuit curam Episcopatus Terracin, & cum Ioanne [l] Lisitano, cui Scyllatinam commendauit Ecclesiam. XXXVII.

h Greg. l. 2. ind. 10. ep. 31.
i 7. q. 1. c. placuit. c. sicut.
k Greg. l. 2. ind. 11. ep. 13.
l 7. q. 1. c. parochiales.

Dices demum: si in Papa non est plenitudo potestatis quoad externam Iurisdictionem; sed Episcopi eam æque plenam habent atque Papa: Nullam ergo prælationem super E- XXXVIII.

piscopos Papa habebit: Quod tamen in tota Catholica Ecclesia reputatur absurdissimum: imò etiam hæreticum, vt fatetur Gersonius, qui sic ait: [a] Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, non potest esse de lege ordinaria, nisi in vnico summo Pontifice formaliter, & subiectiuè. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum: & habere posset multiplex caput ex æquo, quod aperte est hæreticum.] Respondeo verissimum esse de Iure Diuino nullum esse Episcoporum Episcopum, vt ait [b] Cyprianus, & suo loco probabo: Gersonium verò & totam Scholam Parisiensem, Monarchiam in Ecclesia inter Episcopos ponere, quamuis non sine Dimocratia: quia in Papa plenitudinem ponunt potestatis, non absolute, tanquam in solo, & absoluto, ac independente in terris Domino; sed tanquam in ministro Dei, & Ecclesiæ, in ordine ad singula, inquit [c] Almaynus, non consequenter ad omnia: quia Concilium ponunt supra Papam. In ordine ergo ad singulos Episcopos Papam faciunt Monarcham, ab Ecclesia tamen dependentem: Vbi verò diligenti adhibita consideratione legerint ea quæ nos contra hanc Monarchiam disputauimus, & adhuc disputabimus, sententiam suam, vt spero, mutabunt multi, & ex doctrina Euangelica, orthodoxorumque tot Patrum explicationibus, facile discent, inter Episcopos omnes summam debere esse, iure Diuino, paritatem: vt sequenti etiam cap. explicabo: & Monarchiam hanc repudiabunt. Gersonius itaque ex falsa suppositione Monarchiæ Ecclesiasticæ, falsas etiam coactus fuit defendere conclusiones. Sed nec immerito dixit hæreticum esse aperte, si multiplex caput ex æquo in Ecclesia locaretur; Tot enim profecto Ecclesiæ essent totales, & per se plenè ab alijs diuisæ, quot essent huiusmodi capita: ac proinde tot essent quot sunt Episcopi, si quisque Episcopus plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ haberet, vt caput & Monarcha absolutus. Nos vero Episcopos omnes, etiam cum Papa, Euangelio, & Patrum doctrina, ac ratione id cogentibus, facimus æquales; simul tamen omnes, & in solidum, non singulos per se seorsim, & singulariter sumptos. Quia Monarchiam nullam vniuersalem ponimus, sed partiales in singulis Ecclesijs; quæ simul omnes vnicam constituant, & compleant Ecclesiam vniuersalem; non Monarchice amplius in vniuersalitate, sed Aristocratice potius gubernatam; iuxta illud Cypriani; [d] Vna est Ecclesia, a Christo, per totum Mundum, in multa membra, diuisa; item Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.] Et [e] Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.] Atque hæc est illa vnica Cathedra, quam cum Optato iam [f] consideraui: Hoc itaque non est multiplex caput ex æquo in Ecclesia collocare, sed multitudinem seruorum & ministrorum Christi, æquali munere, æquali officio, æquali potestate, in vnicum corpus coalescere. Quod non modo non est hæreticum, aut absurdum; sed ita Catholicum, & conuenientissimum; vt contrarium sit prorsus non modo absurdum, sed etiam hæreticum.

XXXIX Cur vero obsecro facultas Parisiensis, vt supra num. 30. testabatur Maior, hæreticum esse definiuit, asserere cum Paludano & Turrecremata, posse Papam Episcopum ex sua Ecclesia auferre, & minus dignum subrogare? Si Papa est Monarcha Ecclesiæ, cum plenitudine potestatis; quæ plenitudo sit in vnico Papa subiectiue, vt decidit Gersonius, vel [g] fontaliter, vt alibi loquitur: non hæreticũ, sed necessariũm erit, vt supra ostendi, id quod Palud. affirmabat: cum tamẽ hoc reuera hæreticũ sit, erit hęreticũ multo magis id vnde hoc sequitur. Ac propterea hæreticum etiam erit quod ponit Gersonius, plenitudinem potestatis esse subiectiue, & fontaliter, in solo Papa, & non nisi per deriuationem ab eo ad Episcopos eam transire. Quia ex hoc sequitur necessario Papam posse priuare Episcopum sine causa, ita vt, licet peccet, & iniuste faciat, valide tamen faciat, & factum teneat. Abusus enim potestatis non facit vt ipsa suum effectum non sortiatur: & sicut dicebam supra de sole & Luna; ita nunc dico exemplum Gersonij id egregie confirmare: dum vult potestatis plenitudinem esse in Papa, vt in fonte. Certe si fons fluere desistat, necessario riui omnes siccantur, & aqua priuantur: ita sola voluntas Papæ sufficit ad retinendam penes se suam totam potestatem, cum sit agens liberum: & tunc tota in Episcopis, qui ab eo solo fonte dicuntur Episcopalem accipere potestatem, cessabit; & sic Episcopus cessabit esse Episcopus, sola Papæ voluntate fluxum illum, & deriuationem, cohibente, & denegante.

XL. Vt autẽ huius cessationis positio non sit hæretica, cogetur Gersonius, cum reliquis Monarchicis, asserere, cohibitionẽ illam quam faceret Papa sola voluntate sua, sine causa, effectum non habituram; quod tamen, dato fonte in Papa, est impossibile; quinimo si iste fons totius Ecclesiasticæ potestatis est in solo Papa; posset, si vellet, absolute & vniuersaliter cessare ab omni communicatione & fluxu, vt supra innuebam; & sic extinguere in toto

[a] Gers. de potest. Eccl. in Epil. concl. 2.

[b] Cypr. in conc. Carthag.

[c] Almayn. de aut. Eccl. c. 8. ad 4.

[d] Cypr. l. 4. ep. 2

[e] Idem tract. de simpl. prælat. siue de vnit. Eccles.

[f] Supra lib. 1. cap. 10. nu. 18.

[g] Gers. de stat. Prælat. consid. 3. & 6. & Dial. de pot. lig. & sola.

A toto mundo Episcopatus; vt ipse solus sit Episcopus. Quod sicut ab omnibus, etiam Monarchicis, negatur; ita, velint nolint, fontem illum, & illam solius Papæ plenitudinem, negare coguntur. Alioquin, ne id sequi possit, vel in Papa neganda erit arbitrij libertas: vel perpetuum miraculum ponendum est: & Deus ad hoc miraculum à nobis obligandus erit; ad quod se ipse nunquam obligauit. Verbis itaque Gersonius ludit, dum potestatem totam Ecclesiasticã ponit in Papa fontaliter, re autẽ aliud intelligebat: alio enim loco, vbi rem tractat ex professo, se hoc pacto explicat. [a] Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ hic propriè sumpta, non potest esse de lege ordinaria, nisi in vnico summo Pontifice formaliter, & subiectiuè. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum, & habere posset multiplex caput ex æquo, quod est apertè hæreticum. Nec tamen plenitudo potestatis Papalis sic intelligenda est immediatè super omnes Christianos, quod pro libito possit immediatè iurisdictionem in omnes per se, vel alios extraordinarios passim exercere: sic enim

B præiudicaret ordinarijs, qui ius habent immediatum, imò immediatissimum super plebes eis commissas actus Hierarchicos exercendi. Extenditur igitur plenitudo potestatis Papæ super omnes inferiores, solùm dum subest necessitas ex defectu ordinariorum inferiorum, vel dum apparet euidens vtilitas Ecclesiæ: quemadmodum dici potest de Episcopis respectu plebanorum, seu propriorum Sacerdotum, quorum possunt supplere defectus.] Atqui hæc explicatio præcidit Episcopos omnes ab illo fonte, dum dicuntur habere eandem plenam potestatem immediatè, imò immediatissimè: hoc est à Deo, nullo mediante à quo veluti à fonte illam hauriant. Et quod ait Cyprianus, Vt dum aliqui Episcopi suo muneri desunt, & malè regunt, imò & sectas faciunt, tunc debeant [b] subuenire cæteri; id munus subueniendi in solo casu necessitatis, tribuit Papæ Gersonius: quæ pius restrictio, & limitatio destruit fermè Papatum. Et tamen est diligenter obseruanda, quia vis veritatis eam ex magni Hieromonarchici ore elicuit. Potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem tum ordinis, tum iurisdictionis in singulis Ordinarijs voluit collocari, ita vt dum illi suo muneri

C non desunt, Papa nihil possit in Ecclesiarum aliarum, extra suam Romanam, gubernatione: in quibus proprij Episcopi plenissimam totam Ecclesiasticam potestatem possint exercere. Et ita cognoscit Gersonius, vnumquemque Episcopum in sua diœcesi esse Papam plenissimum.

a Gers. de pot. Eccles. an Episc. consid. 2.

b Cypr. lib. 3. Epist. 13.

Insurgam adhuc pluribus aliâs contra Monarchicos omnes, caput vnicum visibile in Ecclesia, cum plenitudine potestatis, ponentes. Nunc mihi satis sit, inepte Leonis dictum huc trahi, vt ex eo in solo Papa ponatur plenitudo Ecclesiasticæ potestatis; Episcopos verò, non minus quàm Apostolos, immediatè à Deo suam accipere iurisdictionem ex Romanis nostris Catholicis, expressè tenent, & defendunt, etiam Franciscus Victoria Relect. 2. de potest. Ecclesiæ. Alfonsius de Castro, de iusta hæret. punit. lib. 2. cap. 24. & Franciscus Torrensis, tract. de Resid. Past. Cuius paucula tibi recito verba huiusmodi, [c] Summus Pontifex, tanquam caput, accepit à Deo, secundum gratiam, omne ministerium, ac dispensationem omnem potestatis spiritualis; ita vt quicquid Dominus alijs tribuat, non nisi per Pontificem, tanquam summum Ministrum suum, tribuat: accipiantque de eius potestate cæteri partem: non quidem ab eo tanquam primo autore, & datore, sed à Deo per eum. Qui quidem (si ita loqui libet) dicatur mediatè facere Episcopos, id est, tanquam Minister. Ac sic quidem vt Pontifex facit Episcopos, similiter eligentes faciunt Pontificem, tanquam Ministri.] Papa igitur nihil plus confert Episcopo, dum ipse facit Episcopum, quam Electores conferunt Papæ, dum illum in Papam eligunt. At quis dicet Electores Papæ, dare ipsi Papalem iurisdictionem? Ita ergo neque Papa dum eligit Episcopos, dat eis Episcopalem iurisdictionem; sed Deus immediatè, & Papæ, & Episcopis, eodem prorsus modo, dat omnem quam dat potestatem. An verò Papæ sit omnes Episcopos eligere, idque à Deo habeat, tractabitur libro sequenti. Viderint tamen Torrensis, & socij,

E quomodo asserant, Episcopos accipere non nisi partem potestatis quam habet Papa, si tam Papa, quàm Episcopi, totam quam habent potestatem, à Deo immediatè accipiunt; vt merito ipsi docent. Vnde verò constat Deum minus dare Episcopis quam Papæ? aut partem Episcopis, totum Papæ? Viderint etiam quomodo posita hac veritate, Primatum Papæ iure diuino possint defendere; certè hi autores eodem modo faciunt Papam collatorem potestatis iurisdictionis, sicut & potestatis ordinis; hoc est ministerialiter.

c Torrens. de Resid. Past.

XLI.

Nos interim venerandi, sacrique Præsules, agnoscamus nostram potestatem; locum, & gradum, quem nobis ipse Christus dedit, non ignoremus: Certè a quo habemus ordinem, ab eodem habemus Ecclesiasticam quoque iurisdictionem, & potestatem;

XLII.

testatem ; & sanè eam totam , quæcunque est à Christo Domino suis ministris concessa. Nihil est , vt vidistis , à Domino commissum Petro , quod non fuerit vnicuique Apostolo commissum ; nihil habet iure Diuino Romanus pontifex , etiamsi Petri successor esset , quod non habeat quiuis nostrum , qui sumus in Ecclesia Christi Episcopi. Nemo nostrum est , qui non æquè Petro succedat , atque Romanus : Ordo Episcopalis secum necessariò fert totam , & plenam Episcopalis iurisdictionis potestatem. Ita Deus voluit , ita Christus instituit , ita Apostoli tradiderunt , ita Ecclesia antequam opprimeretur , & docuit , & exercuit. Vt quid ergo nostra sponte , & voluntariè toleramus [a] iugum super cervices nostras , quod Patres nostri portare non potuerunt? Sit Romanus Papa , si vult , imò si vultis , elector noster , sit si placet confirmator , sit , quando sic lubet , sed immeritò , etiam consecrator , in his tamen omnibus nudum ille exhibet externum ministerium ; & ad ipsius , alteriusue ministerium , Deus immediate nobis totam confert Apostolicam ordinariam , hoc est , Episcopalem potestatem : iam in illa electori , confirmatori , & consecratori nostro sumus pares. Nam & ipse ab alijs eligitur, ac consecratur , imò etiam ab alijs confirmatur , vel confirmari debet, vt postea ostendam libro quarto. De potestate ordinis non negat , non enim potest , neque audet : nam tum plene , & apertè se (sicut iam clam , & furtiuè tentat) nostrum Deum verum faceret. Sed neque potestatem iurisdictionis , quam Deus immediatè cum ordine simul confert , à Papa habemus , vt vobis teddidi iam manifestissimum. Si igitur non piget vos , at saltem pudeat , quòd ex fratribus , & reuera collegis Romani Pontificis , facti ipsius duntaxat famuli , & administri , merique vicarij , & ad partem solicitudinis delegati precario præsitis ; & non proprio , sed ipsius nomine Ecclesias regatis. Vtimini potestate , quam à Deo habetis , & plenissima vestras Ecclesias auctoritate gubernate ; neque vobis virgam de manibus à quoquam eripi patiamini. Episcopus Romanus pedum suum iamdiu abiecit , ne scilicet Pastor sit , sed Rex , & Dominus : Si nobiscum Dominici gregis Pastor esse vult , resumat pastorale pedum , & sceptrum deponat ; nobiscumque portet pondus diei , & æstus : sin minus , agnoscat saltem vos aperuisse oculos ; vosque omnes , ac singulos non famulos , non subditos , non vasallos , sed fratres , sed collegas , sed comministros experiatur. Fulmina ipsius ne vos quæso , terreant , tantum potest cuiusque vestrum fulmen contra illum , si extra paternas exorbitet regulas , quantum ipsius erga nos. Opponite vos murum pro domo Dei , pro Episcopali propria dignitate : sola cognitio plena vestræ potestatis , si vel leuiuscule eam ab illo independenter exercere incipiatis , tyrannidi , quæ nos miserè opprimit , succidet neruos ; breuique fiet , vt illa summo cum totius Ecclesiæ bono , tota magno cum fragore corruat , & penitus euanescat. Hoc in vobis potissimum situm est , collegæ Sanctissimi. Faxit Deus.

[a] Act. 15.

CAP-

A

CAP. VI.

Episcopos omnes æquè Vicarios esse Christi, & in potestate Ecclesiastica inter se Iure Diuino prorsus æquales.

SVMMA CAPITIS.

Ex præiactis in præcedentibus fundamentis propositum colligitur, num. 1. ac deinde confirmatur autoritatibus, num. 2, 3, 4.

Confirmatur æqualitas inter Episcopos, etiam cum Papa, pluribus documentis, à num. 5. vsque ad num. 13.

B *Vnus igitur solus Episcopus in Ecclesia Vicarius Dei non est faciendus, cùm sint omnes æquales, num. 14, 15.*

Sed solus Christus est verus Dei Vicarius, num. 16.

NTer Apostolos omnes, summam æqualitatem, cumulatissimè probaui toto libro 1. cuius hic scopus penè totus fuit: expressè tamen cap. 3. eiusdem lib. æqualitatem hanc demonstraui; atque Ecclesiam vniuersam æquè omnibus Apostolis fuisse commissam, eosque omnes à Christo æque fuisse Vicarios suos institutos, ostendi ibidem cap. 4. Cum itaque Episcopi plene succedant Apostolis, vt in huius secundi lib. cap. 1. probaui, quis non videt summam inter Episcopos, iure diuino, ipsa Christi institutione æqualitatem? Cúmq; C præcedenti capite ostenderim, & conuicerim Episcopalem totam potestatem esse immediatè, & æquè a Deo, non à Romano Pontifice, eadem pariter apparet æqualitas. Eam tamen adhuc plenius hoc peculiari capite suscepi explicandam, & communissimo totius antiquioris Ecclesiæ sensu & consensu confirmandam. I.

Apostolicæ constitutiones, Apostolos omnes ita scribentes ad omnes Episcopos inducunt; [a] Scripsimus vobis vniuersalem hanc doctrinam, quorum fidei vniuersalis Episcopatus est commissus.] Ignatius Communis Ecclesiæ vocat Episcopum eum qui Philadelphensem regebat Ecclesiam: Ait enim ad Philadelphenses scribens; [b] Conspecto vestro Episcopo, cognoui quod non à seipso, neque per homines ad dignitatem euectus est, vt susciperet ministerium hoc Communis Ecclesiæ, &c.] Præterea Eleutheri Rom. Pont. antiquissimi Epistola, siquidem in nostra Romana Ecclesia non reprobatur, ad confirmandam hanc æqualitatem apud nos Romanos plurimum valet. In ea verò habentur hæc verba Eleutheri ad Episcopos Gallicanos: Huius rei gratia Vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.] Quod dictum habes etiam in Ioanne 1. Epist. 1, vt infra. In Concilio Carthaginensi, sub Cypriano; [c] Venantius à Tinisa dixit; Christus Dominus, & Deus noster, ad Patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendauit: vtrumne eam incorruptam, & inuiolatam custodimus; an integritatem eius, & castitatem eius mœchis, & corruptoribus prodemus?] Quod dictum Augustinus admisit vt verum, neque id reprehendit vt arrogans. Quando igitur Dominus Apostolis omnibus æque suam commisit Ecclesiam, tunc Episcopis etiam eorum successoribus eam, vt dicit Venantius, nihilosecius commendauit. Et quando ex hac Christi commendatione Apostoli æquæ omnes cum Petro [d] orbis curam susceperunt, vt loquitur Chrysostomus, tunc simul etiam, vt ait Venantius, Episcopi omnes eandem susceperunt. Et clarius loquitur ibidem, Clarus à Muscula, [e] Manifesta, *inquit*, est sententia E Domini nostri Iesu Christi; Apostolos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes, &c.] Qua ergo potestate simul & in solidum Apostoli, dum vixerunt, Ecclesiam Christi totam gubernárunt: eadem nunc Episcopi eandem gubernant: & sicut illi fuerunt in hoc æquales, ita & Episcopos æquales in hoc esse necesse est. Alexander Episcopus Alexandrinus, vbi de exorta in sua Ecclesia hæresi Ariana, per suas literas, reliquos omnes Episcopos certiores reddit, ita exorditur. [f] Cum in sacris literis sit vnum corpus Ecclesiæ Catholicæ, nobis traditum, & præceptum, vt concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus, &c.] Iustus Orgellitanus; [g] Vineam traditam custodibus, dicit esse Ecclesiam quam Christus commisit regendam Apostolis, vel successoribus eorum Episcopis] Episcopi II.

a *Constitut. Apost. l. 6. c. 14.*

b *Ignat. epist.*

c *Apud Aug. lib. 7. de Baptis. contr. Donat. cap. 53.*

d *Chrys. hom. 87. in Ioan.*

e *Apud Aug. ibid. c. 43.*

f *Apud Socrat. lib. 1. c. 3.*

g *Iust. Orgel. in Cant. vers. 194.*

populum, inde verò ad alium: & ita consequẽter aufert potestatem illi Episcopo erga priorẽ populum, & confert erga alium Et qui miserat vnicum Episcopum ad vnũ populum magnum, potest mittere alium ad eundem populum, cum diuisione populi; vt vna pars regatur ab vno, alia ab alio: procul dubio cũ restrictione prioris. Sed hæc omnia faciũt mutationes in extensione sola iurisdictionis, non in ipsa iurisdictione, ipsiusq; intensione, quæ eadem semper est in quocunq;, etiam post restrictionẽ, seu ampliationem Diœcesis. Quando verò aufertur tota iurisdictio indigno, per depositionem, & ab habente autoritatem, siue sit Papa, siue metropolitanus, siue Synodus, de quo suis locis, præsertim libro 8. tunc Respondeo etiam ordinem auferri; vt probaui supra cap. 4. Quia Deus ita confert totam potestatem deputatis, & missis ab Ecclesia, vt tamen eandem totam etiam auferat, vbi merito Ecclesia quem deponit: & si quis iniustè deponeretur, tunc omnis actus, tam ordinis, quam iurisdictionis, esset validus coram Deo. Sicut & si quis Episcopus ab habente autoritatem iuste deponeretur, & ille nihilominus vellet persistere in gubernatione suæ Ecclesiæ, & pati etiam ac contemnere excommunicationem; illius quidem actus siue ordinis, siue iurisdictionis, nulli essent: & per Laicam potestatem, vi esset extrudendus, atque ex illa Ecclesia expellendus; vt tradam in sequentibus. Itaque tolli quidem potest per Ecclesiam tota potestas Episcopalis alicui Episcopo, siue respectu tantum alicuius Ecclesiæ particularis, per translationem; siue omnino per depositionem: sed minui ac augeri nullo modo potest, nisi extensiuè, & ex accidenti. Vnde argumentatio Bellarmini seipsam conficit. Nam planum est, quoad hanc extensionem, potestatem etiam ordinis augeri, & minui: & tamen fatetur potestatem ordinis esse à Deo immediate. Extensio itaque potestatis tam ordinis, quam iurisdictionis, pendet tota à iure humano positiuo, vt exponam in sequentibus: ipsa verò potestas vtraque in se, à solo Deo pendet immediate. An verò solus Papa in his extensionibus potestatem habeat, videbimus postea libris tertio, & quarto: Et de nouorum Episcopiscopatuum erectione, dicam infrà c. 8.

XXII. Sexto arguit Bellarminus; quia iure Diuino ex scriptura probatur, sola potestas vniuersalis, & amplissima iurisdictio Apostolorum; quam tamen amplissimam in Episcopis non admittunt, *inquit*, aduersarij.] Quicquid alij admittant, vel non admittant, nihil ad me. Ego sane amplissimam admitto potestatem in vnoquoq; Episcopo, iure Diuino; nõ minorem intensiue, quam fuerit in vnoquoque Apostolorum ordinaria. Extensiuè tamen, solo iure humano Ecclesiastico positiuo, alligationem Episcoporum ad suas particulares Diœceses restringi, ostendam c. 7.

XXIII. Septimo [a] addit testimonia Innocentij 1. & Leonis. Innocentij verba sunt: A Petro ipse Episcopatus, & tota autoritas nominis huius, emersit.] &, Arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris autorem, adferre debere.] Leonis verò; Si quid commune cum eo alijs voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit.] Et, Huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet.] Ego tamen sæpius monui Romanos Pontifices solam literam verborum illorum Christi, Tu es Petrus, &c. &, Tibi dabo, &c. secutos, libenter in propriæ dignitatis exaltationem excurrisse. Vt propterea non nimium Pontificum Romanorum, in propria causa fimbrias dilatantium, autoritate moueamur: vbi præsertim non Theologicè, sed oratoriè, amplificationibus laxant habenas. Innocentij tamen dicta: A Petro, prout ab exemplo, & primo Episcopo in Ecclesia à Christo facto, ante alios omnes; & non tanquam ab Episcoporum institutore, Episcopatum emersisse significat. Quia quo modo Petrus factus est primo ante omnes Apostolus, adeoque Episcopus; ita eadem autoritate, eodemque fine, facti sunt ab eodem Christo omnes Episcopi: & Petrus dicitur nominis, & honoris Episcopalis autor, quia in Petro primum, & vocari, & esse cœpit Ecclesiasticus Episcopatus. Sicut si quis autorem omnium carminũ Lyricorum diceret, exempli gratia, Pindarum, non quod Pindarus omnia Lyrica carmina pangat; sed quia ipse primus exemplum dedit talis carminis concinendi. De Leoninis amplificationibus plura dixi libro primo, capite decimo, numero vigesimo secundo. Certe dum asserit per Petrum datam esse Episcopalem potestatem omnibus Episcopis, quibus illa negata non fuit; hoc non nisi mystice est intelligendum. Petrus enim hoc tempore Episcopos facere non potest: imò in pluribus, qui viuente Petro, facti sunt à Paulo, a Ioanne, a Tito, à Barnaba, & alijs, Petrus ne minimam

[a] *Bellar. l. 4. de Rom. Pont. c. 24. & l. 1. c. 23.*

A mam quidem partem habuit. [a] Paulus profectò se ab hominibus nihil potestatis accepisse profiteretur: & consequenter dum Episcopos faciebat, sua propria, non Petri, ministeriali tamen, autoritate faciebat. Mysticum itaque in illis verbis Leonis continetur, quod ipsemet paulo post in eodem sermone explicat dicens: transiuit quidem in alios Apostolos vis potestatis ipsius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustra vni commendatur, quod omnibus inmatur: Petro enim ideo hoc singulariter creditur; quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius fertur æquitate iudicium.] Mysterium itaque est, Petrum primum omnium ad Episcopatum promouere, vt Episcopi omnes haberent exemplar æquitatis, & virtutum, quod possent, in regimine Ecclesiarum, imitari. Per Petrum itaque dari Episcopis quicquid eis non negatur, intelligit Leo quoad exemplum
B imitationis: & a Petro, quasi quodam capite, hoc est fonte, & scaturigine exemplari in alios dona diffundi asserit; nimirum per imitationem: sicut malo exemplo, & scandalo, vitia etiam in alios diffunduntur.

a Gal. 1.

Demum Bellarmino, ad probandum quod cupiebat, Episcopos à Papa suam sumere Iurisdictionem, suppetias ferunt etiam moderna diplomata Pontificia; quibus Papa prouidere se dicit Ecclesijs, & præficere talem in Patrem, & Pastorem, ac Episcopum: [Committereque ei administrationem in temporalibus, ac spiritualibus.] Quod si hæc verba plus continent, quam putam missionem, & ministerialem deputationem; erunt verba Pontificum sibi iam dictam Iurisdictionem, & multo plura, arrogantium. XXIV.

Et quia grauem sentiebat Bellarminus oppositionem suæ positioni illam, quæ ex successione pendet Apostolorum; vt ab ea se liberaret, [b] negat Episcopos absolute succedere Apostolis; nisi in solo ordine sacro Episcopali; & per solam similitudinem: vt sicut tunc
C fuerunt sub Christo duodecim Apostoli, & septuaginta duo Discipuli; ita nunc sub Papa sint Episcopi, & Presbyteri: & sicut Presbyteri succedunt, inquit, septuaginta duobus Discipulis, per solam similitudinem, non in potestate, quam Presbyteralem discipuli illi non habebant; ita sola similitudine Episcopos succedere Apostolis, non potestate.] Atque hæc sunt intolerabilia. Iam enim [c] probaui omnibus Apostolis in solidum, in tota plenitudine potestatis, succedere omnes Episcopos: & non minus succedi plene reliquis Apostolis, quàm Petro in solidum; sed Presbyteros etiam Apostolis succedere vere & realiter, non similitudine sola, aliàs probaui. XXV.

b Bellar. de Rom. Pon. lib. 4. cap. 25.

c Hoc lib. c. 1. num. 13. 17.

Sed obijcit Bellarminus [d] Episcopos non habere vllam partem veræ Apostolicæ autoritatis: nam non possunt, *inquit*, in toto mundo prædicare, & Ecclesias fundare: non possunt libros Canonicos scribere: non habent donum linguarum, & miraculorum: non habent Iurisdictionem in tota Ecclesia: non succeditur propriè nisi præcedenti: & simul fuerunt in Ecclesia Apostoli & Episcopi. Si igitur Apostolis succedunt Episcopi, cui successit
D Titus? cui Timotheus?] Hæc ille. Respondeo Episcopos succedere Apostolis in tota essentiali autoritate prædicandi, & vniuersaliter regendi Ecclesiã: non in priuilegijs peculiaribus, quæ solis debuerunt dari Apostolis, tanquã accessoria quædam, & non perpetuo necessaria Ecclesiæ, nisi pro tempore. Atq; ita non est necesse vt scribant Scripturas Canonicas, quas tamen scribere non fuit Apostolorum proprium: nam & plures Apostoli non eas scripserunt: & aliqui non Apostoli eas scripserunt; vt Marcus, & Lucas, & Iacobus frater Domini, & fortasse alij. Neq; necesse est vt habeant donum linguarum, & miraculorum; quia nunc non est necessarium, & tunc donum illud non personis, sed tempori dabatur, vt ostendi lib. 1. cap. 2. nu. 21. & seq. Prædicandi autem potestatem in toto terrarum orbe, sicut Apostoli non habebant, nisi habitu; actu verò ibi vbi iam inter se conuenerant; seu vbi eos
E Spiritus Sanctus esse volebat; vt docui libro 1. cap. 8. num. 5. & cap. 10. nu. 21. & 26. Ita Episcopi habitu habens eundem vniuersalem potestatem, iure diuino, eo ipso quo sunt facti rite Episcopi: actu tamen non sunt Episcopi nisi suæ particularis Ecclesiæ, in qua illos [e] Spiritus Sanctus posuit, & detinet, per missionem & iussionem suam, per Ecclesiam, Ecclesiasticosque Prælatos explicatam, & intimatam: vt docebo plenius infra cap. 7. Ita & Iurisdictio in habitu est vniuersalis iure Diuino in vnoquoque Episcopo; in actu verò non est nisi particularis, sicut erat etiam in Apostolis. Nam Petrus quoque, dum Romæ erat, non habebat actualem Iurisdictionem, nisi pro sola Ecclesia Romana, licet habitualem haberet, sicut & cæteri Apostoli, pro toto Mundo. Successionem vero nunc docui non dari singulis, sed omnibus in solidum. Et quandiu vixerunt Apostoli, Episcopi qui ab illis promouebantur, non erant, neque dici poterant pro tunc Apostolorum XXVI.

d Bellar. vbi supra, & lib. 2. cap. 12.

e Act. 20.

rum successores; sed socij & Collegæ: at postquam mortui sunt Apostoli, tunc Episcopi remanserunt, vt Apostolorum successores in communi, & in solidum, non autem in singulari: nam proprie Apostolis singulis non succedi docui supra cap. 1. Et primi Episcopi Ecclesiarum particularium, non nominantur vlli ex Apostolis; sed illi quos Apostoli ipsi, singularibus Ecclesijs deputabant. Ita Irenæus, & Tertullianus primum Episcopum Smyrnæ ponunt non Ioannem, sed Polycarpum: & primum Episcopum Romanum faciunt non Petrum, aut Paulum, sed Linum, vel Clementem: & sic de alijs. Alioquin Episcopi qui non habent sedes proprie Apostolicas, non essent Apostolorum successores, quod est falsum. Omnes enim quotquot sunt legitimi Episcopi, meritò dicuntur Apostolorum successores; vt ostendi supra cap. 1. num. 8. & cap. 2. init. quia Apostolorum omnium in solidum locum tenent. Itaque neque Titus, neque Timotheus proprie est vllius particularis Apostoli successor: sed fuerunt collegæ Apostolorum omnium tunc viuentium; ac primi Episcopi, alter Cretæ, alter Ephesi. A B

XXVII. Aduersus nostram positionem pugnat maxime celebre in nostris, tam scholasticorum, quam Canonistarum scholis, Leonis dictum, iam passim à Romanis Pontificibus vsurpatum, quo ille Thessalonicensem Episcopum alloquitur. [a] *Vices, inquit, nostras, ita tuæ concedimus charitati, vt in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*] Hoc sibi accommodant Romani [b] Pontifices: & hinc orta est illa immensa plenitudo potestatis, ac fere omnipotentia; vt illi soli Ecclesiasticam habeant plenissimam Iurisdictionem in tota Ecclesia vniuersali: Episcopi vero non nisi in partem solicitudinis sint vocati: hoc est, meri adiutores Papæ, & consequenter non nisi eius Vicarij & administri. Solicitudinem enim omnium Ecclesiarum, ad se vult Papa noster totam pertinere. Huius verò solicitudinis ipsius partem se ait Episcopis commendare: vt vbi ipse non potest, illi pro eo suppleant. Quod est profecto Episcopos facere solos Papæ coadiutores: qui non proprium, sed Papæ officium, & munus, ipsius Papæ nomine, exerceant. Siquidem solicitudinem Episcopalem faciunt partem solicitudinis Papalis: quæ sit tota in Papa tanquam in proprio, & adæquato subiecto. In hoc enim sensu Leonis dictum iam passim à Romanis assecl is sumitur, & detorquetur; ac proponitur sæpissime, & intimatur. C

a Leo ep. 88 hactenus. 3. q. 6. v. Multum.

b Innoc. 3. de quo nos supra, lib. 4. cap 12. num. 22. 23.

XXVIII. Faciunt porro Episcopos, verbo tenus, Principes absolutos, vt vidimus, & non Papæ ministros: quia luci Sacræ Scripturæ non possunt resistere: nisi velint contra apertissimam veritatem oculos occludere. Dum tamen nullo Scripturæ, aut veritatis ductu; imò contra Scripturam & veritatem semel positum volunt tueri Monarchatum, totam Ecclesiæ solicitudinem ponunt in Papa, tanquam ipsius propriam: & partem huius solicitudinis dant Episcopis; eosque consequenter, vt dixi, solos faciunt Papæ coadiutores. Quod est prorsus & directissime contrarium veritati, quam confiteri coguntur; Episcopos esse Principes absolutos; & non Papæ Vicarios aut Ministros. [c] *Assumuntur, inquit* Bellarminus, *Episcopi à Pontifice, ad tuum ipsius onus sustentandum.*] Onus ergo Episcoporum non est ipsorum onus proprium, sed est onus Papæ: & Episcopi illud, non vt proprium, sed vt Papale, tanquam meri coadiutores, & administri, sustentant. Et ab eodem [d] Bellarmino, Moysi Papa comparatur; Episcopi verò septuaginta senioribus; ita tamen vt nihil diminuto spiritu Moysis, id est tota remanente integra Papali autoritate, eaque in Papa residente; alij, si quam, *inquit*, habent, (*dubitat scilicet an Episcopi vllam habeant*) à Papa habeant. Quorsum ergo faciebat Episcopos Principes absolutos, si sunt meri Papæ coadiutores, & Papæ onus, non proprium, sustentant; quippe vocati in partem solicitudinis? D

c Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 25. ad fin.

d Ibid. c. 24. init.

XXIX. Hanc plenitudinem potestatis Turrecremata considerans, qui prius & ipse [e] negauerat Episcopos esse Papæ Ministros, vel Vicarios, sed fecerat Principes absolutos, vt etiam Bellarminus; statim [f] dat Papæ potestatem, vt possit, quando vult, primariam Episcoporum, & propriam exercere iurisdictionem. Et sane id ratio ipsorum necessario conuincit. Si enim iurisdictio Ecclesiastica tota est in Papa, ipsius solius propria, si quis alius illam habet, non habet nisi ex sola communicatione, & participatione cum Papa, quantum ipse concesserit. nam vocat Episcopos ad solam partem suæ solicitudinis. Vbicunque ergo Papa vult suam solicitudinem ipsemet exercere, coadiutor non potest impedire: quia coadiutor non proprium, sed Papæ onus, in parte illa solicitudinis Papalis, sustentat. Ideoque Innocentius 3. vocat Episcopos, suos [g] coadiutores. Et rogat [h] Episcopos, vt suppleant ipsius defectum: quasi illi non propriam, sed Papæ curam, eius nomine exerceant. E

e Turrecr. l. 2. de Eccl. c. 64.

f Ibid. c. 65.

g Innoc. 3. l. 1. ep. 1.

h Cap. per venerabilem. qui fil sint legit.

XXX. Meritò igitur etiam Paludanus, & consequenter asserit, [i] Papam posse, etiam sine causa, Episcopũ magis bonũ destituere, & loco eius ponere minus bonũ: ita vt peccet quidem

i Palud. tract. de Eccles. pot. ar. 5, 6.

A dem id faciendo, factum tamen teneat. Et huc reducantur necesse est omnes, quicunque Papam faciunt solùm iurisdictionis Episcopalis collatorem, non ministerialem, sed principalem: Hanc enim Episcopalem iurisdictionem cùm ponant totam in solo Papa perfectissimè residere, à quo postea in Episcopos illa deriuetur, ab ipsius profectò libera pendebit voluntate, illam etiam auferre, retinendo illam, ne à se in vllum amplius deriuetur. Est enim illa in ipso, vt in proprio subiecto, & in Episcopis non nisi per solam communicationem, & participationem; sicut lux Solis in Luna: & si actio Solis esset voluntaria, & libera in illuminanda Luna, sicut communicatio hæc iurisdictionis in Papa est libera; profectò in Solis potestate esset Lunam facere vel lucidam, vel obscuram: & Luna non illuminaret noctem, nisi quandiu placeret Soli: qui sola detentione apud se suæ lucis, eo ipso, Lunam priuaret omni potestate illuminandi. Ex quo etiam necessario sequitur, vt, mortuo Papa, in
B tota Ecclesia iurisdictio ecclesiastica extinguatur; & sola potestas ordinis maneat in Episcopis: potestas verò iurisdictionis tota pereat: Nec valet effugium Bellarmini dicentis; [a] Potestatem hanc Episcoporum pendere à Papa in fieri tantùm, sed non in conseruari. Ponit enim & ipse, & communiter Monarchici, vt vidimus, Episcopos esse tantùm coadiutores Papæ, & non proprium, sed Papæ onus gerere, partemque Papalis solicitudinis habere; et liberum esse Papæ sola voluntate Episcopo cuique, etiam sine causa, auferre potestatem, quæ sit in Papa fontaliter, non tanquam in causa sola efficiente, sed tanquam in fonte, in Sole, in radice, quæ sunt causæ & in fieri, & in conseruari. De his infrà, & plura in præcedentibus, ac in sequentibus libris, præsertim lib. 5. Propterea hoc Paludani dictum igne dignum pronunciatur ab [b] Almayno. Sed sciat Almaynus, prius dignam esse igne sententiam ponentem Monarchiam in Papa, & plenitudinem hanc potestatis, vt ab ipso deriuetur in Episcopos: nam si hæc plenitudo est in Papa, sententia Paludani est necessariò deducta. Quia tamen re vera hoc dictum est igne dignum, sequitur necessariò vt prius
C sit flammis dignissimum id, vnde dictum hoc sequitur necessariò. Nec mirum, in hæc, & alia longè grauiora absurda, vel inuitos deuenire Monarchicos, dum plenitudinem illam ponunt in solo Papa potestatis. Agnoscunt enim omnium consequentium absurditatem, & falsitatem; sed consequentiæ necessitate, posito falso antecedente, in hæc absurda velint nolint, trahuntur, & ea sponte admittunt, & concedunt. Sed audi horum censuram in Parisiensi factam facultate. [c] Præterea reliquos Apostolos, *inquit Ioannes Maior*, Episcopos factos à Christo diximus post Resurrectionem, & per consequens tam Episcopi, quàm Curati, sunt de iure diuino, quemadmodum Romanus Pontifex. Nec aliquis prorsus homo potest illud ius, & illas potestates tollere ab Ecclesia, plus quàm summum Pontificatum. Licèt Petrus Paludanus, & de Turrecremata teneant oppositum. Sed hoc quod ipsi tenent, censuit in fide hæresim facultas nostra.] Igitur etiam censuit hæresim, & merito, ponere in solo Papa plenitudinem potestatis, & iurisdictionis Ecclesiasticæ; ita vt Episcopi
D non sint nisi vocati in partem solicitudinis: hoc est, eo sensu, quo exponebat Bellarminus, Episcopos suam iurisdictionem, non nisi per deriuationem immediatè à Papa habere. Alioquin, si hæc positio vera sit, illud necessariò sequebatur, vt dicebam. Habet ibidem Maior illam conclusionem, Ita esse ex institutione Christi Episcopos, sicut est ipse Papa, & illos à Papa non esse, etiam quoad iurisdictionem: nam probationes eius includunt etiam iurisdictionem. Atque inter ipsius argumenta ponit decisionem quandam facultatis Parisiensis, contra articulum fratris Ioannis Angeli, Tornaci prædicatum, qui talis est; Fratres præsentati Episcopo, & admissi, sunt proprij Sacerdotes, & veri Curati, & melius quàm Presbyteri parochiales, quia facultatem suam habent à summo Pontifice, & dicti Presbyteri ab Episcopo duntaxat. Ecce, *inquit Maior*, examinationem facultatis nostræ, à 34. annis præteritis: Quicquid sit de prima parte propter æquiuocationem istius termini (proprij) dicit tamen facultas, quod propositio in se, & quoad omnes reliquas partes, & probationem partis vltimæ, qua dicitur (ab Episcopo duntaxat) est scandalosa, in fide erronea, Hierarchici ordinis destructiua, & pro conseruatione eiusdem ordinis publicè reuocanda, & abiuranda.] Sentiebat ergo facultas Theologica, & quidem papalis Monarchiæ sectatrix, scandalosum esse, & in fide erroneum asserere Papam posse plus iurisdictionis Ecclesiasticæ tradere, quàm de se habeant Episcopi, & recipiant Parochi ordinarij.

E Leonis tamen dictum longè diuersum habet sensum, ab hoc vniuersali, quem ei appingunt Romani Pontifices, ab eo, sicut tempore, ita etiam spiritu distantissimi; nec non ipsorum assentatores. Leo sanè scribit ad Episcopum Thessalonicensem; non tanquam ad Episcopum, respectu ordinariæ potestatis quam habebat ille vt Episcopus; sed tanquam ad

XXXI.

[a] Bellar. lib. 4. capit. 5. de Rom. Pont.

[b] Almayn. tract. de Dom. nat. 1. in. & Eccles. Concl. 2.

[c] Maior in 4. d. 24. q. 3. in fine.

suum legatum, respectu alicuius vlterioris, & extraordinariæ potestatis, à sede Apostolica ei delegatæ, quam vt Legatus Apostolicus, exerceret. Semper enim Romanus Pontifex, vt ostendam postea libro quarto, habuit protectionem quandam, & superintendentiam generalem, super omnes Ecclesias Romani imperij, cuius caput temporale sicut erat Roma, ita decuit vt Episcopus Romanus, ex charitate tamen, vt docebo, [a] & aliis nominibus, curam quandam generalem omnium susciperet Ecclesiarum. Atque hæc cura faciebat, vt Papa teneret, in omnibus pene Regnis, Legatos suos; legatione, alicui ex præcipuis illorum Regnorum Episcopis, commissa. Qui Legati nomine sedis Apostolicæ, circa quædam generalia, grauioraque negotia, præsertim iudiciaria operam quandam extraordinariam adhiberent. In hac ergo cura generali, Legati Papæ meritò dicuntur non habere nisi partem solicitudinis; tota verò hæc huius generalis solicitudinis potestas, quæcunque illa esset, in solo Papa asseritur residere: & respectu huius curæ, & superintendentiæ, Legati illi sunt meri, veri, & proprij duntaxat Vicarij, & ministri Papæ legantis: neque hoc vllum in se continet absurdum.

a Inf. l. 4. c. 9.

A

B

XXXII. Atque vt videas Leonem de potestate ordinaria Episcoporum, & totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, non loqui; eumq; plane agnoscere suæ potestatis non esse Episcoporum ordinariam iurisdictionem, quam de iure Diuino habent, turbare: audi quid statim subdat. Igitur Sanctorum Patrum Canones, spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerētia consecratos, Metropolitanos singularū Prouinciarum Episcopos, quibus, ex dilegatione nostra, fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis, intemeratū habere decernimus.] Et in alia Epist. [b] Solicitudo, *inquit*, nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem diuinitus datā, nec Ecclesijs, nec Ecclesiarum Sacerdotibus, abrogabat.] Fatetur, vt vides, Leo, dignitatē Episcopalem esse Diuinitus datam; nec se vnquam voluisse, aut prætendisse eam abrogare: proculdubio in iurisdictione, non in solo ordine. Quis enim Papa, etiam ex ligneis, prætendat vnquam potestatem ordinis cuiquam abrogare? Et post nōnulla, rursum excusans se cum Episcopis Viennensis Prouinciæ, ait: Non enim nobis ordinationes vestrarum Prouinciarū defendimus, in quo fuerant scandalizati: sed explicat quid ipse iurisdictionis prætendat in Gallijs; nimirum solam illam generalē superintendentiam, qua inuigilabat, vt omnes Episcopi suo muneri digne satisfacerent. Sed vobis, *inquit*, per vestram solicitudinē indicamus, ne quid vlterius liceat nouitati: nostræ enim gratulationi hoc solū creſcere profitemur, si Apostolicæ sedis diligētia apud vos illibata seruetur, & per Sacerdotalis disciplinæ custodiam, honori vestro perire, quod suum est, pro nouis vsurpationibus, non sinamus.] Suasq; has generalis curæ vices, statim committit Leontio Episcopo: sed si vobis, *inquit*, placet.] Qui modus tractandi Papæ cum Episcopis, longe diuersum animum Leonis supponit, ab eo quem illi Monarchici nostri appingebant in plenitudine illa potestatis.

b Leo. ep. 93.

C

XXXIII. Neq; solus Leo plurimum detulit Episcopis, tanquā fratribus & collegis, non tanquam suis coadiutoribus, aut administris: sed etiam alij ante ipsum. Sixto enim primo dictum illud tribuitur, [c] Ab hac sancta sede, à sanctis Apostolis tueri, defēdi, & liberari Episcopi iussi sunt: vt sicut eorum dispositione, ordinante Domino, primitus sunt constituti; sic huius sanctæ sedis protectione, futuris temporibus, sint ab omnibus aduersitatibus semper liberi.] Et Innoc. 1. dum optimè cognoscit veros ipsius fratres, & in opere Domini collegas Episcopos, eis paratam opē suæ protectionis exhibet: & vice versa ab eis opem postulat æqualē: [d] Cui manum, *inquit*, porrigius vobiscum porrigo: cui porrigo mecū porrigite.] Et Greg. [e] Si sua, *inquit*, vnicuiq; Episcopo iurisd. non seruatur, quid aliud agitur nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo cōfundatur?] Proferentur tamen [f] postea à me plures Pōtifices, qui superioritatē iurisdictionis in Episcopos, non agnouerunt: sed eos vt collegas habuerūt. Ita & sanctos Episcopos, qui Rom. Pont. sibi parem omnino fecerūt, & expresserūt.

c 8. q. 5. c. 1.

d 35. q. 9. c. Victoriam.

e Greg. Epist.

f Infra c. 7. & l. 4.

D

E

XXXIV. Impinget fortasse quispiam in ep. Pelag. 2. ad Sepaudū Arelat. nuper à Baron. [g] editam; in qua Pelag. per Petri successores in Apostolica sede tam per se, quam per Vicarios suos, Ecclesiam firmitatē obtinere asserit. Ne turbemur tamen, quia Pelagius nihil plus intendit, nisi quod Leonē intendisse, de generali cura, iam exposuimus. Quicunq; igitur ex veteribus Episcopos vocat Vicarios; hunc sensum habuisse de Legatis, nimirū specialibus S sedis, certo scias. Vt sunt verba etiam Greg. (vt videtur) 4. [h] Qui appellationes volebat apud Legatos suos, quos in Prouincijs habebat, audiri, & definiri: grauiora tamē negotia volebat ad ipsā sedē Apostolicā deferri, & nō ad legatos. Quæ, *inquit*, vices suas, ita alijs impertiunt Ecclesijs, (*legatione nimirū illarū Episcopis aliquibus cōmissa.*) vt in partē sint vocatæ solicitudini, nō in plenitudinē potestatis.] & quamuis legatos illos dicat ex suo latere missos; intelligit pote-

g Baron. tom. 7. an. 556. n. 18.

h 2. q. 6. c. Decretis.

A quia potestatem Legati à latere missi, vt fieri solet, Episcopis illis tribuebat: Quibus non vniuersitatem causarum iudicandā committebat, sed partem aliquam curæ suæ generalis, & solicitudinis commendabat: propterea eos à maioribus causis abstinere volebat. Iuo sane Canonista optimus idem Leonis dictum de parte solicitudinis, & plenitudine potestatis intelligit, & explicat a Leone prolatum, non de Episcopis, eorumque ordinaria potestate respectu Papæ, sed de solis legatis Apostolicis; [a] Maximè, *inquit*, cum secundum eundem Leonem legationis officium pars sit Apostolicæ solicitudinis, non plenitudo potestatis.] Ita & [b] Legati Gregorij septimi, idem Leonis dictum de solis Rom. Pontificis legatis intelligunt.

a Iuo Ep. 59.
b Apud Baron. tom. 11. ann. 1074. num. 3.

Modernos itaque hoc Leonis dictum, non Legatis Apostolicis, sed vniuersis Episcopis accommodantes; & omnes Episcopos meros Papæ Vicarios, ac Ministros facientes; qui non propria, sed commissa in parte autoritate à Papa, eius nomine, Ecclesias gubernent; XXXV.

B inter adulatores dicam; etiam impostores reponas. Vt fuit ille Epistolarum sub Clementis nomine scriptor, dum facit [c] Clementem vocare Episcopos suos conseruos, & suos adiutores: Conserui quidem sumus omnes, & simul cum Papa nos omnes, & nobiscum Papa, meri Christi ministri: ac simul omnes cooperatores, & [d] adiutores non Papæ, sed Dei. Maiorem fraudem offendes in Gratiano, qui sua fictitia sæpe decreta, pro Monarchia Romana, solet pro antiquis & legitimis venditare: & antiquis autoribus adscribere. Iulij enim Papæ Decretum illud esse dicit, quod sic habet: [e] Qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse Prælatum. Ipsa namque Ecclesia quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit esse largiendas, vt in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis] Atque hunc ego primum obseruo fraudis concinnatorem, qui dictum Leonis de Legatis, ad omnes extendit Episcopos in vniuersum: Illudque in ore ponit Iulij Papæ antiquissimi. Correctores tamen decreti sub Gregorio xiij.

c Clem. ep. 3.
d 1. Cor. 3.
e 2. q. 6. c. 12.

C Iulium expunxerunt, & Vigilium substituerunt: Cum tamen neque in Iulio, neque in Vigilio ista legantur. Sed consutus est hic Canon à Gratiano, ex varijs Leonis dictis; ad alium tamen sensum, à Leonis mente alienissimum detortis, & corruptis. His ruinosis nixi fundamentis miseri Canonistæ, quid non audent? Hinc enim semiplenam [f] Glossa ponit in Episcopis Iurisdictionem.

f Glossa in cap. Consequens, dist. 11.

Dices, Bernardum etiam ponere in Papa, plenitudinem potestatis absolutè, & respectu XXXVI.

quorumcunque Episcoporum, non Legatorum tantum, dum ait ad Eugenium: [g] Sic factitando probatis nos habere plenitudinem potestatis; sed iustitiæ forte non ita: facitis hoc quia potestis: sed vtrum & debeatis, quæstio est.] Mihi tamen his verbis Bernardus videtur potius irridere plenitudinem illam potestatis, quam approbare. Nescio enim an posse malum agere, sit potestas legitima; an potius defectus: ita posse peccare, & posse facere, quod fieri non debet, nescio an Bernardus sit concessurus, id ad plenitudinem pertinere

g Bern. de consid. l. 3. c. 4.

D potestatis. Certe si Bernardus ponit in Papa plenitudinem aliquam potestatis, eam profecto non ponit nisi legitimam: legitimæ autem potestatis vsus non est malus, neque contra iustitiam. Quod si malus est, & contra iustitiam, & talis qui adhiberi non debeat; potestas in tali casu erit de facto tantum, & non de Iure: erit tyrannica, non legitima; erit violenta, non rationalis. Igitur Bernardus in Papa, Monachos à Iurisdictione Episcoporum ordinaria eximente, agnoscit plenitudinem potestatis de facto, & tyrannicam; non legitimam, neque iustam. Dixerat enim ibidem, non esse solam Papalem potestatem in Ecclesia à Domino; sed etiam esse alias minores, puta Episcopales: de quo supra.

Dices præterea, Gregorium Magnum videri, Episcopis dare Episcopalem Iurisdictionem, quæ ab ipsius immediate pendeat concessione: Ait enim Benenato Episcopo: [h] Et XXXVII.

h Greg. l. 2. ind. 10. ep. 31.

E ideo te, quæcunque tibi de (*duarum Ecclesiarum vnitarum*) patrimonio, vel Cleri ordinatione, siue promotione, iuxta Canonum statuta, visa fuerint ordinare, atque disponere, habebis, vt proprius reuera Sacerdos, liberam, ex nostræ autoritatis consensu, atque permissione licentiam.] Respondeo Iuris Ecclesiastici positiui esse, vt [i] Vnus vni præficiatur Ecclesiæ. Hic verò cum duabus præficeretur, licentia & dispensatione indigebat: & licentia Gregorij est, non vt Pontificalia exerceat (ea enim ordinaria potestate vt Episcopus poterat exercere) sed vt in duabus illas exerceat: & vt sit etiam alterius sibi additæ Ecclesiæ Episcopus proprius; quod Ecclesiastica lege non licebat. Idem fecit etiam cum [k] Agnello, Fundensi, quando ei vnuit curam Episcopatus Terracin. & cum Ioanne [l] Lisitano, cui Scyllatinam commendauit Ecclesiam.

i 7. q. 1. c. placuit. c. sicut.
k Greg. l. 2. ind. 11. ep. 13.
l 7. q. 1. c. pastoralis.

Dices demum: si in Papa non est plenitudo potestatis quoad externam Iurisdictionem; XXXVIII.

sed Episcopi eam æque plenam habent atque Papa: Nullam ergo prælationem super E-

piscopos Papa habebit: Quod tamen in tota Catholica Ecclesia reputatur absurdissimum: imò etiam hæreticum, vt fatetur Gersonius, qui sic ait: [a] Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, non potest esse de lege ordinaria, nisi in vnico summo Pontifice formaliter, & subiectiuè. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum: & habere posset multiplex caput ex æquo, quod aperte est hæreticum.] Respondeo verissimum esse de iure Diuino nullum esse Episcoporum Episcopum, vt ait [b] Cyprianus, & suo loco probabo: Gersonium verò & totam Scholam Parisiensem, Monarchiam in Ecclesia inter Episcopos ponere, quamuis non sine Dimocratia: quia in Papa plenitudinem ponunt potestatis, non absolute, tanquam in solo, & absoluto, ac independente in terris Domino; sed tanquam in ministro Dei, & Ecclesiæ, in ordine ad singula, inquit [c] Almaynus, non consequenter ad omnia: quia Concilium ponunt supra Papam. In ordine ergo ad singulos Episcopos Papam faciunt Monarcham, ab Ecclesia tamen dependentem: Vbi verò diligenti adhibita consideratione legerint ea quæ nos contra hanc Monarchiam disputauimus, & adhuc disputabimus, sententiam suam, vt spero, mutabunt multi, & ex doctrina Euangelica, orthodoxorumque tot Patrum explicationibus, facile discent, inter Episcopos omnes summam debere esse, iure Diuino, paritatem: vt sequenti etiam cap. explicabo: & Monarchiam hanc repudiabunt. Gersonius itaque ex falsa suppositione Monarchiæ Ecclesiasticæ, falsas etiam coactus fuit defendere conclusiones. Sed nec immerito dixit hæreticum esse aperte, si multiplex caput ex æquo in Ecclesia locaretur; Tot enim profecto Ecclesiæ essent totales, & per se plenè ab alijs diuisæ, quot essent huiusmodi capita: ac proinde tot essent quot sunt Episcopi, si quisque Episcopus plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ haberet, vt caput & Monarcha absolutus. Nos vero Episcopos omnes, etiam cum Papa, Euangelio, & Patrum doctrina, ac ratione id cogentibus, facimus æquales; simul tamen omnes, & in solidum, non singulos per se seorsim, & singulariter sumptos. Quia Monarchiam nullam vniuersalem ponimus, sed partiales in singulis Ecclesijs; quæ simul omnes vnicam constituant, & compleant Ecclesiam vniuersalem; non Monarchice amplius in vniuersalitate, sed Aristocratice potius gubernatam; iuxta illud Cypriani; [d] Vna est Ecclesia, a Christo, per totum Mundum, in multa membra, diuisa; item Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.] Et [e] Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.] Atque hæc est illa vnica Cathedra, quam cum Optato iam [f] consideraui: Hoc itaque non est multiplex caput ex æquo in Ecclesia collocare, sed multitudinem seruorum & ministrorum Christi, æquali munere, æquali officio, æquali potestate, in vnicum corpus coalescere. Quod non modo non est hæreticum, aut absurdum; sed ita Catholicum, & conuenientissimum; vt contrarium sit prorsus non modo absurdum, sed etiam hæreticum.

XXXIX Cur vero obsecro facultas Parisiensis, vt supra num. 30. testabatur Maior, hæreticum esse definiuit, asserere cum Paludano & Turrecremata, posse Papam Episcopum ex sua Ecclesia auferre, & minus dignum subrogare? Si Papa est Monarcha Ecclesiæ, cum plenitudine potestatis; quæ plenitudo sit in vnico Papa subiectiue, vt decidit Gersonius, vel [g] fontaliter, vt alibi loquitur: non hæreticũ, sed necessariũm erit, vt supra ostendi, id quod Palud. affirmabat: cum tamẽ hoc reuera hæreticũ sit, erit hæreticũ multo magis id vnde hoc sequitur. Ac propterea hæreticum etiam erit quod ponit Gersonius, plenitudinem potestatis esse subiectiue, & fontaliter, in solo Papa, & non nisi per deriuationem ab eo ad Episcopos eam transire. Quia ex hoc sequitur necessario Papam posse priuare Episcopum sine causa, ita vt, licet peccet, & iniuste faciat, valide tamen faciat, & factum teneat. Abusus enim potestatis non facit vt ipsa suum effectum non sortiatur: & sicut dicebam supra de sole & Luna; ita nunc dico exemplum Gersonij id egregie confirmare: dum vult potestatis plenitudinem esse in Papa, vt in fonte. Certe si fons fluere desistat, necessario riui omnes siccantur, & aqua priuantur: ita sola voluntas Papæ sufficit ad retinendam penes se suam totam potestatem, cum sit agens liberum: & tunc tota in Episcopis, qui ab eo solo fonte dicuntur Episcopalem accipere potestatem, cessabit; & sic Episcopus cessabit esse Episcopus, sola Papæ voluntate fluxum illum, & deriuationem, cohibente, & denegante.

XL: Vt autẽ huius cessationis positio non sit hæretica, cogetur Gersonius, cum reliquis Monarchicis, asserere, cohibitionẽ illam quam faceret Papa sola voluntate sua, sine causa, effectum non habituram; quod tamen, dato fonte in Papa, est impossibile; quinimo si iste fons totius Ecclesiasticæ potestatis est in solo Papa; posset, si vellet, absolute & vniuersaliter cessare ab omni communicatione & fluxu, vt supra innuebam; & sic extinguere in toto

a Gers. de potest. Eccl. in Epil. concl. 2.

b Cypr. in conc. Carthag.

c Almayn. de auct. Eccl. c. 8. ad 4.

d Cypr. l. 4. ep. 2

e Idem tract. de simpl. prael. siue de vnit. Eccles.

f Supra lib. 1. cap. 10. nu. 18.

g Gers. de stat. Prælat. consid. 3. & 6. & Dial. de pot. lig. & solu.

A toto mundo Episcopatus; vt ipse solus sit Episcopus. Quod sicut ab omnibus, etiam Monarchicis, negatur; ita, velint nolint, fontem illum, & illam solius Papæ plenitudinem, negare coguntur. Alioquin, ne id sequi possit, vel in Papa neganda erit arbitrij libertas: vel perpetuum miraculum ponendum est: & Deus ad hoc miraculum à nobis obligandus erit; ad quod se ipse nunquam obligauit. Verbis itaque Gersonius ludit, dum potestatem totam Ecclesiasticã ponit in Papa fontaliter, re autẽ aliud intelligebat: alio enim loco, vbi rem tractat ex professo, se hoc pacto explicat. [a] Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ hic propriè sumpta, non potest esse de lege ordinaria, nisi in vnico summo Pontifice formaliter, & subiectiuè. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum, & habere posset multiplex caput ex æquo, quod est apertè hæreticum. Nec tamen plenitudo potestatis Papalis sic intelligenda est immediatè super omnes Christianos, quod pro libito possit immediatè iurisdictionem in omnes per se, vel alios extraordinarios passim exercere: sic enim

B præiudicaret ordinarijs, qui ius habent immediatum, imò immediatissimum super plebes eis commissas actus Hierarchicos exercendi. Extenditur igitur plenitudo potestatis Papæ super omnes inferiores, solùm dum subest necessitas ex defectu ordinariorum inferiorum, vel dum apparet euidens vtilitas Ecclesiæ: quemadmodum dici potest de Episcopis respectu plebanorum, seu propriorum Sacerdotum, quorum possunt supplere defectus.] Atqui hæc explicatio præcidit Episcopos omnes ab illo fonte, dum dicuntur habere eandem plenam potestatem immediatè, imò immediatissimè: hoc est à Deo, nullo mediante à quo veluti a fonte illam hauriant. Et quod ait Cyprianus, Vt dum aliqui Episcopi suo muneri desunt, & male regunt, imò & sectas faciunt, tunc debeant [b] subuenire cæteri; id munus subueniendi in solo casu necessitatis, tribuit Papæ Gersonius: quæ plius restrictio, & limitatio destruit fermè Papatum. Et tamen est diligenter obseruanda, quia vis veritatis eam ex magni Hieromonarchici ore elicuit. Potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem tum ordinis, tum iurisdictionis in singulis Ordinarijs voluit collocari, ita vt dum illi suo muneri

C non desunt, Papa nihil possit in Ecclesiarum aliarum, extra suam Romanam, gubernatione: in quibus proprij Episcopi plenissimam totam Ecclesiasticam potestatem possint exercere. Et ita cognoscit Gersonius vnumquemque Episcopum in sua diœcesi esse Papam plenissimum.

a Gers. de pote. Eccles. an Epilog. corol. 2.

b Cypr. lib. 3. Epist. 13.

Insurgam adhuc pluribus aliàs contra Monarchicos omnes, caput vnicum visibile in Ecclesia, cum plenitudine potestatis, ponentes. Nunc mihi satis sit, ineptè Leonis dictum huc trahi, vt ex eo in solo Papa ponatur plenitudo Ecclesiasticæ potestatis: Episcopos verò, non minus quàm Apostolos, immediatè à Deo suam accipere iurisdictionem ex Romanis nostris Catholicis, expressè tenent, & defendunt, etiam Franciscus Victoria Relect. 2. de potest. Ecclesiæ. Alfonsius de Castro, de iusta hæret. punit. lib. 2. cap. 24. & Franciscus Torrensis, tract. de Resid. Past. Cuius pauca tibi recito verba huiusmodi, [c] Summus Pontifex, tanquam caput, accepit à Deo, secundum gratiam, omne ministerium, ac dispensationem omnem potestatis spiritualis; ita vt quicquid Dominus alijs tribuat, non nisi per Pontificem, tanquam summum Ministrum suum, tribuat: accipiantque de eius potestate cæteri partem: non quidem ab eo tanquam primo autore, & datore, sed à Deo per eum. Qui quidem (si ita loqui libet) dicatur mediatè facere Episcopos, id est, tanquam Minister. Ac sic quidem vt Pontifex facit Episcopos, similiter eligentes faciunt Pontificem, tanquam Ministri.] Papa igitur nihil plus confert Episcopo, dum ipse facit Episcopum, quam Electores conferunt Papæ, dum illum in Papam eligunt. At quis dicet Electores Papæ, dare ipsi Papalem iurisdictionem? Ita ergo neque Papa dum eligit Episcopos, dat eis Episcopalem iurisdictionem; sed Deus immediatè, & Papæ, & Episcopis, eodem prorsus modo, dat omnem quam dat potestatem. An verò Papæ sit omnes Episcopos eligere, idque à Deo habeat, tractabitur libro sequenti. Viderint tamen Torrensis, & socij,

E quomodo asserant, Episcopos accipere non nisi partem potestatis quam habet Papa, si tam Papa, quàm Episcopi, totam quam habent potestatem, à Deo immediate accipiunt; vt merito ipsi docent. Vnde verò constat Deum minus dare Episcopis quam Papæ? aut partem Episcopis, totum Papæ? Viderint etiam quomodo posita hac veritate, Primatum Papæ iure diuino possint defendere; certè hi autores eodem modo faciunt Papam collatorem potestatis iurisdictionis, sicut & potestatis ordinis; hoc est ministerialiter.

c Torrens. de Resid. Past.

XLI.

Nos interim venerandi, sacrique Præsules, agnoscamus nostram potestatem; locum, & gradum, quem nobis ipse Christus dedit, non ignoremus: Certè a quo habemus ordinem, ab eodem habemus Ecclesiasticam quoque iurisdictionem, & potestatem;

XLII.

testatem; & sanè eam totam, quæcunque est à Christo Domino suis ministris concessa. Nihil est, vt vidistis, à Domino commissum Petro, quod non fuerit vnicuique Apostolo commissum; nihil habet iure Diuino Romanus pontifex, etiamsi Petri successor esset, quod non habeat quiuis nostrum, qui sumus in Ecclesia Christi Episcopi. Nemo nostrum est, qui non æquè Petro succedat, atque Romanus: Ordo Episcopalis secum necessariò fert totam, & plenam Episcopalis iurisdictionis potestatem. Ita Deus voluit, ita Christus instituit, ita Apostoli tradiderunt, ita Ecclesia antequam opprimeretur, & docuit, & exercuit. Vt quid ergo nostra sponte, & voluntariè toleramus [a] iugum super cervices nostras, quod Patres nostri portare non potuerunt? Sit Romanus Papa, si vult, imò si vultis, elector noster, sit si placet confirmator, sit, quando sic lubet, sed immeritò, etiam consecrator, in his tamen omnibus nudum ille exhibet externum ministerium; & ad ipsius, alteriusue ministerium, Deus immediate nobis totam confert Apostolicam ordinariam, hoc est, Episcopalem potestatem: iam in illa electori, confirmatori, & consecratori nostro sumus pares. Nam & ipse ab alijs eligitur, ac consecratur, imò etiam ab alijs confirmatur, vel confirmari debet, vt postea ostendam libro quarto. De potestate ordinis non negat, non enim potest, neque audet: nam tum plene, & apertè se (sicut iam clam, & furtiuè tentat) nostrum Deum verum faceret. Sed neque potestatem iurisdictionis, quam Deus immediatè cum ordine simul confert, à Papa habemus, vt vobis reddidi iam manifestissimum. Si igitur non piget vos, at saltem pudeat, quòd ex fratribus, & reuera collegis Romani Pontificis, facti ipsius duntaxat famuli, & administri, merique vicarij, & ad partem solicitudinis delegati precario præsitis; & non proprio, sed ipsius nomine Ecclesias regatis. Vtimini potestate, quam à Deo habetis, & plenissima vestras Ecclesias auctoritate gubernate; neque vobis virgam de manibus à quoquam eripi patiamini. Episcopus Romanus pedum suum iamdiu abiecit, ne scilicet Pastor sit, sed Rex, & Dominus: Si nobiscum Dominici gregis Pastor esse vult, resumat pastorale pedum, & sceptrum deponat; nobiscumque portet pondus diei, & æstus: sin minus, agnoscat saltem vos aperuisse oculos; vosque omnes, ac singulos non famulos, non subditos, non vasallos, sed fratres, sed collegas, sed comministros experiatur. Fulmina ipsius ne vos quæso, terreant, tantum potest cuiusque vestrum fulmen contra illum, si extra paternas exorbitet regulas, quantum ipsius erga nos. Opponite vos murum pro domo Dei, pro Episcopali propria dignitate: sola cognitio plena vestræ potestatis, si vel leuiuscule eam ab illo independenter exercere incipiatis, tyrannidi, quæ nos miserè opprimit, succidet neruos; breuíque fiet, vt illa summo cum totius Ecclesiæ bono, tota magno cum fragore corruat, & penitus euanescat. Hoc in vobis potissimum situm est, collegæ Sanctissimi. Faxit Deus.

[a] Act. 15.

CAP-

A

CAP. VI.

Episcopos omnes æquè Vicarios esse Christi, & in potestate Ecclesiastica inter se Jure Diuino prorsus æquales.

SUMMA CAPITIS.

Ex præiactis in præcedentibus fundamentis propositum colligitur, num. 1. ac deinde confirmatur autoritatibus, num. 2, 3, 4.

Confirmatur æqualitas inter Episcopos, etiam cum Papa, pluribus documentis, à num. 5. vsque ad num. 13.

B *Vnus igitur solus Episcopus in Ecclesia Vicarius Dei non est faciendus, cùm sint omnes æquales, num. 14. 15.*

Sed solus Christus est verus Dei Vicarius, num. 16.

Nter Apostolos omnes, summam æqualitatem, cumulatissimè probaui toto libro 1. cuius hic scopus penè totus fuit: expressè tamen cap. 3. eiusdem lib. æqualitatem hanc demonstraui; atque Ecclesiam vniuersam æquè omnibus Apostolis fuisse commissam, eosque omnes à Christo æque fuisse Vicarios suos institutos, ostendi ibidem cap. 4. Cum itaque Episcopi plene succedant Apostolis, vt in huius secundi lib. cap. 1. probaui, quis non videt summam inter Episcopos, iure diuino, ipsa Christi institutione æqualitatem? Cúmq; C præcedenti capite ostenderim, & conuicerim Episcopalem totam potestatem esse immediatè, & æquè a Deo, non à Romano Pontifice, eadem pariter apparet æqualitas. Eam tamen adhuc plenius hoc peculiari capite suscepi explicandam, & communissimo totius antiquioris Ecclesiæ sensu & consensu confirmandam. I.

Apostolicæ constitutiones, Apostolos omnes ita scribentes ad omnes Episcopos inducunt; [a] Scripsimus vobis vniuersalem hanc doctrinam, quorum fidei vniuersalis Episcopatus est commissus.] Ignatius Communis Ecclesiæ vocat Episcopum eum qui Philadelphensem regebat Ecclesiam: Ait enim ad Philadelphenses scribens; [b] Conspecto vestro Episcopo, cognoui quod non a seipso, neque per homines ad dignitatem euectus est, vt susciperet ministerium hoc Communis Ecclesiæ, &c.] Præterea Eleutheri Rom. Pont. antiquissimi Epistola, siquidem in nostra Romana Ecclesia non reprobatur, ad confirmandam hanc æqualitatem apud nos Romanos plurimum valet. In ea verò habentur hæc verD ba Eleutheri ad Episcopos Gallicanos: Huius rei gratia Vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.] Quod dictum habes etiam in Ioanne 1. Epist. 1, vt infra. In Concilio Carthaginensi, sub Cypriano; [c] Venantius à Tinisa dixit; Christus Dominus, & Deus noster, ad Patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendauit: vtrumne eam incorruptam, & inuiolatam custodimus; an integritatem eius, & castitatem eius mœchis, & corruptoribus prodemus?] Quod dictum Augustinus admisit vt verum, neque id reprehendit vt arrogans. Quando igitur Dominus Apostolis omnibus æque suam commisit Ecclesiam, tunc Episcopis etiam eorum successoribus eam, vt dicit Venantius, nihilosecius commendauit. Et quando ex hac Christi commendatione Apostoli æquæ omnes cum Petro [d] orbis curam susceperunt, vt loquitur Chrysostomus, tunc simul etiam, vt ait Venantius, Episcopi omnes eandem susceperunt. Et clarius loquitur ibidem, Clarus à Muscula, [e] Manifesta, *inquit*, est sententia E Domini nostri Iesu Christi; Apostolos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes, &c.] Qua ergo potestate simul & in solidum Apostoli, dum vixerunt, Ecclesiam Christi totam gubernârunt: eadem nunc Episcopi eandem gubernant: & sicut illi fuerunt in hoc æquales, ita & Episcopos æquales in hoc esse necesse est. Alexander Episcopus Alexandrinus, vbi de exorta in sua Ecclesia hæresi Ariana, per suas literas, reliquos omnes Episcopos certiores reddit, ita exorditur. [f] Cum in sacris literis sit vnum corpus Ecclesiæ Catholicæ, nobis traditum, & præceptum, vt concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus, &c.] Iustus Orgellitanus; [g] Vineam traditam custodibus, dicit esse Ecclesiam quam Christus commisit regendam Apostolis, vel successoribus eorum Episcopis] Episcopi II.

a *Constitut. Apost. l. 6. c. 14.*

b *Ignat. epist.*

c *Apud Aug. lib. 7. de Baptis. contr. Donat. cap. 13.*

d *Chrys. hom. 87. in Ioan.*

e *Apud Aug. ibid. c. 43.*

f *Apud Socrat. lib. 1 c. 3.*

g *Iust. Orgel. in Cant. vers. 194.*

copi in quinta Synodo generali congregati, ita de se loquuntur. [a] Et nos igitur, quibus regere Ecclesiam Domini creditum est &c.] Episcopi similiter Regni Francorum, qui erant sub Carolo, ad Ludouicum, dum monitorias scribunt, inter cætera hæc habent: [b] Pro certo autem sciatis, quia cum nostris parentibus, id est cum Apostolis Christus Rex Regum, Regnum suum, id est Ecclesiam, conquisiuit, ampliauit, & erexit; & per nos, & nobiscum, (vtinam non ad iudicium vestrum dicamus) eandem Ecclesiam, id est Regnum suum quotidie acquirit, auget, & gubernat idem Dominus Iesus Christus, sicut dictum est à Domino Ecclesiæ per Prophetam, [c] Pro patribus nati sunt tibi filii, id est pro Apostolis creauit tibi Episcopos, qui te regant & doceant. Cum qua Ecclesia nobis à Deo commissa, pro vobis deprecari studebimus &c.] Atque hæc generalis commissio totius Ecclesiæ omnibus Episcopis æque, sed in solidum data explicabitur adhuc magis à nobis in sequentibus.

III. Hinc igitur est quod passim in Ecclesia Episcopi perpetuo, & constanter, fuerint vocati æque omnes Christi in terris Vicarij, vt iam ostendo. Sane Alexandri primi ad Episcopos dictum fertur huiusmodi: [d] Sicut filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos eius vice in Ecclesia estis constituti, vt inter Deum & homines legatione fungamini.] Et Eusebio Papæ illud tribuitur, quod tamen Hormisda vere scripsit: [e] Caput enim Ecclesiæ Christus est, Christi autem Vicarij Sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in Ecclesia.] Cyprianus de vnoquoque Episcopo, in quacunque Ecclesia, in communi loquens, sic ait; [f] Nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex, vice Christi cogitatur.] Atque eidem Cypriano merito tribuitur illud quod de se, & de omnibus Episcopis est effatus: [g] Et quoniam nobis, *inquit*, diuina & paterna pietas Apostolatus ducatum contulit, & Vicariam Domini sedem cœlesti dignatione ornauit, & originem authentici Apostolatus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, in superiore vestę portamus: accepta simul potestate soluendi; salutari doctrina admonemur ne cum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi cum eis pariter torqueamur.] Hoc loco sane Cyprianus, seu quis alius Episcopus non Romanus, plane se Petro ipsi, ac reliquis Apostolis exæquat; & Vicariam Christi sedem, suam sedem agnoscit; & se portare fatetur ipsam originem authentici Apostolatus; ac supra se à Christo fundari Ecclesiam perhibet, sibique dictum accipit, Quodcunque ligaueritis, &c. Sicut & [h] supra cap. præcedenti num. 5. In Concilio quodam Romano sub Syluestro; [i] Legimus, inquiunt illi Patres, non debere quenquam Domini discipulis, id est, Apostolorum successoribus detrahere; aut eos infamare: quia iniuria Doctorum, ad Christum pertinet, cuius vice, legatione funguntur.] Ambrosius, [k] Mulier, *inquit*, idcirco debet velare caput, quia non est imago Dei: sed vt ostendatur subiecta: & quia præuaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere, vt in Ecclesia propter reuerentiam Episcopalem, non habeat caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatem loquendi; quia Episcopus personam habet Christi: quasi ergo ante Iudicem, sic ante Episcopum quia Vicarius Domini est, propter reatus originem, subiecta debet videri.] Augustinus; [l] Antistitem, *inquit*, puriorem cæteris esse oportet; ipsius enim (*Christi*) habere personam videtur: est enim Vicarius eius; vt quod cæteris licet, illi non liceat; quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, &c.] Item, [m] Non intrat per ostium ad Ecclesiam, qui per laicalem portam intrat. Non enim laicis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini Vicarijs: Vicarij Domini sunt qui vicem Apostolorum tenent.] Chrysostomus dicit, Gentiles, & hæreticos, & sordidos, ac insensatos Christianos, non intelligere; [n] Sacerdotes Christi, Vicarios esse Christi, & Christum.] Rabanus exponens locum Deuteronomij 17. de iudicio Sacerdotis; Morietur, inquit, homo qui obedire noluerit Sacerdotis imperio; ipsius videlicet Sacerdotis imperio, qui secundum ordinem Melchisedec, Sacerdos factus in æternum, Pastores, hoc est vicarios suos, constituit regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo; vt pro ipso legatione functi, Euangelium toto orbe prædicarent; qui quantæ autoritatis sint ipse demonstrat dicens, Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.] Patres Concilij Meldensis; [o] Nos omnes, *inquiunt*, licet indigni, Christi tamen Vicarij, & Apostolorum ipsius successores, consilium Dei adnunciamus.] Et rursus; [p] Nos autem Dei iudicio, sui ab illo Vicarij constituti, iuxta ministerium nostrum, pro viribus decertare studebimus.] Episcopi similiter Gallicani, de se sic testantur in quodã Concilio apud Compendiũ celebrato; [q] Quale sit ministerium Episcoporũ, qualisq; vigilantia, atq; solicitudo eis circa salutem cunctorum adhibenda sit, quos constat esse Vicarios Christi, & claui geros Regni cœlorum; quibus à Christo tanta collata

[a] *Apud Baron. tom. 10. an. 858 num. 50.*
[b] *Apud Baron. tom. 10. an. 858 num. 50.*
[c] *Ps. 44.*
[d] *Alex. 1. ep. 2.*
[e] *Euseb. ep. 3. et Hormis. ep. 60.*
[f] *Cyp. L. 1. ep. 3*
[g] *Cyp. de Aleat.*
[h] *Idem Cyp. L. 5. ep. 6.*
[i] *Conc. hom. 2. sub Sylu.*
[k] *Ambros. in 1. Cor. 11.*
[l] *Aug. in qq. vet. & nou. test. lam. q. vlt.*
[m] *Idem ad fra. de hæres. ser. 37*
[n] *Chrysost. hom. 17 in Matth.*
[o] *Concil. Meld. in præfat.*
[p] *Ibid. c. 18.*
[q] *Apud Baron. tom. 9. an. 833. num. 10.*

collata est potestas, vt quodcunque ligauerint super terram, sit ligatum & in cœlo, &c.] Non dicunt sibi à Papa esse datam hanc iurisdictionalem potestatem; Imperatorem nimirum Ludouicum, ad publicam pœnitentiam deprimendi; sed à Christo, cuius se Vicarios immediatos esse fatentur. Rursum alij eiusdem Regni Episcopi, Ludouicum Regem monent; [a] Vt Rectores, & Pastores Ecclesiarum, vt Patres, & Christi Vicarios colat. Alcuinus illud habet, [b] Sacerdos, qui est Vicarius Christi, implet suum officium, &c.] Henricus secundus huius nominis Imperator, dum obiurgat Episcopos Simoniacos; [c] Lugens vobis, *inquit*, incipio loqui, qui vice Christi in Ecclesia constituti estis.] Gregorius septim. Omnes Carthaginenses, vt Episcopo suo Cynico pareant, ait; [d] Humilitatis Discipuli humilitatem induite: Christi vicem super vos habenti, ex debito obedite.] Et ad hoc ipse quoque inducit illud Christi; [e] Qui vos suscipit, me suscipit: qui vos spernit, me spernit.

Quæ verba cùm non minùs Episcopis, quàm Apostolis, dicta censeantur, profectò Episcopi, sicut & Apostoli, vices Christi gerere cognoscuntur. Bernardus dum reprehendit Monachorum Abbates, quod ab Episcoporum obedientia, & subiectione, velint esse immunes; [f] Ite nunc ergo, *inquit*, resistere Christi Vicario, cùm nec suo aduersario Christus restiterit.] Petrus Blesensis; [g] Ordinatur, *inquit*, in infimis Christi Vicarius, Ecclesiæ Prælatus.] Item; Est enim Christi Vicarius, homo columbinus, veritatis filius, Ecclesiæ Prælatus.] Nicolaus de Lyra; [h] Vnus Pastor, *inquit*, Christus: alij autem non sunt nisi Vicarij illius Pastoris.] Et Stephanus Tornacensis ad Toletanum Archiepiscopum scribens, ait; Temperet in Vicario Christi, rigorem dispensatio; ius strictum æquitas; potestatem Iudicis, sinus Patris.] Mitto alios. Non est igitur nouum in Ecclesia, Episcopos Christi Vicarios, sicut verè sunt, appellari: soliusque Romani Pontificis titulum hunc adeò speciosum non esse proprium: sed cum cæteris Episcopis omnibus communem. Nisi quis dicat; [i] Papam esse Vicarium Christi generalem, Episcopos verò esse Christi Vicarios foraneos, & rurales: sed ex institutione Episcoporum, ex successione Apostolica, ex potestatis paritate, omnes simul Episcopi in solidum, etiam cum Papa, sunt Vicarius ille Christi generalis; singuli verò sunt, æquè etiam cum Papa, Vicarij Christi, in particularibus suis Ecclesijs, speciales. Ad hanc tamen æqualitatem melius confirmandam iam accedo.

In Episcoporum encomia, Martyr Christi Ignatius, libenter excurrit, & sæpius: quæ sanè encomia, Episcopum quemque, vti summum in sua Ecclesia, celebrant; & Dei locum tenentem: neque patiuntur inter [k] Episcopos subiectionem, & prælationem. Episcopo, *inquit ad Trallianos*, subiecti estote, velut Domino: ipse enim vigilat pro animabus vestris, vt qui rationem redditurus sit.] *Et*, Sine Episcopo nihil tentetis. *Et*; Episcopus typum Dei Patris omnium gerit.] *Et ad Smyrnenses*; Omnes Episcopum sequimini, vt Christus Patrem. *Et*, Sine Episcopo nemo quicquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. *Et*; Honora Deum, vt omnium autorem, & Dominum; Episcopum verò vt principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei quidem propter Principatum; Christi verò propter Sacerdotium. *Et*, Episcopo nihil maius in Ecclesia.] Vides vnumquemque Episcopum, propter summum Principatum quem gerit in sua Ecclesia, Deum repræsentare: qui est summus totius creaturæ Dominus; At si Episcopus haberet supra se alium Episcopum, non gereret summum Principatum, sed subordinatum: & sic Deum non posset propriè repræsentare. Huc verò adde quæ consideraui ex eodem Ignatio meo primo libro, cap. 12. num. 8. & quæ consideraui ex Cypriano, & Augustino, cap. prox. præcedenti huius libri num. 5. & num. 9.

Iulius Papa Romanus ad Eusebianos rescribens, in causa præsertim Athanasij, multa reprehendit; inter hæc, quod eorum Episcopi de loco in locum ad Episcopatus capiendos transilirent; & ait, [l] Si igitur verè parem, eundemque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, neque ex magnitudine ciuitatum, vt vos scribitis, honorem huius rei crescere arbitramini, oportuit eum, cui concredita est parua ciuitas, in ea quæ credita est permanere, & nequaquam, reiecta concredita, ad eam quæ concredita non est transuolare, ne eam, quæ à Deo data est, aspernari, illam verò quæ hominum ambitu concessa est, magnificare videatur.] Obiecerant sanè Romano Episcopo paritatem, & ex magnitudine ciuitatum, vel paruitate, non crescere, aut minui Episcopalem potestatem: hoc ipsum Iulius admittit, nec reprehendit, aut confutat, sed retorquet aduersus eos, qui nihilominus de Episcopatu ad Episcopatum transilibant: Quod non deberent facere, si quidem Episcopalis honor, & potestas eadem erat in quacunque sede. Vnde & Patres Concilij Sardicensis, eundem Iulium Romanum Pontificem, non nisi comministrum vocant: [m] Pridem itaque, aiunt,

I V.

V.

a *Apud Baron. tom. 10 an. 9. n. 19.*
b *Alcuin. de diuin. off. c. 19.*
c *Glab. li. 5. cap. 2.*
d *Greg. 7. li. 1. Epist. 22.*
e *Luc. 10.*
f *Bern. Epi. 42.*
g *Bles. Serm. 47. 48.*
h *Lyra in Ioan. cap. 10.*
i *Turrecrem. lib. 2. de Eccles. cap. 61.*
k *Ignat Epi. 2. 7.*
l *Apud Athan. Apol. 2.*
m *Acta Concil. Sard. & Theod. lib. 1. cap. 8.*

aiunt, Eusebius, & Maris scripserunt Iulio comministro nostro, Ecclesiæ Romanæ Pontifici, &c.] A

VI. Hieronymus summam inter omnes Episcopos, etiam Romano incluso, ponit æqualitatem, ita scribens ad Euagrium; [a] Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij; siue Constantinopoli, siue Rhegij; siue Alexandriæ; siue Tanis; eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.] Nesciuit Hieronymus distinguere ab ordine iurisdictionem: ignorauit Episcopos iurisdictione esse æquales, quos ordine pares faciebat: scilicet; sub titulo sane Sacerdotij inclusit, quicquid & ordinis, & potestatis, haberet Episcopus: & pro vnica infragabili huius æqualitatis ratione, posuit Apostolorum successionem. Vt videas Hieron. Apostolos omnes in Ecclesiastica potestate æquales; & successionem Episcoporum omnium in solidum, æque omnibus itidem in solidum Apostolis, datam agnouisse: ac propterea Eugubinum Episcopum, æqualem Romano Episcopo fecisse. B

[a] *Hier. ep. 85.*

VII. Leo 9. Veritatem hanc, Romano Primatui nunc valde aduersam, non potuit non fateri: [b] Episcoporum, *inquit*, ordo vnus est: quamuis alij præferantur alijs: siue pro eo quod primas Ciuitates, & magis nominatas, secundum potentiam, aut leges sæculi retinent: siue quod in sanctis patribus, pro aliqua reuerentia sanctitatis, aliquod priuilegium dignitatis possident.] De hac prælatione Hierarchica Episcoporum, agam fusè lib. sequenti. Nunc vero hanc accipio confessionem, ex ore vnius Romani Pontificis, Prælationem omnem, quæcunque est inter nos Episcopos, esse totam humanam: iure verò diuino Episcopos, omnes esse vnum, ac inter se pares.

[b] *Leo 9. ep. 4.*

VIII. Iuo Carnotensis, ægerrimè ferebat, ordinariam potestatem Episcopalem, à quoquam, prætextu superioritatis, infringi, & turbari: ita ergo scribit; [c] Non reprehendimus institutionem Ecclesiasticam, per quam pax Ecclesiæ firmius colligata est; cum inferiores à superioribus, Sacramentorum dispensationem suscipiunt, nec vltra quam sibi concessum est, vsurpare præsumunt. Verum vbi personarum æqualis est potestas, quarum altera alteri nihil præter charitatem debet, si altera alteri ius suum vult detrahere, & sibi soli arrogare, sua quærens, deceptus est sæculi ambitione.] In propria sane Episcopali primaria iurisdictione, neminem agnoscit superiorem, nisi pro consecrationibus Episcoporum; & hanc non nisi iure humano positiuo, per solam Ecclesiasticam institutionem. C

[c] *Iuo ep. 199.*

IX. Ac ne putes omnes Episcopos æquales à viris sanctis agnosci inter se, non tamen cum Pontifice Romano: nam idem Leo 9 *inquies*, vbi supra Episcopos æquales fecit, statim subdidit; His omnibus, Diuino, & humano priuilegio, prælatus est Romanus Pontifex.] Scias non aliunde nostrum Papam habere supra nos maioritatem, quam vnde illam habent Patriarchæ cæteri, primates, & Metropolitani, supra sibi subiectos Episcopos inferiores: nimirum ex Ecclesiastica ordinatione; vt libris sequentibus explicabo. Diuinum verò priuilegium speciale Romani Pontifices, ac ipsorum assentatores, totum reducunt ad Petri primatum: quem quoniam plene lib. præcedenti sustulimus, relinquetur iure Diuino par cæteris Episcopis etiam Romanus. Atque hoc ipsum ex communi Ecclesiæ incorruptæ sensu iam confirmo. Sane Cyprianus Episcopus Carthaginensis, nisi se parem omnino censeret in potestate, & regimine Ecclesiæ, cum ipso Romano Pontifice, non alloqueretur Stephanum hoc pacto; [d] Cui rei nostrum est consulere, & subuenire, frater carissime, qui Diuinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram vigoris peccatoribus exhibemus, vt tamen lapsis erigendis, & curandis vulnerans, bonitatis & misericordiæ Diuinæ medicinam, non denegemus. Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Gallijs constitutos, &c.] Non placuit Baronio Cyprianum se Romano Pontifici exæquasse: Quid ait? [e] Hanc quidem curam, *inquit*, imminere omnibus Sacerdotibus cum dicat Cyprianus; postea, quod proprium est Romani Episcopi, & non aliorum, ab eo implorat auxilium, & requirit officium, dicens: Quapropter facere te oportet, &c. *Et*: Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelatæ consistentem, à te literæ. &c.] Si solius Romani Pontificis, & non aliorum, erat scribere literas in Gallias, vt Marcianum, Nouatianam hæresim propugnantem, excluderent, atque eijcerent; cur ergo Cyprianus sibi etiam curam arrogat communem cum Stephano: Nostrum est, inquit, consulere, & subuenire; qui gubernandæ Ecclesiæ libram, simul cum Stephano, se tenere asserebat? Scribere verò literas illas, nonne huius curæ, & gubernationis effectus erat? quia igitur communis erat cura, (vt vlterius explicabo, capite sequenti D E

[d] *Cypr. l. 3. ep. 13.*

[e] *Baron. tom. 2. an. 187. n. 2. & an. 258. n. 9.*

A sequenti.) ideo hortatur, imò fere compellit Cyprianus Stephanum, sicut & Basilius Athanasium, vt habebis capite sequenti numero septimo, vt ipse etiam ad occurrendum Gallicanæ Ecclesiæ, ne Nouatiano errore labefactaretur, insurgat. Magna enim propter bene radicatam in ea Apostolica sede, fidei veritatem; & quia ex Romana Ecclesia plurimę aliæ in toto occidente sunt Ecclesiæ dilemiatæ, erat iam Episcopi Romani autoritas: & quia ipse quoque Cyprianus, non propterea destituturus erat, quin & ipse vel per literas, vel per Nuncios eidem Ecclesiæ succurrere conaretur; ideo mouet Stephanum; non tum vt faciat illum remedij autorem; quam vt illum sibi socium, ad idem remedium adiungat, & adiutorem: ait enim; Iccirco frater carissime copiosum corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque vnitatis vinculo copulatum: vt siquis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentauerit, subueniant

B cæteri.] *Item:* Nam & si Pastores multi sumus, vnum tamen gregem pascimus, &c.] Romanus itaque Pontifex, simul cum Cypriano, & alijs Episcopis, vnicum est corpus Sacerdotum; & vnicum Collegium Pastorum eiusdem gregis; vt propterea non minus teneatur Stephanus Romanus, quam Cyprianus Carthaginensis, curam suscipere Arelatensium, quam prior iam Cyprianus susceperat: & ad eandem suscipiendam secum, permouebat Stephanum.

Aequalitatem hanc licet nobis etiam inde colligere, quòd Cyprianus passim Cornelium Romanum vocat Collegam: ita & [a] Hieronymus. Cyrillus quoque Alexandrinus Cælestinum vocat [b] comministrum. Et passim ac communissime Episcopi antiquiores, Episcopum Romanum fratrem, Coepiscopum, [c] collegam &c. vocant. Et Gregorius sæpissime Episcopos vocat suos [d] Coepiscopos. Adhuc etiam Romæ vestigium aliquod huius æqualitatis, in verbo, non in re manet: dum Papa noster nos [e] coepiscopos, C & venerabiles vocat fratres; sed hos fratres & Coepiscopos miserrime tractat, dum eos ad pedum oscula deijcit: & nos vt genibus flexis, ac pene humi prostrati, vult eum tanquam Deum, alloquamur. X.

a Hier. ep. 57. ad Damasum.
b Cyrill. ep. 10.
c Cypr. l. 1. ep. 1. & 3. ep. 21 17.
d Greg. lib 4. ind. 13 ep. 55.
e De accus. c. Lucr.

Augustinus quoque parem se, & cæteros omnes Episcopos facit cum Romano in cura vniuersali totius Ecclesiæ, in resistendo hæresibus: ait enim ad Bonifacium Papam; [f] Cum vero non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto precio redemptas oues aditus vndecunque rimati, communisque sit omnibus nobis qui fungimur, (*includit etiam Bonifacium ad quem scribit*) Episcopatus officio: quamuis ipse in eo præmineas celsioni fastigio speculæ pastoralis; facio quod possum pro mei particula muneris.] Communem esse curam omnium Episcoporum, incluso etiam Romano, vt Ecclesiam vniuersam tueantur, & vnum atque idem esse omnium officium, iure diuino, & institutione Christi, intelligit. In hoc tamen Episcopali officio præ- D eminentiam tribuit Romano Pontifici speculæ Pastoralis, propter Cathedræ Apostolicæ, quæ in toto occidente alia non est nisi Romana, autoritatem. De hac præeminentia agam lib. 4. Hormisda hanc æqualitatem fatetur his verbis ad Epiphanium Constantinopolitanum; [g] Similem enim iam fidei curam gerentes per religiosam patientiam, par etiam præmium de boni operis speramus effectu: Ergo par studium solicitudinis assumentes, quibus est in vna communione, & credulitate societas, curemus, &c.] Fatetur etiam Ioannes primus, eandem in cura Ecclesiæ æqualitatem, cum Episcopis: dum ad Zachariam Episcopum scribens ait; [h] Huius rei gratia vobis, & nobis, sancta commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboremus, & cunctis opem ferre non negligamus.] Fatetur idem Nicolaus etiam dum ait: [i] Quamuis singularum Ecclesiarum, quæ propter diuersitatem terrarum multæ esse dicuntur, cum vna sit & vnica sponso suo, sicut ipse in Canticis Canticorum dicit: Vna est columba mea: & per Psalmistam, Erue de manu canis vnicam meam; Pastor, & Episcopus, ac Pontifex, Dominus noster Iesus Christus, qui hanc creauit, & redemit, exiitat: ita vt ille veraciter, ac principaliter, ista sit omnia; iuxta quod fidelibus per primum Apostolum dicitur: [k] Conuersi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. Et iuxta quod Gregorius prædicator de eo loquens; Talis, inquit, decebat vt nobis esset Pontifex: subiturus tamen ad cœlos, hanc Apostolis commendauit; ac per eos, tanquam hæreditario iure, successionibus eorum, nobis scilicet, quos Pastores, & Episcopos, ac Pontifices, super ipsam constituit, eius prouidentiæ curam indulsit: quatenus pro patribus nati filij, & pro eis constituti Principes, in omnem terrarum imitatores eorum essemus, sicut & ipsius Christi.] Et Leo 9 qui ita scribit; [l] Quicunque Sacerdotes & si dispares sunt merito, pares tamen sunt officio. Et Gregorius 7. Episcopos, in regimine Ecclesiæ, XI.

f Aug. contr. duas epist. Pelag. l. 1. init.
g Hormis. ep. 77.
h Io. 1. ep. 1.
i Nicol. ep. 42.
k 1. Pet. 2.
l Leo 9 ep. 4.

clesiæ, suos vocat [a] socios, non coadiutores. Atq; hæc de iure diuino ita se habent. Nam quod subdit Nicolaus de potestatum discretione; ad solum ius pertinent humanum, & Ecclesiasticam institutionem; vt libro sequenti patebit. A

a *Greg.7. Lib. epist.4.*

XII.

Et quid aliud quam hanc æqualitatem inter omnes Episcopos, si Diuinam spectes institutionem, voluere Patres, quando Episcopos quoscunque oculos vocarunt Ecclesiæ? Pij primi dictum tale nostri proferunt: [b] Episcopi à Deo sunt iudicandi; qui eos sibi oculos elegit.] [c] Omnes qui credimus inquit Origenes, vnum Deum habemus, qui nos in vnitate constringit, & continet Christus, cuius corporis tu qui Ecclesiæ præsides, oculus es Pastores, &c.] Loquitur vero de omnibus Episcopis. Et alibi: [d] Sacerdotes autem, *ait*, rationabiliter possunt dici Ecclesiæ oculos, quoniam & speculatores habentur.] Intelligit profectò Episcopos. Neque aliquid altius oculo in Ecclesia obseruauit Origenes, & consequenter neque Episcopo, qui per oculum significatur. Est enim in corpore nobilissimum membrum oculus, supra quem solum caput est nimirum caput formaliter, dictum non materialiter, vt libro primo [e] obseruaui. Hoc autem caput in Ecclesia Christum solum facit, ibidem, Origenes dicens, Christum autem Ecclesiæ caput esse, non ego, sed Apostolus intellexit.] Imò & notabile est quod ibidem scribit Origenes his verbis, Bonum quidem erat, vt ille, qui factus est oculus, dignus esset capiti Christo, & toti Ecclesiastico corpori: si autem conuersus oculus ille factus fuerit scandalum corpori vniuerso, [f] eijciatur oculus scandalizans, & extra omne corpus expellatur, vt sine illo oculo reliduum corpus saluetur, quàm cum illo oculo debilitato totam Ecclesiam mittit in gehennam: intenebratam videlicet per oculum malum.] Quod de quocunque Episcopo, etiam Romano, ille intelligit, quia & ipse oculus est Sed heu oculus est debilitatus iamdiu, qui suam nimium per talem oculum malum intenebratam Ecclesiam, & plurimas alias ei perperam addictas gehennæ facit obnoxias. Quàm satius esset si talis oculus tàm malus, tàm corruptus, tàm tenebricosus & tantum scandalum toti corpori faciens, erueretur, & penitus de corpore Ecclesiæ proijceretur? Et Gregorius Nazianzenus; [g] Lucerna corporis est oculus: lucerna autem Ecclesiæ Episcopus.] Et Concilium Toletanum 8. hæc habet. [h] Nam dum secundum carnis assumptæ mysterium Ecclesiæ suæ fuerit dignatus caput existere Christus: merito in membris eius, intentio Episcoporum, officia peragere cernitur oculorum: ipsi enim de sublimiori celsitudine ordinum regunt, & disponunt subiectas multitudines plebium &c.] In sublimi ordinum Ecclesiasticorum gradu ponunt Episcopos æque omnes: & faciunt oculos Ecclesiæ, non manus Papæ: neque ad subsellia aut suppedanea Papæ illos deijciunt, quos in sublimi à Christo positos agnoscunt æque omnes. B C

b *6.q.1. Omnes.*

c *Orig. in Iosue hom.7.*

d *Idem tract.5. in Matth.*

e *Supra lib.1. cap.1. num.4.*

f *Matth. 18.*

g *Apud Basil. ep.30*

h *Conc. Tolet.8 c.4.*

XIII.

Consideremus obsecro collationem quandam Augustini, qua inter se confert Episcopos duos, Cyprianum Carthaginensem, & Stephanum Romanum: & in ea æqualitas, quam quærimus, manifesta apparebit. [i] Duo erant, *inquit*, eminentissimarum Ecclesiarum, *Romana scilicet, & Carthaginensis*, Episcopi, Stephanus & Cyprianus; ambo in vnitate Catholica constituti: quorum Stephanus, baptismum Christi, in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus grauiter succensebat: Cyprianus autem, in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat: multi cum illo; quidam cum isto etiam sentiebant: vtrique cum eis in vnitate consistentes.] Vides paritatem summam inter hos duos: Duo, *inquit*, erant Episcopi eminentissimarum Ecclesiarum: eminentissimam Romanam Ecclesiam vocat; sed eminentissimam etiam Carthaginensem: vtraque eminentissima, ergo pares. Eminentissimæ vero hæ duæ vocantur respectu aliarum Ecclesiarum, quæ essent in minoribus Ciuitatibus. Carthago enim prima & maxima Ciuitas totius Africæ, Romæ olim æmula; Roma vero prima & maxima Ciuitas totius Italiæ: non sic aliæ, aut Africanæ, aut Italæ. Separa tantillum ciuitates, ex quibus hi duo Episcopi habent eminentiam, quid relinquitur? nihil aliud nisi vt sint coepiscopi. Iam igitur etiam cum reliquis omnibus Episcopis erunt pares. Sed præterea quid tibi videtur de resistentia Cypriani aduersus Stephanum? An putas Augustinum stomachari contra Cyprianum, quod aduersus Christi Vicarium, & Vniuersalem Episcopum, ac totius Ecclesiæ Monarcham, vnicus ipse, Stephani delegatus, nulla iurisdictione, nisi à Stephano, habita, & quam statim ei posset auferre, instructus, intumesceret? Minime vero. Hanc enim prælationem Stephani supra Cyprianum non cognoscit. Sed miratur quod Cyprianus à Stephano opinione dissentiens, charitate tamen cum Stephano coniunctissimus esse voluerit; & pacem atque concordiam Catholicam hi duo, quando maxime inter se dissentiebant, vt pares, conseruarint. D E

i *Aug. de vnico bap. cont. Petil. c.14.*

Nostris

A Nostris ferme diebus Monarchiæ Romanæ feruentissimi defensores, magna hac veritatis luce compulti, æqualitatem hanc posuerunt, & acrius propugnârunt. Incidit, tempore Concilij Tridentini, inter Theologos, in ipso Concilio præsentes, acris disputatio de Residentia Episcoporum: esseine de iure Diuino, an Ecclesiastico tantum politiuo. Aduersus communissimam, & verissimam sententiam, insurrexit Ambrosius Catharinus: & pro solita sua audacia, scriptis opusculis, residendi obligationem ad solum ius reduxit Ecclesiasticum positiuum. Vnum ex præcipuis ipsius, quo nitebatur, fundamentis, fuit id quod præcedenti nostro quinto capite asseruit, & confirmare laborauit Bellarminus: nimirum, solum Papam accipere à Deo immediatè totam potestatem Papalem: Episcopos verò à Papa suam habere iurisdictionis potestatem. Hanc positionem, tam quam falsissimam, pluribus, statim conatus est euertere, Franciscus Torrensis. [a] Qui rationibus verè conuin- XIV.

a *Torren tract. de resid. Pap.*

B centibus, probauit, nihilosecius totam potestatem Episcopalem, etiam iurisdictionis Episcopum quemque accipere immediatè à Deo, sicut eam accipit Papa. Et quia vidit inde sequi, hanc, quam nos probamus, æqualitatem; nil aliud respondit, nisi, si quis velit inde deducere æqualitatem inter Episcopos, & Papam, debere eum etiam deducere æqualitatem inter Presbyteros, & Episcopos, quod supponit absurdum: At verò Hieronymus, id ei lubens concedit, nec agnoscit absurdum. Hoc ego quoad essentiale ministerium verissimum esse, iam probaui supra cap. 3. Sed & iure diuino distinctos ordines ibidem fecimus Episcopalem, & Presbyteralem: & Presbyteros Episcopis supposuimus: non autem Episcopos Episcopis, nec Presbyteros Presbyteris. In nostram igitur sententiam, imò in apertam veritatem consentire cogitur & Torrensis.

Hîciam tandem pius Lector excogitet, si potest, modum quo excusare possit nostrorum Romanorum Pontificum recentiorum eam, quæ mihi intolerabilis, nedum inexcusabilis XV.

C videtur, arrogantiam; dum non contenti se præferre omnibus totius mundi Episcopis, imò se solos facere Episcopos, cum plenitudine potestatis; cum sola communicatione nobis partis ipsorum, vt vocant, propriæ solicitudinis, seque solos facere Vicarios Christi; vbi verè neque vllum superant potestate Episcopali iure diuino Episcopum, neque sunt plus Christi Vicarij, quàm quilibet nostrum; vt iam euidens feci: eò, vt propriè loquar, vesaniæ deuenerunt, vt Dei se Vicarios solos faciant; cum diuina potestate in terris, & sibi verè propriam diuinam potestatem arrogent manifestissimè. Innocentius enim tertius sexties ad minimum, quod ego obseruaui, seriò rescripsit; publicisque, ac solennibus literis suis, in corpus etiam iuris Canonici, pro vniuersali Ecclesiæ lege redactis, apertissimè declarauit; [b] Se Dei locum in terris tenere: & vinculum Matrimonij rati iam, & consumati, inter Epi-

b *Innocen. 3. l. 1. Ep. 326. 335. 447. 491. 503. 532 & cap. 2. 3. 4. de transl. Episc.*

D scopum, & Ecclesiam suam, occasione mutationis, seu translationis ad aliam sedem, dissoluere; non vt hominem, sed vt Deum: quia quos Deus coniunxit, homo non potest separare, sed Deus. Hinc iam passim à suis Paralitis, publicis etiam scriptis, in Romana Ecclesia maximè plausibilibus, Papa vocatur, Vice-deus, & Deus in terris; imò & [c] Deus absolutè. Glossæ (in editione approbatâ Gregorianâ) verba sunt hæc; Credere autem Dominum DEVM nostrum, PAPAM conditorem dictæ Decretalis, & istius, sic non potuisse statuere, prout statuit, hæreticum censeretur.] Et non habent meritò occasionem hostes Pontificij hinc suspicari, eum iam ad diuinos verè, & propriè aspirare honores? & nos Episcopi stultitiam tantam ferimus; & adhuc ei blandimur; [d] Canes muti non valentes latrare?

c *Glos. in extrauag. Commiss. de Verb. sign. in fine.*

d *Isa. 56.*

Sed dicat mihi noster hic Deus ridiculus, seu Vice-Deus; si nemo præter ipsum potest Episcopum ab vna Ecclesia ad aliam transferre, quia omnes alij Episcopi sunt puri homi- XVI.

E nes; & quos Deus coniunxit, homo non potest separare; ipse verò solus potest, non quia homo est, sed quia Vice-Deus est, imò Deus: nam quando ille separat, fatetur Innocentius, Deum, non hominem, hanc facere separationem: poterit igitur etiam verum carnale coniugium soluere, vt Deus, siue Vice-Deus, non vt homo: nam quos Deus carnaliter coniunxit homo non potest separare, potest tamen Deus. At si hoc nos nostro Papæ concedamus, possumus etiam eidem thus adolere, & expedita latria illum etiam colere, & adorare, quod fortasse intendit: & iam mysterium iniquitatis opere ipso à multis completur. Et profectò, si imagines Sanctorum cultu duliæ, sanè cultu religioso colimus, & adoramus, ex sola memoria, per solam extrinsecam, quam induunt, denominationem, quæ nihil ferè est; quanto magis colere debemus nostrum Papam, qui Vice-Deus est, & Deus, & opera diuinæ solius omnipotentiæ propria, vt ipse dicit, & fide scilicet credendum præcipit, potest efficere? Dicam plus etiam adoratione latriæ esse adorandum nihil minùs, quàm sanctissimam

ctissimam Eucharistiam. Nos enim Sacramentum ipsum Eucharistiæ dicimus esse cultu latriæ adorandum: hoc est, ipsas species sacramentales (illæ enim sunt verum Sacramentum Eucharistiæ) quia nimium sub illis latet Corpus Christi: Cur non Papa erit adorandus, si in ipso Deus ipse, tanquam in suo Vice-Deo; qui diuinas etiam, non vt homo, sed vt Deus, perficit operationes? Huc verò nos paulatim deducendos, nisi expergiscamur, non dubito. Blasphemias enim has, non tam hæreses, quàm Ethnicismum inducentes, ferimus, & toleramus, imò etiam laudamus, approbamus, & tuemur. Cuiusmodi etiam est execrabilis illa blasphemia Petri Bertrandi Episcopi Eduensis, Romani Cardinalis; & ponitur in additione glossæ, in Extrauagantem Vnam Sanctam. de Maiorit. & obed. ad finem; dum ait; [a] Quia Iesus Christus Filius Dei dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturalis Dominus fuit, & de iure naturali in Imperatores, & quoscunque alios, depositionis sententias ferre potuisset, & damnationis, & quascunque alias, vtpote in personas quas creauerat, & donis naturalibus, & gratuitis dotauerat, & etiam conseruabat: Et eadem ratione etiam eius Vicarius potest. Nam non videretur discretus Dominus fuisse (vt cum reuerentia eius loquar) nisi vnicum post se talem Vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset.] Atque hunc Vicarium facit Petrum, & Papas Romanos Petri successores. Vides igitur hic expressè Diuinam omnipotentiam, quam Christus vt Deus, & creator habuit, Papæ tribui audacissimè. Et Christum indiscretionis, ore sacrilego, condemnari, nisi suam omnipotentiam Papis communicasset.

a Pet. Bertrand. tract. de orig. & vsu iurisd. q. 4. n. 4. bibliot. PP.

XVII. Christum tamen in terris Vicarios non habere, vt Deus est, sed vt homo; & ad sola pura ministeria externa corporalia, iam ostendi l. 1. c. 1. & ostendam alijs locis in sequentibus. Vicarium verò Dei in Ecclesia solum Christum hominem ponendum, censuit Tertullianus, ex illis Euangelij locis: [b] Qui me videt, videt Patrem: Ego & Pater vnum sumus: Nemo venit ad Patrem nisi per me: Omnia mihi Pater tradidit: Sicut Pater viuificat, ita & Filius: Si me cognouistis, & Patrem meum cognouistis: [c] Secundum hæc enim, *inquit*, Vicarium se Patris ostenderat.] Et hoc est verè esse Vice Deum. Noster verò homo purus, imò impurus, & peccator, Vice Deus, ac Deus, inter abominationes Idolorum reponatur; dum se putidum Deum facit in terris. Insurgat igitur Sanctissimus Dominus, & verò pio, ac sancto zelo, aduersus adulatores pestiferos, vindex ipse primus, & seueriissimus excãdescat; & tantas tollat, purget, & aboleat blasphemias, & abominationes: Atque intra [d] terminos antiquos, quos Patres ei posuerunt, consistat. Simonis saltem cælipetæ casu ac ruina factus sapientior. Atque hæc hactenus de Episcoporum æqualitate: de qua etiam plura adiungam seq. l. 3. c 1. & l. 5. c. 3.

b Io. 14.

c Tertull. aduer. Prax. c. 24.

d Prouerb. 22.

CAP. VII.

Episcoporum potestatem certis locis Diuino iure non esse arctatam.

Summa Capitis.

Diuisio regionum inter Apostolos ponitur, num. 1.
Assignatio Episcoporum suis certis Ecclesijs facta per Apostolos traditur, num. 2.
Excursus Apostolorum, & Episcoporum consideratur, num. 3. 4.
Cura vniuersalis totius Ecclesiæ in vnoquoque Episcopo, à num. 4. vsque ad num. 19.
Et quia iure Diuino Episcopus sui gregis cura obligatur, ad Residentiam eodem iure tenetur num. 20. 21. 22. 23. 24.
Vinculum inter Episcopum, & suam Ecclesiam particularem, est solubile: n. 25. Episcopi tamen titulares non sunt veri Episcopi, num. 26. 27.

I. QVod fuerunt Apostoli suo tempore in Ecclesia, hoc, exceptis Apostolatus proprijs priuilegijs, prorsus esse Episcopos ipsorum successores, iam puto reddidi manifestissimum. Apostolos verò singulos plenam habuisse Episcopalem potestatem, nulli certo loco à Christo Domino alligatam, neque vlla certa Diœcesi circumscriptam, probaui lib. 1. c. 8. num. 5. & cap. 10. num. 21. 26. Poterant enim suam Episcopalem auctoritatem plenissime exercere in omni loco totius Mundi, in quo essent præ-

A præsentes: & sicut habitu, seu mauis dicere in actu primo, erat eorum quisque Episcopus totius Mundi terreni; ita actu, seu in actu secundo, quisque eorum Episcopus illius tantum loci erat, quem actu ipso regebat in spiritualibus. Et initio quidem, ex communi, & mutuo consensu, non sine interna Spiritus Sancti institutione, quia pauci erant, & ipsi soli duodecim, seu paulo plures Apostoli; vt testes oculati vitæ, & Resurrectionis Iesu Christi, erant per vniuersum Mundum Euangelium disseminaturi; valde magnas, & latissime patentes Diœceses singuli, ac inter se diuersas, sunt sortiti; vt amplissima Regna, pro sua quisque Diœcesi haberet, in qua quisque eorum esset Episcopus actualis. Quam diuisionem regionum, potius quam Diœcesum, non Petrus fecit; vt aliqui ex nostris somniant; sed ex composito simul omnes: id enim expresse docet Paulus, vbi scribit [a] dextras societatis inter ipsos datas, vt Iacobus, Cephas, & Ioannes in circumcisionem; Paulus verò, B & Barnabas, in Gentes ferrent Euangelium. Hinc nomine, & re vera Theologus, Gregorius Nazianzenus, singulis pene, singulas attribuit Prouincias; non minus Petro, quàm cæteris; quia & ipsum non Vniuersalem totius orbis facit Episcopum, sicut fere Paulum; sed Iudææ singularem: [b] Sit, *inquit*, Petri Iudæa; Pauli Gentium Vniuersitas; Lucas ad Achaiam mittatur; Andreas ad Epyrum, Ioannes in Ephesum; Thomas in Indiam; Marcus in Italiam, &c.] Concilium verò Aquense, [c] Petro dat Occidentem; Ioanni Orientem: Paulo totam generaliter mundi latitudinem.] At verò Didymus quemque Apostolum instinctu Sp. Sancti, regiones sibi designasse [d] scribit.

a Gal. 2.

b *Nazian. orat. 24. adu. Arian.*

c *Cons. Aquens. sub Pipino, l. 1. c. 12.*

d *Supr. lib. 1. c. 10. n. 26. in mi opere.*

II.

Qui profecto Apostoli, quocunque perueniebant, Ecclesiasque particulares fundabant, eis etiam Episcopos proprios [e] ordinabant; quibus ipsas Ecclesias particulares commendabant: & quo ipsi peruenire non poterant, discipulos à se bene instructos, & ordinatos, factosque Episcopos mittebant. Et illos etiam ad amplas circumiacentes Regiones, cum C potestate alios Episcopos per singulas ciuitates constituendi, dirigebant; vt fecit Paulus, quando Titum [f] reliquit in Creta; cuius tamen opera prius & [g] alias etiam confirmabat Ecclesias, nempe Dalmatiæ, & [h] Corinthiacam. Ephesinæ Ecclesiæ ministris ait Paulus; [i] Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.] Ex quo patet potestatem hanc Episcopalem, quam suis discipulis, primis Episcopis dabant, de se non fuisse ad certum locum alligatam, sed vniuersalem; talem, qualis erat in ipsis Apostolis in habitu; vt videmus in Tito, Barnaba, Timotheo, Crescente, & similibus: Nam etiam Timotheus, priusquam Ephesinæ alligaretur Ecclesiæ, [k] alias regiones prædicando peragrauit: & qui certis Ciuitatibus Episcopi ordinabantur, ij iam plene Episcopi in vniuersum facti, iussu Apostolico, in sibi assignatis locis, erant substituri. Atque ita tempore Apostolorum, & erant Episcopi, qui non minus quàm Apostoli per orbem, & varias regiones excurrebant prædicantes; D & qui particularibus Ecclesijs præficiebantur, & præfigebantur: atque inter hos, & illos, nullũ erat essentiale in Episcopali potestate discrimen. Quamuis [l] excursum, & circuitionẽ Chrysost. faciat propriam Apostolorum; consistentiã verò Euangelistarum, & Pastorum ac Doctorum. Sed si hoc esset verum, mortuis Apostolis, nullum amplius Ecclesia haberet, qui ex vi suæ ordinationis, & ex proprio officio posit in eas regiones ad Euangelizandum excurrere, in quibus aut nunquam fuit Euangeliũ prædicatum, aut iam sit extinctum. Cum autem negare tales Ministros Ecclesiæ, post Apostolos, sit absurdum, necessariò Episcopalem ordinem de se potestatem excurrendi habere est dicendum. Hæc enim potestas aut certè est in quocunque Episcopo, aut in nullo; non enim est vlla ratio cur talis potestas sit in vno, & non in alio, nisi velimus ineptire cum nostris Romanis, qui soli Petro in hoc per Romanum Pontificem succedi contendunt. Certè Irenæus de Apostolis Episcopos instituentibus in Ecclesijs, hæc habet; [m] Valde perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos E volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes.] Quid verò est suum locum magisterij tradere Apostolos Episcopis, nisi illos eodem modo magistros facere, quo illi erant; vniuersales quidem in habitu, particulares verò in actu, & cum eadem potestate pro opportunitate excurrendi? Et Cyprianus, [n] Episcopos à Deo habere asserit Ducatum Apostolatus.] Hoc est vt sint Duces in Ecclesia, quales Apostoli fuerunt.

e Act. 14.

f Tit. 1.

g 2. Tim. 4.

h 2. Cor. 12.

i Act. 20.

k Act. 19.

l *Chrysost. hom. 11. in ep. ad Ephes.*

m *Iren. l. 3. c. 3.*

n *Cypr. de Aleator.*

III.

Initio quoque excursus Apostolorum, & virorum Apostolicorum, quamdiu supererant regiones, in quibus prædicatum nondum esset Euangelium, fuit necessarius: postquam vero [o] in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, peregrinatio hæc Apostolica non fuit adeo necessaria, nisi ad melius confirmandas nouellas Ec-

o Psal. 18.

clesias; in quibus, discipulorum neophytorum, ad Episcopatus promotorum, opera nondum esset plene sufficiens. Ideoque Ioannes tandem substitit Ephesi; Petrus & Paulus Romæ; & alij alibi. Neq; fuit aut absurdum, aut vlla confusio, si simul cum proprio Episcopo loci, Apostolus aliquis illam particularē regeret Ecclesiam; & tunc simul vt fratres, & comministri, in solidum ex æquo, Ecclesiam illam gubernabant, vt iam docui in præcedentibus. Ita omnes Apostoli simul cum Iacobo proprio Episcopo, & non Apostolo, Hierosolymitanam Ecclesiam particularem, non exiguo tempore, simul & in solidum rexere. Et quidem sicut quisque Apostolus erat actualis Episcopus, cum potestate, & iurisdictione actuali, ibi duntaxat, vbi actu munus Apostolicum, hoc est Episcopale, exercebat; ita in reliqua loca longe dissita, nullam habebat actu Iurisdictionem, sed habitu, vt docui, seu potestate: quatenus poterat, si voluisset, eo, ad exercendum actu munus Episcopale, accedere. Loquor de vera iurisdictione externa potestatiua: nam de charitatiua instructione, admonitione, & directione, non loquor: hanc enim exercuerunt Apostoli perpetuo erga remotiores Episcopos, vt patet de Paulo monente & instruente Titum, Timotheum, Corinthios, & alias Ecclesias; & de Petro, Ioanne, alijsque Apostolis, siue Discipulis, Catholicas Epistolas, ad remotos scribentibus. Hanc eandem vniuersalem curam erga vniuersalem Ecclesiam, seu aliquam particularem à se remotam in Episcopis etiam omnibus esse, statim confirmabo. A B

IV. Illato in omnes orbis partes, per Apostolos, Euangelio, excursus, vt paulo ante dicebam, non erat necessarius: sed iam vnicuique Episcopo erat circa propriam Ecclesiam laborandum; in qua & notus esset, & linguæ eiusdem, atque idiomatis (donum enim linguarum fuit proprium Apostolorum & Discipulorum, qui ad omnes gentes mittebantur) & ad vitandam confusionem, vnicuique sua est Diœcesis assignata; & hæc iure humano Ecclesiastico, vt habemus collectum apud Gratianum tota quæst. 2. causæ 9. Inuenies tamen sæpe etiam Principes Laicos propria autoritate & Episcopatus erigere, fundare, ac dotare, & Diœceses etiam eis circumscribere, & assignare: vt fecit [a] Carolus Magnus in sua Saxonia. Sed hæc Parochiarum, seu Diœcesum, inter Episcopos ad vitandam confusionem distinctio, ne alter alterius turbaret regimen & gubernationem, non fuit adeo rigide instituta; vt interim, dictante charitate, quilibet Episcopus non posset in alia etiam Diœcesi sua vti potestate; quippe quæ iure Diuino, non esset locis circumscripta. Ita Epiphanius Cypri Episcopus, aliquando cum esset in Diœcesi Hierosolymorum, in Monasterio Bethleemitico Diaconum ordinauit quendam, & postea Presbyterum; illiusque Monasterij, in spiritualibus ferme destituti, curam gerit non exiguam; illudque egregie instituit, & instruxit. Hac re offensus Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, in Epiphanium excanduit: Ad quem Epiphanius increpatorias scripsit, & illum acriter obiurgauit tanquam immerito irascentem. [b] Ob Dei timorem, *inquit*, hoc sumus facere compulsi, maxime cum nulla sit diuersitas in Sacerdotio Dei, & vbi vtilitati Ecclesiæ prouidetur: Nam etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesiam, quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur; tamen præponitur omnibus charitas Christi.] In Sacerdotio Dei nullam ait esse diuersitatem; hoc est, ordinem Sacerdotalem, nimirum Episcopalem, quatenus est à Deo, non admittere has diuersitates, vt vnus Episcopus non nisi in certis locis ministret: & charitatem Christi humanis legibus, & iuribus, non restringi. Quinimo idem Epiphanius, eadem charitatiua potestate, non vlla iurisdictione, quam in Hierosolymitanum Patriarcham, ipse Cypri Episcopus nullam habebat, eundem modeste increpat & corripit. Obsecro te, *inquit*, dilectissime, & aduolutus pedibus tuis precor, præsta mihi, & tibi, vt saluetis, sicut scriptum est, à generatione peruersa, & recede ab hæresi Origenis, & à cunctis hæresibus dilectissime. Video enim quod propter hanc causam omnis verbi indignatio concitata sit; quod dixerim vobis, Arij patrem, Origenem scilicet, & aliarum hæreseon radicem, & parentem, laudare non debetis; & cum vos rogarem ne ita erraretis, & monerem, contradixistis: & me ad tristitiam atque lachrymas adduxistis; non solum autem me, sed & alios plurimos Catholicos, qui intererant. Inde, vt intelligo, hæc est omnis indignatio, & iste furor.] Hæc quidem ille satis placide; illud acrius paulo post; Feciſtis nos etiam pœnitentiam agere quare vobis communicauerimus; ita Origenis errores & dogmata defendentibus. Simpliciter loquor, nos secundum quod scriptum est, nec oculo nostro parcimus, vt non effodiamus eum, si nos scandalizauerit: nec manui, neque pedi, si nobis scandalum fecerit: & vos ergo, siue oculi nostri, siue manus, siue pedes fueritis, similia sustinebitis.]—Audis Epiphanium aduersus Hierosolymitanum C D E

[a] *Apud Baron. tom 9. an. 788. num. 12.*

[b] *Apud Hieron. ep. 60.*

A solymitanum Patriarcham excommunicationem comminantem? Ita vbi causa communis est, & tractatur de hæresi, quisque [b] piscopus aduersus quencunque alium, etiam summum, debet, ex officio proprio, propriaque autoritate, quam à Deo non loco alligatam habet, [a] opponere murum pro domo Dei. Mox verò idem Epiphanius suo conatu, apud vniuersas penè Ecclesias effecit, [b] ut Origenis malæ sententiæ publicè damnarentur. Hanc verò vniuersalem esse in vnoquoque Episcopo, vbi charitas ita postulârit, potestatem, libere nunc pluribus confirmare.

[a] Hieron. 13.

[b] Apud. Hier. Epist. 67.

Polycarpus Apostolorum Discipulus, Smyrnæ primus Episcopus, sub Aniceto [c] venit Romam, fidei causa: & in Aniceti summi Pontificis Ecclesia propria, curam gessit Episcopalem, præsente Aniceto: nimirum in ea euangelizauit, multosque hæreticos conuertit in Ecclesiam Dei: veritatem fidei annuncians, quam ipse ex ore Apostolorum didicerat: eamque veritatem tradidit Ecclesiæ, vt narrat Irenæus; qui eundem Polycarpum iuuenis cùm B esset, viderat. Eiusdemque Polycarpi zelum magnum contra hæreses, [d] colligi scribit idem ex Epistolis, quas, *inquit*, cùm ad vicinas Ecclesias, quo eas confirmaret; tum ad quosdam fratres, quo eos tum admoneret, tum cohortaretur, misit.] Irenæus verò etiam ipse, [e] Cùm quidam sanam, & sinceram Ecclesiæ consuetudinem Romæ deprauare studerent, varias contra eos, *scribit Eusebius*, composuit Epistolas.] Irenæus igitur Lugdunensium Episcopus, Romanæ Ecclesiæ laboranti succurrit: & Eleutherum adiuuat; vt Romanæ Ecclesiæ sincera consuetudo ab hæreticis non labefactaretur.

V.

[c] Iren. lib. 3. adu. hæres. ca. 3.

[d] Apud Euseb. lib. 5. cap. 19.

[e] Euseb. ibid.

Cyprianum etiam iam audiuimus; [f] curam suam, in vniuersam Ecclesiam asserentem; & illam etiam vidimus exercentem; & cum Romano Pontifice in eadem vniuersali cura, se exæquantem. De quo hæc habet Nazianzenus; [g] Non enim Carthaginensium Ecclesiæ præsedit soli, seu Africæ, quæ ex illo, & per illum celebris in præsentem vsque diem est facta; sed Hesperiæ vniuersæ, imò Orienti ferè ipsi, ad finem vsque meridiei, & Septentrionis.] Quomodo verò Hispani Episcopi ad eundem Cyprianum, tanquam ad vniuersalis Ecclesiæ oraculum, aliquando confugerint, habes infra libro 4. cap. 9. num. 12. Omnibus sanè Episcopis æquè totius vniuersalis Ecclesiæ curam commissam esse à Christo, Romanis etiam antiquissimis Pontificibus id confitentibus, iam patefecimus ad initium cap. 6. præcedentis, etiam sibi illos æquantibus. Quod si hæc tibi non sufficiant, accipe alia.

VI.

[f] Supra cap. 6. num. 9.

[g] Nazian. Ora. 19. in Cyprian.

Athanasius de Magno Osio Cordubensi Episcopo, illud effatur; [h] In qua Synodo ille non Dux, & antesignanus fuit? quæ Ecclesia illius præsidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? Ac de eiusdem Athanasij promotione ad Episcopatum, dum loquitur Nazian. hæc de ipso habet; [i] Populi, illi concredita est præsidentia; hoc est dicere, orbis vniuersi præfectura.] Episcopatum enim de se totius orbis præfecturam includere intelligebat: totius enim orbis cura à quocunque Episcopo assumenda est, vbi charitas, & necessitas ita postulat: vt fecit Cyprianus, fecit etiam, & egregiè præstitit Athanasius. De cuius hac D vniuersali cura exercita, hæc addit idem Nazianzenus: Prolapsam fidei doctrinam erigit: ac liberè rursus Trinitas prædicatur, super Candelabrum posita, splendidoque vnius Diuinitatis lumine animas omnes collustrans. Leges etiam rursus orbi terrarum præscribit: atque omnium mentes ad se conuertit; alijs Epistolas mittens, alios accersens; nonnullos etiã vltrò accedentes erudiens, &c.] Idẽ sanè Athanasius pro cõmuni causa totius Ecclesiæ Concilium etiam externorum Episcoporũ cogit: vt patet ex Synodali Epistola eiusdẽ Concilij, cuius inscriptio est; [k] Athanasius cæterique Episcopi, qui Alexandriæ ex Italia, Arabia, Ægypto, & Lybia hîc adsunt, &c.] Docentque, & instruunt Antiochenos, qui ex diuerso erant Patriarchatu. Patet idem ex ijs etiam, quæ ipsemet scribit hoc pacto ad Episcopos Africanos; [l] Congruum quidem erat, vt ea (*de fide consubstantialitatis*) pluribus exequeremur: verùm quia iam scientibus scribimus, ideò paucis significandum erat, optantes apud omnes vinculum pacis conseruari; & omnes qui sunt Catholicæ Ecclesiæ, idem dicere, & sentire. Verum ita à nobis non docendi animo, sed admonendi scribuntur. Interim non soli sumus, qui ista scribimus; sed omnes in Aegypto, & Africa, Episcopi 90. numero: omnium enim idem est sensus, & alij pro alijs, quem contigerit abesse, subscribunt. Certè cum hoc animo essemus, & contigerit nos in vnum cõuenisse, scripsimus dilecto Damaso Episcopo magno Romæ, contra Auxentium, inuasorem Mediolanensis Ecclesiæ. Eumque non solùm in communione esse Arianicæ sectæ, sed præter hoc multorum scelerum esse reum, quæ designauit cum Georgio socio suæ impietatis. Miramurque cur nondũ depositus, ejectusq; sit ex Ecclesia.] Et de eodem Athanasio sic Basilius; [m] Tantam geris omnium Ecclesiarum curã, quantã eius quę tibi peculiariter à Domino nostro credita, est.

VII.

[h] Athan. Apol. de fuga sua.

[i] Nazian. Ora. 18. in Athan.

[k] Apud Athan. ad Antioch.

[l] Athan. epist. ad Africanos.

[m] Basil. Epist. 52.

VIII.

Rogat eundem Athanasium idem Basilius per literas, vt Antiochena interua dissidia Meletianorum, & Paulinianorum, componeret. [a] Quis autem, *inquit Basilius*, ad ista perficienda prudentiam tuam excellat? Quis acutius quid faciendum sit, expendit? Quis ad vtilium energiam efficacior? Quis ad considerandam fratrum necessitatem condolentis affectu magis præditus? Quis vniuerso occidenti honorabili canicie tua venerabilior?] Et post pauca; ad Occidentales Episcopos mitte, qui calamitates, quibus occupamur ac premimur, illis exponant: instrue illos forma narrandi, qua vtantur: esto Samuel Ecclesijs, &c.] Inde conuertitur ad commendandam ei Ecclesiam Antiochenam. Antiochenæ sane Ecclesiæ, *inquit*, status manifestè à tua pietate pendet, vt alios quidem ædifices, alios verò compescas, ac quietos reddas, atque Ecclesiæ vires per vnanimem consensum restituas. Quod enim iuxta eos, qui medicorum sapientissimi sunt, curandi initium, ab illis sumere debeas, qui periculosissimè laborant, nemo est qui te melius intelligat.] Et ad [b] ipsam Antiochenam Ecclesiam alias ita scripsit: [b] Solicitudinem illam, quam pro Ecclesijs Dei gerit is, ex parte recreabit desideratissimus, ac religiosissimus frater, & consenior noster Lucifer, bonum vestrum studium ad cuncta veluti manu ducet, quo materiam conuenientem ad hoc habeatis, vt propositum vestrum perficiatis, quod indesinenter pro Ecclesijs Dei soliciti ostenditis.] Hic tu Christiane Lector hanc siue Basilij, siue Athanasij curam considera, qua erga vniuersalem Ecclesiam, extra proprias Ecclesias, propriasque Prouincias premebantur.

a *Basil. ep. 58.*

b *Basil. ep. 28. in edit.*

IX.

Quid non fecit Antiochiæ Lucifer Carallitanus [c] in Sardinia Episcopus, vt pacem in illa Ecclesia componeret? qui & Episcopum in ea ordinauit Paulinum. Quantum in eadem laborauit [d] Eusebius Vercellensis? De quo illud scriptum inuenies: [e] Eusebius verò circumiens Orientē, atque Italiam, medici pariter, & Sacerdotis fungebatur officio; singulas quasque Ecclesias, abiurata infidelitate, ad sanitatem rectæ fidei reuocabat.] Quis curam & labores [f] Hilarij Pictauiensis, in Orientalibus Ecclesijs mundandis, & perpurgandis, enumeret? Nonne idem plura, in Gallijs [g] congregauit Concilia, quibus Orientalium errores, aduersus Nicænam fidem pugnantes, damnarentur? Eiusdem labores in Italia contra Auxentium Mediolanensem, ipsemet satis explicat in sua Epistola ad omnes fideles conscripta. Ac de vtroque hoc insigni viro Eusebio, & Hilario, illud encomium habent *historiæ*: [h] Ita duo isti viri, velut magnifica quædam mundi lumina, Illyricum, Italiam, Galliasque, suo splendore radiarunt.] Vides an horum Episcopatus habuerit Pictauiensi ac Vercellensi Diœcesibus potestatem limitatam & inclusam.

c *Ruffin. l. 11. c. 27.*
d *Sozom. l. 3. c. 7*
e *Ruffin. l. 11. c. 30. 31.*
f *Ruffin. vbi sup. & Sulpic. Sever. hist. l. 2.*
g *Baron. tom. 4. an. 362. n. 249.*
h *Ruffin. vbi sup.*

X.

Eusebius Samosatenus, simplex vnius ciuitatis Episcopus, extra suam tamen Parochiam, imò extra totam Prouinciam, in Syria, ac Mesopotania, adeo pro restituendis collapsis Ecclesijs laborauit, vt etiam plures Episcopos in illis ordinarit: [i] Acacium Beroææ; Theodotum Hierapolis; Eusebium Chalcedonis; Cyri Isidorum; Eulogium Edessæ; Protogenem Charris; Marin verò, noua Episcopalis sedis erectione, Dolichæ Episcopum perfecit. Vtriusque verò Eusebij nec non & Luciferi actiones, Episcopi particularis potestatem, vt ipse putabat, excedentes, Baronius non intelligens, ad Legationem siue Romani Pontificis, siue alicuius Synodi, sibi confugiendum putauit. Sed legationes, hasce cum non haberet vnde comprobaret, ad solita sua somnia, & inanes [k] se recipit diuinationes. Profecto Eusebius Vercellensis, dum [l] subscribit in quadam Synodo, nullam facit suæ Legationis mentionem. Et nimis arduum erit ei Cypriani, Athanasij, Basilij, & aliorum, quos subdam, egregiam operam, pro tota Ecclesia vniuersali in alienis Prouincijs nauatam, ad Legationes reducere. Et dum sæpe Orientales Episcopi pij, pro publica causa, ex officio ipsorum proprio laborantes, opem etiam [m] Romani Pontificis, & Occidentalium interdum implorent; [n] annuunt socijs, qui sunt in alia naui vt collaborantibus collaborent, & adiuuent illos.

i *Theodor. l. 5. cap. 4.*
k *Baron. tom. 4. an. 362. n. 200. 227.*
l *Ibid. n. 224.*
m *Basil. ep. 48. 51.*
n *Luc. 2.*

XI.

Theophylus Alexand. nihil intentatum reliquit, vt vniuersam Ecclesiam ab Origenistarū veneno liberaret, De quo illud profert Hieronymus, [o] Per ipsius Epistolas, post Christum, Romam, & totam Italiam fuisse liberatam. Libet hic vnam ex ipsius epistolis ad Epiphanium recensere, in qua maximè patet cura ipsius erga Ecclesiam vniuersalem; & sic se habet. [p] Dominus, qui locutus est ad Prophetam, [q] Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, eradicare, & suffodere, & disperdere; & rursum ædificare, ac plantare; singulis temporibus eandem Ecclesiæ suæ largitur gratiam, vt integrum corpus conseruetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena præualeant: quod quidem nunc videmus expletum, nam Ecclesia Christi, quæ non habet maculam, neque rugam, aut aliquid

o *Hier. ep. 71.*
p *Theophil. Alexand. ep. 4. in Bibliot. SS. PP. tom. 3.*
q *Hierem. 1.*

A aliquid istiusmodi, egredientes de cauernis suis Origenis colubros, Euangelico ense truncauit; & secundum Nitriæ Monachorum agmen, contagione pestifera liberauit. Pauca ergo ex ijs quæ gesta sunt, in generali Epistola, quam ad omnes in commune direxi, prout patiebatur angustia temporis, comprehendi. Dignationis tuæ est, quę in huiusce modi certaminibus sæpe ante nos pugnauit, & politos in prælio consolari, & congregare totius Insulæ Episcopos, ac Synodicas literas, tam ad nos, quam ad Constantinopolitanæ Vrbis Episcopum, & si quos alios putaueris, mittere: vt consensu omnium, & ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur. Didici enim quod calumniatores veræ fidei Ammonius, Eusebius, & Euthymius, nouo pro hæresi furore bacchantes, Constantinopolim naugarint; vt & nouos, si quos voluerint, decipiant; & veteribus suæ impietatis sociis coniungantur. Curæ igitur tuæ sit, vt cunctis Episcopis per Isauriam atque Pamphyliam, & cæterarū Prouinciarum, quæ in vicino sunt, rei ordinem pandas; & nostram, si dignum putas, Epistolam subijcias: vt omnes vno spiritu congregati, cum virtute Domini nostri Iesu Christi, tradamus eos Satanæ, in interitum impietatis, quæ possidet eos: Et vt celerius nostra Constantinopolim scripta perueniant, mitte industrium virum, & aliquem de Clericis; sicut & nos de ipsis Nitriæ Monasterijs Patres Monachorum, cum alijs Sanctis, & continentissimis viris misimus; qui possint cunctos in præsenti docere quæ gesta sunt: & super omnia quæsumus, vt impensas ad Dominum tundas preces; quo possimus etiam in isto certamine victoriam consequi. Non enim parua lætitia & in Alexandria, & per totam Aegyptum populorum corda peruasit: Ex quo pauci homines electi sunt, vt purum corpus Ecclesiæ permaneret. Saluto fratres qui tecum sunt, te plebs quæ nobiscum est, in Domino salutat.] Ergo illud Hieremiæ, vt euellas, & plantes, per totam etiam Ecclesiam vnicuique Episcopo, & non pro sua sola Diœcesi est applicandum; & omnibus

B

C Episcopis cura vniuersalis est commissa.

Cyrilli Alexandrini ingentes labores sunt notissimi, quos ipse in causa Nestorij, quæ erat causa publica totius Ecclesiæ exantlauit: arguendo Nestorium, Synodos colligendo, damnando, confutando, &c. [a] suum esse, *ait*, & ipsum potissimum decere, vt dictum Nestorium admoneat, & amputet scandala ex peruersa ipsius doctrina prodeuntia.] Aurelius Episcopus Carthaginensis laudatur à Chrysostomo, [b] quod magnum laborem ac sudorem, pro omnibus orbis terræ Episcopis, susceperit. Et in laudatione Sancti Eustathij Episcopi Antiocheni de illo ait idem Chrysostomus, [c] Edoctus probe fuerat à Spiritus gratia Ecclesiæ Antistitem non de illa solum, quæ ipsi à Spiritu sit commissa curam debere gerere, verum etiam de vniuersa quæ per orbem terrarum degit.] Augustinus similiter [d] Mileuitanæ Pastore destitutæ, & in ipsius electione laboranti, suppetias tulit. Africani [e] Patres curam suscipiunt, vt inter Romanam & Alexandrinam Ecclesiam orta dissidia

D componant. Episcopi Illyrici Synodaliter magnam curam suscipiunt Ecclesiarum Diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, & Pacacianæ: ad easque in recta fide retinendas & literas scribunt, & legationem expediunt. Africanæ quoque Ecclesiæ de Constantinopolitana solicitæ, cuius Episcopus Paulus in errores prolapsus illam deturpabat, ad eum Synodales [f] literas ex tribus Concilijs Africæ commonitorias expediunt, easque ad manus Romani Pontificis Theodori transmittunt, vt ipse per suum Responsalem, quem Constantinopoli habebat, Paulo curet consignandas: hortanturque ipsum Theodorum, vt ipse quoque aduersus eundem Paulum insurgat.

XII.

a *Cyrill. ep. 8.*

b *Chrysost. Epist. 149. apud Baron. tom. 5 ann 405. n. 18.*

c *Chrysost. in laud. S. Eustath.*

d *Aug. ep. 110.*

e *Concil. Afric. sub Bonif. c. 68.*

f *Apud Concil Lateran. sub Mart. sect. 2. & Baron. to. 8. an. 649. n. 14.*

Acacium Constantinopolitanum monet muneris sui Simplicius Papa, his verbis: [g] Fidelis seruus ostenderis, si non tantum in Ecclesia cui præsides, sed vbicunque potueris, pro vnitate Catholica, & paternis definitionibus, suadere non renuas.] Et Felix similiter: ait enim; [h] Memor saltem officij, pro fidei integritate Catholicæ, pro paternarum custodia

E sanctionum, pro Synodi Chalcedonensis constitutione seruanda, quæ Nicæni conuentus penitus probat articulos; atque pro eis vbique hostibus comprimendis, sicut orthodoxorum vrbis illius imitator Antistitum, constanter exurgere debuisses.]

XIII.

g *Simplic. ep. 17.*

h *Apud Baro. tom. 6. an. 483. n. 22.*

Quantas curas posterioribus etiam temporibus, susceperit Iuo Episcopus Carnotensis, quantas sorbuerit molestias, quantos labores subierit pro communi statu totius Ecclesiæ Gallicanæ, imò & Anglicanæ, & totius vniuersalis, facile quisque cognoscet qui eius Epistolas legerit 14. 24. 46. 48. 85. 87. 89. 102. 104. 106. 277. & alias: ex quibus pauca quædam placuit excerpere. [i] Quoniam zelus, *inquit*, domus Dei repere non debet in cordibus nostris, eiusdem domus decorem diligere, & pro eadem domo murum nos oportet opponere; vt impetus quos super eam facit antiquus hostis, aut præcauendo propulsemus; aut si iam

XIV.

i *Iuo ep. 70.*

si iam in eam per aliquam partem irrupit, cooperante Dei gratia, collectis in vnum animi viribus, excludamus. Ne ergo nobis, tanquam pastoribus sua quærentibus, à summo Pastore, cum nostra confusione exprobretur: [a] Quod perierat non quæsistis; quod confractum erat non consolidastis: nullus nos priuatus amor; nullius quamlibet excellentis personæ fauor, nulla spes commodorum, nullus timor incommodorum, ab officij nostri intentione dimoueat, quo minus errantes ad viam reuocaremus, &c.] Hæc ille de suo proprio officio loquitur, & tamen Meldensem Episcopum monet, vt Monasterium quoddam Monialium reformet, quod abierat in dissolutionem.

a Exec. 34.

XV.

Et rursus ad quendam Comitem; [b] Quoniam ad ouile nobis commissum pertinere te credimus, licet lætis pascuis abundes, nostrum tamen est aliquod sacræ admonitionis tibi pabulum administrare: & aduersus lupos inuisibiles tuam dilectionem præmunire. Cum enim gratiam inueneris in conspectu Regis Anglorum, suademus nobilitati tuæ, vt prædictum Regem sanis consilijs informes; & leges Ecclesiasticas à Sanctis Patribus traditas, & à Catholicis Regibus confirmatas, in nullo conturbes: Quæ enim ratio, quæ lex permittit vt Ranulfus Dunelmensis Episcopus de Ecclesia alterius Regni, ad aliam Ecclesiam transeat?] Et in eandem sententiam de Luxouiense Ecclesia solicitus, ad Papam hæc scribit. [c] In terra Normannorum ita manifeste prostituta est Ecclesia, vt de ea illud Propheticum dici possit: [d] Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. quod in Ecclesia Luxouiensi Paternitas vestra poterit agnoscere. Grauiter redargui solo charitatis intuitu Rothomagens. Archiepiscopum, ad cuius Diœcesim pertinet prætaxata Ecclesia: Quod ex aduerso non staret: quod pro domo Israel murum non opponeret. Hoc idem feci alijs Episcopis eiusdem Metropolitani suffraganeis.]

b Ivo ep. 154.

c Ibid. ep. 157.

d Isai. 3.

XVI.

Audiuerat idem Iuo scandala quædam in Ecclesia Sennonensi emersisse; ipse Sennonensis Ecclesiæ Suffraganeus, & subditus; ita tamen suum alloquitur Metropolitanum: [e] Quoniam sponsæ Christi custodes, & paranymphi deputati sumus, eandem sponsam casto amore zelare debemus, vt eam sponso suo immaculatam exhibere possimus. Si ergo macula vel ruga decorem eius infuscauerit, nos omni studio curare debemus, vel rugam duplicitatis ad simplicitatem reducere, vel maculam turpitudinis, nitro & sapone debitæ correptionis, abluere.] Et cum narrasset scandala, nimirum occupationis cantoratus: & incontinentiæ Prælatorum, addit; Quæ quantum inhonesta sint, & Apostolicis præceptis contraria, non est meum prudentiam vestram docere; sed tantum, vt tales excessus non tepide, non trepide comprimatis, filiali dilectione admonere. Decet enim magnitudinem vestram, vt hæc vulnera cancrena ne latius serpant, medicinali cauterio circuncidatis, & à simili contagio cæteros horum exemplo compescatis. Quod si per vos id perficere non sufficitis, adhibete vobiscum duos, aut tres, ex suffraganeis Episcopis, quorum consilio & auxilio, scandalum hoc sedare studeatis:] Similes eiusdem curas multas videre poteris in epistolis iam citatis.

e Ivo ep. 200.

XVII.

Monachus etiam in sua cella inclusus, & qui paucorum Monachorum curam sustineret, Abbas Bernardus, eadem charitate Ecclesiarum non exiguam curam gessit. Vide quanta libertate suum Eugenium Romanum Pontificem instruat, in suis libris de Consideratione. Lege epistolas ipsius, & videbis eum Cardinales, Episcopos, Archiepiscopos, Abbates, & alios Ecclesiasticos docere, hortari, monere, arguere, obsecrare, increpare. Vide epistolam 170. 182. 185. 188. 189. 197. 200. & alias: Vnicam hic ego breuem recito, quam ad tres Romanæ Curiæ Episcopos vir sanctus exarauit. [f] Adhuc nos, *inquit*, Deus in sublimitate posuit, vt tanto maiori Ecclesiæ suæ vtilitate viuatis, quanto in ea eminentiori autoritate præestis. Alioquin deponet ille Pater familias potentes de sede, qui pro accepta potestate inuenti fuerint suis vtilitatibus defuisse. Quanta sustineat sponsa Christi damna in Episcopatu Merensi; etsi nos amplius horremus, quia viciniores sumus, tamen & vos arbitror non latere. En quantus lupus illud ouile Christi tum insidijs, tum manifestis assultibus, quotidie molitur irrumpere, & disperdere oues Christi sanguine congregatas: idque non ab heri & nudius tertius, sed ex quo adhuc fecerat lupicellus, non cessat illum Dominicum gregem quibus potest viribus infestare, & vastare rapinis, incendijs, homicidijs. Ego itaque, quod in me est, demonstro lupum, instigo canes. Iam quid interfit vestra vos videritis: meum non est docere Doctores.] Hæc ille. Cuius etiam illa verba sunt ad Haimericum Cancellarium: [g] Etsi tanti non sum, vt Romæ habeam propria negotia: nulla tamen, quæ Dei esse constiterit, à me duco aliena.] Quanto magis decebit Episcopos huiusmodi premi solicitudinibus, qui proprij sunt totius Ecclesiæ Christi gubernatores? Cur ergo

f Bern. ep. 308.

g Idem ep. 10.

A ergo Romanus Pontifex hanc vniuersalem curam Ecclesiæ, & alijs negat Episcopis, & sibi soli arrogat? Sed hanc quoque clauam nostro magno Herculi, conferti manu, libro 4. extorquebimus.

XVIII. Episcoporum verò singulorum autoritatem non esse iure Diuino in solas particularium Ecclesiarum angustias contrahendam, inde etiam confirmatur, quod in Concilijs generalibus, suam quisque propriam, in totius Vniuersalis Ecclesiæ regimine habeat, pro sua virili, potestatem: non modo consulendo, sed etiam definiendo. Imò etiam particulares Episcopi possunt, in causa communi, mouere alios, ad congregandum Concilium generale vt lib. 7. explicabo. Interim accipe quæ Doctor Catholicus Almaynus scripsit in hoc genere: [a] Quælibet, *inquit*, Ecclesia particularis, ad cuius notitiam peruenit congregandi Concilium necessitas, debet cæteris Ecclesijs necessitatem congregandi manifestare, & sic

B denunciatiuè congregare, non autem præceptiuè, & nominando locum, ad quem sit tutus accessus. Debet enim oculus videns corporis pericula, cæteris indicare membris, vt contra periculum se protegat corpus, & defendat: & ista manifestatione facta, cæteræ Ecclesiæ tenentur consentire, & conuenire primæ; non virtute præcepti primæ, cum in eas nullam habeat iurisdictionem; sed virtute præcepti Diuini. Sicut postquam per expertum medicum, alicui indicatum est de aliquo necessario ad sui conseruationem, tenetur ille ad illud, non virtute præcepti Medici, sed virtute præcepti iuris naturalis, & Diuini.

a *Almayn. de aut. Eccl. c. vlt.*

XIX. Quæcunque ergo præcepta Ecclesiastica reperiuntur, quæ Episcopis inhibent, ne in aliena Diœcesi munera exerceant Pontificalia, ea humana duntaxat sunt, & positiua: & communem recipiunt pacem ac concordiam; ne vnus destruat, quod alter extruxit: vitantque confusionem, vbi quisque Episcopus, in sua limitata Diœcesi suo satisfacit muneri. Vbi verò ex defectu, aut impotentia alicuius Episcopi, fides Christi & Religio patitur, & in totam morbus redundat Ecclesiam, tunc ex charitate, imò & ex proprio officio, quilibet Episcopus, & potest, & tenetur, Ecclesiasticam exercere potestatem, eamque ad alienas etiam extendere Diœceses: seruata semper vera Ecclesiastica pietate, prudentia, & moderatione; vt exempla proposita possunt nos instruere. Quibus satis confirmatur Episcopos iure Diuino non habere limitatam iurisdictionem, sed Ecclesiastico. Limitationes verò habes 7. q. 1. c. Non oportet, 9. q. 2. tota, 16. q. 3. c. 1. 2. 3. 4. 5. 15. Ac in Canonibus Quinisextæ Synodi can. 20. & passim in Iure. Et hanc limitationem solo iure Ecclesiastico positiuo primum factam fatetur expresse [b] Gersonius.

C

b *Gers. de potest. Eccles. consid. 9.*

XX. Ex hac limitatione Diœcesum, & deputatione Episcoporum ad suam cuiusque propriam particularem sedem, oritur obligatio residentiæ. Non enim fiunt Episcopi vt sint otiosi, & Episcopatum ambiant, tanquam dignitatem, qui tamen [c] opus est, & ministerium, atque labor; sed statim in ipsa promotione, seu ordinatione, certæ Ecclesiæ regendæ, & gubernandæ deputantur. [d] Concilium Antiochenum excommunicat Episcopum, qui neglexerit suum subire ministerium, & commissam sibi Ecclesiam adire. Eandem residentiam Episcopis præcipiunt seuerè multi alij Canones, 7. q. 1. cap. 20. & plures sequentes, non sine pœnis; & in Decretalibus, tit. de Cler. non resid. cap. 1. 2. 9. Non quod assiduitas hæc Episcoporum in propria Ecclesia, quam residentiam vocamus, sit solo iure humano positiuo Ecclesiastico præcepta, vt [e] Ambrosius Catharinus Minorien sis satis audacter affirmauit; concedens propterea Papæ autoritatem dispensandi cum Episcopis à residentia, cum sola substitutione Vicarij: Canones enim vbi ius diuinum non seruatur, eius obseruantiam inculcant, & pœnas addunt temporales. Sicut & leges ciuiles, furta prohibent, & pœnas addunt suspendij, vel similes. Cauent itaque Canones quid agendum sit contra non residentes, vt ad residendum compellantur, & exequendum personale munus à Deo ipsis impositum. Nimirum vt in ipsius Ecclesia laborent actu, in ea videlicet in qua per ipsammet Ecclesiam fuerint collocati, quæcunque illa sit, siue vna, & eadem semper, siue alia, & alia. Et quandiu vnam retinent sibi assignatam legitimè, cuius sint quisque eorum Pastor proprius, & ordinarius, in illa iure diuino debent laborare: Cùm enim quis ad Episcopatum promouetur, is à Deo, vt probaui cap. 4. & 5. præcedenti, fit Pastor, & Minister, Christique locum in Ecclesia accipit in ea parte, in qua legitimè fuerit per Ecclesiam constitutus; quæ omnia sunt munera personalia, ipsis personis alligata.

D

c *1. Tim. 3. & 8. qu. 1. cap. Qui Episcopatum, & Hieron. Epist 83.*

d *Dist. 92. cap. Si quis Episc. 2.*

e *Cathar. tract. de resid. Episc. & in concert. cum Torren.*

XXI. Audi Damasum cum vera pietate hac de re disserentem; [f] Quidam, *inquit*, Episcoporum propter suam quietem, Chorepiscopis plebes suas committere non formidant: & ipsi in sua quiete torpent, & curam sibi à Deo commissam negligunt: cùm Dominus dicat; [g] Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis, & vocat eas nominatim, & cognoscit suas, & suæ

E

f *Damas. Epi. 5. Presbyteris, & alijs Numid. Episc.*

g *Ioan. 10.*

suæ cognoscunt eum. Et item; Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. De mercenario autem quid dicat bene nostis: quia videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit; & lupus rapit, & dispergit oues, &c. Pro talibus verò negligitur cura Ecclesiæ, & eius status perturbatur. Et ideo sunt prohibiti &c. Illi namq; Episcopi qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim vt pariunt, infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos; vt suam citius libidinẽ explere valeãt. Sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commissos, alijs educandos tradunt, vt suas libidines expleant; id est, vt pro suo libitu sæcularibus curis inhient, & quod vnicuique visum fuerit liberius agant. Pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proueniunt. Non taliter Dominus docuit, nec Apostoli instituerunt: sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos Domino repræsentent. Nam ipse ouem perditam diligenter quæsiuit, ipse inuenit, ipse proprijs humeris reportauit, nosq; idipsum facere perdocuit. Si ipse pro ouibus tantam curam habuit, ipse docuit, ipse curauit, ipse sanauit, ipse proprijs humeris reportauit, atq; in tantum dilexit, vt etiam animam suam (multas sustinens iniurias, multa opprobria, multasque passiones) pro nobis traderet: quid nos miseri, & desides, dicturi sumus, qui etiam pro ouibus nobis commissis, curam impendere negligimus, & alijs eas educandas tradimus?] Hæc omnia Damasus Papa. A B

XXII. In eandem sententiam habemus Epistolam egregiam Hidelberti Cœnomanensis, quæ est in ordine 46. Sed ante omnes Athanasius maximam Episcoporum residendi necessitatem & agnoscit, & exponit, sic alloquens Constantium Imperatorem; [a] Ecclesia non deserenda ab Episcopo: Nosti ex lectione Scripturarum quanti sceleris sit Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei. Pastorum enim absentia lupis inuadendi gregis occasionem præstat. Si igitur fugissem, quam excusationem apud veros Episcopos, vel potius apud eum, qui mihi hunc gregem concredidit, habuissem? Quomodo non & ipse populus in die iudicij incuriam sui in me coniecisset, dicens; Is qui Episcopi munere fungebatur, nobis neglectis, adeò vt non esset qui nos admoneret, fugam iniit?] Ad vocationem tamen, & iussu Imperatoris, his omnibus nil obstantibus, se discessurum fuisse ibidem planè profitetur. Tanti semper fecerunt Patres sancti erga mundanas potestates obedientiã. C

[a] Athã. Apolog. ad Constan.

XXIII. Potest profectò Episcopus, non difficor, cùm liber sit, subtrahere se muneri, & officio Episcopali: nolleque Ecclesiæ vlli inseruire (quanta tamen cum charitate si aptus est, & qua conscientia, ipse viderit) & hunc ego à residentia facilè liberabo. Ipsius tamen loco non admitto mercenarios, quos ipse constituat: quia Ecclesia indiget Pastore, non mercenario; & Episcopo, non substituto. Abdicet se igitur penitus ille, & alius in illa Ecclesia personaliter, vt tenetur, seruiturus, per eos qui hanc habent in Ecclesia potestatem, instituatur. Atque ita se abdicet, vt neque sustentationem, neque redditus, neque vlla stipendia ab illa Ecclesia accipiat. Hæc enim stipendia, non nisi pro actuali seruitio præstito, ministris debentur; vt fusè probabo libro nono, vbi plenius de residentia omnium beneficiatorum disputabo. Aut ergo dimittat Episcopatum plene; aut si retinet, Episcopi munus impleat. Sicut enim Nauis gubernator, à Domino Nauis conductus, tenetur vel officium susceptum deponere; vel se personaliter clauo nauis regendo alligare: & Pastor ad gregem pascendum similiter conductus, debet ipse per se, & non per alios pascere: ita Medicus: ita ianitor, & clauiger à Principe pro arcis vel Ciuitatis custodia assumptus, ipse per se debet clauium curam habere: Ita Christus dum suas vices Episcopo committit, quamdiu ille Episcopalem gradum occupat, debet Episcopalia munera per seipsum exercere. Nisi forte pro vtilitate Ecclesiæ vniuersalis, à particulari sibi commissa Ecclesia interdum debeat abesse. Quia, vt ad initium huius capitis supra docui, Episcopus de iure Diuino non est vlli certo loco alligatus, sed est factus indefinite in tota Christi Ecclesia Pastor; vt in ea eiusdem totius Ecclesiæ parte laboret, in qua præstantius exhibet Christo obsequium. Vt etiam lib. 9. tractabo. Et quod dixit Paulus; [b] Væ mihi si non Euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit; quia factus erat Apostolus, & ad hoc à Christo vocatus, & missus: id quilibet Episcoporum debet dicere: quia quilibet nostrum à Christo est vocatus, & ad Euangelizandum missus: & si non Euangelizemus, vt necessario, supposito onere accepto, tenemur, Væ nobis. Et quia apud Theologos nostros optimos quosque residentiæ obligatio optime probatur ex iure; egoque præcipua fundamenta ponam, & explicabo libro 9. de residentia hic pluribus mihi non est agendum. Vide, si vis, Caietanum 22. q. 185. art. 5. Sotum de iust. & iur. libro decimo quæstione tertia, Mirandam proprio opusculo; & alios. D E

[b] 2. Cor 9.

Interim

A Interim verò illud firmum habeas, non solùm Episcopatum esse in Ecclesia iure diuino à Christo positum, & institutum, sed etiam Episcopos: quorum ordinatio, & missio immediatè est a Deo, vt supra capite 4. ministerialiter tantùm ab Ecclesia. Quia ergo Episcopus quilibet à Christo accipit immediatè officium, vt sit [a] Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam; à Christo etiam ei iniungitur, vt sit ipse actu Minister in Ecclesia, non hac vel illa particulari; hoc enim est de iure humano Ecclesiastico; sed in aliqua Ecclesia, quæcunque illa sit. Potest itaque Ecclesia liberare Episcopum ab aliqua particulari residentia; non tamen potest illum liberare ab omni prorsus residentia. Et per hæc fortasse explicari potest, & ad bonum sensum trahi Ambrosius Catharinus. a Matth.24.

Episcopos tamen adesse regibus consilio, eorumque etiam Aulas, vbi mos est, frequentare, non puto esse ab Ecclesiastico instituto prorsus alienum; modò id fiat præcipuè ad XXIV.
B Reges piè reuerenterque commonefaciendos, vt fidem Catholicam sartam tectam velint conseruare, iustitiam administrare, populorum paci & tranquillitati in vtroque homine prospicere: reliquis autem vel fori contentioti, vel militiæ, bellorumque tumultibus non se immisceant. Qua de re non male scripsit Petrus Blesensis nomine Archiepiscopi Cantuariensis ad Alexandrum tertium, quosdam Episcopos Curiales excusans, nempe Vintoniensem, Eliensem, & Norwicensem in Aula Regis Angliæ versantes: [b] Non est, *inquit*, nouum quod Regum consilijs intersint Episcopi: sicut enim honestate & sapientia cæteros antecedunt, sic expeditiores, & efficaciores in Reipublicæ administratione censentur. Quia sicut scriptum est, minus salubriter disponitur Regnum, quod non regitur consilio sapientum: scriptum etiam legitis; [c] Væ terræ cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt. Beata terra est, cuius Rex sensatus est, & cuius Principes vescuntur tempore suo. In quo notatur eos consilijs Regum debere assistere, qui sciant, & velint, & possint
C patientibus compari, paci terræ, ac populi saluti prospicere, erudire ad iustitiam Reges, imminentibus occurrere periculis, vitæque maturioris exemplis informare subditos, & quadam autoritate potestatiua, præsumptionem malignantium cohibere.] Et post aliquot veteris sacræ Scripturæ exempla allata, Samuelis, Isaiæ, Eliæi, Ioiadæ, Zachariæ, addit: Vnum nouerit is, quia nisi familiares, & consiliarij Regis essent Episcopi, supra dorsum Ecclesiæ fabricarent hodie peccatores, & immaniter, ac intolerabiliter opprimeret clerum præsumptio Laicalis. Nunc autem si quid in Ecclesiæ attentatur iniuriam, autoritate Pontificali corripitur. Aut si ad hoc Ecclesiastica censura non sufficit, spiritualis gladij defectus ciuili suppletur, & ad eorum arbitrium Principalis animaduersio exercetur. Si quandoque vt fieri solet, aduersus insontes Regis indignatio vehementiùs excandescit, Episcoporum precibus temperatur. Istis mediantibus mansuescit circa simplices iudiciarius rigor, admittitur clamor pauperum, Ecclesiarum dignitas erigitur, releuatur pauperum in-
D digentia, firmatur in clero libertas, pax in populis, in monasterijs quies, iustitia liberè exercetur, superbia deprimitur, augetur Laicorum deuotio, religio fouetur, diriguntur iudicia, leges acceptantur, decreta Romana vim obtinent, & possessiones Ecclesiasticæ dilatantur. Isti singulis præcipuis solennitatibus suis intersunt Ecclesijs, vbi eleemosynarum largitione, consolatione pupillorum, ac viduarum, subiectorum correctione, atque alijs sanctitatis operibus redimunt dies, quos in curia consumpserunt. Porrò Archiepiscopi, vel Episcopi qui in curia Regis Siculi conuersantur, per septennium, aut decennium à curia non recedunt, nec refert viuant, aut decesserint, quantum ad Ecclesiasticarum possessionum custodiam, vel regimen animarum. Ab hac equidem curialitate nostros quandoque volumus Episcopos prohibere, sed consilijs, & prudentibus viris visa est expediens eorum cohabitatio circa Regem: quos si extraheremus à familiaritate illius, subtraheremus
E quietem monasterijs, oppressis solatium, Ecclesijs libertatem. Vnde licet propter incommoditates varias quas ibi sustinent desiderio desiderarent egredi: publicæ tamen vtilitatis obtentu, communi fratrum nostrorum consilio, non solum in hac vita castrensi tolerari, sed ad eam trahi debuerant, & compelli.] Hæc Blesensis: Huiusmodi ego Episcopos, si hoc pacto, & ad hæc, quæ hic præcipua scribuntur, versantur in Regum Aulis, non in Aulis, sed in Ecclesijs esse dixerim: Ecclesiastica enim non profana tractant. Atqui cauendum interea nesumus Curialis temporalium negotiorum, eorum oculos sæpe, & nares, & caput obsideat ac oppleat. An verò Episcopi Germani, Galli, Hispani, Vngari, & alij hoc modo sint in Curijs Regum, an verò eo modo quo tunc erant Siculi, viderint ipsi. b Pet. Blef. ep.84. c Eccles.10.

Ex hactenus à me hoc cap. explicatis, patet, Vice Deum illum nostrum Innocentium tertium, parum apte voluisse, inter Episcopum, & suam particularem Ecclesiam, initum XXV.

esse

esse matrimonium spirituale eiusmodi, vt de eo dici debeat: Quos Deus coniunxit homo non separet. Ac inde, vt supra ostendi, ad finem capitis præcedentis, se solum tanquam vice Deum, ac Deum in terris posse Matrimonium hoc dirimere iactabat, per Episcoporum translationes. Vinculum enim inter Episcopum, & vnam particularem Ecclesiam, non est vinculum Diuinum, & Diuino iure constrictum; sed humano, & Ecclesiastico, vt explicatum est. Diuino verò iure inter Episcopum (manentem Episcopum) & Ecclesiam Christi in communi, & vniuersali, est vinculum insolubile: neque enim potest esse Episcopus, qui dum Episcopatus ordinem retinet, non sit Ecclesiæ Christi minister: in quacunq; tamen parte totius, & vniuersalis Christi Ecclesiæ ille laboret. Et de translationibus Episcoporum agam lib. 3. Sed hoc etiam vinculum, cum Ecclesia in communi, adhuc solubile est, siue voluntate ipsa Episcopi, qui se ex graui causa abdicet Episcopatu: siue Ecclesiæ potestate, quæ inutilem, aut etiam sibi pernicioſum sponsum, potest repudiare; & Episcopum ab Episcopatu deponere; & de his depositionibus agam lib. 8. Extra hos casus, nullus est in terris vice-Deus, qui possit Episcopum ab omni residentia liberare.

XXVI. Patet etiam quàm absurdum sit in Ecclesia, & à Christi institutione alienum, Episcopos creare absolutos, siue titulares; quos merito Nullatenenses vulgus vocat. Fit enim maritus, sed sine vxore; & Episcopus, sine Ecclesia. Initio quidem nascentis Ecclesiæ Episcopi sine certa Ecclesia creabantur, & Ecclesiæ vniuersali, seu in communi deputabantur, vt ipsimet Ecclesias fundarent particulares, & eas vel sibi retinerent, vel alijs traderent. Nunc verò quamuis vt dixi, dum sit Episcopus, is iure Diuino indifferentem in tota Ecclesia accipiat potestatem; nihilominus tamen, quia totus orbis Christianus in certos particulares est diuisus Episcopatus, ad vitandam confusionem, & turbationes, non fit Episcopus, nisi pro certa & determinata sede, in qua is Episcopus debeat residere, & munera Episcopalia exercere. Ac quemadmodum Presbyterorum absolutæ [a] prohibentur ordinationes in Ecclesia, quæ sine certo titulo, certæ Ecclesiæ, fiant, vt ostendam lib. 9. ita etiam multo magis prohibentur absolutæ Episcoporum ordinationes. Quod verò his titularibus Episcopis, nomine tenus, tribuantur Ecclesiæ quædam, in partibus infidelium; est mera vanitas: fuerunt enim illæ Ecclesiæ, & iam non sunt. Vbi enim fideles non sunt, ibi Ecclesia non est: aut si sunt, pauci sunt; aut si multi, Episcopũ tamen aut habere, aut alere, aut retinere non possunt. Et is, qui eis ordinatur Episcopus, ita ordinatur, vt nunquam tamen sit ad eam Ecclesiam accessurus. Et consequenter fit Episcopus nomine tenus; nam Ecclesiam particularem nullam habet: & sic sponsus non est, quia sponsam non habet, cum qua spirituale ineat matrimonium. Neque dicas istos matrimonium contrahere cum Ecclesia vniuersali: quamuis enim hoc faciat quisque Episcopus, etiam qui particulari ordinatur Ecclesiæ, vt iam explicaui; si tamen particularis ei non assignatur Ecclesia, cum in tota vniuersali Ecclesia locum non habeat, cum sint omnia iam plena, & occupata: imò etiamsi vacantia sint, ad illa tamen vacantia iste non ordinetur; neque cum vniuersali Ecclesia matrimonium contrahere est dicendus: qui in nulla parte sit Ecclesiæ inseruiturus. Pastor itaque nullum habens, neque habiturus gregem, pastor non est; nauta sine naui, nauta non est. Maritus sine vxore maritus non est &c. Hos itaque Episcopos ego, ne ordinem quidem Episcopalem vllum accipere arbitror: quia ordo Episcopalis intrinsece dicit officium, opus, & ministerium. Hi vero nullum officium, nullum opus, nullum accipiunt ministerium: imo ea conditione accipiunt titulum, vt tamen ministerium nullum debeant exercere: quæ conditio tollit totam ordinis Episcopalis essentiam, & Episcopatus essentialiter includit missionem ad aliquos, vt docui, cap. 1. 2. 4. 5. In his vero nulla adest missio.

[a] c. Nemo. c. Sanctorum. dist. 70.

XXVII. Dices, Nonne huiusmodi Episcopi vacãtes ac titulares fuerunt semper in Ecclesia, vt constat ex Concilio Antiocheno, in quo ponitur Canon 16. [b] Ne huiusmodi vacantes Episcopi in vacantes Ecclesias prosiliant?] Respondeo, vacantes tunc Episcopos non intelligi titulatos meros, qui nimirum ordinarentur, & tamen in ordinatione Ecclesiam nullam, cui actu deputarentur, haberent. Sed vacantes intelliguntur, qui persecutione Gentilium proprias amittebant Ecclesias, neque ad eas amplius pateret aditus: aut sicubi, extinctis Christianis, Ecclesia etiam illa, cuius superstes esset Episcopus, extincta, aut tota ciuitas [c] vastata fuisset. Hos Episcopos vetat canon in vacantes Ecclesias se sua sponte intrudere. Nam & his Episcopis, qui proprium thronum amisissent, prouidebat Alexius Commenus, [d] dum eos à diuitibus Monasterijs sustentari debere præcipiebat. Nunc vero quia Episcopatus reputatur honor, & dignitas, ad solum ambitionis titulum, in Curia Romana, & ad externum habitum deferendum, præcedentiasque vanitatis habendas, Episcopi titulares multiplicantur.

[b] Dist. 92. c. Si quis. 1.

[c] Gregor. l. 2. Ind. 11. ep. 13. & dist. 71. c. fraternitatem.

[d] Constit. Imp. in Alex. c. 10.

A plicantur. Quorum opera solent etiam Conciliorum generalium definitiones labefactari: qui tamen cum veri Episcopi non sint, neque assistentiam habent Spiritus Sancti à Christo Episcopis veris promissam, neque certe autoritatem, aut ius suffragij, vt lib. 7. admonebo. De his Episcopis titulatis hæc mitius profert Gersonius; [a] Status Episcopalis, licèt esse possit in aliquo sine plebe, & sine vsu, vel exercitio: hoc fieri non conuenit; quia vanum, & monstruosum in Ecclesia videretur: Quoniam frustra est potestas, cui non subest operatio.] Hæc de his satis.

a Gerson. de stat. Prælat. Consid. 8.

CAP. VIII.

B Episcopi noui à quo post Apostolos instituendi sint; & mittendi.

Summa Capitis.

Episcopos ab Episcopis creari, ordinari, mitti, probatur ex potestate data à Christo, num. 1.
Ex historijs, & factis, num 2. 3. 4. Et hoc sine Papæ missione, num. 5.
Idem probatur ex Conciliorum dictis, & factis, num. 6. 7. 8. 9. 10.
Idem ex Legibus Ecclesiasticis, num. 11.
Confutatur Bellarminus, hanc potestatem soli Papæ tribuens, num. 12. 13. 14.
Confutatur argumentum Baronij, num. 15.

C MAgnus est orbis terrarum; regiones nouæ olim ignotæ solent iam detegi. Christiana Religio in multis locis iandiu abolita est, & extincta, in quibus potest innouari: amplissimæ sunt in multis locis sub vnico Episcopo Prouinciæ; quæ plures possent, & deberent habere Episcopos: vt propterea noui sæpè sint in Ecclesia Episcopatus erigendi. Vnde & surgere potest quæstio, cuiusnam sit huiusmodi nouos Episcopatus erigere, & de nouo certis locis suos primos Episcopos deputare, & ordinare. Cuius quæstionis plena, & plana solutio facilè peti posset ex hactenus à me tractatis, & explicatis; nisi noster summus Pontifex hanc esse ipsius solius potestatem profiteretur. Nullum enim ego cerno discrimen in Episcopi creatione, siue is sit defuncto alicui Episcopo substituendus, siue nunc primum, in loco vacante, in quo nullus aut vnquam, aut iandiu fuerit Episcopus, instituendus. Loquor tamen intra solius iuris diuini terminos: nam de iure humano quid sit seruandum in D Ecclesia, tractabo lib. 3. Quicunque igitur habet in Ecclesia potestatem Episcopos ordinandi, is profectò eam habebit tam in primi alicuius Episcopi institutione, quam in demortui locum substitutione. Iam verò [b] docui Christum Dominum potestatem hanc multiplicandi Ecclesiasticos Ministros, & propagandi, omnibus, & in singulis Apostolis plenam dedisse illis verbis; [c] Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: & Apostolos eandem potestatem mandato Christi, in Episcopos omnes, & singulos, sicut ipsi Apostoli omnes & singuli illam habuerunt, transtulisse. Hanc itaque potestatem actu ipso in Ecclesia per multa sæcula, etiam in nouis creandis Episcopis, à priuatis etiam Episcopis, sed potissimùm à Metropolitanis exercitam fuisse, hoc cap. suscipio confirmandum.

I.

b Supra cap. 1. init. & cap. 2. num. 51. et seq.
c Ioan. 20.

II

Polycarpus Ioannis Euangelistæ Discipulus Episcopus Smyrnæorum, in Gallias aliquot suos Discipulos, vt Euangelium Christi annunciarent, amandauit, [d] Irenæum, qui ipsemet [e] fatetur se fuisse à puero Polycarpi auditorem, & postea factus est [f] Episcopus E Lugdunensis, [g] Antiochium, Thyrsum, Fœlicem, Benignum, quos ad docendam Galliam, & prædicandum Euangelium ab Oriente à Polycarpo directos, testantur Martyrologia. Origenem [h] Alexandrinæ scholæ operam nauantem (vt scribit Eusebius) miles quidam adijt, & literas à Præside Arabiæ, tum Demetrio Episcopo, qui ibidem rexit Ecclesiam; tum Præfecto qui tum Aegypto præfuit, attulit, vt cum omni festinatione Origenem ad ipsum mitterent, qui in sacris Literis ipsum erudiret. Quapropter ab illis ad eum missus, Origenes proficiscitur in Arabiam: ac negotio cur eo se contulisset breui ad exitum perducto, iterum Alexandriam reuertitur.] [i] Pantænus quoque Stoicæ sectæ Philosophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam, ab eodem Demetrio Alexandrino missus est in Indiam, vt Christum apud Brachmanas, & illius gentis Philosophos prædicaret. Constantinus Imperator nouum quendam Episcopum ordinari fecit, & ad [k] Iberos nuper, opera cuiusdam

d Greg. Turon. Hist. Franc. li. 1. cap. 20.
e Apud Euseb. lib. 5. cap. 19.
f Euseb. lib. 9. hist. cap. 6. & Hieron. de Scriptor. Eccl.
g Martyrolog. 24. Septemb. & 1. Nouemb.
h Euseb. lib. 6. cap. 13.
i Euseb lib. 5. cap. 10. & Hieron. Epi. 84.
k Ruffin. lib. 1. c. 10. Socr. l. 1. c. 16. Soz. l. 2. c. 6. Theod. l. 1. c. 24.

fœminæ Christianæ ad fidem Christi miraculis illectos, misit.] Athanasius Alexand. vbi audiuit ex [a] Frumentio, Indos maxima duci cupiditate luminis diuinæ cognitionis percipiendi; eidem Frumentio Sacrosanctum Episcopatus munus impertit; mittutque ad animos illius gentis pietatis doctrina excolendos.] Missionem verò hanc fuisse legitimam, & à Deo approbatam constat. Nam nouus hic Episcopus, eo profectus, miraculis, quæ more Apostolorum edebat, eos qui verbis doctrinæ suæ contradicere conabantur, in suam pertraxit sententiam: & prodigijs quæ faciebat, sua dicta confirmans, quamplurimos in dies singulos fidei Christi adiunxit.] Eusebius Samosatenus, vt præcedenti capite vidimus, cum esset simplex vnius ciuitatis Episcopus, noua Episcopatus Dolichæ erectione, [b] Marim, eidem Episcopum primum ordinauit. Basilius [c] Gregorium Nazianzenum primum Sasimorum creat Episcopum; erecta tunc primum ab eodem Basilio Ecclesia Sasimensi in Cathedralem. Persidis prima, aut saltem maxima ad Christi fidem conuersio, per [d] Marutham Episcopum Mesopotamiæ, eo ab Imperatore Theodosio iuniore missum, facta est. [e] Burgundiones à quodam Episcopo ex ciuitate Galliæ nuper conuersi, & baptizati sunt; & [f] Episcopum primum ab eodem datum habuerunt. Augustinus in suæ Diœcesis Hipponensis Castello [g] Fussala, sedem nouam fecit Episcopalem: eique simul cum Primate Numidiæ, Antonium primum præfecit Episcopum. [h] Iuuenalis Patriarcha Hierosolymitanus, Saracenis primum Episcopum ordinauit eiusdem nationis, Petrum. [i] Barbaris gentibus ad Euxinum, & Mæotim, & alijs, Episcopos primos, à Patriarcha Constantinopolitano, Imperatoris iussu datos fuisse, scribit Procopius. Narrat idem, vt refert etiam Euagrius, [k] Iustinianum Imperatorem, templo Deiparæ apud Abasgos ædificato, Sacerdotes illis designasse, à quibus Christianæ Religionis dogmata accuratissimè didicerunt.] [l] Rupertum Episcopum Regio Francorum genere procreatum, quem vt nuntium, & interpretem sanctissimæ Philosophiæ, *ait Auentinus*, à Christo seruatore nostro ad maiores nostros diuinitus Legatum veneramur, Theodopertus Rex Francorum iussit ad Boios proficisci, cum duodecim Mystis, Diuinæ sapientiæ consultissimis. Isque suis concionibus Boiorum populo persuasit, vt deserta auita superstitione, explosa, atque exsibilato gentili numinum cultu, sapientiam Christianam reciperent, & vnius Dei cultum amplecterentur. Atque apud eos plura templa consecrauit.] [m] Gregorius ægre fert quod Sacerdotes Galli Angliæ propinquiores, ad conuersionem Anglorum conuerti cupientium, animum adijcere neglexerint, & non se statim cooperatores exhibuerint.] Non ergo tenebantur expectare mandatum Papæ, sed ex proprio Sacerdotali munere debebant in Angliam proficisci. [n] Lindisfarnensis Episcopus, nouum creat Episcopum nomine Cedd, qui apud Orientales Saxones, nuper ab eodem Cedd conuersos, vt Episcopus resideret. [o] Stephanus Emeritensis, indiscreta Bambæ Regis impulsione, in exiguis Monasterijs, & viculis, nouos aliquos Episcopos ordinauit. Ea de re pœnitentiam egit in Concilio Toletano: & culpam fassus est, atque à Concilio reprehensus, non quod quæ non potuerit, sed quæ non debuerit, egerit, contra Canones, & Ecclesiastica statuta; quæ in vilioribus locis Episcopatus erigi non patiuntur. [p] Suuibertus à Sancto Vuilfrido Merciorum Antistite in Anglia, ordinatus est primus, & nouus Episcopus Traiectensium. [q] Amburgensis Episcopus, Rugorum genti dat, & consecrat primum Episcopum Sibutium.

III.

In Poloniam prima Euangelij prædicatio inducta est per Adalbertum Pragæ Episcopum, qui sua propria Episcopali autoritate, non quidem misit alios, sed ipsemet profectus est, ibique nouam Ecclesiam Christo peperit: & consequenter, vt par est credere, in ea nouos etiam proprios constituit Episcopos. Nam quod ait Baronius, illum statuisse Romam proficisci, [r] vbi si Deus id vellet, vt fecit, à Romano Pontifice acciperet ipsum ad gentes Apostolatum: Sciens, *inquit Baronius*, Apostolatus munus non sponte sua à quoquam, sed Dei nutu, ab eo qui primariam in Ecclesia Catholica retinet à Deo concessam autoritatem, suscipiendum.] Vnde verò probas, Baroni, hanc autoritatem in solo esse Romano Pontifice? Vnicum profer, aut Sacræ Scripturæ locum, vel in Petro solo eam fuisse; aut Patrum Sanctorum dictum; aut continuatam Ecclesiæ Sanctæ consuetudinem; quam tamen nos omnino contrariam protulimus. Et quomodo Adalbertus à Papa voluit accipere autoritatem sui Apostolatus in Polonos, qui iam, antequam Romam proficisceretur, Polonicam egregie fundauerat Ecclesiam, neque ad eam est amplius reuersus? Et historia de vita Adalberti, vt est apud Surium, die 26. Aprilis, quam idemmet prosequitur Baronius, reditum Adelberti [s] Romam, ad solam ipsius quietem, in Monasterio quodam, in quo iam alias substiterat; & non ad Apostolatum petendum, aut accipiendum narrat.

a *Ruff. l. 1 c. 9. Socrat. l. 1. c. 15. Theod. l. 1. c. 23. Sozom. l. 2. c. 23*

b *Theodor. l. 5. ca. 4.*

c *Nazian. in carm. de vita sua.*

d *Socrat. l. 7. c. 8*

e *Socrat. l. 7. c. 30.*

f *Nicephl. l. 14. c. 40.*

g *Aug. ep. 261.*

h *Cyrill. in vita S. Euthimij apud Metaphrast. & Surium die 20. Ian.*

i *Procop. hist. Persic. & Euag. l. 4. c. 22.*

k *Euagr. l. 4. c. 21.*

l *Auent. Annal. Boior. l. 3.*

m *Greg. l. 5. in dic. 14. ep. 58.*

n *Beda l. 3. c. 22.*

o *Conc. Tolet. 12. c. 4.*

p *Marcellin. apud Surium die 1. Martij.*

q *Regino, & ex eo Baron. an. 959*

r *Baron. to. 10. an. 989. n. 8.*

s *Baron. an. 990 n. 3.*

narrat. A quo Apostolatu ille remotissimus erat, qui se à Monasterio illo abstrahi nullo modo volebat consentire. Sed [a] commination excommunicationis fuit abstrahendus, & non in Poloniam, sed ad suam Pragensem Ecclesiam vt rediret compellendus. Ea tamen conditione pacta cum Papa, vt si illum sui Bohemi male de more tractarent, liceret ei eos rursum deserere, & in Gentes ad prædicandum Euangelium abire. Quod & fecit, in [b] Prussiam proficiscens: vbi martyrio est coronatus. Quæ non fuit licentia prædicandi Euangelium apud Gentes; sed suam propriam Ecclesiam deserendi, cui iure humano Ecclesiastico alligatus erat. Et quid hoc ad prædicationem Polonicam? Illa sane facta est tota, absque vllo Romani Pontificis concursu, & hoc est quod intendimus. [c] Liuonia etiam primum Episcopum suum Rigensem, à Bremensi Archiepiscopo consecratum, & missionis Ecclesiasticæ autoritate roboratum, habuit Meinardum.

a *Ibid. an. 996. nu. 31.*

b *Ibid. an. 997. nu. 2.*

c *Reinold. in Chron. Sclauon. l. 7. c. 8, 9. & Baron. tom. 12. ann. 1186.*

IV.

Dux Poloniæ Bolizlaus, cum suam cuperet Pomeraniam ad Christi fidem reducere, nec id oneris vellent Poloni Episcopi suscipere, ad Ottonem Bambergensem Episcopum sibi confugiendum putauit, quem sciebat zelo propagandæ fidei esse feruentissimum. [d] Suscepit ille negotium, & peregit, non sine vbere fructu. Quoniam tamen, etiam ipse, propriam habebat Ecclesiam, eam noluit etiam ad tempus deserere, nisi conscio Romano Pontifice, vt innuit Vrspergensis, dum Ottonem diuino instinctu admonitum, & Papæ autoritate, & assensu roboratum, eam curam suscepisse scribit. Hinc verò rursum Baronius, vt Papam faceret, non amplius Petrum, sed Christum, hæc scripsit: [e] Quod autem idem vir Apostolicus Otto probe sciret, non esse alterius cuiuspiam, aut ab animi alicuius arbitrio pendere, sibi sumere ad Gentes Apostolatum, quamuis inuitatus sit à Sæcularibus Dominis; sed esse Primariæ sedis Apostolicæ autoritatis, Petri successoris, & Christi Vicarij duntaxat; ne in vacuum curreret, sciens quod quæ à Deo sunt ordinata sunt; primum omnium à Romano Pontifice facultatem huiusmodi impartiri sibi, per literas procurauit.] Et quia Otto non sine miraculorum gratia Pomeranos conuertit; eum plane nihil minus habuisse ab antiquis Apostolis asserit idem Baronius: Vt Apostolorum missionem cum vera Apostolica virtute ad Papam reducat: cuius missio, & institutio, dederit missio etiam donum miraculorum: sicut Christus eodem dono suos Apostolos instruebat. Quæ est adulatio impudentissima, nam etiam tot alij sancti viri, quos recensui, & non à Papa missi, diuinæ virtutis ope, in Ecclesia plurimum fructificarunt, & miraculis etiam aliqui claruerunt. Otto vero quia tunc inter Imperium, & Romanam Ecclesiam dissensio ardebat propter inuestituras; ne suspicio aliqua oriretur ipsum à Romana descisceere Ecclesia, Prouinciam hanc arduam, extra suam Ecclesiam susceperus, ab ea, Papa inconsulto, noluit discedere. Quod verò aliquis suorum in Ecclesia laborum fructus, vel collectos, vel etiam colligendos, cum supremo in Ecclesia Christi Patriarcha, seruato ordine Hierarchico ab Ecclesia instituto, communicaret, & publicæ causæ participem faceret; non inde colligi poterat nefas esse Euangelium prædicare inter Gentes, nisi prius ad hoc acciperet quis à Domino Papa potestatem. Quod enim dictum est omnibus & singulis Apostolis; Euntes docete omnes Gentes; id profecto dictum est etiam Episcopis omnibus, & singulis, quippe Apostolorum successoribus.

d *Vsperg. in Chron. an. 1124.*

e *Baron. to. 12. ann. 1124.*

V.

Vnde & nescio quid sibi voluerit Adrianus in quadam Epistola, cuius non nisi summam extare tradit [f] Baronius, in Bibliotheca Vaticana. In qua dicitur ipse Adrianus adiecisse, se permittere diuinum verbum gentibus prædicari. Fortasse explicauit licere Episcopis, relictis tantisper proprijs Ecclesijs, ad prædicandum finitimis gentibus excurrere. Si verò voluit prædicationem hanc nemini licere, sine ipsius consensu & facultate; rem dixit intolerabilem; cui aduersatur Euangelium, aduersatur & Ecclesiæ praxis vniuersalis: & tot exempla quæ produxi. Non tamen negamus etiam Papam posse, imò & debere hæc præstare. Et si est plenus Petri successor, ipse maximè deberet in conuersione mundi laborare: aut saltem alios ad hoc mittere & destinare. Sicut neque negamus eius interdum autoritate voluisse aliquos sanctos viros fulciri, qui se iam Christo deuouerant, vt ipsius fidem inter infideles propagarent; seseque obtulisse supremæ in Ecclesia dignitati, vt ab ea mitterentur; sicut inter cæteros fecit [g] Bonifacius. Hinc tamen negare esse vere viros Apostolicos, qui à Papa non fuerint missi: & Apostolatum hunc, siue potestatem prædicandi gentibus, non posse haberi legitimè, nisi à solo Papa, vt negat [h] Baronius; Mihi videtur esse summæ insciticæ, & etiam temeritatis execrandæ: vt ratione Euangelica, & exemplis iam probatis, redditur manifestum. Omitto non pauca alia Episcoporum, seu Archiepiscoporum exempla, qui nouos Episcopos creauerunt: quæ effugere possent nostri

f *Baron. tom. 9. ann. 795. n. 11.*

g *Apud Baron. tom. 10. ann. 997. nu. 3.*

h *Ibid. nu. 5.*

Monarchici, facta eis appensione Apostolicæ legationis. Nam & hoc nostrorum Pontificum artificium alias considerabo, quo præclaros quosque Prælatos, siue Occidentis, siue etiam Orientis, Legationis & Vicariatus munere, seu potius nomine honestarent; vt quod propria autoritate, circa vniuersale Ecclesiæ regimen illi gererent, autoritate Apostolica gessisse dicerentur. Veniamus ad Concilia. A

VI. In Concilio Carthaginensi 3. circa tempora Siricij Papæ, [a] Epigonius Episcopus dixit: Multis in Concilijs hoc statutum est à cœtu Sacerdotali, vt plebes, qui in Diœcesibus ab Episcopis detinentur, quæ Episcopos nunquam habuerunt, non nisi cum voluntate eius Episcopi, à quo tenentur, proprios accipiant rectores, id est Episcopos.] Solo ergo Episcopi magnam Dioceſim habentis consensu, possunt loca celebriora nouam erigere sedem Cathedralem. Et ita poterat Episcopus ipse alium Episcopum creare, assignata ei parte suæ amplæ Diœcesis, & à se separata. Aut ad summum poterat post consensum Episcopi, B is ad quem de iure spectat Episcoporum ordinatio, nempe Metropolitanus, vel Synodus, nouum Episcopatum erigere, per amplioris Episcopatus Diuisionem; vt patebit ex dicendis. Nec est audienda illa [b] Glossa huius Canonis, quæ dicit somnians, non probans; Concilia quædam impetrasse priuilegium à Papa, diuidendi vnum Episcopatum in duos, de consensu tamen Episcopi: Iam enim ostendi, etiam sine Papa, id sæpe factitatum; & statim ostendam Concilia sæpe, etiam sine Papa, aut nouas Episcopales sedes erexisse; aut erigendarum curam & facultatem Episcopis concessisse.

a *Concil. Carth. 3. c. 42. et Afric. c. 20.*

b *Gloss. in c. Multis. 16. q. 1.*

VII. In Africano Concilio, in quo præcedens Canon fuit, cum multis alijs, ex Concilijs Carthaginensibus repetitus; ponitur etiam alius talis Canon; [c] Placuit & illud, vt plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario vniuscuiusque Prouinciæ, & Primatis, atque consensu eius ad cuius Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiant.] Audis, post Episcopi consensum, diuisionem vnius Episcopatus in duos, aut plures, Concilij plenarij nationalis, seu regionalis autoritate fieri posse, & debere. De Papa vero nulla hic mentio. [d] Conceditur etiam ab eodem Concilio, vt vna plebs, quæ proprium amiserit Episcopum Donatistam, possit, extincta sua sede Cathedrali, alteri Ecclesiæ Cathedrali vniri, & incorporari. Vt sic videas autoritate Synodi Prouincialis, præsertim plenioris, posse, & vnum Episcopatum in duos dissecari; & duos in vnum redigi. C

c *Concil. Afric. c. 65.*

d *Ibid. c. 56.*

VIII. In quinta Synodo Generali, [e] cum Hierosolymitana Ecclesia fuisset ad titulum Patriarchatus euecta, & pro eius dignitate aliquot Metropoles fuissent, hinc Alexandrino, inde Antiocheno subtractæ, eique assignatæ; vt præter Metropolitanos, haberet etiam aliquot proprios suffraganeos; non modo aliquos suffraganeos dictis metropolitanis subtraxerunt, sed etiam quosdam de nouo Episcopatus erexerunt. Nec dicas Vigilij Papæ consensu & autoritate id factum; quia Vigilius, licet Constantinopoli præsens, nunquam tamen voluit illi Synodo interesse: Imò eam diu oppugnauit; vt habebis *infra* libro sexto, & septimo. D

e *Tyr. de bello sac. l. 14. c. 12.*

IX. In Anglicana quadam Synodo, quam refert Beda, & ponitur tomo secundo Conciliorum; [f] Nonum capitulum ponitur; Vt plures Episcopi, crescente numero fidelium, augerentur.]

f *Beda l. 4. c. 5.*

X. Bambergensis Ecclesia, [g] in Synodo quadam Francofordiensi, Henrico Rege instante, eamque egregie dotante, & exaltante, in Cathedralem tunc primum est erecta: Moguntinusque Archiepiscopus Eberardum Regis Cancellarium, primum Bambergensem Episcopum ordinauit.

g *Ditmar. apud Baron. tom. 11. an. 1006. init.*

XI. Legibus suis vehementer semper vrsit Ecclesia, vt assignata semel sua Episcopatui cuique Diœcesi, non liceat in ea, præter vnicum, Episcopos, multiplicare: suppositio nimirum Diœcesim illam tantam esse, cui possit ille vnus Episcopus, suo regimine satis esse. Ita Nicæna Synodus prima, vehementer abhorret, [h] Ne in vna Ecclesia Cathedrali duo sedeant, aut plures Episcopi. Laodicenum, & Sardicense Concilium, iuxta Apostoli Tito datum præscriptum, vt per ciuitates Episcopi constituantur, [i] prohibent, ne in vicis ac villulis, modicisque ciuitatibus, Episcopi ordinentur. Quam prohibitionem omnino seruandam, inculcat etiam [k] Leo Romanus Pont. Atque hæ prohibitiones manifeste supponunt, posse Episcopos, ex vi ordinis, & potestatis Episcopalis, alios Episcopos ordinare: ac ne id factant, sectione Ecclesiarum, vel in pagis, & modicis Ciuitatibus, in quibus Presbyteri alicuius opera satis esse possit, cum Episcopi ciuitatis maioris vicinæ cura, & superintendentia Episcopali, præcipiunt. Si enim potestatem hanc penes solum Roma- E

h *Concil. Nicæ. c. 8.*

i *Concil. Sard. c. 6.*

k *Et Concil. Laodic. c. 57. & dist. 80. c. 3. 4. 5*

num

A num Pontificem esse intelligeret Ecclesia, prohibitiones has frustra repeteret, & vrgeret: satis esset monere Papam solum, vt ipse neque ordinet, neque ordinandi Episcopos facultatem tradat in locis, Episcopali Cathedra non dignis. Sed leges hæ cùm ab Ecclesia in genere Episcopis omnibus præscribantur, non minus Romanum, quam cæteros etiam obligabunt Episcopos quoscunque. Non igitur negamus Romano Pontifici tanquam summo Patriarchæ potestatem erigendi, vbi liceat per Canones, & vbi zelus Religionis dilatandæ, & fidei firmandæ id requirat, Cathedras Episcopales. Dum tamen ad se solum totam ille trahit hanc potestatem, & fallitur, & magnam facit iniuriam reliquis Episcopis, maximè Metropolitis, & Concilijs. Iam enim satis probaui, & rationibus, & factis, atque exemplis, solum Papam non esse nouorum Episcopatuum erectorem. Hanc verò facultatem in Synodis vel maximè exerceri debere, & ratio, & multa praxis Ecclesiæ antiquioris abundè suadet. Neque in vllis Ecclesiasticis tabulis authenticis vsquam reperies, in solo

B Romano Pontifice potestatem hanc, nouorum Episcopatuum instituendorum, residere.

XII. Non solus Baronius, ad cumulum Pontificiæ potestatis augendum, illam quoque soli Pontifici tradidit supra, vt vel ipse, vel ex ipsius commissione, & concessione, noui erigantur, vbi opus sit, Episcopatus; sed etiam Bellarminus: [a] Apostolorum, *inquit*, proprium erat, vt Ecclesias constituerent, & fidem propagarent in ijs locis, vbi nunquam fuit. Et hoc ad Romanum Pontificem pertinere, & ratio, & experientia ipsa nos docet. Nam ab Apostolicis temporibus, qui Ecclesias fundauerunt in variis partibus orbis terræ, & adhuc hodiè fundant, Romani Pontifices fuerunt.] Ego tamen & ratione ex ipso Euangelio deducta, iam satis docui, id potestatis penes quemque Episcopum reperiri: & successionem nostram ab Apostolis, hanc etiam potestatem nobis omnibus tradere: & experientiam contrarium prorsus quàm asserat Bellarminus, conuincere, & demonstrare.

a Bellar. de Ro. Pont. l. 2. c. 12.

XIII. Vrgeo vlterius idem [b] Bellarminus alibi, solum Papam habere hanc, de qua nunc disputamus, potestatem. Nam, *inquit*, vt beatus Augustinus scribit, Epist. 162. in Romana Ecclesia semper viguit Apostolicæ Cathedræ Principatus.] De hoc ego Principatu disseram seorsim libro quarto. Nunc verò dico Romanam Ecclesiam, & ex magnitudine ciuitatis, & etiam ex eo quod eam duo primi Apostoli fundauerunt, Petrus, & Paulus; & ex alijs capitibus, extra ius diuinum habuisse, vt semper reputata sit Ecclesia principalis: non tamen Domina, & Regina super vniuersas Christi Ecclesias: neque Augustinus, neque vllus ex antiquioribus Patribus, vt postea ostendam, summam Ecclesiasticarum rerum, in Romana Cathedra posuerunt. Erat ergo, & est Ecclesia præcipua, nobilitate, existimatione, nominis, & dignitatis autoritate; non regiminis, & iurisdictionis Principatu. Et sanè Augustinus loco obiecto, Cæcilianum Carthaginensem Episcopum, probat meritò potuisse non curare multitudinem contra se conspirantem, quando ei Donatistæ grauissimam mouerunt persecutionem: adeò vt etiam Concilijs coactis illum damnârint: siquidem & Ecclesia ipsa Carthaginensis, magnæ autoritatis, illum fulciret; & communione coniunctus esset cum Romana, inter omnes Ecclesias præcipua, & principali, cuius communionem quæcunque aliæ etiam maximæ Ecclesiæ semper plurimi fecerunt: & cum cæteris terris vnde Euangelium in Africam venit; puta Orientalibus. Quid verò hæc ad potestatem nouorum Episcoporum instituendorum? Principatus hic Romanæ Ecclesiæ ab Augustino commemoratur, non occasione vllius actionis Romanæ, quam Regimen totius Ecclesiæ peperisset; sed propter solam communionem cum Cæciliano: vt inde haberetur innocentia Cæciliani, quem Ecclesiæ magnæ, & multæ, & inter eas Romana adeò præcipua, tanquam dignum, & innocentem, in sua retinerent communione. Itaque potius habemus ex Augustino Romanam Ecclesiam non habere hunc absolutum in totam Ecclesiam Principatum, vt ipsa sola nouas possit fundare Ecclesias: siquidem ipsius solius communio Cæcilianum non iustificaret; sed cæterarum quoque Ecclesiarum, licet ex eis præcipua esset Romana: cuius communio plurimum prodesset ad alicuius innocentiam confirmandam. Et iam vidimus Augustinum, absque vlla Romani Pontificis licentia, nouum Episcopatum Fussalæ erexisse

b Bellar. de Eccl. l. 4. c. 8.

XIV. Ab autoritate Augustini transitum facit Bellarminus ad rationem, qua probet Romani solius Pontificis, in nouis creandis Episcopis, potestatem. [c] Ratio, *inquit*, huius est quia institutio nouorum Episcopatuum, non potest pertinere ad vllum, qui habeat definitam regionem, quales sunt Episcopi particulares; sed ad eum qui toti Ecclesiæ præest: & cui propriè cura incumbit Ecclesiam propagandi, quales fuerunt omnes Apostoli: Petrus quidem ex officio, & cæteri ex delegatione: & quicunque aliter intrat, non est de Ecclesia Apostolica, cum non possit ostendere originem suam ab Apostolis. Nec tamen ob

c Bellar. de Eccl. lib. 4. cap. 8.

id negamus, quin etiam Patriarchæ, & Metropolitani aliquando possint nouos Episcopatus erigere; quod Sanctum Athanasium in Oriente, & Sanctum Bonifacium in Germanijs fecisse constat; modo à sede Apostolica facultatem habuerint.] Hæc tamen ipsius ratio tota vndique ruit: nam ego iam probaui vnumquemque Episcopum, iure Diuino, habere potestatem indefinitam, ac illimitatam, respectu locorum, & subditorum: limitationem verò, & separationem particularium Ecclesiarum, totam esse iure humano Ecclesiastico constitutam. Et negaui, ac multo magis libris sequentibus negabo, vllum esse Episcopum in terris, qui actualem habeat in totam Ecclesiam totius mundi iurisdictionem: sed in vnoquoque Episcopo, non minus quàm in Romano, illam esse æque in habitu, seu actu primo. Et non minus vnumquemq; Apostolum, quam Petrum, ex officio & proprio munere Apostolatus, ac Episcopatus, auctoritatem à Christo habuisse, Ecclesiam propagandi. Et hãc autoritatem ab Apostolis, quam illi & singuli, & vniuersi habebant plenissimam, & propriam, in Episcopos pariter, & singulos, & vniuersos, plenissimam translatam fuisse: & Patriarchas ac Metropolitanos, imò etiam simplices Episcopos, hanc autoritatem, vt propriam, & non à Papa commissam, per multa sæcula exercuisse: ac specialiter Athanasium propria, & non Apostolica Romana facultate, in multis locis, Episcopatus erexisse. Nam de Romana commissione ne vllum quidem minimum vestigium potest apparere. Quid dicet de Polycarpo, Eusebio, Basilio, & alijs?

XV. Hic adde, si uis, nouum Baronij argumentum, Quod nimirũ in singulis [a] Romanis Pontificibus recenseantur, ac præsertim primis, & vetustissimis, non solum ordinationes Clericorũ, qui Ecclesiæ Romanæ vsui essent, sed & Episcoporũ, qui in diuersas orbis Prouincias mitterentur: vt ex his etiam, *inquit*, perspicuum reddatur, fuisse muneris Romanorum Pontificum, non solũ Vrbis, sed & orbis totius Ecclesiæ consulere.] Habuit id muneris Romanus Pontifex primum iure diuino, non vt Romanus Pontifex, sed simpliciter vt Episcopus: & ideo solus id muneris non habuit; sed æque Episcopi etiã alij, vt vidimus, munus hoc exercuerunt. Deinde habuit id potissimum iure etiam Ecclesiastico, tanquam Patriarcha primus, & maximus inter cæteros, soluſq; in toto Occidente: non quidem vt ipse solus, sed vt ipse præcipue, hoc munere fungeretur. Sciat tamen præterea Baronius ordinationes hasce Episcoporum, quæ singulis ferme Romanis Pontificibus tribuuntur, vt plurimum intelligendas esse, de Episcopis ad ipsius ordinationem, tanquam particularis Metropolitani, suæq; particularis Prouinciæ Primatis, pertinentibus: Vacantibus enim per obitum, aut alio modo Ecclesiis suffraganeis, quisque Metropolitanus ordinat Episcopos, in sedem vacantem rite substitutos, vt sequenti l. 3. demonstrabitur.

[a] Baron. to. 2. an. 154. n. 2.

CAPVT IX.

Quid faciant in Ecclesia Presbyteri Episcopis inferiores.

SVMMA CAPITIS.

Presbyteri subsunt Episcopis, num. 1. 2. 3.
Episcopos tamen cum suis Presbyteris Ecclesias gubernare æquum est, num. 4. 5.
De Canonicorum Collegio siue Capitulo, & de Canonicis regularibus, num. 6. 7.
De Parochis, eorumque potestate, num. 8. 9.
In Canonicis manens sede vacante, potestas Episcopalis, & Cleri Romani potestas examinatur, contra Baronium, num. 10. 11. 12. 13.
Plures Episcopi in eadem Ecclesia quomodo, num. 14. 15.
Presbyteri omnes inter se potestate, iure Diuino, æquales; iure Ecclesiastico inæquales, num. 16.
De Chorepiscopis, num. 17. 18. 19.

I. ITa quidem posuimus ordinem Presbyteralem ab Episcopali diuersum, c. 3. huius libri, vt tamen in essentialibus, quæ spectant ad Ecclesiastica ministeria erga fideles populos exercenda, Presbyteri Episcopis sint penitus æquales, vt propterea in ipsis ministerijs non minus Presbyteri, quàm Episcopi ex vi sui ordinis, iure Diuino, & possint, & teneantur in ministerio laborare. Et hoc potissimum est quod Hieronymus dicebat, [b] initio communi presbyterorum consilio Ecclesias fuisse rectas. Ac nisi ex hac communione

[b] Hier. in ep. ad Tit. c. 1.

A nione ministeriorum, schismata pullulassent, neque nomina Episcoporum, & Presbyterorum fuissent separata; neque veri Episcopi suam prælationem, quam ex vi ordinationis habent erga Presbyteros, tam sæpe, & tam euidenter exercuissent, solam contenti habere supra Presbyteros ministrorum ordinationem. Re vera itaque in vnaquaque Ecclesia vnus præest Episcopus: cæteri verò Presbyteri vnum faciunt Collegium, cuius caput est Episcopus: illi tamen & ad eandem curam ordinati sunt, & ad eadem munera regendarum animarum docendo, prædicando, & Sacramenta ministrando vocati, ad quæ etiam Episcopus sit vocatus, & ordinatus. Lex tamen Ecclesiastica aliquos præterea actus Presbyterales Episcopis solis reseruauit, ac ne à Presbyteris exercerentur prohibuit; vt sunt multæ personarum, & rerum benedictiones, atque hoc pro maiori Episcoporum dignitate, & autoritate; & ad vitandas non paucas in Ecclesia confusiones: ministeria tamen ordi-
B naria Ecclesiastica Presbyteris cuiusque Ecclesiæ proprijs, specialiterque vocatis, ordinatis, & deputatis integra sunt relicta; ita tamen vt in his ipsis ministerijs exercendis Presbyteri à nutu, & voluntate Episcopi dependerent, nihilque prorsus agerent circa Ecclesiasticum regimen, nisi iussu, & directione Episcopi; vt ita vitaretur confusio, & schismatum occasio præcideretur. Hinc sæpius inculcatæ sunt leges in Ecclesia, vt Presbyteri suorum Episcoporum nutibus obsequantur, & Presbyteralem potestatem non nisi Episcoporum ductu promant, & exequantur.

II.

Inter Apostolorum, qui dicuntur, Canones, & ille est: [a] Presbyteri & Diaconi, sine sententia Episcopi, nihil perficiant: ipse enim est, cuius fidei populus est creditus; & à quo pro animabus ratio exigetur.] Clemens ea fertur scripsisse; [b] Omnibus Presbyteris & Diaconis, ac reliquis Clericis attendendum est, vt nihil absque Episcopi proprij licentia agant. Non vtique missas, sine eius iussu quisquam Presbyterorum in sua Parochia agat; C non baptizet, nec quicquam absque eius permissu faciat.] Ignatius; [c] Non licet, *inquit*, sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque dochen celebrare. Sed quodcunque illi visum fuerit, secundum beneplacitum Dei, vt tutum, & ratum sit, faciatis.] *Item*; Supplicio subiacebit, qui sub Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens, & decentem rerum ordinem confundens.] In Concilio primo Arelatensi, Constantino regnante, Canon ille editus est: [d] Vt Presbyteri, sine conscientia Episcoporum, nihil faciant.] Et in Laodiceno idem statuitur. In Carthaginensi 2°. hæc habentur: [e] Quisquis Presbyter, inconsulto Episcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.]

a *Canon Apost.* 38.
b *Clemens ep.* 3.
c *Ignat. ad Smyrn.*
d *Concil. Arelat. 1. can.* 19. & *Laodic. c.* 57.
e *Concil. Carthag. 2. c.* 9.

III.

Eodem pacto in Concilio Toletano [f] prohibentur Presbyteri, qui chrisma solebant conficere, ne illud amplius conficiant. Hispalense 2. trahit ad Episcopos multa munera, quæ erant communia Presbyterorum, vt habes supra cap. 3. nu. 25. quæque traxit ad Epis-
D copos etiam Damasus Epist. 5. vt habes eodem cap. nu. 8. [g] In Agathensi aufertur Presbytero, ne benedictionem in Ecclesia fundat super plebem: neque pœnitentem in Ecclesia benedicat. Quia nimirum hæc omnia, ex vi ordinis, licebant Presbyteris: vnde bene Hieronymus, ob vitanda tantum schismata, factum in Ecclesia asserit; [h] Vt sine chrismate, & Episcopi iussione, neque Presbyter, neque Diaconus, ius habeant baptizandi.] Tu idem intellige de omni alia subiectione Presbyterorum, dum in suis ministerijs Episcopis subijciuntur.

f *Concil. Tolet. 1. c.* 20.
g *Concil. Agath. c.* 44.
h *Hieron. adu. Lucifer.*

IV.

Ac quemadmodum Presbyteri nihil possunt sine Episcopo, circa regimen Ecclesiæ; ita neque vice versa Episcopos decet, sine suis Presbyteris suas Ecclesias præsertim in grauioribus negotijs gubernare: Quamuis enim Episcopus suam iure diuino habeat supra Presbyteros prælationem, illi tamen eodem iure diuino sunt in ministerijs essentialibus, sui Episcopi socij, & collegæ: adhuc igitur communi consilio, & labore in res Ecclesiasticas de-
E bent incumbere: hoc est Episcopus solus statuat, decidat, iubeat, dirigat, & ordinet, sed cum suorum tamen consilio Sacerdotum. In quorum Collegio, non exiguam, Ignatius Martyr, agnouit autoritatem: [i] Omnes, *inquit*, Episcopum sequimini vt Christus Patrem: & Presbyterorum Collegium vt Apostolos.] Et Hieronymus [k] cœtum Presbyterorum, Senatum vocat Ecclesiarum. Atque innuit in Ecclesijs nihil ex grauioribus, sine matura Episcopi, cum suo clero, consultatione peragi. In Senatu enim etiam Imperatores grauiora quæque deliberanda proponebant. In Concilio Carthaginensi 4. statuitur; [l] Vt Episcopus sine concilio Clericorum suorum, Clericos non ordinet.] *Item*: [m] Vt Episcopus nullius causam audiat, absque præsentia Clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum, præsentia confirmetur.] Et Gregorius monet, [n] Iudicia ab Epi-

i *Ignat. ad Smyrn.*
k *Hieron. in Isa. c.* 3.
l *Concil. Carthag. 4. c.* 22, 23.
m 1597. *c. Episcopus. 1.*
n *Dist.* 86. *c. Si quid.*

piscopo esse, præsentibus senioribus suæ Ecclesiæ, exercenda. Hinc est quod Alexander 3. vehementius [a] increpat Hierosolymitanum Patriarcham, quod sine fratrum consilio, grauiora Ecclesiæ suæ negotia perageret: cum tamen, *inquit*, tu & fratres tui, vnum corpus sitis; tu caput, & illi membra.

a c. Nouit. & c. Quanto de his quæ fi. a Prel.

V. Nos igitur omnes Episcopi meminisse debemus, Presbyteros omnes esse nostros fratres, & collegas in ministerio; non famulos, non mancipia: eosque iure diuino non minorem habere in pascendo populo Dei potestatem, quàm nos habeamus. Et si quam iurisdictionem ampliorem externam, & non proprie Ecclesiasticam in illos exercemus, illam non ex nostra propria, sed ex delegata a Principibus laicis potestate (vt docebo plene lib. 6. & 10.) exercemus. Et si Apostoli Apostolatus non est honor, nec vllam continet dominationem, vt probaui lib. 1. c. 2. & Petrus [b] dominationem in Clerum prohibet Episcopis; sed merus est labor, opus nudum, & ministerium; quanto magis in Episcopo id erit Episcopatus? Vt propterea non fuerit adeo male tractandus [c] Archidiaconus quidam ab Honorio 3. quia suum Episcopum negauerat esse suum Dominum: & reuera abominabile sit fratres & collegas Episcopi, homagium ei, tanquam suo Domino, qui in eos vitæ & necis habeat potestatem, præstare: quod ibidem videtur prætendere Honorius.

b 1. Pet. 5.

c Gravem. de excess Prel.

VI. Hoc verò Presbyterorum, imò & aliorũ, inferiorũ ministrorũ, eidem Ecclesiæ necessariorũ, eiq; inseruientiũ Collegium, vocatur Collegiũ seu Capitulũ, Canonicorum. Ita vt Canonici Presbyteri sint, qui sunt ordinarij in illa Ecclesia ministri in officio Presbyterali; Canonici verò Diaconi, qui in Diaconali; & Canonici Subdiaconi, qui in Subdiaconali. Quos simul omnes Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, eiusdem Ecclesiæ ordinarios, qui ab ea alimenta, pro suo ministerio, ex communi massa acciperent, fortasse etiam minores Subdiaconis, Concilium Moguntinum vocat [d] Canonicos Clericos. Et Gregorius [e] Canonicos Sacerdotes vocat eos, qui suæ Ecclesiæ sint obstricti. Et hoc Canonicorum collegium est ille [f] Senatus Ecclesiæ, de quo supra Hieronymus. Atque hi qui in vna Ecclesia titulabantur, qui videlicet ad titulum talis Ecclesiæ, vt ipsius proprij Ministri, ordinabantur, & titulati in illa Ecclesia dicuntur & Canonici: hoc est qui iuxta Canones, siue regulas Ecclesiasticas, cum deputatione ad Ecclesiæ tale vel tale ministerium, ordinabantur. Vnde Vrbanus secundus, [g] In duabus, *inquit*, aliquem titulari, non liceat; sed vnusquisq; in quam titulatus est, in ea tantum Canonicus habeatur: licet enim Episcopi dispositione vnus diuersis præesse possit Ecclesijs, Canonicus tamen Præbendarius, nisi vnius Ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet.] Canonicum Præbendarium vocat, non qui Præbendam suam haberet pro se separatam, vt nunc fere habent: (nondum enim Præbendarum fuerat facta diuisio, & separatio, vt docebo lib. 9.) sed cui ex communi illius Ecclesiæ bonorum massa, alimenta præbebantur: ex qua Clericis non Canonicis, hoc est in Ecclesia non titulatis, neque pro ministerijs necessarijs adscriptis, aut nihil, aut parum quid adiumenti pro victu suppeditabatur; vt propterea Canonici non modo à regula sint dicti, siue quod iuxta regulas sint ordinati; siue quod sub regulis deberent in communi viuere, sub certa disciplina (vt tractabo lib. 9. Et Gregorius [h] districte & Canonice præcipit viuere Diaconos, & Religiosas Ecclesiarum personas, Canonicasque mulieres nominat eodem [i] sensu Iustinianus) sed etiam fortasse à [k] Canone, id est pensione, siue annona, quæ illis solis, vt dictum est, distribuebatur, qui in Collegium ministrorum cooptabantur, siue titulabantur: & sane præfixo [l] numero, tam pro necessitate, quam etiam pro facultate Ecclesiarum, vt tradam lib. 9. & pro sola necessaria eorum sustentatione, sobrij victus, & vestitus. Hinc capitulare Caroli, occasionem cuiusdam legis Ecclesiasticæ fuisse narrat, [m] Quia laici solebant diuidere Episcopia, & Monasteria, ad illorum opus, & non remansisset vlli Episcopo, nec Abbati, nec Abbatissæ, nisi tantum, vt velut Canonici & Monachi, viuerent.] Et postea; [n] Ex dictis sanctorum Patrum vnicam Canonicorum, & Canonicarum regulam collegit;] Pro ijs nimirum qui, vel quæ quotidianum victum ab Ecclesia sumerent.

d Conc. Mogunt. sub Carolo M. c. 9.

e Greg. l. 3. ep. 35.

f 16. q. 1. Ecclesia.

g Dist. 10. c. Sanctorum.

h 12. q. 1. c. Quoniam.

i Novell. 59.

k l. Placet C. de sacros. Eccl. et l. 1. C. de Iudic.

l Novell. 3. et c. Transmissa de Verb. sig.

m Capit. Franc. Lt. c. 73.

n Ibid. c. 85.

VII. Hæc Canonicorum Collegia suos habere debent Præfectos, qui vel Præpositi, vel Decani, vel Abbates, iuxta Ecclesiarum consuetudinem solent vocari. Sub quorum munere & officio erat custodia morum, & domesticæ disciplinæ; vt Canonicos instruerent, & moribus Ecclesiasticis informarent. Interim verò sub Episcopi ordinaria potestate, tum Canonici, tum ipsorum Rectores erant; vt suis locis explicabitur. Cum itaque totus clerus alicuius Ecclesiæ ei necessarius, eique deputatus, & ab ea nutritus & sustentatus, sit Canonicus; & Canonici sint omnes ministri qui sub Regulis Ecclesiasticis, & Ecclesiæ alimentis

A tis viuunt, manis, & puerilis erit distinctio moderna inter Canonicos sæculares, & regulares. Canonicus enim idem est quod Regularis, quasi dicas, sunt Regulares Regulares, & Regulares irregulares: cùm tamen tam Regulares, quàm irregulares, qui nunc sunt, sint verè irregulares, & à Canonici vera significatione alieniſsimi. Canonici enim qui dicuntur Regulares, cùm non amplius viuant sub Regulis ecclesiasticis, neque vitam communem ducant, neque Ministeria exerceant ecclesiastica Presbyteralia, Diaconalia, Subdiaconalia, sed sola sessione in choro, dum diuina officia peraguntur, sint contenti; & ornamenti potius externi, quàm officij gratia Ecclesiam frequentent, ad distributiones lucrandas quotidianas, cæterùm à vita vera clericali, & Canonica sint alieniſsimi, Canonici non erunt, nisi nomine tenus. Ij verò qui Canonicos se vocant Regulares, cùm à subiectione, & obedientia Episcopi se subtraxerint, & potiùs cum schismate Ecclesiam contra Ecclesiam erigant,
B & publicæ Ecclesiæ loci in quo degunt nihil ex sua institutione inseruiant, neque Canonici erunt, neque Regulares. Nam si sibi tantùm, & propriæ congregationi ab Ecclesia illa, in qua habitant separatæ, sint Regulares; hoc nihil ad illam Ecclesiam: & ita nullius Ecclesiæ sunt Canonici, vt infra cap. 12. huius, & lib. 9. ac 10. confirmabo.

Totus porrò Clerus Canonicus, ita in Ecclesia nondum confusa, subesse debuit Episcopo, vt eiusdem Cleri opera is vteretur in vniuersis suæ Diœcesis Ecclesijs ritè regendis, & gubernandis. Quoniam enim in vnica Cathedrali Ecclesia vniuersus totius ciuitatis, ac multò minus totius Diœcesis populus, non potest sacra percipere, Verbum Dei audire, & pijs Christianis exercitationibus interesse, plures fuerunt tum in ciuitatibus, præsertim maioribus, tum in oppidis, & vicis, Ecclesiæ instituendæ: ijsque sui fuerunt Presbyteri; & alij necessarij Ministri præficiendi. Hinc ortæ sunt variæ eiusdem Diœcesis Parœciæ: ijsque proprij, qui iam Parochi, siue Curati, dicuntur, per Episcopum Ministri deputati. Quibus
C singulis singulæ sunt, & propriæ plebes attributæ. Acquemadmodum vbi quis Episcopus ordinatur, is ex vi suæ ordinationis, & diuini iuris, diuinæque institutionis habitualem, seu in actu primo, vt iam exposui, accipit indefinitè, ac indeterminatè potestatem vniuersalem; & non nisi iure humano, & ecclesiastico, particulari, & determinatæ alligatur Ecclesiæ; neque vllus Episcopus actu est Episcopus, nisi vbi actu per se suam exercet Episcopalem potestatem: Ita & Episcopus iam in sua Ecclesia constitutus, cùm solus non possit actu, totum populum, totius suæ Diœcesis continuatè pascere, tenetur Presbyteros plebibus suis, quantum necessitas postulat, attribuere, & ordinare. Atque hi ipsi Presbyteri Parochi, cum suam iure diuino plenam habeant in ministerio Christi potestatem, & ipsi in suis Parœcijs erunt Ministri ordinarij, sub suo tamen Episcopo, vt dictum est. Episcopus enim habet quidem solus totius suæ Diœcesis generalem ecclesiasticam gubernationem, &
D proinde ipsius est, prout ei opportunum visum fuerit, Ministros pro sua tota Ecclesia eligere, & consecrare, ac per suas Ecclesias distribuere; ipsi tamen iam applicati regimini suæ Ecclesiæ, habent ordinariam potestatem, sed Presbyteralem in illa Ecclesia. Initio quidem libertas erat penes Episcopum maxima, vt modò hunc, modò illum ad talem, vel talem suæ Diœceseos plebem mitteret, nullumque certum certo loco ad vitam, firmo, & stabili modo alligaret: sed postea erectis iam beneficijs (de quibus dicam libro 9.) Parochi facti sunt perpetui, & ordinarij suarum plebium Ministri, ac Pastores; cum maxima tamen in suo regimine animarum, ab Episcopo dependentia.

Et sicut Episcopos, iure diuino, totam suam habere, & indeterminatam respectu locorum potestatem, in tota, & vniuersali Christi Ecclesia; & iure tantùm positiuo eos certis sedibus deputari iam docuimus; ita Presbyteri Parochi, iure similiter diuino, totam Presbyteralem accipiunt potestatem, non modò pro tota Diœcesi, siue Ecclesia, in qua sunt Presbyteri Canonici ordinati, sed etiam pro tota Ecclesia vniuersali: iure tamen humano
E ecclesiastico, certæ plebi, dum fiunt Parochi, alligantur: ita vt in alia Parochia eiusdem Diœcesis, multò minùs alienæ, ecclesiasticum Ministerium non debeant propriâ autoritate exercere. Cùm itaque, iure diuino, & ipsi suam habeant potestatem, errant quicunque Presbyteros Parochos meros faciunt Ministros Episcoporum, qui tamen propriam ac ordinariam, & non delegatam, vt constat, habent potestatem. Ita tamen ordinariam, vt in actum eam reducere non possint, iure ecclesiastico humano, nisi vbi ab Episcopo applicentur, siue fixè, siue vagè, prout Episcopo placuerit, in tota sua Diœcesi. Vbi tamen applicantur, ibi propriam, & ordinariam, non Vicariam, aut delegatam, exercent potestatem; vt immediati Christi Ministri: & hoc, libro quinto pleniùs ostendetur.

Propterea statim atque mortuus est Episcopus, interim dum alius substituatur, ordinariè regi-

VIII.

IX.

X.

rie regimen illius Ecclesiæ, totum plenum & integrum, excepta ordinatione, & actibus ordinis Pontificalis proprijs, est penes totum Collegium Presbyterorum, siue Capitulum Canonicorum, sed Presbyterorum. Canonici enim non Presbyteri, cum nullam habeant potestatem Presbyteralem, nec sint in ministerium assumpti, neq; sint Apostolorum in Presbyteratu successores, vt sunt [a] Presbyteri; nihil iuris habent in regimine. Ignatius certe Martyr Episcopus Antiochenus, statim ferme post Apostolos, dum Romam vinctus ad martyrium duceretur, non vllum certum Vicarium sibi substituit; sed toti Collegio suorum Presbyterorum suam Ecclesiam commendauit. [b] Presbyteri, *inquit*, pascite gregem qui inter vos est, donec Deus designauerit eum qui principatum in vobis habiturus est; ego enim iam immolor, vt Christum lucrifaciam.] Non dixit, Pascite gregem donec Pontifex Romanus vobis ordinet Episcopum: sed Deus: quia Episcopatum esse à Deo immediate agnoscebat: Ideo ait, donec Deus designauerit eum, qui ex vobis sit principatum hunc, siue primatum habiturus: à Deo ergo Episcopi habent vt sint in sua Ecclesia Principes. Ita etiam Cyprianus cum paululum secessisset, suam suo clero commendat Ecclesiam: ait enim; [c] Et quoniam mihi interesse nunc non permittit loci conditio, peto vos pro fide, & religione vestra, fungamini illic & vestris partibus, & meis, vt vel nihil ad disciplinam, vel ad diligentiam desit.] Sciebat enim curam ministerij esse communem ei cum suis Presbyteris, quos passim propterea vocat collegas.

a *Sup. c. 3. n. 10. & 17. 21.*

b *Ignat. ep. ad Antioch.*

c *Cypr. l. 5. ep. 2.*

XI.

Romanus Clerus, vacante illa sede post Martyrium Fabiani, [d] sibi ait incumbere custodire gregem: Qui videmur, *inquiunt*, præpositi esse, & vice-pastores.] Et quia hortatur Clerum Carthaginensem ad multas virtutes, præsertim absente Cypriano eius Episcopo, qui aliquantulum secesserat: & suo exemplo monet quid facere debeat in persecutione, circa tentatos, & confessores. Hinc satis insulse colligit Baronius, [e] sublato visibili vniuersalis Ecclesiæ capite, Cleri Romani partium esse (quippe qui propinquiora membra capiti inhærent) Catholicæ Ecclesiæ vbique locorum positæ prospicere, atque consulere.] Nam etiam Cyprianus ex charitate, imò etiam ex officio, vt ipse [f] testatur, maximam curam vice versa suscipit ipsiusmet Ecclesiæ Romanæ, eadem vacante sede post Fabianum: & instituit Clerum Romanum non minus quam si ipse esset Episcopus Romanus. Recitemus ex eo aliquid. Ad Presbyteros, & Diaconos Romanos ita scribit, [g] Quales literas ad Clerum Romæ agentem fecerim, quidque illi mihi rescripserint, quid etiam Moyses, & Presbyteri, & Nicostratus, & Rufinus Diaconi, & cæteri cum eis confessores in custodia constituti, quæ ad literas meas rescripserint, vt scire possetis fratres charissimi, exempla vobis legenda transmisi. Vos curate quantum potestis pro diligentia vestra, vt scripta nostra, & illorum rescripta fratribus vestris innotescant.] Et post pauca. De cæteris quæ agenda erunt, sicut & Collegis meis plurimis scripsi, plenius consilio tractabimus, quando conuenire in vnum permittente Domino cœperimus.] Audis Cyprianum cum suo Concilio collegarum, Romano Clero agenda præscripturum. Quomodo ergo Clerus Romanus sede vacante toti Ecclesiæ prospicit, & consulit? Et sane Cyprianus, quando etiam tantisper merito, vt docet, secesserat, suam tamen Ecclesiam per litteras, & Nuncios perpetuo rexit, [h] & gubernauit, vt Cleri Romani regimine non indigeret: vt manifestè cernimus in vna ipsius Epistola ad Romanos, in qua describit ipse diligenter curam, quam suæ gessit Ecclesiæ dum secesserat. Et quia Romanus Clerus scribens ad Clerum Carthaginensem, vt supra diximus, aliquid attigerat de sua opinione circa lapsos (communicabant enim plurimum inter se Ecclesia Romana, & Carthaginensis, & se inuicem iuuabant): [i] Vt sit nobis, *inquit Cyprianus ad Clerum Rom. scribens*, circa vtilitatem Ecclesiasticæ administrationis commune consilium.] Hæc quoque scribit idem Cyprianus: Sed cum vestra scripta legissem, quę ad Clerum nostrum, per Crementum hypodiaconum nuper feceratis, vt ijs qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, & pœnitentes communicationem desiderarent, subueniretur, standum putaui, & cum vestra sententia, ne actus noster, qui adunatus esse, & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet. Plane cæterorum causas, quamuis libello à Martyribus accepto, differri mandaui, & in nostram præsentiam reseruaui, vt cum pace à Domino nobis data, plures præpositi conuenire in vnum cœperimus, communicato etiam nobiscum consilio, disponere singula, & formare possimus.] Ita se in quibusdam cum Clero Romano conformat: in alijs verò ab eodem Clero propositis, quæ grauiora sunt ei visa, suum differt iudicium; vt commodius cum suo Concilio possit postea, sibi & illis, rem definire.

d *Apud. Cypr. ep. 3. edit. Pamel.*

e *Baron. tom. 3. an. 253. n. 26. 32.*

f *Cyprian. l. 3. ep. 6.*

g *Idem l. 3. ep. 4.*

h *Idē l. 3. ep. 5. l. 5. ep. 12.*

i *Cypr. l. 5. ep. 5.*

k *Idem l. 3. ep. 5.*

XII.

Quantam vero etiam Romanæ Ecclesiæ, fortasse eadem sede vacante, curam gesserit

(nam

(nam diu vacauit, quia [a] propter rerum & temporum inquit idem, difficultates, Episcopus Romanus post Fabianum constitui non statim poterat) ex alia eiusdem ad eundem Clerum Epistola facile colliges; sic enim scribit: [b] Quanquam sciam vos, fratres carissimi, literis meis frequenter admonitos esse, vt gloriosa voce Domino confessis, & in carcere constitutis, omnis diligentia præbeatur; tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit ijs, quibus ad gloriam nihil deest. Atque vtinam loci, & gradus mei conditio permitteret, vt ipse nunc præsens esse possem, promptus & libens, solenni ministerio, cuncta circa fortissimos fratres nostros, dilectionis obsequia complerem: sed officium meum vestra diligentia præsentet, & faciat. Omnia quæ fieri oportet, circa eos quos in talibus meritis fidei, ac virtutis suæ illustrauit diuina dignatio.] Ac pergit sua monita eis dare, pro fidei confessoribus. Tantum igitur abest vt Clerus Romanus, sua sede vacante, curam gesserit aliarum Ecclesiarum, præsertim Africanarum, quod contendit Baronius; vt etiam ipsemet rectus, aut saltem directus fuerit à Cypriano. Qui, si per occupationes suæ Ecclesiæ licuisset, paratus erat se Romam conferre, vt officio suo multa circa illius Ecclesiæ regimen, sede illa vacante, ipse præsens exerceret. Si vis tamen exactiùs scire, quæ fuerit inter Ecclesias Romanam & Carthaginensem tempore Cypriani colligatio, aut relatio, superioritatis ne ac subiectionis, an verò simplicis sed ardentissimæ caritatis, lege initium Epistolæ à Cypriano ad Romanum Clerum scriptæ, quæ sic habet; [c] Et dilectio communis, & ratio exposcit, fratres carissimi, nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his, quæ apud nos geruntur, vt sit nobis circa vtilitatem Ecclesiasticæ administrationis commune consilium.] His consequenter se habent ea quæ respondet Clerus Romanus Cypriano in hæc verba; [d] Pro tuo munere fecisti, qui rem nobis solicitam nuntiare voluisti; Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiæ, cuius per varias quasque prouincias membra digesta, excubare.] Huc mihi occasione dicti Baroniani, de potestate Cleri Romani, sede vacante, diuertendum fuit: iam filum nostrum resumamus.

a *Cypr. l. 2. ep. 7.*

b *Idem l. 3. ep. 6.*

c *Cypr. l. 3. ep. 5.*

d *Ibid. ep. 13.*

XIII.

Martinus primus ad Eliterum scribens, narrat suæ persecutionis historiam; & quomodo à sede auulsus, in nauim fuerit coniectus, ac in Orientem missus. [e] Iussio, *inquit*, à Calliopa porrecta est Presbyteris, & Diaconis, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur, quod irregulariter, & sine lege Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica sede dignus institui: sed omnimodis in hanc Regiam Vrbem transmitti; subrogato in loco meo Episcopo. Quod necdum aliquando factum est; & spero quod nec aliquando fiet: Quia in absentia Pontificis, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius, locum præsentant Pontificis.] Siue igitur Episcopalis quæcunque sedes vacet, per obitum sui Episcopi, siue per diuturnam absentiam, Ecclesiasticum totum regimen penes Canonicum Presbyterale Collegium residere, optimè dixit Martinus. Cuius Collegij Presbyteralis præcipui essent illę, quas nominauit Dignitates; quæ totum Collegium Canonicum repræsentant: nam etiam Archidiaconus, multa externa officia regiminis externi, tametsi Presbyter ex vi suæ dignitatis, suique gradus non sit, habet exercenda, præsertim circa rerum Ecclesiasticarum temporalium [f] administrationem; & Cleri ac pauperum sustentationem: de quo agam lib. 9. Bene etiam dicit Martinus, absente quacunque occasione Episcopo à sua sede, alium Episcopum, illo superstite, & non deposito rite, nec priuato, non esse substituendum: sed Ecclesiam communi Presbyterorum consilio interea esse regendam. Atque inde noua etiam iura, sede vacante, Canonicorum Capitulum in regimine statim succedere confitentur: de Maior. & obed. cap. Cùm olim. c. Vn. eo. in 6. De temp. ord. cap. Cùm nullius. in 6. De instit. cap. 1. in 6. Concil. Trid. Sess. 24. c. 16. Imò etiam non vacante sede, sed vel negligente Episcopo, vel absente eodem, iura noua agnoscunt multam in capitulo, hoc est, Clero Canonico, potestatem. de electione &c. ca. Cùm in cunctis, § Clerici. Et si caperetur Episcopus ab hostibus, eodem modo in capitulo regimen subsistere recognoscunt c. Si Episcopus. de Suppl. neglig. Præl. in 6. Et hanc capituli potestatem Canonistæ ampliant in pluribus casibus, quos collectos habes à Stephano Quaranta, in summa Bullarij V. Archiepiscopi autoritas, n. 22. & in V. Capitulum sede vacante, per totum. Dum tamen & Decretales Pontificiæ, & earum Iuristæ interpretes, capituli autoritatem, sede vacante, vel Episcopo absente, aut penitus negligente, restringunt, auferunt, auocant, limitant, moderantur, scias eos plurimum ab antiqua & continuata institutione recedere. Vbi igitur Episcopus, qui cæteris præpositus fuit, non est, vel non adest, vel si est, cum penitus sit negligens perinde est ac si non sit; tunc autoritatem suam ordinariam Presbyterorum Collegium exercet, vt est explicatum, salua Metropolitica autoritate; de qua lib. 3.

e *Martin. ep. 15. tom. 2. epist. Decret. Rom. Pont.*

f *Greg. l. 1. ep. 10.*

Quod

XIV.

Quod igitur & Christus, & Apostoli necessarium agnouerunt, vt ostendi cap. 3. vt in vnaquaque Ecclesia duplex esset gradus ministerialis, sed perfecte colligatus, vt communi consilio illa gubernaretur, vnus tamen præesset, id postea Patres & Ecclesia, vt similiter ad moderatè suauiterque administrandam Ecclesiam necessarium, sæpius commendarunt, sanxerunt, promouerunt. Neque fuit tanta religio priscis illis sanctis Episcopis, socium sibi interdum ascisere aliquem, ex suarum Ecclesiarum Presbyteris, qui & ipse tum iurisdictione, & ordine, vsuque pleno Episcopalis propriæ potestatis, tum etiam nomine in eadem Ecclesia simul esset, & diceretur Episcopus. Huius rei duplicem confirmationem mihi præbet Augustinus: Alteram quod ipse, viuente Valerio Episcopo Hipponensi, factus est Episcopus similiter Hipponensis: [a] Accessit enim ad illum Episcopatum, non successit: & quamuis id ipse recusaret, & contra morem ordinarium Ecclesiarum esse cerneret, & opponeret, [b] Primas tamen Numidiæ, qui illum ordinauit Megalius Calamensis, & ipse Valerius Hipponensis, id fieri solere persuadebant, & transmarinis atque Africanis exemplis probabant; Propterea tandem consensit. Alteram quod vt idem scribit Augustinus, in [c] Collatione illa celebri cum Donatistis, Catholici Episcopi 186. proposuerint Donatistis, si pars Donati vinceret, se cessuros Ecclesias liberas ipsis Donatistis, & Episcopalia munera plene deposituros; si verò vincerent ipsi Catholici, tunc se libenter Episcopos Donatistas, vt Collegas, in honore Episcopali inter se admissuros: Quod si plebes duos in Ecclesia Episcopos ferre non possent, vtrisque de medio recedentibus, singuli constituerentur Episcopi, ab eis Episcopis ordinandi, qui in suis plebibus singuli inuenirentur.] Ex his verbis Augustini habes tunc in Africa, glisscente schismate Donatistarum, [d] aliquas Ecclesias singulos habuisse Episcopos, siue Catholicos, siue Donatistas: aliquas verò & Catholicum & Donatistam habuisse Episcopum ordinatum. Et sane Episcopi Catholici proponunt, & pollicentur, si vincant ipsi, se passuros in sua gubernatione Donatistas permanere, tam vbi solus quis esset; quam vbi Catholico Episcopo fuisset quis eorum superordinatus. Nisi, *inquiunt*, plebes duos ferre non possent Episcopos. Et hoc pro bono pacis: Sciebant enim Concilium Nicænum statuisse, [e] Vt in vna Ecclesia duo Episcopi non probentur. Nouerant hoc etiam à tempore Apostolorum ita in Ecclesiam fuisse inductum, vt vnicus Episcopus cæteris Presbyteris præesset. Quia tamen communitas illa regendi simul cum Presbyteris pene Aristocraticè placuit priscis sanctis Patribus, sibi licere meritò arbitrabantur, pro bono pacis, tantisper à tali vsu recedere.

a Paulin. apud Aug. ep 36. et inducitur, 7. q. 1. c. Non autem.

b Possid. de vita Aug. c. 8.

c Aug. Breuic. collat. 1. c. 5. & ext. de Paroch. &c. c. 1.

d Concil. 4. i. c. 85. 86.

e Concil. Nicen. c. 8.

XV.

Atque ex hoc ipso Nicæno canone, suammet ordinationem reprehendit aliquando Augustinus; [f] quem sibi ignotum fuisse, & suo etiam ordinatori, tunc quando viuenti Valerio est super ordinatus, se excusat: & tamen ante suam ordinationem septuaginta annis præcessit canon Nicænus. Sed pro opportunitate, vt dixi, Sancti Patres, non semper ordinario vsui, & Canoni ad amussim seruiendum esse censuerunt. Ita videmus cum [g] Narcisso sene Episcopo Hierosolymitano, Alexandrum Episcopum Cappadocem plene factum Episcopum Hierosolymitanum. Et Nazianzenam Ecclesiam à duobus [h] Gregorijs, patre, & filio plenè Nazianzenis Episcopis simul gubernatam. Obseruamus similiter aliquando in [i] Antiochena Ecclesia tres Episcopos simul eodem tempore, etiam saltem duos Catholicos, præsedisse, Luzoium Arianum, Meletium, & Paulinum orthodoxos, triginta circiter annis post Canonem Nicænum. Ioannes Apameæ Episcopus à Meletio factus, [k] collegam habuit, & adiutorem Stephanum. Et circa Nicænum Concilium Romæ, præter Romanum, diu perseuerârunt duo alij Episcopi, vnus [l] Donatistarum, alius [m] Nouatianorum: non quidem in schismate, & tanquam Antipapæ, sed suæ quisque præfectus plebi. Et [n] Liberius simul cum Fœlice aliquandiu Romanam rexit Ecclesiam. Ita Constantinopoli, præter Constantinopolitanum ordinarium, diu quoque perseuerauerunt Episcopi [o] Nouatiani. Et capuæ duos Episcopos, Landulfum, & Landilulfum, simul illam Ecclesiam rexisse, Papæ etiam consensu, narrat Leo [p] Ostiensis: Vt mirum non sit Canonem Nicænum, non statim plenam habuisse executionem; cuius ne notitia quidem plena, per totam fuerit, ad plures annos, Ecclesiam peruagata. Eius tamen obseruatio exacta, detinuit postea Augustinum, ne [q] successorem sibi electum, & designatum Eradium, atque consensu plebis admissum, & approbatum, se viuente, Episcopum ordinaret: maximam tamen curæ suæ partem in illum, adhuc Presbyterum, mox futurum Episcopum, transtulit: vt ipsi antemeridianum tempus totum liberum vacaret ad scribendum. (de quo rursus agam lib. 3. sequentibus.) Sed & Gregorij tempore, [r] duo erant Ecclesiæ Antiochenæ Patriarchæ; Gregorius, & Anastasius; & vtrunq; Gregorius Magnus vocat, & agnoscit Patriarcham

f Aug. ep. 110

g Euseb. 6. c. 9.

h Nazianz. in carm. de vita sua.

i Baron. to. 4. an. 362. n. 202.

k Theod. l. 5. c. 4

l Aug. de her. c. 69. & cont. Cresc. Gram. l. 2. c. 37. & Optat. l. 2.

m Sozom. l. 7. c. 11. et Socrat. l. 6. c. 9.

n Sozom. l. 4. c. 10.

o Idem l. 7. c. 11

p Leo Ostien. l. 5. c. 43.

q Aug. ep 110

r Greg. l. 1. ep. 24.

A triarcham Antiochenum, item duo [a] Portuenses. Exempla plurima suppetunt in historijs Ecclesiasticis, duorum simul, & sine schismate, & Catholicorum, in eadem Ecclesia Episcoporum: eosque concedit [b] Innocentius 3. in Concilio generali; non tamen sine subordinatione vnius ad alterum. Siquidem sola videatur ex prædictis Ecclesiastica, aut lex, aut consuetudo, vt vnicus in vna Ecclesia Episcopus sit ordinariè constituendus: vt habemus etiam 7. q. 1. cap. 5. 11. 27. 39. 41. Et ab hoc vno ita pendet vniuersa suæ Diœcesis cura animarum, vt ipse sit proprius, & ordinarius [c] Pastor, qui tamen possit, & debeat ad hanc curam, alios etiam Presbyteros assumere? Quibus nihilominus ita hanc curam committit, vt à se illam non transferat, adeò vt se abdicet, & totaliter priuet officio suo Episcopali. Nam & Pontificalia sibi reseruat in vniuersos Parochianos, ordinandi, consignandi, Ecclesias & altaria consecrandi, &c. & Parochi ab ipsius directione, imò etiam ab

B ipsius [d] institutione pendent, & de institutione & potest Parochi officia ipse plenè, quoties voluerit, exercere: Itaq; Parochi ab Episcopo assumpti, vel ordinati, non accipiunt per se propriam potestatem presbyteralem, vt soli, & seorsim: sed simul & in solidum cum ipso Episcopo; & vsus eis permittitur potestatis presbyteralis, quam in ordinatione acceperunt, dum fiunt Parochi; non potestas conceditur: quæ tota integra, & perfecta presbyteralis in ordinatione eis tribuitur: Ecclesiastica tamen prohibitione [e] ligatur: Dum verò ad curam mittuntur animarum, tunc ligamentum prohibitionis soluitur; vt iam possit (quam in actum reducere, sacri ordinis presbyteralis, potestatem. Imò si vult Episcopus, & Canones non prohiberent, potest suos Parochos plenè [f] Episcopos facere, & ordinare, vt omnes sui ordinis actus plenè possint explere; & simul ac in solidum cum ipso Ecclesiam gubernare. Sed in pluribus peccabit, nam canonicè non procedet, Canones enim iubent has ordinationes saltem à tribus Episcopis peragi; vetantque ne in pagis fiant Episcopi, &c.

C Quemadmodum igitur cap. 6. Episcopos omnes fecimus inter se tota potestate pares; ita nunc colligimus omnes Presbyteros, esse similiter inter se, iure diuino æquales, quia sunt omnibus, etiam Episcopis, quoad Ministerium essentiale hoc iure pares: vt est probatum cap. 3. & 6. & alijs subsequentibus. Solo verò iure positiuo ecclesiastico, ipsi Presbyteri sunt inter se, non potestate, sed vsu potestatis inæquales: prout Episcopi eis maiores, aut minores subijciunt plebes: & plures, paucioresue Ecclesiam ipsis permittat proprij ordinis actus exercere. Almaynus profectò non potuit, aut noluit capere hanc Presbyterorum inter se æqualitatem, quam Armacanus, & Marsilius meritò posuerant: sed negauit eos esse æquales; [g] Fatetur tamen hanc suam negationem, non posse ex sacris literis deduci. Nos verò contrariam affirmationem, ex sacris literis euidenter deduximus. Ipse autem suæ negationis inanes profert ratiunculas, quas nos libro quinto ponderabimus.

D Ex hac eadem radice æqualis potestatis presbyteralis cum Episcopali essentiali circa Ministerium pastorale; & maiori vel minori permissione facta Presbyteris à suis Episcopis, actuum Presbyteralium exercendorum, ordo quidam olim viguit in Ecclesijs Chorepiscoporum; qui minus quidem possent quàm Episcopi, plus verò quàm ordinarij Presbyteri. Et hos Episcopi in oppidis celebrioribus suæ Diœcesis, & in suis etiam Cathedralibus, suos Vicarios collocabant, [h] & cum sua propria consecratione ordinabant. Et fatetur Leo [i] Chorepiscopos, & Presbyteros plurimam cum Episcopis ministeriorum communem habere dispensationem, & non nisi autoritate veteris legis, aut nouellis regulis, quædam illis prohiberi, quæ deinde Episcopis fuerint reseruata. Vt quemadmodum solus, *inquit*, [k] Moyses erexit altare, solus vnxit, ita Episcopi quorum typum Moyses, & Aaron renuerunt, altaria debent consecrare, non Chorepiscopi, aut Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram.] Nouellas verò ecclesiasticas regulas habemus in Concilio Ancyrano, cap.

E 12. Antiocheno cap. 8. & 10. Neocæsarien. ca. 13. Nicæno ca. 8. & post Leonem in Hispalensi ca. 7. In 7. Synodo ca. 14. in Parisiensi li. 1. ca. 27. in Meldensi ca. 44. quæ & alia in eo sunt, vt modum ponant Chorepiscopis, ne nimium sibi vsurpent Pontificalia: præscribuntque quid possint vltra Presbyteros, & quid non possint sub Episcopis: & aliæ ex his regulis plures permittunt eis episcopales actus, præsertim circa minorum Ministrorum ordinationes; aliæ pauciores.

Excanduit verò aliquando Papa Damasus in hos Chorepiscopos, & eos sua constitutione penitus abolere conatus est, ac prohibere ne amplius fiant, aut ordinentur, totusque in eo est, vt probet [l] Chorepiscopos esse meros, & simplices Presbyteros: & ex vi suæ ordinationis non posse eos Episcopalia exercere: eoq; & Damasus, & Leo, & Concil. Neocæsariense nituntur fundamento, quod Presbyteri succedant Discipulis 70. non Apostolis,

XVI.

XVII.

XVIII.

a *Apud Greg. in fine registr. in subscriptionib. priuil. Monast. S. Medardi.*

b *De offic. Iud. ord. c. Quoniam*

c *10. q. 1. c. Quæcunque. & ca. Cuncta.*

d *Canon. Apost. 32. & Clemens Ep. 1. & 16. q. 1. c. Cuncta. & q. 2. ca. Sanct. & Concil. Ancyr. 1. ca. 19 Vernen. cap. 8. Damas. Epist. 4.*

e *16. q. 7. cap. Nolite omnino.*

f *De Præbat. vice suas, &c. cap. 1. 2.*

g *Almayn. de pot. Eccl. & Laic. q. 1. cap. 4.*

h *Dist. 68. c. Quamuis.*

i *Leo Epist. 92.*

k *Num. 7.*

l *Damas. Epist. 5. habetur Dist. 68. c. Chorepisc.*

quod ego aliquo modo verum esse supra cap. 3. explicaui: sed etiam reddidi compertissimum, non minus Presbyteros, quàm Episcopos Apostolis in potestate ministeriali (exceptis regimine, & Ministrorum ordinatione) succedere, & plenam hanc Ministerij, in suo Presbyterali ordine accipere potestatem. Bellarminus, [a] qui videbat Subdiaconorum etiam ordinationē Chorepiscopis ab Antioc. Conc. c. 10. permitti, & per manuum impositionem Episcopali benedictione eosdem Chorepiscopos consecrari, alios fuisse plene Episcopos autumat, alios non nisi puros Presbyteros.] Hoc tamē mihi non videtur ita se habere: nunquam enim inuenio Chorepiscopos fuisse plene Episcopos, sed, vt dixi, interdum plus, interdum minus laxabantur, vt sui Presbyteralis ordinis autoritate vterentur. Nunquam tamen Chorepiscopis permissum inuenio, vt plenè totam Episcopalem exerceant potestatem. Sane Canon Nicænus expressè prohibet [b] ne in vna Diœcesi sint duo Episcopi: qui Canon fuit in Ecclesia perpetuò inuiolabiliter ordinariè seruatus, & non nisi ex graui causa interdum ex dispensatione violatus: Chorepiscopi tamen diu fuerunt ordinarij in vnaquaque Ecclesia ministri; nam & Canon idem Antiochenus, & Damasi epistola, & Leonis, de Chorepiscopis vt iam ordinarijs in Ecclesijs ministris sermonem habent. Planum quidem est in dicto Antiocheno Canone haberi Chorepiscopos, iam profectò Presbyteros, dum Chorepiscopi fiunt, nouam accipere solitos ordinationem per manuum impositionem; & eandem qua Episcopi consecrabantur; sed quod hæc ipsa ordinatio illos plenè faceret Episcopos non habet Canon; imò habet contrarium, & expressè docet illos non propterea plenam accipere Episcopalem potestatem, sed eos parochos duntaxat facit, qui extra propriam parochiam nihil penitus possint, solamque eis indulget Lectorum, exorcistarum, & Subdiaconorum, negat verò eis Presbyterorum, & Diaconorum ordinationem, quam solis reseruat Episcopis illius totius Diœcesis, iuxta duas illius Canonis Latinas versiones; nam tertia videtur concedere vt possint Chorepiscopi etiam Diaconos, & Presbyteros, de licentia tamen Episcopi, ordinare. Sed hoc ipsum significat Chorepiscopos ex vi suæ Chorepiscopalis ordinationis, id non habere, sed ex delegatione, & commissione; vt voluit in minoribus quoque ordinibus [c] septima Synodus generalis: Quamuis talis delegatio mihi sit plurimum suspecta; non enim puto Episcopum posse ordinationes per alium exercere, qui non sit Episcopus.

[a] Bellarm. de Cler. l. 1. c. 19.

[b] Conc. Nican. ca. 8.

[c] Dist. 89. c. 1.

XIX.

Certè Damasus sic loquitur, Nimis ergo eorum (*Chorepiscoporum*) institutio improba, nimis est praua, quia vt hi de summo Sacerdotij ministerio aliquid præsumant, omni autoritate caret, & Sacris Canonibus inuenitur esse contrarium, atque ad totius Ecclesiæ perturbationem superba, & superflua tendit elatio.] Et tamen ante paucos annos formatum Antiochenum prædictum Canonem cernebat Damasus, nec distinguebat duo hæc genera Chorepiscoporum, neque agnoscebat vlla ratione quemcunque Chorepiscopum potestatem suscipere Episcopalem, nisi ex mera vsurpatione, superbia, & elatione; quod non diceret, si Canon Antiochenus Chorepiscopos ad Episcopalem eueheret potestatem. Quam similiter Episcopalem potestatem negant eis, & Conc. Neocæsariense supra allatum, & quotquot de Chorepiscopis mentionem fecerunt. Adhibebatur itaque in faciendo Chorepiscopo ceremonia Episcopalis consecrationis, sed vere ad ordinem Episcopalem ille non prouehebatur; nō enim inuenio a tribus Episcopis talem consecrationem peragi solitam. Sane vbi Presbyter verè & propriè consecratur Episcopus, per talem consecrationem, vt docui cap. 4. illud tantum accipit, in quo Episcopus superat Presbyterum; hoc est potestatem ordinandi, tam presbyteros, quàm Episcopos, & regimen Ecclesiæ. Cum verò vtrumque hoc Canon ille auferat Chorepiscopis, planum est ceremoniam illam non assumi ad hoc vt ille fiat Episcopus; alioquin & faceret Episcopum, & non faceret Episcopum. Adde verò Concilium Antiochenum statim post Nicænum Oecumenicum summæ autoritatis, fuisse celebratum, Iulio Romano superstite. Non ergo ausi fuissent contra recentem Nicænum Canonem de non multiplicandis Episcopis in eadem diœcesi, alium Canonem edere. Contra quem Canonem Nicænum in Ecclesia acceptissimum, expressè peccaretur, si Episcopus quisque vellet Chorepiscopum ad veram Episcopalem potestatem euectum habere, & non vt coadiutorem ex causa, & consequēter plenè socium, & collegam, quem aliqui vocarunt suffraganeum, cum quo insolidum regat suam Ecclesiam; sed vt simplicem executorem, ac Vicarium, & administrum quasique famulum. Nos verò Episcopos omnes iure Diuino fecimus in potestate æquales, iure verò Ecclesiastico inter Episcopos aliam subordinationem non inueniemus lib. 3. nisi vt Episcopi subsint Metropolitano, Metropolitanus verò Primati, aut Patriarchæ: in qua subordinatione Chorepiscopos

nunquam

A nunquam inuenies, qui sint plenè Episcopi, subsint tamen Episcopis. Propterea magni Episcopi cum talibus indigeant Episcopis famulantibus, communiter non ordinant Chorepiscopos, quos Ecclesia nunquam habuit cum potestate Episcopali; sed titulares conantur habere Episcopos, ad titulum propriæ alicuius Ecclesiæ in terris infidelium positæ ordinatos, & eorum opera ad Episcopales functiones administra, & delegata vtuntur, quos etiam suos suffraganeos solent vocare. Quam rectè verò id fiat, ipsi viderint; certè in Ecclesia pura, & incorrupta, hoc suffraganeorum genus ego non reperio; & exemplum Augustini cum Valerio, & Nazianzeni, ac similia aliud docent.

Verum itaque manebit, Chorepiscopum eundem esse cum Presbytero: Sed & Chorepiscopus, & Presbyter in ministerio erga fideles ijdem sunt, iure Diuino, cum Episcopo. Posset tamen Episcopus aliquem suum Presbyterum ita suum Vicarium facere, vt illum ad B plenam ac totam Episcopalē propriam euehat potestatem; vt supra est ostensum; vt sit collega ipsius in suæ regimine Ecclesiæ, ac verus & plenus Episcopus, cum ipso; nisi id Nicæno, & alijs Canonibus prohiberetur; posset verò multo magis Chorepiscopū facere, solis concessis, aut permissis antiquorum Chorepiscoporū potestatibus. Siquidem Damasi prohibitio non obtinuerit: nam post illam, in Concilijs supra citatis, Chorepiscopi retinentur. Contra quos acriter postea Ioannes tertius [a] insurrexit. Iam tamen prorsus in nostris Ecclesijs exoleuerunt, & sola desuetudine sunt aboliti, Vicarijs Episcopalibus illorum locum tenentibus. Eorum tamen in parte potestas, nonnullis etiam Monachorum Abbatibus, Romanis Priuilegijs est concessa. Si tamen Episcopi magnarum Diœcesum eos innouarent, non video eos futuros dignos reprehensione: vt nimirum Vicarijs suis, præsertim foraneis, seu Archidiaconis, vel Decanis, aliquorum Pontificalium concederent exercitium; prout necessitas aut opportunitas postularet, in ijs videlicet quæ à Presbyteralis ordinis potestate non sunt aliena, cuiusmodi sunt omnia penitus munera Episcopalia, vna C excepta sacrorū ministrorum ordinatione. Dixi sacrorum quales sunt Episcopi, & Presbyteri ac Diaconi; nam inferiores Ministri, vt supra cap. 4. explicabam, aliam possunt habere ordinationem: possunt enim & per Episcopum immediatè, & per alium iussu Episcopi, deputari, & assumi: non enim sunt veri Ministri, sed ministrorum administri, imò subministri: & consequenter ab Apostolis non habent successionem; ac proinde necesse non est vt à proprijs Apostolorum successoribus ordinentur.

XX.

[a] Io. 3. Ep. vn.

CAP. X.

Sacros Ministros ad cœlibatum iure non teneri.

D

SVMMA CAPITIS.

Inducitur quæstio de cœlibatu, num. 1.
Decet cœlibatus Ministros Christi, sed non est in præcepto diuino, num. 2, 3, 4.
Minores ordines liberi ad matrimonia contrahenda, etiam in occidente, num. 5, 6, 7.
Subdiaconi similiter sunt liberi, num. 8, 9, 10, 11, 12.
Diaconi quatenus teneantur ad cœlibatum, num. 12, 13, 14, 15.
Episcoporum & Presbyterorum cœlibatus ex Concilijs, & Patribus Latinis, à nu. 16. ad nu. 29.
Quid in hoc Græca Ecclesia seruarit, à num. 29. ad num. 34.
Cœlibatum in Ecclesia Latina vix obtinuisse, à num. 35. ad num. 48.
Leges & vsus vtriusque Ecclesiæ explicantur, à num. 49. ad num. 64.
Colligitur tota disputatio ad sua Capita, à num. 65. ad num. 77.
Obiectiones soluuntur, à num. 78. ad finem.

E

MInistri Ecclesiæ, ac præsertim ipsius Rectores quinam sint, vnde, & quomodo, & vbi suum aut accipiant, aut exerceant munus, explicatum est à me hoc secundo libro nouem capitibus præcedentibus; iam verò quales esse debeant, & quinam apti, vel inepti ad Ecclesiastica ministeria obeunda sint censendi, est differendum. Et quidem illiteratos iam exclusimus supra capite 4. diuites verò exagitabimus libro nono. Restat vt ex alijs præcipuis conditionibus, quas Ecclesia in suo ministro videtur requirere, Cœlibatus hoc loco a nobis expendatur; cuius occasione bigamiæ impedimentum apparebit: videamusque an ille, & plena continentia sit sacris ministris necessaria, & quo iure si præcipitur cle-

I.

ricis, illa præcipiatur. Nam de alijs conditionibus, siue irregularitatibus, quæ sacrum ordinem siue accipiendum, siue acceptum exercendum impediunt, erit in sequentibus libris suis locis disputandum. A

II. Sacrum ministerium quod totum spirituale est, ad tam multa diuina opera se extendit, vt verè totum hominem meritò requirere videatur, qui nullis alijs carnalibus, temporalibusque negotijs distineatur: cum tamen in carne viuamus fragilitatis humanæ memor Christus Dominus, quamuis suos Ministros ab omni labe, ac deordinatione puros, & purgatos, requirere poterat, noluit tamen eis præscribere cœlibatum: ideoque Apostolos non virgines elegit, nisi forte vnicum Ioannem, sed magna ex parte vxoratos: vt hinc ostenderet nuptias Apostolatui, & consequenter Episcopatui, ac Presbyteratui, non aduersari. Et quamuis ipsi Apostoli, quicunque mariti erant, vxores suas, postquam facti sunt Apostoli credantur reliquisse, id profecto non fecerunt gratia tantummodo, aut necessitate cœlibatus; sed quia cum vniuersum orbem essent peragraturi, & in eo Ecclesias fundaturi, ab omni retinaculo liberi, & expediti esse debuerunt. Vbi vero excutrendi necessitas cessauit, non erat cur eorum successores, ex hoc impedimenti capite, desererent vxores, & eas à se repellerent. B

III. Ex capite tamen perfectioris munditiei, nec non multarũ curarum, quas secũ ferunt coniugia, vt explicat Apostolus, Ecclesia semper, vel ab ipsis ipsius incunabulis, vt mox ostendam, in suis ministris plurimum amauit, commendauit, & etiam interdum præcepit continentiam: adeo vt, quicquid iussum, quicquid seruatum in Ecclesia circa cœlibatum Clericorum cernimus, & obseruamus, id totum ad simplex ius pertineat Ecclesiasticum positiuum. Neque in hoc est vlla difficultas: cum passim omnes cuiuscunque partis Theologi, vnanimi consensu, fateantur, iure Diuino cœlibatum non præcipi ministris Ecclesiæ. Solus Ioannes Maior, & Clichtouæus, quia votum castitatis solenne, & indispensabile posuerunt sacris ordinibus annecti, ad ius Diuinum cœlibatum reduxerunt. Falsi tamen sunt; vt bene eos refellit [a] Bellarminus: quia si quod votum esset in ordinibus (de quo postea) id solo Ecclesiastico decreto esset annexum: ac proinde Ecclesiastica potestate esset dispensabile, vt docet Thomas, Caietanus, Sotus, & alij apud Bellarminum. Sed iure Diuino cœlibatum non præcipi, inde maxime fit clarum & euidens, quia tale præceptum in sacra Scriptura non reperitur: neque ex ea deducitur: imo contrarium in ea habetur; dum præsertim Paulus [b] Episcopum vnius vxoris virum esse debere præscribit: & Ecclesia vxoratis Sacerdotibus vsa est frequentissime, vt infra ostendetur; & multæ Ecclesiæ adhuc vtuntur, sciente & consentiente tota Ecclesia Vniuersali. C

[a] Bellar. de Cler. l. 1. c. 18.

[b] 1. Tim. 3. & Tit. 1.

IV. Congerunt [c] nostri rationes Dialecticas, seu probabilitates non paucas; quæ, sicut decentiam & conuenientiam maximam probant, vt nostri Sacerdotes esse debeant cœlibes; & Ecclesiæ semper persuaserunt, ac præsertim Latinæ nostræ Occidentali, vt cœlibatum hunc, quantum fieri posset, seruandum conaretur; ita si expressum non adsit præceptum, nunquam obligationem inducent, vt necessario Ecclesiastici ministri se subdant cœlibatui. Nam neque pauciores, neque debiliores possunt contra aliæ rationes proponi, & agitari, quæ nuptias persuadeant Clericis, vt fortasse pluribus nominibus, non modo vtiles, sed plane etiam ad vitanda multa mala, scandala, & peccata, necessarias. Quæ similiter rationes, posita humana fragilitate, effecerunt & efficiunt, vt multæ Ecclesiæ suos ministros habuerint, & habeant coniugatos. Iam enim apud nos dicere possum cum Hieronymo [d] Lupanaria thalamis præferri. Et meritò aliquando Pius Secundus multis rationibus vxores Sacerdotibus esse ablatas asseruit: sed pluribus iam rationibus eas videri esse ipsis restituendas. Et Panormitanus optimè sentit Ecclesiam bene facturam si Sacerdotibus connubia permitteret: Ait enim, [f] Credo pro bono & salute animarum quod esset salubre statutum, vt volentes continere, & magis mereri, relinquerentur voluntati eorum, non volentes autem continere possint contrahere: quia experientia docente, contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiæ: cum hodie non viuant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum eorum grauissimo peccato; vbi cum propria vxore esset castitas, vt dicitur c. Nicæna. dist. 31. Verùm deberet Ecclesia facere sicut bonus medicus, vt si medicina, experientia docente, potius officit quàm prosit, eam tollat.] Mittamus ergo Dialecticam, & Philosophiam: & videamus non quid ex æquo & bono probabiliter seruandum, & præcipiendum videatur; sed quid re ipsa præceptum, quid constitutum in hoc genere & seruatum sit in Ecclesia. D E

[c] Sua. de Iust. & Iu. l. 7. q. 6. art. 1. Et Bellar. vbi sup. c. 19.

[d] Hier. ep 83

[e] Apud Platin. in Pio. 2.

[f] Panorm. in c. Cum olim. de Cler. coniug. & in c. Omnes. de pœnit. & remiss.

Fuerunt

A Fuerunt semper, & sunt in Ecclesia, Ministeria vera, & propria Christi Ministrorum, hoc est, Episcoporum, & Presbyterorum; quæ sunt Ministeria maiora: & præter hæc sunt etiam & fuerunt Ministeria minora, potius subministrantium, quàm Ministrorum: de quibus omnibus egi cap. 4. Nunc verò distinguimus ordines, in maiores & sacros; & minores, qui sacri non dicuntur. Minores ordines cum cœlibatu necessario debere esse coniunctos numquam Ecclesia censuit, ne nostra quidem Latina: quamuis aliquæ Ecclesiæ cœlibes habere olim consueuerint etiam Ministros hos minores; lege tamen vniuersali ad cœlibatum non tenebantur. Constitutiones Apostolicæ ita præscribunt; [a] Cantores, Lectores, Ostiarios, vnius vxoris viros esse iubemus. Si ante nuptias ad Clerum venerunt, concedimus eis vt vxores ducere possint, siquidem hoc expetent.]

V.

a *Constit. Apost. l. 6. ca. 17.*

In quarto Concilio generali, quod fuit Chalcedonense, Canon huiusmodi est edictus;

B [b] Quoniam in quibusdam Prouincijs concessum est Lectoribus, & Psaltis, vxores ducere, statuit sancta Synodus, non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius vxorem.] Ecce Clerici, qui in minoribus sunt ordinibus constituti, possunt, non modò coniugati assumi, & cum vsu suarum vxorum relinqui in ministratione, sed etiam postquam assumpti sunt, & ordinati, licet eis vxorem ducere, ac profectò etiam vxore vti: nam quorsum permittatur eis vt vxorem ducant, si vxoris vsus sit eis statim prohibendus? Nam & Canon Apostolorum, quem ego puto ex hoc Chalcedonensi fuisse postea concinnatum, sic habet. [c] Innuptis autem, qui ad Clerum profecti sunt, præcipimus, vt si voluerint vxores accipiant; sed Lectores, Cantoresque tantummodo.] Intellige tu etiam reliquos minores, est enim omnium par ratio. Vnde & Siricius; [d] Lector, *inquit*, qui ab accessu adolescentiæ, vsque ad tricesimum ætatis annum probabiliter vixerit, vna tantùm, & ea quam virginem accepit, vxore contentus, Acolythus, & Subdiaconus esse debebit.] Et Gregorius; [e] Si qui

C sunt, *inquit*, Clerici extra sacros ordines constituti, qui se non possunt continere, sortiri vxores debent.] Et specialem Romanæ Ecclesiæ vsum exponit Leo 9. ita scribens; [f] Clericos tantùm Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos, si extra votum, & habitum Monachi inueniantur, & continentiam profiteri noluerunt, vxorem ducere virginem, cum benedictione Sacerdotali, permittit.] Et Concilium Carthaginense 3. cap. 19. [g] Lectores, *inquit*, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.] Et Trullani Patres; [h] Si quis, *inquiunt*, eorum qui ad Clerum accedant, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinem Subdiaconatus faciat.] Et Vrbanus secundus [i] Clericos, qui, infra Subdiaconatum, vxores virgines duxerint, ad sacros admittit ordines.

b *Concil. Chalced. cap. 14. habetur dist. 32. ca. 15.*

c *Canon. Apost. 27.*

d *Siricius Epist. 1. cap. 9.*

e *Dist. 32. cap. Si qui vero.*

f *Ca. Seriatim ea.*

g *Ca. Lectores ea.*

h *Cap. Si quis. ea.*

i *C. Nemo. ea.*

Clarissima sunt hæc Ecclesiæ statuta: & nihilominus Alexander tertius contra ea, ad Archiepiscopum Cantuariensem sic rescripsit; [k] Si qui Clericorum infra Subdiaconatum

D accipiant vxores; ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, si quæ habent, & retinendas vxores suas, Ecclesiastica districtione compellatis.] Clericos tamen huiusmodi coniugatos Ecclesiastici Canones, vt vidimus, retinent in officio clericali, & consequenter in suis Ecclesijs vt seruiant admittuntur. Nouum tamen Alexandro videbatur in Anglia, quod in sua Ecclesia, & circunuicinis non cernebat: in quibus, non vlla lege Ecclesiastica, Clerici minores matrimonia à se abdicârunt; sed propria duntaxat voluntate: quia cùm ad sacros ordines, ad quos omnes anhelant, vxorati iam non promouentur, propterea vxoribus non implicantur. Si verò in suis ordinibus vellent perseuerare, illis contenti; & ad presbyteratum lucrosum, quem solùm omnes intendunt, non properarent, plurimi facilè, vt tunc erat in Anglia, Clerici minores coniugati Ecclesijs deseruirent. Auaritia igitur, & ambitio, non deuotio, aut puritatis amor, Clericos minores nostros, facit quidem cœlibes,

E sed adulteros, & fornicarios: qui tamen licitè possent vxoribus copulari: cùm nullam prorsus habeant in hoc Ecclesiasticam prohibitionem.

VII.

k *In Concil. Later. par 1. 8. cap. 2. 3. 6.*

Subdiaconos, & consequenter Diaconos, ac Presbyteros, & Episcopos, qui in horum ordinum susceptione vxores non haberent, post ordinem susceptum, ad ducendam vxorem facultatem non habuisse satis constat, etiam in Ecclesia orientali, ex Canonibus paulò ante recitatis; in quibus, solis minoribus, infra Subdiaconatum, permittitur, vt si velint vxores ducant. Igitur id Subdiaconis, & superioribus ordinibus, Ecclesiasticis statutis, [l] inhibitum intelligitur. Quod Synodus quædam Romana, quæ asseritur sub Syluestro collecta, speciali [m] Canone Subdiaconis prohibuit, ne transeant ad nuptias. Si tamen Clericus iam coniugatus ad Subdiaconatum promotus fuisset, Ecclesia [n] Romana, & quædam [o] aliæ, ante tempora Gregorij Magni, vxoris vsum ei negabant: Reliquæ verò passim Ec-

VIII.

l *Dist. 28. ca. 2.*
m *Syn. Rom. 2. cap. 8. & dist. 32. c. De illo.*
n *Dist. 32. c. 2.*
o *Concil. Aurel. 3. ca. 2.*

cleſiæ, etiam in noſtro Occidente vſum vxorum Subdiaconis iſtis, non negârunt; vt patet ex Epiſtolis Gregorij; qui [a] fatetur in Sicilia conſuetudinem fuiſſe, vt Subdiaconi ſuis licitè miſcerentur coniugibus: ſed Pelagium ipſius præceſſorem, etiam in Siciliam voluiſſe Eccleſiæ Romanæ inducere conſuetudinem, [b] vt Subdiaconi more illius nullatenus ſuis vxoribus miſcerentur: qui verò iam vxoribus fuerant copulati, vnum ex duobus eligerent, id eſt, aut à ſuis vxoribus abſtinerent, aut certe nulla ratione miniſtrare præſumerent.] Quod etiam eodem tempore Concilium Turonicum ſecundum, in [c] Subdiaconis ſimul, ac in Presbyteris, & Diaconis cenſuit obſeruandum. Quod prius ſub Vigilio, Aurelianenſe 3. ca. 2. etiam de Subdiaconis ſtatuerat. Item Concilium Toletanum 2. ca. 1. & octauum ca. 6. & Antiſiodorenſe ca. 21. Sed Gregorius poſt triennium illius Pelagiani Decreti, illud tanquam durum aboleuit; ratus incompetens eſſe, [d] vt qui vſum, *inquit*, eiuſdem continentiæ non inuenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur à ſua vxore ſeparari; atque per hoc, quod abſit, deterius cadat.] Ipſe tamen Gregorius aliud mitius poſuit decretum, quo primum in Occidente Subdiaconi cœlibes eſſe iubentur: & eſt; [e] Vt nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi in Sicilia, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit. Quia nullus, *inquit*, ad miniſterium altaris accedere debet, niſi cuius caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.] Et extendit poſtea hoc decretum ad alios. Nam Rhegino Epiſcopo ita mandat: [f] Subdiaconis tuis hoc, quod de ſiculis ſtatuimus, decernimus obſeruari: nec illam definitionem noſtram, cuiuſcunque ſinas contumacia, aut temeritate corrumpi.

a Greg. lib. 2. ep. 34. habetur 27. q. 2. c. Illud eorum

b Ibid. et lib. 3. ep. 42 habetur dist. 31. c. Ante.

c Conc. Turon. 2. c. 20.

d Greg. ep. 42. lib. 1.

e Vid. habetur dist. 28. c. 1.

f Dist. 32. c. Subdiaconis.

IX.

Quod ſane decretum, ſubdiaconatui cælibatum coniungens, vt neque Subdiaconis liceat, poſt ordinationem, in tali gradu vxores ducere: (quod eſt Decretum commune totius Eccleſiæ vt oſtendi) neque vxoribus ante promotionem ad Subdiaconatum ductis amplius copulari; imo neque Clericos coniugatos ad Subdiaconatum aſſumi à Gregorio, poſt Pelagium, & non niſi in Romana ſola Eccleſia, & Prouincijs Romæ Metropolitico iure ſubiectis, primum prodijt: Et male, parumque fidè Bellarminus [g] in ſola Sicilia, ante hoc decretum, ponit conſuetudinem Subdiaconorum coniugatorum: Quos, *inquit*, ſicut reliquos totius Eccleſiæ, vt cælibes viuerent, & ſine vxoribus, compulit Gregorius.] Et tamen verba ſunt Gregorij: [h] Ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Eccleſiæ, nullatenus ſuis vxoribus miſcerentur.] Non dicit more reliquæ totius Eccleſiæ; ſed Romanæ. Et Gratianus; [i] Nondum erat, *inquit*, inſtitutum vt Sacerdotes (in ſubdiaconis, vt interpretatur Gregoriana annotatio) continentiam ſeruarent.] In Concilio ſane Carthaginenſi 2. ſecundus Canon eſt huiuſmodi. [k] Aurelius Epiſcopus dixit: Cum in præterito Concilio de continentiæ, & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres, qui conſtrictione quadam caſtitatis, per conſecrationes adnexi ſunt, Epiſcopos inquam, Presbyteros, & Diaconos.] Idem de his tribus tantum gradibus præcipitur etiam in Concilio quinto Cathaginen. ca. 3. & repetitur in Africano. c. 37. Videlicet; Præterea [l] cum de quorundam clericorum, quamuis erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, ſecundum propria ſtatuta, etiam ab vxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi; ſed ſecundum vniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem, obſeruari debere.] Hunc Canonem Gratianus, ſiue quis alius, corruperat, additione [m] Subdiaconorum: ſed correctores meritò Subdiaconos expunxerunt. Non igitur eo tempore Subdiaconi hac lege erant incluſi. Zacharias Papa, inter multa capita reſponſionum ad Pipinum, ita ponit vndecimum: [n] Qui clerici etiam ab vxoribus abſtinere debeant, ex Concilio Africano c. 37. ita continetur: Præterea cum de quorundam, &c. *ad verbum vt nos hic poſuimus.* Et ad Bonifacium idem Zacharias ſic ſcribit: [o] Sacerdotes à die ſuſcepti Sacerdotii, ab ipſo proprio coniugio prohibendi ſunt.] Variæ igitur erant Eccleſiarum conſuetudines circa Subdiaconorum continentiam; quæ non erat ſub præcepto vniuerſali, niſi Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis; vt [p] Siricius etiam conſtituit. Concilium Toletanum primum, [q] Lectores vxoratos, imo & bigamos, qui viduas duxiſſent, ad Subdiaconatum permittit aſſumendos.

g Bellar. de Cler. l. 1. c. 22.

h Dist. 31. c. 1.

i Dist. 31. init.

k Dist. 31. ca. Epiſcopus. et dist. 84. c. Cum in præterito.

l Dist. 84. c. Cum de quorundam.

m Dist. 32. Placuit.

n Apud Baron. tom. 9. an. 744. n. 19.

o Zachar. ep. 1.

p Siric. ep. 1. c. 7

q Conc. Tolet. 1. c. 3.

X.

Non igitur credimus Bellarmino gratis aſſerenti, tempore Gregorij, in ſola Sicilia fuiſſe Subdiaconos coniugatos; in tota verò reliqua Eccleſia continentes. Sed fatemur Gregorium Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem ad alias Romanæ Metropoli ſubiectas Eccleſias conatum fuiſſe extendere. Et multo poſt Gregorium Leo 9. [r] contra Nicetam: Et poſtea Concilium Aquiſgranenſe, tempore Ludouici 1. cap. 6. & Vormatienſe cap. 9. atque

Dist. 32. cap. Seriatim.

A atque [a] Vrbanus 2. & sub Paschali eius successore [b] Anselmus Cantuarien. in Concilio Londonien si, de continentia Subdiaconali præceptum innouarunt. Quid verò obtinuerint hæ prohibitiones, & fuerintne extra Romanam Ecclesiam, etiam in Romanis Prouincijs vsu confirmatæ, collige ex Alexandri 3. rescripto ad Episcopum Salernitanum: [c] Super eo quod asseris quosdam viros tuæ iurisdictionis, in Sacris ordinibus constitutos, Matrimonium contraxisse, hoc tuæ prudentiæ respondemus, quod si qui in Diaconatu, & supra, matrimonium contraxerint, cogendi sunt vxores dimittere, & continenter viuere; ita quod post actam pœnitentiam, ex dispensatione possint in suis ordinibus ministrare. Si verò Subdiaconi contraxerint matrimonium, eos, dummodo ante tales fuerint, quod timendum sit, ne pro vna pluribus abutantur, dissimulare poteris, cum suis mulieribus remanere: quia tolerandum est malum, vt peiora vitentur.] Extra Italiam

B multo magis, Subdiaconos cum vxoribus tolerandos esse, idem [d] suadet. Et apparet frequentissimum tunc fuisse vt Subdiaconi, imò fortasse etiam Diaconi, vxores haberent, ipsque adhærerent. Quin etiam apparet Subdiaconos, post susceptum Subdiaconatum, solitos fuisse matrimonia [e] contrahere; eaque matrimonia posse tolerari, & confirmari, statuit Alexander, neque ea inualida declarauit: sicut fecisse videtur Vrbanus secundus; [f] dum eorum vxores seruituti mancipari concedit. Itaque cœlibatus Subdiaconis nulla est lege Ecclesiastica præceptus, extra Romanam Ecclesiam, aut Prouinciam. Et in ipsa Romana Ecclesia, & quibusdam alijs, non est vlla lege, sed sola consuetudine introductus: & Gregorij ac Vrbani præcepta, toti Ecclesiæ non sunt data, neque extra propriam Prouinciam illa ipsimet extenderunt: & sacri Canones Ecclesiæ vniuersalis, vt vidimus, Subdiaconos coniugatos ab vxoribus non abstraxerunt.

Quod verò affert Gratianus ex Callisto, [g] Subdiaconos etiam sub lege continentiæ XI.

C comprehendente, vndequaque Apocryphum est, nullius fidei, aut momenti. Vt immeritò tantum [h] Sotus huic Canoni tribuerit. Nam correctum Decretum id tribuit Callisto secundo, non primo, ad quem Sotus se reducit; & ita primùm nongentorum annorum incurrit errorem: deinde in nullius Callisti scriptis dictum illud reperitur: tum verò, tametsi in Epistolis primi Callisti dictum illud reperiretur, Epistolæ illæ sunt Apocryphæ, & posteriora sciolorum inuenta. Gratianus itaque dictum illud ex se somniauit; &, vt sæpius solet, falsò antiquorum Pontificum nomine decorauit. Et tantum abest, vt Callistus I. potuerit Subdiaconorum continentiam statuere, vt ne Siricius quidem, ducentis fermè post illum annis, Subdiaconatum inter sacros ordines recognouerit: vbi [i] continentiam Episcopis, Presbyteris, & Diaconis tantum suadet. Imò & expressè [k] Subdiaconum vxoratum, & vxoriæ rei operam dantem, admittit: Lector, *inquit*, si probabiliter vixerit, vna tantum, & ea quam virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit, vxore

D contentus, Acolythus, & Subdiaconus esse debebit. Post quæ ad Diaconi gradum, si se ipse primitus continentia præeunte dignum probarit, accedat.] Clerico igitur coniugato tam Subdiacono, non prius continentiam ab vxore indicit, nisi cum voluerit ad Diaconatum accedere. Estque eiusdem Siricij decretum, & postea Innocentij primi; [l] Vt Sacerdotes, & Leuitæ, cum vxoribus suis non coeant; quia in Ministerio diuino, *inquit*, quotidianis necessitatibus occupantur; Infra Diaconatum ergo omnes Clerici cum vxoribus poterant & manere, & coire. Si quis verò mihi opponat Concilium Eliberinum antiquissimum, Subdiaconis etiam vsum vxorum auferens cap. 33. respondebo prohiberi eis vsum hunc, dum sunt in ministerio actuali duntaxat constituti; vt infra explicabo.

Continentiam tamen in maioribus gradibus, puta Diaconatu, & Presbyteratu, ac Episcopatu, vehementer Ecclesiam adamasse, & procurasse est certissimum. Sed in hoc Ecclesiam nostram occidentalem Latinam, longè Orientali Græca inuenio solertiorem, exactioremque vindicem plenæ, ac completæ, in sacris maioribus præsertim Ministris, castitatis. Ac primùm de Diaconis rem disquiramus: Græci sane Patres vehementer cupierunt, vt Diaconi essent continentes: & initio fategerunt, vt Diaconi cœlibe stantium, hoc est non vxorati, & sub promissione castitatis, ac cœlibatus, ad Diaconatus gradum proueherentur. Sic enim statuit Ancyrana Synodus, quæ primum Concilium Nicænum præcessit; [m] Diaconi quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt; hi si postmodum vxores duxerint, in Ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicunque sane tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptijs obligati sunt, à Ministerio cessare debebunt.]

Ex

a *Dist. 32 c. Eos qui. & c. Archiepiscopi. & c. Nemo.*
b *Apud Baron. to. 12. an. 1102.*
c *In Concil. Later. par. 18. c. 4.*
d *Ibid. c. 13. 14.*
e *Dist. 32. c. De illo.*
f *Dist. 32. c. Eos qui.*
g *Dist. 27. c. Presbyteros.*
h *Sot. de iust. & iur. l. 7. q. 6. ar. 2.*
i *Siric. ep. 1. c. 7*
k *Ibid. c. 9.*
l *Siric. ep. 4. c. 9. & dist. 31. c. Tenere. & dist. 82. c. Presbyteri.*
m *Dist. 28. c. 8.*

XII.

XIII. Ex hoc ego Canone videor mihi posse colligere, Ecclesiam & desideraſſe, & curaſſe, vt cœlibes tantum, cum aperta futuræ continentiæ professione, ad Diaconatum admitterentur. Quid igitur si Episcopus ordinaret Clericum iam coniugatum? Quid si cœlibem tunc quidem, & vxore carentem, sed continentiam non promittentem? neque tamen incontinentiam protestantem? sanè ex hoc Canone nihil aliud habeo, nisi in casu factæ protestationis, posse Diaconum tunc cœlibem, postea vxorem ducere, & illa vti, & in Diaconatu ministrare: Quia Episcopus cum tali censetur dispensasse. Si verò tacuit de vxore ducenda; & nihilominus neque continentiam est pollicitus, ex vi huius Canonis eodem modo poterit & vxorem ducere, & ei adhærere, & Diaconatum retinere. Si quidem solus ille qui promisit castitatem, si postea fiat maritus, & tacuerit; ab ordine deponitur. Censetur igitur etiam cum hoc Episcopus dispensasse, dum ab eo continentiæ promissionem non requisiuit. Multo magis si iam coniugatum ordinaret, quem sciret esse coniugatum. Nondum igitur habemus apud Græcos vllam prohibitionem, quæ vetet Episcopos, ad Diaconatum coniugatos, aut continentiam non professos admittere; aut Diaconum coniugatum suo frui coniugio. Imò potius ex Ancyrano hoc canone habemus, Episcopos circa Diaconorum ordinationem esse liberos, & plenam habere autoritatem dispensandi cum ipsis, circa matrimonium. A B

XIV. Scio Canonem hunc Ancyranum fuisse à Martino Bracarensi satis immutatum, & non sincere repetitum; sic enim illum ponit cap. 39. [a] Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit; alienus sit à ministerio, & vacet à Clero] Prohibitionem illam, iuxta vsum Ecclesiæ suæ Occidentalis, ex se addidit Martinus: vt non ordinetur, si protestetur se non posse seruare continentiam. Et hoc non habet Canon Ancyranus; imo, vt dixi, & vidimus, liberum relinquit Episcopo, vt istum, etiam post hanc protestationem facere possit Diaconum. Neque similiter in Ancyrano habemus deponendum fore si tacuerit in ordinatione de illa protestatione, & postea matrimonium contraxerit, vt perperam refert Martinus; sed deponendum duntaxat si nihil fuerit protestatus, & continentiam tamen promiserit, ac postea vxorem duxerit. Nihil præterea de Diaconorum continentia aut cœlibatu in Græcis veteribus statutis potui reperire: & fatetur Stephanus Papa [b] Orientalem Ecclesiam aliter, & aliter Romanam obseruare: In Orientali enim, *inquit*, Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur.] De quo infra. C

[a] Dist. 27. c. 1.

[b] Dist. 31. c. fin.

XV. Nostra igitur Latina in Occidente Ecclesia, Romanam magna ex parte secuta, plurimas habet circa Diaconorum continentiam constitutiones. Siricius enim, vt obseruo, in nostris partibus primus, Diaconos ad omnimodam continentiam reducere concupiuit. Quod enim in sua Romana Ecclesia facile obtinuit, id & in Hispanijs, & in Africa, vt seruaretur rogauit, vt habes supra num. 11. eiusque monita amplexa videtur Ecclesia Africana. Concilium enim Carthaginense 2. eodem Siricij tempore celebratum, tres gradus, Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexos facit, supra num. 9. Et clarius quintum, non multo post, videtur adimere etiam Diaconis vxorum vsum, supra num. 9. Innocentius primus Siricianæ recentis institutionis tenax, continentiam Diaconalem in Gallias direxit, monens Victricium Rothomagensem, [c] Vt Sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus suis non misceantur.] Arausicanum item Concilium & [d] prohibet ne coniugati, sine promissione continentiæ, fiant Diaconi: & qui vxore vtantur eos vult deponi. Et Zacharias supra num. 9. Græcum Canonem, sed à Martino reformatum, imo deformatum secutus, Diaconos cœlibes, & cum professione continentiæ statuit ordinandos. Concilium Arelatense 3. circa Leonis primi tempora, statuit, [e] Ne Pontifices Presbyterij vel Diaconatus honorem conferre præsumant, nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conuersio.] Conuersionem vero intelligit hoc Concilium ab vxoribus abstinentiam. Nam & secundum eiusdem loci concilium, hoc sensu accepit conuersionem; dum cap. 2. statuit; [f] Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse, in vinculo coniugij constitutum, nisi fuerit promissa conuersio. Ex eodem Concilio Arelatense 3. ponit Gratianus vnum capitulum, quod tamen non est dicti Concilij, sed Arausicani cap. 22. & tale est. [g] Præterea placuit, vt deinceps non ordinentur Diaconi coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem.] Non igitur potest reuocari in dubium, Diaconos, antiquis Ecclesiæ institutis, in Occidente, lege continentiæ fuisse obstrictos. Nam & Siricij constitutiones paulo ante redditæ, Diaconos omnino con- D E

[c] Ead. c. Tenere.

[d] Concil. Arausic. c. 22. 23.

[e] Concil. Arelat. 3. c. 2.

[f] Dist. 28. c. 5.

[g] cap. Præterea, 14.

A continentes esse vellent: & posteriora Concilia Occidentalia legibus confirmarunt. Adducam mox plura Ecclesiæ Decreta de cœlibatu Presbyterorum, in quibus etiam Diaconi ad ipsum astringuntur.

XVI.

Episcopos ac Presbyteros, antiquis Ecclesiæ statutis, ad continentiam in primis adigi inuenio, sublata eis facultate ne possint, in Presbyteratu iam constituti, vxores ducere. Iam enim ostendi id etiam Diaconis, imo & Subdiaconis in Ecclesia Latina fuisse prohibitum. Presbyteri tamen in Oriente etiam hoc perpetuo obseruarunt. Concilium sane Neocæsariense, ante primum Nicænum celebratum, ne Presbyter vxorem ducat, statuit. Sed si coniugatus fuerit, liceat ne ei sua vxore vti? nihil dicit. [a] Presbyter, *inquit*, si vxorem duxerit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.] [b] Aufert etiam idem Concilium facultatem presbytero oblata consecrandi, si vel ipsius confessione, vel aliunde constiterit, ipsum ante ordinationem in Presbyterum, peccato carnali inquinatum fuisse; puta adulterij, vel fornicationis; nam de actu coniugali nihil hîc habetur. Sed cur deponi iubet hoc Concilium Presbyterum si vxorem ducat, non verò Diaconum? Quia in Ancyrano Concilio decretum fuerat, vt si Episcopus ordinaret Diaconum, protestantem se non posse castitatem polliceri, Diaconum hunc, vxore postea ducta, posse suo licitè vti matrimonio, & in Diaconatu ministrare. Quod tamen de Presbytero exceptum non fuit, neque erat tunc excipiendum. Ideoque [c] Leontius, quem Ariani postea ad Episcopatum Antiochenum subuexerunt, cùm Presbyter esset, & suspecto cuiusdam iuuenculæ quæ Eustolia vocabatur, veteretur contubernio, ne eam cogeretur eijcere seipsum castrauit: nihilominus fuit a Presbyteratu depositus. Synodus quædam Romana, quæ dicitur sub Syluestro altera celebrata, in Can. 19. hæc habet. Nemo Presbyter, à die onus Presbyterij, sumat coniugium.] Et addit pœnam priuationis. Ideoque sexta Synodus, hoc est, Patres Trullani, [d] Vxores permittunt Presbyteris, sed quas ante Diaconatum, imò etiam ante Subdiaconatum, virgines acceperint; vt omninò Presbyteris illicitum, & depositione mulctandum putent, post sacros ordines susceptos coniugium quærere, & matrimonio copulari. Veterem enim Ecclesiæ traditionem esse dixit [e] Paphnutius in Concilio Nicæno, vt qui cœlibes gradum sacerdotalem consecuti fuissent, postea minimè vxores ducerent.]

a *Concil. Neocæsar. c. 1 habetur dist. 28. c. 9.*
b *Concil. Neocæsar. cap. 9.*
c *Athan. Apol. de sua fuga. et Epist. ad Solit.*
d *Syn. Quinisex. can. 6 habetur dist. 32. c. Si quicunque.*
e *Sozom. l. 1. c. 22.*

XVII.

Coniugatos tamen, seu Clericos, seu viros interdum Laicos, potuisse ad sacros ordines, etiam ad Sacerdotium, & Episcopatum, nullo discrimine promoueri, ipsum Christi factum ante omnia docet: qui Apostolos etiam [f] coniugatos, ad suam vocauit sequelam; eisque contulit Presbyteratum, Episcopatum, & Apostolatum; & de hoc nemo dubitat. Deinde Paulus apertissimè docet, Episcopum assumi debere, qui sit [g] Vnius vxoris vir. Et fatetur Sotus [h] nos non posse eludere Pauli dictum, dicentes intelligi de Viduis, qui vnicam habuerint vxorem; sed omninò id intelligendum de ijs etiam qui in matrimonio durabant; vt si coniugatus ad Episcopatum vocetur, is non sit bigamus, sed monogamus. Quod Apostolicæ Constitutiones, morem profectò Ecclesiasticum continentes, à quocunque, & quandocunque illæ emanârint, explicant clarissimè dicentes; [i] Episcopum, & Presbyterum, ac Diaconum, dicimus vnius vxoris debere constitui; siue viuant eorum vxores, siue decesserint: non licere autē ijs, si post ordinationem sine vxore fuerint, ad nuptias tranire: vel si vxores habeant, cum alijs coniungi: sed contentos esse ea, quam habentes ad ordinationem venerunt.] Et quod idem Paulus ait, [k] Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas: aut ego solus, & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? sunt qui intelligant, & exponant de [l] vxoribus: nec diffitetur [m] Leo 9. seu Humbertus; verba quoque illa Pauli; [n] Rogo te etiam Germane compar, refert Chrysostomus [o] aliquos ita accipere, vt Paulus vxorem suam obsecret: ex Græco enim commodè verti possunt; Rogo te etiam Germana coniunx. Canones Apostolorum 5. & 50. Coniugatos habent Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Cyprianus; [p] Numidicum Presbyterum laudat, qui in Christi confessione, vxorem adhærentem lateri suo, concrematam simul cum cæteris, lætus aspexit.] Et [q] Fœlicem Presbyterum coniugatum habemus apud eundem Cyprianum. Quinimò, [r] Cæcilius Presbyter coniugatus, ipsi Cypriano Presbytero similiter coniugato suam vxorem martyrium subiturus commendat; [s] Paulinus quoque Nolanus vxorem habuit assectam, & in vita quoq; religiosa sociam. Ita etiam amicus ipsius intimus [t] Seuerus Sulpitius. Quis nescit Tertullianum Presbyterum vxorem habuisse? Diaconum speciosam vxorem domi habentem inuenies apud [u] Irenæum; & à Pelagio fuisse virum [x] vxoratum, in Episcopum

f *Ignat. ad Philadel. et Clem. lib. 3 Strom.*
g *1. Tim. 3. & Tit. 1.*
h *Sot. de Iust. et Iur. l. 7. q. 6. ar. 2.*
i *Constit. Apost. l. 6. ca. 17.*
k *1. Cor. 9.*
l *Clem. Alex. et alij apud Beller. de Cler. c. 20.*
m *Dist. 31. c. Omnino.*
n *Philip 4.*
o *Chrysost. hom. 13 in Epist. ad Philip.*
p *Cypr. li. 4. Epist. 10.*
q *Cypr. lib. 3. Epist. 15 et Pamel. ibid. n. 5.*
r *Pontius in vita Cypr.*
s *Ambr. Epist. 36.*
t *Paulin. Epist. 11.*
u *Iren. l. 1. c. 9.*
x *Dist 27. c. De Syracusana.*

Episcopum electum, confirmatum? Gregorius, Sacerdotes in Corsica, cum vxoribus commorari [a] permittit, quæ castè regendæ sint. Mitto exempla plurima, in tota Ecclesia Græca, & Latina, Presbyterorum & Episcoporum coniugatorum. A

a *Greg. l. 1. ep. 50.*

XVIII. Difficultas itaque sola manet, an Presbyteri coniugati, qui ante susceptum Sacerdotium vxores haberent, potuerint, & possint licitè suis vti vxoribus, ad opus coniugale. In Ecclesia certè Latina, ac toto fermè Occidente, vetustissimus, & constans mos est, vt presbyteri coniugati, iubeantur à proprijs abstinere vxoribus. Ante omnia video canonem secundum, secundi Concilij Arelatensis; quod sub tempore Syluestri, à quibusdam ponitur, sic statuentem: [b] Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse, in vinculo coniugij constitutum, nisi fuerit promissa conuersio.] Vel igitur negandum esse coniugato Sacerdotium præcipit; vel promissionem continentiæ prius accipiendam, quam coniugatus ad Sacerdotium promoueatur. Isdem temporibus ponitur etiam in Hispanijs Concilium Eliberinum, quod & ipsum videtur continentiam hanc præcipere Sacerdotum, vt supra num. 11. sed quoniam aliquam videtur pati exceptionem, & de eo inferius erit agendum, nunc omittatur. Callixtum verò iam expunximus sup. num. 11. Itaque ante Siricium, solum hoc habemus expressum, de absoluta continentia Presbyterorum in Occidente, Decretum Arelatense. Sed & ipsum re vera factum est tempore Siricij, non Syluestri, vt notat Binius. Quod verò Lucius Papa antiquissimus à Gratiano ponitur [c] statuisse, de continentia Presbyteri, & Diaconi, etiam à proprijs vxoribus, est commentum fictitium; nam de Lucio nihil tale reperitur: Et quamuis nonnulla apud Clementis Epistolas inueniantur, ex his quæ Lucio tribuuntur; illæ tamen etiam Clementis Epistolæ sunt fictitiæ, vt omnibus mediocriter eruditis est manifestum. B

b *Dist. 28. ca. Assumi.*

c *Dist. 81. ca. Ministri.*

XIX. Siricius igitur, si quid in hoc genere statuerit, meritò primus ponendus est, qui hanc Cleticorum omnimodam continentiam in toto Occidente seruandam curarit. Hic tamen est Siricius ille, cuius [d] simplicitati, vt testatur Hieronymus, illudebat Rufinus Origenista: ita vt fœmina Marcella tunc melius Romanam Ecclesiam propugnarit, quàm Papa: Origenistis resistendo, quibus Siricius, sua simplicitate non resistebat. Illum tamen ego obseruo valdè cupidum, vt sacri Ministri cum omni continentia viuerent: quis enim hoc non cupiat, si Paulus [e] Laicis etiam suadebat, vt ipsum imitarentur, & essent sine vxore? Sed tamen Siricium continentiam præcepisse non inuenio; quem nihilominus passim faciunt scriptores primum continentiæ clericalis assertorem, ac Legislatorem. Continentiam hanc ille quidem plurimum commendauit, & ad eam Clericos est cohortatus; cogendos tamen esse Siricius nunquam aut sensit, aut dixit. Ad Himerium enim Tarraconensem scribens, postquam in continentiæ laudibus, & necessitate est diutius versatus; hæc addit; [f] Quicunque itaque se Ecclesiæ vouit obsequijs à sua infantia; ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ, vsque ad trigesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit, vna tantum, & ea quam virginem, communi per Sacerdotem benedictione perceperit vxore contentus, Acolythus, & Subdiaconus esse debebit: Post quæ ad Diaconij gradum, si se ipse primitus continentia præeunte dignum probarit, accedat. Vbi si vltra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue Presbyterium consequatur. Exinde post decennium, Episcopalem cathedram poterit adipisci; si tamen per hæc tempora integritas vitæ, ac fidei eius fuerit approbata.] Et ad Africanos: [g] Præterea, *inquit*, quod dignum & pudicum, & honestum est, suademus, vt Sacerdotes, & Leuitæ cum vxoribus suis non coeant; quia in ministerio Diuino quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namque sic Paulus scribit, dicens, [h] Abstinete vos, vt vacetis orationi. Si ergo Laicis abstinentia imperatur, vt possint deprecantes audiri, quanto magis Sacerdos vtique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? excusabit? quo pudore, qua mente vsurpabit? qua conscientia, quo merito hic exaudiri se credit, cum dictum sit; [i] Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus, nihil mundum? Qua de re horror, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest iure etiam Gentilitas accusare. Sed forte licere hoc creditur, quia scriptum est, [k] Vnius vxoris virum. Non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admisit, qui ait; [l] Vellem autem omnes homines sic esse, sicuti & ego. Et apertius declarat dicens; Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu.] Hic ego præceptum vix inuenio; commendationem continentiæ C D E

d *Hier. ep. 16. a*

e *1. Cor. 7.*

f *Siric. ep. 1. c. 9. habetur dist. 32. c. Plurimi. & c. Quæ.*

g *Idem ep. 4. c. 9.*

h *1. Cor. 7.*

i *Tit. 1.*

k *1. Tim. 3.*

l *1. Cor 7.*

m *Rom. 8.*

A tinentiæ, & adhortationem piam obseruo. Quod enim priori loco Diaconum, præeunte continentia, probandũ asserit, satis est si illicito concubitu se non contaminauerit: est enim continentia etiam coniugatorum, vt ab illicitis semper, & à licitis etiam suo tempore abstineant. Posteriori verò loco suadet, non præcipit, vt cum vxoribus non coëant; rogat, hortatur, ac præsertim ijs temporibus, quibus sacra debeant, pro vice sua, ministrare: etsi quotidie sint in sacrorum ministratione occupati, quotidie abstineant. Qui igitur Sacerdotes non quotidie Sacerdotalia obeunt munera, præsertim sacrosanctæ oblationis, sed interdum prout inter se hebdomadas, seu alia tempora diuiserint, ad continentiam hanc à Siricio non coarctantur: Illud tamen mihi displicet, ac fermè intolerabile esse censeo, quod in suis amplificationibus Siricius terminos pietatis, ac fermè fidei excesserit, dum Christianum legitimè coniugatum, inter coinquinatos, ac infideles immundos repo-

B nit. Et alia verba Pauli, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, applicat thoro coniugali, qui [a] thorus est immaculatus; sic enim nullus coniugatus Deo placere posset, quod est falsissimum. Non multo post Siricium, Innocentius considerans quotidianas ferme esse debere Sacerdotum nostrorum sacras occupationes, præcipit, ac statuit, [b] Vt Presbyteri & Leuitæ cum vxoribus suis non coëant: quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur.] Et Siricij adhortationes, præcepta fuisse [c] supponit, & contendit.

a Heb. 13.

b Dist. 32. c. Tenere.

c Dist 82. c. Propositi.

Post Siricium proximè, imò eo fortasis adhuc superstite, celebratum Concilium secundum Carthaginense, sic habet; [d] Aurelius Episcopus dixit; Cum in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, constrictione quadam castitatis, per consecrationes annexi sunt; Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos; ita placuit, vt deceret sacrosanctos antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter,

C quod à Deo postulant, impetrare; vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.] Hic profecto Canon nihil plus quam Siricius sanxit, aut præcepit: vt illi tres gradus continentes sint in omnibus. Hæc verò continentia potest primum intelligi, vt non ducant vxores post ordinem maiorem susceptum: secundò, vt continentiam seruent coniugalem, suo solo thoro contenti: tertiò, vt ab vxoribus abstineant, dum in diuinis (vt innuit Canon ipse) Sacramentis inseruiunt. Et hos, vel aliquem ex his sensum Canonem hunc habere, satis confirmatur ex eo quod habet; Vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.] Vbi verò Apostoli docuerunt Clericos à proprijs debere perpetuo abstinere vxoribus? aut ex qua id constat antiquitate? Constat tamen continentiam in genere, ab illicito coitu, præcipi & doceri: & ex antiquitate vxores non esse in sacris ordinibus ducendas: & orationis tempore ab vxoribus abstinendum.

d Concil. Carthag 2. c. 2. habetur dist. 84. c. Cum præterito.

XX.

D Obijcies, in eodem Canone illa subdi: Ab vniuersis Episcopis dictum est; Omnibus placet vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab vxoribus se abstineant.] Cum tamen statim illa in eodem Canone post ista sequantur, videlicet, Ab omnibus dictum est; Placet vt in omnibus, & ab omnibus, pudicitia custodiatur, qui altario deseruiunt.] Non abesse mendum à Canone est manifestum. Nam si ab vniuersis Episcopis dictum est illud, in quo totius Concilij stat Decretum; cur rursum ab omnibus, non illud, sed aliud est dictum? Et sane in vltimo omnium dicto, vltimum continetur, in illa proposita materia, decretum. Melior igitur est alia lectio quam Colonien sis editio Petri Crab alio charactere expressit, nimirum; Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ, Prouinciæ Piceni, Legatus Ecclesiæ Romanæ, dixit: Placet vt Episcopi, Presbyteri, &c. vt supra.] Sed non fuit in Concilio admissum hoc continentiæ decretum, eo modo quo à Romano Legato proponebatur: sed admissum est in genere duntaxat, videlicet; Vt in omnibus, & ab omnibus, pudicitia custodiatur, qui altario deseruiunt.] Pudicitia verò est etiam coniugalis. Et si pudicitiam vir excludere vsum etiam licitum vxoris, tunc Canon hic id videtur restringere ad Clericos, pro tempore quo altario deseruiunt: id est, pro diebus quibus vice sua sacris sunt Ministerijs occupati; vt supra diximus: & vt Trullani Patres hunc Canonem intellexerunt: de quibus infra. Itaque Concilium hoc secundum Carthaginense nondum Romanam voluit amplecti, & præcipere ab vxoribus perpetuam continentiam.

XXI.

Paulo post, sub Anastasio Siricij proximo successore, celebratum est Concilium V. Carthaginense; in quo etiam de hac continentia Clericorum ab vxoribus, ita statutum est cap. 3. [e] Præterea, cum de quorundam Clericorum, quamuis erga vxores proprias (*in Concilio*

XXII.

e Dist. 84. c. Cl. de quorundam. & dist. 32. c. Placuit.

cilio Carthaginensi, quod in libro Canonum ex multis collectum ponitur, sic legitur cap. 25. Quamuis Lectorum erga vxores proprias) incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum propria, *(aliàs* [a] *priora)* statuta, etiam ab vxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remoueantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi; sed secundum vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem obseruari debere] Sed neque hic Canon absolutè, & perpetuo præcipit ab vxoribus abstinentiam: sed iuxta priora statuta, id est, iuxta id quod in secundo superiori Carthaginensi Concilio est decretum; hoc est pro tempore, & diebus sacræ administrationis: seu iuxta propria statuta, hoc est, vt vnaquæque Ecclesia id seruet, prout in ea mos inoleuit: nimirum vt, vel perpetuam seruent ab vxoribus abstinentiam ordines maiores, vt in Romana: vel temporalem, pro tempore sacræ administrationis hebdomadariæ, vt in Africa, & Occidente. Minores tamen Clerici ne illo quidem tempore quo sua obeunt in Ecclesijs munera, ad hanc continentiam obligentur: siquidem eorum seruitus sacra non est, neque circa altare. Et hoc sensu, vt dicam inferius, Trullani patres hunc etiam Carthaginensem Canonem intellexerunt.

a Concil. Afric. c. 37.

XXIII. Agathense Concilium, Innocentij primi, & mentem, & verba secutum, viginti circiter post ipsum annis, circa tempora Cœlestini, dato iam publico Canone (qui mihi primus esse videtur, quo absoluta & perpetua continentia, Presbyteris & Diaconis coniugatis, indicitur) ita statuit: [b] Placuit etiam, vt si Presbyteri, vel Diaconi coniugati, ad thorum vxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, vel Siricij Episcopi autoritas, quæ est his Canonibus inserta, seruetur. Quod si ad aliquos formula illa Ecclesiasticæ vitæ, pariter & Disciplinæ, quæ à Siricio Episcopo, ad Prouincias commeauit, non probabitur peruenisse, eis ignorationis venia remittitur; ita vt de cætero penitus incipiant abstinere. Et ita gradus suos in quibus inuenti fuerint sic retineant, vt ad potiora eis non liceat ascendere. Quibus in beneficio esse debet, quod locum ipsum quem retinent, non amittunt. Si qui autem scisse formam viuendi missam à sancto Siricio Episcopo deteguntur, neque statum cupiditates libidinis abiecisse, illi sunt modis omnibus submouendi, eo quod, post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.] Innocentius igitur, & cum eo Agathenses, seueritatem quam Siricius adhibendam non putauit, suo decreto addiderunt: vt illi soli vlterioris tantum gradus incapacitate punirentur, qui nondum habito Siricij decreto cum vxoribus miscerentur: depositione tamen reliquos incontinentes mulctarunt, qui post cognitum Siricij decretum, vxoribus adhuc vti voluerunt. Grauiorem vero adhuc, excommunicationis, quam ego nusquam vidi, in tales pœnam latam à Patribus, commemorat Concilium primum Turonicum; [c] quod & legem eandem continentiæ Sacerdotibus & Leuitis imponit: & ablata pœna excommunicationis, depositionis pœnam reliquit incontinentibus. Quam depositionem fere perpetuam declarauit altera Synodus [d] Turonensis: & ei addidit vnius anni excommunicationem. Vnde conijcis quam difficilem habuerit, etiam in nostro Occidente, lex hæc continentiæ à proprijs vxoribus obseruantiam.

b Concil. Agat. c. 9.

c Concil. Turon. 1. c. 1. 2.

d Concil. Turon. 2. c. 20.

XXIV. Concilium Toletanum 2. c. 1. Clericos minores cœlibes, & castitatem professos anno ætatis 18. ad Subdiaconatum promouet: & post duos annos ad Diaconatum. Ita tamen vt, si postea duxerint vxores, eijciantur. Si vero in minori Clericatu vxores duxerint, in eo iubet eos retineri, ita vt, cum proiectæ ætatis in coniugio positi, renunciaturos se pari consensu operibus carnis sponsonderunt, ad sacros gradus aspirent.

XXV. Aurelianense 3. [e] Vxorum vsum prohibet lege vniuersali, à Subdiacono, & supra: incontinentes deponit, sola eis laica relicta communione. Si vero post susceptum propria voluntate & consensu sacrum ordinem, quis duceret vxorem; & ipse & vxor ibidem excommunicantur. Quartum etiam eiusdem loci Concilium, eandem [f] legem, pro Presbyteris, & Diaconis repetit, cum depositione, quam vocat regradationem. Sic faciunt Toletanum 4. c. 5. Quia Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ab hæresi venientes, suis adhuc vtebantur vxoribus. Matisconense primum cap. 11. Episcopos, Presbyteros, & Clericos, in sublimi dignitatis apice constitutos, hoc est, vt puto, Diaconos, à consortio carnali vxorum remouit. Lugdunense secundum cap. 1. Placuit, *inquit*, vt si quicunque vxoribus iuncti, ad Diaconatus, aut Presbyteratus ordinem, quoquo modo, peruenerint, non solum lecto, sed etiam frequentatione quotidiana debeant de vxoribus suis sequestrati.] Addit priuationem gradus, si filios generarint. Antisiodorense cap. 21. Non licet, *inquit*, Presbytero in vno lecto, post acceptam benedictionem, cum Presbytera sua, & dormire, nec in peccato carnali misceri, nec Diacono, nec Subdiacono.] Toletanum 4. c. 26. Professionem

e Concil. Aurel. 3. c. 7.

f Ib. c. 4. 17.

g Dist. 32. c. Presbyter.

A fessionem castitatis requirit à Presbyteris, & Diaconis per Parochias constituendis. Idem requirit Concilium Aquisgran. sub Ludouico primo cap. 6. Vormatiense etiam cap. 9. statuit, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, abstineant se à coniugibus, & non generent filios. Quod si hoc decretum violauerint, ab honore Clericatus pellantur.] In Concilio Melfitano, sub Vrbano 2. tertius Canon hæc habet. [a] Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ sit castitatis; & qui vsque ad Subdiaconatum, vnicam, & virginem, vxorem habuerit.] Omitto statuta plurima recentiora, in nostro Occidente edita, & promulgata.

[a] Dist. 32. ca. Nemo.

XXVI.

Nec modò leges tam multas habemus in Occidente cœlibatum ac continentiam Clericorum præcipientes, sed etiam Patrum Latinorum autoritatem, eandem continentiam, vt necessariam, & eorum temporibus satis seruatam, commendantium. Hieronymus Iouinianum oppugnatorem Virginitatis sic alloquitur; [b] Sed & ipsa Episcopalis electio mecum facit. Non enim dicit (*Paulus*) eligatur Episcopus qui vnam ducat vxorem, & filios faciat; sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin, si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum; vt idem sint virgines quod mariti; aut si Sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum; [c] Si Laicus, & quicunque fidelis, orare non potest, nisi careat officio coniugali; Sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri Lege qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab vxoribus separati; & vinum, & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare.] Et in fine Apologiæ pro libris aduersus Iouinianum, Episcopi, *inquit idem Hieronymus*, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium pudici.

B [b] *Hier. adu. Iouin. lib. 1.*

C [c] Dist. 32. c. Si Laicus.

Leo ad Anastasium Thessalonicensem, Epist. 88. ita scribit; [d] Sacerdotum tam excellens est electio, vt hæc, quæ in alijs membris Ecclesiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. Nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendum tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; vt & qui habent, sint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignum est custoditi, quanto magis in primo, vel in secundo, tertioue, seruandum est? ne aut Leuitico ministerio, aut presbyterali honore, aut Episcopali excellentia, quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate vxoria, nec dum frænasse detegitur.] Et ad Rusticum Narbonensem Epist. 95. [e] Lex continentiæ, *inquit*, eadem est altaris Ministris, quæ Episcopis, atque Presbyteris: qui cùm essent Laici, siue Lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt: sed cùm ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde, vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere, quo & salua sit caritas, & cessent opera nuptiarum.]

XXVII.

D [d] Dist. 32. c. 1.

[e] Dist. 31. c. 10

Clericorum continentiam ponit Ambrosius; [f] Inoffensum, *inquit*, exhibendum, & immaculatum Ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri Ministerij gratiam recepistis.] Item Apostolum explicans, ait; [g] Habentem filios dixit Apostolus, non facientem.] Præterea sic alibi loquitur. [h] Diaconi, si filios benè gubernauerint, & domesticos, poterunt digni fieri Sacerdotio; & fiduciam habere apud Deum, vt sciant se posse impetrare quod postulant, iam de cætero se ab vsu fœminæ continentes.] Et post pauca. Ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abstinere debent; quia necesse est eos quotidiè præstò esse in Ecclesia, &c.] [i] Augustinus etiam Clericorum continentiam commemorat. Et Beda, [k] Sacerdotibus, *inquit*, vt semper altari queant assistere, semper ab vxoribus continendum, semper castitas obseruanda præcipitur.] Et lib. 3. de Tabernaculo ait, Non licere enim Sacerdotem quenquam creari, nisi aut virgo permanserit, aut, contracta vxore, coniunctionis fœdera soluerit.] Mittamus alios; & ad orientalem Ecclesiam accedamus: ad nostram occidentalem iterum reuersuri, & ad propria redituri.

XXVIII.

E [f] *Ambr. de offi. lib. 1. cap. vlt.*

[g] *Idem Ep. 82.*

[h] *Idem in 1. Tim. 3.*

[i] *August. de adult. coniug. cap. 20.*

[k] Dist. 31. cap. 2.

Citra controuersiam est, quod Ecclesia Græca neque diffitetur, neque seruare respicit; videlicet, Nemini in sacris ordinibus iam constituto, licere vxorem ducere, si quis cœlebs tales susceperit ordines; etiam incluso Subdiaconatu. Hanc esse veterem [l] Ecclesiæ traditionem

XXIX.

[l] Dist. 32. c. Nicæna.

ditionem fatetur Paphnutius in Concilio primo Nicæno. Et Hieronymus, [a] Absurdum A
a Hieron. ep. 2. supponit, & inimitabile, si nostri Pontifices vxores etiam virgines ducerent, vt Leuiticis Sacerdotibus licebat. Et Iustinianus seuera [b] lege, Ecclesiasticas traditiones in hoc seruandas præcipit. Iustiniani legem pene ad verbum secuti sunt postea Patres in Trullo, vbi
b Nouel. 123. c. 13. coniugia Clericalia Græcorum fuerunt contra Romanas defensa sanctiones, tali edito statuto; [c] Quoniam, *inquiunt*, in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta
c Synod quinisex. ca. 6. habetur dist. 32. ca. Si quis. vxore in Clerum promouentur, solos Lectores & cantores vxorem posse ducere: & nos hoc seruantes decernimus, vt deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur. Si quis autem eorum qui in Clerum recedunt, velit lege matrimonij mulieri coniungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.] Et certe semel tantum, atque cum virgine. Sed & in eo nunc, nisi fallor, conuenimus B
quoad Episcopos; vt si coniugatus ad Episcopatum ascendat, omnino ab vsu vxoris cesset, & se penitus contineat. Hac de re ego quidem legem nullam Orientalium video ante Synodum Trullanam. Obseruo duntaxat aliquid in hoc genere inueniri in quodam Synodali iudicio
d Pallad. Dial. de vita Chryss. & Baron. tom. 5 an. 400. n. 73. [d] Ioannis Chrysostomi, aduersus quendam Episcopum Antonium; contra quem capita accusationum erant plura; & vnum, inter ea sextum; quod cum vxori propriæ abrenunciasset, rursus illi congressus est filiosque ex ea procreauit.] Ac de his accusationibus omnibus dixit *Chrysostomus*, vnumquodque capitulum per se impium esse; & vndique sacris legibus interdictum.] Quamuis speciale videatur in hoc Episcopo delictum, quia ille iam dicitur propriæ vxori abrenunciasse: quod an omnes Episcopi facerent, aut facere tenerentur, hinc non satis apparet; sed potius contrarium videtur posse colligi. Præterea apud Iustinianum inuenio legem, quæ videtur supponere, Ecclesiastica fuisse statuta,
e Nouel. 6. c. 1. vt Episcopi ab vxoribus remouerentur. Ita enim sancit; [e] Ne fiat Episcopus qui sit alij vxori copulatus; sed aut in virginitate degens à principio; aut qui vxorem habuit, ex virginitate ad eum ingressam; & non viduam, neque repudiatam, neque concubinam. Sed viduum, procul dubio, intelligit, & nullo modo vxoratum: nam & subdit; vt neque filios, neque nepotes habeat. Patres tamen in Trullo, ita demum sanxerunt;
f Syn. Quinisex. c. 48. [f] Vxor eius, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, Monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione extructum; & Episcopi prouidentia fruatur: Si autem digna visa fuerit etiam ad Diaconatus dignitatem prouehetur.]

XXX.

Circa vxores Episcoporum, simile quid iam statutum fuerat in nostro occidente, sub
g Conc. Turon. 2. c. 13. Pelagio, in Concilio altero Turonensi; cuius vnus Canon talis est, [g] Episcopus coniugem, vt vxorem habeat: & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem, tam Ecclesiasticam, quam propriam, vt nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat. Et licet D
(Deo propitio) Clericorum suorum testimonio castus viuat, quia cum illo tam in cella, quam vbicunque fuerit secum habitent; eumque Presbyteri, & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba iuniorum (Deo adiutore) conseruent: sic tamen propter Zelotem Deum nostrum, tam longe absint, mansionis propinquitate diuisi, vt nec hi qui ad spem recuperandam Clericorum seruitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.] Et Hieronymus suo tempore, vt notissimum, in Ecclesia occidentali, supponit;
h Hier. adu. Iouin. l. 1. [h] Non posse esse Episcopum (vt paulo ante vidimus) qui in Episcopatu filios faciat. Alioquin vt adulterum damnandum. De Episcoporum igitur continentia nunc amplius non videtur contendendum; quia cum Græcis conuenimus; & nobiscum Græci consentiunt, & obseruant: Hoc tamen etiam inferius rursus incudi reddemus. De Presbyteris sola relinquitur controuersia, & inferioribus sacris ordinibus: Nos enim Latini Romani, omnibus æquè atq; Episcopis vxores auferimus; Græci verò eas permittunt, omnibus sacris E
ordinibus, præter Episcopos modo ante sacros ordines fuerint coniugio copulatæ.

XXXI.

In Orientali tamen quoque Ecclesia omnium sacrorum ordinum continentiam, & præceptam fuisse, & olim obseruatam, adeo vt Clerici coniugati ad hos ordines promoti, statim ab vxoribus abstinere, non minus quam Episcopi, tenerentur, videtur pluribus posse suaderi. Primum ex sacra Scriptura, quæ vbique est eadem, adest ante omnia exemplum Apostolorum, qui si coniugati fuerunt, vt multi tenent, & nos supra attigimus,
i Euseb. l. 3. hist. c. 24. k Luc. 4. (nam de Petro non est dubium qui [k] socrum habebat; quamuis incertum sit viueret ne vxor ipsius, quo tempore ad Apostolatum venit) statim tamen atque Christi sequelæ se tradiderunt, etiam vxoribus valedixerunt. [l] Ecce nos reliquimus omnia. Qui reliquerit patrem,
l Matth. 19.

matrem

matrem, & vxorem, &c. centuplum accipiet. Quod videlicet fecerant Apostoli. De quibus sic Hieronymus,[a] Petrus & cæteri Apostoli (vt ei ex superfluo interim concedam) habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant: qui assumpti postea in Apostolatum, relinquunt officium coniugale.] Addit [b] Bellarminus alias Scripturas: [c] Oportet Episcopum esse continentem: [d] Labora sicut bonus miles Christi Iesu: Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus; atqui [e] nuptiæ pedicæ sunt: [f] Fraudandum est debitum coniugale, vt vacetur orationi: qui ergo perpetuo debet vacare orationi, perpetuo abstinere debet à debito coniugali, vt inferebant supra Hieronymus, Ambrosius, & Beda; num. 26. 28. Comesturi [g] agnum paschalem renes accingebant: Accepturis legem Dei præcipitur, [h] Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris: [i] Sacerdotes fœminalibus à renibus vsque ad femora tecti esse debent: [k] Comesturi panes propositionis à mulieribus mundi esse debebant: [l] Sacerdotes per vices suas ministrantes in Tabernaculo à domo & ab vxore abesse debebant: Qui vero semper ministrant semper absint, vt supra Siricius, & Innocentius, & alij.

Secundo ex Concilijs Orientalibus Ancyrano cap. 10. Neocæsarien. c. 1. vt supra n. 16. Nicæno in quo hæc habentur, [m] Interdixit per omnia magna Synodus, nō Episcopō, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.] Cum igitur vxores non ponat, planum videtur etiam vxores prohiberi. Et cur prohibetur Clericis, *inquit* [n] *Bellarminus*, cohabitatio mulierum, si vxorati esse possunt; nonne vxores ancillas habere possunt in eadem domo?] XXXII.

Tertio ex Patribus Græcis; Origene, [o] Impeditur sacrificium indesinens ijs qui coniugalibus necessitatibus seruiunt. Vnde mihi videtur quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti, & perpetuæ se deuouerit castitati.] Eusebio; [p] Veruntamen eos qui sacrati sint, atque in rei Ministerio, cultuque occupati, continere deinceps seipsos à commercio vxoris decet, &c.] Epiphanio, [q] Sanctum Sacerdotium ex virginibus vt plurimum, aut ex solitarijs; aut si hi ad Ministerium non sufficerint, de his qui se à proprijs vxoribus continent: & si quis ab initio continens viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, &c.] *Item*; [r] Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem, vnius vxoris virum, Ecclesia non suscipit; sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum: maximè vbi sinceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos: At hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem quę per tempus elanguit.] Hæc ex Epiphanio. Chrysostomo: [s] Dixit vnius vxoris virum; non ea ratione vt id nunc in Ecclesia obseruetur; oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.] Nysseno; [t] Quomodo Dei Sacerdotio fungêris, qui ad hoc ipsum vt munus offerres, vnctus es? Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti ne sacra impurus facias? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est cur Mosem non audias, qui populo edicit, vt à nuptijs purus sit, quo Dei aspectum comprehendat?] Cyrillo Hierosolymitano; [u] Si qui apud Iesum bene fungitur Sacerdotio, abstinet à muliere: ipse Iesus quomodo ex viro & muliere proditurus esset?] Oecumenio; [x] Non statuit vt ab vxore pendeat Episcopus, aut vxorem necessario habeat; sed si fiat, inquit, è mundanis, non sit saltem bigamus, ita tamen vt vocatus ad Episcopi munus, illud compleat, quod qui habent vxores sint tanquam non habentes.] His adde Hieronymum nostrum, de Orientalibus Ecclesijs scribentem: [y] Quid faciunt, *inquit*, orientis Ecclesiæ? Quid Aegypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut si vxores habuerunt, mariti esse desistunt?] Iustinianus demū Clericorum eligendorū, secundum diuinas regulas, conditiones numerat plures; Inter has, [z] Neque, *inquit*, secundas habentē, aut eum qui habuerit nuptias, ordinari in Diaconum, aut Presbyterum: neq; si mulieri coniungatur seiunctæ, & proprium virum derelinquenti: sed neq; si concubinam habeat; sed & ipsam vxorē, si cum castitate, & ex virginitate sit. Nihil enim hic in sacris ordinationibus diligimus, quam cum castitate viuentes; aut cum vxoribus nō cohabitantes, aut vnius vxoris virum, qui vel fuerit vel sit, & ipsam castitatem eligentem.] Additq; pœnam si in sacris vxorem duxerit, vt ex Clero penitus eijciatur. Quam pœnā postea Leo 6. Imperator moderatus est; vt in minoribus tantū ministret. Leges præterea ciuiles sic habent. [a] Diuortij causa, donationes inter virum & vxorē concessæ sunt. Sæpe enim euenit: vti propter Sacerdotiū, vel etiam sterilitatē.] Supponitur igitur per Sacerdotiū vxorem à viro separari.

XXXIII.

[a] Hieron. adu. Iouinian. l. 1.
[b] Bellar. de Cler. l. 1. c. 19.
[c] Tit. 1.
[d] 2. Tim. 2.
[e] Basil. in Prohæm. const. Mon.
[f] 1. Cor. 7.
[g] Exod. 12.
[h] Exod. 19.
[i] Exod 28.
[k] 1. Reg. 21.
[l] 1. Paral. 24. & Luc. 4.
[m] Concil Nican. c. 3. habetur dist. 32. c. 16.
[n] Bellar. vbi supra.
[o] Orig. hom. 13
[p] Euseb. l. 1. demon. Euang. cap 9.
[q] Epiph in fine Panarij.
[r] Idem hær. 59.
[s] Chrysost. hom. 2. de patien. Iob.
[t] Nyss. l. de virg. c. vlt.
[u] Cyrill. Catech. 12.
[x] Oecum. in 1. Tim. 13.
[y] Hieron. adu. Vigil. init.
[z] Nouel. 6. c. 5.
[a] Leo 6. Nouel. 19.

XXXIV. Quarto vrgetur rationibus. Coniugium impedit Ecclesiastica munera, orationem, efficaciam prædicationis, curã pastoralẽ, curam pauperũ, & hospitalitatem, denique Sacramentorum administrationem. Hæc obijcit [a] Bellarminus. Sotus vero, [b] Constat, *inquit*, à primis Ecclesiæ incunabilis coniugatos quidem ad Sacerdotium admitti; Sacerdotes vero à ducendis vxoribus fuisse cohibitos. Hoc autem discrimen nulla quiuit alia eniti ratione, quàm quod neutri illorum, vsui matrimoniali indulgere sinebantur. Alioqui si qui in matrimonio erant, poterant vxoribus vti, quidnam quæso vetabat ne & Sacerdotes possent pariter inire connubia? Nam si fateamur coniugatos vxorio vsu fuisse interdictos, palam fit ratio cur post Sacerdotium interdiceretur contractio Matrimonij: nempe quia vouebant castitatem sicut cæteri, qui erant vxoribus copulati. Addequod illa disparitas, vt alij vxorio fruerentur complexu; alij vero minime; nequisset non decorum Ecclesiasticum deturpare.] Hæc Sotus. A

a *Bellar. de Cler. l. 1. c. 19.*
b *Sot. de iust. & iur. l. 7. q. 6. ar. 2. concl. 3.*

XXXV. Sed profecto maximum ego obseruo discrimen inter documenta, quæ in nostro Occidente continentiam stabiliunt Clericorum etiam coniugatorum; & hæc quæ producuntur ad eandem continentiam, in Orientali Ecclesia, confirmandam. Æquales sumus omnes; ac perfectissimè Orientales & Occidentales Ecclesiæ inter se conueniunt (sunt enim vna & eadem Christi Ecclesia totalis, & vniuersalis) continentiam perfectam sacro ordini esse conuenientissimam; plurimumque decere, vt Christi Sacerdotes, vel virgines sint, vel Vidui cœlibes; vel coniugati abstinentes: & hoc contendunt Patres Latini pariter ac Græci; hoc cupiunt; hoc suadent quantum possunt omnes: hoc rationes supra allatæ, tanquam optimum & conuenientissimum conuincunt. Sed aliud est rem esse conuenientem, decentem, & opportunam; aliud necessariam, vt inferius ponderabo: In eo tamen plurimum differimus, quod in Ecclesia nostra Occidentali expressæ leges, & sane toties multiplicatæ habentur, continentiam hanc plenam & absolutam, vt necessariam, iam præcepto factam, asserentes. (Quamuis leges omnes iam productæ, aut sint particularium Ecclesiarum, seu Prouinciarum particulares; aut ab Ecclesia Romana vniuersali edicto promulgatæ: certe nullius Concilij generalis Decretum in hoc genere potest proferri.) In Orientali vero Ecclesiæ nullum prorsus in genere, quod quærimus, decretum habetur; nulla lex; nullum edictum; nulla Constitutio Ecclesiastica, siue vniuersalis, siue Prouincialis, siue particularis; sed potius contraria, & pene vniuersalis, vt ostendam. B C

XXXVI. Sed rursus in vno pene conuenimus, nempe in vsu, & perpetua Ecclesiæ obseruatione & consuetudine. Planum enim est, etiamsi leges nullæ essent circa hanc Clericalem continentiam, si tamen illa vsu esset firmata, & consuetudine roborata, necessario illam fore seruandam. Quid igitur habemus vsus & consuetudinis? In nostro Occidente leges præcipiunt continentiam; vsus illam, (si paucos excipias) non patitur. In Oriente liberum est, aut saltem olim fuit, vt qui potest capere capiat, non tamen præceptum, vt capiat. Quid vsus obtinuit? Vt nonnulli eam seruarint honestissime: alij temen & plurimi honesto suo matrimonio vterentur. Iam igitur probo vsum in Occidente, cum lege pugnasse fere semper: & adhuc pugnare: Quia non obstante lege, matrimonia sacræ personæ contraxerunt. D

XXXVII. Hieronymus, Episcopos quidem, aut sine vxoribus, aut sine vsu vxorum fuisse innuit, vbi contra Iouinianum disputat supra num. 26. & nos id interdum in vtraque Ecclesia seruatum olim non negamus. De reliquis autem Presbyteris, & si laudat si fuerint continentes, & id decentissimum iudicet, eos tamen etiam in Occidente, necessario debuisse vsu vxorum, quas iam haberent, carere, nunquam dixit: imo vsum contrarium fuisse in eodem opere satis clare affirmat: Respondens enim argumento Iouiniani, quod ab exemplo Samuelis duxerat contra virginitatem, ait, [c] Si autem Samuel nutritus in Tabernaculo duxit vxorem, quid hoc ad præiudicium virginitatis? quasi non hodie quoque plurimi Sacerdotes habeant matrimonia; & Apostolus Episcopum describat vnius vxoris virum habentem filios cum omni castitate?] Si dicas Hieronymum ad Orientales Sacerdotes respexisse; Primum locus Pauli quem subdit, est locus vniuersalis, de quocunque Episcopo Ecclesiæ Christianæ. Deinde saltem fateberis, Hieronymo teste, Orientales plurimos Sacerdotes, fuisse matrimonio & copulatos & vsos (nam & Samuel vtebatur:) ex hoc enim nullum fieri præiudiciũ virginitati asserit: tametsi & olim Samuel, & tunc plurimi Sacerdotes matrimonio vterentur, & filios generarent. Et quod de Samuele Iouinianus proferebat vxorato, & filios generante, id ei Hieronymus etiam de plurimis sui temporis Sacerdotibus concedit: Sed non propterea sequebatur virginitatem esse malam, & detestandam, aut E

c *Hier. adu. Iouin. l. 1.*

A aut matrimonio postponendam, quod Iouinianus defendebat; quia Hieronymus non contendebat omnes homines debere esse virgines: imo neque omnes Sacerdotes, sed eos tantum qui possent capere; & hos vxoratis præferebat. Vnde & subdit postea; Eliguntur mariti in Sacerdotium, non nego: quia non sunt tanti virgines, quanti necessarij sunt Sacerdotes. Nunquid quia in exercitu fortissimus quisque eligendus est, iccirco non assumentur & infirmiores, cùm omnes fortes esse non possint?] Docet itaque inter Sacerdotes dari & fortes, virgines nimirum, aut instar virginum continentes; Dari & infirmiores, qui virginalem continentiam non seruent, sed mariti sint etiam non nomine, sed re. Et multas causas affert, cur ad Sacerdotium non semper, nec omnes virgines, aut cœlibes, assumantur; sed sæpe etiam mariti: (& sanè loquitur de suo occidente, de quo Iouinianus erat, & Sacerdotes maritos ad suæ causæ aduersus virginitatem patrocinium proferebat, suppo-
B nitque toto suo illo discursu, Sacerdotes illos maritos verè esse maritos, cum actu coniugali. Si enim continentes essent, & ab vxorum quas haberent complexibus remoti, argumentum Iouiniani frigidum esset, & inane, & cui vnico verbo satisfactum fuisset, si Hieronymus respondisset, Sacerdotes assumi quidem maritos, sed statim ab vxoribus, virginum instar, separari. At verò Hieronymus concedit esse maritos, & vxoribus frui, sed ex necessitate id contingere, propter causas quas affert. Nihilominus tamen interim multos etiam virgines assumi, & eos esse sicut in exercitu viros fortiores; maritos verò esse sicut in exercitu milites imbecilliores.

XXXVIII. Vis adhuc melius ex Hieronymo cognoscere vsum hunc occidentalis continentiæ? Impugnatorem Virginitatis, & odorem pudicitiæ, Vigilantium etiam offenderat; de eo sic loquitur; Proh nefas, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos nisi prius vxores duxerint, nulli cœlibi credentes
C pudicitiam; imò ostendentes quàm sanctè viuant, qui malè de omnibus suspicantur: & nisi prægnantes vxores viderint Clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt.] Excessus est hic, fateor, quis ignorat? fortasse etiam hæresis. Vsus tamen apparet, & hic in occidente, vt sacri Ministri vxorum vsum haberent: qui vsus iam penes aliquos transierat in abusum; dum cogerent vxores habere, & ijs vti, eos qui ad sacros ordines essent promouendi; cùm tamen liberum esset, & esse deberet, imò & desiderabile, ac conandum, vt cœlibes, & continentes promouerentur. Et sanè Hieronymus non reprehendit Vigilantium, aut illos Episcopos, quod coniugatos assumerent, & vxores imprægnantes; sed quod non nisi talibus sacros conferrent ordines, & Sacramentorum Christi ministrationem. Ac pergit: Quid facient orientis Ecclesiæ? quid Ægypti & sedis Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut si vxores habuerint mariti esse desistunt?] Mirum quod orientis, & Aegypti Ecclesias opponit Hieronymus abu-
D sui Vigilantianorum, sacros ordines non nisi maritis, & filios procreantibus conferentium: non igitur habebat in occidente Ecclesias quæ virgines tantùm Clericos acciperent, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desisterent. Si vsus hic quem in oriente, & Aegypto Hieronymus viderat; in occidente communis fuisset Ecclesiarum; in orientem & Aegyptum non se tum remotè recepisset, ad illorum Episcoporum vsum confutandum, si domi firmam contrariam consuetudinem, talem, qualem in oriente, & Aegypto obseruârat; & domestica exempla habuisset, aliena non mendicasset.

XXXIX. Ambrosium iam audiuimus cœlibatum nostrorum Clericorum plurimùm commendantem supra num. 28. loquebatur tamen cum Diaconis suæ potissimùm Ecclesiæ, qui gratiam sacri Leuitici Ministerij ita recipiebant, vt tamen continentiam etiam à coniugibus seruarent. Sed nunquid ita passim fiebat in alijs Ecclesijs occidentis, ab Italia remotioribus? Audiamus eundem statim subdentem; [a] Quod eo non præterij, *inquit*, quia in plerisque
E abditioribus locis, cùm ministerium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios susceperunt: & id tanquam vsu veteri defendunt, quando per interualla dierum sacrificium deferebatur, & tamen castificabatur etiam populus per biduum, aut triduum, vt ad [b] sacrificium purus accederet.] Erant igitur multæ Ecclesiæ, tempore Ambrosij, & sanè in occidente, abditiores, extra Italiam nimirum positæ, aut fortasse etiam in Italia, sed non tam patentes, sicut erat Romana, & Mediolanensis, propter Imperatorum, & Curiæ residentiam, in quibus & Diaconi, & Sacerdotes filios procreabant, & exemplo Leuiticorum Sacerdotum se defendebant. Quid ad hæc Ambrosius? Nunquid leges contrarias; nunquid vsum communem opponit? Minime verò, nihil enim tale habebat. Quid ergo? Si in figura, *inquit*, tanta obseruantia, quanta in veritate?] Quid deceat docet, non quid oporteat: hoc est à mi-

a *Ambros. de offic. lib. 1. c. 18.*

b Exod. 19.

noti ad maius : Si illi ad biduum, aut triduum, etiam cum populo, ab vxoribus abstinebant, vt purius sua peragerent sacrificia; quanto magis nos,&c. Et est argumentum quod Siricius eiusdem cum Ambrosio temporis; & Innocentius; & alij vt supra, agitarunt. de quo nos plura infra. Certe vsum matrimonij Clericalis communem fere cernebat Ambrosius. A

XL. Leo ad Episcopos Africanos hæc scribit; [a] Dicente Apostolo, vt, inter alias electionis regulas, is Episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse, aut esse constiterit: tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de muliere Sacerdotis eligendi, eadem intelligatur seruanda conditio; ne forte illa, prius quam in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuisset vxorem, alterius viri esset experta coniugium.] Vsum Ecclesiasticum narrat Leo in eo totum consistere, vt Episcopus, quando viduum, vel coniugatum eligi contingit, non sit bigamus; & hoc dupliciter; Videlicet primo vt vxorem vnicam habuerit, si est viduus: aut vnicam habeat, si est adhuc coniugatus; id est, vxor quam habet prima sit, nec ante illam aliam habuerit: Deinde vt vxor etiam ipsius, siue quam habuerit vnicam, siue quam habet, alium virum non habuerit, nisi ipsum solum. De separatione verò, aut continentia ab illa, ne verbum quidem. Et qui vxorem permittitur habere, neque ei vsus illius inhibetur, is profecto liber quoad vsum sui matrimonij relinquitur; neque conditionem continentiæ tanti momenti, si illa conditio tunc in Ecclesia vt necessaria seruata fuisset, tacitus Leo præterire debuisset; vbi exactè Africanos Episcopos instruebat; & Ecclesiasticas obseruationes, circa conditiones, & qualitates Episcoporum eligendorũ, ipsis explicabat. Suadebat ille quidem, maximè Orientales, & plurimum hortabatur, [b] Vt qui coniugati Sacris ministerijs applicarentur, ab vxoribus abstinerent; & habentes vxores iuxta Pauli documentum, essent tanquam non habentes: & se à voluptate vxoria frænarent,] id tamen tanquam præceptum, & necessarium, vbi Ecclesiasticam explicat disciplinam, non apposuit: Quamuis vt præceptum, & omnino seruandum, posteriori loco posuerit; Ne in sacris iam constituti, ducere debeant vxores. B C

a Leo. Ep. 91. to. 1. Decret Rõ. Pont.

b Idem. ep. 88. dist. 32. c. 1.

XLI. Quid verò obsecro mouit Siricium; quid Innocentium; quid postea tot Conciliorum Patres; & Romanos Pontifices; vt toties, & tam frequentibus decretis, & edictis, à coniugibus continentiam præciperent; & renouatis toties per singulas ætates decretis, ad eam seruandam sacros Ministros compellere stategerint; nisi quia maximam inueniebant repugnantiam; imo apertam interdum resistentiam, & frequentissimam transgressionem? Disce id ex aliquot, quos iam recenseo, euentibus.

XLII. Petrus Damiani, Cardinalis & Legatus Apostolicus in Gallijs; quantum negotium habuerit cum clericis Laudensis Ecclesiæ, coniugia sua defendentibus, narrat ipse in quadam sua [c] Epistola, Qui se & Decreto cuiusdam Tribuerensis concilij tuebantur; & dicto illo Pauli valde vniuersali; [d] Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat: Cui dicto neque scruit, neque potuit Petrus respondere; nisi per deductionem absurdi; fore vt & Episcopis, & Monachis, & Abbatibus, & Monialibus, licita sint coniugia. Sed aliud est de professis castitatem; aliud de Clericis; vt infra explicabo. Idem Petrus adhuc acrius insectatur sui temporis Presbyteros, & Episcopos valde incontinentes, in [e] epistola quam scripsit ad Nicolaum Papam. D

c Apud Baron. to. 11. an. 1057. n. 40. & an. 1063. num. d 1. Cor. 7.

e Pet. Damian. ep. 12. in Bibl. SS. Patr. to. 3.

XLIII. Gregorius septimus, qui videbat passim Presbyteros vxoratos, zelo, nescio an discreto, succensus, vt narrat Lambertus, [f] cum Episcopis Italiæ conueniens, tam frequentibus Synodis decreuerat, vt, secundum instituta antiquorum Canonum, Presbyteri vxores non habeant; habentes aut dimittant, aut deponantur. Nec quisquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Episcopos Galliarum transmittebat; præcipiens, vt ipsi quoque in suis Ecclesijs similiter facerent, atque à contubernio Sacerdotum omnes omnino fœminas, perpetuo anathemate resecarent. Aduersus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum; hominem plane hæreticum, & vesani dogmatis esse clamitans; qui oblitus sermonis Domini, quo ait; [g] Non omnes capiunt hoc verbum; qui potest capere capiat: & Apostoli; [h] Qui se non continet, nubat: melius est enim nubere quam vri: violenta exactione homines viuere cogeret ritu Angelorum: & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi, & immunditiei frœna laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se Sacerdotium, quàm coniugium deserere; & tunc visurum eum cui homines sorderent, vnde, gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus, Angelus compariturus esset. Nihilominus ille instabat, & assidu- B

f Apud Baron. ibid. an. 1074 n. 19.

g Matth. 19.

h 1. Cor. 7.

A assiduis legationibus Episcopos omnes socordiæ, ac desidiæ arguebat, & nisi ocyus iniunctum sibi negotium exequerentur, Apostolica se censura in eos animaduersurum comminabatur. Archiepiscopus Moguntinus, sciens non paruo constare operam hanc, vt tanto tempore inolitam consuetudinem reuelleret, atque ad rudimenta nascentis Ecclesiæ, senescentem iam mundum reformaret, moderatius agebat cum eis. Et primo eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit; hortans eos, vt, quod necessario faciendum sit, sponte faciant; & tam sibi, quam Romano Pontifici necessitatem adimant aliquid in eos, quod secus sit, decernendi. Ad vltimum, congregata Synodo in Erfordia mense Octobri, pressius iam imminebat, vt relegata omni tergiuersatione, in præsentiarum aut coniugium abiurarent, aut sacri Altaris Ministerio se abdicarent. Multas è contra illi rationes afferebant, quibus instantis perurgentisque importunitatem eludere, sententiamque cassare niterentur. Cumque aduersus Apostolicæ sedis autoritatem, qua se ille B ad hanc exactionem, præter voluntatem propriam, compulsum obtendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes, precesque proficerent; egressi tanquam ad consultandum, consilium ineunt, vt in Synodum non redeant, sed inuisi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant, melius sibi videri vt in Synodum regressi ipsum Episcopum, priusquam execrabilem aduersus eos sententiam promulgaret, Cathedra Episcopali deturbarent, & merita morte mulctato, insigne monumentum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum eius, talem Sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Cum ad Episcopum relatum esset hoc eos machinari, commonitus à suis, vt tumultum, qui oriebatur, matura moderatione præuerteret, milit ad eos foras, rogauitque, vt sedato pectore in Synodum regrederentur; se cum primum opportunitas arrisisset, Romam missurum, & Dominum Apostolicum, si qua posset ratione ab hac C sententiæ austeritate deducturum] Rursumque anno sequenti, vrgente Gregorio, idem Moguntinus alia coacta Synodo, vt narrare pergit idem Lambertus, [a] lectis literis Pontificis, & mandatis, quibus ei sub interminatione gradus & ordinis sui præcipiebat, sicut antea quoque multis legationibus præceperat, vt Presbyteros omnes, qui intra suam Diœcesim essent, cogeret, aut in præsentiarum coniugibus renuntiare, aut se in perpetuum sacri Altaris Ministerio abdicare; denuo negotium est aggressus. Tunc exsurgentes qui vndique audiebant Clerici, ita eum verbis conturbabant, ita manibus, & totius corporis gestu in eum debacchabantur, vt se vita comite è Synodo discessurum desperaret. Sic tandem rei difficultate superatus, statuit sibi deinceps tali quæstione omnino supersedendum: & Romano Pontifici relinquendum, vt causam quam ipse toties inutiliter proposuisset, ille per semetipsum, quando, & quomodo vellet, peroraret.] Hæc omnia Lamberrus.

a *Ibid. an. 1075. num. 14.*

D Sed & ex eiusdem Gregorij Epistolis constat eam rem solertissimè, sed incassum tentasse, non in Germania modo, sed & in Italia, & alijs Prouincijs, ac Regnis Occidentis. De sua enim constitutione; [b] Vt siquis eorum ordinum, qui sacris altaribus ministrant, Presbyter scilicet, Diaconus, & Subdiaconus, Vxorem, vel concubinam habet, nisi illis omnino dimissis, dignam pœnitentiam agant, sacris Altaribus penitus ministrare desistant; [c] nec aliquo Ecclesiæ beneficio vlterius potiantur, siue potitis fruantur,] scribit ad Primates præcipuos Prouinciarum [c] Aquileiensem, [d] Colonien sem, & Alberstadensem, [e] Magdeburgensem, [f] Moguntinum. Quem tamen effectum sortitus sit in Germania, iam patefecimus. Idem negotium vrserunt plurimum post Gregorium, ipsius proximi successores Vrbanus, & Paschalis. Sanè in Ecclesia Anglicana Paschalis, per Anselmum ipsius executorem, illud post multos labores obtinuit, vt in Concilio Londonien si publicus fuerit Canon editus, Sacerdotum & Cleri connubia tollens: Sed ante hanc prohibitionem Anselmi, E in Ecclesia Anglicana nuptiæ Sacerdotum erant ordinariæ, & communissimæ: nam & ipsemet Anselmus ad Ernulfum Priorem Cantuarien sem ita scribit, [g] De Presbyteris, & quibus Rex præcepit, vt & Ecclesias, & fœminas habeant, sicut tempore patris sui, & Lanfranci Archiepiscopi habuerunt &c.] Fuit autem Lanfrancus immediatus prædecessor Anselmi. Neq; negat Anselmus id ita fuisse, sed tantummodo inculcat Concilium quoddam sub Lanfranco coniugia illa prohibens, de quo tamen Concilio nulla penitus extat memoria, nullum indicium. Quamuis negandum non sit Lanfrancum executorem Gregorij 7. conatum esse suis edictis matrimonia Sacerdotum prohibere: ipsum tamen nihil obtinuisse ex nouo Anselmi conatu liquet; ante quem matrimonia sacrorum ministrorum fuisse in Anglia ordinaria, fatetur etiam Henricus Huntindonien sis Archidiaconus, eiusdem

XLIV.

b *Greg. 7. l. 2. Ep. 62.*

c *Ibid. ep. 67.*
d *Ibid. ep. 66.*
e *Ibid. ep. 68.*
f *Idem l. 3. ep. 4.*

g *Ansel. lib. 3. ep. 110. edit. Colon. 1612.*

dem fermè temporis scriptor; cuius verba sunt talia, [a] Eodem anno (1100.) ad festum sancti Michaelis tenuit S. Anselmus Archiepiscopus Concilium apud Londoniam, in quo prohibuit vxores Sacerdotibus Anglorum, antea non prohibitas. Quod quibusdam mundissimum visum est, quibusdam periculosum, ne dum munditias vitibus maiores appeterent, in immunditias horribiles ad Christiani nominis summum dedecus inciderent.] Contra hunc insurgit Ioannes Picardus, [b] qui Anselmi epistolas edidit, & Annotationibus illustrauit. Sed dum conatur dictum Henrici destruere, illud verè adstruit, & confirmat; nam si excipias argumentum, quod sumit ex Canone Nicæna, ab ipso malè intellecto, & peius explicato, vt inferius à me num. 79. declaratur, quæcunque adducit, vsum perpetuum matrimoniorum supponunt; ac præsertim quod ex historia Britannica Armorica lib. 8. cap. 19. profert, ex Roberti Beccensis monachi Chronologia, à Bertrando Argentræo dictæ historiæ conditore haustum. Qui Bertrandus (inquit Ioannes Picardus) [c] postquam memorauit Victorium Rhedonum Antistitem filiam habuisse Demnelam nomine, & plusculis de ea scriptis, addit obseruatum, quod Episcopi Sacerdotesque non tantum Victorij, sed & Diui Hieronymi, Augustinique sæculo, libere possent, impuneque esse mariti; eo quod Ecclesia Catholica nondum vetuisset: vetuerit tamen ob infinitas, graueisque causas, & id interdicti postremo in Anglicana fuisse receptum Ecclesia, D. Anselmo Archiepiscopo.] Huic testimonio Concilium Nicænum opponit Picardus, & disputationes Bellarmini, Gregorijque Valentini. Concilium tamen Nicænum nihil ad rem ipsius facit, vt dicam infra; disputationes verò Bellarmini, & aliorum à me toto hoc tractatu confutantur; interim hoc testimonium, cum alijs, nostra egregiè confirmat.

a *Hunting. hist. lib. 7.*

b *Picard. annot. in Anselmi ep. 62. lib. 3.*

c *Ibid.*

XLV.

Si quis autem cupit scire an conatus Anselmi cum suo Concilio in Anglia, in auferendis Clero vxoribus quicquam obtinuerit, legat Matthæum Paris: is enim quæ vigesimo quinto ab Anselmi Concilio anno, in Anglia in hoc genere contigerint, ita narrat; [d] Ioannes Cremensis Apostolicæ sedis Cardinalis, de licentia Regis Anglorum veniens in Angliam, perendinauit per Episcopatus, & Abbatias, non sine magnis donarijs; ad Natiuitatem B. Mariæ apud Londonias solenne Concilium celebrauit. Vbi igitur de concubinis Sacerdotum seueriſsimè tractasset, dicens summum esse scelus de latere surgere meretricis ad corpus Christi conficiendum; ipse cum die illa corpus Christi consecrasset, post vesperam fuit in meretricio interceptus. Res notissima negari non potuit, dum magnum decus in summum dedecus commutauit.] Romani profectò post suas clericalium matrimoniorum seueriſsimas prohibitiones, legitimas vxores cœperunt concubinarum nomine vocare; & id tandem tot prohibitiones in multis locis obtinuerunt, vt iam ipsi Sacerdotes à contrahendis legitimis nuptijs etiam libenter abstinuerint, scortisque adhæserint, quæ pro libito, & subinde mutare, & multiplicare pro libidine possent; siquidem iam licitum sibi per Ecclesiasticos superiores esse videbant, vt impunè thalamos in lupanaria commutarent: nam concubinatum in Sacerdotibus multo decentiorem, quàm legitimum coniugium esse iam sæpiùs nostri declararunt, hodieque apertissime id profitemur. Vt ridiculum omninò sit nostrorum argumentum, quo insectari solemus nostros Sacerdotes, & Religiosos, præsertim iuniores, si qui ad reformatas se conferunt Ecclesias, in ijsque legitimas sibi copulent vxores; nam dicimus libidinis explendæ causa illos à nobis deficere & ad reformatos commigrare; quasi verò iam non liceat passim nostris Sacerdotibus & religiosis, absque vlla commigratione impunè, ad exemplum plurium Cardinalium, & Episcoporum, in omnem se libidinem effundere, multo latius, si sensum spectes, quàm apud Ecclesias reformatas; in quibus legitimo, & sancto matrimonij vinculo, summa libidinum nostratum libertas in istis confugis compescitur, & coercetur.

d *Matt. Paris. hist. Angl. anno 1125.*

XLVI.

Iuonis tempore, [e] Prælatus quidam in Sennonensi Ecclesia, duo scorta sibi copulauerat, & tertiam pellicem, cui matrimoniales tabulas faceret, iam præparauerat. Et Parisiensis Ecclesiæ vnus Canonicus [f] matrimonium contraxit; quod solui non posse, neque debere, Iuo idem sentiebat. Qui etiam ibidem Clericorum cœlibatum, non ad legem vllam, sed ad solam reducit Ecclesiæ consuetudinem. Ad cuius posteriorem hanc epistolam hæc obseruat Iuretus: Vnde, *inquit*, colligi potest, tunc temporis in Ecclesia Gallicana, difficile fuisse continentiam Clericis persuadere; & multos extitisse vxoribus alligatos. Nam & Autor epistolâ 186. respondet Presbyteros vxoratos non esse à communione suspendendos, nisi publice conuictos, vel confessos; Ac pergit sic: Nicolaus Monachus lib. 2. c. 8. de vita Sancti Godefridi Episcopi Ambianen. sanctitatis & pudicitiæ custos adeo præclarus, & studiosus vbique extitit, vt infames Clericos, vel impuro matrimonio copulatos,

e *Iuo ep. 200.*

f *Idem ep. 218.*

A latos, non solùm à suo consortio, sed etiam à chori ingressu constanter arceret. Eam ob rem multis conuictijs ab illis proscindebatur, multis appetebatur insidijs. Et libro 3. cap. 15. Aderat cum alijs etiam quidam de Clero, ex eorum grege, quos supra diximus, impuro coniugio pollutos, quibus cùm multum beato Episcopo negotium fuit vt corrigerentur. Chronologia Antisiodorensis ad annum Domini 1119. sic narrat; Guido Viennensis Archiepiscopus, Stephani Burgandionum Comitis germanus, in Papatum eligitur, & ab eo Concilium à prædecessore indictum, Remis celebratur, vbi excommunicati sunt Simoniaci vniuersi; & qui exigunt precium pro sepultura, vel chrismate, vel baptismo: vxorum quoque, & concubinarum contubernia Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus ibi sunt penitus interdicta.] Ergo illo tempore Sacerdotes erant vxorati.

XLVII.

B Innocentius secundus, ipse quoque obseruauit, Clericos passim sacris ordinibus initiatos vxoribus copulari; easque etiam post ordinem susceptum ducere: suaque & ipse constitutione, obuiam ire est conatus, statuens; [a] Quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici, Monachi, atque conuersi professi, qui sanctum transgredientes propositum, vxores sibi copulare præsumpserint, separentur.] Cur verò idem Innocentij decretum Eugenius tertius in Concilio Remensi [b] innouat, repetit, & inculcat; nisi quia illud nequaquam obseruari animaduertebat? Alexander 3. Subdiaconos, post Subdiaconatũ [c] vxoratos habet, & tolerat; & sub Cœlest. 3. in Polonia, vt scribit Longinus, [d] Sacerdotes vxoribus, velut iure legitimo vtebantur: reformati tamen cum fructu sunt à Petro Cardinali Legato. Sed hæc eiusdẽ reformatio, dum eam tentat in Bohemia, non solùm repudiata est, sed parum abfuit quin Cardinalis ipse, constitutionẽ suã promulgans, & Presbyteros ad castitatis votum cõpellens, violaretur: In cuius occisionẽ Bohemici Sacerdotes (*& tamen nondũ erant Hussitæ*) grassari Pragæ cœperant; nisi illorum improbos conatus, Episcopus Pragensis Henricus, Ducalem tunc in Bohemia obtinens potestatẽ, oppressisset.]

a 27. q. 1. c. Vt Lex.

b Apud. Baro. to. 12. an. 1148. can. 7.

c Concil. Later. sub Alex. 3. par. 19. c. 4. 14, 15.

d Apud Baron. ibid. an. 1197.

C Clementis tertius temporibus; [e] Sacerdotes coniugati, legitimos filios procreabant, quos Papa, absque dispensatione, & sacri ordinis, & beneficij Ecclesiastici capaces esse, respondet. Et Innocentius tertius in Concilio generali [f] fatetur, iuxta morem alicuius regionis, Clericos coniugatos, legitimè suo vti matrimonio. Erant ergo in occidente regiones, quæ continentiam Clericalem non fuerant amplexæ. Frustra igitur glossa ad orientales id refert: nam eo tempore iam Ecclesiæ orientales, vt nunc, erant ab occidentalibus schismate diuisæ: & Concilia occidentalia nunquam, circa ritus, & disciplinam, legem posuerunt orientalibus. Intelligit verò etiam Sacerdotes: nam pœnam ponit grauiorem ijs, qui post suspensionem diuina celebrauerint. Hæc pauca sufficiant exempla, ex quibus cernas quid potuerint tot leges, tot præcepta, tot conatus circa continentiam Sacerdotum ab vxoribus obtinere. Volumen nimium excresceret, si vellem huc omnia exempla, quæ in historijs leguntur congerere. Notum verò omnibus est, quàm pendeat legis humanæ vis, ab ipsius acceptatione: & quantum illa subiaceat desuetudini; & quàm facilè contra illam præscribat consuetudo: de quo infra.

XLVIII.

e c. Literas de fil. Presb.

f C. Vt Clericorum, De vita & honest. Cleric.

D Tumultus huiusmodi, scandala, & turbationes, in Ecclesijs orientalibus non leguntur: quia nulla Lex, continentiam à coniugibus præcipiens, fuit vnquam proposita: nulla vis adhibita contra Clericos coniugatos: si quis abstinuerit, laudatus fuit: nemo vt abstineret coactus. Imo Scripturæ autoritate, ac Legibus quoque sacris clericale coniugium munitur, & defenditur: ita tamen vt cœlibatus, & continentia, in libertate sit volentibus, tanquam melior, & laudabilior, iuxta illud Christi; [g] Qui potest capere, capiat. Et Pauli; [h] Volo omnes vos esse, sicut me ipsum. Bonum est illis si permanserint sicut & ego. Et qui sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.] Quia tamen cum hominibus agitur, in natura corrupta positis, ideo & Christus dixit; Qui potest capere capiat: vt qui non potest, neque sentit vires quæ sufficiant ad continendum, continentiam capere non sit cogendus; hisce enim, quicunque illi sint, siue Laici, siue Sacerdotes, dicit Paulus; Quod si non se continent, nubant. Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat. Quod ipsemet dicit esse indulgentiam, non imperium: vt Sacerdos potissimùm, non teneatur vxorem ducere si nolit, & possit continere; si tamen nolit continere, indulgetur ei, tanquam minus bonum, bonum tamen, vt vxorem ducat. Melius enim, *inquit*, est nubere, quàm vri.] Et vbi tantopere laudauit, vt qui potest, non ducat vxorem, vt Deo melius vacare possit; monuit se ita id suadere, vt tamen nolit cuiquam laqueum inijcere, sed ad vtilitatem hæc proferre, & ad id quod honestum est, & quod facultatem

XLIX.

g Mat. 19.

h 1. Cor. 7.

E præbeat

præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.] Laqueum igitur ponunt leges omnes Ecclesiasticæ, omnes conatus, ac violentiæ, quibus clerus adigitur, ad cœlibatum. An verò propter votum voluntarium sit ad id cogendus, expendam inferius cap. sequenti. A

L. Sanctiones, vt dixi, Ecclesiasticæ, nullæ in Oriente datæ, coniugij opus vetant clericis coniugatis: nonnullæ protegunt, & defendunt. Canon Apostolorum 6. talis est; [a] Episcopus, aut Presbyter, vxorem propriam nequaquam, sub obtentu Religionis, abjiciat; si verò reiecerit, excommunicetur. Sed si perseuerauerit deijciatur.] Neque hic curam duntaxat habendam vxorum præcipi dicas; quam fugam ineunt [b] nostri: Non enim tanti momenti res erat cura hæc, vt Apostoli (vel quicunque horum Canonum autores, viri certe consultissimi) inter paucos, & eos sane perquam commodos, ac toti Ecclesiæ regendæ opportunos Canones, eam inseruisse sint dicendi; quam natura ipsa dictat, & humanitas suggerit; sed [c] connubij omnibus honorabilis, thorique immaculati legem stabilire certè voluerunt; vt, [d] quod Deus coniunxit homo non separet: Et vt [e] Vxori vir debitum reddat; neque fraudent inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetur orationi; ac iterum reuertantur in idipsum, ne tentet eos Satanas, propter incontinentiam.] Quia verò poterat nimia Religio, seu cautio, ad vitandam nescio quam impuritatis speciem, quæ actum coniugalem videtur comitari, Sacerdotes coniugatos ab eodem absterrere, Canone prospicitur, ne ab ipsis, sub talis religionis, vel cautionis obtentu, vxori debitum negetur. Abijcere igitur vxorem, est ei libellum repudij dare; & à coniugali thoro penitus, & in perpetuum ejicere; quod est maximum matrimonij præiudicium, & grauissima innocentis vxoris iniuria, cui Canon occurrit: non enim est probabile omnium Cleticorum coniugatorum vxores, statim, promoto viro ad sacros ordines, in continentiam perpetuam consensuras. Neque enim de cura, & victu sunt adeo solicitæ, sicut de thoro & cubili, cuius gratia nupserunt. Consequenter verò etiam constitutiones Apostolicæ sic habent; [f] Episcopum, & Presbyterum, ac Diaconum, dicimus vnius vxoris debere constitui; Siue viuant eorum vxores, siue decesserint. Non licere autem ijs, si post ordinationem sine vxore fuerint, ad nuptias transire: Vel si vxores habeant cum alijs coniungi; sed contentos esse ea, quam habentes, ad ordinationem venerunt.] B C

a Dist. 28. c. Si quis docuerit.

b Bellarm. de Cler. l. 1. c. 21. ad 1. & Sot. l. 7. q. 6. ar. 2. & Baron. t. 1. an. 58. n. 23

c Hebr 13

d Matth 19.

e 1. Cor. 7

f Constit. Apost. l. 6. c. 17.

LI. Dionysius Corinthiorum Episcopus antiquissimus, proximo post Apostolos sæculo, tempore Soteris Romani Pontificis, scripsit ad Gnosios Epistolam, in qua, vt refert Eusebius, [g] Pynitum Ecclesiæ illius Episcopum admonet, ne graue onus castitatis fratribus ex necessitate imponat; sed multitudinis accuratè consideret imbecillitatem.] Origenes etiam in ea verba Christi; [h] Dicunt & non faciunt; sic habet; [i] Reprehendit ergo huiusmodi præceptores, qui non solùm quæ docent non faciunt, sed etiam crudeliter, & sine misericordia, non secundum existimationem virium vniuscuiusque audientis, sed maiora virtute ipsorum iniungunt, vt puta qui prohibent nubere, & ab eo quod expedit, ad immoderatam munditiam compellunt.] Nos verò quid facimus nisi sine misericordia, & crudeliter graue onus castitatis toti Clero, non ab expedientia, sed ex necessitate imponimus, idque parum pensatis vniuscuiusque viribus? Neque sufficit quod liberi sint qui volunt ordinationes eas accipere, vel non accipere: perinde enim etiam tunc liberi erant: & tamen vir Sanctiss. in Pynito (quem noster sequitur occidens) non laudabat quod necessitatem suis Clericis imponeret castitatis. D

g Euseb. l. 4. hist. c. 22.

h Matt. 5.

i Orig. tract. 24. in Matth.

LII. Athanasius eos reprehendens, qui Episcopatum fugerent, asserentes ipsum peccandi ac delinquendi, præbere commoditatem; [k] Licebit tibi, *inquit Dracontio*, in Episcopatu esurire, sitire sicut Paulo; licebit etiam vinum non bibere, sicut Timotheus fecit; & ieiunare frequenter, vt Paulus solet: vt ita secundum illum ieiunans, alios sermonibus nutrias; & sitiens abstinendo à potu, alijs docendo potum præbeas. Ne igitur talia obijciant tui Consiliarij. Nouimus enim & Episcopos ieiunantes, & Monachos comedentes; nouimus & Episcopos non bibentes vinum, & Monachos bibentes: nouimus quoque Episcopos signa facientes, & Monachos non facientes. Multi quoque ex Episcopis matrimonia non inierunt; Monachi contra parentes liberorum facti sunt: quemadmodum vicissim Episcopos filiorum patres, & Monachos generis potestatem non quæsiuisse animaduertas: & Clericos bibisse, & Monachos ieiunasse: sic enim licet, & ad eum modum non prohibebatur: sed quisque vbi volet decertet: non enim corona pro locis, sed pro factis redditur.] Hæc Athanasius. E

k Athan. ep. ad Dracon.

LIII. Nescio verò qua fronte Bellarminus [l] scripserit, Athanasium hoc loco reprehendere Episcopos, & Monachos perdite viuentes, & quæ illicita sunt facientes. Et tamen Athanasius

l Bellar. de Monach. l. 2. c. 34.

A natius quia persuadebat Draconitio Monacho, vt Episcopatum acciperet, commemorat Episcopatum non impedire ei vitam Monachalem, quoad vitæ & victus asperitatem; quia & inter Episcopos multi erant vitæ seueriores sectatores; & inter Monachos multi laxe viuentes. Multi, *inquit*, Episcopi matrimonia non inierunt.] Igitur multi erant etiam, qui matrimonia ineebant; & tamen erant Episcopi, non apostatæ à Clero, aut a Religione; sed vere Episcopi: & si Episcopis vxores habere, eisque adhærere non licuisset, non dixisset multi; sed omnes in hoc cum Monachis conuenire aduertisset. Imò quia Draconius videbat Episcopos veros, & legitimos, vxores habere, & filios procreare; & hinc forte abhorrebat ab Episcopatu suscipiendo, obiecit ei Athanasius etiam Monachos non paucos esse, qui pro suo libito, & mariti fierent, & genitores. Vt propterea neque ex vi status Monachalis putet sibi necessario, si nolit, seruandam continentiam, siquidem liberum videB bat Monachis nonnullis pro suo libito etiam vxores habere, & filios procreare: sic enim, inquit, licet, nec prohibetur quis, siue Episcopus, siue Monachus, vt prout velit, decernet.]

In Concilio Nicæno, piissimi illi, & sanctissimi Patres, indecens esse tati vt Episcopi, LIV.
alijque sacri Ministri, vxoribus vterentur, de lege ferenda deliberabant, qua vsus hic tunc communis tolleretur: [a] Paphnutio tamen reclamante, & traditionem antiquam, ne ducerent vxores approbante; nouam tamen quam moliebantur, aduersus iura Matrimonij legem detestante; communissimus, & vsitatissimus mos, vt coniugati quicunque suo fruerentur coniugio integer, qualis erat, relictus est. Rem sic describit Socrates: [b] Visum erat Episcopis, legem nouam in Ecclesiam introducere; vt qui essent sacris initiati; sicut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, cum vxoribus, quas, cum erant Laici, in matrimonium duxissent, minime dormirent: Et quoniam illis erat propositum de hac re consilium inire; in medio eorum consessu surrexit Paphnutius; vehementer vociferatus est, non graue iugum ceruicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati: honorabile esse coniugium inter omnes, & thorum immaculatum, videndum ne nimis exquisita præsumptione, Ecclesiam graui incommodo afficerent. Omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam, tamque ab omni perturbatione animi vacuam: neque à singulorum vxoribus fortasse eam castimoniæ normam posse seruari. Viri autem cum vxore legitima concubitum, castimoniam appellauit, illud satis esse, vt qui in Clerum ante ascripti erant quam duxissent vxores, hi, secundum veterem Ecclesiæ traditionem, deinceps à nuptijs se abstinerent: non tamen quenquam ab illa, quam iampridem cum Laicus erat vxorem duxisset, seiungi debere. Istam in Episcoporum conuentu orationem habuit Paphnutius, cum ipse non modo nuptias non expertus esset, sed etiam, verè dixerim, mulierem non aliquando attigisset. Nam à puero in Monasterio seipsum, seuero vitæ disciplinæque generi totum dedisset; qui quidem propter singularem castimoniam, præ cæteris, planè in magna famæ celebritate vixit. Itaque cum totus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum conuentus, verbis Paphnutij assensisset, controuersia de hac re exorta, penitus sedata est; potestasque permissa cuique, pro arbitratu, ab vxorum consuetudine abstinendi.] Hæc Socrates, & fere Sozomenus. Stomachum verò mihi, bilemque cient [c] nostri, dum Historiæ huius fidem eleuare conantur; & Socratem mendacem faciunt, & falsa narrantem; vel aliter quam se res habuisset. Errauerit in alijs; historia tamen hæc, seu narratio, nihil noui vel insoliti continet: & si Canon iam dictus Apostolorum, & constitutiones, nondum fuerant editæ, sed postea; ex consuetudine tamen antiquissima Ecclesiæ, & Canon ille erutus, & constitutiones sunt euulgatæ: vsus tamen Ecclesiæ erat communissimus, & nunquam aut lege, aut vllo præcepto, vt asserit merito Paphnutius, interruptus: & Apostoli Pauli viuis documentis erat corroboratus. Cur ergo fallitatem, aut infidelitatem historiæ suspicemur, si nulla sit occasio suspicandi? Certè historiam illam S. R. E. iamdiu [d] comprobauit: & plurimum falluntur, vt inferius ostendo, qui in 3. Nicæno Canone cœlibatum stabiliri putant; nam per subintroductam mulierem, vxor nullo modo potest intelligi.

a *Dist. 31. c. Nicæna.*

b *Socr. l. 1 c. 8. & Sozom l. 1. cap. 22. 7 tripar. l. 2. c. 14.*

c *Bellarm. l. 1. de Cler. c. 20 arg. 5. Baron. tom. 1. ann. 58. n. 21. & to. 3. an. 325. n. 148. 149.*

d *Dist. 31. c. Nicæna.*

Placuit, proculdubio, etiam orientalibus, summa pudicitia (cur non placeat id, quod LV.
tantopere & Christus, & Paulus laudauit, & Apostoli exemplo etiam confirmarunt? An non eadem Ecclesia Orientis, & Occidentis, eodem Christi spiritu recta, informata, gubernata?) Ideoque etiam in Oriente qui poterat capere capiebat: sponte nimirum & libere, non coacte. Nam in Thessalia perinde ac in multis Ecclesijs occidentalibus, consuetudo incaluerat, ait Socrates, [e] Vt ibi qui Clericus sit, si cum vxore, quam cum esset Laicus, ducebat, postquam Clericus factus sit dormierit, Clericatu abdicatus sit. Id adeo, *inquit*, cum omnes illustres Presbyteri in oriente, & Episcopi etiam modo ipsi voluerit, nulla lege

e *Socr. l. 5. c. 22.*

coacti

coacti ab vxoribus abstineant. Nam non pauci illorum, dum Episcopatum gerunt, etiam liberos ex vxore legitima procreant. Nulla ergo lex, nulla obligatio: deuotio tamen, religio, & pietas, illustres, non modo Episcopos, sed etiam Presbyteros, ad continentiam Occidentalium inducebat; & liberum erat adhuc Episcopis, si vellent, & essent coniugati, vxoribus adhærere; quod & multi tempore Socratis faciebant. A

LVI. Quamuis vero, consequenter ad anteriora, hæc optime subsequantur, & continuatum Ecclesiæ morem, circa cœlibatum, & continentiam contineant; ne hoc quidem nostri patiuntur, sed valde facile, ne dicam leuiter, in fallitatis suspicionem vocare conantur, falsiq; crimen Socrati, sine quo tamen suas historias texere, & firmare sæpissime non possunt, appingunt. Baronius enim, cui hæc circa Orientalium Sacerdotum, & Episcoporum continentiam libertas non placebat, [a] Nouatianum clamat esse Socratem; qui Nouatianis suis Episcopis faueat: & ideo in recensendis diuersarum Ecclesiarum ritibus, magnopere cum errore labi asserit. Esto. Quid tum vero? Num clericalis coniugij nomine male audebant Nouatiani? Num Nouatianismi pars erit hic, vt ita loquar, Paphnutianismus? Opponit etiam huic Socratis obseruationi, quod eodem tempore his contraria scriberet Hieronymus, in libro aduersus Iouinianum; vt habemus supra num. 26. Illa tamen Hieronymus in Occidentali Ecclesia, cum Iouiniano obseruabat; quam fatemur tenaciorem fuisse continentiæ, quam Orientalem; & eam legibus frequentissime statuisse, quas nullas habuit Ecclesia Orientalis. Sed morem hunc, quem ponit Hieronymus tam in Occidentali, quam in Orientali Ecclesia viguisse, satis superius se demonstrasse affirmat Baronius; quod tamen nusquam demonstrauit. Melius obiecisset locum Hieronymi aduersus Vigilantium, dum Orientis, & Aegyptæ Ecclesias, asserit, aut virgines Clericos accepisse, aut continentes; aut qui, si vxores habeant, mariti esse desistant. Hoc tamen non pugnat cum Socrate, nam Hieronymus non dicit ita passim ab omnibus Clericis, & ex necessitate fieri; nec ad hoc vnumquemque ordinandum, aut ordinatum cogi. Aderant igitur continentes huiusmodi; sed cum libertate, & voluntaria electione: quod non negat Socrates; qui & ipse in nonnullis Ecclesijs, ab omnibus Clericis id semper factitatum obseruauit. B C

[a] Baron. tom. 4 an. 391. num. 19.

LVII. Concilium Gangrense cap. 4. [b] Anathema dicit ijs, qui asserunt, non esse percipiendum de oblatione (hoc est de Eucharistia) quam Presbyter coniugatus consecrasset: Erat enim [c] Eustathius, & cum eo alij, qui nouas multas hæreses, & nouos ritus in Ecclesiã inducebant, & inter alia nuptias vt malas, & abominabiles damnabant; & consequenter ab omni benedictione Sacerdotis coniugati abhorrebant. Erant igitur eo tempore Sacerdotes coniugati, qui coniugibus vtebantur: Nam si à coniugibus fuissent separati, & mos fuisset communis, vt vxoribus, postquam facti sunt Sacerdotes, non vterentur, non habuissent occasionem illi nouatores, ab oblatis horum Sacerdotum abstinendi; quia [d] erant tanquam vxores non habentes. Hos tamen Nouatores locutos fuisse de Sacerdotibus vxoratis, etiam ab vxoribus abstinentibus, contendit Bellarminus, & probat; [e] Quia canone primo anathematizantur, eo quod nuptias, vt malas damnarent: & quia canon hic quartus dicit: Qui vxorem habuit; non qui vxorem habet.] Non est dubium, vt dixi, propterea istos coniugatorum Sacerdotum sacra refugisse, quia nuptias malas esse stulte asserebant. Versiones vero huius canonis & verbi γαμησαντι, sunt variæ: Vna, Presbyterum ponit qui vxorem habuit. Alia, qui vxorem duxit: Tertia, Presbyterum simpliciter ponit coniugatum. Ita etiam Photij [f] interpres vertit. Idem certe verbum γαμειν nostra vulgata apud Paulum his verbis explicat: [g] Iis autem qui matrimonio iuncti sunt.] At hi certe non abstinebant ab vxoribus; imo Paulus ibidem ijsdem, ex diuino præcepto mandat, vt non discedant ab vxoribus. Sed ex Procemio etiam eiusdem Concilij verus sensus habetur: horum enim nouatorum ineptæ opiniones, ac errores, describuntur, & numerantur: inter quos & iste ponitur: Presbyteros vero, qui matrimonia contraxerunt, sperni debere dicunt; nec Sacramenta, quæ ab eis conficiuntur, attingi.] Quod perinde est, ac si dicerent, Presbyteros coniugatos. Imo quia nuptias malas esse censebant propter opus nuptiale, Presbyterum continentem, & pudicum, vxori renunciantem, & consequenter nuptijs non vacantem, non poterant detestari. Vacabant ergo nuptiis illi Presbyteri; liquidem eos isti detestabantur. Igitur Eustathianis non sunt dissimiles, qui Sacerdotis coniugati copulam detestandam esse decernunt, sacrilegam, & abominabilem; & sic nuptias & ipsi veras, & legitimas, malas faciunt, & peccatum; & consequenter ab hoc Canone anathematizantur; quia si non in vniuersum, aliquas tamen nuptias, puta Presbyterorum, quæ sunt eiusdem rationis cum alijs, malas putant, & earum vsum condemnant. D E

[b] Dist. 28. c. Si quis diserit.
[c] Concil. Gang. in proem.
[d] 1. Cor. 7.
[e] Bellar. de Cler. l. 1. c. 21. ad 2.
[f] Apud Baron. tom. 10. an. 861. num. 51.
[g] 1. Cor. 7.

Huius

A Huius Gangrensis Canonis acri admonitione instructi, & matrimonij, diuino iure Naturæ, & tot sacræ Scripturæ autoritatibus muniti, ac commoti, vsuque perpetuo totius vniuersalis Ecclesiæ edocti Patres præcipui quique totius Orientis; aut illi ipsi omnes, qui sexti in Synodum œcumenicam celebrârant; aut partim illi, & partim alij, aut omninò alij (nihil enim refert) synodaliter Constantinopoli in Trullo congregati; cùm ferre non possent occidentales, ac præsertim Romanas prohibitiones; quibus coniugati Presbyteri, & Diaconi, ab vxorum suarum vsu remouentur, Canonem huiusmodi edere sunt coacti. [a] Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro Canone traditum esse cognouimus, vt Diaconi, vel Presbyteri, qui digni qui ordinentur existimandi sunt, profiteantur se non amplius suis vxoribus coniungendos; nos antiquum Canonem Apostolicæ perfectionis, ordinisque seruantes; hominum qui sunt in sacris coniugia deinceps, ex hoc temporis momento, firma & B stabilia esse volumus; nequaquam eorum cum vxoribus coniunctionem dissoluentes; vel eos mutua tempore conuenienti consuetudine priuantes. Quamobrem, si quis dignus inuentus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima vxore cohabitet: sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, vt profiteatur se à legitima cum vxore cõsuetudine, abstenturum: ne ex eò à Deo constitutas, & sua præsentia benedictas nuptias, iniuria afficere cogamur. Euangelica voce exclamante; [b] Quæ Deus coniunxit, homo non separet: & Apostolo docente; [c] Honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Et; [d] Alligatus es vxori, ne quære solutionem. Scimus autem, sicut & qui Carthagine conuenerunt, & Ministrorum grauitatis, honestatisque curam gerentes, dixerunt, vt Subdiaconi, qui sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, proprijs terminis, a consortibus abstineant: vt & quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa vsque Antiquitate seruatum, nos quoque similiter seruemus; tempus in omni re scientes, & maximè in ieiunio, & oratione. Oportet enim eos qui diuino altari assident, in sanctorum tractandorum tempore, esse omnino continentes, vt possint id quod à Deo simpliciter petunt obtinere. Si quis ergo præter Apostolicos Canones incitatus sit, aliquem eorum qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum coniunctione cum legitima vxore, & consuetudine priuare, deponatur. Similiter & si quis Presbyter, vel Diaconus, suam vxorem, pietatis prætextu, eiecerit, segregetur: & si perseueret deponatur.]

LVIII.

a Syn. Quinisex. c. 13.

b Matt. 19.
c Heb. 13.
d 1. Cor. 7.

Opponunt nostri, Canones illos Trullanos non esse quintæ, neque sextæ Synodi. Sed nemo tuetur eos vt Canones quintæ, aut sextæ Synodi: nomine tantùm ita fuerunt vocati, sed nihil refert. Certè Patres illi, & plurimi, & optimi quique synodaliter congregati, Canones illos ediderunt. Quod verò Synodus hæc proprium nomen non sit sortita, nihil interest. Quinisextam [e] aliqui vocarunt; quia quinta & sexta Canones non ediderant: hi D supplere pro illis voluerunt. Proculdubiò Synodus est; & Canones illos amplexa est tota Ecclesia, etiam Latina: vt patet ex Decreto Gratiani; in quo non pauci ex his Canonibus sunt suis locis collocati: ac præsertim [f] hic ipse Canon de coniugio Clericorum. Et Innocentius tertius [g] huius Synodi Canonibus plurimum tribuit, ac præsertim in materia eadem coniugij Clericorum. Et Adrianus illos [h] approbauit in sua Epistola ad Tarasium, quæ habetur in Actis septimæ Synodi generalis. Sed neque illud pugnaciter nunc contendo, vt mihi Synodus hæc vt legitima, & autoritatem definiendi, ac præcipiendi habens concedatur. Satis enim habeo Patres Catholicos, ex toto Oriente de more omnium aliorum Conciliorum œcumenicorum præcedentium collectos, saltem nobis testatam reddere Ecclesiæ orientalis consuetudinem: eam nimirum perpetuatis temporibus coniugatos Diaconos, & Presbyteros, ab vsu matrimonij, ante sacros ordines initi, nunquam amouisse. Neque tunc primum data est licentia Presbyteris, vt suis vxoribus, decenti tempore vterentur E; quasi id eis prius non liceret: sed quod semper eis licuit, id à Romanis decretis contrarijs vindicare sunt conati: perniciosa esse illa decreta, & matrimonia legitima perperam dissoluentia, nuptiasque in ea parte malè damnantia, meritò definierunt; vt infra melius probabo: vbi de Voto continentiæ ordini sacro adnexo disputabo.

LIX

e Balsam. in Can. sex. Syn.

f Dist. 31. c. Quoniam. & dist. 32. c. Si quis
g De etat. qual. & ord. præfec. Annal. tit.
h Dist. 16. c. Sextum.

Errant verò qui putant Synodum hanc Iouiniani, aut Vigilantij errores defendisse; ac [i] prohibuisse Clericis perpetuam continentiam. Cogi Clericos vt ante Subdiaconatum vxores ducant in hac Synodo nusquam inuenio. Impediri coniugatos, ne liceat eis, de consensu vxorum, perpetuam seruare continentiam, in hac Synodo, aut alia, nunquam reperies. [k] Si quis eorum, *inquit Can. 6.* qui in Clerum recedunt, velit lege matrimonij mulieri coniungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.]

LX.

i Sen. l. 7. q. 6. ar. 6. concl. 5.

k Dist. 32. c. Si quis.

faciat.] An tibi videtur hic quisquam compelli ad vxorem ducendam, in tempore quo licet? Liberum relinquitur, si quis velit. Quasi dicant; si cælebs cum modo sis, cogitas ita cælebs sacros ordines suscipere; scias de vxore ducenda tibi non esse amplius cogitandum: Quod si in clericatu constitutus, continenter viuere non statuis, sed cupis matrimonio copulari, hoc facias ante sacros ordines sumptos. Vnde miror incredibilem, & olcimantiam, & simul audaciam nostrorum, contra Catholicam, ab Ecclesia receptam, & in nullo errantem, si non Oecumenicam, certe maximam totius Orientis Synodum, hæc verba proferentiũ: [a] Hunc errorem (Nicolaitarum, & Vigilantij) receperunt Patres Concilij Trullani can. 13. vbi prosana illa Synodus damnat nominatim Canones Romanæ Ecclesiæ, & contrarium statuit; nimirum, vt Clerici ante Subdiaconatum vxores ducant; & cum eis viuant postea, in sacris ordinibus constituti. Tempore huius Synodi cœpit mos Græcorum, qui nunc est; Auctus autem est, & confirmatus tempore Leonis 9. quando dissidium Græcorum à Latinis, maximè creuit, in multis alijs articulis,] Hæc Bellarminus satis audacter, & imperitè. Sotus etiam ante Bellarminum, aliquos affirmare non fuisse veritos [b] asserit, huius Synodi Canonem profanum esse, insolentiæ, imprudentiæque plenum, & ab eis editum, qui castitatis Romanorum Sacerdotum (*ô mirabilem castitatem!*) aperti essent hostes.] Sed etiam Beda, vt est apud Bellarminum, vbi supra, & Sotum; Erraticam Synodum hanc dicitur vocasse; quia nimirum pupugerat illa nostram Romam.

a Bellar. de Cler. l. 1. c. 19. init.

b Sot. l. 7. q. 6. ar. 2. con. 5.

LXI. Bone Deus, quid non audet summa nostrorum temporum imprudentia? pupillam oculi tangit, qui Romanos errores detegit, & abusus reprehendit. Profanus nobis est, impudens, insolens, & hæreticus, qui veritatem propugnat contra Romanas ineptias, & fallitates. Non est dubium Romanam Ecclesiam, & cum ipsa plures alias in nostro Occidente, pia quadam, & deuota religione, Clericorum continentiam præcepisse: & habuit illa quidem [c] æmulationem Dei, sed non secundum scientiam, dum coniugia legitima, legitimè contracta, separat, impedit, vsumque eorum prohibet. Et in hoc Græci nostrorum errorem non exiguum agnoscunt. Nos nostram indiscretionem, ex bono zelo prodeuntem, vestimus titulo laudabilis continentiæ: illi continentiam laudabilem non oppugnant; neque obligant, vt falso eis à nobis obijcitur, omnes Clericos, ad contrahendum matrimonium; vt obligasse dicitur Vigilantius, & fortasse Nicolaitæ: & hoc iam paulo ante explicaui. Falsum est Græcorum morem, qui nunc est, tunc incæpisse; si loquitur Bellarminus de more ducendi vxores: quia perpetuo in tota Ecclesia liberum fuit, ante sacros ordines, cuique Clerico, vxorem ducere, vt iam demonstraui, & retinere; fortasse irrepserat, vt post susceptos sacros ordines, matrimonia captarent: & hæc Synodus sanctè & piè reformauit Clerum, vt si Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus velit esse in his sacris ordinibus coniugatus, vxorem ante illos accipiat, & non postea. Falsum est Græcos auxisse errores in alijs articulis, sub Leone 9. nullum enim tunc, aut nunc, quod sciam, habent articulum; quem ab antiqua Ecclesia non habuerint. Abstinendum igitur erat à conuitijs, & rationibus agendum.

c Rom. 10.

LXII. Oppugnant [d] hunc Canonem Trullanum, Sotus, & Bellarminus, in ea parte quoque in qua agit de Canone Carthaginensi; quem Patres hi interpretantur, de continentia ad tempus; quamdiu sunt certis diebus ad sacra ministeria peragenda destinati. Damnarant enim Romanas prohibitiones, quibus, aut dissoluunt coniugia Sacerdotum, aut eos priuant, tempore conuenienti, mutua consuetudine. Explicant itaque quid sibi velint, dum tempore conuenienti, contendunt copulam coniugalem non esse Sacerdotibus prohibendam; hoc est, quamdiu non sunt applicati orationi, vel ieiunio. Oportet, *inquiunt*, eos qui Diuino altari assident, in Sanctorum tractandorum tempore, esse omnino continentes.] Et hoc Carthaginenses etiam intellexisse asserunt. Ac merito; ita enim ego etiam supra exposui Canones Carthaginenses numero 21. & confirmari potest ex Concilio Elibertino, tempore Nicænæ primæ Synodi celebrato; quod sic statuit. [e] Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus, positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios: quod quicunque fecerit ab honore Clericali exterminetur.] Positis, *inquit*, in Ministerio; id est, dum actu suis diebus Altari inseruirent: transactis verò hisce diebus seu hebdomadis suæ vicis, seu sui Ministerij, ad hanc continentiam non tenentur. Ita in Tauritanensi tempore Siricij; Qui in Ministerio genuerunt filios, ne ad maiores gradus ordinari permittantur, decretum est cap. vlt. Habuisse verò Clericos suas vices, ad Sacra Ministeria obeunda, & non fuisse eosdem perpetuo

d Sot. vbi sup. & Bellar. c. 21.

e Concil. Elibert. c. 33.

petuo occupatos, habes ex Concilio Aurelianens. 2°. cuius Canon est, [a] Clerici qui officium suum implere despiciunt, aut vice sua venire ad Ecclesiam detrectant, loci sui dignitate priuentur.] Et Ambrosius supra num. 39. adducebat coniugatos Clericos filios procreantes, & se excusantes more antiquo veteris legis, quando per interualla, seruata castimonia sacra, percipiebantur.

a Concil. Aurel. 2. c. 14.

Hoc pacto igitur fatentur Trullani Patres, continentiam esse rem laudabilem, præferendamque nuptijs, quod Iouinianus negabat: & non negant sacros ordines continentibus, & ijs qui cœlibes cum sint, in cœlibatu eos accipiunt, quod Vigilantius & Nicolaitæ negabant; monent duntaxat, vt qui matrimonia appetunt in Clero, & perpetuam continentiam non amplectuntur, vxores ducant dum licet, antequam se sacris ordinibus manciparint. Non sunt igitur continentiæ Sacerdotalis hostes, nec Iouiniani aut Vigilantij sectatores, quod valde impiè, & imperitè eis, per summam calumniam tribuitur; sicut nos sumus legitimarum nuptiarum inimici: Vnde & merito reprehendunt ac damnant nostras prohibitiones, qui sub prætextu continentiæ Sacerdotalis, legitima soluimus matrimonia; vsumque legitimarum nuptiarum, vt malum, sacrilegum, & abominandum, in Clericis legitimè coniugatis condemnamus. Illi verò Patres optimè sentiunt, ac meritò contendunt, Nos, aut non debere coniugatos (quod nunc fit) ad sacros vnquam ordines promouere; si continentiam iudicamus necessariam; aut, si promouendi sunt, eos non esse compellendos ad profitendum perpetuam continentiam. Meritoque conditionem, quam nos ponimus coniugatis, turpem & indebitam, ac omni ex parte reprehendendam censent; videlicet, Si vis sacros ordines, cum sis coniugatus, renuncia vxori, & ordinaberis, si continentiam ab vxore professus non fueris, non ordinaberis. In quo nos ponimus libertatem, dicentes coniugato, in tua libertate est vt ordineris, vel non ordineris; si tamen sis ordinandus, iam dicta conditione ordinaberis; Hanc, inquam, conditionem absolutè turpem esse meritò non dubitant; quia coniux obligatus coniugi, ex iustitia tenetur reddere debitum petenti; & hæc conditio ijs plurimum fauet, qui nuptias vt malas condemnabant, quibus Canon Gangrensis dicit anathema; & consequenter ad rem de se malam isse per hanc conditionem obligatur. Propterea conditionem hanc Canon hic merito conatur abolere: sicut meritò Augustinus [b] Stultum votum continentiæ esse, & non seruandum, (scribit Armentario) si absque consensu coniugis fiat.]

b Augustin. ep. 45 70.

Hanc verò huius conditionis, seu voti continentiæ, in coniugatis ordinandis, per hunc Canonem Trullanum abolitionem, non sunt ausi condemnare nostri Catholici, sicut eam profanam & hæreticâ nostri scioli moderni fecerunt: Stephanus enim Papa in Synodo sua, quicunq; ille fuerit, à quo Gratianus dictum sequens accepit, illius tanquam legitimæ, neq; reprobandæ mentionē fecit; ait enim, [c] Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius S.R.E. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, atq; Subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium, nullus Sacerdotū à Subdiacono vsq; ad Episcopum, licentiā habet coniugū sortiendi.] Et quid aliud Trullanus Canon habet, quam hoc, vt coniugati Sacerdotes, & sacri Ministri ad continentiā à coniugibus non adigantur, sed suo matrimonio liberè vtantur? Imò etiam Stephanus agnoscit in Orientali Ecclesia Sacerdotes, & Diaconos, atque Subdiaconos, posse in sacris iam constitutos, vxores ducere: Glossa verò quæ ait, matrimonio copulantur, id est, copulato vtuntur, est violenta: nam copulari matrimonio, est contrahere matrimonium; & vbi concludit Stephanus, In Romana sacros Ministros non habere licentiam coniugium sortiendi; planum est eum loqui de matrimonij contractione: nam sortiri coniugium, non est copulam prius contractam exercere; sed vxorem, quam quis non habebat ducere, adeoque sortiri coniugem; (vt olim Romæ dicebantur Prætores designandi sortiri suas quisq; Prouincias.) Fortasse enim iam exoleuerat consuetudo, & lex hæc Trullana, vt in sacris cōstituti non possent vxores ducere: quamuis præsenti nostro tempore consuetudo hæc inter Græcos, iuxta Trullanum decretum, seruetur, vt audio, exactissimè. Gratianus quoque in eodem Trullano Canone, vbi Romana reprobatur continentia coniugatorum, nisi ad tempus, nullam agnouit profanitatem, nullum errorem: [d] Hoc autem ex loco, *inquit*, intelligendum est: Orientalis enim Ecclesia (cui sexta Synodus regulam viuendi præscripsit) votum castitatis in ministris altaris non suscepit.] Innocentius etiam tertius, non modo fatetur, [e] Quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit; sed etiam quod Orientales in superioribus ordinibus vtuntur matrimonio, in minoribus iam contracto. Quid ergo mali fecerunt, si voto huic à Romana Ecclesia impolito restiterunt? Tum vt perpetuam suam retinerent

c Dist. 31. c. Aliter.

d Dist. 31. c. 13. § Hoc autem.

e c. Cum olim, De Cler. coniug.

nerent consuetudinem coniugiorum; tum vt error, quem in Romana Ecclesia merito agnoscebant, vitaretur. Neque potuit negare Clichtouæus in suo libro de Continentia Sacerdotali, Orientalem Ecclesiam, votum continentiæ ordinibus sacris nunquam habuisse annexum. A

LXV. Ex his omnibus, à nobis fusius prolatis, & explicatis, vt aliquid certi colligamus, statuamus, & stabiliamus circa cœlibatum, & continentiam Clericorum, in sacris constitutorum; Dico primo de iure Diuino liberum esse quencunque hominem, cuiuscunque status & conditionis sit, siue Laicus, siue Clericus, in quocunque Clericatus gradu constitutus, ad cœlibatum amplectendum, vel ad matrimonium contrahendum: iuxta illud Christi, [a] Qui potest capere capiat; & tot Pauli [b] admonitiones & explicationes, vt habes super num. 17. Ac propterea neque Ecclesiam, neque legem vllam humanam, posse vlli certo statui hominum toti in genere hanc auferre libertatem. Suadere & hortari ad continentiam suos Ministros potest Ecclesia, nolentes tamen cogere non potest. B

a Matth. 19.
b 1. Cor. 7.

LXVI. Dico 2, contracto semel legitimo matrimonio inter virum & vxorem, matrimonium hoc, sicut simpliciter non potest ab vllo homine puro, aut a tota etiam Ecclesia dissolui, & separari, quia [c] Quod Deus coniunxit homo non separet; ita neque potest vlla creata potestate, absque coniugatorum culpa, aut sine libero eorum & voluntario vtriusque consensu, tolli obligatio mutua, quam habent inter se coniuges, reddendi debitum coniugale. Id enim & ius Diuinum naturale posuit, & Apostolus optime explicauit. [d] Mulier enim non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.

c Matth. 19.
d 1. Cor. 7.

LXVII. Dico 3. Cœlibatum, continentiam, & plenam pudicitiam, plurimum decere sacros Ecclesiæ Ministros, vt supra est probatum, & explicatum. ad init. Ac propterea in Ecclesia vniuersali, tam Orientis, quam Occidentis, viros sanctos Ecclesiasticos plurimos, propria voluntate continentiam fuisse amplexos, cum cœlibatu; eamque plurimum alus etiam viris Ecclesiasticis commendasse: vt constat ex hactenus a me productis. C

LXVIII. Dico 4. sanctos viros semper plurimum inclinasse, & etiam conatos fuisse, vt continentiam hanc cœlibatus vniuersalem facerent per totam Ecclesiam in omnibus prorsus sacris Ministris, vbi coniugati non assumerentur. Eoque tandem paulatim deuenisse, vt cœlibatum legibus sanxerint vniuersalibus; præcipientes, Nemini in sacris constituto, licere amplius vxorem ducere. Et hoc est à me supra ostensum; quod iam antiqua Ecclesiæ traditione seruabatur; vt fatetur Paphnutius in Concilio Nicæno, supra num. 54.

LXIX. Dico 5. Ecclesiam vniuersalem, vniuersali lege, nunquam coniugatos fecisse sacrorum ordinum incapaces; neque vetuisse quo minus coniugati ad sacros ordines non assumerentur. In nostro quidem Occidente aliquæ particulares Ecclesiæ, Romana potissimum, vt iam ostendi, interdum id & statuerunt, & reseruarunt; In Oriente vero nunquam id aut lege est inhibitum, aut vsu & consuetudine receptum; sed ne in Occidente quidem est hoc firma obseruatione custoditum. Sæpissime enim etiam necessitas suasit, vt coniugati promouerentur; & præcipuos Apostolos Christus assumpsit coniugatos. Et hæc satis iam probaui. D

LXX. Dico 6. sacros Ministros coniugatos, aliquos quidem sua sponte, & pietate, ac de consensu suarum vxorum, siue in Oriente, siue in Occidente, ad vitam perpetuo continentem se reduxisse; & ab vxorum complexibus perpetuo se remouisse. Alios tamen, etiam Episcopos, suo vsos fuisse matrimonio, citra errorem vllum, vllamue reprehensionem, vt in Concilio Nicæno tractatum vidimus. Et ex Canone Apostolorum, Apostolicisque constitutionibus, & ex Historijs iam confirmaui. Et quamuis postea Episcopi, inducta consuetudine, vt si coniugati essent in sui promotione, cessarent in posterum ab opere nuptiarum, id tamen non faciebant ex religione, aut cautione; quasi putarent id eis iam minime licere; sed ex deuotione, & perfectioris cuiusdam puritatis amore. Quod ita inualuit, vt nulli coniugati se ad Episcopatum promoueri paterentur, nisi obtento prius ab vxoribus consensu, & promissione continentiæ. Hanc tamen deuotionem, non omnes Presbyteri, qui sunt multo plures, sunt amplexi; sed soli qui libere voluerunt. Et ita Presbyteris liberum mansit, vt qui possent capere, caperent. Episcopis tamen, cum multo pauciores sint, & iam ætate prouecta vt plurimum ac frigida, consuetudo hæc, & traditio Ecclesiæ, induxit iam vt necessarium. Quod & tandem lege publica Trullani Patres, de solis Episcopis, [e] sanxerunt. Habita etiam magna ex parte est ratio conseruationis facultatum, & bonorum temporalium; ne ea Episcopi in gratiam filiorum dissiparent: vt [f] Pelagius, & Inno- E

e Sin. Quinisex. c. 48.
f Dist. 28. c. de Syracusane.

A & [a] Innocentius tertius aduerterunt; & ante illos Iustinianus, qui pro conseruatione facultatum Ecclesiasticarum, communes Ecclesiæ Canones circa Episcopos restrinxit; [b] Vt nullo pacto coniugati admittantur, quiue filios habeant, vel nepotes. In quo postea Iustinianus reprehensus fuit, & correctus à Leone sexto Imperatore, qui respectum hunc conseruandarum opum, non approbauit: [c] Sic namque, *inquit*, nec fratribus, aliisue cognatis superstitibus, accessum quisquam ad Episcopatum haberet: siquidem & ad hos sanguinis propinquitatisque affectio respicit: quia & hoc præuidentes diuini Canones, fecerunt Episcopis potestatem, vt si ipsis pauperes cognati essent, illorum inopiam ex sacris facultatibus sublenarent.] In distributionibus videlicet eleemosynarum, non in alienatione prædiorum. Et obserua in Sicilia tempore Pelagij, [d] Clericum coniugatum fuisse ab ea ciuitate in Episcopum electum, & à Pelagio confirmatum, quia in ea Ecclesia alius aptus non

B erat: neque ei impositum fuit, vt ab vxore abstineret, sed tantum cautum ne bona Ecclesiæ ad filios peruenirent. Et sic habes in Sicilia Episcopum coniugatum, & vxore vtentem.

a c *Inuerfis. De Cler. conjug.*
b *Nouel. 6. c. 2.*
c *Leo 6. Nouel. 2.*
d *Dist. 18. ca. De Syracusano*

Dico 7. Legibus quidem, & Statutis multis expressis, occidentales Ecclesias, coniugatorum sacrorum Ministrorum continentiam perpetuam ab vxoribus præcepisse; & in hoc plurimum eas differre ab orientalibus; quæ id neque vnquam præceperunt, neque præcipi posse, aut debere censuerunt: sed præcepta huiusmodi, vt iniqua, & mala, damnârunt. In vsu tamen horum præceptorum occidentem penè cum oriente semper conuenisse. Ostendi enim nostras Ecclesias multas, his præceptis, vt re vera iniustis, & malis restitutæ: & addo, non modò Patres Latinos, sed etiam ipsos Conciliares Canones, si non omnes, magna tamen ex parte, ad hortationem potiùs, & suauem persuasionem, quam ad rigorosa præcepta pertinere; vt qui singulos perpenderit, facilè animaduertat benignam illos commodè pati interpretationem. Et quoniam hisce nostris præceptis, quæ non sunt nisi particularium Ecclesiarum, aduersantur alia Ecclesiæ sanctæ præcepta vniuersaliora, vt est Canon Apostolicus, Apostolicaque constitutio; Gangrensisque Canon, maximæ; & vniuersalis in Ecclesia autoritatis; nec non definitio Synodi penè œcumenicæ Quinisextæ, ab Euangelio, & Apostolo Paulo pendentia, & suggesta; benè sequitur, longè tutius esse in hoc, quod ad Presbyteros, & Diaconos coniugatos, Græcam sequi Ecclesiam, longè melius sentientem; quam Latinas aliquas nostras particulares. Ac si perfecta Sacerdotalis continentia nobis videtur necessaria, illud seruemus, vt iam ferè seruamus, vt non nisi cœlibes ad Sacerdotia, & ordines sacros promoueantur. Quodsi coniugatos promouemus; non possumus illos ad continentiam coarctare: quia neque id vnquam potuimus plenè obtinere.

C

LXXI.

Dico 8. Votum continentiæ siue simplex, siue solemne, nullum esse sacris ordinibus annexum, neque posse annecti, præter voluntatem, & consensum liberum, & spontaneum ordinandorum: ratione cuius voti dicantur ad continentiam esse cogendi. Et hoc mihi erit seorsim proprio cap. sequenti explicandum. Vbi etiam videndum erit, an sacer ordo impediat matrimonium, an verò etiam dirimat contractum.

D

LXXII.

Dico 9. Si Leges Ecclesiasticas, totius Ecclesiæ vniuersalis antiquas, necnon antiquum vsum earum, tam occidentis, quàm orientis spectes; nemini, in sacris ordinibus, à Subdiaconatu, & supra constituto, licere vxorem ducere, si sit in gradu Ecclesiastico retinendus. Id enim constanter seruauit, & seruat Ecclesia vniuersalis, Græca pariter ac Latina, vt iam demonstraui. Cum tamen & præceptum hoc, & vsus, à solo iure pendeant humano Ecclesiastico positiuo, vt fatentur omnes, sequitur necessariò, id, & lege contraria Ecclesiastica, siue totius Ecclesiæ vniuersalis, siue etiam alicuius magnæ Ecclesiæ, multarum Prouinciarum, integrique Regni, & contraria etiam sola desuetudine posse abrogari. Nam etiam Græca Ecclesia ducentis fermè annis post Trullanos Canones, contraria vsa consuetudine permittebat vt Sacerdotes, & sacri Ministri, post sacros sumptos ordines, possent intra biennium vxores ducere, si sibi continentiam viderent nimis difficilem. Quam consuetudinem Leo sextus Imperator, lege data, abrogauit; & priscum morem, priscamque Ecclesiæ traditionem, innouauit. Audi illum; [e] Cùm decenter, *inquit*, inde ab initio, de ijs qui faciendis Deo sacris, digni essent, Ecclesiasticus ordo constituerit; non rectè, meo quidem iudicio, qui præsentis temporis consuetudinem sequuntur, interdum Ecclesiasticam traditionem contemnunt. Nam vbi illa mandat, vt qui creandi Sacerdotes sunt, aut per omnem vitam, si promissum non falsum fore fidant, cælibatum voueant: aut si illum seruare impossibile ipsis videatur, legitimè matrimonium ineant, ac deinde diuinum ministerium suscipiant: consuetudo, quæ in præsenti obtinet, ijs quibus matrimonio coniungi in animo est, concedit, vt antequam vxorem duxerint, Sacerdotes fieri possint, & deinde

E

LXXIII.

e *Leo 6. Nouel. 3.*

biennium ad perficiendam voluntatem, iungi matrimonio volenti præstituit. Id igitur, quia indecorum esse videmus, iubemus vt ad vetus Ecclesiæ, & antiquitus traditum præscriptum, dehinc creationes procedant. Neque enim dignum est, vt qui spirituali assensu supra corporis abiectionem, & sordes euecti sunt, hi rursum ad carnis sordes delabantur: sed è diuerso, vt Diuinum ministerium ex corporis sordibus, tanquam in altum aliquem gradum conscendat, conuenientius fuerit.] A

LXXIV. Vbicunque igitur iam inducta est consuetudo, vt Presbyteri, etiam post Presbyteratum; imò & Episcopi post Episcopatum, vxores ducant; matrimonium id ego, etiam in nostro Occidente legitimum puto, & tolerandum saltem, si non etiam laudandum. Quis enim ignorat leges omnes humanas contraria consuetudine abrogari? Vbi præsertim consuetudo iam contra legem præscripsit. Ostendam porro, & probabo pluribus libro octauo leges omnes Ecclesiasticas esse sub imperio, & potestate ipsarummet Ecclesiarum: ita vt vnaquæque Ecclesia, vbi necessitas, aut opportunitas ita postulat; possit in legibus vniuersalibus pro se ex grauissima causa dispensare; imo etiam mutare, moderari, & penitus abrogare; præsertim in Synodis: & quo maiores erunt Synodi, eo maiorem etiam ad hoc habebunt potestatem: Hæc tradam fuse libro octauo. Dicat mihi obsecro Romana nostra mater Ecclesia celeberrima, sed tamen Ecclesia tantum particularis, (vt ostendetur suis locis:) An aliquid illa immutauerit in sacris antiquissimis Canonibus, eosque penitus, etiam sine causa, abrogarit; aliudque genus reguminis Ecclesiastici induxerit, omnino antiquissimo, & probatissimo, & acceptissimo in tota Ecclesia vniuersali, & vtilissimo contrarium? Possem exempla innumerabilia proferre; sed ne tædio sim, abstineo, vno aut altero contentus. B

LXXV. Bigamiæ impedimentum ad sacros ordines suscipiendos, ab ipso Apostolo positum, & ab Ecclesia vniuersalissime obseruatum, frequentissimisque & vniuersalissimis decretis inculcatum; quodque multo maius est, & in tota Ecclesia, sine comparatione magis vitatum, quàm coniugium simplex & præsens, filiorumque legitima procreatio Romani nihilominus Pontifices nihili faciunt hoc impedimentum; sed quotcunque bigami volunt fieri Sacerdotes, omnes prorsus, soluto debito precio pro taxa Cancellariæ, gratiam omnibus penitus peruiam obtinent dispensationis; & sacro Presbyteratus etiam ordine initiantur, sine vlla necessitate; vel vbi maxima copia suppetit cœlibum, & non bigamorum. C

LXXVI. Similiter, ab vno Episcopo [a] excommunicati, ab omnibus debent abstineri; vt in Nicæn. Conc. est decretum: & excommunicati causa in Synodo Prouinciæ est ventilanda: Nunc verò excommunicati omnes, apertis vlnis Romæ excipiuntur; imo contra omnes Episcopos Tribunal est erectum, ad hos omnes, siue merito, siue immerito fuerint excommunicati, absoluendos: & iudicia omnia in Prouincijs sunt compressa. Mitto alia exempla multo grauiora, quibus patet Canones Ecclesiasticos longe præstantiores, & Ecclesiastico regimini vtiliores, quam sint Canones cœlibatus, omnino extinctos esse, & altissimis scrobibus, cum maximo Ecclesiæ detrimento defossos, & sepultos. Cur igitur Canones cœlibatus, seu continentiæ non potuerunt in alijs Ecclesijs, Romana Ecclesia in potestate nihil inferioribus abrogari, ex grauissima præsertim causa, vt nimirum stupra, adulteria, fornicationes, & fœdiora scelera à Clero amputentur? Quod vt in tota Ecclesia fiat, concedanturque passim coniugia Sacerdotibus, commodum senserunt viri pij, & Catholici, ac doctissimi, non modo Aeneas Syluius, qui fuit Pius secundus, & Abbas Panormitanus, vt supra num. 4. Sed etiam [b] Ioannes Gersonius, & [c] Prateius. In Concilio sanè Basileensi cum deliberaretur de electione Amadei Ducis Sabaudiæ in Papam, post exautoratum Eugenium, quidam (puto ipse, qui scripsit, Syluius Piccolomineus) Amadei suscepit defensionem: isque dum illud obiectum, quod Amadeus fuerit vxoratus, refellit, sic loquitur; [d] Quid ista modo obijcimus? Fortasse non esset peius Sacerdotes quàm plurimos vxorati, quoniam multi saluarentur in Sacerdotio coniugato, qui sterili in Presbyteratu damnantur.] Quanquam fortasse ob reuerentiam sacrorum Canonum, & tam continuatæ à primitiua ferme Ecclesia consuetudinis, enitendum esset illis Ecclesijs, quæ in Occidente coniugia Sacerdotum admiserunt; vt more Orientis, & ad normam Synodi Quinisextæ, non nisi ante susceptos sacros ordines, præsertim Presbyteratus, qui nolunt continere, vxores ducant. Mirum verò non est si contra legem communissimam sæpe contigerit, & contingat, vt homines Ecclesiastici in sacris iam constituti, ac præsertim Presbyteri, ad nuptias conuolarint. Cum enim coniugatis in nostro Occidente negentur sacri ordines, qui ad D

eos

[a] Conc. Nicæ. 5.

[b] Gerson. in Rememor. quæ nudum, & c. 10. 4.

[c] Prateius annot. in sum. Azonis.

[d] Syluius Piccol. de gest. concil. Basil. l. 2. E

A eos aspirant, coguntur cœlibes accedere: cumque durissimam sentiant continentiam, & à fornicationibus abhorreant, vxores sibi legitimas copulare interdum non desistunt. Quod si coniugati, cum vsu coniugij, non respuerentur; in sacris constituti coniugia non inirent: sed in minoribus, quando per Canones licet, sua matrimonia celebrarent.

Dico 10. Si verum esset, Græcas, aut alias Ecclesias, (quod non credo) nunc neminem ad sacros admittere ordines, nisi sit coniugatus; ac si non est, nisi prius vxorem ducat; id omnino esse repugnans & rationi, & Christi consilijs, & nullam esse in Ecclesia Catholica constitutionem, quæ hoc præcipiat: idq; merito in se Vigilantij, & Iouiniani, & Nicolaitarum ferme hæresim continere. Dicere fortasse possent, se id obseruare bono fine, bonaq; intentione, quia nimirum experientia docet vt plurimum, professos initio continentiam, à continentia postea deficere, & vxoribus velle carere, vt vagos sectentur concubitus, & sic turpitudinibus immensis maculari Sacerdotium. Hinc sanè Episcopi illi Vigilantij fautores ordinare recusabant Diaconos, nisi prius duxissent vxores: quos inde pupugit Hieronymus, [a] quod impudici ipsi cum essent, de omnibus male suspicarentur; neque putarent cœlibes posse esse continentes.] Et quamuis nostris temporibus nõ suspicio, sed veritas clamet Clericos nostros cœlibes, ex maxima parte, & vt plurimum notoriè ac manifestissimè esse impudicissimos; & rara auis in terris sit Clericus verè continens, & pudicus; hæc tamen excusatio non tanti est, vt nota sit nostro ordini, tanquã continentiæ, & pudicitiæ hosti, non sine graui hæresis suspicione, inurenda. Satius est continentes, & cœlibes ad Sacerdotium admittere, si iam vergant ad incontinentiã, vel Clero deijcere; vel si tam vtiles sint Ecclesiæ, eis per coniugium prouidere. Interim tamen iuxta Christi consilium; Qui potest capere capiat, & Paulum qui possit imitari Diuina opitulante gratia, & adhibitis spiritualibus adiumentis imitetur. Neque tam insignis virtus pudicitiæ & castitatis, in Ecclesia profligetur, & ab ea ablegetur. Nunc ad diluenda argumenta contraria supra posita accedamus. LXXVII.

a Hieron. adu. Vigilant. init.

Ad primam argumentorum seriem, quæ est ex Scripturis, supra num. 31. positis; Respondeo, non deesse quidem probabilitatem, Apostolos, saltem aliquos, secum circumduxisse vxores, & ijs vsos ad omne opus coniugale; propterea quod Paulus asserit sibi & Barnabæ non deesse potestatem [b] mulierem, seu vxorem circumducendi; sicut eas ducebant Apostoli & fratres Domini, & Cephas. Ego tamen libenter amplector communem sanctorum expositionem, Paulum loqui de pijs fœminis, quales etiam Christus habuit in comitatu, quæ illum, & discipulos à Galilæa sequebantur, [c] ministrantes ei de facultatibus suis. Et non solum Hieronymus, sed etiam [d] Clemens Alexandrinus, qui tamen has mulieres sorores, de quibus Paulus facit mentionem, vxores fuisse Apostolorum intellexit, à copula coniugali tecit Apostolos, post Christi sequelam, omnino abstinentes. Itaque melius respondetur Apostolos debuisse omnino relinquere vxores, quia erant per totum Mundum, expediti ab omni terreno obstaculo, & impedimento, (vt dixi supra n. 2.) Euangelium portantes, peragraturi; & non amplius in domos proprias reuersuri; sed vitam pro Christo, in remotissimis à suis laribus locis, & prouincijs posituri. Nunc verò Episcopi, & Ecclesiastici Ministri, ex locis proprijs assumuntur, & in illis degunt, ac operantur. Præterea Apostoli paucissimi, nimirum duodecim, vel tredecim ad Apostolatum erant assumendi: Episcopi verò, Presbyteri, & alij Ministri, innumerabiles: & sic facilè fuit paucos continentes seligere: at verò multitudinem innumerabilem continentium inuenire, fuisset impossibile: humano enim more, & citra miraculum, Ministri Ecclesiastici erant ex hominibus assumendi. Atque ex hoc capite [f] Epiphanius quoque, & [e] Hieronymus, necessarium fuisse fatentur, vt etiam coniugati, & filios generantes, in Ministerium assumerentur. Paulus continentem requirit Episcopum, prout continentia est virtus, quæ omnibus voluptatibus corporalibus, non solum Venereis, frænum ponit; & Venereis etiam, sed illicitis. Alia quæ ex Paulo sunt proposita, conuenientiam arguunt continentiæ & cœlibatus, non necessitatem; non vt possit simpliciter & bene, sed vt meliùs possit Ecclesiasticum peragi Ministerium. Quæ de agno Paschali afferuntur, sunt mystica, & Allegorica: & sufficit continentia ab illicitis, seu ad tempus, etiam ab vxoribus. Lex Dei à toto populo, per illas præparationes, & abstinentias, fuit accepta, non à solis Sacerdotibus: & exemplum illud solùm ad tempus quarundam solemnitatum suadet continentiam. Panes propositionis à Laicis comedendi, requirebant temporaneam, & breuem, à mulieribus continentiam: Sacerdotes tamen, illos, absque hac continentia comedebant, simul etiam cum suis vxoribus, & liberis. In quo non est audiendus Sotus, [g] qui Sacerdotes panes illos comesturos, dixit ab vxoribus abstinuisse LXXVIII.

b 1. Cor 9.

c Mar. 15.

d Clem. l. 3. strom.

e Epiphan. her. 59.

f Hieron. l. 1. in Iouinian.

g Sot. l. 7. q. 6. ar. 2.

stinuisse; quod est falsum. Achimelech enim dixit Dauidi, non habeo laicos panes: & à Laicis requisiuit vt sint mundi à Mulieribus. Quod vero dicitur de Sacerdotum continentia, tempore vicis suæ, etiamsi topicum, & breuis continentiæ ad summum, esset argumentum; tamen ne argumentum quidem est; nusquam enim in tota Scriptura habes, Sacerdotes tunc lege astrictos fuisse, vt ab vxoribus separarentur. Separabantur quidem ex quodam accidenti, & necessaria sequela; quia cum plurimi extra Hierusalem essent in proprijs domibus, & varijs ciuitatibus, etiam interdum valde remotis, soli ad Templum proficiscebantur, suam vicem impleturi ad solos [a] septem dies: quo secum vxores & liberos non ducebant. Ita Zacharias ex [b] Montanis venerat, vt suum officium, sua hebdomade, adimpleret. Est vero præceptum Domini Aaroni datum: [c] Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras: & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum.] De vxoribus ne verbum quidem; & tamen Hieronymus etiam, nescio vnde persuasus, hoc eodem vtitur argumento. Sic enim loquitur: [d] Si Laicus, & quicunque fidelis, orare non potest, nisi careat officio coniugali: Sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant; sed purificabantur ad tempus, ab vxoribus separati; & vinum, & siceram non bibebant; quæ solent libidinem prouocare.] Ego vero in veteri lege purificationem illam Sacerdotum ad tempus, per separationem ab vxoribus, aliam non inuenio; nisi quam posui ex accidente, absentiæ à domibus.

a 1. Paral. 24.
b Luc. 1.
c Leuit. 10.
d Hier. ad Iouinian. l. 1.

LXXIX. Ad secundam seriem. De Concilio Ancyrano dixi satis sup. num. 13.14. Ecclesiæ etiam Orientali semper placuisse vt ministros haberet, quam maxime fieri posset, cœlibes, & continentes: sed id vt necessarium nunquam statuisse. Neocæsariense vero de non ducenda vxore post sacros ordines, loquitur: De quo nunc non est controuersia: Id enim toti Ecclesiæ fuit acceptum. Nicænum Concilium non prohibet vxores, volebat quidem prohibere, & autore Paphnutio, abstinuit, vt vidimus num. 54. Abstinuisse verò non scriberetur, si eas prohibuisset; & patet, quia illo Canone includuntur non soli sacri ordines Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum (nondum Subdiaconatus erat sacer ordo) sed etiam reliqui Clerici inferiores; quibus tamen semper in tota vniuersali Ecclesia, & Græca, & Latina, licuit & licet vxores ducere, & illis adhærere. Prohibentur ergo subintroductæ mulieres, quæ possint fornicationum suspicionem generare, non consanguineæ proximæ, non etiam vxores, quæ virtualiter illis verbis excipiuntur à prohibitione; *vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.*] Talis est etiam vxor. Instantia verò Bellarmini leuis est supra num. 32. nam etiam mater, soror, & amita, quæ expresse conceduntur, ancillas in eadem domo possunt habere. Sed & dolosè Bellarm. reticuit verbum (*subintroductas*) & posuit (*omnes*;) Subintroductæ enim semper in malum sensum accipiuntur: & erant fœminæ ascititiæ, quales [e] P. Samosaten. habuerat; & de quibus postea [f] Chrysost. Prohibitionē ergo vxorū in eo canone ponere, non est nisi aut deceptoris, aut imperiti.

e Euseb. l. 7. hist. c. 24.
f Chrys. serm. cont. Concubinarios.

LXXX. Ad 3. argumentorum classem, Origenes loquitur in sensu morali, non literali, de Sacerdotibus spiritualiter; etiam de Laicis: & ex Pauli documento, quo fideles coniugatos docet abstinere tempore orationis à carnali opere, concludit, sacrificium indesinens, puta orationis puræ, & perpetuæ, aliorumque spiritualium exercitiorum, peragi non posse à quocunque fideli pio, & deuoto, nisi perpetuam etiam seruet castitatem; Et ita exaggerat consilium castitatis. Nihil ergo hæc pertinent ad cœlibatum, vel continentiam Clericorum. Quid verò Origenes plenius hac in re sentiat, vide inferius num. postremo huius capitis. Eusebius quid deceat monet, & hortatur; non ponit necessitatem.

LXXXI. Epiphanius priori loco, antequam ritus Ecclesiasticos sui temporis numeret, & recenseat, illa præmittit; Quæcunque ex natura seruantur in Ecclesia, & seruata sunt, partim ex præcepto, partim per susceptionem voluntariæ promptitudinis seruantur, Deo gaudente, ob virtutem suæ doctrinæ, necessarium est me breuibus apponere.] Postea enarratis varijs gradibus in Ecclesia, Virginum, Monachorum, cœlibum, seu continentium, viduorum, coniugatorum, bigamorum; Sacerdotes dicit vel maxime optari, & procurari, vt ex virginibus assumantur: tum verò ex Monachis: Quod si ex his non possit totus ministrorum numerus necessarius compleri, cœlibes & continentes à proprijs vxoribus; id est, qui abstinent à ducenda vxore, assumuntur; aut vidui etiam non bigami, sua viduitate contenti. Coniugatos verò prorsus prætermisit: quia coniugati non assumebantur, nisi quando

A do ex iam numerans gradibus non posset suppleri. Et certe eos qui ab vxoribus se continent, Epiphanium cœlibes intellexisse, qui continent se ab vxoribus ducendis, virgines tamen non sint, neque vidui, videtur, eo quod resumit gradus iam numeratos, solis missis coniugatis. In illis verò gradibus, vt ego supra posui, post Monachos solitariam vitam agentes, ponit continentium, super eundem cursum fundatam, nimirum cœlibatus; quia & virgines, & Monachi, sunt cœlibes; continentes verò, qui neque virgines sunt, neque Monachi sunt cœlibes, sed iam corrupti; nam postea viduos ponit non bigamos; & post hos ponit vxoratos seorsim, vt gradum diuersum ab illis continentibus, quos postea dicit à proprijs vxoribus continere. Et hæc melius inferius paulò post confirmabo. Posthæc verò minorum ordinum Ministros dicit assumi ex ijsdem gradibus, quos rursum repetit, inclusis iam etiam coniugatis, hoc pacto. Post hoc Sacerdotium, deinceps est Lectorum ordo, ex omnibus ordinibus constans, hoc est virginibus, & solitariam vitam degentibus, & continentibus, & viduis, & his qui adhuc sunt in venerando coniugio.] Imò etiam includit bigamos: si verò fuerit opus, inquit, etiam ex his, qui post obitum primæ vxoris secundam duxerunt.

B

Quod igitur ordinariè fieret, & vt plurimum narrauit Epiphanius, vt ex omnibus gradibus sumerentur homines ad sacra Ministeria, exceptis coniugatis, & bigamis; non negat tamen etiam coniugatos, non bigamos posse ordinari: quia id expressè alibi concedit; nempe posteriori loco supra citato; in quo nihil diuersum à loco iam explicato affert; sed excludit simpliciter, & absolutè coniugatos omnes, quod id ita ordinariè seruaretur; & Ecclesiasticæ regulæ monerent, ex illis solis gradibus accipiendos homines ad Sacerdotium, Episcopatum, & Diaconatum; [a] Quia audimus, *inquit*, quod oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum continentem: similiter & Diaconum, & Presbyterum. LXXXII.

a *Epiphan. hær. 59.*

C Re vera enim non suscipit sancta Dei prædicatio, post Christi aduentum, eos qui à nuptijs, mortua ipsorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem Sacerdotij honorem, ac dignitatem: & hæc certò sancta Dei Ecclesia cum sinceritate seruat.] Hic igitur Pater locum Pauli, vt Episcopus sit vnius vxoris vir, & Diaconus, intellexit eum qui viduus, post vnam tantùm vxorem, continentiam seruet; hoc est, ab alia vxore ducenda abstineat; & subdit, Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem, vnius vxoris virum non suscipit: sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Subdiaconum; maximè vbi sinceri sunt Canones Ecclesiastici.] Ita etiam seruabat Ecclesia, & hanc regulam ordinariè sequebatur, vt quamdiu posset totum necessarium numerum Ministrorum sacrorum habere ex solis gradibus virginum, Monachorum, cœlibum, & viduorum non bigamorum, coniugatos non admitteret. Et quod ait Ecclesiam suscipere eum, qui se ab vna continuit; intelligit, vt supra, qui virgo cùm non sit,

D cœlibatum tamen seruet, & etiam ab vna, & prima ducenda vxore, se continet. Ex vsu Ecclesiæ excludit Epiphanius per verba Pauli, primùm digamos, eo sensu, videlicet qui mortua prima vxore, secundis se nuptijs applicârunt. Quanquam igitur non desint qui locum Pauli [b] (Vnius vxoris virum) [c] intelligant de Monogamia cum exclusione Polygamiæ Iudaicæ, non successiuæ, sed simul eodem tempore: Ita interpretatur etiam [d] Chrysostomus; & videtur [e] Hieronymus quoque in eodem sensu accipere locum Pauli: vsus tamen Ecclesiæ, vt testatur hoc loco Epiphanius, & post ipsum, perpetuitas talis vsus in Ecclesia confirmat in priori sensu id accipi, de digamo seu polygamo etiam successiuo. Deinde excludit Epiphanius à sacris ordinibus per regulam ordinariam, etiam monogamos, qui suo vtantur coniugio, & consequenter includit eosdem si se ab vxoribus separent. Tum verò includit præterea eum qui se ab vna continuit. Et certè continere se ab vna non potest significare continere se ab vsu vxoris, quasi velit distinguere continentem vxoratum monogamum, a continente vxorato digamo: nam digamos iam excluserat absolutè, siue se continent, siue non contineant ab vxore, quam actu habeant: & iam incluserat virtualiter monogamum continentem, exclusione monogami vxore vtentis; vt si quis coniugatus monogamus, viuente vxore, se exhiberet ad sacros ordines cum legitima separatione ab vxore, talis profectò pro cœlibe haberetur, & admitteretur. Intelligit ergo eos qui cum cœlibes sint, & nec virgines, nec vidui, continent se ab vxore ducenda. Atque hæc videtur quidem commodissima interpretatio Epiphanij, qui proculdubio gradus varios sæculares non Ecclesiasticos recensens, ex quibus ad ministeria Ecclesiastica homines assumantur, inter illos Laicos gradus ponit istos continentes, qui se ab vna continuerunt. At quis vnquam inter Laicos coniugatos obseruauit vllos, qui se ab vsu propriæ vxoris contineant?

b 1. Tim. 3. & ad Tit. 1.
c *Apud Hier. in Ep. ad Tit. ca. 1.*
d *Chrys. hom. 10. in 1. Tim.*
e *Hieron. Epi. 8. ad Oceanum.*

E Si

Si tales essent, certè secreti essent, at Epiphanius hic loquitur de gradibus iam ordinarijs, & publicè patentibus: separauit tamen hos continentes à viduis, quia erant, & fuerunt semper cœlibes: à virginibus verò, quia plures poterant esse cœlibes quidem, sed coitu fornicatio corrupti, qui facilè possunt in toro externo de lapsu carnis conuinci. Hos verò tales cœlibes qui virgines non essent, si alioquin apti essent ad ministerium, ab Ecclesia assumi solitos asserit Epiphanius; & vocat eos continentes, & qui se ab vna continent: & hi sunt cœlibes nec vidui, nec virgines. Atque vt significaret se de talibus loqui qui cœlibes essent, non tamen virgines, nec vidui, dixit qui se ab vna continent; hoc est, vt probabiliter asserui, ab vna ducenda. Quod si cui hæc declaratio non placeat, velitque omnino Epiphanium per continentes hosce intelligere verè coniugatos monogamos, actu habentes suas vxores, sed suo cõiugio non vtentes; adhuc hoc concesso, nemo inde colligere potest, clericos sacros coniugatos omnes à coniugij vsu lege Ecclesiastica, & vsu abstinere debuisse. Sensus enim Epiphanij talis esset; ad sacros ordines, Ecclesiæ lege, & consuetudine assumi solitos esse ex secularibus, siue etiam ex minoribus ordinibus, primum virgines, secundo monachos, tertio viduos monogamos, quarto coniugatos, sed qui sua sponte & liberè prius offerant à suis vxoribus continentiam, vt hinc sibi aditum patentiorem ad sacros ordines aperiant; ac demum in defectum horum omnium etiam coniugatos absolutè, sed monogamos, qui talem continentiam non offerant, neque seruent, sed velint suo vti matrimonio. Atque sic distinguit coniugatos monogamos, in continentes, & non continentes; præfertque priores posterioribus; sed illos ex propria voluntate, & libertate continentes intelligit. Atque ita eos præfert non continentibus; vt quando tales ad sufficientiam haberi non possint, etiam non continentes ad vltimum refugium assumantur: quod iam postea fuit ordinarium.

LXXXIV. Et hanc quidem circa assumendos esse regulam ordinariam, inquit, atque ita seruandam fore, si regula ordinaria locum habeat. Addit tamen: At dices mihi, omnino in quibusdam locis, adhuc liberos gignere, & Presbyteros, & Diaconos, & Subdiaconos. At hoc, *inquit*, non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit: & propter multitudinem cum non inueniretur ministerium.] Duplicem igitur caulam affert cur suo tempore regula hæc alterata sit, & ex gradu etiam coniugatorum, ad sacra ministeria homines, cum suo coniugio assumerentur. Alteram ait esse mentis humanæ languorem: quod nimirum Clerici, qui libere prius plurimi Virginitatẽ, & continentiam seruarent, iam cœperunt velle plurimi vxores habere. Alteram quia multiplicatis fidelibꝰ necesse fuit multiplicare ministros: & cum ex gradibus ordinarijs sufficiens numerus non posset colligi, ad coniugatos fuit adeundum. Atq; ita illa eadem Ecclesia, quæ continentes tantum semper habere nitebatur, coacta fuit adhibere cõiugatos, & consequenter vxoribus vtentes, & filios generantes. Nunquam enim illa, in Oriente præsertim, vxoratos admisit, cum prohibitione vsus Matrimonialis, nisi continens voluntarius quis se offerret. Nam vel penitus respuit coniugatos; vel si eos admisit, cum libero vsu sui matrimonij admisit. Itaque Epiphanius, quem maxime nostri aduersum putant Græcorum Sacerdotum matrimonijs, potius nostro aduersatur Occidentali cælibatui, qui necessitati parendum docet, vt vbi veri cælibes, verique continentes haberi non possunt, ad Ecclesiastica sacra ministeria vxorati, filios adhuc gignentes, assumantur. Et quidem Epiphanius summam pudicitiam laudauit, vt maximè decentem, & conuenientem, tamen absolutè necessariam non iudicauit. [a] Nam quod decentius, *inquit*, est, id semper Ecclesia per Spiritum Sanctum bene disposita videns, statuit apparare; vt cultus Diuini indistracti Deo perficerentur, & spirituales necessitates, cum omni benenola conscientia peragerentur. Dico autem quod decorum est, propter repentina ministeria, ac necessitates, vt Presbyter, & Diaconus, & Episcopus, Deo deditus sit. Si enim etiam populo præcipit sanctus Apostolus dicens, Vt ad tempus vacent orationi, quanto magis Sacerdoti idem præcipit? Vt indistractus sit, inquam, ad vacandum secundum Deum Sacerdotio, quod in spiritualibus necessitatibus, ac vsibus perficitur.] Quod igitur decens sit, & valde conueniens, considerat Epiphanius; non quod simpliciter necessarium.

a *Epiph. ibid.*

LXXXV Chrysostomus negat in Ecclesia loco præcepti haberi, vt Episcopus non fiat nisi qui vxoratus sit, non bigamus. Ecclesia enim etiam cælibes, & libentius ordinat Sacerdotes: vbi tamen cœlibes non potest habere, tunc Paulinum dictum seruat, vt vxoratum accipiat; sed non bigamum. Chrysostomi verba sunt huiusmodi: [b] Paulus Apostolus, vbi ad Gentes proficiscitur, summum virtutis pondus illis non imposuit; sed vbi in orbe adul-

b *Chrys. de sacerd. lib. hom. 2.*

terijs,

A terijs, fornicationibusque repleto, voluit orbis pastores constituere; & quoniam virtutes raro inueniebantur, Episcopos ordinans, Tito dixit, Constitue Episcopos, sicut ego tibi disposui, Si quis est sine crimine. Porro irreprehensibile tunc locum non habuit; quandoquidem pietatis vigor deficiebat. Magnum irreprehensibilem esse: Medium autem sine crimine esse: Magnum malum in hominibus, vel exiguum bonum, & propterea dixit; & vnius vxoris virum, non ea ratione, quod id nunc in Ecclesia obseruetur: opottet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse; sed quod id quandoque ad eos, qui in fornicatione erant, magnum fuit; ideo dicit, Constitue Episcopos, sicut ego disposui tibi, si quis est sine crimine, vnius vxoris vir: non quod id legis loco posuerit, sed quod errori ignoscebat.] Intentionem Ecclesiæ esse planum est: vt semper, quamdiu potest, omni ex parte irreprehensibiles habeat ministros: neque Pauli dictum pro præcepto accipit, vt
B vxoratos accipiat, & tantum crimine carentes; imperfectos tamen, & in parte reprehensibiles: nam omni castitate, & omni virtute vere vndequaque irreprehensibiles quærit Ecclesia quantum in ipsa est. Humana tamen fragilitas, sicut Paulum permouit vt errori ignoscerer, & imperfectos etiam, ac vxoratos, dummodo criminosi non essent, nec bigami, ordinandos suaderet: ita nunc etiam iudicat Chrysostomus, errori esse ignoscendum, vt si cœlibes irreprehensibiles non possunt haberi; reprehensibiles etiam, modo non criminosi, nec bigami, etiam vxorati accipiantur.

Nyssenus, quid deceat, præsertim pro tempore ministrationis, exaggerat; optatque vt LXXXVI.
Sacerdos cœlebs sit, & à contrahendis nuptijs alienus. Ita & Cyrillus: Bonos enim & perfectos Sacerdotes illos censet, qui cum cœlibatu, & continentia, sacris initiantur: tales enim ordinariè Ecclesia admittit; non exclusis tamen, quando opus est, etiam vxoratis, vxoribusque copulatis. Oecumenius de Episcopis loquitur: suo enim iam tempore in-
C ualuerat consuetudo, imò & Lex, vt Episcopi vxorati, de suarum consensu vxorum, in posterum essent continentes; vt supra num. 29. 30. Hieronymus viduos continentes intelligit, qui habuerunt, *inquit*, non qui habeant vxores, & mariti esse desistunt; quia à secundis nuptijs iam statuunt abstinere; & nolunt amplius fieri mariti. Quod est directè contra Vigilantium, qui solos coniugatos volebat ordinari. Huic contrarium erit, vbi nullus coniugatus ordinetur. Illi ergo qui mariti esse desistunt, cum sint contrarij Vigilantio, non sunt coniugati; sed, vt dixi, vidui monogami, alioquin quantumcunque ab vxoribus abstinerent, si mariti tamen essent, & coniugati, id satis est Vigilantio ad sui dogmatis confirmationem: Siue enim misceantur cum vxoribus, siue non, modo vxores habeant, Vigilantius habet quod cupit. Viderat igitur Hieronymus, in illis Ecclesijs seruari exacte id, quod Epiphanius secundum Canones ordinariè fieri debere supra docuerat; nec ibi necessitas cogebat assumere coniugatos; quia alij gradus, puta virginum, cælibum, continentium,
D & Viduorum monogamorum, necessarios Ministros suppeditabant.

Iustinianus, si vxores eripit Sacerdotibus, quas ante sacros ordines habuerint, non se- LXXXVII.
quitur statuta Ecclesiastica, quæ nulla in hoc habebat; imò contrariam videbat consuetudinem. Circa Episcopos sanè vt vidimus num. 33. vsitatis Canonibus, traditionique veteri Ecclesiæ maiorem addidit rigorem; quem nunquam secuta est Ecclesia; vt qui filios, aut nepotes, etiam ex legitimò coniugio haberent, Episcopi non fierent. Ita circa Presbyteros, & Diaconos, quantum fieri posset, adùere conabatur non vsitatum rigorem; vt coniugibus non vterentur. De consensu nimirum, quamdiu illum possent obtinere suarum vxorum: & propterea non præcipit, sed quales Clericos eligi cuperet, exponit. Diuortium profectò [a] legibus ciuilibus, ex pluribus causis concessum videmus, etiam ob causam seruandæ castitatis; vt [b] concedit idem Iustinianus: quod similiter concedit propter profes-
E sionem vitæ [c] Monasticæ. Cui diuortio videtur plurimum etiam fauere Chrysostomus, vbi coniugatos Laicos suadet, vt, vel inscijs, & inconsultis vxoribus, fiant Monachi. [d] Noli, *inquit*, dicere colloquar cum vxore, antequam proficiscar (*ad Monasteria*) negotia mea componam: hæc tarditas negligentiæ initium est. Memento voluisse quendam ordinare domum suam, & non fuisse à Propheta dimissum.] Item alio loco, de properante ad Monachatum, ait: [e] Non ea in re filium, non vxorem animaduertebat.] Quod tamen feruore declamationis excusandum est, cum Christus dicat; [f] Non licere vxorem dimittere, nisi ob solam fornicationem: & quod Deus coniunxit, homo non separet. Et Paulus: [g] Vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor. Et, Vir vxorem non dimittat: Et, Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Et Ecclesia diuortia illa legum Ciuilium [h] non approbat; sed aliter statuit. Quod si factum Theonæ quis proferat, [i] qui inuita, & reni-

tente

a *C. de repudijs. C. consensu.*
b *Nouel. 22. c. 1.*
c *Nouel. 117. c. 12. & Nouel. 123. c. 40.*
d *Chrysost. in Matt. hom. 60. & hom. 56. ad Pop. Antioch.*
e *Idem serm. de dispens. rerum qui est de laudibus Monach. ad fin.*
f *Mat. 5. & 19.*
g *1. Cor. 7.*
h *Greg. l. 9. ep. 39. & 27. q. 2. c. Sunt qui. c. Agatha.*
i *Cassian. collat. 21. c. 9. 10.*

tente vxore ad Monachismum conuolauit, ac miraculis claruit; id speciali, & extraordinario Spiritus Sancti instinctu factum non dubitet, mirandum potius, quam imitandum. A

LXXXVIII. Ad 4. seriem. Ad honestatem tantum, & conuenientiam, rationes illæ omnes deducunt; neque absolutè conuincunt impedimenta adesse, quæ penitus sacra exercere non sinant; sed quæ duntaxat ea tam bene, pure, & perfecte fieri non permittant. Si vero ex alia parte vellemus rationes congerere, ad Clericorum coniugia confirmanda; & incommoda recensere atque exaggerare, quæ Lex cœlibatus & continentiæ secum fert, non pauciores, sed multo fortasse plures exurgerent probabilitates, legē hanc non esse proficuam, sed omnino abrogandam. Permissio enim coniugij Clericalis, indecentias aliquas, & damna aliqua, ad summum temporalia, & rerum temporalium secum habet; neque semper coniuncta; & quibus facillime, magna saltem ex parte, occurri potest. At vero necessitas cœlibatus, & vxorum amotio, grauissima secum fert mala, & ordinaria; & quibus remedium nullum adhiberi possit humanum; plurimorum peccatorum, & scandalorum, quæ vel cogitare sit horror. Atque ita passim longe indecentius sacra tractantur à sacrilegis, & in peccato mortali ordinarie existentibus: & bona Ecclesiastica fœdissime ac turpissime consumuntur. Et ita lex cœlibatus, non occurrit incommodis, ad quæ vitanda ponitur: & alia mala innumerabilia gignit, quæ statum Ecclesiasticum miserrime fœdant, & deturpant. B

LXXXIX. Soti vero ratiocinatio est vanissima: non enim ad euitandam copulam carnalem Clericorum, vt simpliciter malam, & ipsis illicitam, prodijt lex, vt post sacros ordines non possint matrimonia contrahere; sed vt vel sic aliqui essent in clero continentes; & virtus pudicitiæ, non esset penitus à Clero excluſa; cum laudabilis illa sit, & in Ecclesia plurimum fulgeat. Disparitas vero hæc, non deturpat decorum Ecclesiasticum, sed auget, & ornat: sicut stellæ cœlum: & tamen [a] stella à stella differt claritate, magnitudine, & splendore. Et [b] alius sic, alius vero sic. Cum præsertim non coacte, sed volūtarie; cœlebs cum cœlibatu accedat ad sacros ordines, qui poterat prius vxorē ducere, & coniugatus sacris initiari; noluit tamen amore continētiæ, & electione spōtanea castitatis. Et hoc amat, cupit, & procurat Ecclesia; quæ tamen interim etiam coniugatos ministros, vt sibi vtiles, & proficuos, etiam vxorio operi vacantes, fouet & amplectitur; neque ipsorum coniugalia opera odit, aut abominatur; quippe & licita & honesta. C

a 1.Cor.15.
b 1.Cor.7.

XC. Quod itaq; vrgent continentiam à proprijs vxoribus fuisse olim pro tempore necessariam, qua sacri ministri sacra peragerent, nunc verò debere esse perpetuam quia nostri ministri perpetuò sunt actibus sacris applicati, Respondeo, illa fuisse consilia non præcepta; & decentia, non necessaria; & sæpe neque consilium neque præceptum, sed necessitatem propter absentiam coniugum, vt iam declaraui; aut si aliqua interdum fuerunt & præcepta, & obligatiua, rara fuisse, & ad exiguum admodum tempus, & in causis quibusdam publicis, & solennibus; quod etiam nunc seruari & potest, & debet. In ordinarijs tamen, & quotidianis ministerijs, sicut exempla vetera tales continentias non habent, ita ne nunc quidem eas necesse est seruari: esset enim [c] iugum intolerabile quod patres nostri tolerare non potuerunt. Quod verò Paulus tempore orationis [d] abstinendum esse ab opere coniugali dicat, hoc cum Chrysostomo intelligo [e] non esse præceptum, sed optimum consilium; & si sit præceptum, intelligendum est in oratione, & ieiunio extraordinarijs, & feruore extraordinario, quo interdum sit diuinis rebus vnicuique fideli vacandum; alioquin in intermedio illo tempore, quo reuertuntur in idipsum, orationes non possent homines fundere, quod est falsum; quia Christi & Apostoli documentum est omnibus etiam laicis datum; [f] Oportet semper orare, sine intermissione, & nunquam deficere. Aliud itaque est orare, aliud vacare orationi, vt aptissimè obseruat [g] Chrysostomus; orare est ordinarium, quod summam illam abstinentiam non postulat; vacare verò orationi est extraordinarium, & postulat. Imò ordinarius moderatus & commodus matrimonij vsus multo habiliorem facit hominem, etiam ad diuina pacatius, & tranquillius considerauda, & Deo quietius inseruiendum; imo & ad orationes deuotionesque extraordinarias feruentiores suo tempore fundendas; Rationem huius rei optime tractat idem Chrysostomus; [h] Nam si nuptiæ, *inquit*, vel puerorum educatio præpedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc nostram vitam nuptias introduxisset vniuersorum dominus, vt ne in rebus præcipuis, & maximè necessarijs nos læderet. Sed quia non solùm nihil nobis obstat ad philosophandum Deo, si voluerimus esse sobrij, sed & magnam afferunt consolationem, dum D E

c Act. 15.
d 1.Cor.7.
e Chrysost. 19. in 1.Cor.
f Luc.18.& 1.Thess.5.
g Chrys.vbi sup.
h Chrysost. hom. 21.in Gen.

A dum comprimunt insanum naturæ impetum, nec turbari quasi mare sinunt, sed efficiunt vt scapha feliciter in portum appellat: & ideo cõsolationem hanc humano generi tribuit.] In sublimi positus hic Pater doctissimus, mundumque intuens vniuersum, videtur in nuptijs portum, in vita cœlibe turbatum mare, fluctusque indomitos, ac despumantes vndique conspicari. Naturam consulamus, profectò fumus, qui non exhalatur, totam domum perpetuò reddit fuliginosam; secus est si aptato camino erumperet. Et cerebrum obsessum, occupatumque vaporibus eruditatum in stomacho indigestarum, ineptum est ad philosophandum. Quod si subinde à eruditatibus euacuetur, in debita conseruatur temperie, ac perspicuitate. Nazianzenus quoque non exiguum commodum, vel ad ipsam vitam spiritualem, in matrimonio considerauit, dum ait: [a] Cùm in hæc duo cunctis vita diuisa sit, nempe in matrimonium, & cœlibatum, atque hic quidem sublimior, & diuinior sit, verum B laborioſior, & periculoſior; illud autem humilius, sed tamen tutius; vitatis vtriusque molestijs, quicquid in vtroque pulcherrimum erat elegit (*Gorgonia*,) atque in vnum copulauit, alterius nimirum sublimitatem, alterius securitatem, fuitque citra supercilium pudica, cœlibatus bonum matrimonio admiscens, illudque ostendens, neutrum horum aut Deo nos omninò astringere, aut ab eo dirimere; ita vt alterum omni ex parte laudandum, & amplectendum, verùm mentem esse, quæ & coniugium, & virginitatem pulchrè regat, & moderetur: atque hæc instar materiæ cuiusdam ab artifice ratione dirigi, & ad virtutem elaborari. Non enim quia carni copulata erat, idcirco à Spiritu disiuncta est; nec quia caput virum habebat, ideo primum caput ignorauit; sed cum mundo, & naturæ paulum ministrasset, & quantum carnis lex volebat, vel is potiùs qui hanc carni legem indixit, totam se Deo consecrauit.] Videmus hîc Nazianzenum tutiores facere ex suis rationibus nuptias, virginitatem verò periculosiorem; expresseque profiteri etiam coniugatos se posse commodè Deo etiam totos consecrare, & corpora sua [b] hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem consecrare. In quem ipsum sensum Origenes hæc Pauli verba etiam de coniugatis intellexit: ait enim; [c] Quoniam videmus nonnullos sanctorum, aliquos etiam Apostolorum habuisse coniugia, non vsquequaque possumus de sola virginitate sentire.] Et post pauca; Puto, *inquit*, quod neque illi, qui in coniugijs positi sunt, & ex consensu ad tempus vacant orationi, veluti Nazaræorum vota soluentes, si in cæteris sanctè agant, & iustè, negandi sunt corpora sua exhibere posse hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.]

a *Nazianz. in fun. Gorgon.*

b Rom. 12.

c *Orig. lib. 9. in Ep. ad Rom. ca. 12.*

D

E

A

CAPVT XI.

Votum continentiæ non esse annexum sacro ordini, neque vllo tali voto dirimi Matrimonium.

Summa Capitis.

Votum nullum sacro ordini est annexum, sed matrimonium cum sacro ordine potest licitè, & insolubiliter cohærere. n. 1. 2. 3.

Votum in sacro ordine Ecclesia voluit expressum, non annexum; neque talis annexio apparet, num. 4. B

Solum votum præsumptiuum in ordine posset adesse, n. 5. Sed & hoc nullum esse facilè probatur, num. 6. 7.

Pœnæ contrahentium post ordinem susceptum, validum supponunt matrimonium, num. 8.

Etiamsi sit annexum votum quodcunq; vel solenne, non potest irritare matrimonium; quod deducitur ex sacra Scriptura, n. 10. 11. 12.

Patres validitatem matrimonij post votum quodcunque initi agnoscunt, Cyprianus, num. 12. 13. 14. 15. 16. Basilius, num. 17. 18. Epiphanius num. 19. 20. 21. Athanasius cum Augustino, num. 22. Chrysostomus, num. 23. Hieronymus, num. 24. 25. Augustinus à num. 26. ad num. 34.

Ex Canonibus eadem validitas confirmatur, & Conciliis, num. 35. 36. 37.

Eandem validitatem matrimonij post votum solenne Romani Pontifices admittunt, Innocentius 1. C *n. 38. Leo, n. 39. Gelasius, n. 40. Gregorius, n. 41.*

Obiectiones proponuntur, & soluuntur, ac primum ex Patribus Ambrosio, Hieronyme, Chrysostomo, n. 42.

Deinde ex Romanis Pontificibus, Siricio, n. 43. Innocentio 1. n. 44. Gregorio, n. 45. Recentioribus, num. 46.

Tum verò ex Conciliis, n. 47. 48. 49.

Præterea ex potestate Ecclesiæ, n. 50. 51.

Demum ex praxi moderna Ecclesiæ, n. 52. 53. 54.

Concluditur caput admonitione, n. 55.

I.

ORdinem sacrum, nullam prorsus habere repugnantiam, iure Diuino, cum nuptijs, statuque coniugali, est omnibus perspectissimum: sacra enim ministeria, à coniugatis etiam omnia peragi posse, nemo negat. Neque Christus Dominus à suo ministerio coniugatos aut repulit, aut repellendos esse, vel censuit, vel statuit, aut mandauit; & hoc est iam omnibus compertissimum. Ecclesiarum tamen Rectores, pulchritudine, & commodis cœlibatus, & continentiæ, deliniti; aliqui laudarunt eam & commendarunt summopere; aliqui verò etiam præceperunt, vt vidimus cap. 10. præcedenti: in Oriente quidem parcius; in Occidente verò nostro amplius, & seuerius; exclusa penitus, ex animis nostrorum clericorum, spe omni, coniugii vllo tempore ineundi. Atque vt id executionem haberet paratiorem, doctrinam quandam priscis temporibus inauditam, & eam quidem falsissimam, simulque valde Ecclesiæ perniciosam, & animas plurimas in barathrum æternæ damnationis crudelissime præcipitantem, prompserunt, & euulgarunt: nimirum, D

a Extrauag. Antiquæ, de voto vtique red.

a Sacros ordines, saltem in Occidente, adnexum habere votum solenne continentiæ. Voti verò solennitatem quandam, similiter nouam, & priscis incognitam excogitarunt; eique vim quandam occultam, & secretam indiderunt, qua inita etiam matrimonia irritentur; & ne vllum inter nubentes sequatur coniugale vinculum, aut sequi possit, efficiat. Atque ita, velint nolint, ij qui sacris initiantur, perpetuo ad contrahenda matrimonia sint inhabiles; & si illa tentent contrahere, actum agant; & non nisi fornicariam sibi adiungant. Imo si etiam ab omni ministerio sacro penitus abijciantur, ac deponantur; adhuc perpetuo in eadem inhabilitate perseuerent, matrimonij prorsus incapaces. Hanc nos doctrinam hoc cap. suscipimus confutandam. E

Accipio

A Accipio in primis confessionem nostrorum Doctorum, hanc doctrinam mordicus defendentium; nimirum, ordinem sacrum esse impedimentum, non tantum impediens matrimonium contrahendum, ne licite contrahatur; sed etiam dirimens contractum, ac efficiens vt nullum sit matrimonium, quod cum illo tentetur contrahi. Inde verò in sacro ordine impedimentum hoc exurgere; [a] Quia ex decreto Ecclesiæ, annexum habet votum solenne castitatis. Itaque secluso voto hoc solenni castitatis, in ordine sacro nullum penitus est ad coniugium, nec de iure, nec de facto impedimentum. Et hoc expressè inter alios, peculiari tractatu [b] tenet, probat, & affirmat Caietanus. Si enim ex natura sua ordo inhabilitaret ad matrimonium, semper & vbique impediret; nec Ecclesia posset dispensare. Ego verò iam ostendo, nullum quodcunque votum continentiæ, sacro ordini, vlla ratione esse annexum: imò neque posse ab Ecclesia annecti alias probabo: & si posset, atque annecteretur, impedimentum tamen dirimens matrimonium nullum affuturum, nunc ostendo. II.

a Sot. de Iust. & Iu l. 7 q. 5. ar. 3 & Bellar. de matrimon. l. 1. c. 21.
b Caiet. in opusc. tom. 1. tract. 27.

B Probo enim nullum vnquam votum efficere, vt matrimonium contractum, si ex alijs capitibus rite sit contractum, suum plenum non obtineat vinculum perfecti matrimonij.

Ac primum indubitatum mihi videtur, votum esse actum proprium illius qui voto astringitur, voluntarium, & liberum; cum sit promissio Deo facto. Promissio verò ex sua natura, est actus liber, & voluntarius, ac perfecte voluntarius in promittente. Ac propterea votum & promissio, si quomodocunque ad vim & coactionem reducatur, nulla est; & neque voti, neque promissionis vim habebit. Cumque sit potissimum actus internus animasticus, præuia rationis plena aduertentia factus, quomodo potest Ecclesia, actum suapte natura vitalem, animasticum, & internum, annectere ordinationi externæ; quæ tota, in quantum est ab Ecclesia, ministerialiter, externo solo opere perficitur? Potest illa quidem ab ordinando requirere, vt si velit sacrum ordinem, votum Deo faciat voluntarium; & C vt, sicut voluntariè ac plenè liberè, accedit ad ordinem; ita consequenter cum voto dicto accedat, similiter libero & voluntario: Alioquin si non vult vouere, ad quod non cogitur, sed liber relinquitur; neque ad ordinem accedat suscipiendum. Sed hinc non sequitur vt ordinandus, cui illa conditio innotuit, accipiens sacrum ordinem, statim vouisse sit intelligendus: Votum enim est actus, vt dixi, totus de se internus; & ordo vt ordo non est actus externus suapte natura voti interni significatiuus; nisi ergo ille expressè dicat, verbis vel signis externis id de se significantibus se vouere, nullo modo vouisse erit intelligendus. Sicut reuera potest suscipere ordines, & tamen internè non vouere; imò conceptum habere internum, non vouendi. Ideoque olim in ordinationibus, vbi Ecclesia vlla cœlibatum omnino volebat, in ordinibus etiam in perpetuum seruandum, votum expressum ab ordinando requisiuit. Quod si potuisset votum hoc annectere ordinibus, ita vt per solam ordinationem virtualiter, & interpretatiue, ordinandus etiam voto hoc castitatis astringeretur; non requisisset vt ordinandus votum emitteret, externis verbis expressum, & pro- D latum. Ita Concilium Ancyranum cap. 9. vt habes supra cap. 10. num. 13. vt impediat Diaconum, ne post susceptum Diaconatum vxorem ducat, ab eo expressam poscit continentiæ professionem; & si illam non expresserit, sed vel tacuerit, vel contrarium fuerit protestatus, & nihilominùs ordinetur, matrimonium postea secutum validum agnoscitur, vt explicuimus cap. 10. num. 13. 14. Imò verò etiam post expressam castitatis professionem, quæ secundum communem doctrinam nostrorum recentiorum Theologorum, votum solenne continet; adhuc tamen, si vxorem ducat, matrimonium tenet; vt fatetur Gratianus: [c] Si verò, *inquit*, Diaconus à Ministerio cessare voluerit, & contracto matrimonio licitè potest vti. Nam & si in ordinatione sua castitatis votum obtulerit, tamen tanta est vis Sacramenti coniugij, quod nec ex violatione voti, potest dissolui ipsum coniugium.] Et planum est, vt dixi, sermonem ibi esse de voto solenni: tale enim [d] votum in ordine ponitur, & non simplex. E III.

c Dist. 27. post c. 1.
d Extrau. Antique, De voto.

Concilium Toletanum secundum cap. 1. Educationem iuuenum ad Ecclesiasticos ordines deputatorum, dum præscribit: [e] Vbi, *inquit*, octauum decimum ætatis suæ compleuerint annum, coram totius Cleri, plebisque conspectu, voluntas eorum, de expetendo coniugio ab Episcopo perscrutetur: quibus, si gratia castitatis, Deo inspirante, placuerit, & promissionem castimoniæ suæ, absque coniugali necessitate spoponderint seruaturos; hi tanquam appetitores arctissimæ viæ, leuissimo Domini iugo subdantur; ac primo Subdiaconatus Ministerium, habita probatione professionis suæ, à vigesimo anno suscipiant.] Non contenti hi Patres expressa & publica professione continentiæ, duos adhuc annos probari volunt Subdiaconum futurum, an in promissa continentia perseueret. Quomodo IV.

e Dist. 28. c. De iij.

ergo in sola ordinatione contineri votum castitatis solenne est dicendum, si & expressum requiritur, & probationi adhuc subditur? In Toletano etiam 4. cap. 26. [a] Presbyteri, aut Diaconi iam ordinati, occasione Parochiarum quæ eis gubernandæ ab Episcopis tradantur, vt professionem castitatis faciant requiruntur. Non ergo in ordinatione talem professionem inclusam Patres illi agnoscebant. Etiam posterioribus temporibus, agnitum est ordinem non habere annexum hoc votum; non modo iure Diuino, quod est in confesso, sed ne Ecclesiastico quidem, siquidem Alexander tertius præcipit [b] coniugatum non admitti ad Ecclesiasticas administrationes *(puto ad sacros ordines)* nisi forte, *inquit*, castitatem vouerit perpetuam.] Si votum & professio seorsim ab ordinando requiritur, profecto ordo id annexum non habet. Et afferendus esset Ecclesiasticus Canon aliquis vniuersalis, quo hæc voti fiat annexio; nullus tamen affertur, quia nullus reperitur. Caietanus tamen [c] postquam statuisset ordinem, nec vt ordinem, nec vt sacrum esse impeditiuum matrimonij, Canonem, Nullum. dist. 28. profert, & est Decretum Gregorij particulare, non vniuersale. Neque fuit vniuersaliter acceptatum, imo fuit ei repugnatum, vt docui, cap. præcedenti, & requirit actualem promissionem ab ordinandis, non facit allegationem voti ad ordines. Sed suis solitis subtilitatibus Caietanus ex eo Canone talem format rationem: Aut omnes Episcopi Occidentales sunt transgressores huius præcepti, aut non. Primum dici non debet; cum ergo transgressores non sint, in omni ordinatione canon habebit effectum, & ordinatus intelligitur vouisse castitatem, ipso facto, non verbo, quia suscipit ordinem ritu Occidentali. Respondeo neque Episcopos esse transgressores, neque canonem in ordinatione habere suum effectum. Quia canoni huic, & similibus facta est resistentia. Vnde coacti fuerunt Episcopi omittere illud præceptum, & relinquere libertati suę ordinandos, cum præsertim certum esse agnoscãt actus internos non posse ab Ecclesia præcipi. Sed neque vlla annexio voti fieri potuit vnquam, aut potest sacro ordini; vt ipse ordo secum ferat necessariò votum. Quia votum est actus internus essentialiter, & liber; non ergo autoritate Ecclesiæ potest annecti ex facto externo; vt optime dicunt [d] Scotus, Durandus, & Paludanus. Ex solo enim interno motu libero voluntatis votum procedit, non ex vllo actu externo, qui voluntatem nunquam potest cogere.

V. Dicent igitur votum esse annexum ex pacto quodam, & conditione tacita, & virtuali; sed votum, vt dixi, est actus proprius, maxime internus, & explicitus. Qui si formaliter non adsit in vouente, vere coram Deo votum nunquam erit. Imo potest, qui ordinatur, intentionem prorsus contrariam tunc actu habere, non vouendi, sed coniugij aliquando ineundi. Itaq; ad summum relinquitur, vt præsumptiuè tantũ, & in solo foro externo adsit votũ; quod coram Deo nullum sit, nec in foro conscientiæ, obliget. Satis ergo fuerit saltẽ in foro conscięntiæ, & corã Deo, matrimonia Clericorum nostrorũ esse valida; & non peccare Clericũ vtẽdo suo matrimonio; etiamsi admittatur semel tantum peccasse, contrahendo contra præceptũ Ecclesiasticũ; præsertim vbi clandestina matrimonia adhuc sunt valida, sicut fuerãt prius. Et vbicunq; etiam Tridentina decreta, quantumuis publicata, ad tollenda hæc matrimonia non iudicantur (de quo aliâs) sufficientia; illaque nullius roboris censentur, aut valoris, circa matrimonij clandestini irritationem. Neque potuit negare Caietanus, ficte accedentẽ ad ordines, respectu actus vouendi, nullo voto obstringi, sed peccare; quod ei concedere facile possum: hinc tamen optime sequitur votum ordini nullum esse annexum, sed solum præceptum vouendi: & hoc volebant Scotus, Durandus, & Paludanus, dum dicebant, non voto, sed statuto Ecclesiæ, ordinandos ad cœlibatum obligari.

VI. Addo votum etiam hoc præsumptiuum, facile nullum & contemnendum posse & debere declarari, vbi internus assensus nullus fuit; externus tamen, etiamsi præsumatur esse, præsumptio nihilominus tota cadit, vbi externus actus voti præsumptiuus, vel minimum quid continere ostendatur coactionis. Ita matrimonia [e] puellarum, nulla declarantur passim, vbi puella ob metum, imo etiam solum reuerentialem patris, ei tale matrimonium præcipientis, cui illa non audeat repugnare, suum præbeat externum assensum. Idem etiam [f] statuitur de professione in Religione. Iam igitur etiam ab ordinandis, cum non audeant protestari se nolle seruare continentiam, quam in ordine, tanquam conditionem positam sciant; & non modo metuant, sed sint certissimi se à sacris ordinibus, quos summopere, etiam pia, & sancta intentione Deo seruiendi, cupiunt, repellendos, metus hic præsumptiuum etiam votum, si quod esset, debet auferre. Atque hinc est quod tres modo citati Doctores, & alij, vt refert Glossa Decretalium, [g] Non potuerint percipere, quomodo Clerici Occidentales, ad continentiam ex voto teneantur: ideoque maluerint asserere eos ad

a c. Quãdo. 14.

b c. Sanc. de Cler. coniug.

c Cait. vbi sup.

d Apud Cait. ibid.

e Henriquez tom. 1. l. 11. c. 9.

f Ibid.

g Glos. in c. Tuarum de Conuersione Coniugatorum.

A ad continentiam, ex sola constitutione Ecclesiæ obligari, nullum votum agnoscentes; Præceptum verò Ecclesiæ, etiam iustum, & validum, vt Clerici sint cœlibes, non ponit impedimentum dirimens, sed tantùm impediens; quod benè vidit [a] Bellarminus, vt propterea ex sola voti, & sane solennis ratione, in ordine impedimentum matrimonij dirimens, petierit, & posuerit, sed gratis: neque id vnquam probare potuit, vt vidimus, & videbimus.

a Bellar. de Matrim. c. 21.

VII.

Quid tamen dicet de illis, qui olim ad Sacerdotium rapiebantur, & vel inuiti ferè ordinabantur? Fatetur id Augustinus, dum Donato Donatistæ neganti quenquam ad bonum cogendum esse, sic respondet; [b] Attende quid Apostolus dixerit, qui Episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit; & tamen tam multi, vt Episcopatum suscipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.] Sic Ambrosius [c] cogitur, vt Episcopatui vel inuitus

b Aug. Ep. 204

c Ambr. Ep. 82.

B humeros subijciat: sic ipsemet Augustinus [d] Tagastæ, in propria patria, verè inuitus, á plebe raptus est ad Presbyteratum: sic [e] Pinianus, vir clarissimus, Melaniæ maritus, Melania ipsa renitente, & reclamante per vim Presbyter est ordinatus: sic prius [f] Paulinianus Hieronymi frater, summa ei vi adhibita, & Diaconus, & postea Presbyter ab Epiphanio factus est. Scribit Epiphanius ad Ioannem Hierosolymitanum, hunc ipsum Ioannem prius quæsisse, vt ipsum Paulinianum sacris initiaret. Cùm enim vidissem, *inquit*, quia multitudo sanctorum fratrum in Monasterio consisteret, inuenire autem, & comprehendere terruum Dei non posses, qui te, eo quod graue onus Sacerdotij nollet suscipere, sæpè fugiebat: sed nec alius quis Episcoporum facilè eum reperiret; vnde & satis miratus sum quomodo dispensatione Dei ad nos venerit cum Diaconis Monasterij, & cæteris fratribus vt mihi satisfacerent, quia nescio quid aduersum eum habebam tristitiæ.] Vis nunc vim videre?

d Aug. Ep. 22. sive 5. tertiæ seriei.

e Ibid.

f Hier. Ep. 60, 61, 62.

C Audi eundem Epiphanium; [g] Cùm igitur celebraretur collecta in Ecclesia Villæ, quæ est iuxta Monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitùs habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi iussimus, & teneri os eius, ne fortè liberari se cupiens, adiuraret nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinauimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes vt ministraret; valde quippe obnitebatur indignum, se esse contestans. Vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimonijs Scripturarum, & propositione mandatorum Dei. Et cùm ministraret in sanctis sacrificijs, rursus eum ingenti difficultate, tento ore eius, ordinauimus Presbyterum: & ijsdem verbis quibus antea suaseramus, impulimus vt sederet in ordine Presbyterij.] Quis igitur ineptiat, & dicat hos qui inuiti, & renitentes ad sacros ordines promouebantur, siue cœlibes, siue coniugati, in

g Apud Hier. Epist. 60.

D votum vllum castitatis, aut continentiæ, siue expressè, siue tacitè consensisse? Et quomodo erga hos ordo habebit annexum votum voluntarium, si ne ad ordinem quidem accedunt voluntariè? Et qua ratione his, si coniugati sunt, eripies vxores; & si cœlibes sunt, ab ineundo coniugio absterrebis? Igitur neque votum hoc continentiæ coniunctum vnquam fuit sacris ordinibus, neque potest, aut potuit coniungi: suaderi potest, præcipi potest, sed sine voluntario assensu, & vera ac deliberata interna præsertim voluntatis promissione, & voti specificata emissione, votum non erit; quod potissimùm coram Deo obtineat vinculum.

VIII.

Inde etiam confirmatur votum non esse ordinibus sacris annexum, & sane votum irritans matrimoniũ, quia pœnæ quas Ecclesia ijs statuit, qui in Clero cœlibatum non tenuerint, sed post ordines vxores duxerint, sunt pœnæ duntaxat, aut depositionis à Ministerio, vt præcedenti capite vidimus, aut ad summum excommunicationis: neque in tota antiquitate est reperire vllum aut Conciliorum, aut Patrum dictum, quo matrimonia hæc irrita, & nulla declarentur. Peccatum quidem agnoscunt, sed matrimonium relinquunt. Sane supra numero 46. capite præcedenti, Iuo Carnosensis matrimonium cuiusdam Canonici solui non posse, neque debere sentiebat: & postea, vt posuimus eodem capite, num. 48. Romani Pontifices talia matrimonia, tanquam valida approbârunt. Aut si qui interdum ex priscis separationem postulant, eò tantùm illam postulant, vel vt ille redeat ad suum ministerium; vel vt ad pœnitentiam, pro illius peccati dimissione, separatio iniungatur; vt inferius disseram pluribus. Ancyranus sanè Canon supra cap. 10. num. 13. Diaconum continentiam professum, si postea vxorem duxerit, à ministerio cessare debere statuit. Vnde & Gratianus supra num. tertio, meritò sic inferebat; si Diaconus hic à ministerio cessare voluerit, contracto matrimonio licitè potest vti.] Canon Nœocesariensis; [h] Presbyterum, si vxorem duxerit, ab ordine suo deponi debere statuit.] nihil præterea. Vidimus etiam in plurimis Canonibus iam productis in præcedentibus, pœnas in transgressores Legum cœlibatus, esse vel depositionem, vel etiam excommunicationem; matrimonia tamen

h Dist. 28. c. Presbyter.

intacta relinqui. In Concilio Aurelianensi 2. Diacono in captiuitate vxorato, post redi- A
tum sola pœna remotionis ab officio iniungitur: [a] Cui sufficere debet, *inquit Canon*, pro actus sui leuitate impleta pœnitentia, pro satisfactione communio.] De separatione nihil, vt nec in tot alijs.

a Conc. Aurel. ca 9.

IX. Iam verò, etiamsi proprium & absolutum adesset votum, quomodocunque illud velimus ponere, adhuc tamen non erit in eo impedimentum dirimens matrimonium. Solennitatem enim, siue publicam professionem voto simplici nihil addere postea ostendam. Quod igitur impedimentum non potest ponere votum simplex, neque solenne votum poterit addere; De qua votorum solennitate agam cap. sequenti. Nunc verò probo euidenter ex factis, & vsu Ecclesiæ, Patrumque assertionibus, vota quæcunque solennia castitatis, etiam monastica, non abrumpere coniugia, quæ post ipsa vota copulentur. Peccare quidem voto rite obstrictos, dum à cœlibatu transeunt ad coniugium, facilè poteri- B
mus concedere; & id facientes acriter reprehendere; atque ad pœnitentiam huius peccati redigere; vinculum tamen matrimonij per eos contracti dissoluere nunquam poterimus, neque potuit vnquam tota Ecclesia; quæ ante hanc nouam doctrinam, talia matrimonia vera esse, & valida, ac retinenda, semper agnouit; & talia, vt de illis etiam dixerit Dominus; [b] Quod Deus coniunxit, homo non separet.

b Matth. 19.

X. Huc mihi dictum Pauli plurimum facere videtur, dum scribit Timotheo; [c] Adolescentiores viduas deuita, Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.] Et postea subdit: Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, Matresfamilias esse, &c.] Viduæ profecto quæcunque assumebantur ab Ecclesia, vt in ea ministeria quædam obirent externa, non sacra, sed pia, & religiosa, quæ circa curam præsertim fœminarum, Clericos, ac præsertim Diaconos obire non decebat; & ab Ecclesia consequenter vt [d] ministræ Ecclesiasticæ alerentur, debe- C
bant votum emittere castitatis; & suo modo etiam illæ ordinabantur; & Diaconissæ etiam vocabantur. Quarum votum castitatis eiusdem prorsus naturæ, & obligationis erat, cum voto castitatis clericorum: Et consequenter si Clericorum votum erat solenne, etiam harum viduarum solenne erat. Ac de viduis voto castitatis astrictis, Paulum hoc loco agere, docent passim Patres plurimi, quos adducit & sequitur [e] Bellarminus. Ita vt fractio fidei, sit intelligenda in Paulo, voti continentiæ fractio, etiam per coniugium. Et quamuis loci huius variæ sint, nec omnino faciles interpretationes, mihi sensus Pauli videtur hic esse, videlicet; Ne admittas in Diaconissarum officium & munus Viduas adolescentulas; sed tantum sexagenarias; quia experientia docet illas iuuenculas, postquam in Christo, id est, de facultatibus Christi, alitæ & nutritæ, luxuriatæ fuerint; id est, non sine luxu, & delicijs, alijsque vanitatibus amorum, confabulationum, lusus, facetiarum, & similium iuuenilium leuitatum, aliquandiu vixerint; tandem ad nuptias conuolant, D
& sic fidem castitatis, in sui ordinatione promissam, faciunt irritam, reatum peccati fractionis voti, & promissionis incurrentes. Quid igitur de illis fiet, si non admittantur in Ecclesiam in numerum Viduarum, & Diaconissarum? Melius est, *inquit*, vt nubant; & non se Ecclesiasticis muneribus dedicent.

d Epiph. in fin. Panarij.

e Bellar. de Monachis. lib. 2. c. 24.

XI. Ex quo iam meum sic deduco argumentum: Experientia docuerat Paulum, iuniores viduas, post votum & professionem, tandem velle nubere; & re ipsa secundis nuptijs se subdere; quamuis non sine damnatione, hoc est peccato. Si post votum hoc solenne, matrimonium esset nullum; hoc non esset nubere, sed scortari. Paulus tamen id nubere vocat, & agnoscit Matrimonium, ac nuptias. Ac ne nubendo viduæ, Ecclesiasticis ministerijs deuotæ, Ecclesiæ amplius iniuriam facerent, quia nuptias hasce impedire non poterat Ecclesia, sed tenebatur eis stare, siquidem matrimonij legitimi vinculum est insolubile, E
suadet vt tales, id est iuuenes, non amplius accipiantur; sed vt nubant quamprimum persuadeantur, nullo voto edito; vt sine peccato faciant, quod si vouerent, sine peccato postea non essent facturæ. Velle enim nubere his peccatum est; quamuis suis postea vti nuptijs non sit peccatum, sed debitum; vt inferius cum Augustino, & alijs, explicabo. Et si quis hic inferat; ergo iuniores viduæ ad votum castitatis non sunt, ex Pauli documento, admittendæ; Respondeo illationem esse optimam; quia, vt dixi, Viduæ illæ ad votum & professionem castitatis, sub officio Diaconissarum admittebantur; ordinariè enim, iuuenculæ non sunt ad professionem castitatis admittendæ. Et experientia quæ Paulum docuit, docet quotidie totum mundum: Vt merito Concilium Chalcedonense cap. 15. Diaconissam, ante annos 40. nolit ordinari. Et Ecclesiastica [f] statuta, velari virgines prohibent

f 20. q. 1. c. Sanctimonialis. cap. Placuit. & cap. Virgines.

in

A in ætate iuuenili. Ac nisi tam arctæ essent Monasteriorum nostrorum, hoc est, vt plurimum, potius Gynæceorum, siue honestorum muliebrium carcerum custodiæ, cum tanta commoditatis, imo & possibilitatis amotione, sæpius adhuc quam solemus, videremus id, quod de suis viduis iuuenculis viderat Paulus.

XII.

Cyprianus cum aliquot collegis, ad quæstionem de sacris Virginibus obscænis respondens, post debitam facinoris increpationem, hæc subdit: [a] Quod si se ex fide Christo dicauerunt, pudicè, & castè, sine vlla fabula perseuerent; ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quam vt in ignem delictis suis cadant.] Casum, lapsumque, quem Paulus in adolescentulis viduis, post earum votum, & ordinationem obseruarat; Cyprianus in Deo sacratis Virginibus timens, & peiorem, ne videlicet secretis scortationibus & impudicitijs, damnationem acciperent, fidei votique promissi irritatione; tanquam minus malum boni amissi permittit, & suadet, vt si non possunt, vel nolunt in proposito permanere, nubant. Quod si nuptiæ post votum solenne professionis Monachalis, non essent veræ nuptiæ, cum vero matrimonio, Cyprianus, & illi Episcopi non suaderent, siue permitterent vt nubant. Paulus sane auteuertit, vt non admittantur ad professionem; ne postea admissæ sponte nubant, & fidem frangant, vt fieri solebat; quod in viduis facilè seruari poterat; non enim deerant Viduæ prouectæ, quæ ad ministeria Ecclesiastica sufficerent, & superabundarent; propterea excludendæ erant multæ; & quia excludendæ erant multæ, Paulus excludendas tradit esse adolescentulas; vt sic & Ecclesia melius sibi pro suis ministerijs prospiciat, & interim occasio scandalorum præcidatur. At verò id in virginibus non est faciendum, quia nulla est excludenda, sed omnes quæ bonum habent propositum, etiam ad professionem admittendæ. Quid si post professionem aliquæ proposito non adeo tenaces illud mutarent? Sancti illi viri respondent, Minus esse malum vt publice nubere permittantur, quam vt in barathrum fornicationum se occulte immergerent.

[a] *Cypr. l. 1. ep. 11.*

B

C

XIII.

Locus hic Cypriani ne officiat Bellarmino nuptias post votum non permittenti, ab eo sic explicatur: [b] Sanctus Cyprianus eo modo loquitur, quo S. Paulus 1. Tim. 5. nimirum occasione quarundam Virginum, quæ parum honestè se gerebant post votum continentiæ, Monet alias, vt si non habent firmum propositum perseuerandi, non voueant, sed nubant. Hic igitur, *inquit*, sensus est verborum Cypriani, Quod si ex fide se Christo dicauerunt, pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent; si autem perseuerare nolunt, aut non possunt; id est, si dum de voto faciendo deliberant, cogitant se non perseueraturas, melius est vt nubant, quam in ignem delictis suis cadant.] Sed magna fit verbis Cypriani violentia, quæ manifestè supponunt virgines illas iam esse in actu suæ professionis, & in ipsa actuali vita Monastica eas vel mutare propositum, vel experiri impossibilitatem continentiæ.

[b] *Bellar. de Monach. l. 2. c. 34. & de matrim. l. 2. c. 21.*

D Addo Cyprianum de illis ipsis virginibus loqui, quæ suis obscenitatibus ruinæ erant proximæ; vt ex antecedentibus, & consequentibus constat. Ea enim præmittit: [c] Deniq; quam graues multorum ruinas hinc fieri videmus, & per huiusmodi illicitas & periculosas coniunctiones, corrumpi plurimas virgines, cum summo animi nostri dolore conspicimus.] statimque subdit: Quod si se ex fide Christo dicauerunt, &c. illæ nimirum quas corrumpi conspexerat. Et postea harum, quibus vt nubant persuadebat, excusationes profert; quod nimirum & inspici, & probari vnaquæque illarum possit, an virgo sit. Sed excusationem hanc non admittit: Quia possunt esse in omnibus impudicæ, & corruptæ, solo seruato integro pudoris clausstro. Etsi, *inquit*, incorrupta inuenta fuerit virgo, ex ea parte sui, qua mulier potest esse; potuerit tamen ex alia corporis parte peccasse, quæ corrumpi potest, & tamen inspici non potest. Certe ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, & inosculatio, & coniacentium duorum, turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur?] Atque his igitur quæ se iam ex fide dicauerant Christo, dicit: si nolint, aut non possint perseuerare, nubant.

[c] *Cypr. l. 1. ep. 11.*

E

XIV.

Sensum tamen Cypriani illum esse, quem posuit Bellarminus, sic ille probat. Primò, Quia S. Cyprianus virginibus illis sub disiunctione concedit, vt nubant, si perseuerare nolunt, aut non possunt. Proinde concedit vt nubant si tantum nolint perseuerare, etiamsi alioqui possent. At post votum licitum esse nubere ei, quæ perseuerare potest, ne Caluinus quidem, aut Petrus Martyr affirmaret.] Mira subtilitas: Duo ordinaria & maxima obstacula Cyprianus commemorauit, quæ solent virgines à bono præposito dimouere: alterum libertatis propriè amorem: alterum incentiua libidinis. Siue igitur ex vtroque nutent in proposito, siue ex alterutro horum, nubant, *inquit*, potius, quam suis delictis

inde

inde prouenientibus, scandala faciant, & alias turbent, quæ neutrum ex his patiuntur. A
Post votum igitur, etiam illæ, quæ ex parte libidinis nullas vehementer patiuntur tentationes, patiuntur tamen vehementissimas ex parte libertatis, vt sint in sæculo liberæ, domos proprias habeant, ornatæ incedant, famulis & ancillis stipentur, & similibus perfruantur; tamen, inquit Cyprianus, adhuc & propter hæc nubant. Solent enim adhuc vehementius ista vrgere virgines ad deferendum propositum, quæ in sola voluntatis suæ libertate consistunt; quàm libidinis incentiua. Itaque, licet ex parte libidinis possint perseuerare, quia ex ea vix vllas graues sentiunt molestias; adhuc tamen nubere permittuntur ex alijs iam commemoratis causis. Et hoc cum Cyprianus licere affirmet, poterunt commode & Caluinus, & Martyr, & quicunque vir maxime Catholicus affirmare; vt vel quia non possunt; vel quia, etiamsi possint, nolunt tamen perseuerare, nubant.

XV. Secundo vrget Bellarminus Cypriani mentem esse illam quam ipse ei tribuit; Quia, *inquit*, de sacris Virginibus in eadem epistola idem Cyprianus dixit, eas grauissime peccare si alicui viro misceantur; & non mariti sed Christi adulteras esse: non ergo potuit nuptias virginibus Deo dicatis permittere; nisi incestam coniunctionem, & manifestam Dei offensionem, seipso teste, permittere vellet. Quis vero credat tam stultum Cyprianum fuisse, vt sciens & prudens, grauissima crimina permitteret?] Hæc Bellarminus. Atqui tamen aperte permisit. Sed neque stultus fuit; exaggerat enim peccatum harum virginum, quæ sine legitimis nuptijs, cum scortatoribus concumbant; & retinentes professionem suam, vt sint, & dicantur sponsæ Christi nihilominus turpibus misceantur coniunctionibus, cum graui Christi Domini, quem sponsum retinere se dicunt, iniuria. Incestam itaque coniunctionem vocat, sine nuptijs, in Religiosa professione factam; & hanc non permittit Cyprianus. Sed vt hanc incestam tollat, permittit coniugalem; non amplius incestam, sed legitimam: cum dispensatione procul dubio in voto & professione castitatis. Quam dispensationem ex legitimis causis sancti Episcopi absque Romani Pontificis, aut ipsius pœnitentiariæ rescriptis, ab ipsorum pendere potestate non dubitarunt. Etsi Romanorum Pontificum concessiones factæ Monachis [a] professis, qui & poterant, & volebant in castitate professa perseuerare, incestos non fecerunt nuptiarum concessarum concubitus, cur incestos concubitus putemus hos, quos Cyprianus cum suis collegis concedit Virginibus professis, ex maiori & vrgentiori causa, respectu dispensatorum, quam sit sola alicuius priuatæ domus, vel familiæ propagatio, & similes? Sed & absque dispensatione permittitur etiam peccatum in voti fractione, nubendo, vt minus malum, ad vitanda mala & peccata grauiora mille obscœnitatum illicitarum, vt videbimus inferius in Augustino. B C

[a] *Nauar. in manual. c. 12. num. 75. & in c. litteras, de regul. spoliat.*

XVI. Tertio vrget idem Bellarminus vlterius, quod Cyprianus lapsas iubet separari; & ne semel quidem, *inquit*, admonet Cyprianus, posse eas cum stupratoribus suis, aut cum alijs, inire matrimonium.] Miror argutias Bellarminum quærere, vbi hebetes etiam in Cypriano vident illum impudicitias illas, & obscœnas, cum Diaconis potissimum, coniunctiones, & dormitiones reprehendere; & vt cessent, illum conari, iubereque vt ista suspecta contubernia separentur: quia illæ impudicæ virgines professæ, quibus melius futurum dixerat si nuberent, nubere tamen nolebant; sed in statu Religioso volebant perseuerare; excusabant enim se non esse vitiatas, & ad inspectionem se offerebant; & nihilominus in suis impudicitijs, obscœnisque conuersationibus, perseuerare volebant: Et sane cum Diaconis; quibuscum inire matrimonium non dabatur; & qui in matrimonium, amisso gradu, non consentiebant, sed de impudicis contubernijs delectabantur. Sub pœnis igitur exclusionis ab Ecclesia, illas à peccato separabat, quæ cum suis amatoribus nubere aut non poterant, aut nolebant. Cum tamen Cyprianus cuperet, & suaderet, vt potius nuberent, vel nupsissent cum quibus legitime potuissent, quam vt scortationibus, & impudicitijs indulsissent, & adhuc indulgerent. Cypriani itaque sententia est clarissima, & maximi momenti, vt propterea tantopere Bellarminus, sed frustra, laborarit, ne sibi tantæ antiquitatis, & auctoritatis in Ecclesia Patrem pateretur aduersarium. Qui sane Cypriani locus, sicut egregie docet nuptias post votum, etiam quod nos solenne vocamus, non esse irritas; ita ad oppugnanda vota continentiæ nihil potest: ad hoc enim Cyprianus ab aduersarijs proferebatur, & a Bellarmino, non sine violentia, explicabatur. Quamuis enim verissimum sit, post votum valida esse connubia; & voti defertio pro connubio vt minus malum quàm sit perpetua scortatio, & impudicitia, permittatur; in Cypriano tamen longè melius esse agnoscitur, si illæ virgines in solo Christi sponsalitio perseuerarent; atque ita in Cypriano votum continentiæ & bonum est, & longè melius quàm nuptiæ; & ita contra voti excellen- D E

tiam

A tiam locus Cypriani nihil facit. Vt mirandum sit cur Bellarminus se tot implicet ambagibus, vbi statim posit patrocinium Cypriani suis auferre aduersarijs. Baronius quoque in eundem scopulum impegit; [a] Illum tamen vnico verbo se putauit euitasse, ad votum simplex confugiendo. Sed ex fide se iam Christo dicauerant, vt ait Cyprianus. Ac propterea Bellarminus votum solenne negare hic non est ausus, Baronius verò lapsis virginibus, nuptias permitti à Cypriano, similiter negare non potuit.

a Baron. tom. 2. an. 253 n. 46.

Eadem penitùs Cypriano in omnibus consentiens, & sensit, & scripsit [b] Basilius; Nisi quod pro leuioribus adhuc causis, & defectibus, sacras, ac Deo dicatas virgines, malit nubere, quam vt dissoluta quadam libertate viuant; tametsi nihil impudici, nihil obscœni, nihil libidinosi eas commisisse animaduertat. Sed & Basilium de Virginibus ante votum emissum loqui contendit Bellarminus; [c] Vt consultius sint facturæ si nubant, priusquam se Deo dedicent; quàm si, post suam dedicationem, flagitiosè viuant. Basilium tamen de
B Virginibus iam Deo dedicatis loqui, est manifestum: ijs enim salutaria præscribens monita, hæc habet. Non enim simpliciter gregariam oportet esse, & vbique diuersantem Virginem illam, quæ iam à nuptijs animum auertit: quasi propterea fugiat nuptias, non vt meliori sponso Christo semper adhæreat, sed vt liberam habeat vagandi facultatem, vitamque hanc religiosam elegerit, & virum habere noluerit, ne illum testem, & iudicem suæ vitæ haberet; sed potius libera à viri subiectione, quæcunque libuerint ageret; neque virum suarum actionum haberet exploratorem. Non, inquam, propterea bona virgo nuptias abnuit; sed vt voluptatibus carnis, & partuum doloribus, & matrum solicitudinibus, ac curis euitatis, sub teste, ac æmulo virtutis Deo, suam vitam ad integritatem gubernaret. Deus enim æmulator est aduersus eas, quæ diuinam pulchritudinem quam in ipsis ille desiderat, adulterant. Nam si abiecto viri iugo, & ad vitam matrumfamilias facta inutilis, & professæ
C virginitati pudenda futura est, tota res damni plena est, dum & ineruditis cogitationibus animum, & remissis exultationibus corpus corrumpit. Longè profectò præstabilius esset, ipsam viro coniunctam, ad vitam gubernari, & matremfamilias factam, quæ matrum sunt præstare. Nam pro Virginibus non agnoscuntur, quæ in angiportus, & domibus oberrant otiosæ, nugaces, curiosæ, loquentes quæ non oportet.] Has igitur ipsas Virgines, quæ iam professæ virginitatem Deo dedicatæ, cum dicta libertate viuunt, præstantius facturas asserit, si expeditè nubant; quam si ita liberè, & otiosè, & curiosè viuant. Et locutione: Basilij sunt de præsenti, non de præterito.

b Basil. lib. de Virgin.

c Bellar. de Monach. l. 2. cap. 34.

XVII.

Sed obijcit Bellarminus eundem Basilium in eodem libro harum Virginum nuptias scortationem, & adulterium vocare; & iuxta leges eas non posse esse alicuius vxores; & nuptiarum prætextum eas à peccato non liberare, & similia proferentem. Respondeo, Basilium exaggerare peccatum & Virginis, quæ per [d] sacrilegium irritam faciat fidem priorem,
D qua se Christo Domino obstrinxit seruandæ pro eius amore Virginitatis; & mariti talis Virginis, qui illius desertionis causa fuerit, & cooperator; Legesque ciuiles commemorare, quæ prohibent sub pœna capitis, [e] Ne quis Deo sacratam Virginem, à Dei seruitute, ad matrimonium auocet. Nam & graue peccatum est vouere, & non reddere; & pro viro corruptibili Christum sponsum deserere; & Christo Domino sponsam eripere, & fœdare] Sed sicut verum adulterium non est, nisi mysticè, & spiritualiter; vt optimè Augustinus contra Basilium infra, quia neque verum sponsalitium, aut matrimonium inter Christum, & Virginem est, nisi spiritualiter; quod matrimonium spirituale per fidem, & charitatem adhuc integrum seruari potest, post nuptias corporales contractas; ita neque sequitur coniugium post votum nullum esse; sicut nullum esset, si votum significaret verum corporale matrimonium. Viuente enim viro carnali, [f] adultera est quæ alteri adhæserit viro. Non
E ita vbi prior vir intelligitur Christus spiritualiter; & posterior, homo carnaliter. Et tamen hoc adulterium, viuente adhuc Christo viro, Deo dicatæ Virginis, exaggerat plurimum idem Basilius; vt deterreat viros omnes à sacris Virginibus ad sua vota, suasque nuptias alliciendis. Facto tamen peccato, & commisso spirituali semel adulterio, matrimonium validum esse non dubitat Basilius; imo suadet, vt vidimus, vt tanquam minus malum, desertionem professionis per nuptias illæ eligant, si vitam verè Virginibus sacris dignam nolint agere. In voto itaque solenni harum Virginum, impedimentum agnouit impediens, non dirimens; & quicquid potuit affere quod aptum esset ad Virgines in officio, & pudicitia retinendas, viros que ab ijs deterrendos, id protulit: ea tamen semper conditione intellecta, vt si nihil tot suasionibus posset obtinere, sed Virgines illæ flagitiosè vellent viuere, potius nubant. Scripsit etiam Basilius ad lapsam [g] Virginem, & vocat adulterium, & impudicitiam,

XVIII.

d Basil. ibid. & reg. fus. disp. c. 14.

e Iustiniani C. De Episc. et Cler. l. Si quis.

f Rom. 7.

g Basil. Ep. 185.

citiam, ac meretricium; quia nimirū non marito vxor, sed scortum fornicario illa adhęserat. A

XIX. Epiphanius, nihil ab his discrepans, cum videret aliquos virginitatis professione obstrictos, [a] qui ad vitandam confusionem apud homines, si propositi desertores agnoscerentur occulte scortabantur; & sub solitudinis aut continentiæ specie, libidinem exercebant; de his ita enunciauit: Melius est vnum peccatum habere, & non plura: melius est lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere secundum legem; & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere; & sic rursum ad Ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum, & fractum, & obligatione opus habentem; & non quotidie occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ à Diabolo ipsi infertur.] En tibi longe clarius rem explicatam, post votum etiam solenne castitatis, nuptias validas adhiberi, in remedium maiorum, plurium, & grauiorum peccatorum. Peccatum quidem agnouit Epiphanius votum proprium violare pœnitentia diluendum: nam & ibidem dixerat; Apostoli tradiderunt, peccatum esse, B
post decretam virginitatem conuerti ad nuptias: Et virginem damnationem habere, si post votum primam fidem irritam fecerit; sed tamen matrimonium legitimum cognouit, quandoquidē illud etiam ad vitāda plura peccata suadebat, vt peccatū quidē sit votum violare, non tamen peccatum sit matrimonium contrahere; vt inferius Augustinus explicabit: Peccatum enim suaderi à sanctis Viris, neque potest, neque debet; & non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Suadet ergo nuptias, vt absolute bonas, & legitimas; nihilque mali in se formaliter continentes; quamuis adiunctum sit peccatum violationis voti; ideoque ait Epiphanius, Melius est vnum peccatum habere, & non plura. Et hoc peccatum consistit in voti violatione; non in matrimonij celebratione.

[a] Epiph. hær. 61

XX. Quid dicet Bellarminus? An non clare loquitur Epiphanius? Sed illum quoque eludere conatur. Hortatur, *inquit*, Epiphanius ad nuptias eos, qui sine voto perseuerabant C
in cœlibatu, & tamen flagitiosè viuebant.] Duoque genera virginum in Epiphanio comminiscitur. Sed in vanum laborat: Semper enim Epiphanius de vnico virginum genere, toto illo tractatu loquitur; quæ Deo virginitatem suam dedicarint. Melius, *inquit Epiphanius*, est vnum peccatum habere, quam multa:] Misceri enim carnaliter in fornicatione post votum, toties quoties id fit, semper duplex peccatum committitur; alterum sacrilegij contra votum; alterum luxuriæ contra castitatem; & fortasse triplex, si adsit præterea adulterium: At verò vxorem ducendo, vnicum, & semel tantum adest peccatum fractionis voti, luxuriæ nullum, quia actus coniugalis non est peccatum: Quasi dicat Epiphanius; Tu, religiose, fornicatione te polluis, & sic frangis votum, ac simul luxuriaris; conuertas potius hunc actum in actum coniugalem, & sic post primum peccatum, cui iam te subijciebas, non habebis amplius peccatum. Neque illud vnum peccatum quod contraponitur pluribus, potest aliter intelligi aut explicari, nisi post votum, vt ego explicaui. D
Melius, *inquit*, est lapsum à cursu vxorem publice ducere, quam sæpius cum voto occulte scortari: & melius est vnum peccatum committere, quam plura. Illud ergo vnum peccatum, quod est melius quam plura, tenet se ex ea parte quæ dicitur melior, vxorem ducere, & illa plura, constant in scortationibus occultis. Melius (*inquit Bellarminus de mente Epiphanij*) post vnam fornicationem transire ad nuptias, quam cœlibem manendo sine voto, exponere se periculo assidue scortandi.] Sed iam sermo est Epiphanio de illis, qui, non semel, sed ordinarie, & consuetudinarie, occulte scortabantur; & ita ibi non est vnicum peccatum. Et idem consilium daret Epiphanius, etiam si, ne semel quidem, aliquis professorum virginitatem, fornicando peccasset; esset tamen in procinctu incontinentiæ se tradendi; nam & huic diceret, melius est vt vnum peccatum facias, quam plura. Et plura illa peccata quibus contraponit Epiphanius vnicum peccatum, sunt peccata actu; non pericula peccati tantum: falsum quippe est, melius esse committere vnum peccatum actu; E
quam manere in periculo peccandi; & illud vnum peccatum quod dicitur melius quam plura, materialiter, & ex accidenti persuadetur ab Epiphanio, & vt fiat potius laudatur, quam vt plura fiant: fornicatio verò illa vna neque persuadetur vlla ratione, neque laudatur. Igitur in contrahendis nuptijs agnoscit illud vnum peccatum, quod, si ille, qui peccaturus sumitur, non haberet votum, nullum esset.

XXI. Sed & in verbo illo, Cursus, manifestum est Epiphanium loqui de ijs, qui iam profes-
si erant virginitatem; ei enim nuptias persuadet, qui à cursu lapsus sit: non vocat, *inquit Bellarminus*, cursum votum cœlibatus; sed solum cœlibatum, quem ille seruaturum sine voto, proposuerat; & postea per fornicationem corruperat.] Sciat tamen Bellarminus in eo tractatu Epiphanium cursum vocare semper ipsum statum virginitatis assumptum, & pro-
fessum

A fessum. Dixerat enim; Nunquid Apostolus eam, quæ semel Virginitatem Deo seruare decreuit, à proprio cursu detrahere volens, hæc præcepit? &c.] Et postea Pauli quædam dicta dicit reijcere eos, qui dilui in Ecclesia fiunt, & persuadent mulierem à perfecto relaxatam cursu, reijcere talem cursus (*nempe professa virginitatis*) perfectionem. Et comparat virginitatem professos, & postea pollutos, athletis: nam athleta, *inquit*, qui certamen corrumpit, flagris cæsus, ex certamine ejicitur: & qui virginitatem corrumpit, ex tali cursu reijcitur, & corona ac brauio priuatur. Et de his paulo pòst subdit: Melius est lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere.] quia ne confunderentur apud homines, occulte (vt ibidem habet Epiphanius) scortabantur. Ex verecundia videlicet, nè dicerentur ab hominibus instabiles, & in promissa virginitate inconstantes, malebant scortari, quam publice vxores ducere; cum tamen hoc melius esset, id est longe minus malum, quam illud. Epiphanius ergo noster est.

B Athanasium iam audiuimus [a] asserentem multos ex Monachis, sicut & ex Episcopis, vxores habere, & filios procreare. Et Augustinus aduersus hæreticos, dictos Apostolicos, non recipientes in suam communionem vtentes coniugibus, & res proprias possidentes; illud obijcit: [b] Quales habet Catholica Ecclesia, & Monachos, & Clericos plurimos.] nimirum & vxoribus vtentes, & propria possidentes. Non deerant igitur Monachi, etiam vxorati, in Catholica Ecclesia; & non Apostatæ, sed veri Monachi. Quandoquidem ab Augustino, ad confutandam illam hæresim, producuntur: & ab Athanasio, ad ostendendum statum Monachalem non cogere quenquam ad continentiam; sed eam à libera voluntate tam Episcopi, quam Monachi pendere. Erat fortasse genus Monachorum Laicorum, & coniugatorum, & cum proprietate rerum, sed vitæ asperioris, & religiosæ, in pœnitentia; sed hi non erant cœnobitæ.

XXII.

a *Hoc lib. 2. c. 10. num. 5.*

b *Aug. de hæres. ad Quod vult Deum hær. 40.*

C Chrysostomus, [c] Longe plures, *inquit*, videas lapsos ex coniugatorum, quam ex Monachorum ordine. Neque enim tam multi ex Monasterijs ad matrimonia accedunt, quam ex iugali thoro se ad scorta recipiunt.] Lapsum non negat, si Monachus vxorem ducat; matrimonium tamen illud, sicut vocat, ita agnoscit. Et vides vsum illorum temporum, vt Monachi interdum ex Monasterio elapsi, ad matrimonia conuolarent. Neque mihi quis hic ad Nouitios nondum professos se recipiat; quia nullus lapsus est, si Nouitius, qui nondum est Monachus, neque dum est castitatem professus, coniugio se liget. Et Monachorum ordo est professorum; comparaturque status coniugatorum, cum statu Monachorum, status verò Monachorum est in solis professis.

XXIII.

c *Chrys. Tit. l. 3. ad. vitup. vitæ Mon.*

Hieronymus, Virginem quandam, quæ à matre discesserat, & seorsim ab illa proprio vtebatur hospitio, sic alloquitur: [d] Si virgo es, quid times diligentem custodiam? si corrupta, cur non palam nubis? secunda post naufragium tabula est; quod male cæperis, saltem hoc remedio temperare. Neque verò hoc dico, quod post peccatum tollam pœnitentiam; vt quod male cœpit, male perseueret; sed quod desperem in illiusmodi copula diuulsionem.] Hanc vltimam periodum sic Bellarminus interpretatur: [e] Hoc est, *inquit*, non horror vt nubas, quia cupiam in eo quod male cœpisti fornicando, male perseueres nubendo: & non potius cupiam pœnitentiam & emendationem; sed quia separationem despero, ideo malo, quod minus est malum, vt marito adhæreas, quam fornicario.] Quæ interpretatio est valde distorta: & Hieronymum facit satis imprudentem, ne dicam impium, qui suadeat nuptias illi semper malas, & cum perseuerantia eiusdem peccati iam cœpti futuras; licet peccatum parum leuius sint effecturæ. Et sententiam similiter impiam appingit Hieronymo, vt sentiat, nuptias huiusmodi post votum (quod tamen Bellarminus facit simplex) continuare peccatum fornicationis ante illas cœptum. Et tamen Hieronymus nuptijs huiusmodi male cœptam fornicationem, tanquam sufficienti remedio, ait, temperatum iri. Et quis vnquam tam impiè de nuptijs legitimis cogitauit; vt si eas præcesserit fornicatio, vtcunque etiam sub castitatis voto, præsertim simplici, malas adhuc, & cum eodem peccato perseuerare arbitretur? stulta sunt ista. Sensus igitur verborum Hieronymi iste est: si corrupta es, nubas: vt tibi secunda post naufragium tabula sit, saltem nuptijs, malum cœptum honestare; & à continuato fornicationum peccato te liberare. Scio tamen longè aptius, & tibi magis proficuum remedium futurum, si, sine nuptijs, per pœnitentiam peccatum commissum aboleres, & statum innuptarum Deo seruientium conseruares. Hoc tamen remedium tibi non propono, quia non possum sperare necessariam ad hoc à tuo fornicario separationem. Et dum tibi pro remedio nuptias propono, tuæ compatiens infirmitati; ne putes me propterea tollere post peccatum pœnitentiam; quæ

XXIV.

d *Hier. ep. 47.*

e *Bellar. de Mon. l. 2. c. 34.*

E 3 esset

esset longe præstantius remedium: & consequenter ne putes, me autore, quasi tollam pœnitentiam post peccatum, tibi nolenti nuptias perseuerandum esse in peccato fornicationum, quod cæpisti, si es corrupta; Quod enim nuptias proposuerim, feci, vt dixi, quia non spero separationem, quam pœnitentia requirit. Alioqui, si tibi nuptiæ non arridēt; & velis tamen remedium pœnitentiæ; Si ad matrem, *inquit*, migraueris post ruinam, facilius poteris cum ea plangere, quod per illius absentiam perdidisti.] A

XXV.

Ad simplex præterea votum confugit Bellarminus, vt locum eludat; & sic ait: [a] Loquitur Hieronymus de quadam virgine, quæ non in Monasterio publicè professa fuerat (nam in eadem epistola hortatur eam vt se conferat ad Monasterium) sed priuatim vouerat continentiam.] Ego vero inuenio olim virgines Deo sacratas, & vere ac proprie virginitatem professas, etiam in proprijs domibus habitasse; & nihilominus habitum Monachalem gestasse, & perfecte regulas Monasticas seruasse. Ita supra vidimus in Cypriano virgines illas impudicas, quas nemo negat fuisse vere professas, [b] quæ se ex fide, inquit Cyprianus, Christo dicauerant, in priuatis domibus habitasse: Ait enim Cyprianus: Quod si pœnitentiam huius illiciti concubitus sui egerint, & à se inuicem recesserint, inspiciantur interim virgines ab obstetricibus diligenter; & si virgines inuentæ fuerint, accepta communicatione, ad Ecclesiam admittantur; hac interminatione, vt si ad eosdem masculos postmodum reuersæ fuerint, aut cum ijsdem in vna domo, & sub eodem tecto simul habitauerint; grauiore censura eijciantur.] Si in Monasterijs inclusæ habitassent, non erat hæc cautio necessaria: idem supponit Epiphanius, sup. num. 17. Et de tribus suis amitis Gregorius hæc scribit: [c] Vno omnes ardore conuersæ, vno eodemque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant.] Ex Concilio Toletano citat Gratianus Canonem huiusmodi: [d] De viduis & puellis, quæ habitum Religionis in domibus proprijs, tam à parentibus, quam per se mutauerant, si postea contra instituta Patrum, vel præcepta Canonum, coniugia crediderint copulanda, tamdiu vtræque habeantur à communione suspensæ, quousque quod illicite perpetrauerunt emendent &c.] Hic Canon, qui reperitur lib. 7. capitular. c. 338. manifeste habet, Moniales etiam in proprijs domibus habitum Religionis suscipere consueuisse; easque nihilominus regulis Religionum subiectas fuisse: & nisi professæ essent, non adeo laboraretur circa earum reductionem; neque earum matrimonia tantopere impugnarentur. Votum enim priuatum simplex, non substat publicè Ecclesiasticis censuris. Quare neque argumentum erit sufficiens, puellam hanc Hieronymi, voto duntaxat simplici obstrictam fuisse, eo quod non in Monasterio, sed in priuatis domibus habitaret. Certe carnibus ei vesci non licebat, vt habemus in eadem Hieronymi epistola; Vinum vix permittebatur; *Balnei* vsus auferebatur; Veste vili, & pulla vtebatur: facie operta & velata in publicum prodibat: & non erat professa monialis? B C D

a *Bellar. ibid.*

b *Cypr. l. 1. ep. 11*

c *Greg. in Euang. Hom. 38.*

d *27. q. 1. c. De viduis.*

XXVI.

Nemo melius & explicatius veritatem, in proposito argumento aperuit, & manifestam protulit, quam Augustinus: qui si solus esset, ne dum tot Viris sanctissimis, & doctissimis consentiens, à magno nos errore posset & deberet retrahere; quo nos imbuti, sub prætextu puritatis, impunissimas nostras facimus Ecclesias; & ofores atque hostes sanctarum nos declaramus, si non in omnibus, in multis tamen, nuptiarum. Augustini locum integrum debeo omnino hic describere. Quanquam vere dormiens, ne dum dormitans; imo temulentus potius [e] Leguleius; Augustinum faciat in his dormitantem. Ita vero habet Augustinus. Ait Apostolus; [f] Quod si se non continent, [g] nubant: malo enim eas nubere quam vri. Hoc enim dixit, vt effrænatæ libidinis malum, non præcipitaretur in turpitudinem flagitiorum, cum exciperetur honestate nuptiarum. Et quod alibi dicit: [h] Volo igitur iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nuptiarum bonum, Apostolica sobrietate, & autoritate commendat: non procreandi officium etiam ijs quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obsequelam legis, imponit. Denique cur hoc dixerit pandit, cum adiungit, & dicit; Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia: iam enim quædam conuersæ sunt retro post Sathanam: vt his verbis intelligamus, eas, quas nubere voluit, melius posse continere, quam nubere: sed melius nubere, quam retro post Sathanam ire: id est ab illo excellenti virginalis, vel vidualis castitatis proposito, in posteriora respiciendo, cadere & interire. Proinde quæ se non continent, nubent, antequam continentiam profiteantur; antequam Deo voueant; quod nisi reddant, iure damnantur. Alio quippe loco de talibus dicit, cum enim in delicijs egerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: id est voluntatem ad nuptias à E

e *Gloss. in c. Nuptiarum. 27. q. 1. V. Cum enim.*

f *Aug. de bono Vid. c. 8. 9. 10. 11*

g *1. Cor. 7.*

h *1. Tim 5.*

A propositō continentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, qua prius vouerant, quod perseuerantia implere noluerunt.] At pergit Augustinus.

Nuptiarum igitur bonum, semper est quidem bonum; sed in populo Dei fuit aliquando Legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam verò humanitatis solatium. Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more, per vlum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine coniugali, non est in homine improbandus affectus, etiam ipsum tamen laudabilius transcendit, & vincit cœlestia cogitans animus Christianus. Sed quoniam, sicut ait Dominus, non omnes capiunt verbum hoc: quæ potest ergo capere capiat, quæ se non continet, nubat: quæ non cepit deliberet: quæ aggressa est perseueret: nulla aduersario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. In coniugali quippe vinculo, si pudicitia conseruatur, damnatio non timetur. Sed in viduali, & virginali continen- XXVII.

B tia, excellentia muneris amplioris expetitur: qua expetita, & electa, & voti debito oblata, iam non solùm non capescere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle, damnabile est. Nam vt hoc demonstraret Apostolus, non ait; Cùm in delicijs egerint in Christo, nubunt; sed, Nubere volunt: habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: & si non nubendo, sed tamen volendo: non quia ipsæ nuptiæ, vel talium damnandæ iudicantur; sed damnatur propositi fraus; damnatur fracta voti fides; damnatur non susceptio à bono inferiore, sed ruina ex bono superiore. Postremò damnantur tales, non quia coniugalem fidem posterius inierunt; sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quod vt breuiter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ post amplioris sanctitatis propositum, nubunt: non quia non damnentur, sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur. Sed cùm dixisset; Nubere volunt, continuò addidit; Habentes damnationem. Et dixit, quare; Quoniam primam fidem irritam fecerunt: vt vo-

C luntatem quæ à proposito cecidit, appareat esse damnatam; siue subsequantur nuptiæ, siue desint.] Prosequitur Augustinus, & ait;

Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria; non mihi videntur satis acutè, ac diligenter considerare quid dicant. Fallit eos quippe similitudo veritatis: Quia enim coniugium Christi dicuntur eligere, quæ Christiana sanctitate non nubunt; hinc argumentantur quidam dicentes; Si viro suo viuo, quæ alteri nubit, adultera est; sicut ipse Dominus in Euangelio definiuit; viuo ergo Christo, cui mors vltra non dominatur, quæ coniugium eius elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt, acutè quidem monentur, sed parùm attendunt hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas. Cùm enim laudabiliter, etiam viuente viro, ex eius consensu, continentiam fœmina Christo voueat, iam secundum istorum rationem, nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui, viuente viro nubit. Deinde cùm XXVIII.

D primæ nuptiæ melioris sint meriti, quàm secundæ, ablit vt sanctarum viduarum ille sit sensus, vt Christus eis videatur quasi secundus maritus, ipsum enim habebant & anteà, quando viris suis fideliter seruiebant subditæ; non carnaliter, sed spiritualiter virum, cui Ecclesia ipsa, cuius membra sunt, coniunx est: quæ fidei, spei, charitatis integritate; non in solis virginibus sanctis, sed etiam in viduis, & coniugatis fidelibus, tota virgo est. Vnius quippe Ecclesiæ cuius illæ membra sunt, Apostolus dicit; [a] Aptaui vos vni viro virginem castam a 1.Cor.11.
exhibere Christo. Nouit autem ille coniugem virginem sine corruptione fœtare, quem in ipsa etiam carne potuit mater, sine corruptione, procreare. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum à sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse coniugia, non paruum malum, vt à maritis separentur vxores, quasi adulteræ sint, non vxores: & cum volunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, cum suis vxoribus viuis, alteras duxerint.] Subdique vlterius;

E Quapropter, non possum quidem dicere à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas adulteria esse non coniugia: sed planè non dubitauerim dicere, lapsus, & ruinas à castitate sanctiore, quæ vouetur Deo, adulterijs esse peiores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum eius fidem non seruat marito; quanto grauius offenditur cum illi ipsi non seruatur fides, in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cùm enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vouit, tanto magis fraudari voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vouendi necessitatem. Hæc ideò disputo ne arbitreris, vel secundas nuptias crimen esse; vel quascunque nuptias, cùm sint nuptiæ, malum esse. Non itaque illas ab te damnatas velis esse, sed spretas. Bonum ergo continentiæ vidualis, luculentius decet, cùm XXIX.

pro illo vouendo, & profitendo possunt contemnere fœminæ, quod & libet, & licet; sed post voti professionem perseueranter fœnandum, & vincendum est quod libet, quia iam non licet.] Hæc omnia Augustinus in opusculo quidem Erasmo suspecto, per nostrum tamen Hispanum Indicem expurgatorium genuino. A

XXX. Quamuis verò clarissime loquatur, adhuc tamen nostri, vt tam acutum euitent telum, imo gladium ancipitem, de voto simplici totum hunc Augustini sermonem volunt intelligi, non de solenni. Contra quos, etsi sola huius loci lectio satis ipsa per se repugnet; scimus tamen vota priuata in iudicio externo Ecclesiæ non agitari: & de voto simplici fatentur nostri omnes, dubium non esse, id matrimonium non dirimere: Augustinus tamen contra illos disputat, qui voto soluebant matrimonia: externasque obligationes huius voti vehementer exagitat: quod vocat oblationem. Obserua præterea verba illa Augustini; Nubant, antequam continentiam profiteantur.] Item, Pro bono viduali vouendo, & profitendo, contemnunt fœminæ quod & libet, & licet; sed post voti professionem, perseueranter fœnandum & vincendum est quod libet, quia iam non licet.] An tibi, Lector, videtur hoc votum simplex? An in voto simplici fit professio castitatis? & tamen harum nuptias, si à proposito & professione discesserint, bonas dicit, & legitimas. Tum verò eos refellit Augustinus, (profecto [a] Basilium, [b] Hieronymum, [c] Ambrosium, [d] Chrysostomum;) qui adulterium ponebant in his nuptijs; in quibus, viuente Christo earum sponso, alius sponsus eligitur. Atqui illi adulterium externum ponebant, quia votum publicum, & solenne considerabant: Augustinus verò, nihil obstante hoc spirituali publico adulterio, nuptias harum laudat, & defendit. Mitto inter votum simplex, & solenne, nullum agnoscere discrimen Augustinum. Adulterium enim idem ponit in fœmina coniugata, quæ de licentia viri, Christo vouerat continentiam: (vbi votum non potest esse nisi simplex) quod alij ponebant in fœmina publicè & solenniter professa; quando inferebat tanquam absurdum, & blasphemum, cum illa Christum fore adulterum. Præterea illa Augustini verba quàm maxime vrgeo: Hæc ideo disputo, ne arbitreris vel secundas nuptias crimen esse; vel quascunque nuptias, cum sint nuptiæ, malum esse.] Quascunque, inquit, etiam post votum: si verò post aliquod voti continentiæ genus nuptiæ fuissent nullæ & irritæ, procul dubio, sicut monuit peccare eas quæ nubunt post votum; non quia nubunt, sed quia votũ non reddunt, nuptias tamẽ earum esse bonas affirmat: ita monuisset post tale, vel tale votum, puta solenne, nuptias non esse nuptias; & consequenter neque bonas: Quascunque tamen nuptias, etiam post quodcunque votum, bonas esse pronunciat. Quod vir bonus & simplex Bernardus [e] capere non potuit: nam de solenni etiam voto Augustinum hæc pronunciasse optime perspiciebat. B C

a Basil. supra n. 18.
b Hier. inf. n 42
c Ambr. ibid.
d Chrys. ibid.
e Bern. de præcep. & dispens. c. 21.

XXXI. Ac vt videas August. sibi semper constantem, non semel, sed sæpius idem docuisse, accipe alium locum eiusdem: in quo considerans iterum Pauli dictum: [f] Cum autem luxuriatæ fuerint in Christo, volunt nubere; hæc habet: [g] Nec tamen ait nubunt, sed nubere volunt: Multas enim earum reuocat à nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens & ipse à superbia, qua formidatur magis hominibus displicere, quam Deo. Hæ igitur quæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impune non possunt, quæ melius nuberent quam vrerentur.] Ac ne frustra ad votum simplex se etiam hic recipiat [h] Bellarminus; Audiat quid statim subdat Augustinus: id est, *inquit*, quàm occulta flamma concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastarentur, quas pœnitet professionis, & piget confessionis.] In simplici & priuato voto ego professionem non inuenio; neque Ecclesia punit eas, quæ cum simplici, & priuato voto nubunt: istæ verò non nubebant, quia ab officio Diaconissarum amouebantur, vt supra vidimus. Patet itaque Augustinum, quod ego supra considerabam, duas formalitates in vno actu distinguere, quando post votum initur matrimonium; vnam negatiuam; alteram positiuam; negatiuam esse, nolle in proposito & promisso perseuerare, sed respuere continentiam, per voluntatem duntaxat, qua illæ volunt nubere: positiuam verò esse matrimonij contractionem: In priorique sola consistere malum, & peccatum: posteriorem verò bonam esse, & in se nec malum nec peccatum continere. Vnde & alijs locis, quoties excipiendum ei fuit, licitas esse cuiuscunque nuptias & bonas, nisi continentiam vouerit, semper peccatum posuit in illa voluntatis mutatione; non in contractu nuptiarum. Hinc illa eiusdem Augustini quæ iam subdo. D E

f 1. Tim. 5.
g Aug. l. de Sancta Virg. c. 34.
h Bellarm. de Mon. l. 2. c. 34.

XXXII. [i] Cæterum quisquis seipsum castrauerit, propter Regnum cœlorum, & in corde suo continentiam vouerit; non solum si mortuero fornicationis crimine maculetur, verum etiam

i Aug. de fide ad Petrum c. 3.

A *etiam si aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secundum Apostoli sententiam, damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit.*] Ac pergit docere obligationem seruandæ continentiæ, vbi quis eam ex corde vouerit, etiam inter coniuges; sed tamen damnationem ponit si quis vouentium vxorem accipere, aut nubere voluerit: non dicit, si quis vxorem acceperit, aut nupserit. Ait similiter: [a] Nuptias quoque diuinitus institutas, & benedictas: & melius quidem si quisquam sine coniugio sit, vt liberius atque plenius cogitet, quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo: tamen illis qui continentiam non vouerunt, nullum esse peccatum, si vel mulier nubat, vel vir vxorem ducat. Eis vero, quam siue coniugati, siue à coniugio liberi continentiam Deo vouerunt, admodum esse damnabile, si vel illi coniugale opus voluerint appetere, quo se non accessuros; vel illi repetere à quo se recessuros illi libera, illi communi professi sunt voluntate.] *Si voluerint*, inquit,
B appetere vel repetere: non dicit si nupserint, si copulam repetierint: Actum enim coniugalem, non est vnquam ausus, malum, vel peccatum facere; timens Manicheismum: sed à voto discedere malum fecit & peccatum. [b] Virgo Dei, *inquit alibi*, quæ respexit ad nuptias, non quia voluit nubere damnatur; sed quia iam ante recesserat; & fit vxor Loth, respiciendo retrorsum.]

a *Ibid. c. 42.*

b *Id. in Ps. 75.*

Vidit Bellarminus nuptias post quodcunque votum in Augustino subsistere, propterea titubat, totus nutat, vbi tuto figat pedem non habet. Conuenit, *inquit*, inter Theologos, matrimonium post votum simplex continentiæ illicitum quidem esse, tamen ratum, nec dirimendum: post votum solenne nullum esse: sic Innocentius, Gelasius, Concilium Toletanum primum. Verum autem post solenne votum nullum sit matrimonium iure Diuino & naturali, an solum iure Ecclesiastico, quæstio est. Nam Albertus, B. Thomas, B. Bonauentura, Richardus & Durandus, ac Dominicus à Soto volunt iure Diuino ac naturali
C matrimonium nullum esse, si post votum solenne contrahatur. Atq; hi dicerent S. Augustinum de voto simplici tantum esse locutum, non de solenni; vt etiam Sanctum Hieronymum in Epist. 47. Contra verò S. Basilium in lib. de Virgini, & Chrysost. in Epist. 6. ad Theodorum, de Voto solenni.] Videndum tamen est an sit eis integrum ita dicere. Ego enim iam probaui, & Hieronymum, & Augustinum, de quocunque voto loqui, etiam solenni: & Basilium, nuptias admisisse post votum solenne; ac in ea parte qua videtur eas negare, illum fuisse egregiè ab Augustino confutatum. Chrysostomum quoque ostendi, Nuptias post votum etiam solenne approbasse; de quo infra. Hi igitur qui votum solenne faciunt iure Diuino naturali matrimonium excludere, doctrinam nouam & inauditam, & Apostolo, atque SS. Patribus contrariam inuehunt; atque propterea non sunt audiendi, sed penitus explodendi: à nobis præsertim qui ex meliorum sententia hoc impedimentum voti solennis facimus per Papam dispensabile.

XXXIII.

c *Bellar. de Monach. l. 2. c. 34. & de matrim. l. 1. c. 21.*

D Ac Scotus (*pergit Bellarminus*) & Paludanus, & Caietanus, & omnis Schola Iureconsultorum, vt refert Panormit. in c. Rursus. Qui Cler. vel Vou. asserunt solo iure Ecclesiastico matrimonium irritum esse, quod post votum solenne contrahitur. Atque hi Augustinum & Hieronymum, vel de voto simplici locutos esse dicerent; vel de solenni secundum regulas iuris Diuini, ac naturalis: Decretum enim Ecclesiasticum, quo inhabiles fiunt ad matrimonium qui votum habent solenne, ad eorum notitiam non peruenisse. Vtraque sententia probabilis est, nec est nostræ considerationis hoc loco quæstionem istam definire.] Hæc ille satis trepide, ac tepide. Concedit itaque titubanter Augustinum & Hieronymum, (cur non etiam Athanasium, Cyprianum, Epiphanium, Basilium, Chrysostomum? &c.) de solenni etiam voto potuisse loqui: & iure Diuino ac naturali votum, quantumcunque solenne, non dirimere matrimonia; sed fortasse solo iure Ecclesiastico. Non
E ergo votum vt votum, sed præceptum Ecclesiæ ne vouentes contrahant, facit irrita matrimonia. Quorsum igitur nos torquent, vt voto solenni dirimi matrimonia credamus, si id se probaturos iam diffidunt; imò si & Patrum autoritate, & ipso iure Diuino constet contrarium? An verò Ecclesia suo solo præcepto positiuo potuit personas, alioquin ex se habiles iure Diuino naturali, ad contrahendum inhabilitare; ita vt si contrahant, matrimonium nullum sit, tractabo lib. 5. & ostendam id fieri non posse, neque huc vllam humanam potestatem posse extendi. Et ostendere deberet Bellarminus decretum illud Ecclesiasticum, quod nondum peruenerat ad notitiam Hieronymi & Augustini; & docere quando primum, à quo, & qua autoritate tale decretum prodierit; illudque ad verbum recitare debuisset. Supponunt quidem id posteriorum temporum, non multo ante nostra, Romanæ [d] Decretales; sed ante illas nihil tale statutum in Ecclesia reperitur. Per posticum profecto, furtiue,

XXXIV.

d c. *Meminimus* c. *Rursus.* c. *Insinuante.* *Qui Cler. vel vou.*

furtiue, & non aperte per ostium, doctrina hæc de inualiditate Matrimonij ex ordine sacro, & voto solenni, ingressa est in Ecclesiam: vt infra explicabo; vbi Bellarminum, decretum hoc probare conantem considerabimus infra num. 50. Posset quidem Ecclesia præcipere suis Clericis, ne contrahant; & illi tenebuntur parere, si volent in Ecclesiastico gradu persistere: hoc tamen præceptum non esset dirimens, sed tantum impediens. Etsi Clericus non pareret, sed vxorem duceret; matrimonium quidem teneret; ille tamen fortasse à suo gradu Ecclesiastico decideret. Nam & ex sequentibus patebit, vsum Ecclesiæ semper fuisse; vt si qui contra præceptum eius nuberent, nuptiæ quidem vt bonæ & validæ relinquerentur, illi vero Ecclesiastica depositione ad summum, vel etiam interdum excommunicatione, plecterentur. Pergamus tamen docere in Ecclesia post votum solenne nuptias integras constitisse. A

XXXV. Theodorus in pœnitentiali sic docet. [a] Si vir votum Virginitatis habens, adiungitur vxori; postea non dimittat vxorem; sed tribus annis pœniteat.] Neque confugias ad votum simplex (quod verbum ex suo addidit corruptor Gratianus) quia votum simplex ad forum externum non deducitur. Et sanè Theodorus si de simplici voto hæc protulit, cur non monuit contrarium de solenni? B

a Dist. 27. c. Si vir.

XXXVI. In Concilijs quoque idem reperies. Ancyranum sic habet: [b] Quotquot Virginitatem pollicitam præuaricati sunt, professione contempta, inter bigamos habeantur.] Bigamos facit propter duplex coniugium, alterum spirituale voti seu dedicationis personæ ad cultum diuinum: alterum carnale matrimonij post votum initi. Quod si non esset verum, & legitimum matrimonium, ad bigamiam reduci non posset. Nam si millies, cum mille scortis vel adulteris forniceris, bigamiæ irregularitatem nunquam contrahes. Non ergo scortationem, sed cõiugalem copulam considerabat hoc Concilium, vbi post Virginitatis professionem fit præuaricatio; nempe vbi fracto voto, nuptiæ eliguntur: hanc ergo & non aliam præuaricationem bigamiæ pœna significat. Valentinum sub Damaso: [c] De puellis, *inquit*, quæ se Deo vouerunt, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decreuimus, vt pœnitentia his non statim detur: & cum data tamen fuerit, nili plene satisfecerint Deo, in quantum ratio poposcerit, earundem communio differatur.] Vel ergo istæ separarunt se statim à maritis susceptis, quando petunt pœnitentiam; vel non; si se separarunt, cur non detur eis statim pœnitentia? si non se separarunt; cur si non statim, tamen postea danda permittitur? Quia videlicet matrimonium tenet; & ideo prius pro peccato fracti voti debent remoueri à sacris; postea admissæ ad pœnitentiã ita coniugatæ, sacris restitui. De separatione igitur & cassatione matrimonii etiam hic ne verbũ quidem. C

b Concil. Ancyr. c. 18.

c Concil. Valen. c. 2.

XXXVII Chalcedonense, [d] Virginem quæ se Deo consecrauit, similiter & Monachum, non licere nuptialia iura contrahere, decernit. Si vero inuenti fuerint hoc perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem, decreuimus vt habeat autoritatem eiusdem loci Episcopus, misericordiam humanitatemque largiri.] Hoc est confitentibus se peccasse, tollat ab eis excommunicationem; & patiatur eos sine illa suo frui matrimonio. Non enim ponit conditionem vllam separationis; & aperte vocat nuptias: fornicaria vero coniunctio non potest, in publico generali Concilio, nuptiarum nomine honestari. Falsum vero est quod ait Bellar. [e] in Concilio Triburiensi c. 23. Canonem hunc Chalced. exponi de tollendo anathemate, si illi ad pœnitentiam venerint; & à male contracto matrimonio discesserint. Triburienses enim totidem verba dicti Canonis recitant; nihil addunt explicationis; suum duntaxat subnectunt decretum. Aurelianense primum: [f] Monachus, *inquit*, in Monasterio conuersus, si pellici postea, vel vxori fuerit sociatus, tantæ præuaricationis reus nunquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur.] Audis Monachum posse & pellici, & vxori sociari: & Concilium distinguit vxorem Monachi ab eiusdem pellice. Si igitur Matrimonium post professionem esset nullum; semper pellex esset, & nunquam vxor illa cui Monachus societur: neque agitur de separatione, sed sola pœna inhabilitationis iniungitur. Matisconense primum; [g] De puellis iam professis, & consecratis, si qua ad coniugium transgredi presumpserit, statuit, vt vsque ad exitum cum marito communione priuetur. Quod si pœnitentia ducti se sequestrauerint, mitius Episcopus circa communionem negatam cum eis agat.] Relinquuntur in matrimonio vsque ad exitum; nec separantur: nisi de consensu sponte se sequestrauerint. Communione tamen priuantur in pœnam fracti voti; quæ non est excommunicatio propriè, vt lib. 5. dicam. D

d Concil. Chalced. c. 16 dist 27 c. Si qua Virgo.

e Bellar. de Mon. l. 2 c. 33. & de matrim. l. 1. c. 21.

f Concil. Aurel. 1. c. 23.

g Concil. Matisc. 1. c. 11.

XXXVIII. Romani etiam Pontifices prisci, nuptias post votum, professionemque castitatis, approbârunt; aut saltem nunquam, tanquam nullas, & irritas reprobârunt. Innocentius primus; E

[a] Monales

A [a] Moniales professas, & velatas, si publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, statuit non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se iunxerant de sæculo decesserit.] Cur potius non dixit; nisi se ab illo separauerint? imò cur potius non præcipit, eas omninò vel inuitas debere a talibus viris, tanquam adulteris separari? quia sciebat diuinum præceptum; [b] Quod Deus coniunxit, homo non separet; sed cur negat etiam pœnitentiam, nisi mortuo viro? quia priuata pœnitentia satis ei erat ad delendum peccatum fracti voti, & perseuerandum sine peccato in suscepto matrimonio. At verò negat eis pœnitentiam publicam, propter scandalum. Ait enim argumento a minori; [c] Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcunque viuente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi vnus ex eis defunctus fuerit; quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigrauit?] Vnde colligimus, in quantum ego conijcio, mulierem talem, vbi incertum sit, & dubium, vter sit illius verus maritus, priorne, an posterior, non fuisse admissam ad publicam pœnitentiam, sed priuatæ pœnitentiæ relictam, ad vitandum scandalum. Quicunque enim ad pœnitentiam admittebatur, is pro certo erat suo tempore absoluendus, & reconciliandus publicè. Scandalum verò fuisset populo, si absolutionibus huiusmodi adulteria fouerentur. Ita profectò necesse mihi videtur esse, vt dicamus, in grauissimis quibusdam peccatis, quæ scandalo essent fermè perpetuo, negatam fuisse pœnitentiam publicam; ne certitudine veniæ, & absolutionis, scandalum multorum crescceret; & in his pœnitentiam priuatam interim suffeciſſe. Inter hæc voluit Innocentius ponere peccatum violatæ publicæ professionis castitatis; vt, non nisi mortuo viro, & quasi extincto iam spirituali putato adulterio, ad pœnitentiam, & consequenter ad reconciliationem publicam admitterentur. Quamuis tamen mihi certum sit adulterium verum non fuisse reputatum, aut reputandum in Moniali, quæ post professionem maritum reciperet. Nam eodem tempore Augustinus adulterium hoc negabat; & nuptias huiusmodi, vt vidimus, confirmabat. Si verò Monialis ad nuptias transgressa, fuisset quidem professa, sed nondum velata, nec benedicta; ei Innocentius, iuxta præscriptum Concilij Valentini supra productum, indulget pœnitentiam largiorem; vt consequenter etiam reconcilietur viuente viro; & cum illo in suo matrimonio relinquatur; quia vulgo nondum putantur plenè religiosæ, nisi susceptо toto habitu, etiam cum velo Monachali: & ita cùm scandalum non esset adeò fusum, indulgebant eis & pœnitentiam publicam, & reconciliationem. Ac propterea cernis Innocentium matrimonia Monialium, etiam solenniſsimè professarum, intacta reliquisse: Neque putes consecratione, aut veli susceptione, fieri virginum professionem; hæc enim, vt plurimum, plenam professionem iam factam subsequuntur; vt colligere potes ex c. Iuuenculas, & c. Sanctimoniales, & c. Placuit, & c. Virgines. 20. q. 1. Eodem tempore Bachiarius suum de recipiendis lapsis ad Ianuarium scripsit [d] Tractatum; in quo licet summa contentione hortetur Monachum quendam, qui Monialem corruperat, & abduxerat, ad pœnitentiam: aderant tamen aliqui, qui matrimonio vt copularentur, suadebant: neque negat Bachiarius futurum fuisse matrimonium, verumque coniugium; sed vrget in sacro proposito vitæ Monachalis perseuerantiam, cum vtriusque pœnitentia.

Leo, [e] Monachum, qui relicta singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias deuolutus sit, publicæ pœnitentiæ subijcit, satisfactione purgandum; Quia, *inquit*, etsi innocens militia, & honestum potest esse coniugium; electionem tamen meliorum deseruisse, transgressio est.] Non imponit ei reditum ad Monasterium; neque ab vxore separationem; sed solam pœnitentiam salutarem, propter peccatum sui propositi transgressionis: & honestum illius vocat matrimonium. Consentit profectò Leo doctrinæ Augustini, ac pergit sic; Puellæ quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum, atque habitum susceperunt; si postea nuptias eligunt, præuaricantur: etiamsi consecratio non accesſit; cuius vtique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent. Ambigi verò non potest crimen magnum admitti, vbi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impunè calcari, quid de eis manebit, qui corruperint fœdera diuini Sacramenti?] In his verò Leo eadem prorsus dicit, & monet, quæ monuerat Innocentius. Sed & insigne est illud, & notandum; Moniales, quæ professæ sint parentum imperio coactæ; si nubant, non præuaricari: Quales sunt hodiè omnes ferè nostræ Moniales, quarum Matrimonium tanto fortius esset, & validius.

Gelasius ita sancit: [f] Virginibus sacris temerè se quosdam sociare cognouimus; & post dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegaque miscere, quos protinus æquum est

a Innoc. 1. Ep. 1. § 12 1; habetur. 27. q. 1. c. 10. 9.

b Mat. 19.

c Innoc. 1. ibid.

d Bibl. SS. PP. to. 3.

XXXIX.

e Leo Epi. 95.

E

XL.

f Gelas. Epist. 6

à sacra communione detrudi; & nisi per publicam, probatamque pœnitentiam, omnino non recipi: sed tamen his viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.] Hucusque ab Innocentio & Leone nihil dissentit; sed eodem sensu loquitur; eodemque sensu hæc sunt accipienda. Illos enim quos dixerat incesta & sacrilega fœdera miscuisse, recipit tamen post publicam pœnitentiam ad communionem. Si verò respuunt pœnitentiam publicam, ad finem vitæ (procul dubio perseuerantes in coniugio, de cuius solutione nihil statuit) etiam admittit ad communionem. Ac pergit de viduis etiam professis statuere si nupserint: Periculi, *inquit*, earum intererit quali Deum debeant satisfactione placare. Nos autem, *ait*, talibus nullum laqueum debemus injicere: sed solum adhortationes præmij sempiterni, pœnasque proponere Diuini iudicij; vt & nostra sit absoluta conscientia, & illarum per se rationem Deo reddat intentio.] [a] Non est, *inquit Bellarminus*, laqueus, de quo loquitur Gelasius, nuptiarum prohibitio, ijs quæ vouerant; sed ijs quæ non vouerant.] fallitur tamen Bellarminus. Verba Gelasij sunt: Quæ viduæ, si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mortali mente calcauerint, periculi earum intererit quali Deum debeant satisfactione placare; quia iuxta Apostolum primam fidem irritam fecerunt. Sicut enim si se forsitan continere non poterant, secundum Apostolum nullatenus nubere vetabantur; sic habita secum deliberatione promissam Deo pudicitiæ fidem debent custodire.] Ac statim subdit; Nos autem talibus nullum laqueum debemus injicere.] Talibus, inquit, quas immediate dixerat debere custodire fidem pudicitiæ Deo promissam. Ad votum [b] simplex recurrit glossa; sed promissa Deo pudicitiæ fides, & ad iudicium publicum Ecclesiæ deducta, non significat votum simplex & priuatum; sed publicum & solenne. Atque hæc tibi, Christiane Lector, multiplicata testimoniorum acies sufficiat; quæ conuincunt omnino in tota Christi incorrupta Ecclesia, vinculo matrimonij nihil vnquam obstitisse, quin forte sit & validum, si præcesserit quodcunq; votum, aut quæcunque professio continentiæ. Si nullum votum obstat, multo minus obstabit ordo sacer; qui non ponitur impedire ac dirimere matrimonium, nisi ratione voti adnexi. Sed neque verum est votum hoc esse ordini adnexum: neque votum id efficere; vt fuse probaui. Igitur cœlibatus à libera Clericorum pender voluntate, & electione: et si post ordines sacros quis contrahat matrimonium, id firmum erit & legitimum, pœnis tamen Ecclesiæ, sed citra matrimonij separationem violentam, subiacebit. Restat vt obiectionibus contrarijs occurramus.

a Bellar. de Monach. l. 2. c. 34.

b Gloss. in c. De Viduis 27 q. 1.

XLI.

Tempore Gregorij frequenter contingebat, vt moniales, dimisso habitu religioso, nuberent, neque tamen Gregorius vnquam de irritatione talium matrimoniorum cogitauit; sed ea semper proprio nomine coniugij, & matrimonij, & nuptiarum cohonestauit. Eiusque verba sunt in Synodo tempore Mauritij; [c] Hinc maximè nimium dolens, & ingemiscens dico, quia aliquot ex Christianis in Occidentis partibus constitutos, audio temere contra Catholicam fidem, & Patrum statuta agere, ita vt consecratas fœminas ducere præsumant mulieres. Si quis Monacham quam Dei ancillam appellant, in coniugium duxerit, anathema sit.] Nec vacat mysterio quod Occidentis partes nominarit; innuens in Oriente hæc esse ordinaria, & consequenter non iure Diuino, sed in Occidente, solo iure positiuo hæc præcipi & regulari. Celebre tamen est quod scribit idem Gregorius de tribus suis amitis; [d] Tres, *inquit*, pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sactæ virgines fuerunt, quarum vna Tarsilla, alia Gordiana, alia Aemiliana dicebatur. Vno omnes ardore conuersæ, vno eodemque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant.] Narratoque tælici duarum exitu, Tarsillæ, & Aemilianæ: Gordiana autem, *inquit*, mox vt solam remansisse se reperit, eius prauitas excreuit, & quod prius latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectu prauæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reuerentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit.] Maritum dicit, non amasium. Verum ergo matrimonium hîc agnoscit; & tamen iam fuerat consecrata.

c Greg. l. 2. ind. 12. ep. 34 & l. 4. ind. 13. ep. 18. & l. 8. ep. 9.

d Gregor. in Euang. hom. 38

XLII.

Obijcies primo ex Patribus, Ambrosium dicentem, hoc dictum Pauli, melius est nubere quam vri; [e] ad nondum pollicitam pertinere; ad nondum velatam. Cæterum quæ spospondit Christo & sanctum velamen accepit, iam nupsit: iam immortali iuncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege connubij adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.] Respondeo idem etiam Augustinum sæpius pronunciasse, sup. n. 27. 32. & præterea de adulter. coniug. c. 15. de conflictu vit. & virt. c. 24. & alijs locis. Ita & Hieronymus; [f] Si nupserit, *inquit*, virgo non peccauit: non illa virgo quæ semet Dei cultu dedicauit.]

e Ambr. ad Virg. lapsam c. 5.

f Hier. l. 1. in Iouin.

Has

A Has verò nubentes non tam adulteras vocat, quam incestas: Etiam Chrysostomus eandem facit exceptionem, vt melius sit nubere quam vri, [a] ijs tantum quæ se Deo nondum consecrarint. Et tamen hi omnes nuptias post votum approbarunt. Quare vt illi, ita & Ambrosius, solum peccatum considerauit quod in fractione voti, & defertione professionis consistit. Et quotcunque prohibitiones inuenies in Ecclesia, ac viris Ecclesiasticis, ne voto obstricti nubant, omnes peccatum respexerunt violationis voti. Verum matrimonia inde contracta nullus horum irrita censuit; nec in votis, siue his prohibitionibus, ac legibus, aliud matrimonij impedimentum inuenerunt, nisi impediens tantum; non item dirimens. Et quod de Basilio dixi, qui adulterium exaggerabat; idem dico de Ambrosio, & Hieronymo nunc citatis; in detestationem illius violationis ea amplificari. Adulterium enim hoc non est nisi spirituale, sicut & coniugium cum Christo; quod coniugium carnale

B cum alio viro non impedit. Cæterum simul cum Basilio, & Ambrosium, & Hieronymum, & [b] Chrysostomum, si quis eos velit matrimonia hæc irrita censuisse, quod non credo, Augustinus satis superque confutauit; quorum illas exaggerationes in quantum matrimonio post votum inito præiudicium generant, non suggillauit modo, sed abunde etiam neque audiendos in hoc, neque sequendos esse conuicit, quamuis peccatum illud violationis professæ castitatis, Augustinus meritò, & cum ipso Chrysostomus, [c] grauius esse vero adulterio asseruerit; quoad grauitatem & turpitudinem peccati: non tamen quoad effectum irritandi matrimonium carnale, post initum matrimonium spirituale.

a *Chrysost. de virg. c. 39.*

b *Chryst. ep 6. ad Theodorum Monachum.*

c *Ibid.*

Obijcies 2°. Siricium ita sancientem, [d] Præterea Monachorum quosdam, atque Monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciuiam, vt prius clanculo velut sub Monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea verò in abruptum, conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexi-

XLIII.

d *Siric. ep. 1. c. 6.*

C bus liberè filios procrearint; quod & publicæ leges, & Ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas, detestabilesque personas, à monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse mandamus; quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subuenire.] Respondeo, primùm hæc videri ad fornicationem spectare, non ad coniugia: si tamen de coniugijs sint intelligenda, dicam illicitam & sacrilegam contagionem, illicitosque complexus, Siricium vocare coniugia professorum, propter peccatum fracti voti. Matrimonia tamen illa non separat, sed ea vsque ad mortem relinquit, sub pœnitentia tamen prædicti peccati. Quod si quid amplius voluit, satis est ab Augustino eodem tempore confutatus, supra num. 28.

Obijcit 3°. nobis Bellarminus [e] Innocentium 1. apertè distinguere inter votum so-

XLIV.

D lenne, & simplex: & asserere, [f] Eam quæ velum sacrum acceperat, ac proinde, *inquit*, solenne votum emiserat continentiæ, si fortè nupserit, non posse admitti ad pœnitentiam, donec vixerit is cui se coniunxit: quemadmodum cum illa agitur, quæ viuente viro, alteri iungitur. [g] Eam verò quæ promiserat continentiam perpetuam, sed velum sacrum nondũ acceperat; id est, *inquit*, quæ votum simplex non solenne emiserat, si postea nupserit, ad pœnitentiam admitti posse.] Ita Bellarminus: Ego verò supra num. 38. Innocentium à nobis stare satis ostendi, & ipsius mentem explicare sum conatus. Libenter verò audiuissem, si mihi Bellarminus explicuisset, quinam esset ille vsus in Ecclesia, vt mulier, quæ viuente viro alteri nupserit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi vnus ex eis defunctus fuerit.] Sic enim loquitur Innocentius, non vt eum refert Bellarminus. Cur negatur pœnitentia, si parata sit à non suo discedere? cur datur pœnitentia si alteruter duorum obierit? Mitto ineptias Glossæ, mortuum quoad affectum: & pœnitentiam, Eucharistiæ sumptionem interpretantis. Distinctionem tamen illam inter votum solenne, & simplex, in dicto

e *Bellar. de matrim. l. 1. c. 21.*

f *27. q. 1. cap. Quæ Christo.*

g *c. Hæ verò ea.*

E Innocentij à Bellarmino positam, expendam cap. sequenti. Esto tamen nunc, fuerit velamen Votum solenne, seu professio solennis, aut signum externum voti solennis; & ante velationem, votum non sit nisi simplex: nunquid velatam nuptam non admitti ad pœnitentiam, & nondum velatam admitti, facit matrimonium illius nullum & irritum, huius vero ratum & legitimum? Quid pœnitentiæ cum matrimonio? Video differentiam aliquam inter votum solenne, & simplex, quoad pœnitentiam: Quoad vinculum verò, ipsorum votorum discrimen nullum video in dicto Innocentij; præsertim in ordine ad matrimonium, & cœlibatum.

Obijcies

XLV. [a] 37.q.1.c.Et quia.

Obijcies 4. Gregorium ita Anthemio præcipientem; [a] Et quia aliquos Monachorum, vsque ad tantum netas profiliſſe cognouimus, vt vxores publice ſortiantur; ſub omni eos vigilantia requiras; & inuentos digna coerctione in Monaſteriis, quorum Monachi fuerunt, tranſmittas] Reſpondeo Gregorium ſeparationem matrimonii non præcipere, quod & Athanaſius & Auguſtinus, expreſſe in Eccleſia, permiſſum & approbatum eſſe teſtati ſunt ſupra num. 22. ſed vt de conſenſu vxoris, coercitio illa fieret, illum præcepiſſe, merito ſupponendum eſt; Alioqui enim indiſcretionis, & iniuriæ culpa non vacaret. Præcipit tamen Gregorius aliam ſeparationem ſeuerius, cuiuſdam [b] Monialis viro coniunctæ. Secutus tamen eſt leges, præſertim Iuſtiniani, ſupra num. 41. quarum metu, quia capitales ſunt, vir ille cogeretur conſentire in reditum, ob male ſibi, & contra leges copulatâ vxorē: procul dubio alio coniugio, illa viuente, caſturus: & in pœnam eductæ è Monaſterio virginis, illa priuatus. Nam & minatur idem Gregorius in fine dictæ Epiſtolæ, ſe in Vrbem Regiam, ad Imperatorem nempe Conſtantinopolim, ſcripturum; quatenus, *inquit*, quod fieri honeſte negligitur, ea qua dignum eſt vltione plectatur.

b Greg. l.8.ep.9.

A

B

XLVI. [c] 27.q.1.c.Vt lex. [d] Ex Quii Cler. vel vo.c.3.4.5.6.7. [e] Concil. Trid. Sess. 24.can.9.

Obijcies 5. Recentiores Romanos Pontifices, nimirum [c] Innocentium 2. qui expreſsè ſeparationem horum matrimoniorum præcepit, & ipſa matrimonia nulla eſſe declarauit: [d] Alexandrum ſimiliter, Cœleſtinum, & Innocentium, omnes tertios, qui idem fecerunt. Et vltimo loco Concilium [e] Tridentinum, quod hoc idem ſolenniter declarauit. Reſpondeo contra hos omnes totam hanc noſtram diſputationem eſſe factam. Qui igitur vult hæc noua præcepta, nouaſque has declarationes & definitiones, veteribus prorſus contrarias tueri, ad ea quæ nos protulimus reſpondeat, & ſoluat prius quæ nos ex aduerſo propoſuimus. Si verò agas autoritate, & videas hos paucos Pontifices, cum tot antiquis eorum præceſſoribus, & cum celeberrimis quibuſque Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ Patribus pugnare, Conciliaque hæc poſteriora, prioribus è diametro aduerſari; his poſtpoſitis, qui ſapuerit illis mecum adhærebit, ſacra præſertim diuina Scriptura, & rationibus ex ſancta fide Catholica depromptis, poſteriores has nouellas definitiones apertè condemnantibus. Spiritus ergo veritatis, non ſpiritus erroris de errore conuictus nobis eſt ſequendus. Sed hi quoque ex ſuppoſitione loquuntur, & ſtatuunt, vt explicabo inferius.

C

XLVII. [f] 27.q.1.c.Denotam. [g] Bellar. de matrim. l.2.c.21.

Obijcies 6. Concilium Tolet. 1. c. 16. ſtatuens, [f] Vt ſi nupſerit Deuota, non recipiatur ad Eccleſiam, niſi viuente marito caſte vixerit; aut non niſi poſt mortem eius.] [g] Ex quo intelligimus, *inquit Bellarminus*, nuptias illas non fuiſſe habitas veras nuptias; quia poſt Monaſticam profeſsionem contractæ fuerant: alioqui enim ſi vere nuptiæ fuiſſent, cur illam continere oportuiſſet ab illo ipſo, qui in maritum fuerat acceptus?] Reſpondeo Concilium hoc mitigaſſe in parte ſtatutum Innocentij; vt concedatur publica pœnitentia, & conſequenter detur remiſsio publica peccati Apoſtaſiæ à Religione, etiam viuente viro, modo caſte viuat: Intellige tu de conſenſu mariti, dantis licentiam vxori, ad profitendam denuo caſtitatem; ad effectum obtinendæ publicæ abſolutionis. Si tamen noluerit maritus conſentire, contenti priuata pœnitentia, poterunt, vt dixi, tuta conſcientia in ſuo matrimonio perſeuerare.

D

XLVIII. [h] Bellar. ibid.

Obijcies 7. cum Bellarmino, Concilium Chalcedonenſe, prohibens nuptias Monachis, & Monialibus vt ſupra num. 37. ex quo ſic deducit Bellarminus; [h] Nunquam fuit dubium inter Chriſtianos peccatum eſſe votum continentiæ violare: fuit tamen dubium an matrimonia poſt tale votum teneant. Hoc igitur declarare voluit Concilium.] Reſpondeo Concilium nihil declarare; ſed præceptum proponere, contra quotidianas tranſgreſsiones Diuini præcepti, de reddendo voto; ac ei pœnam excommunicationis addere. Sicut furtum leges prohibent, Diuino iure etiam prohibitum; adduntque pœnam ſuſpendij, vel alias. Quod verò ait Triburienſe Concilium ita intellexiſſe, vt ipſe vult Canonem Chalcedonenſem; iam dixi falſum eſſe. Affert etiam ibidem Bellarminus Concilium Toletanum quartum, & octauum: Sed in illis nihil habetur, præter prohibitionem, & pœnas, ſeu pœnitentias.

E

XLIX. [i] Concil. Turon. 2.c.16.21. [k] Formul. c.11 [l] Tribur. c.23.

Obijcies 8. Concilium Turonicum 2. in quo de Monachis ſtatuitur; [i] Si Monachus vxorem duxerit, excommunicetur; & de vxoris malæ ſocietatis conſortio, etiam iudicis auxilio, ſeparetur] Ita in Formulien. [k] Moniales nuptæ, auxilio Iudicis laici, debent ſeparari, & detrudi ad pœnitentiam. Et omnium clariſsime Concilium Triburienſe [l] iubet, per vim ſeparari talia matrimonia, vt non cohabitent ſimul, neque colloquantur.] Reſpondeo ſi hæc tria priuata Concilia voluerunt diſſentire à Chriſto, à Paulo Apoſtolo, à tot ſanctis Patribus & Concilijs celeberrimis, eis dicendum eſt; [m] Quare tranſgredimini mandatum

m Matth. 15

A mandatum Dei propter traditionem vestram? Cumque vero non sit simile, ne eos quidem Patres qui hæc Concilia celebrârunt, contra tam apertam, & patentem, totieſque in Ecclesia explicatam, & practicatam veritatem, matrimonia legitima voluisse dissoluere, & irritare; omninò dicendum est, in pœnam defectionis à proposito, rigorosiùs ad separationes etiam violentas deuenisse: non quod matrimonia non essent valida; sed in exemplum aliorum, ne tam facilè religiosi castitati obnoxij, spontéque, & voluntariè illam amplexi, à proposito, cum tanto scandalo resilirent. Nunquam enim arbitror illos, vxoribus horum apostatarum, post ereptos eis maritos, permissuros fuisse, vt alteris, his viuentibus nuberent. Ad deterrendas tamen etiam alias fœminas, ne tam facilè apostatas in viros susciperent, bonum censuerunt, (sed nescio quàm benè) eas etiam inuitas euelli à maritis, absque vlla spe alterius coniugij, illis viuentibus. Sic etiam in eundem terrorem Leges [a] Principum, etiam capite plectendos statuunt eos, qui virgines sacras ad suum matrimonium pellexerint, rapuerintue, non quod matrimonium non sit validum, sed vt vel sic tentationes frangerentur apostatandi. Qui etiam fuit sensus Gregorij; [b] Vbi feruore zeli incalescens, actum coniugalem præteritum viduarum, vomitum, nescio quàm laudabiliter, vocat; & viduas post votum ad vomitum, id est, secundas nuptias respicientes, non excommunicatione modò, sed etiam carceribus terret; vt terrore hoc in proposito retineantur. Eodem spectat etiam Decretum [c] Cælestini secundi longè postea editum.

a C. de Epis. & Cler. l. Si quis. & Nouel. 123. c. 43.

b 27. q. 1. c. Viduas à proposito

c Dist. 29. c. Presbyteris.

L.

B

C

Obijcies 9. Ecclesiam habere potestatem, qua possit impedimenta matrmonij, dirimentia etiam, sua lege, suoque decreto politiuo constituere; & personas aliquas ex iusta causa inhabiles facere ad matrimonium contrahendum. Quamuis itaque olim id non fecerit, cur postea non potuit facere? ita vt doctrina quam ego hactenus exposui, tametsi conuinceret impedimentum hoc ordinis, & voti solennis olim in Ecclesia non fuisse, non tamen aufert Ecclesiæ potestatem, quin postea hoc impedimentum posuerit: sicut positum fuit, saltem nouis postremò citatis iuribus. Respondeo, de potestate hac me libro quinto vti proprio loco disputaturum: vbi, vt spero, ostendam potestatem nullam humanam, etiam Ecclesiasticam, posse auferre homini id quod habet ex iure diuino naturali. Potest quidem exercitium potestatis naturalis interdum prohibere; destruere tamen illam in nullo casu potest; ita vt, si in exercitium, quamuis aliunde illicitè, exeat, effectus non sequatur. Nunc verò interim dico, etiam concessa tantisper hac Ecclesiæ potestate, nunquam ipsam Ecclesiam ad huius potestatis actum deuenisse; neque constare decretum vllum Ecclesiasticum legitimum, quod totam Ecclesiam obligare posit; in quo impedimentum hoc statuatur. Frustra verò insurgit Bellarminus, & dicit; [d] Ecclesia ab antiquissimis temporibus, vt ex testimonijs citatis perspicuum est, tum in Concilijs, tum per summos Pontifices, hoc statuit: fortasse etiam hoc de Apostolica traditione descendit. Nam Cyprianus, Basilius, & Ambrosius, qui hoc impedimentum agnoscunt, ante ea Concilia, eosque Pontifices vixerunt, à quibus hoc decretum factum videtur; & ideo Concilia, & Pontifices, non tam noui aliquid statuisse, quàm vetus decretum innouasse, aut declarasse centendi sunt. Quod autem Ecclesia antiqua, quam veram fuisse Christi Ecclesiam hæretici negare non possunt, fecit, & sæpius repetiuit, stultum atque impium est dicere, non esse iure factum.] Hæc Bellarminus.

d Bellar. de Matrim. l. c. 21.

D

Ego tamen perspicuum, ni fallor, feci, Ecclesiam ab antiquissimis temporibus contrarium, & statuisse, & obseruasse; vt ad Apostolicam traditionem non possit Bellarminus (quæ est sacra nostrorum anchora, vbi nulla suppetat nostrarum falsitatum probatio) confugere. Apostolica enim traditio debet ab ipsis Apostolorum temporibus successu continuato apparere. Apparet verò, in proposita materia, omnino contrarium, quam velit Bellarminus: nempe matrimonia hæc, aut licuisse, aut saltem suo vinculo nunquam caruisse. Et Cyprianus, Basilius, Ambrosius; quin etiam Athanasius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, & tota sanctorum Patrum caterua celeberrima, matrimonia hæc approbauit; neq; hoc impedimentum tanquam dirimens vnquam illi agnouerunt; sed ad summum tantum impediens posuerunt. Idem dico de Concilijs, vt fusè iam probaui: quorum nullum prorsus est, præsertim celebrorum, in quo impedimentum hoc expresse sanciatur.

L I.

E

Primus itaque omnium ex hactenus productis, Innocentius secundus, in Concilio quodam Romano, vltra mille & centum, post Christum, annos, Matrimonia, post sacrum ordinem & votum solenne, Gregorium septimum secutus, vt infra, * nulla esse statuit, & decreuit; ac legem continentiæ, vt ipse fatetur, dilatauit. Innocentium postea secuti sunt posteriores. An verò Decretum humanum, incidenter prolatum, doctrinaliter potius, &

L II.

c 27 q. 1. c. Vt Lex.

in gratiam

in gratiam pœnitentiæ,quàm definitiuè;idque directè militans contra ius naturæ,& contra perpetuum Ecclesiæ vsum, ab ipsa Apostolica traditione seruatum,posit aliquid obtinere, iudicium esto sapientum. An similiter Rom. Pont. siue Romana tota Ecclesia, siue etiam Romana tota Prouincia, posit toti Ecclesiæ vniuersali leges autoritatiue præscribere, erit lib. 8. à me disputandum; & demonstrabo hanc illam non habere potestatem. Alexander verò, Cælestinus, & Innocentius tertij, ac Bonifacius octauus, non definiunt, neque edicunt; sed supponunt vt iam definitum prius, & sufficienter decretatum, [a] ordinem sacrum, & votum solenne, esse impedimentum dirimens: seu potius id supponunt, tanquam iure Diuino certum; sed suppositiones hæ falsæ sunt,vt iam probaui. Si verò statutum hoc Ecclesiæ tandem ad Concilium Tridentinum reducatur, impedimentum hoc voti solennis& ordinis, erit valde recens in Ecclesia, & sua sola nouitate valde suspectum. Cùm tamen Concilium ipsum potius videatur impedimentum hoc vt antiquum stabiliuisse, quam vt nouum costituisse: si probetur vere antiquum non fuisse, sed illegitime & furtiue in Ecclesiam irrepsisse; Concilium errore circa factum, quod facilè est contingere, delusum, re ad examen plenum & exactum, vt fieri necessario debet, non reuocata, aliquid humani esse passum est dicendum. Ac propterea neque à dicto Concilio, cum præsertim non vbique sit receptum; impedimentum hoc sumet aut originem, aut necessariam obseruantiam.

a *Qui Cler. vel voti c.3.4.5.6. 7. & de voto c.11.in 6.*

LIII.

Obijcies 10. Sacerdotũ fœminas,quantumcunq; eis coniunctas, tamen passim à multis sæculis, non nisi concubinas vocari; & per multa Ecclesiastica statuta, non modo tales concubinas clericis prohiberi, sed etiam eas ipsis subtrahi omnes indifferenter;& nunquam excusationem admitti, si quis eas vxores esse obtenderet. Quinimo etiam fidelibus præcipi, [b] ne Presbyterorum, concubinas habentium, missas audiant. Igitur supponit Ecclesia inter Sacerdotem & fœminam quancunque, non posse esse matrimonium; & hoc, non nisi ratione voti solennis,ordinibus sacris adnexi.Respondeo; [c] Abyssum abyssũ inuocare. Ecclesia quidem fornicarias concubinas semper Clericis [d] prohibuit, & eripuit: vxores tamen non ita, vt iam ostendi: nam vel conceduntur, vt in Oriente; vel tolerantur, vt olim in Occidente; vel ad summum Presbyteri vxorati ab officio deponuntur, & in suo matrimonio relinquuntur; vt multi Canones Occidentales exprimunt manifestè. Postquam verò falsissima inoleuit doctrina de nullitate & inualiditate matrimonij Clericorum, omnes etiam sæpissimè legitimæ vxores, sub pellicum, & concubinarum nomine sunt comprehensæ. Atque hoc non nisi à Gregorio 7. quem omnino primum ego obseruo pacis, & tranquillitatis publicæ Ecclesiasticæ turbatorem, qui bono fortasse zelo, sed valde indiscreto, Laicos Principes,occasione inuesti tutarum,compulit vt hostes essent Sacerdotij, vt l.6. tractabo. Clerum verò occasione vxorum quas omnino eripere voluit sed non potuit, vt [e] vidimus, vt tumultuaretur coegit. Non enim contentus tot motibus incassum excitatis, eo tandem deuenit, vt publicè fidelibus omnibus prohiberet *ne* [f] missam Presbyteri coniugati audirent. Et Innocentius secundus Gregorium secutus statuit vt sequitur, videlicet.

b *D.32.ca. Nullus.& cap. Praeter.*
c *Isa. 41.*
d *Conc.Nicen. ca.3.*
e *Hoc l.1.n.10.*
f *Anton.lib 2. ep.56. & Marian Scot.ad. an.1078. Sige. in chron. Auent. l.5. et alij.*

LIV.

[g] Ad hęc prædecessorum nostrorum Gregorij septimi, Vrbani & Paschalis Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes, interdicimus, vt nullus Missas eorum audiat, quos vxores, vel concubinas habere cognouerit.] Quod decretum Innocentij, in hac parte, tanquam penitus exorbitans, noluit Gratianus in suum decretum transferre: sed hac parte mutilatum; reliquum eiusdem decreti transtulit, quod sequitur; Videlicet: [h] Vt autem Lex continentiæ,&c. de quo iam egimus supra n.46. Imo & proximus Gregorij præcessor [i] Nicolaus 2.& postea [k] Alexander 2. non sunt ausi missas prohibere coniugatorum, sed tantum concubinariorum. Cum itaque tam seuere coniugatos puniat Gregorius 7. ante omnes is sane primus merito erit, qui matrimonia Presbyterorum nulla, & irrita esse censuerit: nam & propterea tanto opere contra Clericos coniugales [l] pugnauit. Iam igitur qui potest Gregorium, Vrbanum, Paschalem, & Innocentium ab hæresi [m] Eustathianorum defendere, eos defendat; ego certè non possum. Hi enim illorum dogma innouant ad verbum, quod in Concilio Gangrensi antiquissimo, & summę auctoritatis in Ecclesia tum damnatum decreto tali: [n] Quicunque discernit à Presbytero coniugato, quod non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere; anathema sit.] Atque hoc penitus est missam audire, seu missæ interesse: Missa enim nihil aliud olim fuit, nisi, populo communicaturo, Eucharistiam, seu oblationem consecrare Concilium itaque Gangrense anathema dicit auocantibus fideles, ne missam audiant Sacerdotis coniugati. Nostri verò Pontifices missam Sacerdotis coniugati, non esse audiendam seuere præcipiunt. Si hic non est error intolerabilis

g *Apud Baron ad an.1139. can.7.*
h *27.q.1.c.Vt Lex.*
i *Dist 32.cap. Nullus.*
k *Praterea.*
l *Sub.cap 10. n.43 & seqq.*
m *Sup. cap.10. n.57.*
n *Conc.Gangr. c.4 habetur dist 29 can.Si quis Presbyterum.*

A tolerabilis, quinam erit? Sed non est nouum Decretales Romanas, ex diametro pugnare, cum sanctissimis antiquis Canonibus, [a] Spiritu Dei conditis, & totius Mundi reuerentia consecratis. a Leo p.88.

Placeat continentia Sacerdotum, suadeatur illa, procuretur, præcipiatur; matrimonia interim legitima non damnentur, neque dissoluantur. Si qui Sacerdotum vxorem duxerit, pœnæ nostrorum Canonum sunt præscriptæ: deponatur, ab altari remoueatur, officio Sacerdotali spolietur, inter Laicos reponatur; sed matrimonium non lædatur. Sic enim facillimè, aut veros continentes habebimus; aut experimento certi reddemur, num sub vera continentia ministrorum sufficiens numerus possit haberi: & si non possit, certè Presbyteros coniugatos cogemur retinere; nunc enim coniugatos nolumus, adulteros tamen, scortatores, impudicos, & nefarie inquinatos, ad sacrosancta ministeria, non paucos adhibemus. Ego verò oro & obsecro fratres meos Sacerdotes nostros Occidentales, vt continentes sint, & ad gratiam continentiæ impetrandam serio inuigilent; orationi, ieiunijs, sacræ lectioni instent; occasiones & commoditates fugiant; contra tentationes carnis, armis à Christo Domino porrectis, insurgant. Qui verò de continentia veri & perfecta seruanda diffidunt, eamque capere non possunt, clam, & prudenter, ad persecutiones superiorum euitandas, vxores ducant; ijsque, cum sancta benedictione vtantur, potius quam sordescant: tuta enim conscientia id eis etiam clandestinè licere, iam ego tractatu præsenti præcedentis & huius capitis, reddidi manifestissimum. Loquor de Clericis; nam de Monachis, & de Regularibus, dicam seorsim cap. sequenti: vbi de Votis eorum solennibus, & de professione disputabo. Cum primum cœpit serio Hildebrandus ipsiusque proximi successores Clericorum coniugia insectari, reluctebat Clerus, & nihilominus legitimas nuptias contrahebat. Postea verò, vt supra monui, vel nimium territi nostri Presbyteri, vel libertate carnis delinniti, à contractu legitimo nuptiarum abstinuerunt, & scortis adhæserunt; ideoque sicut prius immeritò Pontifices Sacerdotum legitimas vxores concubinas, & pellices vocitarunt, ita postea Presbyterorum fœminæ scortorum, & concubinarum infame nomen, & meritò sunt sortitæ. Vestrum igitur est, fratres carissimi, vt rursus veris nuptiarum fœderibus & animæ saluti prospiciatis, & nominum infamiam re ipsa, saltem coram Deo aboleatis, veraſq; vxores potius habeatis, quàm tot peccatis, & sacrilegijs animas vestras, vestrarumq; infœlicium fœminarum, ad æternam damnationem oneretis. LIV.

CAP. XII.

Inter Ministros Ecclesiæ, Monachos non esse numerandos.

SVMMA CAPITIS.

Institutio Monachorum, num. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.
Monachorum vita est priuata secessio, in pœnitentiam, & sunt Laici, nu. 9, 10, 11, 12, 13, 14.
Professio publica, & solennitas votorum examinatur, à num. 15. ad num. 30.
Differentia vera inter votum simplex, & solenne, 31, 32, 33, 34, 35, 36.
Matrimonium post votum solenne tenet, à num. 37. ad num. 43.
Solenne votum est solubile, nec eius desertio vere facit apostasiam, num. 44, 45, 46, 47, 48.
Monachi non sunt in numero Ecclesiasticorum, num. 49.
Confirmatio religionum examinatur, num. 50.
Ordo sacer cum Monachatu pugnat, à num. 51. ad num. 61.
Monachus potest fieri Clericus, sine vlla dispensatione, & tunc cessat esse Monachus, n. 63, 64, 65.
Clericatus perfectior & sublimior Monachatu, à num. 66. ad num. 73.
Clerici Regulares, num. 74, 75. Sarabaita, num. 76, 77.

CHristus Dominus, Apostolis solis, suam immediatè commisit Ecclesiam gubernandam; eosque adhibuit suos Ministros, quorum opera, & labore & fundaretur illa, & propagaretur, ac regeretur ministerialiter. Apostoli vero, Christi dispositione, Episcopos, & Presbyteros, tum Collegas, tum successores, in tota ordinaria Apostolica autoritate, habuerunt, & instituerunt; vt est hactenus tum in primo, tum in hoc 2°. libro à me demonstratum. Qui deinde Apostoli, ac postea eorum successores, varia extera officia alijs inferioribus I.

ferioribus Ministris exercenda in Ecclesia tradiderunt; ipsosque varios Ministros instituerunt, vt est ostensum; Qui omnes Ministri Ecclesiarum, siue sacri & maiores, siue minores, Clericorum nomine comprehenduntur. Inter hos verò Monachorum, qui tam inter Viros Ecclesiasticos satis amplum & nobilissimum locum occupant, institutionem non reperies: sed ostendo illos, in nullo gradu, ne infimo quidem, Virorum Ecclesiasticorum, hoc est Ecclesiæ ministrorum; sed inter meros Laicos, esse reponendos. A

II. Institutum Monachorum Christianorum (mittamus nunc Eliam & Elisæum; imo & Ioannem Baptistam; qui ad Synagogam pertinuerunt) priuato hominum studio, priuataque pietate ac deuotione, non vlla publica institutione, emersit. Christus ad Monachatum neminem vocauit; Apostoli Monachum nullum fecerunt; Episcopi, & Ecclesia vetus, Monachalem vitam nemini vnquam præscripserunt. Quid igitur? Ex vita Apostolica, qualem & Apostoli, ac præsertim Paulus; & fideles primitiuæ Ecclesiæ Hierosolymis, magno feruore spiritus, duxerunt, priuati homines, priuato studio, exempla sumpserunt. Et quod Paulus, quod fideles, non lege vlla, non præcepto; sed libere, sponte, propria voluntate, obseruarunt; id sibi aliqui legem & præceptum propria voluntate fecerunt; vt nimirum cœlibes, & continentes viuerent; possessiones, certosque redditus nullos haberent: & si quos haberent, eos in pauperum vsum distribuerent; ipsi vero relictis omnibus, cum Paulo, ex laboribus suis, propriis manibus sibi victum compararent; & interim pœnitentiæ, ac pietatis operibus vacantes, priuatam vitam agerent in solitudine. Et quia præcipua huius Monachalis instituti pars est omnia quæ quis possidet relinquere, & cum Paulo ex proprijs laboribus necessaria sibi, sed sobrijssime comparare, & proprias possessiones in commune erogare, in communique vitam agere; hinc est, quod institutum Monasticum merito Hieronymus Apostolos significet Patres, ac institutores habuisse; dum [a] Clericos & facit Monachos, & vocat Patres Monachorum: & Chrysostomus verba illa Christi, [b] Melius est tibi sine vno oculo &c. Monachis, qui relinquunt omnia, etiam Patrem & Matrem, quæ illos possint scandalizare, applicans ait; [c] Melius est te regnare sine Matre, quam perire cum Matre; & hoc, *inquit*, proprie loquitur ad Monachos; hoc proprie loquitur ad Apostolos: Monachos enim Apostolicam vitam desiderat imitari. Vis o Monache esse Discipulus meus; imo vis Discipulorum meorum esse Discipulus? fac tu quod fecit Petrus, quod fecit Iacobus & Ioannes: habebant oculum scandalizantem, Patrem & Matrem, & rete, dicit ei Iesus; Venite sequimini me, &c.] Et exemplar, vnde sunt desumpti Monachi expresse [d] facit Apostolos. Ait quoque: [e] Sic in monasterijs nunc viuunt; quemadmodum olim fideles.] Bernardus vero idem expresse confirmat, vbi ait; [f] Heu me miserum, qualemcunque Monachum, cur adhuc viuo, videre ad id deuenisse ordinem nostrum, ordinem scilicet qui primus fuit in Ecclesia, imo à quo cæpit Ecclesia; quo nullus in terra similior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei qui in cœlis est Hierusalem mater nostra, siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem; cuius Apostoli institutores; cuius hi, quos Paulus tam sæpe sanctos appellat, inchoatores, extiterunt? Et quidem inter illos, cum nihil quod suum esset quispiam retinuisset, [g] diuidebatur, vt scriptum est, singulis, prout cuique opus erat.] Et ante Bernardum, Concilium Meldense idem profitetur; [h] Monasticum verum ordinem, ab Apostolis originem habuisse. B C D

a Hier. ep. 10.
b Matth. 18.
c Chrys. in ver. Matth. hoc. hom. 18.
d Idem in Matt. hom. 56.
e Idem in Act. Apost. hom. 11.
f Bern. in Spec. ad Cantic. 366.
g Act. 4.
h Concil. Meld. c. 9.

III. Cassianus optimè omnium ex professo rem ita declarat: [i] Tria sunt, *inquit*, in Aegypto genera Monachorum; quorum duo sunt optima; tertium tepidum, atque omnibus euitandum. Primum est cœnobitarum; qui scilicet in congregatione pariter consistentes, vnius senioris iudicio gubernantur; cuius generis maximus numerus Monachorum, per vniuersam commoratur Aegyptum. Secundum Anachoretarum, qui prius in cœnobijs instituti, iamque in actuali conuersatione perfecti, solitudinis elegere secreta; cuius perfectionis nos quoque optamus esse participes. Tertium reprehensibile Sarabaitarum est; de quibus singillatim per ordinem plenius disserimus. Harum igitur trium professionum fundatores primum, vt diximus, debetis agnoscere. Nam profecto ex hoc ipso, vel odium professionis illius nasci poterit, quæ vitanda est; vel eius desiderium, quæ sequenda: quia necesse est, vnamquamque viam, ad illum finem suum pertrahere sectatorem, ad quem autor ipsius, inuentorque peruenit. E

i Cassian. collat. 18. c. 4.

IV. [k] Cœnobitarum itaque disciplina, à tempore Apostolicæ prædicationis sumpsit exordium. Nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in actibus Apostolorum ita describitur, [l] Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna &c. Talis inquam erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobijs inuenire difficile

k Ibid. c. 5.
l Act. 4.

A cile est. Sed cùm post Apostolorum excessum, tepescere cœpisset credentium multitudo; ea vel maximè, quæ ad fidem Christi de alienigenis, ac diuersis gentibus confluebat; à quibus Apostoli, pro ipsis fidei rudimentis, ac inueterata Gentilitatis consuetudine, nihil amplius expetebant, nisi vt ab [a] immolatitijs Idolorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine temperarent: atque ista libertas, quæ gentibus, propter infirmitatem primæ credulitatis, indulta est, etiam illius Ecclesiæ perfectionem, quæ Hierosolymis consistebat, paulatim contaminare cœpisset; & crescente quotidiè vel indigenarum numero, vel aduenarum, primæ illius fidei refrigesceret feruor; non solùm hi qui ad fidem Christi confluxerant, verumetiam illi qui erant Ecclesiæ Principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimãtes id quod videbant gentibus pro infirmitate concessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum substantijs, ac facultatibus suis, fidem Chri-
B sti, confessionemque sequerentur. Hi autem quibus adhuc Apostolicus inerat feruor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes a ciuitatibus suis, illorumque consortio qui sibi, vel Ecclesiæ Dei, remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis, ac secretioribus commanere, & ea quæ ab Apostolis per vniuersum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, priuatim, ac peculiariter exercere cœperunt: atque ita coaluit ista quam diximus discipulorum, qui se ab illorum contagio sequestrauerant, disciplina. Qui paulatim, procedente tempore, segregati à credentium turbis; ab eo quod à coniugijs abstinerent, & à parentum se consortio, mundique istius conuersatione secernerent, Monachi, siue Monazontes, singularis, ac solitariæ vitæ districtione, nominati sunt. Vnde consequens fuit, vt ex communione consortij, Cœnobitæ: cellæque, ac diuersoria eorum, Cœnobia vocarentur. Istud ergo solùm fuit antiquissimum Monachorum genus; quod non modò tempore, sed etiam gratia, primum est; quodque per annos plurimos in-
C uiolabile, vsque ad Abbatis Pauli, vel Antonij durauit ætatem: Cuius etiam nunc in districtis Cœnobijs cernimus residere vestigia.

[a] Act. 15.

V.

[b] De hoc perfectorum numero; &, vt ita dixerim, fœcundissima radice, sanctorum etiam Anachoretarum post hæc flores, fructusque prolati sunt: cuius professionis Principes hos quos paulò antè memorauimus, sanctum videlicet Paulum, vel Antonium, nouimus extitisse; qui non, vt quidam pusillanimitatis causa, vel impatientiæ morbo; sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisque diuinæ, solitudinis secreta sectati sunt: licet eorum prior, necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorum deuitat insidias, heremum penetrasse dicatur. Ita ergo processit ex illa quam diximus disciplina, aliud perfectionis genus: cuius sectatores Anachoretæ, id est, secessores, meritò nuncupantur: eo quod nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas insidias Diaboli calcauerunt; aperto certamine, ac manifesto conflictu, Dæmonibus con-
D gredi cupientes, vastos heremi recessus penetrare non timeant; ad imitationem scilicet Ioannis Baptistæ, qui in heremo tota permansit ætate; Eliæ quoque, & Elisæi; atque illorum de quibus Apostolus ita memorat; [c] Circuierunt in Melotis, &c. De quibus etiam figuraliter Dominus ad Iob; [d] Quis autem est qui dimisit onagrum liberum, &c. In Psalmis quoque; [e] Dicant nunc qui redempti sunt, &c. errauerunt in solitudine, &c. quos etiam Hieremias ita describit; [f] Beatus qui tulit iugum ab adolescentia, quique illud Psalmistæ affectu, & opere concinunt; similis factus sum Pellicano solitudinis, vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.] Hucusque Cassianus. De tertio pessimo genere Monachorum, ex eodem Cassiano dicam inferius. Ex his tamen satis apparet, quo pacto homines priuati, ex prima Apostolorum vitæ communis fidelium institutione, priuata sua electione, & voluntate propria secesserint; & Monachale institutum, à multitudine separatum erexerint; id quod semper maximè viguit, nempe cœnobitarum. Quanuis ne
E Anachoretæ quidem à Monachorum cœnobitarum statu essentialiter differrent: sed solitudine tantùm: De quibus similia ijs quæ à Cassiano scribuntur, Theodoretus literis commendauit: Ait enim;

[b] Ibid. c. 6.

[c] Heb. 11.

[d] Iob. 39. Secundum 70

[e] Ps. 106.

[f] Thren. 3.

VI.

[g] Theodoret. hist. l. 4. c. 19.

[g] Erant in Ægypto homines, qui Angelicam planè viuendi rationem summo studio excolentes, à tumultu ac strepitu ciuili se remouerent, vitamque in solitudine degere instituerent, & loca arenosa, planèque sterilia redderent frugifera; & ex virtute, quam velut legem viuendi sibi proposuissent, fructum Deo gratissimum, pulcherrimumque efferrent. Quod vitæ genus, tametsi alij complures colere incœperant, tamen Antonius ille, multorum ore, ac sermone celebratus, se ordinum illorum, qui seueram hanc & Monasticam viuendi disciplinam sectati sunt, magistrum longe præstantissimum præbuit; itaque solicitudinem

palæstram virtutis Monachis effecit.] Et Hieronymus: [a] Huius vitæ autor, *inquit* Paulus, (*nimirum primus Heremita*) illustrator Antonius; & vt ad superiora contendam, Princeps Ioannes Baptista.] Ad quem Ioannem, propter solitudinem, Anachoretarum initia, reduxit etiam [b] Chrysostomus. Sed cœnobitæ Monachi, vt vidimus, sunt veri Monachi, ante Paulum, & Antonium iam institutum, ex quibus Anachoretæ prodierunt; non diuersi Monachi, sed ijdem; redacti tamen ad remotas solitudines: Ex Monasterijs enim in heremi solitudines deceptos multos auocatos deflet [c] Bernardus. Interim tamen nullam cernimus Monachorum publicam, siue à Christo, siue ab Apostolis, aut ab Ecclesia institutionem; sed priuatam ac liberam priuatorum, priuata voluntate secessionem. Et sane non ad vllum publicum officium, aut Ecclesiasticum exercitium, circa regimen Ecclesiæ & fidelium, aut Ecclesiarum publicarum curam; sed ad priuatum dumtaxat bonum, ipsorummet secedentium; vt paulo post explicabo.

a *Hier. ep. 22. alio vita Pauli heremi.*

b *Chrysost. in Marc. Hom. 1. et Hom. de Ioã. Baptista.*

c *Bern. in Cant. serm. 64.*

VII. Philo Iudæus contemporaneus nostris Sanctis Apostolis, in libro de vita contemplatiua, institutum hoc idem nostrorum, vt videtur sub Marco, Monachorum, plurimus est persecutus. Insigniora verò quæ de ipsis asserit, sunt hæc: [d] Huic vitæ instituto, *inquit*, qui se addicunt; non ex more, aut rogati, id faciunt; sed amore correpti rerum cælestium: – facultates suas relinquunt liberis aut cognatis, vltro eis possessione cedendo. – Relictis facultatibus & auocamentis omnibus, fugiunt sine respectu fratrum, liberorum, parentum, vxorumque, & deserunt numerosas agnationes, societates, amicitias, ipsas deniq; patrias in quibus geniti, educatiq; sunt. – Demigrant alio, – & extra mœnia degunt in hortis, aut villis solitarijs, amantes solitudinem; non hominum odio, sed ad cauendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt bonis moribus officere; – singuli habẽt sacras ædiculas, quæ semnia vocant, siue Monasteria, vbi solitarij sanctæ vitæ mysterijs dant operam; nec cibi, potusue quicquam eo inferunt; aliudue in vsum corporis.] Ac pergit eorum describere summam abstinentiam, vitæque miram austeritatem. De Monachis præterea Aegyptijs, (nam in Aegypto maximè floruerunt) agunt plurimus etiam Athanasius in vita Antonij, Nazianzenus orat. 18. in B. Athanasium; Basilius de instit. Monach. Hieronymus ep. 4. ad Rusticum; & in vita Pauli heremitæ; Augustinus de opere Monachorum; & in Ps. 99. &c. Ephrem de vita, & exercitatione Monastica; Climacus in sua scala; Emissenus decem Homilijs ad Monachos; Chrysostomus Homil. 59. & 69. in Matth. & ad Popul. Antioch. Homil. 56. 57. 58. ac sæpe alibi: & multi alij. Qui omnes Monachalem vitam & professionem egregie describunt, à vita & professione nostrorum Monachorum toto cœlo differentem. Omnes tamen solam liberam hominum secessionem, vitamque ab ipsis, priuata eorum voluntate sic institutam, ad exemplum tamen Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, agnoscunt.

d *Apud Euseb. hist. l. 2. c. 16. 17. &c.*

VIII. Neque verò enim aliud est Monachorum genus in Occidente nostro, quam sit hoc quod in Oriente est institutum. Romam enim, & consequenter in Occidentem totum, Monachismus fuit primum ex Aegypto ab Athanasio magno inuectus: & initio quidem ludibrio habitus, postea tamen mirificè propagatus. De quo sic Hieronymus: [e] Nulla eo tempore (*quo Marcella mira præbebat exempla sanctitatis*) nobilium fœminarum nouerat Romæ propositum Monachorum, nec audebat, propter rei nouitatem, ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanasio; & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant; vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis, Monasteriorumque in Thebaide, Pachumij; & Virginum, ac viduarum didicit disciplinam: nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat.]

e *Hier. ep. 16.*

IX. Secessionem hanc Monasticam, priuatis, vt dixi, studijs priuatorum factam, non ad publicum & commune bonum Ecclesiæ, (nisi in quantum priuatorum virtutes Christianorum, totam exornant Ecclesiam) sed ad priuatum cuiusque fructum & emolumentum, totam spectasse quis ambigat? Basilius id fatetur: [f] Monachorum, *inquit*, vitæ ratio, vnum sibi tantummodo propositum habet, animæ salutem; & quicquid prodesse ad eum finem potest.] Innuit idem [g] Gregorius: Ad pœnitentiam enim potissimum peragendam, siue pro delictis iam perpetratis; siue ad fugienda perpetranda, tam propria, quam aliena, Monachi austerum vitæ genus sunt amplexi, & ad Monasteria sese conferunt.] Explicat id Hieronymus & ipse Monachus; sic enim scribit: [h] Pudet dicere, de cauernis cellularum damnamus orbem; in sacco & cinere volutati de Episcopis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis Regius animus? Catenæ, sordes, & comæ, non sunt diadematis signa,

f *Basil. de inst. Monach.*

g *Greg. l. 2. Ind. 11. ep. 62.*

h *Hier. ep. 57.*

A signa, sed fletus.] Item de se & Vincentio Monachis, hæc ait: [a] Ob id enim & ego Antiochiam, & ille Constantinopolim, Vrbes celeberrimas, non vt te in populis prædicantem (*alloquitur Ioannem Hierosolymitanum*) laudaremus; sed vt in agris, & in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus.] *Item:* [b] Monachus non Doctoris, sed plangentis habet officium; qui vel se, vel mundum lugeat; & Domini pauidus præstoletur aduentum: Qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere ne impingat, corruat, atque frangatur; vnde & mulierum, maximeque adolescentularum vitat aspectum; & in tantum castigator sui est, vt etiam quæ tuta sunt pertimescat.] Remouet Hieronymus Monachum à publico Ministerio; non vult vt doceat, quod est maximè proprium Ecclesiastici ministri officium; non vult vt cum hominibus conuersetur, sed abdat se in solitudinem: ne me, *inquit*, B capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus: fateor imbecillitatem meam; nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium deuitaui; si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari? aut scuto, aut pedibus, mors vitanda est. Tu qui pugnas, & superari potes, & vincere: ego cum fugero non vinco in eo quod fugio; sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est vicino serpente dormire; potest fieri vt me non mordeat; tamen potest fieri vt aliquando me mordeat.] Et Chrysostomus: [c] Vere lugendi domus est Monasterium.] Et [d] Euryches non male dicebat; Monasterium esse sepulchrum Monachorum.] Bernardus quoque Basilium secutus, amplificauit aliquid contra suos Monachos, Diaboli tentatione ad officia Monachorum impropria allectos. [e] Et scimus, *inquit*, Monachi officium esse non docere, sed lugere — & certum est, quod publice prædicare nec Monacho conuenit, nec nouitio expedit, nec non misso licet.] Mo- C nachus igitur non est missus, nec inter missos reponendus: Missio verò facit Ecclesiæ ministros, vt est in superioribus explicatum. Et rursus idem Bernardus asserit, [f] Monachum non habere docentis, sed plangentis officium; quippe cui, *inquit*, oppidum carcer esse debet; & solitudo Paradisus.] Priuatum itaque tantummodo suum proprium bonum totus spectat Monachus, in arena publica certare, in Ecclesia laborare non debet, vt fugiat pericula: ab omni publico officio & munere, siue ministerio est remotissimus: sibi soli vacat; nam inde etiam nomen Monachi est adeptus: quamuis Monachum à cœlibatu etiam, quod vxoris societate carere, & solus sine socia esse velit, dictum putet Cassianus supra, vbi ait, [g] Ab eo quod à coniugijs abstinerent; & à parentum se consortio, mundique istius conuersatione secernerent Monachi, siue Monazontes, singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt.] Ita etiam Chrysostomus, vt infra videbimus.

a *Idem ep. 61.*

b *Idem ad u. Vigilantium.*

c *Chrysost. l. 50. hom 60.*

d *In Concil. Chalced. act. 1.*

e *Bernin Cant. serm. 64.*

f *Idem ep. 323.*

g *Cassian. Collat. 18. c. 5.*

X.

Imò quia Monachi sunt pœnitentes, & Monasteria loca agendæ tantum pœnitentiæ D destinata, hinc est quod Vrbanus secundus mandat, & vniuersaliter interdicit; [h] Ne quis Canonicus, nisi sit publicè lapsus, Monachus efficiatur;] Lapsos enim Clericos, cuiuscunq; gradus, & incorrigibiles, Ecclesiastica statuta in Monasteria Monachorum, ad agendam cum illis pœnitentiam, detrudunt. 12. q. 1. c. 1. & 16. q. 6. c. 5. & 23. q. 8. c. 5. & 24. q. 3. c 22. & 33. q. 5. c. 2. Et Gregorius lib. 2. Ind. 11. Ep. 27. & Gregor. 9. cap. Gaudemus. de conuersione coniug. Alexand. 3. cap. Clerici. de excess. Præl. Innocentius 3. c. Inter. de purg. Can. & c. Vt famæ. de sentent excom. Ac insigne est quod scribit Zacharias ad Bonifacium, de quibusdam malis & falsis Sacerdotibus: [i] Hos, *inquit*, ministros Satanæ, & non Christi, vbicunque repereris, carissime nobis, aggregato Prouinciali & Sacerdotali Collegio, omnimodo deuita, & Sacerdotali honore priuatos, sub regula Monachica, & pœnitentia submissos, vitam finire ordinabis.] Pleni sunt libri Ecclesiastici exemplorum, quibus ad Monasticam vitam in Monasterijs degendam, ad pœnitentiam, Clerici præsertim E delinquentes compelluntur. Et hæc diutissimè fuit maxima & extrema pœna, quam Ecclesia potuisset infligere; vt alias explicabitur, lib. 5.

h *1. 99. cap. Mandamus. & c. Intelleximus. de cens. & qual. ord.*

i *Zachar. ep. 11.*

XI.

Quid igitur est Monachus aliud nisi merus & purus laicus, pœnitens tamen, & arctiorem vitam, sub Regula, in communitate ducens? Et cœnobia Monachorum societatem hominum continent piorum, sed laicorum; priuatam, sed purissimam, & Deo gratissimam, ex primo instituto, vitam degentium; à Clericis, vt infra patebit, omnino separatam. In populi sane laico ordine Monachos Areopagita collocat: nimirum inter illos qui initiantur: nam ait; [k] Dicimus quidem ordines esse qui initiantur; multitudines eas, quæ à sacris muneribus, perfectionibusq; arcentur: — eos Ministri sanctis suis facultatibus perficiunt.] Atque in hoc Laicorum ordine, primo & summo loco collocat Monachos.

k *Areopag. de Eccles. hierar. ac ordin. quæ init.*

Summus vero, *inquit*, eorum omnium, qui initiantur & perficiuntur ordo, est sanctorum Monachorum, — traditus perficienti Pontificum ordini.] Item; [a] ijs qui Monachi instituti sunt, valuæ adytorum occlusæ sunt; ad quas & initiantur, & assistunt; non vt eas custodiant; sed vt agnoscant, & se, & ordinem suum, propiusque ad populum, quam Ecclesiastici ordinis homines accedere.] Ex his verbis collegit Lindanus, [b] Monachos arceri ab ingressu chori: & inter laicos habendos. Ibique multa dicit Areopagita contra Monachos officia Ecclesiastica attentantes. Ita & Epiphanius inter laicos eosdem reposuit Monachos: qui plures tamen numerat laicorum ordines, & alio modo: Docturus enim ex quo hominum communium & laicorum ordine, ministri Ecclesiastici soleant assumi; [c] distinguit, vt vidimus, hominum communium ordines in Virgines, Monachos, continentes, viduos, & coniugatos. Et qui Canones Romanæ Synodi sub Syluestro collegerunt, tametsi sub diuersitate referantur, quos tamen Gratianus legebat, sic habent can. 7. Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho exorcista, exorcistæ lector, lectori ostiarius, ostiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco repræsentent obsequium; siue in publico, siue in gremio Ecclesiæ.] Cum igitur postremus in ordine Clericali & infimus semper in Ecclesia habitus sit ostiarius; hic vero & Abbas, & Monachi sint infra ostiarium, planum est eos extra Clerum inter penitus laicos censeri.

a *Idem ep. ad Demoph.*

b *Lindan. Panopl. l. 4 c. 75.*

c *Epiph. in fin. lib. de hæres.*

d *Dist. 93. c. A Subdiacono.*

XII. Id vero ita esse agnoscit Chrysostomus, & clarissimis verbis explicauit; quæ sunt huiusmodi: sed quid ad nos hæc, inquis, qui non sumus Monachi? Hæc mihi dicis? Dic Paulo cum dicit; [e] Vigilantes in omni patientia & oratione: cum dicit; [f] Carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. Non enim Monachis tantum ista scripsit, sed omnibus qui erant in Ciuitatibus. Num enim sæcularis homo debet aliquid amplius habere Monacho, quam cum vxore cohabitare tantum? hic enim habet veniam; in alijs autem nequaquam: sed omnia æqualiter sicut Monachi agere debet.] Clarius & fusius alibi, sic enim loquitur: [h] At, inquies, eiusdem criminis non est eum qui sæculo addictus sit peccare, & eum qui semel se ac penitus Deo deuouerit, religionis proposito excidere; neque enim ambo eadem ex altitudine decidunt: ita nec eadem quidem vulnera susciptiunt. Fallis te ipsum prorsus ac decipis; si putas aliud à sæcularibus viris, aliud à Monachis requiri, hæc enim fere sola est in vtroque genere vitæ differentia; quod illi quidem matrimonij vinculis se constringunt, hi vero his liberi perdurant. In reliquis vero communis atque eadem ab vtrisque vitæ totius ratio requiritur. Eisdem pro culpis pœna vna omnibus debetur. Nam qui fratri suo irascitur sine causa, siue ille sæcularis, siue Monachus fuerit, Deum simpliciter offendit: atque hic qui mulierem respicit, & concupiscit eam quolibet in vitæ statu fuerit, eadem adulterij plectetur pœna. Imo vero vt aliquid ex nobis addere, quod rationi consentaneum videatur, audeamus; magis, sine vlla spe veniæ peccabit, qui ex sæculo id scelus admiserit; neque enim par facinus admittere videtur, qui vxoris solatio subnixus decore mulieris irretitur; atque is qui eiusmodi auxilio, & infirmitatis remedio destitutus hac interdum peste corripitur.] An non tibi videntur ab hoc viro sanctissimo & doctissimo Monachi plane laicis æquiparari? nam, vt dicebam, Monachi sunt ipsi laici continentes, & pœnitentes, ac vitam sanctiorem sectantes; quales erant olim [i] Hierosolymis laici fideles sub Apostolis: superaddito tamen cœlibatu, & communi domicilio; & fortasse certo habitu; sed tritum est illud; [k] Habitus non facit Monachum.

e *Chrys. in ep. ad Heb. hom. 7.*
f *Colos. 4.*
g *Rom. 13.*
h *Idem ad. Vitup. Vitæ monast. l. 3.*
i *Act. 4.*
k *c. Perrectum. de Regular. & Cœlestin. ep. 1.*

XIII. Quoscunque sane fideles, etiam vxoratos, Monachos esse posse, docet idem Chrysostomus; quia maxime essentiale quod faciat Monachum, vult esse pietatem, & erga Deum magnam religionem, ac feruorem in Dei seruitio; & seruitio tali quod à quocunque fideli præstari possit; ait enim ad populum; [l] Omnes vos fieri volo Monachos: non vt coniuges non habeatis; sed vt cæteras virtutes prouideatis, quæ vos Deo commendare possunt. Monachus enim non solum propterea dicitur, quia vxorem non habet; sed quia religioni Dei, & seruitio ipsius mancipatus est; & cura illi est quemadmodum Deo, non sæculo placeat: & qui magis eligit castitatem, quæ Deo cara est, & Spiritus Sancti habitatio. Volo ergo vos in religione Dei feruere.] Itaque da mihi laicum in domo sua, sed à curis domesticis liberum habitantem; caste & pie viuentem; ieiunantem; pœnitentem; precibus instantem; & sic Deo seruientem, hic est ipsissimus Monachus. Nam & propterea etiam fœminæ ad eandem prorsus professionem admittuntur; quæ tamen à Ministerijs Ecclesiasticis sacris sunt remotissimæ, & eorum incapaces.

l *Chrysost. 2. in ps. 50.*

XIIII. Audiamus Iuonem Ecclesiasticorum institutorum peritissimum; Abbas quidam ex eo quæsierat

A quæsierat, vtrum Monachus, qui tantùm à Monacho, & non à suo Abbate benedictus est, sit iterum à suo Abbate benedicendus? Respondeo; [a] Id fieri, & dimitti posse arbitror, absque vllo benedicti, vel benedicentis incommodo. Monachi enim benedictio, non est manus impositio, vel alicuius sacramenti ex Apostolica traditione celebratio: Nec aliam vim habere mihi videtur, quam super pœnitentem absolutio; vel super populum Sacerdotis oratio. Dicit enim B. Hieronymus; Monachus non habet officium docentis, sed plangentis; qui se & mundum lugeat. Sicut ergo Monachus in hoc officio sibi soli prodest, ita ex gratia vocantis, solus ad hoc officium accedere potest. Nec præiudicat ad salutem, vtrum a simpliciter Monacho, vel Abbate suscipiat benedictionem: quia verum Monachum nulla facit exterior adiectio; nisi mundi contemptus, & plena Dei dilectio. Quod in Principibus huius ordinis Paulo videlicet, & Antonio, & multis alijs Aegyptijs Monachis facilè apparet: qui nullam à præcedente Abbate, vel Monacho suscipientes benedictionem, B perfectam ab eo qui habitare facit Monachos in domo, sui laboris consecuti sunt retributionem.] Monachum itaque perfectum, & completum agnoscit Iuo, antequam vlla se externa professione vlli mancipet; sola mentis, & suæ voluntatis facta, ad mundi voluptates contemnendas mutatione, & vitæ monachalis arreptione.

a Iuo Ep. 42.

Si ramen Monachi statum aliquem in Ecclesia faciunt a laicis diuersum, is profectò erit propter publicam, quam emittunt professionem; & votum solenne, quo se mundo subtrahere, & Deo deuouere dicuntur. Cùm tamen sacer ordo, præsertim præsbyteratus, & Episcopatus, in quo adest specialis externa vocatio Dei, per suos Ministros, autoritate speciali ad hoc per Christum eis data, & missio, & vera ac propria consecratio, vt docui cap. quarto, ex qua nouam, & prorsus admirabilem ordinati accipiunt ad regendam Ecclesiam potestatem; de qua libro quinto; non exuit tamen hominem sua libertate; vt si nolit clericalem ordinem retinere, non fiat plenè (quoad forum externum) sui iuris; & cum communi hominum multitudine humana, & naturali plenè non potiatur libertate. Multò minus Monachalis professio, quæ priuata tantùm est, vt ostendam, & nulla peragitur externa vocatione, aut deputatione, aut consecratione, vt nunc asseruit Iuo, & mox pluribus ego probabo, poterit hominem sua naturali exuere libertate. Non enim priuatæ hominum congregationes, priuata eorum voluntate collectæ, & ad pia opera applicatæ, statim à communi laicorum statu separantur, & fiunt, quæ dicuntur Religiones. Quia iam tot essent Religiones, & status Ecclesiastici à laicis separati, & distincti, quot piorum hominum sunt conuenticula, quæ vocant Confraternitates, re vera pijs, & spiritualibus, ac Deo acceptissimis operibus exercendis plurimæ institutæ. Neque dicas Monachorum, & Regularium Religiones, ab his priuatis sodalitatibus esse diuersas, publica, & solenni, atque Ecclesiastica Professione, nec non Ecclesiæ sanctæ acceptatione, publica approbatione, & confirmatione, ac consecratione: iam enim ostendo hæc Monachos in nouo statu Ecclesiastico à laicis diuerso non constituere.

XV.

Votum ego liberum, hoc est, voluntariè, & deliberatè, ac prudenter, & cum pleno rectæ rationis vsu de bono opere susceptum laudo, approbo, extollo, arripio etiam cum diuina gratia; & omnibus arripiendum consulo: ac præsertim votum perpetuæ continentiæ, etiam à licitis: puta à gulæ, à libidinis, & à vanitatum mundi delectamentis: vt promptius, sublatis peccandi occasionibus, & commoditatibus, Deo, & purius in ieiunio, in psalmis, in castitate, in fletu, & planctu, & pijs alijs exercitationibus seruiatur. Et qui ritè vouit, illum ego cum sanctis Patribus præcedenti capite recitatis, obnoxium esse suo voto non dubito, cùm dicat Scriptura; [b] Vouete, & reddite. Et qui voti sui fractor inuenitur, is peccat grauissimè: & [c] habet damnationem, quia fidem Deo datam facit irritam. Alienum verò à Christiana veritate, & sacræ Scripturæ institutioni, Apostolicæ institutioni, sanctorum Patrum adhortationibus, & Ecclesiæ sanctæ perpetuæ consuetudini aduersum esse arbitror, voti religionem, & vtilitatem deprimere, & Monasticæ vitæ excellentiam eleuare. Indignumque Christiana mente est, velle ornamentum hoc insigne sanctæ Ecclesiæ, quo illa fortasse vt præcipuo, in oculis [d] Ethnicorum enituit, denigrare, obscurare, dejicere, & exterminare. Monachismum quidem præsentem, qualem in magna, imo fortasse in maxima parte cernimus; non nisi vmbram, & re vera ne vmbrā quidem veri antiqui Monachismi; sed nomen solum habentem deridendum, contemnendum, imò & abolendum, ac prorsus ab Ecclesia Catholica exterminandum Catholicus quisque, & zelum pietatis, veræque Religionis habens, cupiat, & exoptet. Antiquus tamen verus Monachismus, siue virorum, siue fœminarum vt redeat, innouetur, ac restituatur, optandum vehementer est, & totis

b Psal. 75.
c 1. Cor. 9.
d Chry. quod regul. fœm. virib. cohab.

XVI.

fiteri, ipsam aggressionem vitæ Monasticæ intelligit, vt antecedentia & consequentia ibidem manifestant, & Ananiæ exemplum conuincit. A

XXII. In hoc profectò exemplo Ananiæ, forma Monasticæ professionis satis clarè elucet, vt primum præcedat internum animi propositum, & deliberata voluntatis electio, in qua tamen nondum à sacra diuina Scriptura ponitur obligatio, etiamsi hic apparere possit fermè votum, quod nos vocamus simplex. Ait enim Petrus, Nonne manens tibi manebat?] Et istæ iam vendiderat agrum, certè cum proposito deliberato se vitæ illi deuouendi, quamuis non sine vana gloria; Poterat tamen adhuc impunè, teste Petro, & sine peccato à voto hoc simplici, quod coram Deo dixi esse potius simplex propositum deflectere, & resilire; alioquin Petrus non reliquisset illum in sua libertate; deinde subsequitur effectus, vt quam vitam internè quis conceperat, proposuerat, vouerat, externè etiam actu ipso arriperet. Et in hoc ego, cum sacra Scriptura (supposito tamen Ananiæ voto) libenter pono votum solenne, & consequenter sub reatu damnationis tunc tantùm, & non prius, obligatiuum. His & similibus autoritatibus, & rationibus motus Gratianus, illud in suo propolito casu pronuntiauit, [a] Aliud est propositum corde concipere, & etiam ore enuntiare; aliud est subsequenti obligatione se reum voti facere. Quia ergo iste propositum sui cordis ore simpliciter enuntiauit, non autem monasterio aut Abbati se tradidit, nec promissionem scripsit, nequaquam reus voti habetur.] Certe ex autoritatibus quas colligebat Gratianus, nec male, intellexit obligationem ad monachandum ex nullo actu interiore exoriri, nisi postquam aliquis vitam ipsam monasticam arripuerit, siue tradendo se Abbati à quo sit recipiendus, siue suam professionem, vt tum moris erat, solennizando. Propterea merito [b] Gonsaldus Presbyter moribundus, ex solo interno voto Monachandi, opere compleri nondum cœpto, mutata voluntate, fuerit iudicatus à Papa Alexandro 2. ad monachandum non teneri. Secus verò alium Clericum item moribundum, [c] quia habitum acceperat, ad Monachismum obligatum esse meritò censuit Innocentius 3. B C

a 17. q. 1. c. fin. §. Si ergo.

b 17. q. 2. c. 1.

c De Regular. c. Sicut 2.

XXIII. Hinc est quod absque vlla alia solennitate, absque vllo voto expresso, absque vlla emissa professione, diu perfecti Monachi & fuerint, & sint habiti, quicunque, siue in domo propria, siue in Monasterijs, talem vitam actu ipso externo voluntarie sint amplexi; & secundum illam viuere cæperint; cum intentione in ea perseuerandi: quocunque signo externo dato de talis vitæ actuali susceptione; siue per mutationem habitus, siue per sui oblationem ordini Monachali factam, siue per secessionem aliquam, siue per ingressum in monasterium, cum vitæ Monasticæ in eo apprehensione, siue per tonsurationem, siue per benedictionem, siue alijs modis. Cum enim ex vera pietate & religione, & non animo fallendi homines, reali conuersione se Deo dicarent, non opus erat aut nouitiorum probationibus, aut solennibus votis, aut aliis publicis professionibus, tabulis vel instrumentis: vbi se quisque coram Deo vere professum sentiebat, & suæ professionis erat, ex solo Dei timore, & amore, tenacissimus. D

XXIV. Ac quemadmodum sola capitis rasura, aliudue quoduis externum signum, absque vllo voto, Clericus primum ad vitam Clericalem admissus intelligitur; & per talem tonsuram ille Clericatum profitetur, & votum re ipsa & actu, etsi non voce, nec emissione, explicat suum, quo se Deo dedicat in Clericatu, assumens vitam Clericalem, & re vera iam est Clericus professus, nec potest coram Deo sine sacrilegio vitam hanc deserere, & ad laicatum nisi ex grauissima causa redire, neque amplius requiritur ab eo vllum votum solenne, quo profiteatur vitam Clericalem; atque ex hac professione Clericali (si vera sunt quæ Patres nonnulli asserunt, & nos lib. 9. adducemus) abdicare se proprietate rerum temporalium tenentur, qui velint ex Ecclesiæ bonis viuere: & tamen votum paupertatis in Clerico quis posuit? Si igitur ea vera sunt, includetur in professione Clericali etiam hæc abdicatio. Ita Monachus, sola vitæ Monasticæ apprehensione, Monachus professus est habendus: In quo nullum aliud votum solenne requiritur; cum satis vouisse hanc vitam intelligatur, vbi sponte in perpetuum, & non ad solum experimentum, pro amore Dei, se ei subiecit. Parem vero esse prorsus professionem iam dictam Clericorum, cum professione Monachorum, colligitur ex Concilio Chalcedonensi, vbi sic statuitur. [d] Eos qui semel in Clero taxati fuerint, siue in Monasterio deputati, decreuimus, neque ad militiam, neque ad honores sæculares venire. Eos autem qui hoc ausi fuerint facere, & non eius rei pœnitere maluerint, vt ad hoc idem reuertantur, quod ante, obtentu Dei, sibi proposuerunt, conuenit anathematizari.] Et ex Moguntino in quo hæc habemus: [e] Constituit sane sacer iste conuentus, vt Episcopi, siue Abbates, qui non in fructum animarum, sed in auaritiam, & E

d 20. q. 3. c. 3.

e c. Finali ea.

turpe

turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt, pœnitentiæ Canonicæ, vtpote turpis lucri sectatores, subiaceant. Hi verò qui electi comam deposuerunt, in eo quod cœperunt perseuorare cogantur; res verò eorum hæredibus reddantur.]

XXV. Quoniam tamen, refrigiscente charitate, Monachi postea cœperunt facilè Monasteria fastidire, & ad mundum redire, fierique suæ professionis desertores; ad vinculum internum voti coram Deo, excogitauerunt Monachorum Patres addere vinculum humanum expressæ, & conceptis verbis, certisque solennitatibus peragendæ professionis. Vt vel ita sic & discernerent fictos Monachos à veris (non enim deerant qui negarent se Deo vitam illam promisisse: aut cum intentione in ea perpetuò perseuerandi ad eam accessisse) & ad perseuerantiam magis adhuc, publicis his professionibus, astringerentur. [a] Quod verò postea, *inquit Iuo*, multiplicatis Monachorum congregationibus, professiones ab eis exactæ sunt, & benedictiones super eos datæ, quadam cautela factum est; vt Monasticus ordo, quanto firmius in conspectu Dei, & hominum, & solennius ligaretur, tanto robustius, & deuotius ab ipsis seruaretur. Etsi qui vellent ab hoc proposito recedere, testimonijs pluribus conuincerentur, & tanquam iurati in Christi sacramenta tyrones, ad propositum suum reuerti cogerentur. Quibus liquet traditiones huiusmodi nihil esse aliud, quàm quædam religionis vincula, humanæ instabilitati prouisa. Quoniam omnis traditio religionis nouitate, & raritate viget, & floret; antiquitate verò, & numerositate, nisi districtè ligetur, & seruetur, frigescit, & vilescit.] Hucusque Iuo sapientissimè.

a Iuo Ep. 41.

XXVI. Inde itaque cœperunt, ad humanam cautelam, non ad vllam voti ampliationem, aut corroborationem, cum solennitatibus fieri professiones. Ac proinde sæpe legimus Monachos, cum professione publica factos: Basilius corripiens Monachum elapsum, & profugum, ait illi; [b] Vide igitur ne fortè dum vis pacta aliquorum seruare, transgrediaris pacta erga Deum, quæ professus es coram multis testibus.] Et ad Monialem lapsam; [c] Reuoca in memoriam honestam professionem quam professa es coram Deo, & angelis, & hominibus.] Concilium Toletanum decimum, circa tempora Martini primi, cùm videret Moniales facilè à proposito resilire, & varijs vti fallacijs, negantes se voto Deo obstrinxisse, merito eas verè professas, veréque voto Deo obstrictas esse [d] decernit, ex eo tantùm, quod veste religiosa sint diutius vsæ: Quia verò professio, vt dicebam, in sola vitæ talis electione consistit; quæ electio satis probatur per solam habitus talis vitæ proprij gestationem; Ac vt eis hæ fallaces excusationes in posterum præciderentur, statuit, vt posthac [e] Omnes Moniales pallio capita contegant, & conscriptam, roboratamque professionis faciant scripturam; per quam vlterius non sinantur relabi ad præuaricationis audaciam.] Ecce votorum seu professionis solennitas, ab hominibus posita, & pro solis humanis cautelis excogitata. Vt videlicet, quos neque propria voluntas, neque deuotio, neque spiritualis feruor, neque desiderium verum contemptus mundi, aut vocat, aut retinet in Monasterijs, humana vincula promissionum, & subiectio tabulis firmata, retineat ne elabantur. Atque ita paulatim conuersa res est, vt vbi prius charitas, & feruor spiritus veros faciebat Monachos, absque vllo vinculo externo; nunc vincula externa vt plurimum falsos faciant Monachos præsumptiuos duntaxat; absque vllo voto interno, internáue animi ex amore Dei deliberatione.

b Basil Ep. 183

c Idem Ep. 185

d Concil. Toled. 10. c. 5.

e 27. q. 1. c. Omnes.

XXVII. Professio tamen hæc externa, etiam quando bona fiebat, in signum duntaxat voti veri interni, nullum aliud certum votum continuit, nisi vnicum generale, amplectendi videlicet vitam illam, iuxta regulam propriam talis Monachismi. Neque reperies vllam professionē olim, cum voto solenni particulari, vllius particularis virtutis, aut actionis. Estque res admodum noua in Monachis, etiam optimis, professionem in tribus votis solennibus Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ collocare. Qui enim se dedicat Monachatui, vouetque vitam, & professionem Monachalem, iste vouet virtualiter, & consequenter omnia quæ sunt substantialia Monachatui: ea verò sunt vera conuersio, cœlibatus, & continentia, paupertas cum exclusione cuiuscunque proprietatis, abstinentia, contemptus mundi; & omnium vanitatum, loci stabilitas, frugalitas perfectissima; & iugis, quantum fieri potest, cum Deo coniunctio. Atque in his omnibus includitur obedientia; quia aliam obedientiam in professione non vouet Monachus suo Prælato, nisi eam quæ in obseruatione suæ Regulæ continetur. Atque hæc Bernardus verus Monachus, optimè explicauit. Illum audiamus

XXVIII. [f] Nemo quippe, *inquit*, cùm profitetur, spondet Regulam, sed determinatè secundum regulam sui quisque conuersionem, suamque deinceps conuersationem sese pollicetur dirigere.

f Bernard. De præcepto. & dispen. c. 20.

gere. Hæc profectò huius temporis omnibus fermè Monachis communis professio est. A
Quisquis itaque tenet, quod teneri inuenerit bonum vbi profitetur, profectò viuit sicut promittit; quia non aliud proculdubio quisque promittit, quam quod habere eorum pia videtur vita, cum quibus deinceps viuere disponit, & eligit.] Item; [a] Neque Abbas supra Regulam est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit: & si (quod negandum non est) Dei regula charitas, regulæ Sancti Benedicti iure præponitur.] Item, is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam; sed determinate secundum regulam; – sic se quippe habet professio: Promitto non quidem regulam, sed obedientiam secundum regulam. Non ergo secundum voluntatem præpositi.] *Item*; [b] Notum est solenniter ac regulariter profiteri quemque in præsentia Abbatis; – ponam in manu Abbatis quod absque vlla exceptione coram Deo, & sanctis eius, propria manu & ore firmaui. – Ego sic Abbatem sequi decreui semper & vbique magistrum, vt nequaquam à regulæ, quam teste ipso iurau & statui custodire, deuiem magisterio.] Ita etiam Stephanus Tornacensis, in quo consistat Monastica professio explicat, dicens in persona Monachi: [c] Voui in loco certo, sub magistro certo, sub forma viuendi certis institutionibus ordinata, stabilitatem loci, obedientiam Prælati, communionem viuendi, propter salutem animæ meæ.] Vides vota Monastica, & Monasticam professionem solennem, totam circa generalia versari; vt spondeat Monachus solenniter vitæ conuersionem, vitæ talis institutum, & obedientiam secundum talem regulam. Atque hoc ipsum est quod interne verus Monachus Deo vouit, & promisit, ac exequendum suscepit.

a *Ibid. c. 7.*

b *Idem. Bern. ep. 7.*

c *Steph. Torn. ep. 1.*

XXIX. Si quis ex me quærat, plusne profuerit, an obfuerit veræ religioni, externæ hæc professionis additio; dicam ei: Apud me clarum esse, longe maius esse detrimentum inde secutum, quam emolumentum. Iam enim solam nudam externam & exanimem professionem C
plus ligare hominem religioni credimus, & tenemus, ac obseruamus, quam internam deuotionem, qua se Deo quis consecrauit; & modo adsit præsumpta dedicatio, per externam professionem facta, etiamsi ille de Dei seruitio, ac de statu Monachi, pro salute animæ suæ, & cultu pleniore Diuino arripiendo, ne cogitaret quidem, hunc volumus esse verum, & perfectum Monachum: Si verò Deo se quis deuouit, & ex animo deliberato vitam arripuit Monachalem, professionem tamen externam non fecerit, siue veram, siue præsumptã, hunc liberum dimittimus. Et tamen de his solis dicitur; Vouete & reddite; non de illis, qui nihil vouerunt coram Deo, sed tantum coram hominibus; facti hominum, non Dei serui. Imo eo progressi sunt homines, humana in hoc sapientes, vt pro Monachis veris & obligatis Monachali vitæ, habendos censuerint interdum & decreuerint, eos quoque qui nullo propriæ voluntatis arbitrio, propriaue electione, sed solo parentum voto, solaque eorum oblatione pueri in Monasterijs esse, Monachalemque habitum gestare D
inueniuntur. In vno Concilio sic statutum reperies; [d] Monachum, aut paterna deuotio; aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit, alligatum tenebit: proinde his ad Mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressum.] Et Isidorus; [e] Quicunque à parentibus proprijs in Monasterio fuerit delegatus, nouerit se ita perpetuo permansurum.] Affertque exemplum Samuelis: Et [f] Gregorius pariter hos à parentibus oblatos, in Monasterijs omnino retinendos decernit; nec eis egredi permittit. Ita etiam [g] alij.

d *Conc. Tolet. 4. c. 48. habetur 20 q. 1. c. 3.*

e *Eadem c. 4.*

f *Eadc. 2.*

g *20 q. 2. c. 1.*

XXX. Hinc vanæ excogitantur subtilitates, Professionis tacitæ: [h] Delationis habitus post annos pubertatis, etiam vbi [i] votum esse non potuit: Tacitus consensus, &c. Quæ tamen tacita professio, vbi præsertim longe maior sit præsumptio, imo euidens certitudo, ex moribus, & anteacta vita, votum internum erga Deum nunquam affuisse, quam contra; humanum purum, non Diuinum vllum vinculum aderit: & hominem coram hominibus tantum, non coram Deo Monachum faciet: eritque hic hominum, non Dei Monachus. Quare longe melius sensit Nicolaus, tacitas has puerorum professiones, & præsumptiuas, nullas prorsus esse, ac nihili faciendas, nisi verè & propriè ex interna, libera, & voluntaria electione; hoc est ex vero interno coram Deo voto proficiscantur; non enim pro Monacho vult esse habendum illum, qui à puero est à parentibus oblatus Monasterio; sed liberum facit; [k] Vsque dum, *inquit*, Diuina inspiratione compunctus, propria voluntate Regulæ se subdat.] Sed neque Marcellus, aut quis alius ille fuerit, pueros quantumlibet oblatos, & tonsuratos, & cucullatos, tacita hac professione obligandos censuit; nisi [l] expresse post annum ætatis 15. professus fuerit se in habitu suscepto velle permanere. Illam sane tacitam professionem, sicut in ijs qui in minori ætate habitum sumpserunt, me-

h *20 q. 3. cap. Proclamit.*

i *27 q. 1 cap. Mulieres.*

k *20. q. 3. cap. Præsens.*

l *20. q. 1. c. 10.*

rito

A rito non admittimus; quia internæ voluntariæ electionis non sunt signum efficax, vbi ex assuetudine habitus, & vitæ, ac ferme ex verecundia solent in eo perseuerare: ita in adultis, qui ex animi deliberatione Monachalem & vitam & habitum sumpserunt, merito supponimus veram internam professionem; etiamsi nulla alia externa professio emittatur. & hoc nos supra solenne votum esse diximus num. 18. si internum propositum externæ executioni fuerit cœptum demandari, vt vidimus in Anania; quem merito [a] Petrus, imo Deus, tanquam mendacem, & fraudatorem puniuit: quia [b] primam fidem irritam fecit. Et Concilium Carthaginense 4. [c] Viduas, ex sola habitus immutatione, plene professas agnouit, easque si desertrices essent pœnis subiecit Ecclesiasticis; sicut fecerat [d] Innocentius primus: & postea Innocentius tertius [e] meritò ad Monachismum obligauit Clericum, qui occasione grauis ægritudinis vouerat Religionem, & habitum sumpserat; licet aliam professionem non fecisset.

a Act 5.
b 1. Tim. 5.
c 27. q. 1. c. 1.
d c. Ha vero. 28.
e c. Sanct. 2. De Regular.

B Professio itaque publica externa Monachorum, siue votorum solennitas, aut ne votum quidem est coram Deo, aut solum & nudum humanum vinculum, purumue externum testimonium interni actus, votique interni explicatio, nihil substantiale voto addens. Si verò quæras quodnam discrimen ponendum sit inter votum simplex, & votum solenne; Respondeo, si loquamur de quocunque voto in genere, simplex votum esse quod priuatim Deo fit interne inter hominem & Deum solum; solenne vero erit si hoc ipsum internum etiam publicè fiat, & actu externo coram alijs declaretur: Quæ solennitas potest cuicunque voto adhiberi, non modo castitatis, paupertatis, & obedientiæ; sed etiam sobrietatis, continentiæ coniugalis, hospitalitatis, & hospitalibus seruiendi, clericandi, eleemosynas faciendi, ieiunandi, & similibus. Neque video quid obstet quin etiam hæc vota possint fieri solennia. Si tamen singulariter loquamur de voto Monachandi, ac de similibus votis quæ possumus vocare personalia permanentia, in quibus vouetur personæ dedicatio & applicatio ad certam vitam bonam, vel ad certa opera & exercitia caritatis, continuate propter Deum peragenda; aliter ego in his votum simplex à solenni separo, quàm in votis realibus, & circa actus singulares transeuntes. Votum enim Monachandi, & alia quæ dixi permanentia, & personæ dedicatiua, simplicia sunt quamdiu in interno hominis latent, inter ipsum & Deum solum: & hæc dum ita simplicia sunt, adhuc hominem non obligant, etiam coram Deo, sicut obligant realia, & transeuntia, vt paulò ante ostendebam. Nam Deus quoque in talibus votis non putatur ea admittere, & acceptare, vt promissa obligantia: & ea dum interna duntaxat sunt, Deus vult habere rationem potius propositi, quàm Voti. Et quasi ratificationem opere fiendam expectare: Ac interim relinquit hominem in libertate vt possit & votum illud quod se habeat apud Deum tanquam solum propositum, exequi, ac ratificare; & de ipso pœnitere. Neque Paulus primam fidem irritam, & consequenter damnatione dignam pronunciauit, aduersus viduam quæ vouisset coram Deo tantum se velle suam viduitatem consecrare, nisi iam vitam ipsam vidualem in Ecclesia, Ecclesiæque ministerijs exercere cœpisset. Fidem enim Deo promissam tunc censet, vbi vidua se iam Ecclesiasticis ministerijs applicuisset: & de tali Vidua ait, Eam [f] damnationem habere, si voluit postea nubere, quia priorem fidem irritam fecit. Si verò quis iam externe cœpit propter Deum votum illud in actum reducere, intentione perseuerandi, non experiendi tantum; tunc hoc genus voti ego solenne voco: & consequenter coram Deo, & coram hominibus obligatiuum erit, & qui id deserit, fidem irritam facit, cum damnatione. Quam obligationem perseuerantiæ optime exaggerat [g] Cæsarius Arelatensis, infra num. 44. Alia verò vota personalia, & transeuntia totam obligationem habent in solo interno actu, quo quis resolute vouet se aut facturum aliquod bonum, aut abstenturum ab aliquo malo, vel occasione mali, vel impeditiuo boni. Hæc enim vota cùm sint de re faciliori, Deus acceptat, non ita illa quæ secum ferunt perpetuam obligationem, cum perpetuæ suæ libertatis priuatione, Vnde & matura deliberatio hæc non censetur, neque à Deo vt matura admittitur, nisi vbi ille opere ipso, non sola interna voluntatis electione, rem aggreditur; vt ex actu Petri cum Anania, & Pauli cum Viduis colligebam; & Ecclesiæ autoritate supra confirmabam. Tantum igitur abest, vt in voto simplici, hoc est pure interno Religionis, necessaria sit Papalis dispensatio, vt ne dispensatione quidem indigeat qui vouit; sed sit in libertate ipsius id exequi, & non exequi: vt iam probaui nu. 19. 21. 31.

f 1. Tim. 5.
g Cæsar. ho. 45.

C D E

XXXI.

XXXII.

Votum profectò ego, generaliter, & ex vi voti loquendo, simplex voco id quod est internum; solenne vero quod præterea externè fuerit manifestatum, externisue actibus, & ceremonijs stabilitum; atque hæc omnia externa, voto vt votum est, & coram Deo per-

fectè

fectè obligatiuum, sunt penitus accidentalia. In personali tamen & permanenti voto, ag- A
gressio illa, & vitæ susceptio, per quam ego solam id ex simplici solenne facio, est essentialis huic voto, quia per illam hoc votum votum est, & sine ea coram Deo votum non est, sed tanquam merum vt dixi propositum. Hoc verò votum sic vt à me dicitur solenne, id est votum completum, passim apud nostros Theologos adhuc solenne non est, sed simplex duntaxat, & illa maxima voti solennis proprietate, imò fortasse etiam secundum ipsos essentia destitutum, qua dicitur inhabiles reddere ad matrimonium. Vt enim solenne sit, ad hunc, & quosdam alios effectus operandos, addunt ei solennitates, quæ si absint, votum maneat simplex, coram Deo quidem obligans, non tamen irritans matrimonium, si post tale votum contrahatur: si vero adsit, tunc eo matrimonium irritari, & personam ad matrimonium inhabilem reddi contendunt. Explicent mihi prius quodnam sit votum solenne; & in quo voti solennitas consistat; postea agant de effectu voti solennis. Irritatio B
enim hæc matrimonij, est vnus ex præcipuis effectibus, quos voto solenni tribuunt; prius igitur erit votum esse solenne, deinde ad solennitatem sequetur irritatio matrimonij; si tamen irritat; faciantque apparere, antequam effectus considerentur, discrimen inter votum simplex, & solenne, à priori, vt est in scholis logicis, non à posteriori: effectus enim hic circa matrimonium, est effectus assertus nouus, in Ecclesia prisca inauditus, non necessarius, nec per se patens: votum vero & simplex & solenne in Ecclesia fuit ferme perpetuo. Quare prius explicandæ sunt hæ differentiæ, in quo solenne differat à simplici, postea effectus inquirendi.

XXXIII. Solennitas itaque quædam voti, seu professionis, sicuti negari non debet; ita ipsa per se facillime se manifestat, solam veritatem indaganti: si ijs qui asserere conantur quod non est, quod falsum est, quod veritati repugnat, veritas ipsa latet in profundo, mirum non est; non enim illam quærunt, sed vti sibi contrariam contegunt, occultant, abdunt, neque eam palam manifestari patiuntur. Quia igitur solennitas voti, quam nunc quærimus, iam ordinaria; nihil aliud est, vti iam exposuimus, nisi votum non solum in actum reductum, reductiue cæptum; sed etiam suis solennitatibus ab hominibus inuentis, & ordinatis adornatum; C
[a] puta coram Abbate & testibus; cum proprio scripto; & cum talibus cæremonijs, tonsurationis, benedictionis, vel consecrationis, certique habitus susceptione: pluribus ex his aut paucioribus, iuxta humana præcepta, Monasteriorumue consuetudines celebratum. Quæ omnia tamen cum sint extrinseca, & accidentalia, & nihil ad substantiam voti pertinentia, nostris theologis, illis, qui & indispensabile hoc votum vellent facere; & matrimonij inhabilitatem illo inducere, reuera non possunt sufficere. Nam vota scholasticorum, & coadiutorum in societate Iesu, bis in anno publice renouantur; hoc est, præsente toto Collegio, in Missa Conuentuali, exposita sanctissima Eucharistia mox sumenda, & omnibus se inuicem audientibus, voce clara & intelligibili, eadem pro- D
lata votorum formula, in qua quisque Deo pollicetur paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam in societate; [b] & se dictam societatem ingressurum, vt vitam in eo perpetuo degat, iuxta ipsius societatis constitutiones. Et tamen ipsa societas fecit declarari à Pontifice, hæc non esse nisi vota simplicia, non autem solennem professionem. Quid ergo? Ne dicas solenne fieri vbi tale votum impedit & dirimit matrimonium; vt passim explicabatur à posteriori votum solenne: iam enim dicta vota simplicia societatis Iesu, etiam non minus impediunt & dirimunt matrimonium, quam solennia; si Gregorianam spectes [b] constitutionem.

a Glossa c. Rursus. Qui Cler. vel vou.

b Greg. 13. Bulla Ascendente Domino.

XXXIV. Nostri itaque Neoterici disputatores, vt nouæ rei nouam formam darent, solennitatem perfectam eam esse excogitarunt, in qua, non amplius promissio, sed datio, seu [c] traditio sui fiat; & simul ab Ecclesia acceptatio. Vt votum solenne sit vbi voueas in manibus Ecclesiæ, hoc est ministri Ecclesiastici, id quod simplici voto promiseras; tui traditione, E
& consignatione, applicationeque actuali ad talem vitam, exequaris: & traditio illa nomine Ecclesiæ solenniter recipiatur. Cum itaque traditio actualis, &, vt ita dicam, impossessatio, differat à sola promissione; hinc magnum discrimen ponunt, etiam iure Diuino naturali, inter votum simplex, & solenne.

c Sot. de iust. & in l. 7. q. 2. ar. 5.

XXXV. Hanc tamen traditionem esse merum commentum, & nihil efficere, facilè ostenditur. Primum, quia in professione non fit vlla traditio, seu datio; sed promissio duntaxat; vt vidimus supra in Bernardo, Profitens enim solenniter semper dicit: Promitto conuersionem: promitto stabilitatem loci: Promitto obedientiam secundum Regulam: & tota penitus

A nitus professio consistit in promissionibus: Atque ita nihil differt à voto, quod isti ponunt simplex, sed est eadem omninò promissio; differuntque vt internum, & externum; conceptum, & prolatum; cogitatum, & explicatum, &c.] Secundo: Quia professiones istæ, & consequenter traditiones cum solennitatibus, vt optimè Iuo supra obseruabat num. 25, ob quandam humanam cautelam; & non ad faciendum verum Monachum; sunt introductæ; & primi Monachi perfectissimi, absque his solennibus traditionibus, in Monachatu vixerunt. Tertio: Quia falsum est Ecclesiam quicquam negotij sui publici habere, in receptione Monachalium professionum. Iam enim probaui Monachos à laicis non differre; & priuatam priuatorum institutionem esse Monachismum. Propterea non Episcopo, aut Sacerdoti, sed Abbati, ipsi quoque Monacho, offeruntur Monachorum professiones. Abbates verò neque sunt Ecclesiastici Ministri, neque Ecclesiæ publico nomine quicquam facium; sed sunt Patres Monachorum, ab ipsismet Monachis facti, & electi, & sibi præfecti. Si quid verò Ecclesia circa Monachos iuris, & autoritatis, siue regiminis exercet, id facit tanquam in membra sua: & vigilat ne occasione Conuentuum, & sacrarum literarum, quibus illi ex instituto vacant, non vt publicè doceant, sed vt inde pascantur ipsi, & diuino spiritu fagiuentur; hæreses, & errores irrepant in Ecclesiam; nam sæpe Monachi hæreses excitârunt: quantam eadem Eutyches Monachus in Ecclesia exercuerit, norunt Concilia quartum, & quintum generalia. Sed circa Monasticum priuatum regimen, nihil fuit Ecclesia solicita, nisi quando postea illi à proprijs institutis deflexerunt; vt eos erigeret, & reformaret. Quarto: Quia possent aliqui homines, etiam coniugati, & proprietatem bonorum, ac diuitias retinentes, tradere se cum externis solennitatibus Deo; ad seruiendum in perpetuum pauperibus ægrotis, in publicis nosocomijs: & posset, imo & deberet Ecclesia horum professiones approbare: & tamen votũ solenne extra confirmatas religiones; C & vbi non sunt tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, nostri non agnoscunt. Erunt igitur vota solennia, cum plena datione, ac receptione; & tamen matrimonium non diriment: Sicut & contra, sunt vota simplicia Iesuitarum, sine datione; & tamen dirimunt. Quinto: Fatetur, imo etiam solenniter definit Bonifacius octauus, solennitatem vororum, in professione religiosa, totam esse [a] ex sola constitutione Ecclesiæ inuentam.] Imò ex priuata Monachorum inuentione, vt ex hactenus à me hoc capite disputatis constat. Respondet Sotus; Ex Ecclesiæ constitutione haberi, vt tali, & tali modo fiat legitimè traditio: ipsam tamen traditionem per Ecclesiam sic regulatam, iure diuino suum effectum sortiri, & afficere professentem. Bonifacius tamen dicit, Votũ solennitatem Ecclesiastica constitutione esse inuentam; non dicit regulatam, aut modificatam: contenditque votum solenne, quicquid habet solennitatis, id totum habere iure positiuo. Ita contractum Matrimonij correxit [b] Ecclesia, vt nos profitemur; vt tali, & tali modo fiat; non tamen propterea posset Papa asserere, matrimonij validitatem ex sola Ecclesiæ institutione esse inuentam. Sexto: Ecclesia nostra iam [c] declarauit votum solennizari, vel per professionem religiosam; vel per ordinis sacri susceptionem; ergo vtroque modo fit illa traditio quæ facit votum solenne: vbi enim est res, ibi etiam est forma rei, per quam illa res est id quod est. Atqui in sacro ordine, vt volunt Decretales, adest votum solenne, quod negare non potest Sotus: ergo ibi est perfecta illa traditio. Si ergo diuino iure traditio facit suos effectus voti solennis, certè quemadmodum professione soluitur matrimonium ratum, non consummatum, vt passim nostri concedunt Canones, 27. q. 2. c. Desponsatum, c. Ex publico, c. Ex parte, c. Verum de conuers. coniug. Concil. Trident. sess. 24. can. 6. &c. Soluetur igitur etiam sacri ordinis susceptione: idem enim ratione idem, semper est aptum facere idem, vt habent placita Philosophorum. Et tamen Ioannes 22. ex Cathedra definit, [d] Ordine non solui matrimonium ratum non consummatum. Non ergò alia causa potest afferri, nisi quia, sicut votum solenne totam solennitatem habet ab Ecclesia, ita etiam effectus eiusdem solennitatis pendeant ab Ecclesia, & non à iure diuino.

Merito itaque Bellarminus, non potuit, licet cuperet, adhærere Soto, & iis quos secutus est Sotus; quia diffidebat, vt ipse fatetur, [e] posse ex Scripturis, aut aliqua euidenti ratione demonstrari, votum solenne differre à simplici; quod in illo sit donatio de præsenti, in isto verò promissio tantum de futuro. Et quia principium, *inquit*, hoc multi negabant, Scotus, Paludanus, Caietanus, & omnes Canonistæ, vt testatur, *inquit*, Panormitanus in cap. Rursus. Qui cler. vel von. &c.] Neque hos reprobare scimus, iure potuit idem Bellarminus; sciebat enim, iure Diuino, nihil prorsus differre votum solenne, à simplici, hoc est votum solennizatum, vt volebant illi, per illam traditionem, cum solennitatibus,

a *Videsis* X voto in 6.

b *Concil. Trid. Sess. 24. de reform. Matrim. c. 1.*

c *Vbi supra de voto in 6.*

d *Extrauag. Anti. de voto, &c.*

XXXVI.

e *Bellarm. de matrim. l. 1. c. 21.*

& Ecclesiæ receptione, à voto solennitates illas præcedente, cum vitæ Monachalis susceptione. Neque vsquam, quod ego potuerim reperire, voluit Bellarminus, alioquin scriptor diligentissimus, disputare, in quo voti solennitas consisteret. Et tamen cum cæteris mordicus defendit, solenne votum matrimonium irritare, non ita simplex. Si quæras ex eo cur id ita? ad solam Ecclesiæ, vt vidimus, confugit constitutionem. Ita etiam Caietanus [a] voti solennitatem totam in sola Ecclesiæ constitutione collocat, quia ipsa voluit tale, & non aliud esse votum solenne; nullum ergo votum ex natura sua erit solenne, hoc est à simplici diuersum, & distinctum. Sit Ecclesiastica hæc institutio, quæ est priuata Monachorum, coguntur igitur nobiscum fateri inter votum simplex & solenne, non esse aliud discrimen, nisi publici, & priuati. Effectum tamen annexum esse publico, ex Ecclesiæ institutione; quem annectere noluerit priuato; nisi in solis votis simplicibus Iesuitarum; publicum verò vt esset cum tali effectu, Ecclesiam solennitates illas, ac potissimum receptionis professionis, instituisse: quæ omnes solennitates, promissionum, professionis, traditionis, seu dationis, receptionis, & aliæ, à sola Ecclesia, imo verius vt dixi, à solis Monachis, ob eorum priuatas, non publicas Ecclesiæ cautelas, sunt excogitatæ, & institutæ: quæ non nisi humanas, in foro externo ad summum, inducunt obligationes. Atque ita mihi sat est, votum solenne Monachismi, de se, vt solenne, nihil amplius iure Diuino posse, aut efficere, quam possit, aut efficiant votum simplex eiusdem Monachismi iam susceptum; etiam ante professionem illam publicam, & solennem. Huc enim sponte iam veniunt Bellarm. & Caiet. Sotum verò, vt & ipse, & cæteri cum eo sentientes venirent, iam coegi.

[a] Caietan 22. q. 88. art. 7. & art. 11.

XXXVII. His positis & probatis, quid sit dicendum de effectibus voti solennis, paucis perstringemus. Duo sane sunt præcipui effectus voti solennis; quos nostri Romanæ doctrinæ Theologi ponunt, & defendunt; & tamen, sicut noui sunt, & olim in Ecclesia inauditi, ita multas inducunt in Ecclesiam turbationes, & multa incommoda, atque animarum damna non contemnenda. Alter effectus est inhabilitatis ad matrimonium; alter verò Apostasia, si Monasterium deseratur. De vtroque est dicendum.

XXXVIII. Qui se Deo per susceptionem vitę Monachalis cœnobiticæ dedicauit, is profecto coram Deo, perpetuo se vinculo talis vitæ, vsque ad mortem, quantum in ipso est, peragendæ obstrinxit. Quæ vita essentialiter & substantialiter includit cœlibatum, & continentiam; ita vt si cœlibatum destruas, à Monachali penitus recedas instituto; & idem est Monacho vxorem ducere, quod Monachatum deserere, saltem ex consequenti, vt mox explicabitur. Itaque planum est nulla prorsus ratione stare posse nuptias, cum Monachatu. Qui igitur per suam leuitatem, post Diuini Spiritus legitimam vocationem ad Monachatum, ad nuptias appellit animum, is voti sui desertor, fidem suam irritam facit, & damnationem habet, ac peccat coram Deo, cui per pœnitentiam debet satisfacere. Non ita est in Clericis: Clericatus enim non includit in se substantialiter cœlibatum; sed coniugium admittit; vt probaui in præcedentibus. Et qui se Clericatui deuouet, cœlibatum neque Deo, neque hominibus promittit, vt iam probaui; secus est in Monacho: Ac propterea si Clericus vxorem ducat, non ideo à suo proposito, & vitæ instituto recedit; neque desertor est voti; neque fidei Deo datæ irritator. At verò Monachus & voti reus est, & promissæ fidei: quod si vxorem ducat, malum non facit quod vxorem ducat; sed quod vxorem ducendo à vita Monastica quam professus est recedat; vt supra [b] explicabat Augustinus. Idemque prorsus peccatum erit Monacho, si à Monachatu, sine iusta causa recedat; vitamque illam, quam Deo promiserat, deserat; etiamsi abstineat à coniugio, & in cœlibatu perfectissime, cum plenissima continentia perseueret; ac si vxorem ducat. Professio enim Monachalis, vt vidimus, non est immediate circa cœlibatum, & castitatem, neque votum verum Monachi est votum castitatis speciale, vt dicebam supra numero 27. & expresse tenet & docet [c] Caietanus (quamuis moderni Reformatores, formulam professionis, in multis Religionibus, ad tria vota specialia reduxerint) sed est votum viuendi iuxta Regulam, quam profitetur. Et quia Regula illa, illudque vitæ institutum, castitatem est amplexum; ideo consequenter vouit etiam castitatem. Vbi vero sit desertor suæ professionis, in eo tantum desertor est, quod vitam Monachalem deseruit; siue postea ducat vxorem; siue non ducat. Si igitur duxerit vxorem, Augustinus, & cum eo sancti Patres, omnes pene ad vnum, qui aliquid de hac re scripserunt, vt vidimus, nuptias legitimas agnouerunt; cum peccato tamen graui, non in contrahendis nuptijs, sed in desertione illius vitæ, quæ per nuptias necessario deseritur, & abrumpitur.

[b] Supra 11. n. 26. & seqq.

[c] Caietan. 22. 88. ar. 3.

Da

A Da mihi Monachum coram Deo perfectè professum, per veram internam sui deuotionem, & externam vitæ Monachalis assumptionem, cum quo Ecclesia dispenset, ne teneatur ad solennitates illas, per Ecclesiam, siue potius per Monachos inductas; fiatque iste sui propositi desertor; discedat à Monachatu, sed castè viuat in cœlibatu; habebit profecto in se peccatum illud desertionis sui voti: postea tandem vxorem ducat, certè in ducenda vxore iste nullum committit peccatum nouum sacrilegij, & contra votum; quia castitatem non vouerat, nisi ex suppositione, & consequenter; quia videlicet vouerat vitam, quæ castitatem necessario postulabat. Deserta verò semel hac vita, & sic fracto voto de tali vita sectanda, consequenter cessat obligatio castitatis, ad quam castitatem votum illud proxime non terminabatur, nisi consequenter. Aderit fortasse nescio quid peccati noui, ex eo quod ducendo vxorem, inhabilem se reddit ad suum votum seruandum: quod si est peccatum nouum post primam desertionem, non erit peccatum vllum contra castitatem proxime & directè; sed contra obligationem viuendi vitam Monachalem: remote verò & indirectè contra castitatem; quia remote tantum & indirecte in eo voto castitas continebatur; & si non fuisset obligatio viuendi vitam Monachalem, neque obligatio fuisset castitatis. XXXIX.

B Matrimonium tamen Monachi professi, post editam professionem solennem initum, nostri Pontifices & Doctores faciunt irritum, inane, prorsusque nullum: & sane aliqui effectum hunc, solenne votum iure Diuino habere contendunt, vt inhabilem reddat personam ad contrahendum matrimonium; idque hoc syllogismo probari, ait Sotus: [a] Quicunque se alteri tradit, suam illi voluntatem mancipando, iure naturæ & Diuino, fit inhabilis ad alium statum: Qui vouet solenniter, tradit se, abdicando ab se ius ducendi vxorem, possidendique propria, &c. ergo fit ad coniugium inhabilis.] Maior tamen huius syllogismi ad summum vera erit de iure tantum, non de facto: & nostra disputatio est de C facto: concedimus enim de iure non debere professum contrauenire suæ professioni; neque Deo datam fidem tallere; de facto tamen si fallat, male facit, sed factum tenet; multa enim male fiunt, sed facta tenent: & illa inhabilitas durat tantum, dum traditio durat: cessat vero, vbi qui se tradiderat se subtrahit, & in pristinam restituit libertatem. Hoc pacto inhabilis est ad aliud matrimonium qui se iam vni vxori tradidit: sed si vxorem interficiat, vt se ab ea liberet, male facit: sed ab illa inhabilitate se liberauit: & iam potest aliam vxorem ducere, & matrimonium tenet. Minorem autem falsam esse de iure Diuino, supra probaui: traditio enim illa, si qua est, in qua ponunt solennitatem, tota ad ius solum spectat positiuum. Itaque nihil concludit. XL.

[a] *Sot. de iust. & iur. l. 7. q. 2. ar. 5.*

Restat igitur vt effectus ille dirimendi matrimonium, sit à sola Ecclesiæ institutione; nam & solennitas voti sola Ecclesiastica institutione est inducta, vt iam vidimus, & fatentur Theologi nostri melius sentientes. Cum verò ex solennitate votum nihil acquirat, quod D essentialiter, dum simplex esset, non haberet, vt est probatum; cumque votum simplex, vt omnes fatentur non dirimat matrimonium, certe neque solenne, in quantum votum est, illud dirimet: cum præsertim votum Monasticum, tam simplex, quam solenne, directè non sit votum castitatis speciale, vt paulò ante probaui, quod directè pugnet cum matrimonio. Si quod ergo impedimentum dirimens erit in solenni Monachorum professione, id totum erit, non ex vi voti, sed ex vi præcepti; quia Ecclesia præcipiat tales professos non debere contrahere matrimonia; præceptū verò, etsi possit ponere impedimentum ne quis contrahat, impedimentum tamen dirimens non erit. [b] Clarum est, *inquit Sotus*, quod quamuis Papa sæculari præcipiat, etiam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt vxorem non ducat, videlicet quia alia in eius Tribunali eum petit; nihilominus, si ille non est alteri coniugio mancipatus, & contra iussionem Pontificis contrahat, licet peccet, matrimonium tenet, quoniam iubere ne contrahat, non est inhabilem facere.] Atque hinc E Sotus, quia nimirum capere non poterat, vt re vera est imperceptibile, quomodo possit homo, hominem naturæ & Diuino iure liberum, inhabilem facere ad contractum matrimonij, conabatur inhabilitatem hanc ad ius Diuinum reducere. Deus profecto, qui est Dominus & autor naturæ, vt liberum hominis arbitrium verè liberum relinquat, neque vim inferat naturæ, non obstante quocunque voto, & quacunque traditione sui, quam faciat homo Autori suo Deo, promissione quæ vitæ continentis, non modo interno actu electionis, sed etiam externo executionis, & re ipsa factæ mutationis, & conuersionis, si ablit solennitas, matrimonia rata & grata habet; vt concedimus omnes; & tamen homo purus poterit, sola humana autoritate, libertatem hanc naturalem tollere, & naturæ, progressum violentare, idque solo huius solennitatis prætextu? Dices Ecclesiam id facere, non humana XLI.

[b] *Sot. ibid.*

mana pura autoritate, sed Diuina à Deo accepta potestate. Quomodo vero credam Deum hanc concessisse Ecclesiæ suæ autoritatem, quam ipse tamen nolit vnquam exercere? Tolerat potius iniuriam, aut alio modo vindicat, qua ei fides data deseritur, & ille quodammodo decipitur, & illuditur, vt matrimonium maneat; & non vult idem ab Ecclesia vt matrimonij tanti momenti vinculum firmum sit, & illæsum, violationem nudæ solennitatis tolerari? Sed de hoc plura lib. 5. Satis vero sit ad excludendum hoc nouum commentum, impedimenti in voto solenni dirimentis, Ecclesiam sanctam, vt probaui capite præcedenti, non modo id non agnouisse, sed contrarium omnino & docuisse, & exercuisse. Nam matrimonia post vota quantumcunque solennia, rata semper habuit, & firma. Et Decretum Ecclesiasticum contrarium, ante postrema sæcula, nullum vidimus, vt habes supra num. 52. cap. 11. præcedentis. Ex separatione enim talium matrimoniorum, quæ interdum cum rigore fiebat, siue in pœnam, siue in pœnitentiam, & cum consensu coniugis innocentis; & ex amplificatione Patrum, qui in detestatione criminis voti fracti, coniugia hæc interdum vocarint adulteria, nimirum spiritualia animæ; occasionem nostri sumpserunt asserendi, Matrimonia hæc esse nulla; atque hinc postea conceptis verbis Alexander tertius, & post illum alij, votum solenne dixerunt esse impedimentum dirimens; simplex vero non nisi impediens: bono puto zelo, sed non secundum scientiam.

XLII. In re grauissima, cuiusmodi est contractus Matrimonij, quo totus Mundus maxime consistit, nostri Pontifices, admissa iam hac potestate ipsorum inhabilitandi; & rursus habilitandi personas ad matrimonium, ludunt mirabiliter. Votum solenne quodcunque Monachorum in genere, priores impedimentum irritans [a] fecerunt: Bonifacius non nisi in [b] solis religionibus per sedem Apostolicam approbatis: atque ita non omne votum re vera solenne dirimet matrimonium; sed in arbitrio Papæ erit modo plures, modo pauciores religiones approbare. Etiam si Deo placet veri [c] Religiosi non sunt, nisi professi solenniter & in solis à Papa approbatis Religionibus; exceptis Iesuitarum scholasticis, & coadiutoribus; qui etiam cum solis votis simplicibus, sunt veri [d] Religiosi. Quales istis non erunt ij, qui sine Apostolica approbatione, se Deo perfectissime donauerint, & exactissimam Monachatus obseruationem professi solenniter, sine pompis, sine priuilegijs, sine Republica priuata, & particulari, sub suis Episcopis & Rectoribus Deo seruierent in pœnitentia, & sanctitate; in priuatis suis quibusdam congregationibus. Certe prisci Monachi, sine his sedis Apostolicæ approbationibus, sanctissime vixerunt; & verus erit Monachus, qui Monachalem vitam ducit, & seruat instituta Monachalia, etiamsi approbationes istas non habeat. At vero impedimentum hoc dirimens, quod Bonifacius ad certos tantum solenniter professos redegerat, Gregorius 13. ad simplicia quoque, vt nunc dicebam, vota, in societate Iesu extendit, & ampliauit. Atque ex his tot ambagibus, & varietatibus, vel cæcus videt, nullam habere solennitates hasce votorum, quoad effectum inhabilitandi hominem ad matrimonia, consistentiam. Estque id inuentum quoddam Paparum, ex vsurpatione quoq; illius, quam ei eripuimus, & in sequentibus adhuc plenius eripiemus, plenitudinis potestatis, consequutum.

a c. Meminimus. c. Rursus. c. Insinuante. Qui Cler. vel vou.
b c. Vn de Voto in 6.
c Henriq. l. 12. c. 5.
d Greg. 13. Bulla Ascendente Domino.

XLIII. Concludimus itaque primo Votum solenne Monachorum, si quid efficit vltra votum simplex, eorundem iam vitam Monachalem amplexorum, id totum, sola Ecclesiastica constitutione efficere: quod iam est demonstratum. Secundo solennitates hasce impedire quidem ac vetare, ne matrimonium contrahatur; contractum tamen post illas, ex eis non dirimi, sed esse ratum, firmum, & validum, tam in Monacho, quam in Moniali; sicut post votum simplex. Id enim & rationibus, & vsu totius Ecclesiæ, Patrumque, & Conciliorum testimonijs, satis partim in hoc, partim in proxime præcedenti cap. confirmaui. Tertio, non posse Papam, aut Ecclesiam dispensare cum Monacho, vt retento Monachatu, licite vxorem ducat: quia cœlibatus est de intrinseca & substantiali ratione vitæ & status Monachalis cœnobitarum; & est de iure Diuino Monachus obligatus Deo reddere, quod rite vouit; neque à solennitatibus, quæ sunt iuris positiui, & ad solas humanas Monachorum cautelas excogitatæ, pendet obligatio naturalis voti; ac propterea nunquam Ecclesia potest efficere, vt res, ablata ei sua essentia, aut aliquo essentiali, subsistat. An vero requiratur dispensatio ad exmonachandum Monachum, dicam infra. Quarto, Nulla vllius voti solennitate, ex vi solennitatum, matrimonium ratum & non consumatum solui. Cum enim ex sola Ecclesiæ, imo ne Ecclesiæ quidem, sed priuatorum hominũ & laicorum, hoc est Monachorũ, constitutione, votum solennizetur, vt probatum, concessum, & confessum est; si Ecclesia per dictas solennitates religionem profitentis, soluere potuit Matrimonium

prædictum;

prædictum; poterit etiam illud soluere per ordinis sacri susceptionem. Imò poterit absolutè illud, ex quacunque alia causa, quæ illi placuerit soluere; & edicere, verbi gratia, vt qui vouerit Hierosolymitanam peregrinationem; vel qui tantam eleemosynam fecerit; vel qui se ad seruiendum hospitalibus mancipauerit, &c. ratum & non consumatum matrimonium possit soluere. Quæ enim ratio est vt possit Ecclesia ex vna, & non ex alia causa solutiones has permittere; si semel admittamus, ex causa talium solennitatum, id eam posse præstare? Omnes tamen qui benè sapiunt, id merito negant. [a] Quod enim Deus coniunxit, homo non separet. Aut igitur id erit priuilegium voti, quoad Deum solennis, id est, voti cum susceptione vitæ Monachalis, cum intentione coram Deo, in ea vsque ad mortem perseuerandi, vt supra num. 18. siue solennizetur postea coram hominibus, siue non. Aut nullo prorsus voto, neque simplici, neque solenni, cuiuscunque solennitatis, matrimonium hoc dissolui potest: aut si potest dissolui per hæc vota, vtrouis ex dictis modis solennia, id neque ex voto erit, neque ex solennitate, sed ex eo quod matrimonium ante copulam, nisi ex consensu vtriusque coniugum, matrimonium verum, & perfectè ratum fortasse non sit; sed adhuc maneat sub sponsalibus; ratum verò perfectè non sit, nisi per copulam; & consequenter de se sit adhuc solubile. Quemadmodū in contractibus alijs humanis, aliud est habere ius ad rem, aliud ius in re, & aliud est transferre vel acquirere dominium rei, aliud rem possidere: & per possessionem verè, & propriè res fit mea, quando post acquisitionem de iure dominij, accipio illius de facto corporalem, & realem possessionem; & ante illam facile contractus translationis, vel acquisitionis dominij irritantur. Et sic solutio huius matrimonij, quod dicitur ratum, & nondum consumatum, non fiet à voto, siue simplici, siue solenni; sed à defectu vinculi nondum bene constricti; quod tamen ex causa, seu occasione vitæ Monachalis assumptæ dissoluatur. Et ita poterit forsan etiam alijs de causis solui. De solutionibus tamen variis matrimonij, erit nobis lib. 5. disputandum: Nunc verò satis habemus, voti, seu professionis Monasticæ solennitatem, neque habere necessariò, & intrinsecè, seu iure diuino, adiunctam inhabilitatem ad contrahendum matrimonium; cum vota simplicia id iam efficiant in Societate Iesu, vt nostri volunt Pontifices; & vota solennia extra religiones approbatas id non efficiant: sed hic effectus pendeat totus ab extra, à sola Ecclesiæ constitutione; & non à voti solennitate.

[a] 1 Matth. 19.

XLIV.

Alter effectus solennitatis ponebatur in casu desertionis, Apostasia. Ego tamen dico coram Deo, non plus esse Apostatam à Monachatu illum, qui post solennem professionem, quam qui ante illam, fit iniustus desertor propositi, & instituti iam arrepti, si id, non animo tantùm probandi, sed animo amplectendi, & perseuerandi arripuerit: quia vterque coram Deo est æquè obligatus suum votum adimplere; & solennitas coram Deo nihil auget obligationem. Et quicunque in Ecclesia habet potestatem, ex causa, vota priuata irritandi, hoc est, nulla esse declarandi, seu in melius, aut æque bonum commutandi; habebit eandem potestatem, ex ijsdem causis, etiam in solenni professione, vel votum nullum declarandi, vel illud commutandi. Et si causa nulla adsit legitima, si Confessarius, aut Episcopus non potest id efficere circa votum priuatum religionis, aut solenne professionis, neque Papa id poterit. Et sanè nemo potest sine causa dispensare cum Monacho vero, vt non sit amplius Monachus: Quia, sine causa, hic non potest esse desertor sui propositi; neque ei licet, sine damnatione, [b] fidem priorem irritam facere: neque potest homo vllus concedere ei, vt hoc licitè faciat. Tremenda sunt verba, quibus Cæsarius Arelatensis inducit Deum, sic Monachum alloquentem; [c] Tu Monache antequam mihi promitteres, in tua erat voluntate facere quod velles, vox tua ligauit te mihi. Nunquid te compuli? nunquid ex necessitate fecisti? nonne liber eras? in tua fuit potestate promittere. Promisisti, & meus esse cœpisti, meum nolo dimittas, non tibi licet ea licentia dimittere, quia mecum habes causam. Promittere tuum fuit, dimittere non est tuum: si dimiseris non te habeo in illo gradu, in quo te prius habui. Primùm liber eras, eras quidem de familia mea; non eras ante oculos meos, non eras de ministris meis, tamen eras de familia mea; non eras mecum, sed tamen creatura mea eras. Ex quo militare cœpisti, si recesseris, non te habeo de familia, sed certè fugitiuum, & præuaricatorem, non enim inuenies vbi me possis fugere. Ideo hoc totum dico, *subdit Cæsarius*, quia in nostra est potestate Deo promittere, non est in nostra potestate dimittere. Promisisti, præmium habebis, negasti, pœnam habebis, vtrumque propter confusionem est. Dicimus, iterum atque iterum dicimus, Ecce ante oculos tuos via mortis, & via vitæ; elige quod volueris. Hoc totum dico, fratres charissimi, ne quis de vobis putet se habere liberam potestatem discedere, & perdescendere cum diabolo in infernum.

[b] 1 Tim. 5.

[c] Cæsarius ham. 45.

num. Ergo ego qui sum Monachus, qui desij esse sæcularis, & factus sum Monachus, aut Monachus saluor, aut aliter non saluor.] Hæc Cæsarius: quæ omnia cum hoc rigore accipienda sunt, vbi Monachus verè ex diuina vocatione Monachismum suscepit, neque vlla penitus legitima causa illum, sed sola mentis leuitas, & mundi illecebræ auocârunt. A

XLV. Ex causa itaque si potest Papa dispensare cum Monacho, vt egrediatur, potest etiam quicunq; Ecclesiasticam habens potestatem. Quid si propria autoritate sine causa legitima quis Monachus professus, fiat desertor? Hic sane peccat contra Deum, & damnationem habet; sed Ecclesia nihil habet contra illum, in foro externo: habet tantum cum illo negotium in foro conscientiæ, propter peccatum; vt non absoluatur nisi redeat; aut si legitima sit causa, absoluatur, etiam non redituus, per irritationem, vel commutationem voti. Quod si vxorem duxerit, pæniteat de peccato desertionis, sed permaneat in coniugio, neque enim amplius indiget vlla dispensatione, ipse enim per assumptionem status incompossibilis cum Monachatu, secum satis dispensauit; quia longe arctius est vinculum connubij, quàm Monachalis professionis. An verò Monachus egeat dispensatione vt fiat Clericus, & transeat ad vitam Clericalem, & sitne in hoc Apostosia, dicam inferius. Sane video tempore Augustini, Monachos sponte, absque vlla dispensatione, de Monasterijs recedere, & propositum deserere, & eos Augustinus, cuius fuerant Monachi, non insequitur vt Apostatas; sed ne ad Clericatum admittantur tantum persuadet; Aurelius enim eos Clericos facere cupiebat: [a] Sponte, *inquit*, Aug. abierunt, sponte deseruerunt, nobis, quantum potuimus pro eorum salutere nitentibus.] B

a *Aug. ep. 76.*

XLVI. Inde verò vel maxime Monachatus perijt, quia vi retinentur qui oderunt disciplinam, quam ne sponte quidem, & ex animo deliberato, aut desiderio propriæ salutis, absque diuina vocatione initio susceperunt; sed vt plurimum pueri, puerilitèr allecti; vel inopes, & otiosi, vilesque personæ, pro commodis temporalibus facti sunt Monachi; & dum disciplinam respuunt, nec amant Regulam, sed à vera vita Monachali abhorrent, coguntur tamen manere, ad externas solas, abiecto spiritu, & vix illas quoque obseruantias seruant: nouique ad Monachismum ingredientes, quam vitam aliorum cernunt, à verò spiritu remotissimam, illi etiam amplectuntur, & sectantur. Hinc collapsum cernimus Monachismum. Quod si solennitates tollerentur, & otiosores disciplinæ liberi permitterentur ad remeandum ad propria; sic Monachismus purgaretur, & boni tantum in Monasterijs subsisterent, ac perfectè Deo seruirent. Ita facit Societas Iesu, sane prudenter (vtinam non secundum carnem) vt pauciss imos ad professionem, & non nisi post multos annos, iam bene probatos, & firmatos, ad solius tamen Generalis nutum admittat; reliquos sub votis simplicibus retineat; vt semper eos possit, si ab instituto suscepto deficerent, aut Generali, ipsiusque Satrapis, propter humana ipsius, eorundemque consilia, non essent cati, & opportuni, alioquin etiam optimi, & religiosissimi, liberos dimittere: atque hoc pacto vel purgatam seruant Societatem, vel se ab ijs liberant à quibus & notari possent in abusu, & in virtute superari: Reuera enim Monarchia illa, perfecta tyrannis, dicti Generalis, grauissimas in hoc infert multis iniurias. Sæpe enim malos retinet, modo hypocrisi externa se ipsos tegant, & partes ipsius Generalis sperentur secuturi; eosque solos ad professionem promouet; bonos verò multos dimittit, & eijcit, quos videat tyrannidem ipsius olfeciss e, & aduersarios sibi futuros suspicetur, atque ab ipsius factione alienos. In hoc vero Præpositi Prouinciales (omnes ipsius Generalis mancipia, ab eo enim, ad ipsius solius nutum & fiunt, & amouentur) inuigilant: & quem Prouincialis, ex aliqua mala sua affectione, semel suscepit persequendum; id satis superque est ad illum ex albo Societatis expungendum. Erit sane interdum Vir optimus, ad Diuinum obsequium propensissimus, cum perfecto Dei timore viuens; quia tamen hypocrisim odit, regiminis tyrannidem auersatur; abusibus resistit; magnatibus se, vt seruus eorum, non subijcit; profligatur, eijcitur, expellitur: Et sic Societas illa bonos multos amittit; malos verò plurimos fouet, ad perniciem sæpe & Ecclesiæ sanctæ, & Regnorum etiam temporalium. Sed ad nostra redeamus. C D E

XLVII. Priuata profecto sunt vota Monachorum vt probaui; priuata vita; priuata obligatio; Deo se illi deuouent & Monasterijs; nullam cum Ecclesia publicè, quantumcunque solennem emittant professionem, contrahunt obligationem; Ecclesiæ nihil promittunt: sed Deo soli; & ad summum, Monachorum congregationi; Monachorum verò congregationes omnes sunt priuatæ, & priuatorum priuatis formatæ institutis. Qui ergo à tali instituto temere discedit, Deo quidem, & sibi facit iniuriam; & ad summum, Monachis, eorumque

rumque Conuentibus, & societati; quæ tamen in suos Monachos ius non habet, nisi quamdiu Monachus est. Hortari potest ordo ipse desertorem, & suadere vt redeat; cogere non potest, punire non potest regredi renitentem. Quis enim priuatis hominum priuatorum & Laicorum cœtibus, dedit iurisdictionem in homines extra suum cœtum positos? Nunquid Monachus seipsum vendidit, fecitque seruum Monachorum? Subdidit se vitæ, & Regulæ illi; vt secundum illam viuat: & profiteri Regulam illam est profiteri eam quamdiu sit Monachus: contractum tamen nullum celebrat cum hominibus, de perseuerantia in Monachatu, per totam vitam, quo contractu homo quicunque, seu homines, ius in eum consequantur, etiam compellendi si deficiat, fidemque frangat. Hunc contractum de perseuerando, coram solo Deo celebrauit, & soli Deo tenetur, non hominibus. [a] Damnationem habentes, Paulus ait, quia primam fidem irritam fecerunt. Non monet cogendas esse & compellendas, pœnisque externis coercendas, vt sient in fide. a 1.Tim.5.

XLVIII.

Hinc Sancti Patres, contra elabentes, non sunt vsi actione iuris, personali, & reali; aut loris, vinculis, & custodijs; sed sola morali persuasione, voluntatem illorum flectere, vt sponte vellent redire, sunt conati. Longe maius vinculum est Clerici, præsertim Presbyteri, quam Monachi, quantumcunque professi; & longe arctior est professio Clerici, quam Monachi; quia fit publice, per publicam vocationem Ecclesiæ, fit in Ecclesia, contrahitur cum Deo quidem, cui se deuouet Clericus, sed etiam cum Ecclesia; quia fit publicus ipsius Minister, per sacram ordinationem; in Monacho verò omnia sunt priuata, vt dixi. Et tamen, si Episcopus, vel Presbyter, nolint amplius ministrare, sed deserant penitus Ministerium, vt vitam priuatam agant; neminem adhuc vidi qui doceat eos posse cogi, Deo soli respondeant. Quotidie admittuntur deponentes suos Episcopatus, & nullas quod sciam, in iure pœnas habemus contra desertores Clericatus: & ad laicalem vitam
C redeuntes: est quidem Canon 7. Chalcedonensis, [b] excommunicans & Clericum, & Monachum, si ad militandum accedant, vel ad honores sæculares, nisi reuertantur; sed ego Canonem intelligo de Clerico, & Monacho, Clericatum, & Monachatum retinentibus: & si vxorem duxerit Presbyter, quando non licet, sola depositione punitur, vt vidimus. Si ergo sponte se deponat, & fiat Laicus, contra illum Ecclesia nihil habet; nam soli Deo rationem reddere debet suæ defectionis, quod à Diuino seruitio, cui se dedicauerat, recesserit. Quanto minus negotij habere debet Ecclesia cum Monacho desertore, cuius vinculum sit longè debilius, quam vinculum Clericatus, quod publicum est; illud vero priuatum? Propterea Basilius [c] suis Monachis elapsis, nihil aliud inculcat, nisi preces, & hortationes pias, ad redeundum. Concilium Arelatense 2. cap. 25. Apostatis à Monachatu solam indicit pœnitentiam pro peccato: de coactione ad regressum nihil. Ita etiam Leo Epist. 95. ad Rusticum Narbonensem. Gregorius, qui Papatus autoritate pollebat, cum
D Venantio tamen Monacho elapso, solis agit & ipse [d] precibus, ac consilio: solam coram Deo initam vrget obligationem; &, vt ait Bernardus, [e] non solum habitum resumere non coegit, sed etiam omnem legitur indulsisse communionem Apostatæ perduranti.] Quanquam Bernardus id ad dispensationem reducat; sed certe Gregorij Epistola nullam continet dispensationem. Non diffiteor tamen alias Gregorium, ad reducendos Monachos desertores, & iam vxoratos, [f] coercitionem etiam præcepisse. Hoc tamen mihi & nouum, & insolitum tunc videtur, quanquam neque nouum, neque insolitum sit, Gregorium, Imperatoris puto confidentia, suo pio zelo plusculum quàm esset potestas Ecclesiæ propria, sibi assumere, & vlterius se extendere. Certè vxorem sortiri Monachum desertorem dicebat, non concubinam assumere: itaque cognoscebat ibi verum matrimonium, & nihilominus illum vi abstrahi mandat; in pœnam videlicet, & aliorum exemplum. Sed vis hæc & coactio, ex omni parte iniuriam continere videtur. Verba Gregorij ad Subdiaconum
E suum Anthemium sunt; [g] Er quia aliquos Monachorum, vsque ad tantum nefas profiluisse cognouimus, vt vxores publicæ sortiantur; sub omni vigilantia eos requiras, & inuentos digna coercitione, in monasterijs, quorum Monachi fuerant, retransmittas.] Vagantes quidē Monachos, & extra monasteria degentes, Monachos tamen, Ecclesiastica statuta ad reditum [h] compellunt; & si coactio externa exerceri non possit, [i] excōmunicatione quoq; percellunt. Postea verò Monachos desertores à se pœnitus monachismum abdicantes, cœperunt aliqui [k] Apostatas vocare, & in eos excōmunicationes fulminare. Quod ego primùm obseruo in Concil. 4. Toletano, quod circa tempora Honorij 1. est celebratum. Sed & hic etiam ego multo maiorem iniuriam agnosco, neque puto posse iustè & legitimè Ecclesiam excommunicationibus contra monachismi desertores, insurgere. Si enim, vt paulo ante ostendi,

b 20.q.3.c.Eos qui.

c Basil.ep.183. 184.185.

d Greg.l.1. ep.33.

e Bernard.de præcep.& dispens.c.21.

f Greg.l.1. ep.40.

g 27.q.1.Et quia.

h 16.q.1.c.Quidam.& 18.q.2. c.Abbates.

i 20.q.3.c.Eos qui.

k Concil.Tolet.4.c.54.

ostendi, Clericus desertor non debet, neque solet ab Ecclesia cogi ad susceptum Clericatum retinendum, & consequenter ne suis quidem censuris in illum insurgit; cur Monachum desertorem, qui nullo vinculo officij publici est Ecclesiæ alligatus, & cuius vinculum priuatum erga priuatas hominum priuatorum, & laicorum congregationes, sine comparatione debilius est vinculo Clericali, coget aut vi, aut censuris ad Monachatum resumendum? Quare excommunicationes quas Monachi contra istos desertores postremis tantum temporibus ab Ecclesia extorserunt, cum graui non careant iniuria, nullius esse puto roboris, & valoris; saltem in conscientia, & coram Deo; ac præterea vbi quis certus vocationem suam non fuisse ex speciali diuina inspiratione, ex alijs quoque causis, secundum rectam rationem grauibus, & legitimis, vitam imprudenter, aut temere, aut etiam violenter susceptam, deserit Monachalem. A

XLIX. Solennitas igitur votorum seu professionis, neque vllam internam coram Ecclesia inducit obligationem, maiorem quàm secum ferat votum simplex, sed opere adimpleri cœptum; neque ad matrimonium magis reddit inhabilem professum, quàm non professum, sed iam factum Monachum: neque demum professio hæc & solennitas extrahit Monachum ex statu laicali; ita vt in gradu aliquo Ecclesiastico, inter Ecclesiasticas personas, sit reponendus. B

L. Dicent tamen Monachi se esse inter Ecclesiasticos viros reponendos, tum ex eo quod habeant confirmationes suarum Religionum à sede Apostolica, per quas confirmationes & suscipiantur in Ecclesiam, tanquam gradus quidam Ecclesiasticus; & priuilegijs etiam Ministrorum Ecclesiasticorum ornentur, & perfruantur; imo etiam, in multis, supra Clericos, euehantur. Tum etiam ex eo quod peculiari benedictione insigniantur, & quasi consecrentur. Ex neutro tamen hoc capite, inter viros Ecclesiasticos locum habent; cum neq; vocentur ab Ecclesia, neque mittantur; sed ipsi per se, priuatas suas faciant secessiones. At C

a Heb. 5. nemo [a] assumit sibi honorem Ecclesiasticum, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron: &

b Rom. 10. Ecclesiasticum ministerium nemo suscipit, nisi [b] mittatur. Confirmationes vero illæ sunt noua inuenta, de quibus agam libro 10. sicut & de priuilegijs. Ostendant mihi obsecro quam confirmationem habuerint innumerabilia cœnobia in Aegypto Monachorum, florentissima, sub Antonio, Pachomio, Hilarione, Macario & alijs. Quandiu in Occidente Benedicti institutum per tot ordines, Nigrorum, Cluniacensium, Cisterciensium, & aliorum, propagatum viguit & floruit, absque vlla peculiari sedis Apostolicæ confirmatione? Confirmatio ergo siue sedis Apostolicæ, siue quoruncunque Episcoporum in suis Diœcesibus, nihil aliud operatur, nisi, ne conuenticula fiant, quæ sub prætextu religionis hæreses foueant, & contra fidem Catholicam machinentur: & confirmare aliquod institutum non est illud admittere inter Ecclesiasticos Ministros, sed est tantummodo testificari, talem vitæ institutionem conformari cum Christi consilijs, & cum Euangelica vita Apostolorum, & piorum fidelium; ipsique Euangelio & Christi doctrinæ illam non aduersari; & posse quenque à Deo vocatum illam, tuta conscientia, amplecti. Quæ est doctrinalis instructio & definitio; quam sedes quæcunque Episcopalis, in sua Diœcesi, potest dare. Consecratio vero illa est simplex benedictio, quæ fit ab Abbate, vel quocunque Monacho; qui non sunt Ministri Ecclesiæ; neque Ecclesiæ nomine id præstant. Sola vero benedictio per collationem ordinis, præsertim sacri, personam constituit in numero Ecclesiasticorum hominum, & Christi ministrorum. Et optime dicebat Iuo, [c] Non maiorem vim habere hanc benedictionem, siue à simplici Monacho, siue ab Abbate fiat, quam habeat super pœnitentem absolutio, vel super populum Sacerdotis oratio; & tam perfecte esse Monachum sine benedictione, quam cum benedictione. Idem intellige etiam de Moniali, [d] quæ ordinarie prius profitetur, deinde benedicitur, & velatur. D E

c Iuo ep. 41.

d 20. q. 1. c. Puella & c. Sanctimoniales & c. Placuit.

L I. Sed dices; Monachi quoque sacris ordinibus initiantur, & per Ecclesiasticos ordines ascendunt tandem etiam ad Presbyteratum. Sunt ergo Ministri Ecclesiæ; Clerici quidem, sed à Clericis Monachatu separati; vt sint Clerici Regulares; diuersi à Clericis ordinarijs, & sæcularibus; & sic in diuerso gradu Ecclesiæ constituti. Respondeo, ex hoc ipso euidenter colligi, Monachos, qui Monachatum cum Clericatu confuderunt, iam neque esse veros Monachos, neque veros Clericos. Clericatus enim cum Monacharu pugnant, & sunt incompatibilia. Nam Clericus, ex intrinseca natura sui gradus, & vera Christi institutione, totus est alterius, nihil pene suus; est enim Christi & Ecclesiæ minister, ad seruiendum populo, in rebus spiritualibus, vocatus, & institutus: Monachus vero totus est sui tantum gratia; totus in propria sola suæ animæ salute curanda occupatus; inde proprie Monachus,

sen

seu solitarius dictus; non quia solus extra homines viuat; viuit enim in societate Monachorum; sed quia sibi soli vacat, ab omni alio externo exercitio remotus, & elongatus; ac præsertim ab omni officio Clericali. Quamuis à carentia sociæ coniugis, ita etiam dictum supra num. 4. 9. censuerint Cassianus, & Chrysostomus: Augustinus vero [a] Monachi nomen ad vnitatem reducit. Quia multi cum sint in vno cœnobio, ita spiritu & voluntate atque caritate, & vnitate actionum, sunt coniuncti, vt si omnes essent vnicus homo. Monachos vero sibi solis vacare patet ex prima eorum institutione, de qua egimus ad initium huius capitis; & sancti Patres, ac Concilia, sæpissime & apertissime testantur Clericatum cum Monachatu directe pugnare: Meritoque Gregorius septimus dixit, [b] Monachos se ipsos tantum amantes, propriam quietem quærere.

a *Aug. in Ps. 132.*

b *Greg. 7. l. 6. Epi. 17.*

Basilius, optimus Monachorum pater, & instructor, ac institutor, diabolicam pestem esse vehementer exaggerat, si inter Monachos, Clericatus ambitio inualuerit; ostenditque Clericatum esse à Monachatu alieniſsimum; sic enim loquitur; [c] Cæterum Clerum, aut inter fratres Principatum, nullo modo appetere Monachus debet: siquidem Diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes; quæ res insigne primæ Diaboli prauitatis indicium est.] In eandem sententiam consentit Moses Abbas; dum enim varias recenset diabolicas illusiones, quibus Monachos solet Sathan transfiguratus in Angelum lucis decipere, vnam esse ait; [d] Cum desiderare sanctum Clericatus officium, sub prætextu ædificationis multorum, & amore lucri spiritalis, instigat, per quod nos, *inquit*, ab humilitate propositi huius, ac distractione diuellat.]

LII.

c *Basil. constit. Monast. c. 9.*

d *Cassian. collat. 1. c. 20. & Cæsarius Arelat. hom. 25.*

Zosimus verò Papa ab Isychio Salonitano monitus, [e] nonnullos ex Monachorum cœtu, quorum solitudo quauis frequentia maior erat, sed & laicos ad Sacerdotium festinare, ita rescribit: Hoc autem specialiter, & sub prædecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat literis ad Gallias, Hispaniasque transmissis, in quibus regionibus familiaris est ista præsumptio; — Ne quis penitus contra Patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, & temporis approbatione diuinis stipendijs eruditus, ad summum Sacerdotium aspirare præsumeret. — Laudamus igitur constantiam propositi tui (*quas videlicet Monachis, & laicis negabat Præsbyteratum.*) Nec aliud à te expectandum fuit, quam vt talibus ambitionibus, pro præceptis Patrum, in procinctu fidei constitutus occurreres. — Vos obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbiæ, & arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum; tecum Apostolicæ sedis autoritas.] Eiusdem erroris esse censet Zosimus siue Monachum, siue laicum Presbyterum facere; nisi diutini Clericatus experimento fuerint *in alijs ordinibus* in Ecclesia probati; quod explicauit clarius Gelasius dicens; [f] Vt si quis etiam de religioso proposito, & disciplinis monasterialibus eruditus, ad Clericale munus accedat, in primis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur, si nullo graui facinore probatur infectus: si secundam non habuit forsàs is vxorem, nec à marito relictam fortitus ostenditur; si pœnitentiam publicam forsàs non gessit, nec vlla corporis parte vitiatus appareat; si seruili aut originariæ non est conditioni obnoxius; si Curiæ iam probatur nexibus absolutus; si assecutus est literas, sine quibus vix forsàs is ostiarij possit implere ministerium; vt si his omnibus, quæ sunt prædicta, fulcitur, continuo Lector, vel Notarius, aut certè defensor effectus, post tres menses exsistat Acolythus, maximè si huic ætas etiam suffragatur; sexto mense Subdiaconi nomen accipiat; ac si modestæ conuersationis, honestæque voluntatis exsistit, nono mense Diaconus, completoque anno sit Presbyter: cui tamen quod annorum interstitia fuerunt collatura, sancti propositi sponte susceptæ doceatur præstitisse deuotio.] Hîc habemus multam probationem Monachi, si in Clerum sit cooptandus.

LIII.

e *Zosim. Epi. 1.*

f *Gelas. Epi. 6.*

Ioannes Hierosolymitanus conquestus fuerat de quibusdam, quod Presbyteri cum essent, illi, qui erat Episcopus, non subijcerentur: & consequenter alium Principatum Ecclesiasticum in ipsius Diœcesi facerent; & ita scinderent Ecclesiam. Atque hac querela acrius se punctum sensit Hieronymus; vtque eam diluceret, neque interim se ei subijceret, licèt esset Presbyter, se à Clericatu abdicatum, vt Monachus tantùm esset, docet; sic enim disserit: [g] Porrò quod dicis te petisse, vt subijcerentur Ecclesiæ Dei; & non scinderent eam, neque proprium sibi facerent Principatum; de quibus dicas non satis intelligo. Si de me, & de Presbytero Vincentio, satis multò dormisti tempore, qui post annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris: ob idenim, & ego Antiochiam, & ille Constantinopolim, vrbes celeberrimas deseruimus; non vt *te in* populis prædicantem laudaremus, sed vt in agris, & in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus.

LIV.

g *Hieron. Ep. 61.*

Sin

Sin autem de Pauliniano tibi fermo est, vides cum Episcopo suo esse subiectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non vt tuum, sed vt alienum, eius videlicet, à quo ordinatus est. Quod si hic etiam esse voluerit, & in exilio nostro quietus in solitudine viuere, quid tibi debet nisi honorem quem omnibus debemus Episcopis? Fac à te ordinatum, idem ab eo audies, quod à me misello homine, sanctæ memoriæ Episcopus Paulinus, audiuit. Num rogaui te vt ordinarer? Si sic Presbyterium tribuis, vt Monachum nobis nō auferas, tu videris de iudicio tuo. Sin autem sub nomine Presbyteri, tollis mihi propter quod sæculum dereliqui; ego habeo quod semper habui, nullum dispendium in ordinatione passus es.] Hæc ille. A

LV. De tribus hic agitur Presbyteris, qui Monachi cum essent, ad Presbyteratum fuerunt assumpti; Hieronymo, Vincentio, & Hieronymi fratre Pauliniano. Hi in Monasterio Bethleemitico, Hierosolymitanæ Diœcesis, degebant; Monasticamque vitam agebant. Episcopo Hierosolymitano, tanquam Presbyteri, subdi nolebant; hoc est, non consentiebant vt ille de illis, sicut de suis Presbyteris disponeret, ijsque pro suo libito, & pro sua potestate, in regimine suæ Ecclesiæ vteretur. Illi enim sub suo Abbate, in suo Cœnobio, Monastice viuebant. Atque hinc Ioannes quærebatur Presbyteros, quorum proprium caput in vnaquaque Ecclesia est illius Ecclesiæ Episcopus, sub alio capite, & Principe, quem ipsi sibi in Monasterio constituunt, viuere. Vbi verò Presbyteri, à proprio capite Ecclesiastico separati, aliud sibi caput constituunt, ibi profecto manifestum schisma, & manifestam scissionem Ioannes agnoscebat. Neque id negare potuisset Hieronymus, si Presbyteri illi, quorum vnus ipse erat, Presbyteralia officia gererent, & exercerent, & non sub ipso Episcopo. Sed se cum Vincentio Presbyteratui renunciasse, respondet Hieronymus, ad quem, non rogantes sed rogati, & inuiti penè fuerant promoti: & solo Monachismo operam dare. Paulinianum verò, ad obedientiam sui Episcopi, qui illum ordinarat transisse. Quod si & ipse vellet renunciare Clericatui, vt Monachus purus, inter Monachos ageret, id ei integrum esse: cum fuerit omnino inuitus [a] ordinatus. Vides quantum repugnet Clericatus Monachismo, & contra: vt si Monachus velit vti Clericatu, relinquendus sit ei Monachatus, vt sit sub suo Episcopo, à quo fuit ordinatus; sicut fecit Paulinianus: aut si Clericus velit ad vitam transire Monachalem, ab omni clericali munere debeat abstinere; sicut fecerunt Hieronymus, & Vincentius, qui in Monasterio nunquam voluerunt [b] obire munera Sacerdotalia: vt propterea Epiphanius Cypri Episcopus, non sine vi, Paulinianum Monachum, & ad Diaconatum, & ad Presbyteratum euehere fuerit necessitate adactus; quia in illo Monasterio, in quo erat multitudo fratrum, vt loquitur Epiphanius, nullus erat qui sacrificia perageret, nisi soli Hieronymus, & Vincentius: & hi abstinebant. Atque ex eodem Hieronymo refert Gratianus, [c] Monachos Scythiæ conuenisse in vnum, vt Sacerdotem sibi inuenirent, qui eis missarum solennia celebraret. Non ergo Monachi sacris ordinibus initiabantur; ne Patres quidem eorum, & Abbates. B C D

a *Apud Hier. ep. 60.*

b *Ibid.*

c *16. q. 1. cap. Hinc est. §. Superior.*

LVI. Cauet lege sua Iustinianus, [d] Vt veniant ad Ecclesiam publicam Monachi, tempore sacri ministerij, cum Abba, suisque Prioribus, & senibus; sacrificioque completo, omnes rursus ad cœnobium reuertantur; ibique sedeant, &c. Non ergo in Monasterio erat vllus monachorum qui Sacerdotio fungeretur; & Monachi ipsi ad templum parochiale vt oues, non vt pastores accedunt; Et sub Gregorio cum Monasterium Panormitanum S. Hermæ, nullum haberet Sacerdotem qui missas celebraret, ne Abbatem quidem; Vrbicus eius Abbas, petit à Romano Pontifice, tanquam insignem gratiam, & rem insolitam, vt vnum Monachum pateretur ad Sacerdotium promoueri. Scribit enim Gregorius Victricio Episcopo Panormitano hoc pacto: [e] Vrbicus Abbas Monasterij S. Hermæ, quod Panormi situm est, à nobis, cum aggregatione sua magnopere postulauit, in eodem Monasterio Presbyterum, qui sacra missarum solennia celebrare debeat, ordinari. Et quia huiusmodi non est differenda petitio, fraternitatem vestram, scriptis præsentibus necessario duximus adhortandam, vt cum qui ad hoc ministerium de hac congregatione electus fuerit, cuius vita mores & actio tanto possint ministerio conuenire, sine mora, auxiliante Domino, valeat consecrari; quatenus nec ille de Monasterio suo hac pro causa egredi; nec extrancum sibi ad peragendum sacrum opus, cogatur adducere.] E

d *Nouel. 133. ca. 2.*

e *Gregor. lib. Ind. 14. ep. 44.*

Pro priuata igitur, & sola Monachorum congregatione, interdum indulgebatur vnus Presbyter ex Monachis; sed & hoc raro, & ex speciali priuilegio: ordinatis enim Monachi in Ecclesia communi, cum cæteris fidelibus, [f] Sacramenta percipiebant; & cœpit eis postea indulgeri, vt possent in suis Monasterijs Synaxes suas priuatas peragere; & Presbyterum

f *Areop. de Eccl. Hierar.*

A byterum ad sacra celebranda ab Ecclesia Matrice inuitare, & aduocare. Audi eundem Gregorium: [a] Hortamur ergo, *inquit*, vt omni mora, omni excusatione submota, ita Monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenus nullam deinceps in eis Clerici, vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causa accedendi licentiam: aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerint inuitati mysteria.] Missas tamen publicas in cœnobijs fieri, & alios quoscunque conuentus Ecclesiasticos, ad quos alij fideles, præter Monachos, habeant accessum, celebrari, tanquam rem inconuenientissimam, & indecentissimam, seuere prohibuit idem Gregorius: [b] Ne in seruorum Dei recessibus, *inquit*, & in eorum receptaculis, vlla popularis conuentus præbeatur occasio, vel mulierum fiat illic introitus; quia non expedit animabus eorum.]

a *Greg. l. 6. Ind. 15. ep. 40. habetur. 18 q. 2 c. Dudum.*

b *18. q. 2. c. Luminosa.*

Imò propterea, si viri pij oratoria aliqua, siue Ecclesias ædificabant, eaque à Monachis LVII.

B teneri volebant, illæ Ecclesiæ sub certis conditionibus consecrabantur, quæ à Monachis omne Clericale munus auferrent. Eas habes apud eundem Gregorium, sic ad Episcopum Neapolitanum scribentem; [c] Fraternitati vestræ esse non putamus incognitum, quia Romanus clarissimæ memoriæ Vir, per vltimæ suæ voluntatis arbitrium, in domo iuris sui, Ecclesiam, quæ in ciuitate vestra sita est, ædificari deputauit. Et quia, Deo miserante, defuncti noscitur voluntas impleta, sanctitas vestra illic ingrauanter accedat, & si nullum ibidem corpus constat humatum, locum ipsum in honorem SS. Hermetis, Sebastiani, atque Cyriaci, nec non & Pancratij, solenniter studeat, absque missis publicis, cum veneratione debita consecrare; ita vt in eodem loco baptisterium nunquam constituatur; nec Presbyterum constituas Cardinalem; sed quoties missas ibi degentes illic Monachi fieri voluerint, à dilectione vestra Presbyterum nouerint postulandum; quatenus nihil tale à quolibet alio Sacerdote vllatenus præsumatur.] Omnino verò repugnare, vt qui Monachi sunt,

c *Greg. l. 8. Ind. 3. ep. 3.*

C sint etiam simul Clerici, sæpius expresse tradidit idem Gregorius: [d] Nemo potest, *inquit*, & Ecclesiasticis obsequijs deseruire, & in Monachica regula ordinatè persistere: vt ipse Monasterij districtionem teneat, qui quotidie in Ministerio Ecclesiastico cogitur permanere.] Et rursum ad Maximianum Syracusanum: [e] Presbyteros, *inquit*, Diaconos, cæterosque cuiuslibet ordinis Clericos, qui Ecclesijs quoquo modo militant, Abbates per Monasteria esse non permittas; sed aut admissa Clericatus militia, Monasticis non prouehantur ordinibus; aut si in Abbatis loco permanere decreuerint, Clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cum vnum ex his, præ sui magnitudine, diligenter quis non possit explere, ad vtrumq; iudicetur idoneus.] Officiũ porro Monachi non esse Clericale, sed plangendi, & pœnitendi, satis habemus supra num. 9.

d *16. q. 1. c. 2.*

e *Ibid. c. 38.*

Publicos vero pœnitentes irregulares perpetuo fuisse ostendam lib 5. Cumque Monachi, vt iam constat, in pœnitentia sint perpetua, ex hoc etiam quodammodo capite ab ordinibus sacris remouendos esse censuit Ecclesia. Vnde Tarasius Constantinopolitanus: LVIII.

D [f] Noui, *inquit*, & Monachos aliquot, cum in Mundo essent, omni libidine conspurcatos; cum autem solitariè viuerent, tanquam faces in orbe resplenduisse, Nullum tamen ex his in Sacerdotem ordinatum. Quod si autem id semel, atque iterum factum est, non tamen confestim legem in Ecclesia præscribit.] Huc faciunt quæ supra adduxi, num. 10.

f *Septima Synod. act. 1. 7. c. 1.*

Neque eo refugiant, vt dicant, Monachos sacris Clericorum ordinibus initiari; non vt LIX.

sint totius alicuius Ecclesiæ Ministri, sed Ecclesiæ suæ priuatæ; hoc est vt ministrent in sola propria sui Monasterij Monachorum congregatione. Sed contra; primò, Vnicus satis superque est in vnoquoque Monasterio Sacerdos, aut duo ad summum; cur ergo omnes sacris volunt ordinibus insigniri? Deinde, iuxta Ecclesiasticas sanctiones, nemo ordinari debet, nisi alicui certæ Ecclesiæ Minister deputetur; & ordinationes absolutæ, sine certo titulo alicuius Ecclesiæ, vehementissimè prohibentur, vt ostendam pluribus lib. 9. Cui verò Ecclesiæ seruient Monachi, si extra Monasterium egredi non debent: propriam verò

E Ecclesiam eos habere non licet, nisi simplex oratorium intra domesticos parietes: in quo, vt vidimus, vix vna tantummodo missa, & ex interdum priuatissima, pro solis Monachis, possit à Sacerdote, per Episcopum loci mittendo, celebrari? Præterea Monachi vniuscuiusque Monasterij sunt quidem priuata quædam Ecclesiola, non tamen per se separata, & diuisa à tota illius loci, & Diœcesis particulari Ecclesia: & consequenter Sacerdotem alium habere non possunt, nisi quem loci Episcopus dederit; vt vidimus in Gregorio; & tractabimus lib. 10. Et omnes Clerici alicuius Ecclesiæ Clerici sunt; Hi verò cum nullius sint Ecclesiæ Clerici, neque sub suo, vbi degunt, Episcopo constituti, qui illis possit in suæ Ecclesiæ Ministerijs, ex autoritate vti, non erunt Clerici, sed pseudoclerici.

Demum

LX.

Demum si in proprijs Ecclesijs erga fidelem plebem Clericalia exerceant munera, vt nunc faciunt; a Monachali longissimè discedunt gradu, & professione; vt est iam demonstratum: imò & contra seueras faciunt Ecclesiæ prohibitiones, quæ sunt huiusmodi; videlicet, [a] Monachum secundum etymologiam sui nominis, per omnia singulariter agere oportet: Quamobrem firmiter & insolubiliter omnes præcipimus, vt aliquis Monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi inuicem, vt iustum est: mortuum non sepeliat, nisi Monachum.] Item; [b] Nullus Monachorum præsumat pœnitentiam dare, nec filium de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad Ecclesiam sæcularem transire, neque alijs qualibuscunque negotijs sese implicare: sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat, quia Mundo mortuus est, Deo autem viuit -- sedeat tristis, & ita officio suo vacet.] Idem prohibent eodem modo [c] Paschalis 2. & Calixtus 2. Hieronymus vero: [d] Alia, *inquit*, causa est Monachorum, alia Clericorum: Clerici pascunt oues, ego pascor.] Et; Monachus si ceciderit rogabit pro eo Sacerdos: pro Sacerdotis lapsu quis rogaturus est?] Monachus ergo à Sacerdote plurimum distat.

a 16. q. 1. c. 1.

b Ibid. c. 8.

c Ibid. c. 9 10.

d Hieron ep. 1.

LXI.

Concilium Chalcedonense Oecumenicum, circa Monachos egregie statuit hoc pacto: [e] Qui vere, & sincere singularem sectantur vitam, competenter honorentur: quoniam vero quidam vrentes habitu Monachi Ecclesiastica negotia, ciuitiaque conturbant, circumeuntes indifferenter Vrbes, nec non & Monasteria sibi instituere tentantes; Placuit, nullum quidem vsquam ædificare aut constituere Monasterium, vel oratorij domum, præter conscientiam ciuitatis Episcopi. Monachos vero, per vnamquanque ciuitatem, aut regionem subiectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo ieiunio, & orationi, in locis quibus renunciauerunt sæculo permanentes. Nec Ecclesiasticis vero, nec sæcularibus negotijs communicent, vel in aliquo sint molesti, propria Monasteria deserentes; nisi forte his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo ciuitatis. Nullum vero recipere in Monasterijs seruum. obtentu Monachi, præter sui Domini conscientiam. Transgredientem vero hanc definitionem nostram, excommunicatum esse decreuimus, ne nomen Dei blasphemetur. Veruntamen Episcopum conuenit ciuitatis competentem Monasteriorum prouidentiam gerere.] Orationi tantum & ieiunio vacare debent, vt audis, Monachi, & in nullis etiam Ecclesiasticis negotijs debent communicare. Non ergo in Clerum sunt per Clericales ordines cooptandi; si debent manere Monachi. Sed Clemens quintus (vnde Monachatus est pene destructus) ad sacros [f] ordines Monachos omnes obligauit; in quo tam multa Ecclesiastica statuta conculcauit, qui in multitudine Missarum cultum diuinum censebat, sed deceptus, ampliari. Et ab hoc tempore cæperunt Monachi sacris ordinibus initiari: Vix enim vllus promouebatur, vt patet ex Lucij tertij [g] rescripto.

e Concil. Chalced. c. 4.

f Clemen. Ne in agro. de stat. Monach. §. Ad ampliationem.

g Ad aures. De temp. ord.

LXII.

Prædicationem vero, quæ est maximè propria Clerici, ad quam potissimum ministri Christi eliguntur, speciali inhibitione vetitam Monachis reperimus. Ita Leo; [h] Hoc specialiter, *inquit*, statuentes, vt præter Domini Sacerdotes, nullus audeat prædicare: siue Monachus, siue Laicus ille sit, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur.] *Item*, [i] Auctoritatis est Sacerdotalis, Monachis prædicandi aliquam, contra fidem, licentiam non præbere; & omni virtute resistere, ne ea quæ ad Sacerdotes pertinent, sibi audeant vendicare. Vnde miramur fratrem Theulatium Episcopum, quod Georgio nescio cui, qui, præsumendo illicita, & propositum Monachi, & nomen amisit, scribendi vel prædicandi, aliquam permiserit facultatem.] Audis Monachum amittere propositum, & nomen Monachi, cum primum Clericalia cæperit exercere. Illicitam fuisse prædicationem Monachis, habemus etiam in historia Equitij, apud [k] Gregorium. Et Patres quintæ Synodi [l] Monachorum inquiunt, vita subiectionis habet verbum, & Discipulatus; non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios.] Et Alexander 2. [m] Iuxta Chalcedonensis, *inquit*, tenorem optimi Concilij, Monachis, quamuis religiosis, ad normam S. Benedicti, intra claustrum morari præcipimus: vicos, Castella, Ciuitates peragrare prohibemus: & à populorum prædicatione omnino censuimus cessare. Nisi forte quis de suæ animæ salute sollicitus, vt eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit.] A Leone quoque Imperatore lege cautum est; [n] Ne Monachi de religione, vbi in Vrbem ingressi sint, aut dogmate disceptent; aut Conciliabulis quibusdam præsint; aut, turba excitata, simplices & mansuetos animos populi auertant.] Nunc vero, (ô nostram ignominiam, ô Ecclesiæ infamem inuersionem) Monachi apud nos soli facti sunt, verbine, an verborum prædicatores?

h 16. q. 1. c. Adjungimus Ex ep. 66, 67. Leonis.

i Idem Leo ep. 74.

k Greg. dial. l. 1. c. 4.

l 7. q. 1. c. Hoc nequaquam.

m 16. q. 1. c. 11.

n C. de Episc. & Cler. l. 29.

tores? nos Clerici silemus, eosque suspicimus, & ab eis auro atque argento non exiguo, lutum vt plurimum, atque vtres inflatos, inutili vilique vento distentos emimus. Sed erunt aliæ rursus occasiones, ista, & alia in hoc genere, defendi.

LXIII.

Erant profectò Monasteria tanquam Scholæ quædam, & Seminaria, vnde libenter sibi Ecclesia de idoneis Ministris prouidere olim consueuit; & tantùm abest vt vel Apostasia censeretur, vel pro dispensatione ad sedem Apostolicam esset, cum tot laboribus, & expensis, confugiendum, si quando Episcopi ex Monasterijs suæ Diœcesis Monachum aliquem assumerent, eum in suum Clerum reposituri, vt potius id fuerit penè ordinarium, & honoris, ac dignitatis loco habitum: quippe quod ab humiliori, ad altiorem gradum, & statum longè in Ecclesia & meliorem, & præclariorem, Monachus attolleretur. Ait Hieronymus ad Heliodorum: [a] Quod si te quoque ad eundem ordinem, pia fratrum blandimenta solicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu.] Non quod status Clericorum sit lubricus, vel delicios⁹us, & suppeditet occasiones lapsus; sed quia status ille est laborios⁹or, & perfectiones multas requirit; quas qui non habet, facile deficit, & non præstat quod tenetur. Pergit enim ibidem Hieronymus describere qualem oporteat esse Clericum: In vita enim Monachali tutam quandam inertiam ponunt sancti: in clericali verò tantum solertiam, vt periculum sit, ne inertia, quæ Monacho prodest, non obest, Clericum tamen faciat damnabilem. Væ illi, *inquit*, qui vestem non habens nuptialem, ingreditur ad cænam: —Væ illi qui acceptum talentum, in sudario ligans, cæteris lucra facientibus, id tantùm quod acceperat reseruauit: — Dum tu ignauus negociator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti. — Cui plus creditur, plus ab eo exigitur. — Non est facilè stare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium.] *Item*; [b] Ita age, & viue in Monasterio, vt Clericus esse meteris. — Multo tempore disce quod docceas, ne mules antequam tyro; prius magister sis, quàm discipulus.]

a *Hieron. Ep. 1.*

b *Idem Ep 4.*

LXIV.

Monachus itaque, tanquam prima Clericatus rudimenta habens, ad Clericatum solebat assumi. [c] Si te, *inquit idem Hieronymus ad Rusticum Monachum*, vel populus, vel Pontifex Ciuitatis, in Clerum elegerit, agito quæ Clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores.] Quasi dicat; tunc defere solitudinem, priuatamque vitam, ne amplius sis Monachus cœnobita, sed vitam agas clericalem. Non enim vita clericalis est laxior, aut lautior, aut Monachali interior, vel deterior; sed sublimior, strictior, seuerior, & Deo gratior; ac illam sectanti vtilior ad æternam salutem; & magis proficua, quàm Monachalis. In multis enim vita Clerici, est vita Monachalis: nam, vt docuimus cum Hieronymo, Clerici sunt Patres Monachorum; & à Clericis Monachi vitam suam acceperunt; nimirum vt viuant in communi, absque proprietate, & cœlibes, vt vixerunt Apostoli. Itaque non mutat vitam Monachus, si fiat Clericus, sed perficit: vtoptimè Innocentius etiam monebat, dicens: [d] De Monachis qui diu morantes in Monasterijs, si postea ad Clericatus ordinem peruenerint, statuimus non debere eos à priori proposito discedere.] Non quod debeant manere Monachi, hoc enim repugnat vt sit Clericus, clericalibus officijs applicatus, & tamen maneat Monachus, qui debet in Monasterio tanquam in sepulchro latere; sed quod debeat virtutes præcipuas Monachorum retinere.

c *Ibid.*

d *16.q.1.c.3.*

LXV.

Solitos verò fuisse Episcopos ex Monasterijs accipere Monachos, & eos ad Clericatum promouere, præter Hieronymum, habes id testantes [e] Epiphanium, [f] Siricium, rursus [g] Innocentium, [h] Augustinum, [i] Gelasium, [k] Gregorium, & [l] alios. Qui Monachis ita ad Clericatum vocatis concedunt facultatem plenam, clericalia munera, alias eis, vt vidimus, prohibita, exercendi. Non enim deerant qui censerent, etiam promotos ad sacros ordines, non posse sacra ministrare Monachos; quos vt penitus [m] mortuos reputabant. Sed vocatio legitima ad Clericatum, procul dubio dat illis vitam, & operationes clericales: iis tamen exceptis, qui pro solis Monasterijs Sacerdotes ordinabantur, & plenè manebant Monachi; nam tales nullum actum clericalem poterant, iuxta tot prohibitiones, erga fideles alios exercere. Estque merum somnium Gratiani, non Ambrosij dictum, quod in contrarium mihi quis obijcere posset; & ponitur à Gratiano in suo [n] Decreto; quo dicto Monachis nimia facultas clericalis tribuitur. Certè posterioribus temporibus Ioannes 22. etiam [o] campanarum vsum tollebat Monachis, ne ad sua oratoria, ad eorum tantùm vsum priuatum permissa, plebem vocarent, & ab Ecclesijs Clericorum auocarent. Et de his agam fusiùs libro decimo.

e *Epiphan in suo Panar.*
f *16.q.1.c.29.*
g *Ibid.c.22.*
h *Ibid.c.30.*
i *Ibid.c.28.31*
k *Ibid c.23.24.32.*
l *Concil. Agath. c.27. & de Ep. & Cler. d.33. C. Hi de def.*
m *16.q.1.c.25.*
n *Ibid.c.21.*
o *Extrauag. Quia quamplures. de offic. ord. in 6.*

LXVI.

Sed & ipsos status Clericalem & Monachalem si consideres, planè perspicies eos inter se plurimum nobilitate, fine, instituto, ac vitæ perfectione dissidere; vt Monachus sit

à Clerico distantissimus. Quanuis enim, vt dixi, Monachismus possit, & soleat futuro Clerico prima dare rudimenta pietatis, abstinentiæ, & timoris Dei; si tamen Monachus vellet in vita, & statu, & instituto proprio Monachali perseuerare, ad Clericatum redderetur ineptissimus: in suo enim imperfecto persisteret, & ad perfectum, quod est proprium Clerici, nunquam pertingeret. Repete obsecro, lector, quæ tibi ad initium huius capitis, ex Hieronymo, statum monachalem describente, protulimus, & videbis monachum, non in vera virtutum solidarum assecutione exerceri, sed in vitiorum fuga duntaxat salutem propriam reponere: non sui victoriam quærere, sed pericula euitare: non perfectioni studere, sed solam animæ suæ salutem, vt tutam reddat, conari: pugnare non vult, sed fugere: imbecillitatis memor proripit se è bello, vt, sine periculo vulnerum delitescat: seueritatem suam, quamuis inertem, præfert certamini: non laborat vt vincat, sed fugit ne vincatur. Clericalis vero status, seu professio, tota in vera perfectione consistit, cum assecutione virtutum; cum laboribus & sudoribus, inter arma, inter hostes, bellandum ei est, & certandum, vt legitime coronetur. Ac propterea monachus, cuius est, non inter pugnantes esse, sed ad impedimenta quiescere, nisi quietem hanc velit deserere, ad Clericatum merito censetur ineptissimus. A B

LXVII. Ambrosius pulcherrime & ipse statum Clericalem præfert plurimum statui Monachali, tanquam perfectum, imperfecto. Audi comparationem inter vitam Monachalem & Clericalem: [a] Hæc ergo vita, *inquit*, in studio; illa in spelunca: Hæc aduersus confusionem sæculi; illa aduersus carnis appetentiam: hæc subijciens, illa refugiens corporis voluptates: hæc gratior, illa tutior: hæc teipsam regens, illa semetipsam coercens: vtraque tamen se abnegans, vt fiat Christi; quia perfectis dictum est; [b] Qui vult post me venire, abneget se ipsum sibi, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Sequitur ergo Christum, qui potest dicere, [c] Viuo autem iam non ego, viuit in me Christus. Negabat se Paulus, cum sciens quia vincula & tribulationes eum manerent in Hierusalem, voluntarius se offerret periculis, dicens: [d] Nec facio animam cariorem mihi, dummodo consumem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu. Denique circumstantibus plurimis, plorantibus, & obsecrantibus, non reflexit animum: ita fides prompta dura sui censor est. Hæc ergo dimicat, illa se remouet: Hæc illecebras vincit, illa refugit: Huic Mundus triumphatur; illi exultat: Huic Mundus crucifigitur, vel ipsa Mundo; illi ignoratur: Huic plura tentamenta, & ideo maior victoria; illi infrequentior lapsus, facilior custodia. C

a *Ambr ep. 82.*
b Matth 16.
c Gal. 2.
d Act. 20.

LXVIII. Non placet Augustino, vt Monachus malus, sui propositi spontaneus desertor, ad Clericatum accipiatur; ne sic boni Monachi, qui remanent in Claustris, fiant mali: [e] Vt se facilius putent, *inquit Augustinus*, eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores; & ipsis enim facilis lapsus; & ordini Clericorum fit indignissima iniuria; si desertores monasteriorum ad militiam Clericatus eligantur; cum ex ijs qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores, atque meliores, in Clerum assumere soleamus; nisi forte, sicut vulgares dicunt, malus choraula, bonus symphoniacus est: ita iidem ipsi vulgares de nobis iocabuntur, dicentes; malus monachus, bonus Clericus est. Nimis dolendum si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam graui contumelia Clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cum aliquando etiam bonus monachus, vix bonum Clericum faciat; si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. D

e *Aug. ep. 76.*

LXIX. Ab his non discrepat Chrysostomus, sed eadem sententia non minori, sed plane aurea eloquentia, statum Clericalem effert supra Monachalem; ita vt Monachum ad Clericatum fere ineptum fateatur: [f] Quod si quis, *inquit*, exiftet, qui admiretur, laudetque Sacerdotem eum, qui sibi ipsi viuens, domi se contineat, ac multorum consuetudinem, vsumque auersetur; equidem hoc patientiæ specimen aliquod esse dixerim; non tamen idoneum id argumentum virtutis omnis eius, quæ illius animo inesse debet, affirmauerim. Nam qui intra portum, ad gubernaculi regimen assidet; is non continuo sufficiens artis periculum præbet: At vero qui medio in mari cum esset, nauem, sæuiente tempestate, eripere potuit, hunc certe nemo est qui optimum gubernatorem esse neget. Proinde ne Monachum quidem magnopere, ac supra modum admirabimur, quod is apud se viuens, neque commoueatur, atque in multa ac magna peccata prolabatur. Neque enim ei res illæ adsunt, quibus ipse animo iritetur, extimuleturque. Sin vero quis se ipse, turbis vniuersis tradi- E

f *Chrysost. de Sacerd. l. 6.*

tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre coactus cum esset, inconcussus, immotusq; perstiterit; animum ipsum, vel tempestate actum, tanquam in Malacia, ac tranquillitate gubernans; hic vero dignus est quem omnes plausu, & admiratione prosequantur; abunde enim suæ ille virtutis periculum fecerit. Ne te igitur admiratio subeat, si qui a toro, atque a populari consuetudine abhorremus, accusatores multos nequaquam habeamus. Neque enim si cum obdormirem, non deliqui; neque si cum non colluctarer, non cecidi; neque si cum non depugnarem, non percussus sum, mirari oportuit: quis enim obsecro, quis inquam deferre poterit ac detegere flagitium meum? Tectum ne, cubiculumque hoc? &c.] Et quia sibi vitam Monachalem tanquam imbecilli Chrysostomus aptiorem fore censebat, quam regimen accipere animarum, fatetur tamen in hac vita, si comparetur cum Clericali, ac præsertim Episcopali (nam ad Episcopale munus suscipiendum à Basilio
B suadebatur) & pigritiam adesse, & socordiam; quam tamen, sicut contendebat supra Hieronymus, imbecillitas excusaret.

[a] Si quis, *inquit*, optionem mihi proponeret, vtrum ego institutum sequi, inque eo clarescere mallem, in Ecclesiæ alicuius præfectura, an in Monachali solitudine; me prius illud vitæ genus, mille calculis, antepoliturum. — Verum quid facerem? Equidem nihil minus vtile, minusque aptum esse puto ad Ecclesiæ præfecturam administrandam, quam animi mei pigritiam hanc, atque socordiam: quam tamen alij exercitationem esse existimant: At ego illam, quali meæ imbecillitate velamen prætendo. Qua quidem, ex ijs quæ in me desiderantur, plura obtego, neque sese prodere patior.] Atque hinc, quia totum animum se habere sentiebat Monachalem, ineptitudinem suam ad Episcopatum gerendum causatur. Quisquis enim, *inquit*, tanti ocij fructum capere, multaque in quiete vitam transigere assueuerit, vt magno etiam ingenio præditus sit; is sane si quid agendum est, in quo
C tyrocinium non posuerit, animo statim turbatur, ac percellitur; obtunduntur que magna quidem ex parte facultates, viresque illius omnes, nisi eas prius ad ipsum, quod facturus est, probe exercuerit. Qui si forte simul & tardo ingenio natus, & certaminum huiusmodi expers fuerit, suscepta ista Sacerdotij administrandi prouincia, nihil prorsus, quod nostrate verbo dicitur, a statuis distabit. Quamobrem pauci admodum existunt, qui ex palæstra illa, in hæc certamina descendant. Quotquot autem descendunt, ex ijs plures tese quales sint produnt; tum verò animis concidunt, denique insuaues atque acerbas sese res deuorare intelligunt. Nec ab re quidem illud: Cum enim non eadem sunt, neque ijsdem de rebus proposita certamina, exercitationesque; tum fit, vt qui decertat, ab eo qui prorsus inexercitatus est nihil discrepet. Gloriam in primis contemnere eum oportet qui in stadium istud decertaturus descendit, iram superare, ac multa prudentia abundare. Huic autem qui solitariam vitam amplectitur, nullus prorsus exercitationis campus propositus est.
D Nam neque iritantes habet multos, vt hac ratione meditetur, ac sese exerceat in coercenda animi excandescentia: neque rursus palpatores, applausoresque, vt hac item ratione popularem auram respuere discat. Præterea hoc hominum genus non admodum laborant eam sibi parare animi prudentiam, quam Ecclesiæ administratio requirit. Quo fit, vt cum in ea certamina descenderint, quorum nullum antea periculum fecerint, hæreant ipsi, hallucinentur, ineundi consilij inopia laborent, atque adeo, præterquam quod ad virtutem progressionem nullam faciunt, eas etiam dotes quam secum attulerant, plerique plerumque deperdant. Neque enim dissimulare se ipse potest, qui moribus ijs fuerit, cum in luce, hominumque cœtu versatur. Verum quoquo se ille vertat, statim proditur: ac quemadmodum fit vt metallicas materias ignis probet, ita & Cleri exacta probatio mortalium animos secernit, atque internoscit, ac si quis est vel iracundus, vel pusillanimis, vel gloriæ
E appetens, vel alio quouis animi morbo obsessus, id omne detegit, ac latentes statim morbos denudat: nec denudat solum, sed etiam tum asperiores, tum impotentiores reddit.] Hæc omnia Chrysostomus: Ex quo omnino intulit vitam priuatam, & abstractam Monachalem, hominem imperfectionibus plenum tuto obtegere, vbi occasiones nullæ supperant in dedecentia erumpendi. Confingunt quidem sibi Monachi palæstram quandam exercitationum contra vitia, ad ea extirpanda, non occultanda, virtutesque contrarias acquirendas. Quas exercitationes docet [b] Abbas Ioannes apud Cassianum: Sed ludicrę sunt, non seriæ, ac sola imaginatione apprehensæ. Aliud porro est pugnare contra hostem depictum, seu sola cogitatione comprehensum; aliud verò contra hostem viuum, solidum, & eminentem, atque imminentem; nosque non in somnijs, ac sola imaginatione, sed in vigilia, ac vero & reali certamine impetentem.

LXX.

a *Ibid.*

b *Cassian. collat. 19. c. 24.*

LXXI. Cessent igitur nostri Regulares, [a] statum Monachalem vocare statum perfectionis: illumque in hoc statui Clericali anteferre: & agnoscant verissima esse quæ quatuor Ecclesiæ Sanctæ nobilissimæ columnæ, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & Chrysostomus senserunt & scripserunt, Monachalem vitam esse quidem tutiorem, sed ad perfectionem nequaquam eam tendere, nec collimare, sicut tendit, & collimat Clericalis: sed grauissimas quasque imperfectiones eam ex instituto tegere & abscondere; non euellere. [b] Virtutes verò, vt ait Piammon Abbas, non occultatione vitiorum; sed expugnatione, pariuntur.] Et exercitationes corporales ieiuniorum, vigiliarum asperitatum victus, cultus, & habitus, [c] ad modicum quidem, vt ait Apostolus, vtiles esse. Sed tamen eas in veri Clerici vita insignes esse debere, iuxta illud Pauli: [d] In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.] Hæc est vita veri Clerici, à qua Monachi partem sui acceperunt instituti.

a Sot. de Iust. & Iur. l. 7. q. 5. ar. 1 concl. 4.

b Apud Cassian. collat. 18. c. 8.

c 1. Tim. 4.

d 2. Cor. 6.

LXXII. Quin imò, velle extollere Monachales, aliosue Regulares, à Papa confirmatos ordines; eosque solos vocare Religiosos, & Religiones: & à vera Religiosi status perfectione excludere eos, qui extra tales viuant ordines, inuenio fuisse merito, tempore Concilij Constantiensis, damnatum, & reprobatum. Quidam enim Matthæus Grabon, Dominicanus dogmatizabat, neminem posse consilia paupertatis, castitatis, & obedientiæ licitè & meritoriè, extra veras Religiones, adimplere. Veras Religiones vocabat quæ sunt per Basilium, Benedictum, Augustinum, Franciscum, Dominicum, & similes introductæ: Contra quem Cardinalis Cameracensis optime insurgit dicens, [e] veros religiosos fuisse in primitiua Ecclesia Laicos illos, qui in communi viuebant. Et Gersonius contra eundem propos. 4. 5. 6. ait: Religio Christiana, non requirit ad perfectiorem sui obseruationem, tam in præceptis, quam in consilijs, quod superaddatur alia Religio; quales dicuntur obseruationes institutæ per Sanctos Basilium, Augustinum, &c. Et, Religiones huiusmodi factitiæ, satis improprie, & abusiue, & forsan arroganter, dictæ sunt, status perfectionis. Et, Religio Christiana perfectius potest, & debet obseruari à Papa, Cardinalibus, & Prælatis, etiamsi nullo voto sint obstricti, vltra legem Dei, quam simplices Religionum factitiarum professores: patet, *inquit*, quia sunt in statu perfectionis exercendæ.] Volunt igitur meros Laicos tam esse verè ac propriè religiosos, & ad perfectionem aspirare, per priuata ipsorum exercitia, in consilijs Christi seruandis, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, sine voto aut professione, sub nulla approbata regula; quàm istos Monachos, qui sint sub his Regulis, & institutis. Subdit enim Gersonius; Vnde & si possent in Religione Christiana assignari duo modi viuendi, sæcularium videlicet, & illorum qui profitentur Religiones factitias, quos communis vsus Religiosos appellat; non tamen ita distinguuntur isti modi, quin multa quæ conueniunt talibus Religiosis, conueniant, & conuenire possint, vere, & meritoriè, multis sæcularibus; imo & perfectius; sicut patet, *inquit*, de Prælatis qui sunt in statu perfectionis exercendæ; tam maiores, quam minores, sicut sunt curati.] Vnde etiam habes confirmationem Papalem, quæ ad solam cautelam, vt suspecti de hæresi vitarentur conuentus, vt supra num. 42. 49. innuebam, [f] Fanciscanis, & Dominicanis primum cœpit dari; coram Deo, neque magis, neque minus quemquam ligare, aut facere Religiosum, quam internum ipsius votum, pietatisque ac charitatis exercitium secum ferat. Non enim corona pro locis (*dicebat supra* [g] *Athanasius loquendo de Monachis*) sed pro factis redditur.]

e Apud Gers. tom. 1. tract. de vera Relig. & perfect. cons. Matth. Grab.

f Bellar. de Monach. l. 2. c. 4.

g Sup. c. 10. n. 52.

LXXIII. Nunc tamen quod plurimum dolendum est, & Clerici propter luxum, & vitam prorsus inertem, ac otiosam, & commodam, ad Monasteria sæpe libenter conuolant: & Monachi vicissim pro sola libertate & licentia corrupti Cleri, Clericalem vitam cupiunt, & ad illam multi aspirant. Sic enim, [h] Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus. Abusus hic non est recens. In Concilio enim Cæsaraugustano ita sancitum reperio, circa tempora Hormisdæ; [i] Si quis Clericus propter luxum, vanitatisque præsumptum, de officio suo sponte decesserit, ac velut obseruatorem legis Monachum videri se maluerit esse quam Clericum, ita de Ecclesia repellendum, vt nisi rogando, atque obsecrando, plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur] Propter luxum igitur etiam tunc Clerici vt somno, otio, genioque indulgerent, à vita Clericali strictiori, ad Monachalem laxiorem, libenter deflectabant.

h Horat.

i Conc. Cæsaraug. cap. 6.

LXXIV. Est verò magnum discrimen inter Clericos, quos vocamus Regulares, & Monachos; semper enim Monachus excludit Clericatum, & Clericus Monachatum cœnobitium: quia

vt

vt vidimus, sunt hæc inter se incompatibilia. Quia ergo Clerici ad primam sui respicientes institutionem, vti sunt à Christo instituti, & ab Apostolis instructi, ad vitam communem, & Apostolicam se possunt, & solent reducere; ac Ecclesia sæpè eos reduxit, vt vidimus potissimùm sub [a] Augustino, [b] Eusebio Vercellensi, Martino, & alijs. Hinc vocati sunt Clerici, siue Canonici Regulares: De quibus mihi plenius agendum erit libro huius Operis nono. Hi tamen, vt sint veri Clerici, debent legitimè assumi, & ordinari, vt eodem libro docebo: Non enim Clericus est nisi habeat Ecclesiam; Ecclesiam verò habere, imò neque ordinari potest, nisi ab Episcopo; vt etiam supra num. 59. innuebam. Igitur Clerici Regulares veri erunt Clerici, quos Episcopus assumit, ordinat, & deputat seruitijs Ecclesiæ; & vt suos Ministros, seu socios, & Collegas, ac comministros habet, in sua regenda Ecclesia; eisque pro opportunitate vtitur in ministerijs Ecclesiasticis: illi verò ex bonis Ecclesiasticis communibus viuunt in communi, vitam Monasticam; non tamen instituta seruant Monachalia; sed viuunt absque proprietate, cum vera paupertate, in cœlibatu voluntario; & sub plena sui Episcopi obedientia; ac sub regimine, quo ad domesticam disciplinam sui magistri, vel Abbatis, aut Prioris. Quod si tales non sint, veri Clerici Regulares non erunt; vbi præsertim miscent simul vitam Monasticam cœnobiticam, cum professione clericali; & vbi nullius certæ Ecclesiæ sunt Clerici, ac nulli Episcopo subiecti. Hi sunt veri schismatici, vt [c] supra innui, & libro nono, ac decimo demonstrabo; dum altare erigunt contra altare, & proprias Synaxes faciunt, plebem volunt pascere, & regere, & Ecclesiasticum regimen sibi vsurpare, plebesque a suis Episcopis diuellunt, & Ecclesiasticam pacem turbant, & vnionem. Fateor institutum ordinum Mendicantium, præsertim Dominicanorum; & nostrorum Iesuitarum, ac similium, esse institutum de sua natura non prorsus Monachale, sed potius Clericale: Quia tamen se ab Episcopis locorum separárunt, & nouos quosdam Cleros, neque à Christo, neque ab Apostolis institutos constituunt; ideò Clerici non sunt, sed Pseudoclerici: & quia professio eorum est Clericalis, habitus verò, & regula Monachalis, ideo neque Monachi sunt, neque Clerici, sed mixtum quoddam confusum, & Babylonicum; verius, monstrum, & portentum. Vtinam Ecclesia sancta Catholica illos aut ad veram vitam clericalem redigat sub Episcopis; aut penitus aboleat, & exterminet; ne tot schismata in Ecclesijs Catholicis videamus: Habebis plura in hoc genere, libro 9. & 10.

a *Aug. ad frat. de erem. Serm. 52. & de contin. cap. mun. c. 1. & de mor. Eccl. c. 33.*

b *Ambr. Ep. 82*

c *Supra hoc cap. num. 54. 55.*

LXXV. Monachi verò nostri qui propriam Monachalem vitam profitentur, iamdiu & ipsi, vt se Ecclesiasticos viros plenè facerent, sacros ordines arripuerunt; & Clericatum cum Monachatu permiscere voluerunt. Cumque hæc sint prorsus incompatibilia, iam & ipsi neque Clerici sunt, neque Monachi. Non Clerici, quia, vna excepta Missæ celebratione, quæ tamen neque ipsa eis, vt vidimus, permittebatur, nullum officium clericale exercent; imò neque possunt, neque debent exercere. Monachi verò non sunt, quia sacris initiantur: sed etiam quia Monachalis exercitatio inter ipsos iam ferè tota perijt; facti sunt veri, & proprij Sarabaitæ, de quibus sic Cassianus.

LXXVI. [d] Cumque his duabus professionibus Monachorum (*Cœnobitarum, & Anachoretarum*) religio Christiana gauderet; cœpisset autem in deterius paulatim hic quoque ordo relidere, emersit posthæc illud deterrimum, & infidele Monachorum genus; vel potius noxia illa plantatio rediuiua concreuit, quæ per Ananiam, & Saphiram, in exordio Ecclesiæ pullulans, Apostoli Petri seueritate succisa est; quæ inter Monachos tandiu detestabilis execrandaque iudicata est, nec à quoquam vlterius vsurpata, quandiu illis tam districtæ formido sententiæ, memoriæ fidelium incerta duranit, qua B. Apostolus, prædictos noui facinoris principes, non pœnitentia, non vlla passus est satisfactione curari; sed perniciosissimum germen celeri morte succidit. Illo igitur exemplo, quod in Ananiam, & Saphiram, Apostolica districtione punitum est, à nonnullorum contemplatione paulatim longa incuria, & temporis obliteratione subtracta, emersit istud Sarabaitarum genus; qui ab eo quod semetipsos à Cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac singillatim suas curarent necessitates, Ægyptiæ linguæ proprietate, Sarabaitæ nuncupati sunt; de illorum quos supra diximus, numero procedentes, qui Euangelicam perfectionem simulate potius, quam in veritate arripere maluerunt; æmulatione scilicet eorum, vel laudibus prouocati; qui vniuersis diuitijs mundi, perfectam Christi præferunt nuditatem. Hi igitur dum imbecillo animo rem summæ virtutis affectant, vel necessitate ad hanc professionem venire compulsi, dum censeri tantummodo nomine Monachorum, absque vlla studiorum æmulatione festinant. Cœnobiorum nullatenus experiuntur disciplinã; nec seniorũ subduntur arbitrio aut eorũ traditionibus

d *Cassian. collat. 18. c. 7.*

ditionibus instituti, suas discunt vincere volũtates; nec vllã sanè discretionis regulã, legitima eruditione suscipiunt; sed ad publicã tantũmodo, id est, ad hominũ faciẽ renunciantes, aut in suis domicilijs, sub priuilegio huius nominis, ijsdem obstricti occupationibus perseuerant; aut constituentes sibi cellulas, easque Monasteria nuncupantes, suo in eis iure, ac libertate consistunt, nequaquam Euangelicis præceptionibus succumbentes, vt nulla scilicet quotidiani victus solicitudine, nullis rei familiaris distentionibus occupentur. Quod illi soli, absq; vlla infideli dubitatione cõsummãt, qui cunctis Mũdi huius facultatibus absoluti, ita se cœnobiorum præpositis subdiderunt, vt ne sui quidem ipsius fateantur esse se Dominos: Illi autem qui districtionem, vt diximus, cœnobij declinantes, bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti Abbatis cura, atque imperio gubernari; sed hoc præcipue procurantes, vt absoluti à seniorum iugo, exercendi voluntates suas, & procedendi, vel quo placuerit euagandi, agendiue quod ibitum fuerit, habeant libertatem: etiam amplius in operibus diuinis, quam ij qui in cœnobiis degunt, diebus, ac noctibus, consumuntur; sed non ea fide, eodemque proposito. Hoc enim illi faciunt, non vt fructum sui operis subijciant dispensatoris arbitrio, sed vt acquirant pecunias quas recondant: Inter quos quantum interfit aduertite. Illi nihil de crastino cogitantes, gratissimos Deo sudoris sui offerunt fructus: isti vero non solum in crastinum, sed etiam in multorum annorum spatia, infidelem solicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum, aut inopem credunt; qui promissam quotidiani victus, atque indumentorum sufficientiam, præbere eis aut non potuit, aut nolit. Illi hoc omnibus expetunt votis vt [illegible] id est, nuditatem omnium rerum, paupertatemque possideant; Isti vt omnium copiarum affluentiam consequantur: Illi ob hoc certãtim statutum transcendere Canonem diuturnis operibus elaborant, vt quicquid Monasterijs sanctis vsibus redundarit, vel carceribus, vel Xenodochio, vel Nosocomio, vel indigentibus, pro Abbatis dispensetur arbitrio; Isti, vt quicquid quotidianæ superfuerit gulæ, aut profusiori proficiat voluptati, aut certe philargyriæ vitio recondatur. Postremo, vt concedamus ab illis hæc quoque, quæ non optimo proposito congeruntur, melius quam diximus posse distribui; ne sic quidem ad meritum virtutis illorum, ac perfectionis aspirant. Illi enim tantos Monasterio redditus conferentes, eisque quotidie renunciantes, in tanti subiectionis humilitate perdurant, vt quemadmodum sui, ita etiam eorum quæ proprio sudore conquirunt, potestate priuentur; abrenunciationis primæ feruorem, dum quotidie semetipsos laboris sui fructibus nudant, iugiter innouantes; isti autem eo ipso quod aliquid pauperibus largiuntur, elati, in præceps quotidie cõllabuntur: Illos patientia atque districtio, qua tam deuote in hac quam semel arripuerunt professione perdurant, vt nunquam suas expleant voluntates, crucifixos huic Mundo quotidie, viuosque martyres facit; Hos arbitrij sui repor, viuos ad inferna demergit.] Hæc Piammon Abbas apud Cassianum. Describit Chrysostomus priscos Cynicos, quorum profectò simillimi sunt hi nostri Sarabaitæ, Pseudanachoretæ, fœx hominum, Monachalis & Anachoreticæ vitæ dedecus insigne: [a] Vbi nunc sunt, *inquit*, pallia gestantes, & promissam ostentantes barbam, & bacula dextra ferentes, externorum philosophi, Cynica piacula, sub mensalibus canibus miserius dispositi, ventrisque causa cuncta facientes?] His opponit sui temporis religiosissimos quosdam monachos, & anachoretas. Non deerant tamen ijsdem temporibus his Cynicis simillimi Sarabaitæ, sicut & hodie non desunt, quos eiusdem Chrysostomi discipulus Cassianus egregiè, vt vidimus, descripsit.

a *Chrys. ad pop. Antioch. ho. 17.*

LXXVII Si nostri Minoritæ, Dominicani, Carmelitæ, Seruitæ, Minimitæ, ac similes, non sunt ipsissimi Sarabaitæ (bonos, si quis inter ipsos est verus cœnobita, excipio) quinam erunt, aut iamdiu fuerunt? Etiam Benedictinos quis non videt ferme plenissime iamdiu in veros Sarabaitas degenerasse? vbi summa paupertas ipsorum etiam in communi? Vbi labores manuum? Vbi austeritas victus & vestitus? Quid Monachis cum Clericatu? Quid cum tot deliciis? [b] Hi in curribus, & hi in equis: prisci vero in nomine Domini Dei nostri inuocabant. Sed de incredibili luxu ac diuitiis, aliisque abusibus Monachorum, & nostrorum Regularium, dicam vltra lib. 9. & de eorum separatione ab obedientia, & subiectione ordinariorum, per vanissima Priuilegia: sicut de corpore Reip. separatæ in vnaquaque Religione Regularium, differam pluribus postremo huius operis libro. Nunc mihi satis sit ostendisse Monachos in numero Ministrorum Ecclesiæ non esse reponendos; neque inter viros Ecclesiasticos vlla ratione numerandos; etiamsi veros, & omnibus numeris absolutos haberemus Monachos, quales Euangelica & Apostolica doctrina, ac primitiua peperit Ecclesia: quanto minus huius temporis pseudomonachi, & pessimi ac detestandi Sarabaitæ,

b Ps. 19.

A tæ, erunt in Ecclesiasticarum personarum ordinem referendi? Iam igitur de Monachis; ac de toto hoc secundo libro satis.

LXXVIII. Habetis, Præsules Venerandi, in hoc secundo libro, vestram potissimum summam potestatem explicatam: successores estis plenissimi sanctorum Apostolorum: quisque vestrum tantam habet in Ecclesiæ regimine ordinariam potestatem, quantam habuit quicunque etiam summus Apostolorum: à Deo immediatè illam accepistis plenissimam, & ordinis, & iurisdictionis. Nulla penitus est inter nos omnes, ex diuina institutione inæqualitas: quilibet nostrum est æquè Vicarius Christi in terris, atque quicunque alius. Non plus est Romano Pontifici commendata, præter suam particularem, etiam Vniuersalis Ecclesia, quàm cuique nostrum: fratres sumus & collegæ omnes cum illo: expergiscimini: hæc vobis clarissima hic exposui, & reddidi compertissima Expromite igitur pro Christo,
B expromite eam quam ipse dedit vobis potestatem, vt & iugum excutiatis sæuæ tyrannidis, & sanctæ Christi Ecclesiæ suam reparetis libertatem; eamque à tam fœda, tam sæua, tam deploranda vindicetis oppressione. Debetis profectò modo possitis; potestis verò, modo velitis Ecclesiam sanctam suo nitori restituere, schismata comprimere, omnesque Christi Ecclesias, quotquot sunt in Vniuerso Christiano orbe, ad suam vnitatem reducere. Solus, mihi credite, obstat infelix, & vndequaque abominandus Papatus: eo ad suam formam redacto, & intra terminos, quos ei Euangelium præscribit, siue quos etiam legitima Ecclesiæ consuetudo, sanctique Patres, & Oecumenica Concilia dilatarunt, (de quo nos plenè sequenti libro 3°. agemus) circunclusо, amplissimus patebit aditus ad summam caritatem, perfectam concordiam, & omnium sanctarum Ecclesiarum vnionem. Si Christum amatis, serio hæc cogitabitis, & post cogitationem ad opus accingemini; magisque vobis cordi erit hæc tam necessaria vnio, & sanctæ Ecclesiæ Vniuersalis, ad perfectam com-
C paginem redintegratio, quàm vnius hominis penitus carnalis, & totus temporalis fastus turpissimus, maximeque scandalosus, ac verè indebita, & nobis dormientibus vsurpata, nimiumque eleuata tyrannis: Expergiscimini.

Libri secundi finis.

D

E

DE REPVB-

DE REP. ECCLESIASTICA, LIBER III.

Qui est

De Hierarchia inter Rectores Ecclesiæ.

PROŒMIVM.

VBICVNQVE est multitudo absque ordine, I.
hoc est, absque subiectione, & prælatione, ibi necesse est adesse confusionem: Ac præsertim inter homines, ad certum aliquod munus, post naturam corruptam, coniunctos, & deputatos. [a] Non erat aliquando Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.] hoc est; Nemo erat qui multitudinem regeret, & iudicaret; sed vnusquisque sibi, & lex erat, & Rex. In magna profectò naturæ humanæ corruptione, & Leges, & Reges vix possunt illam satis coercere, vt semper bonum faciat; quanto minus, vbi Rectorem non habebat, potuit coercere? Dum igitur ait Scriptura: Quod bonum, & rectum sibi videbatur, id vnusquisque faciebat; libertatem summam, imò licentiam, intelligit, vt quisque faceret, non quod bonum esset, sed quod bonum sibi videretur; tametsi & malum esset, & iniquissimum. Tunc enim quando hoc pacto, sine Rege, quisque pro suo arbitrio viuebat, in Israel reuixit Sodoma; [b] Et ex tanta turpitudine, bello ciuili crudelissimo, penè confectus est ipse Israel, etiam diuinorum oraculorum ope destitutus: & tribus Beniamin fermè tota, est internecione deleta. Iosephus Zachariæ filius, & Azarias, dum seorsim copias instruunt, & non sub Iuda, ac Ionatha Machabæis; voluntque sibi nomen facere, turpiter ab hostibus fugantur, & multitudinem neci subdunt; [c] Quia non audierunt Iudam, & fratres eius, existimantes fortiter se facturos.] [d] In die illa pariter ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium. Ita contingit, quando sine Rectore, sine Duce, quisque suæ voluntatis temerarium sequitur impetum. Hæc non ad Monarchiam in Ecclesia vniuersali ponendam protuli, sed ad confusionem inter Rectores Ecclesiæ euitandam, si inter ipsos aliqua non ponatur subordinatio, citra tamen omne periculum iam exclusæ Monarchiæ.

a Iudic. 17. 18. 21.
b Ibid.
c 1. Machab. 5.
d Ibid.

Est igitur Ecclesia, verè [e] castrorum acies ordinata. Ipsa est [f] lectulus Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel. omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super fœmur suum, propter timores nocturnos.] Ipsa est [g] turris Dauid, cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.] Atque hi recto ordine, optimoque ductu, suis inuigilant custodijs. Ipsa est vinea quam paterfamilias de [h] Aegypto transtulit, & inter gentes plantauit, [i] conduxitque in eam operarios multos; qui non confusè se in opere, & labore, vineæque solerti cultura præpedirent; sed ordinatè in ea omnes, quisque in parte sua, ad consequendum denarium diurnum, laborarent. Ille solus qui dominus vineæ est, dominus etiam est omnium operariorum. Vnicum habet

II.

e Cant. 6.
f Ibid. 3.
g Ibid. 4.
h Ps. 79.
i Matth. 20.

habet Pater hic familias, Deus optimus maximus, suum vineæ huius Procuratorem: is A
verò est filius eius dilectus Christus Dominus. Hic est qui vocat operarios, vt laborum mercedem eis, in fine diei, exsoluat. Hic est summus Ecclesiæ princeps, & Hierarcha supremus: Nos omnes operarij ei subijcimur: veram aliam Hierarchiam inter nos nullam habemus, quia sub illo vnico Principe & Imperatore, ei militamus, eius vineam custodimus, fodimus, colimus, & ad vberem vindemiam præparamus. Atq; vt cultura hæc sit exactior, operarij ipsi inter se amice conueniunt, circa modum culturæ adhibendæ: Vineam hanc maximã inter se partiuntur; officiaq; aliqua, ad torpentes excitandos, inutiles expellendos, vtiles aduocandos, amicabili consensione ita distribuunt, vt tamen nemo eorum ex operario fiat Dominus; sed omnes perpetuo sint operarij, & conserui.

III. Quid verò nos? Quia ipsimet socij & operarij nobiscum, aliquid muneris, alicui ex nobis, iniunxerunt, vt ad opus alios, & exemplo potissimum, & verbo, amicabiliq; adhortatione B
excitaremus; Hinc iam nobis dominium vsurpamus in socios, & imperium: sarculum deponimus, vt sceptrum assumamus: ab opere cessamus, vt tantum modo collegis dominemur: nos operarios esse obliuiscimur, & typhum in socios exercemus: omnes serui eiusdem patris familias æque sumus: & tamen aliquis nostrum sibi soli Oeconomi officium arrogans in
a Luc. 12. suos insurgit conseruos, ac dicit; [a] Moram facit Dominus meus venire; percutitq; seruos, & ancillas, edit & bibit; & inebriatur; qui tamen fidelis deberet esse seruus & prudens, simul cũ alijs, quem constituit Dominus super familiam suam, vt, simul cum suis conseruis, det illi cibum in tempore. Hæc igitur in summa æqualitate, summa inæqualitas, per summum abusum, contra
b Ibid. c Hoc Op. l. 1. c. 2. n. 10. & c. 10. n. 14. & c. 12. num. 4. Ecclesiæ intentionem, introducta, maximam in Ecclesiam inuexrit perturbationem; sed [b] Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, vt monui etiam [c] supra, & hora qua nescit; & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet.] C

IV. Peiora defleo, dum cerno in hac vinea operarios à Domino conductos, vineam ipsam miserè discerpere, & dissipare; pugnas perpetuas inter se gerere; & bello ciuili implacabili, alios in alios insurgere. Siccine? Vinea, nostra non est; Christi est: Nos omnes in eam sumus à Christo missi operarij, vt vniti summa consensione in illud vnum opus incũbamus, vt vineam maximè fructiferam reddamus: nos verò pugnis inutilibus, vanisq; contentionibus fructũ impedimus. Quid verò inter Christi operarios pugnas excitat, & contentiones? Quia aliqui culturæ suæ partis vineæ inuigilant, & aliquo diuerso, fructifero tamen modo eam colunt, putant exactius, & palmites inutiles resecant, purgantq; ad viuum; inde alij in illos excandescunt, eos à se separant, diris persequuntur modis, & in eos bella cient amarissima. Veniet, veniet vineę procurator & Dominus, & illos potissimũ arguet operarios, qui schismatum & diuisionum turbationes in vineam inuexerunt. Sed ne ab eo acrius increpemur, & seuerius puniamur; imo ne etiam à denario diurno excludamur, mittamus, obsecro, nostras contentiones; ac primum omnes vnanimes nos Christi esse operarios cognoscamus; neq; imperium vllũ inter nos exerceamus: sed si qui ab alijs, circa modum vineæ excolendę dissentiunt, amica & benenuola, citra schisma, discussione, à Christo Domino, eiusq; spiritu. Ecclesiæ sanctæ relicto, petant, & accipiant instructionem. Hanc ego instructionẽ, circa modum colendæ Christi vineæ, inter operarios seruandũ; quatenus Ecclesia ipsa à spiritu Christi recta illum præscripserit, conabor, Diuina fauẽte gratia, hoc libro patefacere. Vt illud saltem appareat, quænam, & in quibus rebus sit inter Episcopos, in suis regendis Ecclesijs, dependentia, & subordinatio. D

Librum totum in duodecim partiar capita.

V. In 1. agam de Prælatione & subiectione Episcoporum iure Diuino. E
In 2. de inducta hierarchia in Ecclesiam.
In 3. de electionibus Episcoporum, cuius sint.
In 4. de eligendis in Episcopos, quinam esse debeant.
In 5. de iure Metropolitanorum in ordinandis, & consecrandis Episcopis.
In 6. de translationibus Episcoporum.
In 7. de iure metropolitico erga suffraganeos Episcopos.
In 8. de potestate metropolitanorum erga suffraganeorum subditos.
In 9. de eorundem potestate in tota prouincia.
In 10. de Patriarchis, & Primatibus, ac sedibus Apostolicis.
In 11. de Pallio.
In 12. de huius hierarchiæ perturbatione.

CAP.

A

CAP. I.

Nullam esse Jure Diuino inter Episcopos veram Prælationem, aut Subiectionem.

SVMMA CAPITIS.

Ex præcedentium librorum doctrina primo colligitur propositum, num. 1.

Deinde ex vnitate Ecclesiæ: In primis ergo ipsa vnitas tractatur, & declaratur ex Patribus, à num. 2. vsque 12.

Ex hac vnitate Ecclesiæ totalis, vnicus colligitur Episcopatus totalis, qui tamen à pluribus Episcopis in solidum gubernetur, à num. 12. ad num 21.

B

Ex gradibus ordinum Ecclesiasticorum idem colligitur, num. 22.

Ac demum ex eo quod Patres expressè negent inter Episcopos subiectionem & Prælationem, intentum concluditur, num. 23. vsque ad finem.

TRactaturus in hoc libro de varijs Prælationibus, & subiectionibus quæ Ecclesiæ vsu, & legibus sunt inter Episcopos institutæ, ante omnia pro fundamento dicendorum, & vt ad ea mihi sternam viam, repeto in hoc capite primo ea quæ circa æqualitatem inter Apostolos, & eorum successores Episcopos sunt à me in duobus præcedentibus libris demonstrata: atque hæc ipsa suscipio vlterius & adhuc plenius hoc ipso primo capite confirmanda: vt hinc pateat ex iure Diuino prælationes hasce, & subiectiones inter Episcopos non pendere, sed aliunde. Excludam itaque hoc capite quæ sunt in hoc genere excludenda, vt tutius postea quæ sunt includenda includantur. Ex generali itaque quod à nobis toto primo libro positum est, fundamento, nimirum Christum Dominum, suis Ministris pluribus, ex æquo, suam commendasse Ecclesiam; & Apostolos omnes pares fuisse, ac prorsus in omni Ecclesiastica cura & potestate æquales; ex ijs etiam, quæ libro secundo præcedenti cap. 6. deduximus, Episcopos omnes nihilosecius, quàm fuerunt sancti Apostoli, esse in eadem Ecclesiastica cura, & regiminis potestate, prorsus æquales; optimè sequitur, inter eos, iure Diuino, Christique institutione, neque subiectionem veram esse, neque prælationem. Sed hoc ipsum melius adhuc ex sana sanæ Ecclesiæ doctrina confirmemus, & declaremus. I.

C

D

Vnicam esse Ecclesiam Christi, & singularem, non sub vlla diuersitate multiplicem, iuxta illud, [a] Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genetrici suę;] Vnicam solam Rempublicam, vnicum perfectum corpus, agnoscunt Catholici omnes: & pro hac vnitate sancti Patres vehementissimè semper decertarunt; vt schismata, scissiones, ac diuisiones, & inconsutilis Christi tunicæ, quæ hanc significabat Ecclesiam, dilacerationes vitarentur. Ad hanc vnitatem commendandam Christus Dominus, cum vnico [b] Discipulo, videlicet Petro, tractat, vbi de huius Ecclesiæ fundatione sermonem habet; licet ab omnibus duodecim æque vellet illam fundari: vt exposui pluribus lib. 1. cap. 7. Hanc vnitatem Paulus tantopere Corinthijs inculcabat, ne dicerent; [c] Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.] Et sancti Patres eandem vnitatem plurimum semper commendarunt, & propugnarunt. II.

a Cant. 6.

b Matth. 16.

c 1. Cor. 1.

E

Tertullianus: [d] Apostoli, *inquit*, vim Spiritus Sancti, ad virtutem, & eloquium, primo per Iudæam, contestata fide in Iesum Christum, & Ecclesijs institutis; dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam, eiusdem fidei, nationibus promulgauerunt; & proinde Ecclesias apud vnamquanque ciuitatem condiderunt. A quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vnam esse illam ab Apostolis primam, ex qua omnes: sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.] Illa ergo tota vna Ecclesia integra, quam omnes Apostoli initio, per vniuersum orbem, in omnibus orbis partibus, fundarunt, dat similiter vnitatem reliquis omnibus, quæ successu temporum, illi adhæserunt, & in dies adhærent, & annectuntur. III.

d *Tertull. de præscript.*

annectuntur. Atque hæ omnes quæ illi annectuntur, illique incorporantur, acquirunt A
vt sint æque Apostolicæ, sicut illa prima ab Apostolis fundata, vera est Apostolica.
Ita etiam Optatus vnicam facit in tota Ecclesia Cathedram, vt habes supra lib. 1. c. 10.
num. 18.

IV. Augustinus hanc sæpius prædicat vnitatem; [a] Ecce Roma, *inquit*, ecce Carthago, ecce
a Aug. in ps. 44. aliæ & aliæ ciuitates; filiæ Regum sunt, & delectauerunt Regem tuum in honore ipsius; &
ex omnibus fit vna quædam Regina.] Audis Romanam etiam Ecclesiam, sicut & Carthaginensem, coalescere in vnam illam Ecclesiam totalem, vnamque Reginam, cuius partes
sunt, & Roma, & Carthago, & cæteræ aliarum Ciuitatum particulares Ecclesiæ. Non ergo Roma Regina, sed vna ex innumerabilibus, quæ simul sumptæ, & vinctæ fide ac religione, conficiunt Reginam. [b] Ecclesiæ multæ, *inquit idem Augustinus*, & vna Ecclesia:
b Id. in ps. 67. non aliud, sed hoc ipsum.] *Item*: [c] quæ Ecclesia ipsæ Ecclesiæ: --- Propter vnitatem, Ec- B
c Id. in ps. 141. clesiæ vna Ecclesia, [d] Vna est columba mea, vna est matris suæ: propter congregationes
d Cant. 6. fraternas per loca, multæ sunt Ecclesiæ: [e] Ecclesiæ, inquit, Iudeæ quæ erant in Christo
e Galat. 1. gaudebant. -- Ecclesias sic dixit: & vnam Ecclesiam sic dicit, [f] sine offensione estote Iu-
f 1. Cor. 10. dæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei.] *Item*, [g] Ex Ecclesijs pluribus, vna constat Ecclesia.]
g Aug. in ps. 150.

V. Theodoretus; [h] Vna quidem, *ait*, per totum orbem, atque mare: Propterea orantes
h Theodoret. in ps. 47. dicimus, pro sancta & vnica Catholica, & Apostolica Ecclesia, (*oblitus est Theodoretus adjicere, Romana*) à finibus vsque ad fines terræ. Rursus diuisa est ipsa per Ciuitates, & oppida,
& agros, quas Diuinum oraculum domos nuncupauit; quemadmodum quælibet Ciuitas intus habet domos, à se inuicem diuisas, & vna tamen Ciuitas nominatur; sic infinitæ,
& innumerabiles sunt Ecclesiæ, in Insulis, & in continenti; communiter autem omnes in
vnam rediguntur, ob consonantiam veterum dogmatum &c.] Idem ferme habet in Can-
tica; vbi exponit illud, [i] Dilectus meus descendit in hortum suum &c. & lib. 1. Historiæ C
i Cant. 6. Ecclesiasticæ. cap. 10. ad calcem.

VI. Cyrillus Alexandrinus merito Petrum de imperitia notatum obseruat, tanquam nesciret quid diceret, dum [k] tria Tabernacula fieri procurabat in monte transfigurationis: [l] Le-
k Matth. 17. l Cyril. l. 6. in Leuit. gi enim, *inquit*, & Prophetis, & Euangelio, non tria, sed vnum est Tabernaculum: quæ est Ecclesia Domini.]

VII. Gregorius; [m] Quia ciuitates, *inquit*, à conuiuentibus populis appellantur, non immerito Ciuitatum nomine, veræ sunt fidei Ecclesiæ designatæ; quæ in singulis Mundi par-
m Greg. l. 16. Moral. c. 23. tibus positæ, vnam Catholicam faciunt; in qua fideles omnes, de Deo recta sentientes, concorditer viuunt.

VIII. Euthymius exponens illud Psalmi, Beati qui habitant in domo tua, ait: [n] Per domum
n Euthym. in ps. 83. Dei, has ipsas aulas Christi, nimirum Ecclesias, intelligere debemus. Indifferenter autem
singulari numero, & plurali vsus est; quoniam sil oca respicias, Ecclesiæ numero plures D
sunt; si religionem, & fidei communicationem, omnia quæ vbique locorum sunt templa,
vnam constituunt fidelium Ecclesiam.] Item, exponens illa alterius Psalmi verba, [o] Ado-
o Ps 95. rate Dominum in aula sancta eius, ait: Illud autem animaduertendum ducimus, quod cum
superius plurali numero aulas dixerit, nunc singulari sermone rursum aulam nomina-
uit, docens nimirum, quod multæ quidem numero Ecclesiæ sunt, fide vero vna est om-
nium mater Ecclesia. Diuisæ siquidem sunt locis, quæ coniunctæ sunt vnitate opinionis.]

IX. Beda, [p] Non latret, *inquit*, rabies Hæreticorum de angulo, toto terratum orbe Ecclesia
p Beda l. 6. in Luc. cap. 3. diffusa est, omnes gentes habent Ecclesiam; nemo nos fallat, ipsa est vera, ipsa est Catholica, cæpit ab Hierusalem, peruenit ad nos, & ibi est, & hic: *non enim* vt huc veniret,
inde discessit: creuit non migrauit.]

X. Hæc porro vnitas in eo consistit, vt vniuersa Christianorum multitudo, quotquot per v- E
niuersum orbem sparsi inueniuntur, Vnicum efficiat magnum cœtum, vnicamque congregationem. Qui cœtus totus, quæque integra congregatio, vnicam illam constituit
Christi Ecclesiam, vnicamque Rempub. spiritualem. Et hæc vnitas est vnitas vnius totius
integralis, in re quantitatiua homogenea, quæ habet partes duntaxat integrantes, sed ho-
mogeneas: sicut si diuideres vnum magnum lapidem in plures partes, & particulas: ita lig-
num, aurum, terram, aquam, &c. Sic Ecclesia hæc vna, est magna collectio innumerabi-
lium hominum, vnam eandemque fidem, & religionem profitentium; vno eodemque
baptismo ablutorum; vna eademq; lege Euangelica, ad æternam beatitudinem, directorũ;
vnicus magnus grex, cuius partes & particulæ non subiectiuæ, non potentiales, non
morales,

A morales; aut metaphysicè; sed merè, & purè integrantes, homogeneæ tamen & eiusdem rationis, sunt particulares Ecclesiæ; maiores, & minores; ita vt vnica etiam Christianorum domus suam faciat Ecclesiam partialem, vt habet Paulus; [a] Salutate, *inquit*, Priscam, & Aquilam, & domesticam Ecclesiam eorum.] Vnitas itaque hæc Ecclesiæ vniuersalis militantis, non est vnitas generis, quod multiplicetur per species, vsque ad specialissimam, & individua, vt opponit [b] Ioannes Constantinopolitanus Innocentio 3. Neque vnitas per essentialem subordinationem; quia inter partes huius magnæ Ecclesiæ integrantes duntaxat, nulla est essentialis subordinatio, nulla dependentia; & consequenter nulla subiectio, nulla prælatio; sed simplex cohærentia, & situatio, cum sola loci, seu situs diuersitate; non sic est in Repub. ciuili, quæ tota est heterogenea, quia vt tradam libro sexto, quot sunt Regna diuersa, imò & fermè quot ciuitates, tot sunt Respublicæ, inter se variæ, & diuersæ; varijsque, & diuersis, ac sæpè contrarijs vtentes legibus: sæpe etiam minores maioribus subordinatæ, & inter se, aut saltem ab vno summo Rege dependentes; aliæ ab alio item summo. Quia vnitas non est inter omnes Respub. ciuiles necessaria; sicut necessaria est in fide, & Religione vera Christiana.

a Rom. 16.

b *Apud Innoc. 3. l. 2. Ep. 199. Nec infra lib. 4. c. 7. nu. 34.*

c *Infra lib. 6. c. 12. nu. 131. 132.*

B

XI.

Hanc ergo Ecclesiam, quæ vnus grex magnus est, dico esse vnicam illam Ecclesiam, quam vnicam tot adducta Patrum documenta faciebant; & hanc Ecclesiam eam solam vnitatem habere contendo, quæ est vnitas duntaxat molis, seu magnitudinis, ex pluribus constans partibus integrantibus; sed homogeneis. Quia Ecclesia hæc vna vniuersa hominibus constat fidelibus, qui omnes sunt vnius rationis, in ipsamet formalitate huius vnitatis, quæ est vna, & eadem fides; vna, & eadem religio, quæ tota est homogenea; & ex hac vnitate in ratione formali Ecclesiæ, per quam Ecclesia est Ecclesia, ipsa tota est homogenea; nam eiusdem rationis sunt partes, cuius est totum; sicut aquæ partes diuisæ sunt aquæ; &

C multæ partes aquæ coniunctæ simul, nihil aliud faciunt, nisi magnam aquam: sic multæ Ecclesiæ per orbem positæ partiales, constituunt vnicam Ecclesiam totalem magnam. Falsitur itaque Bellarminus, dum [d] corpus Ecclesiæ facit vnum, heterogeneum, sicut, *inquit*, vna arbor est ex ramis, & radice: quæ est similitudo [e] Cypriani.

d *Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 16.*

e *Cyprianus de simpl. Prælat.*

Sed Cyprianus tunc in hac ipsa Ecclesia, quæ vna est, & homogenea, ex partibus pluribus constans integrantibus, considerabat vnde nam vna sit, & suam vnitatem habeat formalem: hoc est quæ sit forma, propter quam plures Ecclesiæ sint vna Ecclesia; ac declarat formam Ecclesiæ vniuersalis, quæ forma est Spiritus, & fides, informans omnes Ecclesias, quotquot sunt particulares; sicut radix vno eodemque vigore dat vitam ramis omnibus suæ arboris: vt videlicet non possit esse ramus viuus, qui non sit vnitus toti arbori, quæ tota ex eadem radice vitam habet: item similitudinibus Cypriani, riui; licèt plures sint, tandiu fluunt, quandiu vniti sunt fonti. Sic vnus ille Spiritus, & vnica illa fides, quæ est in tota Ecclesia vniuersali, dat vitam, & fluere omnibus riuis, id est, Ecclesijs particularibus; quia eidem fonti sunt vnitæ: ita radij multi, radij sunt, & splendent omnes, quatenus vniti sunt soli: sic Ecclesiæ multæ, quatenus vnitæ sunt Ecclesiæ vniuersali, ab ea, tanquam à Sole, suum fidei splendorem accipientes, & ipsæ splendent. Hæc est Cypriani sententia, & huc similitudines illæ sunt adductæ, ad schismata impugnanda; ne qua Ecclesia speret se Christi Spiritum habere, nisi Ecclesiæ sit coniuncta vniuersali, in qua tanquam in radice, fonte, & Sole, residet Christi Spiritus: & quotquot se abscindunt ab hac Ecclesia vniuersali, & seorsim volunt agere, eas exsiccari, deficere, ac marcescere necesse est. Solam ergo participationem vitæ, & spiritus, considerabat Cyprianus, quæ ex sola vnione cum tota Ecclesia habebatur, in alio exempla, & similitudines Cypriani non quadrant: nam licet ex radice, & ramis fiat vna arbor, integra tamen non est, nisi adsit truncus; cuius similitudinem non potuit Bellarminus in Ecclesia reperire: ex fonte verò, & riuis hinc inde diuersis, non

D

E est vnus fluuius: ita ex Sole, & multis radijs, non fit vnus radius, aut quidpiam tale vnum: at verò ex plurimis Ecclesijs, fit vna Ecclesia homogenea, vt est à me explicatum. Ac multò minus quadrant hæ similitudines ad Romanam Ecclesiam extollendam, quo eas ducit ibi, sed frustra, Bellarminus; vt patet ex verbis Cypriani, & nostra hac explicatione; quam inferius num. 18. perficio.

XII.

Hæc igitur vna Ecclesia, Christi gratia, & infusione, Apostolorum verò opera & labore, post Christi passionem, & resurrectionem fundata; ijsdem, per quos fundata est, à Christo Domino, est etiam ad regendum commissa, & commendata; non vni, quia non ab vno, sed à pluribus fundata est, & ædificata; & illi plures, qui eam, non sibi multis, sed Christo vni ædificabant, & operarij duntaxat erant; singuli pro sua virili, & pro parte sua,

XIII.

f *Mat. 9. Luc. 10. Io. 4.*

vt docui libro primo. Et quia vnus Apostolus totam Ecclesiam non ædificauit, sed plures; ideo neque vnus solus est à Christo institutus, huius totius Ecclesiæ operarius. Cùm itaque Vinea hæc magna, Diuina dispositione, in multos fuerit diuisa; vt vnusquisque operarius eam partem excoleret, cui posset satis esse; Iccirco operarios omnes, Christus voluit conficere vnicum corpus operariorum; qui in solidum, totam hanc Vineam excolerent. Quemadmodum igitur partes ipsæ Ecclesiæ, vt ostensum est, non sunt nisi integrantes, nec habent inter se vllam dependentiam aut subordinationem; ita neque inter operarios, qui in solidum in tota Ecclesia laborant, potest esse, ex Diuina institutione, aut subiectio, aut prælatio. Potuisset profectò, si voluisset Dominus, præter operarios, vnum aliquem instituere, qui ipsius loco operarijs præesset; quis hoc dubitat? Sed factum quærimus, & de facto iam lib. 1. cap. 3. ostendimus omnes Apostolos; operarios duntaxat fuisse, & æque singulis opus ipsum ministeriale commisisse. Vltra Apostolos verò in Euangelio nemo inuenier quempiam fuisse à Christo electum, cui suam Ecclesiam soli commendaret, seu quem præfecerit operarijs. Itaque iure Diuino Episcopi omnes, quippe Apostolorum successores, in officio ministeriali, inter se æquales cum sint, id est, omnes æque operarij, in hac Ecclesia ad laborandum in solidum deputati, nulla inter ipsos potest esse, ex Diuina institutione, subiectio aut prælatio.

XIV.

Hæc à Cypriano Diuino homine sunt egregie & mente concepta, & oratione explicata; ait enim: [a] Vna est Ecclesia à Christo, per totum mundum, in multa membra diuisa; item Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.] Item ad Stephanum Papam: [b] Nam etsi Pastores, *inquit*, multi sumus, vnum tamen gregem pascimus, & oues vniuersas, quas Christus sanguine suo, & passione quæsiuit, colligere, & fouere debemus] *Item*: [c] Cum Ecclesia, quæ Catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa; sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata, &c.] *Item*: [d] Beatus Paulus Apostolus Sacramentum vnitatis ostendit, dicens: [e] Vnum corpus, & vnus spiritus, vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum, atque indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat; Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur: Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur.] *Item*: [f] Vnus Deus est, & Christus vnus; Ecclesia eius vna, & plebs in solidam corporis vnitatem, concordiæ glutino, copulata.] *Item*: [g] Singulis Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque, & gubernet.] Hæc omnia Cyprianus. Quibus sanè locis diuinam institutionem satis explicat, vt Ecclesia vnica sit, vnitate illa quam ego modo explicabam, & Episcopatus vnus: sed nunquid vnicus Episcopus toti huic vni Episcopatui præest? minimè verò. Sed singulis, *inquit*, est sua portio assignata: Ipsos verò omnes Episcopos, non reducit Cyprianus ad vllam vnitatem, per subiectiones, ac Prælationes, vsque ad vnum supremum; quæ est vnitas subordinationis; sed omnes, *inquit*, in solidum illam totam Ecclesiam gubernant: si in solidum omnes & simul, certe inter ipsos neque est prælatio neque subiectio: & vnus, *inquit*, omnium Episcoporum est Episcopatus, hoc est, omnes Episcopi simul sumpti, & in solidum, vnicum tenent Episcopatum; qui est Ecclesia vniuersa illa vna iã explicata: & omnium est vnum & idem officium, & munus; inter multos tamen diffusum: & hos multos Episcopos vt redigat in vnum, glutino eos concordiæ facit simul inter se cohærentes: cohærentia hæc paritatem supponit, neque admittit subordinationem.

a Cypr. l. 4. ep. 2.
b Idē l. 3. ep. 13.
c Idē l. 4. ep. 3.
d Idem tract. de simpl. Prael.
e Ephes. 4.
f Ibid.
g Id. l. 1. ep. 3.

XV.

Ita Damasus quoque præclare de hac vnitate Ecclesiæ, ministrorumque ipsius æquali munere, ex Diuina institutione, differit: Dum enim Chorepiscoporum abusus ex Africa cœpit auferre, & ad id operam Episcoporum Africanorum requirit, vt cum eo vnici ad opus accingantur, ait: [h] Quæ si non qua debemus vigilantia resecemus, illi, qui nos speculatores esse voluit, nos excusare non possumus, si eius Ecclesiam, quæ nobis generaliter commissa est, in quantum prævalemus, puram à tam illicitis superstitionibus non custodiamus; quia non aliter vnus grex, & vnus Pastor sumus; nisi, quemadmodum Apostolus docet, [i] idipsam dicamus omnes, simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sapientia: nec aliter veri discipuli Domini erimus, nisi radicem amaritudinis sursum germinantem — ne nocere valeat, aut Episcopale Ministerium vilescere faciat, per eorum negligentiam, id est omnium Sacerdotum, qui euellere mala, meliora plantare sunt ab eo

h Damas. ep. 5.
i 1. Cor. 1.

præro-

A præpositi, vnusquisque pro viribus extirpare festinet; & ipse qui pro suis ouibus est æterno Iudici rationem redditurus, eas fouere, & educare decertet. Si Domini desideramus esse discipuli, ipsius imitemur vestigia, vt de nobis dicatur: [a] Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, &c.] Et iterum; Monente dominicæ vocis Imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus, trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, vt Christi oues, qui Christum amat, diligenter, & cum magna cura pascat.] [a] Ioan. 10.

XVI. Audis ex ore vnius Romani Pontificis, pulcherrimam veritatis assertionem: Episcopis omnibus, inter quos se etiam connumerat, & includit, generaliter esse Ecclesiam commissam: & gregem omnium Ecclesiarum fieri vnum; vnumque Pastorem, ex omnibus Episcopis conflari: Vnus, *inquit*, Pastor sumus, si concordiam & vniformitatem in regenda Ecclesia seruent omnes, idem dicentes, & idem sapientes: & vnumquenque Episcopum
B esse à Christo præpositum, vt pro viribus curet gregem, & pro ouibus suis decertet: & à quocunque Episcopo æque amorem requiri, & eodem modo quo à Petro fuit requisitus; & cuique Episcopo dictum esse à Christo, Pasce oues meas. Et tota hæc Damasi oratio vnicum Christi gregem, & æquè omnibus Episcopis ad pascendum à Christo commendatum esse in solidum explicat; nec vllam inter ipsos aut prælationem admittit, aut subiectionem. In se autem Damasus illud tantum peculiare vltra alios cognoscit, quod speculator quodammodo sit, & adhortator; vt vbi videat Ecclesiæ necessitates, excitet illos quos oportet ad occurrendum; tanquam socios & collegas, non tanquam subditos, & administros; vt libro etiam sequenti cap. 9. explicabitur.

XVII. Sic etiam in Concilio quodam Carthaginensi, Aurelius, cum accepisset literas ab Anastasio Papa, hortantes illum, vt hæreticis, & schismaticis resisteret, ait: [b] Gratias
C agimus Domino nostro, quod illi optimo & Sancto Antistiti suo, tam piam curam pro membris Christi, quamuis diuersitate terrarum, sed in vna compage corporis constitutis, inspirare dignatus est.] Ecce curam Romani Papæ, extra suam propriam Diœcesim se extendentem, totam reducit Aurelius, non ad Papatum vniuersalem, sed ad compagem vnius corporis; vt ipse quoque, tanquam vnum membrum, sit solicitus pro alio membro, quod laboret. Et hæc est ille omnium Episcoporum in vnius, & eiusdem Christi Ecclesiæ cura gerenda, æqua in solidum, quam posuit, & expoluit Cyprianus, conspiratio. [b] *Concil. Afric. cap. 33.*

XVIII. Non ergo stare potest dictum Bellarmini, dum Cyprianum explicans, ait; [c] Vnius igitur magni Episcopatus, ab Episcopis singulis in solidum pars tenetur; sed non æqualis, neque eodem modo: Nam Petrus, & eius successores tenent eam partem, quæ est veluti caput, & radix, & fons; cæteri tenent alias partes, quæ sunt veluti rami, & riui.] Hæc ille. Sed nihil dicit; imò & sibi contradicit: nam alias Romanæ Ecclesiæ totam præeminentiam
D ex facto Petri ortam, & à Petro in eam fluxisse [d] docet; ad quam si Petrus non accessisset, Primatum Romana Ecclesia non habuisset: Nam & Nicolaus ait; [e] Priuilegia S. Sedis, in B. Petro suscepta diuinitùs, in Ecclesiam Romanam esse deriuata:] Nunc autem ab ipsa Ecclesia Romana, in Petrum, & successores transire præeminentiam docet Bellarminus: quia enim Romana Ecclesia radix est, cæteræ rami; ideo qui regit Romanam, illum maiorem esse vult, quam qui alias, cum regat radicem, ex qua vigor in alias transit. Ego vero probaui omnes particulares Ecclesias, etiam Romanam consequenter, de se, eiusdem esse rationis, ac essentialiter omnino easdem: quia sunt partes homogeneæ, eiusdem totius homogenei: neque poterit Bellarminus ostendere, vndenam Romana habeat vt sit radix, nisi recurrat ad Petrum: & tunc Romana Ecclesia non ex se, sed ex Petro erit radix. Non ergo ideo Petrus maior alijs Apostolis, quia radicem tenebat, & illi ramos; sed ideo Romana Ecclesia radix, secundum Monarchicos, quia Petrus in ea sedit. A Petro tamen
E illam nihil plus habere, quam alias ab alijs Apostolis, imo etiam ab ipso Petro, est à me iam satis ostensum in præcedentibus, & ostendetur adhuc sequenti libro 4. Dum igitur ait Bellarminus, partes magnæ Ecclesiæ non esse æquales; neque eodem modo teneri ab Episcopis; si intelligit de æqualitate in magnitudine, nihil est; hinc enim, quod vna pars totius homogenei maior sit alia, non oritur vlla subordinatio: Si vero intelligit de æqualitate in natura & essentia, fallitur: vna enim & eadem est natura & essentia Ecclesiæ [f] Romanæ, quæ Eugubinæ, & aliarum, vt dicebat Hieronymus; & ego iam ostendi: quia Ecclesia vnaquæque est aggregatum fidelium: & sic nullo modo potest assignari ratio, cur vna sit radix, alia ramus: & consequenter modus tenendi omnium Episcoporum, idem est: quia quisque eorum ita tenet suam partem, vt in ea sit operarius: ita vero operarius est, [c] *Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 16.* [d] *Idem ibid. c. 12. & ser. 1.* [e] *Nicol. ep. 8.* [f] *Hieron. ep. 85*

& minister, vnus, atque alius, si Christi spectes institutionem; qui suam Ecclesiam vniuersam pluribus æque commendauit operarijs, eamque inter ipsos excolendam diuisit sine diuisione vnitatis. Est autem merum accidens quod vna Ecclesia particularis, tenacius, & firmius doctrinam fidei tenuerit quam alia; aut quod, commoditatis gratia, ex vna plusquam ex alia, fides fuerit in alias disseminata: siquidem Apostoli non vni Ecclesiæ fuerunt largiores, in fidei veritate tradenda, alijs parciores; sed plene eandem fidem omnibus tradiderunt: quæ vero Ecclesia melius fidem retinuit, & purius conseruauit; illa ex accidenti facta est quodammodo matrix, & radix, aliarum. Vt Romanæ contigisse, docebo libro 4. sequenti cap. 3. sed, vt dixi, hoc fuit merum accidens, & separabile: imo & cum omnibus sedibus Apostolicis, commune; vt patebit in sequentibus huius libri capitibus, secundo præsertim, & decimo: & rursus de hoc agemus lib. 7. A

XIX. Hanc vero inter operarios omnes æqualitatem, optime intellexerunt Episcopi Orientales, alterum Constantinopolitanum Concilium celebrantes sequenti anno, post primum: Sic enim suas literas, quas ad Damasum, & Occidentis Episcopos præcipuos scripserunt, claudunt: [a] Obsecramus vestram Reuerentiam, vti congratuletur, spiritali charitate nos mutuo deuinciente & timore Domini, qui omnem humanam affectionem deprimit, Ecclesiarumque ædificationem amori illi & beneuolentiæ, qua singuli singulos complectuntur, longe anteponit. Quod si doctrina fidei ad hunc modum, communi consensu, stabilita sit, & charitas Christiana in nobis confirmata, posthac desinemus dicere illud, quod ab Apostolis condemnatum est, nimirum, [b] Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo; ego vero Cephæ; atque omnes cum simus Christi, qui in nobis non est diuisus, corpus Ecclesiæ, Dei largiente gratia, integrum conseruabimus; & ad tribunal Domini, fidenti animo, nosmet sistemus.] Hic manifestum est, hos sanctos Episcopos, se simul cum Papa Damaso, & alijs Episcopis Occidentis, agnouisse communes operarios, qui circa corpus vniuersum Ecclesiæ laborent; non quidem inter se, sed soli Christo immediate subiecti. Vnde & Ambrosius, [c] Non mundauit, *inquit*, Damasus; Non mundauit Petrus; Non mundauit Ambrosius; Non mundauit Gregorius; nostra enim seruitia, sed tua sunt Sacramenta.] Damasum, Petrum, Ambrosium, Gregorium Theologum simul iungit, & æque socios faciat in solo & nudo ministerio & seruitio, tàm in exercitio ordinis, quam iurisdictionis. Sic Optatus; [d] Omnes Apostolos & Episcopos æque fecit famulos, ad Christi mensam conuiuis ministrantes. B C

XX. Ita etiam Alexander Alexandrinus, ad vniuersos Episcopos scribens, [e] Charissimis, *inquit*, honoratissimisque fratribus, qui vbique gentium sunt nobiscum in Ecclesiæ ministerio coniuncti, salut. Cum in sacris literis sit vnum corpus Ecclesiæ Catholicæ, nobis traditum; & præceptum, vt concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus, consentaneum est, vti per literas colloquamur inter nos, &c.] Omnes prorsus Episcopos, nullo excepto, in eodem ministerio, circa vniuersum corpus Ecclesiæ, coniunctos esse, optime sensit Alexander. At quis inter Ministros eidem operi applicatos, subiectionem vnquam vidit, aut prælationem, cum iurisdictione præsertim, ac potestate in socios eiusdem operis & ministerij. D

XXI. Pulcherrima vero similitudine rem explicuit Symmachus Pontifex Romanus, magnæ veritatis, paucissimis, sed egregijs verbis assertor. Dum enim veterum Canonum, circa Episcoporum ordinationes, inculcat obseruantiam, & reprehendit acta Anastasij, qui Arelatensi Ecclesiæ, contra veteres Canones, aliquid præscripserat, illud habet singulare: Nam dum, *inquit*, ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas, vnum sit per diuersos Antistites Sacerdotium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus conuenit violari?] Vnicum in omnibus Episcopis agnoscit Sacerdotium in solidum, non plus in vno quam in alio, eo, inquit, modo, quo in Diuinis tres personæ, vnam, & eandem indiuisam habent Diuinam, sicut essentiam & naturam, ita etiam potestatem. Putasne tunc distinxerit Symmachus in Episcopis potestatem iurisdictionis, à potestate ordinis? Vnicum, *inquit*, & indiuisum in potestate est in omnibus Episcopis Sacerdotium. Et sane loquebatur de exercitio potestatis iurisdictionis, circa Episcoporum institutiones. E

XXII. Sed quid sibi volunt Ecclesiæ sanctæ Doctores, quando gradus, seu ordines varios recenserent Ecclesiasticos, & in Episcopo tanquam in supremo sistunt gradu, nisi quod supra Episcopum, alium gradum altiorem nolint dari in Ecclesia? Habent quidem

a *Apud Theod. l. 5. c. 9.*

b *1. Cor. 1.*

c *Amb. in præm. l. 1. de Sp. Sancto.*

d *Sup. l. 1. c. 2. nu. 11.*

e *Apud Socrat. l. 1. c. 3.*

f *Apud Baron. tom. 6. an. 499. num. 36.*

A quidem Episcopi, & Presbyteri Ministros quosdam inferiores, imò potius administrantes, quam Ministros; vt sunt Diaconi, Hypodiaconi, Lectores, & similes; sed Episcopus tandem in summo ponitur gradu. Areopagita Dionysius sic loquitur; [a] Diuinus igitur Pontificum ordo, primus quidem est eorum ordinum, qui Deum vident: summus autem, & postremus rursum idem est. In eo enim, & absoluitur, & expletur, omnis Hierarchiæ nostræ distinctio. Vt enim Hierarchiam omnem videmus in Iesum desinere, sic vnamquamque in suum Pontificem.] Ita Ignatius suam Hierarchiam numerare incipit ab Episcopis: [b] Presbyteri, *inquit*, subiecti estote Episcopis; Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris, & Diaconis.] Et in Ecclesia nihil esse supra Episcopum, aut matus Episcopo sæpius pronunciauit, vt vidimus lib. 2. cap. 6. num 4. Et ad Philadelph. ac rursus ad Smyrnenses scribens, ait; Omnes Episcopo pareant, Episcopus Christo, vt Christus Patri obediuit.]

B In Hierarchia Ecclesiastica Ignatius, supra Episcopum, neminem reperit. Et Origenes [c] primum locum sortitos esse, ait, Apostolos in Ecclesia, & eos qui post illos ordinantur à Deo, hoc est, Episcopos; secundum locum Prophetas, &c.] Idemque Presbyter cùm esset; [d] Plus à me exigitur, *inquit*, quàm à Diacono; plus à Diacono, quàm à Laico. Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem.] Intelligit proculdubio quemcunque Episcopum. Hieronymus Arcæ diluuij mysteria explicans, quod in cubitum desineret; [e] Similiter, *ait*, & Ecclesia, multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur.] Gelasius, & ipse Pontificalem potestatem, eam nimirum, quæ in omnibus residet Episcopis, cum regali potestate comparauit: [f] Vt his duabus totus mundus regatur.] Vnam ergo solam, & sanè eandem agnouit, in omnibus Episcopis, potestatem in solidum. Ita & Fulgentius; [g] Quantum pertinet, *inquit*, ad huius temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior: & in sæculo Christiano Imperatore nemo celsior

C inuenitur.]

Quinimo habemus Patres expressè negantes, inter Episcopos omnem prorsus subiectionem, & prælationem: Insigne est in primis Cypriani dictum, quod alia simili occasione protuli, lib. 2. c. 5. nu. 5. Hic verò fusius illum prosequor. Is enim suum Concilium exordiens, de Baptismo hæreticorum, vt in communi res disceptaretur, & ipsius sententia tunc noua, & prius inaudita in Ecclesia, imò in contrarium practicata, & cui reclamarent multi, ac potissimùm Romana Ecclesia, pluribus suffragijs, vel firmaretur, vel repudiaretur: [h] Superest, *inquit*, vt de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus; neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit; aut tyrannico terrore, ad obsequendi necessitatem, collegas suos adegit: quando habeat omnis Episcopus, pro licentia libertatis, & potestatis suæ, arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum iudicare: sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi,

D qui vnus, & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.] Hoc Cypriani dictum, subtrahens vnumquemque Episcopum ab alterius Episcopi iurisdictione, & potestate, confirmat Augustinus, & declarat; [i] Opinor vtique, *inquit*, in ijs quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt.] In omnibus igitur quæ nondum sunt eliquatissima discussione definita in Ecclesia, censet Augustinus dictum Cypriani esse verum, nullum Episcopum vllius Episcopi iudicio in terris subiacere: & consequenter neminem re vera esse Episcoporum Episcopum, vt possit, tyrannico more, quicunque Episcopus, alium Episcopum adigere, vt quod ipse sentit, ille etiam sentiat, & credat, & doceat, & operetur. Imò quia Stephanus Papa contrarium statuerat, & decreuerat, & [k] excommunicatione munierat, hæc à Cypriano contra

E Stephanum dirigi, non malè autumat [l] Baronius. Suggillat ergo Cyprianus Stephanum, quod tyrannicè se faceret, imò fortasse etiam diceret, Episcoporum Episcopum; velletque vi adigere alios ad ipsi consentiendum: cùm tamen quisque Episcopus liber sit, ac soli Christi iudicio immediatè substet in sua regenda Ecclesia: exceptis, vt ait Augustinus, ijs, quæ sunt iam definita in tota Ecclesia: in his enim Episcopus nullus liber est, sed ligatur, & arctatur, vt ita sentiat, & operetur, sicut Ecclesia definiuit. Ligatur verò, & arctatur in his etiam, non ab vllo Episcopo, sed à tota Ecclesia: & ita in his quoq; nemo est Episcoporum Episcopus. Glossema Bellarmini est, [m] Cyprianum loqui de ijs qui Concilio illo Carthaginensi erant; nec includi ea sententia Romanum Pontificem, qui verè est Episcopus Episcoporum, & pater patrum.] Et quod ait Cyprianus, Episcopum non posse iudicari, nisi a Deo, Bellarminus ait; [n] Intelligi debere in rebus dubijs, & occultis,

XXIII.

a *Areop. de Eccl. hierar. de Sacerd. perfect.*

b *Ignat. ad Tarsen.*

c *Orig in Io. tom. 32. in verba illa, Postquam ergo lauit.*

d *Idem in Hieron. homil. 7.*

e *Hieron. adu. Lucifer.*

f *Dist. 97. c. Duo sunt.*

g *In Concil. Parisi. 2. c. 3.*

h *Cypr. in Concil. Carthag.*

i *Aug. de Bapt. cont. Donat. l. 3. c. 3.*

k *Aug. de bapt. cont. Don. l. 5. c. 25. & De vn. bapt. cont. Petil. c. 14.*

l *Baron. tom. 2. an. 258. n. 42.*

m *Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 16. ad. 2.*

n *Ibid.*

cultis; & affert verba Augustini supra à me citata; quibus vult ab Augustino explicari Cyprianum significare voluisse, Singulos Episcopos in Concilio dum res discutitur, posse liberè sententiam suam dicere, nec debere à præside tyrannicè cogi ad suam sententiam, antequam quæstio definita sit.] At quis vnquam vidit, aut dixit, aut censuit Præsidem Concilij posse tyrannicè cogere quenquam in suam sententiam? Ne Papa quidem noster, tametsi in miseros Episcopos in suis Ecclesijs constitutos, summam iamdiu exerceat tyrannidem; vbi tamen Episcopi sunt in legitimo Concilio, præsertim Oecumenico congregati, nondum ausus est vi, & tyrannicè in suam sententiam quenquam compellere; dolo & astu potius, atq; fraude id obtinuit, quàm vi & tyrannide; & multo plus terroris incutiunt ei Episcopi in Concilio, quàm ipse Episcopis. Exempla insignia habemus in Concilijs Constantiensi, Pisano, & Basileensi; vt tantopere abhorreant Papæ à Concilijs generalibus congregandis. Itaq; Cypriani propositio est generalis, & bene sciebat se suos in illo Concilio Episcopos secum concordes habere, neque poterat timere, cum ipse esset & Primas & Præses, ne quisquam illorum tyrannidem exerceret, & collegas vi adigeret in sententiam quam ipse teneat. De se autem solo non loquitur; quia dicit (nec quisquam nostrum) loquitur ergo de tota omnium Episcoporum communitate: & memor charitatis, scienſque se cum suis Collegis contrarium & diuersum à reliquis Episcopis externis, & præsertim a Romano sintire, admonet omnes collegas, ne propterea putent esse à sua communione diuersum sentientes, separandos, quasi velint vi & tyrannicè cogere quemquam ad secum sentiendũ, secuti cogebat Stephanus Romanus; contra quem indirectè, vt supra monui, ista proferuntur. Non enim erat res vniuersaliter definita circa baptismum hæreticorum: atq; in his & in toto regimine suæ Ecclesiæ, cum nondum essent vlli Canones vniuersalis Ecclesiæ, quemque Episcopum facit absolutum, & supremum Principem in sua Ecclesia, & nulli penitus alij Episcopo subiectum. A B C

XXIV. Propositio ergo illa neminem esse Episcoporum Episcopum est vniuersalis, & non de solis illis, qui erant in illo Concilio Carthaginensi; quia & ratio quam assignat est vniuersalis, & concludit de vniuersali, liberum esse quemcunque Episcopum ad suam Ecclesiam regendam, & docendam pro suo arbitrio, independenter à quocunque, exclusis tamen falsitatibus, quæ eliquatissima, vt ait Augustinus, discussione essent iam ab Ecclesia abiectæ. Et quod ait Bellarminus de occultis, non est ad rem; sermo enim Cypriani est de regimine Ecclesiæ tam in doctrina, quàm in disciplina; quod regimen totum est publicum, & patens, & includit potissimum potestatem iurisdictionis, & clauium; in cuius potestatis exercitio propterea Cyprianus facit vnumquemque Episcopum liberum, & supremum, & à quocunque alio Episcopo independentem, quia eandem potestatem à solo Christo immediatè habet. Qui, *inquit*, vnus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.] Optima autem est consequentia, vt ei soli subdatur, & reddere rationem sui regiminis quis teneatur, à quo regimen accepit. Cumque à solo Christo Episcopus Ecclesiæ suæ præponatur, certè Christo soli etiam reddet rationem, & à Christo solo erit iudicandus. Et hæc est ratio quam Cyprianus assignat, profecto vniuersalem sui dicti vniuersalis. Videant verò obiter hoc loco nostri Hieromonarchici, quomodo audeant asserere potestatem iurisdictionis per Papam Episcopis communicari. Hoc certe Cypriano esset ridiculum; de quo nos supra l. 2. c. 5. & infra l. 5. c. 3. Sensit ergo Cyprianus, nullum esse in Ecclesia Episcopum, qui possit clauium vti potestate erga alium Episcopum, potissimum à communione totius Ecclesiæ illum abscindendo, vt ita tyrannicè compellat illum secum sentire, & in regimine propriæ Ecclesiæ ipsi conformari; sed in hoc vnumquemque Episcopum esse plene sui iuris in sua Ecclesia. D

XXV. Origines Rursus primatum mihi videtur negare inter Episcopos: [a] "Vnusquisque ergo, *ait*, sedentium super Cathedram Ecclesiasticam, & amantium primas Cathedras in Synagogis, videant, ne forte sic sedeant in eis, vt veniens Dominus, eas euertat, quasi dignas euersione.] Dignas euersione videtur sentire Cathedras Episcopales, quæ sibi inter alias Cathedras similes, primum locum, hoc est Dominium, voluerint vsurpare. Et doctissimus Augustinus, Pastores omnes, hoc est omnes Episcopos Christi summi Pastoris [b] oues esse meritò asserit; & de bonis ouibus bonos fieri Pastores. Eosdem tamen quatenus pastores sunt, non esse amplius vllius pastoris (excepto Christo) oues. Pastor itaque gregis Christi, non est sub vllo Pastore eiusdem gregis; quia Pastoribus solæ oues subiunt, non Pastores: Pastor verò ouis non est: sed omnes Pastores, incluso etiam Petro, idem Augustinus fecit æquè oues Christi. Et hoc argumentum clariùs exposui in [c] præcedentibus. E

Iam

a *Orig in Matt. tract. 16.*

b *Aug. de Pastor. c. 1. & 13. & l. de ouib. 1.*

c *Hoc op. l. 1. c. 8. n. 6.*

A Iam igitur satis constat, iure Diuino, nullum Episcopum esse alijs Episcopis præpositum, sed simul omnes esse vnius & eiusdem magni gregis Pastores, qui simul & in solidum illius curam gerunt; vt omnium optimè Cyprianus explicabat. Cum nihilominus videamus inter Pastores ordinem quendam Hierarchicum, vt aliqui sint Episcopi duntaxat; alij Archiepiscopi, & Metropolitani; alij Primates; alij Patriarchæ; is totus ordo, & hi gradus, ab Ecclesiastica pendebunt institutione, vt iam declaro. XXVI.

CAP. II.

Ecclesiasticam Hierarchiam inter Episcopos & Ecclesias iure solo humano Ecclesiastico esse institutam.

B

Summa Capitis.

Occasio instituendi ordinem Hierarchicum inter Episcopos inquiritur & explicatur, num. 1. Incerta reijciuntur, num. 2. Metropolitanorum supra Episcopos institutio, vt antiqua recensetur, num. 3. Primus ortus Hierarchiæ proponitur in sedibus Apostolicis fuisse propter puritatem & securitatem doctrinæ, & disciplinæ, num. 4. 5.

Inde paulatim, consuetudine inolescente, factum est vt Hierarchia hæc inualuerit, quæ mox legibus etiam Conciliaribus stabilita fuit, & sæpius reformata, num. 5, 6, 7, 8.

Sæcularis tamen Ciuitatum dignitatis ratio maximè habita in instituendis Ecclesijs Metropolitanis, à num. 9. ad num. 16. Igitur iure humano Ecclesiastico, non diuino, Metropolitanæ Ecclesiæ sunt institutæ, num. 16. 17. 18. 19. Improbatur Sanderus, num. 20. Et Bellarminus, num. 21.

C

Sicut ad vitanda schismata in Ecclesia, confusionemque tollendam, cap. 7. ostendimus singulorum Episcoporum potestatem fuisse, iure Ecclesiastico, certis sedibus, & Diœcesibus arctatam, & alligatam: ita eodem iure, & eadem ratione, vt vnitas & concordia inter Episcopos seruaretur, Prouinciæ etiam Ecclesiasticæ diuisæ fuerunt, & multiplicatæ; vt vnius Prouinciæ Episcopi, in quibusdam rebus Ecclesiasticis, illi Episcopo subessent, qui in Metropoli Ciuitate suam sedem haberet. Ac rursus Metropolitani plures, similiter in certis casibus & occasionibus vni Primati, qui in Regia ciuitate resideret, subderentur. Ac demum & Primatibus, & Metropolitanis, & Episcopis eorum, vnus Patriarcha in tota integra aliqua regione, in certis similiter causis, præsideret. Occasio verò harum institutionum, vt iam ostendam, fuit potissimum, schismatum vitatio; vt per has subordinationes, & per hanc Hierarchiam, Episcopi multi, ad vnitatem tantopere necessariam, facilius redigerentur: ac vt ordinationes Episcoporum, non à quocunque confusè, & raptim, sed à certis, ac determinatis Episcopis, in proprijs Prouincijs celebrarentur. Et quia etiam Synodi Prouinciales plurimum, in regendis Ecclesijs, & Episcopis corrigendis possunt, vt patebit suis locis; neque semper adeo facilè est Episcopos comprouinciales in vnum conuenire, expediens fuit, vt Metropolitani, & Primates, multa soli absoluerent, quæ Synodi absoluere debuissent; essentque quasi totius Synodi Vicarij, & Commissarij. Et hæc omnia iam reddo manifesta. I.

D

Multa legimus in Apocryphis, & exiguæ fidei scriptis; [a] Clementis, [b] Anacleti, [c] Aniceti, [d] Lucij, dum de hac Hierarchia multa tradunt: in eo tamen conueniunt omnes, vt E siue per Petrum, siue per Ecclesiam, habita quadam ratione Ciuitatum, quæ regimine excellerent etiam sæculari; seu gradibus superstitiosis, gentilitijs, flaminum, archiflaminum, & similium; quæ mihi videntur leuissima, fuerint nostri Ecclesiastici Metropolitani, seu Archiepiscopi, & Primates, ac Patriarchæ instituti; à iure Diuino has distinctiones non fluxisse. Et Nicolaus 2. dum ex his dubiæ fidei epistolis pronunciauit, [e] Omnes siue Patriarchij cuiuslibet apices, siue Metropolitani Primatus; aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitates; Romanam Ecclesiam instituisse; non nisi ius positiuum agnouit, in horum graduum institutione. Illas porrò Epistolas Apocryphas esse, & fide nutare, facilè est ostendere: incipiam à Clemente. Is profectò scribit ad Iacobum fratrem Domini Episcopum primum Hierosolymitanum. II.

a *Dist. 80. c. 2.*
b *Dist. 80. c. 3. & dist. 99. c. 2.*
c *Dist. 99. c. 2.*
d *Dist. 80. c. 1.*
e *Dist. 22. c. 1.*

num. Iacobus autem ille Iustus & frater Domini, septimo Neronis anno, vt patres & [a] historiæ docent apertissimè, martyrio est coronatus; quo tempore Petrus adhuc superstes erat, qui sexto post hunc Iacobum anno, & ipse martyr effectus est, 13. [b] Neronis anno. Cumque Clemens scribat epistolas illas ex officio pastorali, iam factus Romanus Episcopus, sedere vero non cæperit, vt fertur, niti sub Domitiano, decimo ipsius Imperij anno, qui est Christi nonagesimus tertius, si ante ipsum sederunt Linus & Cletus, Epistolæ, profecto illæ scriptæ erunt ad Iacobum vltra 50. annos post ipsius mortem; & scribuntur ad Iacobum de rebus & dictis Petri iam mortui, qui tamen Iacobo sexennio superuixit. Neq; dicat aliquis errorem esse in inscriptione, vt loco Simeonis positus sit Iacobus; nam sub eadem inscriptione à Patribus citatæ fuerunt semper, & intus in ipsis Epistolis repetitur idem Iacobus: refert enim Petrum illud sibi dixisse; [c] Deprecor te, ô Clemens, coram omnibus qui presentes sunt, vt posteaquam, sicut naturæ debitum est, vitæ presentis finem fecero, Iacobo fratri Domini descripta breuiter -- destinare non pigeat.] Et in constitutionibus Apostolicis Clemens eundem Iacobum vti ipsi contemporaneum & Collegam, hoc est Episcopum, sæpe nominat, vt vidimus cap. præcedenti. Quid vero tibi videtur de arrogantia illa, sit ne digna Clemente, vbi de sui ipsius laudibus illa Petri dicta refert? Hæc Cathedra eum qui cupit eam, & audacter expetit, non requirit; sed ornatum moribus, & in verbis eruditum: quod si esset alius melior, si quis alius mihi adiutor tam sedulus extitisset, si quis tam plene doctrinæ meæ rationem cæpisset, sed & Ecclesiasticas dispositiones à me tam plene didicisset, habens alium talem, non te cogerem opus bonum suscipere nolentem.] *Item*; Debet ergo ipse præcipue aprime esse eruditus, & doctus, irreprehensibilis, maturus, impauidus, sicut ipsi probabitis fore Clementem hunc post me.] Vbi Linus? vbi Cletus? Iccirco Baronius ita scribit; [d] Cuius autem fidei sint ac firmitatis quinque illæ quæ eiusdem Clementis titulo notatæ habentur (*Epistolæ*) in his non laboro.] Sentiebat illas esse apocryphas. Anacleto etiam ascriptæ Epistolæ supposititicæ sunt & fictæ, & ipsæmet impostura patefaciunt. Dicit fictus hic Anacletus in epistola secunda, se illa quæ scribit accepisse ab antiquis Patribus: post Christum tamen intelligit, vt paret. At quinam sunt hi antiqui patres, qui decreta Ecclesijs dederunt? Vidit Petrum, & ab eo se gloriatur factum Presbyterum; quinam, inquam, erunt hi antiqui Patres? Præterea cum Anacletus hic toties nitatur Epistolis Clementis, illæque omnino sint confictæ, quis etiam Anacleti Epistolas pariter confictas hinc non suspicetur? Vt merito Baronius non fuerit ausus ordinationem Iacobi à Petro, Ioanne, & Iacobo factam, Anacleti huius autoritate confirmare. Sed ait [e] Epistola quæ dicitur Anacleti testatur &c.] Et vniuersè de omnibus antiquis illis, quæ Romanorum Pontificum nominibus prænotatæ circumferuntur, epistolis, & in primam partem primi tomi Epistolarum Decretalium eorundem Pontificum, sunt coniectæ, illud habet Baronius. [f] Sed mirati sumus Ecclesiæ hostes, omnem admouisse arietem, atque adeo laborasse, vt primas illas Decretales epistolas Romanorum Pontificum fide minuerent, atque irritas prorsus redderent: perinde ac si his fundamentis tota Ecclesiæ ædificatio inniteretur, quibus conuulsis esset protinus collapsura. Absit vt Dei Ecclesia, columna & firmamentum veritatis, tanta veritatis testandæ laboret inopia, vt si ex illis petitæ probationes deessent, causa caderet; cum tam in his, quæ spectant ad sincera dogmata statuenda, quàm in ijs quæ pertinent ad rectam disciplinam Ecclesiasticam declarandam, referta habeat locupletissima promptuaria probatissimæ veritatis, cuius nulla prorsus possit vnquam de impostura esse suspicio. Quamobrem consulto quidem, cum agendum est nobis cum ijs de Ecclesiasticis controuersijs, ab earundem epistolarum citatione interdum abstinemus, ne vnis his armis indigere credamur, quorum acies ipsorum obiectionibus retusa videri possit.] Et in margine posuit. (NON INNITENDVM APOCRYPHIS.) Et postea suis locis aliquas ex his falsitatis arguit, & conuincit, vt [g] Marcelli, [h] Eusebij, [i] Marci, [k] Iulij. Inueniuntur enim inter ipsas discrepantiæ multæ; & Hieronymo fuerunt prorsus ignotæ. Eas enim in libro scriptorum Ecclesiasticorum nullas nominauit, & consules in eis annotati vix vlli respondent, vt patet ex fastis. Propterea à me etiam erunt, si autoritatem illorum Pontificum spectemus, prorsus respuendæ: si quid vero veteris doctrinæ, veteriſque disciplinæ minus suspectum, & sua ex parte probabile continebunt, id mihi interdum inseruire poterit. Et multo plus aduersus nostros Romanos, qui illas admittunt & approbant, virium habebunt, quam pro ipsis, dum cum aduersarijs eas merito respuentes illi disputant. Nunc ad rem.

Nicænus

a *Euseb. in Chron. & Hier. de script. Eccles. in Iacobo. Et Baron. tom. 1. an. 63. init.*
b *Baron tom. 1 an. 69. init.*
c *Clem. ep. 1.*
d *Baron. tom. 2. an. 102. nu. 6.*
e *Baron. tom. 1. an. 34. nu. 291.*
f *Idem tom. 2. an. 102. nu. 7.*
g *Idem tom. 3. an. 308. nu 24.*
h *an 311. nu. 41.*
i *an 336. nu 50.*
k *an. 341. nu. 54. 59.*

A Nicænus sextus Canon est huiusmodi: Antiqui mores obtineant qui sunt in Aegypto, Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam illa est Romano etiam Episcopo consuetudo. Similiter autem & in Antiochia, & in alijs Prouincijs priuilegia seruentur Ecclesijs. Illud autem omninò manifestum est, quod si quis, præter sententiam Metropolitani, factus sit Episcopus, hunc magna Synodus statuit non oportere esse Episcopum. Si verò communi omnium suffragio, rationi consentaneo, & secundum Ecclesiasticum Canonem, duo, aut tres, contentiosè, seu propria pertinacia inducti contradixerint, obtineat plurimorum sententia.] Et in quarto Canone eiusdem Concilij habetur; Vt firmitas eorum quæ geruntur per vnamquamque Prouinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.] Et in septimo; Hierosolymitana Ecclesia ita honoratur, vt tamen salua sit propriæ Metropolis, hoc est Cæsarienſis, sua dignitas. Et in duodecimo; B Vt vnus vniuscuiusque Prouinciæ esse debeat Metropolitanus Episcopus.] Ex his collectus videtur Canon 35. Apostolorum, qui sic habet; Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment: & nihil amplius, præter eius conscientiam gerant, quam illa sola singuli quæ Parochiæ propriæ, & Villis quæ sub ea sunt, competunt: sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid; sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu Sancto.]

III.

Concilium quoque Antiochenum sub Iulio, Metropolitanorum institutionem iam factam ab antiquo supponit; ac Episcopis præscribit, vt suis subsint Metropolitanis; sic enim statuit cap. nono.[a] Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse Metropolitanum Episcopum, solicitudinem totius Prouinciæ gerere: propter quod ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere, concurrunt: Vnde placuit eum honore præcellere; & nihil amplius præter eum exteros Episcopos agere, secundum antiquam à Patribus nostris C regulam constitutam; nisi ea tantùm quæ ad suam Dioœcesim pertinent, possessionesque subiectas: vnusquisque enim Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, vt regat iuxta reuerentiam singulis competentem: & prouidentiam gerat omnis possessionis, quæ sub eius est potestate: ita vt Presbyteros, & Diaconos ordinet, & singula suo iudicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet, præter Antistitem Metropolitanum: neque Metropolitanus sine exterorum gerat consilio Sacerdotum.] Institutionem itaque primam Patriarcharum, ac Primarum, & Metropolitanorum, non est cur tribuamus Concilio Nicæno: id enim gradus hos Ecclesiasticos iam reperit institutos: institutionem verò totam reduxit ad consuetudinem, non ad Petrum, vt fatetur etiam [b] Bellarminus; eamque tanquam bonam, & opportunam, dictum Concilium lege firmauit vniuersali. Consuetudine igitur inductum est, vt aliquæ insigniores sedes alijs minus insignibus præeminerent; & ad exemplum fermè aliarum, inducitur Romana sedes, de qua libro quarto erit sermo nobis D seorsim plenius instituendus, Canonque hic Nicænus expendendus. Quomodo verò consuetudo hæc in Ecclesia sit inducta, vt sedes quædam cæteris eminerent, dicam quantum mihi exhibent coniecturæ. Video antiquos Patres nostros, vt veritatem doctrinæ Christianæ quam prædicabant, ab hæreticorum, & impugnatorum cauillis vindicarent, nullum certius, nullum solidius, nullum euidentius opponere solitos argumentum, nisi doctrinam suam esse doctrinam Apostolicam, ab Apostolis traditam, & explicatam; illam eandem, quam illi à Christo hauserant, & quam Christus à Patre habitam suis tradiderat Apostolis. Ita verò Apostolos docuisse, vt ipsi docebant, eo (præcipuo) tunc, ac singulari, & quod nullam pati posset oppositionem, argumento, omnes conuincebant; Quia Ecclesiæ illæ quas ipsi Apostoli fundârint, instituerint, docuerint, recentem adhuc Apostolorum vocem retinerent, & scriptas etiam ab Apostolis Epistolas, doctrinam hanc continentes, apud se, proprijs Apostolicis manibus exaratas haberent, legerent, conseruarent. Ita sanè Egesippus E Scriptor Christianus antiquissimus, suam narrans peregrinationem, vt videret, & obseruaret, quando præcipuæ Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ, doctrinam fidei traderent, & docerent, iniram; visaque Corintho primum, deinde Roma, hæc scribit: [c] Nulla Episcoporum sedes, successione ab Apostolis deducta; nulla ciuitas, in qua non ita obseruata essent omnia, vt Lex præceperat, docuerant Prophetæ, & Dominus ipse prædicauerat.] Tertullianus verò; [d] Age iam *inquit*, qui voles curiositatē melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apost. apud quas ipsę adhuc Cathedræ Apostolorū suis locis præsidentur, apud quas ipsę authenticę literę eorū recitentur, sonantes vocē, & repręsentantes faciē vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthū: Si non longe es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autē Italiæ

IV.

a 993. c. Per singulas.

b Bellar. de Rom. Pont. l. 4. c. 25.

c Apud Euseb. hist. li. 4. c. 21.

d Tertul. de præscript.

liæ adiaces, habes Romanam, vnde nobis quoque autoritas præsto est statuta: Fœlix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apostolus Ioannes, postea quam in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit.] Augustinus quoque ea nos regula instituit, vt scripturas canonicas nos illas vt vere canonicas admittamus, quas Catholicarum Ecclesiarum quamplurium autoritas commendauit: [a] Inter quas sane illæ sunt, *inquit*, quæ Apostolicas sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt.] Quænam verò sint istæ Ecclesiæ quæ Apostolicas literas habere meruerunt, enumerat idem Augustinus eas esse; [b] Romanorum, Corinth. Galat. Ephes. Thessalonic. Collos. Philippen. ad quas Paulus. Et illas septem Asiæ, ad quas est Apocalypsis; & Ponti, Cappadociæ, Asiæ, Bythimiæ, ad quas Petrus scripsit. Ad illas ergo Ecclesias confugiendum esse censet Augustinus pro Canonicis Scripturis cognoscendis, in quibus Apostoli sedes habuerint; quasque illi suis Epistolis instituerint. In his enim diu doctrinam Apostolicam integram conseruatam fuisse, & incorruptam, non est ambigendum.

a *Aug. de doct. Christ. l. 2. c. 8.*

b *Idem cont. Cresc. l. 2. c. 37.*

V. Sicut ergo Scripturarum Augustinus, dogmatum verò certitudinem Tertullianus, ex certis petunt Ecclesijs insignibus, in quibus excolendis Apostoli exactius laborarint; ita quis dubitet ex ijsdem etiam peti solitos fuisse ritus, & disciplinæ Ecclesiasticæ circa ipsius regimen rationes, alias Ecclesias haurire voluisse? quas enim Apostoli & Scripturis Sacris, & dogmatibus munire voluerunt, easdem procul dubio etiam Ecclesiastica disciplina instruxerunt. Atque hinc factum esse non ambigo, vt Ecclesiæ minus instructæ, & posterius fundatæ, ad has præcipuas Apostolicas, pro institutione, sibi semper confugiendum putarint. Quæ mihi videtur origo consuetudinis, vt aliæ Ecclesiæ ab alijs normam acciperent, & ab ijs non parum dependerent. Quam dependentiam postea alia commoda [c] vnitatis, vt dicebam, & commodioris regiminis, tanquam opportunam approbarunt: ideoque Concilia, vt vidimus, eam legibus etiam stabilire voluerunt. Nam præter Nicænum, & Antiochenum, Constantinopolitanum quoque primum, eam peculiari Canone sancire voluit hoc pacto: [d] Qui sunt super Diœcesim Episcopi, ad Ecclesias extra suos terminos sitas, ne accedant; neque confundant Ecclesias. Sed, secundum canones, Alexandriæ quidem Episcopus, quæ sunt in Aegypto tantum administret; Orientis autem Episcopi, orientem solum gubernent, seruatis priuilegiis quæ Antiochenæ Ecclesiæ, Nicænis Canonibus tributa sunt: Et Asciatiæ Diœceseos Episcopi, Asciariam Diœcesim tantum gubernent; nec non & Ponticæ Diœceseos, ea tantum quæ ad Ponticam Diœcesim pertinent; & Thraciæ, quæ sunt in Thracia gubernent. Non vocati autem Episcopi, vltra Diœcesim non accedant propter ordinationem, vel alias dispensationes faciendas. Seruato autem suprascripto de Diœcesibus Canone, manifestum est quod ea quæ ad vnamquamque Prouinciam pertinent, Synodus Prouinciæ administret, secundum ea quæ in Nicæa definita sunt. Ecclesias autem Dei, quæ sunt in Barbaricis gentibus, gubernari oportet, secundum eam, quæ obtinuit, Patrum consuetudinem. Constantinopolitanæ Diœcesis Episcopus habeat priuilegia honoris post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa noua Roma.] Quod enim in remedium opportunum Ecclesia instituerat, id iam ei, vt fieri solet, vertebatur in perniciem. Vt quædam præcipuæ sedes, iam libenter inde in tyrannidem vergerent: ideoque intra limites proprios erant coercendæ; Romana tamen variis vsa occasionibus, & opportunitatibus, sui Patriarchatus limitibus non contenta, paulatim Monarchiam & imperium absolutum, in vniuersam Ecclesiam vsurpauit. De qua suis locis in sequentibus. Et quoniam multæ regiones non ab Apostolis, sed ab eorum discipulis, viris Apostolicis primum Euangelium habuerunt; ideo illæ etiam ciuitates, in quibus hi Discipuli Apostolorum sedes suas fixerunt, eadem ratione Ecclesiasticas Metropoles multæ retinuerunt, vt postea explicabitur.

c *Greg. lib. 4. Ind. 13. ep. 52.*

d *Conc. Constantinop. c. 2.*

VI. Neque modo Constantinopolitanum Concilium, primarias illas Ecclesias, ad suos certos, & olim stabilitos fines & terminos reduxit & arctauit; sed etiam suos Episcopos ad suas sedes reduxit, eisque Primatum iura confirmauit. Sic enim narrat Socrates: [e] De integro, *inquit*, etiam fidem Concilij Nicæni stabiliunt, & disperditis Prouincijs, Patriarchas constituunt, deciduntque, vt nullus Episcopus, relicta sua Diœcesi, ad exteras Ecclesias demigraret. Nam antea propter persecutionum tempestates, istud facere cuique liberum erat. Nectario igitur ampla illa Ciuitas Constantinopolis, & tota Thracia obuenit: Ponticæ autem Diœcesis Patriarchatus, Helladio; Cæsareæ Cappadociæ, post Basilium,

e *Socr. l. 5. c. 8.*

A filium, Episcopo Gregorio Nyssæ (hæc est vrbs etiam Cappadociæ) fratri Basilij, & Otreio Melitinæ, quæ est in Armenia contigit. Patriarchatum item Asianum, Amphilochius Episcopus Iconij, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ sortiuntur. Aegypti Diœcesis, Timotheo Alexandro Episcopo tribuitur. Ecclesiarum denique versus Orientem Diœcesim, ijdem Episcopi qui antea, Pelagius scilicet Episcopus Laodiceæ, & Diodorus Tarsi obtinent; honoris prærogatiua Ecclesiæ Antiochenæ reseruata, quam Meletio tum præsenti tribuerunt. Itemque statuerunt vti, si vsus postularet, res cuiusque Prouinciæ, Concilium Prouinciale dispensaret. His etiam Imperator suffragatus est.]

VII. Ex his constat Hierarchiam Ecclesiasticam olim stabilitam, totam Asianorum turbine fuisse confusam, & in hoc Concilio restitutam, atque suis inclusam limitibus, ne illa vltra Nicænos Canones exundaret. Constitutis vero suis orthodoxis in his sedibus Episcopis, iuxta priscam consuetudinem mandauit Imperator, [a] vt reliqui Episcopi, si his primis sedibus, earumque Episcopis orthodoxis in Concilio nuper confirmatis communicarent, quique suæ Prouinciæ primæ sedi, ex iam nominatis, in fide conformatus, in sede sua firmaretur. Secus verò omnes è sedibus pellerentur. Et hoc optimè stat cum narrata à Socrate Prouinciarum diuisione; neque vlla hic adest repugnantia, aut contrarietas: vt immeritò [b] Baronius erroris hoc loco arguat Socratem, & falsitatis: cuius tamen narratio cum Canone Constantinopolitano optimè congruit, & cum tota historia. Imò id ita factum esse, & in hoc Concilio Constantinopolitano firmatas fuisse Diœceses, & iura sedium Patriarchalium, iuxta Nicænum Canonem, redintegrata, idemmet Baronius confirmauit postea ex literis Theodoreti ad Flauianum ita scribentis: [c] In illa enim Regia Vrbe, cum conuenissent Beati Patres, consona ijs quæ in Nicæa statuta sunt à sanctissimis Patribus ibi congregatis, statuerunt, & Diœceses distinxerunt; & vnicuique Diœceti, quæ ipsi conuenichant, tribuerunt; expressè prohibentes, vt ex alia Diœcesi, aliam nullo pacto aliquis inuaderet; sed Alexandriæ Episcopus ea quæ ad Aegyptum pertinent tantummodo gubernaret, & vnaquæque Diœcesis res proprias, & quæ ad eam spectant.] Quæ iterum reperit idem Baronius tom 6. ad annum 448. num. 15.

a C. Theodos. de fid. Cath. l. 3. & Sozom. l. 7. cap. 7.

b Baron. tom. 4. ann. 381. n. 71.

c Apud Baron. tom. 5. ann. 439. num. 43.

VIII. Ad Nicænos similiter Canones Patres Concilij Chalcedonensis se retulerunt, vbi controuersia Metropolitica exorta inter Tyrensem, & Berythensem Ecclesias, fuit [d] decidenda. De qua agam lib. 6. vbi de potestate Principum in Prouincijs [e] diuidendis, & ciuitatibus in Metropoles erigendis. Ita longè priùs Ioannes Hierosolymitanus arguitur à Hieronymo, quod Nicænis vteretur Canonibus, & nihilominùs ad Patriarcham Alexandrinum quasdam ordinationum causas detulerit: [f] cum tamen, *inquit Hieronymus*, in Concilio Nicæno habeatur Cæsarea Metropolis Hierosolymorum, Antiochia verò totius Orientis Patriarchatus; noluisse tamen illum suo Metropolitano honorem deferre. Basilius à Gregorio Nazianzeno dicitur voluisse [g] diuisionem antiquam Prouinciarum à Patribus factam sequi, ac seruare circa ius Metropoliticum.] Vt planè videas non iure Diuino, non Romano Pontificio, sed Synodico, & Patrum conuentione, Prouinciarum curam fuisse certis Ecclesijs attributam. Et quidem non nihil habita ratione aliquarum Ecclesiarum auctoritatis, quod ab Apostolis fuerint fundatæ & institutæ, maximè verò ex temporali dignitate quam Ciuitates in dominio, & regimine temporali obtinerent.

d Concil. Chal. sess. 5. ex græc.

e Inf. l. 6. c. 8. num. 137.

f Hier. ep. 61.

g Nazianz. orat. in Basil.

IX. Ideoque Concilium Antiochenum Can. 20. curam Metropoliticam illis Episcopis dederat, [h] qui in Metropolitanis ciuitatibus degunt. Et Metropolitanos in certis ciuitatibus constitutos dicebat Can. 9. quia ad eas fieret concursus. Et cur, quæso, Hierosolymam, Nicæni Patres, Cæsareæ postposuerunt, imò supposuerunt? nisi quia Palæstinæ totius illa tunc esset Metropolis temporalis, à [i] Vespasiano, post Hierosolymitanam cladem, Proconsulatu exaltata; in eaque resideret Romana Præfectura. In Concilio tamen Chalcedonensi confirmata est contentio, [k] tentata prius in Ephesino, inter Maximum Antiochenum, & Iuuenalem Hierosolymitanum; in qua [l] duæ Phœniciæ atque Arabia, datæ sunt Antiocheno: tres verò Palæstinæ subiectæ manserunt, iure Metropolitico, sub Ecclesia Hierosolymitana; & sic Cæsarea, amissa Metropoli, subiecta fuit Hierosolymitanæ. Postea verò, in quinta Synodo etiam, plene ius Patriarchij eadem Hierosolymitana Ecclesia est consecuta; vt vidimus l. 2. c. 8. n. 8.

h Dist. 18. c. Propter.

i Iustinian. Nouel. 103.

k Leo ep. 66.

l Concil. Chal. act. 7.

X. Ex Ciuitatum verò magnitudine, sæcularique dignitate, Ecclesias sæpe, & magna ex parte gradus hos Ecclesiasticos esse sortitas, fatentur etiam Chalcedonensis Concilij Patres: [m] Si qua verò ciuitas, *inquiunt*, fuerit Imperiali potestate innouata, hoc est ad dignitatem Metropolis euecta, similes ac publicas formas, Ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequi

m Concil. Chal. c. 17. & 57. Quinisexta cap. 38.

consequi debet.] Et in Concilio Taurinaten. tempore Siricij, vt dirimeretur certamen inter Episcopos Arelaten. & Viennen. de primatu Metropolitico decertantes, definitum fuit; [a] Vt qui ex eis comprobauerit, suam Ciuitatem esse Metropolim (*puta in temporalibus*) is totius Prouinciæ honorem primatus obtineat: & ipse, iuxta præceptum Canonum, ordinationum habeat potestatem.] Iidemque Patres Proculo Massilien. primatum ad vitam indulserunt, super Narbonensi Prouincia vtraque, in gratiam personæ, non Ciuitatis; cuius magnitudinem se nescire inquiunt: quippe cum ex ciuitatis magnitudine ius Ecclesiæ Metropolitanæ dependeat.

a Concil. Taurinat. c. 1.

XI. Leo Magnus, etsi varios hosce Ecclesiasticarum dignitatum gradus inter Episcopos, ad eam formam reducit, quam exhibuerunt Apostoli, inter quos, quamuis paritas esset electionis & honoris, in Petro tamen fuit, de consensu, vt idem innuit, ipsorum Apostolorum, præeminentia constituta; vt docui etiam lib. 1. cap. 3. num. 24. & 25. Nihilominus satis clare explicat, has inter Episcopos præeminentias, totas esse iuris Ecclesiastici positiui; & à magnitudine etiam ciuitatum illas pendere. [b] Connexio, *inquit*, totius corporis, vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio, totius quidem corporis vnanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam Sacerdotum. Quibus etli dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis: quoniam & inter Beatissimos Apostolos, in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præmineret: Dequa forma, Episcoporum etiam orta est distinctio; & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam, in maioribus Vrbibus constituti, solicitudinem susciperent amplorem.] Supremam tamen curam sibi, more Romanorum Pontificum, reseruat; & ad Monarchiam satis propendet. Ac multo magis [c] Nicolaus.

b Leo ep. 88.

c Nicol. 1 ep. 42.

XII. Concilium Chalcedonense repetit, & confirmat decretum Concilij Constantinopolitani, in quo similis primatus datur Ecclesiæ Constantinopolitanæ, atque erat primatus Romanæ; quia, inquiunt, Constantinopolis est noua Roma:] ob curiam nimirum Imperialem; & de hoc plura alias.

XIII. In quodã Concilio Tolet. tempore Bonifacij 4. [d] Toletanæ Ecclesiæ ius Metropoliticũ defenditur à Rege Gundemaro, quia Imperij solio erat Toletana ciuitas sublimata: & quia vnica erat in temporalibus Prouincia Carthaginensis, cuius Metropolis erat Toletum.

d Apud Baron. tom 8. an. 610. nu. 18. 19.

XIV. Leo 9. quamuis apocryphis nitatur Clementi, Anacleto, Aniceto, ex se tamen illa profert; Episcoporum ordo vnus est, quamuis alij præferantur alijs, siue pro eo quod primas ciuitates & magis nominatas, secundum potentiam, aut leges sæculi, retinent; siue quod à Sanctis Patribus, pro aliqua reuerentia sanctitatis, aliquod priuilegium dignitatis possident. Nam sicut omnis mundana potestas his gradibus dignitatum à se inuicem distat; id est vt primus sit Augustus, vel Imperator; deinde Cæsares; deinde Reges, Duces, & Comites, atque Tribuni; ita & Ecclesiastica dignitas ordinata à sanctis Patribus inuenitur.] Magna est hæc confessio ex ore Romani Pontificis.

e Leo 9. ep. 4.

XV. Gregorius septimus, vbi propter concordiam, & communionem, necessitatem huius subordinationis inter Episcopos (quod fecerat etiam prius [f] Ioannes 8. totidem pene verbis) adducta ex Angelorum ordinibus similitudine, considerauit; hæc habet: [g] Prouinciæ autem multo ante Christi aduentum tempore, diuisæ sunt, maxima ex parte; & postea ab Apostolis, & B. Clemente prædecessore nostro, ipsa diuisio est renouata: & in capite Prouinciarum, vbi dudum Primates legis erant sæculi, ac prima iudiciaria potestas. Ipsis quoque Ciuitatibus vel locis celebrioribus Patriarchas, vel Primates qui vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges Diuinæ, & Ecclesiasticæ poni & esse iusserunt; ad quos Episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent, vt ipsi nomine primatum fruerentur, & non alij: Reliquæ vero Metropolitanæ ciuitates, quæ minores Iudices habebãt, licet maiorũ comitum essent, haberent tamen Metropolitanos suos, qui prædictis iuste obedirent Primatibus: sicut & in legibus sæculi olim ordinatũ erat, qui non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Episcoporũ nomine fruerẽtur. Et licet singulæ Metropoles Ciuitates, suas Prouincias habeant, & suos Metropolitanos habere debeant Episcõpos, sicut prius Metropolitanos Iudices habebant sæculares; Primates tamen, vt præfixum est, tunc & nunc habere iussæ sunt, ad quos, post sedẽ Apostolicã, summa negocia conueniant: vt ibidem, quibus necesse est, eleuentur, & iuste restituantur; & hi qui iniuste opprimuntur, iuste reformentur, atque fulciantur, Episcoporumque causæ, & summorum negociorum iudi-

f Io. 8. ep. 95.

g Greg. 7. l. 6. ep. 35.

A cia, salua Apostolicæ sedis autoritate, iustissimè terminentur.] De his ciuitatum priuilegijs, præsertim de Romana, erit mihi etiam alias differendum.

XVI. Iuo Carnotensis, cui Ecclesiastica iura erant notissima, contra Remensem Episcopum, qui ad se solum Regis coronationem trahebat, scribens acrius, inter alia, hæc habet; [a] Cùm ergo hæc eadem potestas sit cuiusque Metropolitani, in Metropoli sua; mirum videtur, quare vnus in proprium ius ambiat vendicare, quod multorum constat esse commune. Nisi fortè quis dicere audeat, maiorem vim Sacramentorum esse apud alios, quam apud alios: quod schismaticum esset, & vnitatem Ecclesiæ diuideret. Hæc dicentes, non reprehendimus institutionem Ecclesiasticam, per quam pax Ecclesiæ firmius colligata est, cùm inferiores à superioribus Sacramentorum dispensationem suscipiunt: nec vltra quam sibi concessum est, vsurpare præsumunt: Verùm vbi personarum æqualis est potestas, quarum altera alteri nihil, præter charitatem, debet, si altera alteri iustitiam vult detrahere, & sibi soli arrogare, sua quærens, deceptus est sæculi ambitione.] Apertè igitur profitetur Iuo æqualitatem, iure diuino, inter omnes Episcopos: & sola Ecclesiastica institutione, quosdam actus concedi alijs supra alios: meram verò ambitionem esse, vbi vnus Episcopus, quicunq; ille sit, & quocunque primatu Ecclesiastico ornatus, velit sibi soli omnem potestatem Ecclesiasticam arrogare.

a Iuo Epi 189.

B

XVII. Totam verò hanc Hierarchicam subordinationem inter Episcopos Catholicæ Ecclesiæ, solo iure humano Ecclesiastico esse institutam, inde vel maximè patet, quod in Concilijs, omnes controuersiæ circa illam, non nisi ex Statutis Ecclesiasticis terminantur, & ex Ciuitatum typis sæcularibus. Hoc supra in Concilio Taurinatensi vidimus, & alijs; sed & Mileuitanum, cui subscripsit Augustinus, Canone 21. satis apertè definit; [b] Controuersias inter Episcopos, circa sibi subiectas Ecclesias, & Diœceses, per Episcopos Iudices esse definiendas, siue quos eis Primates dederint; siue quos ipsi vicinos ex consultu Primatis delegerint.]

b 16.q.6.c. Placuit.

C

XVIII. Iustinianus quoque Metropolitanorum iura illæsa volens conseruare, ita tamen vt ne illi quidem sibi plus, quàm iure possint, aliquid potestatis in Episcopos vsurpent, se vindicem exhibet Africanis. [c] Nos tutores sumus, *inquit*, & vindices vetustatis: Nec deerit Ecclesiastica vindicta, vel nostra in eos, qui aut ambitiosa superbia, aut subreptitijs postulationibus, antiquitatem temerasse docebuntur. Quoniam ad diuinitatis tendit iniuriam, qui sanctorum Patrum constituta contemnere, aut violare non metuit.] Ad constituta ergo Patrũ, tota spectat ratio Metropolitanorũ. Ita in Conc. Tolet. paulò supra citato, Gundemarus Rex, secundũ antiqua Patrum decreta, Toletano Episcopo, Metropoliticũ ius defendit.

c Apud Baron. tom. 7. an. 541. nu. 11.

XIX. Quam etiam ab humano arbitrio pendeat hæc Metropolim institutio, satis habes ex Pelagio secundo, ita statuente; [d] Scitote certam Prouinciam esse, quæ habet decem, aut vndecim ciuitates, & vnum Regem; & totidem minores potestates sub se; & vnum Metropolitanum, aliosque suffraganeos decem vel vndecim Episcopos.] Hæc quis non videt esse prorsus arbitraria? Cùm præsertim Principes etiam Laici, sua propria potestate, Ecclesias sæpè Episcopales fecerint esse Metropolitanas, eisque & Prouinciam, & Suffraganeos assignârint; vt plenius tradam libro 6.

d 6.q.2.c. Scitote.

D

XX. Valeat ergo Sanderus cum suis vanitatibus, dum Hierarchiam hanc [e] reducit ad ipsam successionem Apostolorum iure diuino: & vult Patriarchas, Primates, & Metropolitanos succedere Apostolis, in pleniori potestate, non sic Episcopos. Ego verò iam & Apostulos pares feci; & successionem Apostolorum esse in omnibus æquè Episcopis; & varietatem hanc Hierarchicam, ad sua principia iuris humani resolui. Quomodo enim, quæso, ad successionem illam Apostolicam maioris potestatis reducetur Episcopus ille, qui ex laica sola Prouinciarum diuisione, aut ciuitatis in Metropolim erectione, aut ex sola Ecclesiastica [f] institutione, factus est Metropolita, sede sua Episcopali in Metropolitanam erecta?

e Sand. de visib. Monar. l. 7. de Rom. Pont. prim. num. 6.

f Extrauag. Salnator. de Prab. & dign. in com.

E

XXI. Sed neque solidum est, quod ait Bellarminus, [g] Petrum instituisse Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum: qui ab eo autoritate accepta, toti ferè Asiæ, & Africæ præerant, & Archiepiscopos creare poterant, qui postea crearent Episcopos.] Quasi verò eam Paulus non dederit potestatem Tito creandi Episcopos, & alij Apostoli alijs, vt libro 2. explicaui. Imò Africa à Romana Ecclesia, & fidem, & sacerdotium suscepit, vt testatur [h] Tertullianus, [i] Optatus, & [k] alij, non ab Alexandrina: & iam abundè probaui lib. 2. ca. 6. 7. 8. vnumquenque Episcopum, non solos Patriarchas, Primates, & Archiepiscopos, posse ordinare, quantum ad suam potestatem episcopalem, Episcopos; cùm quisque Episcopus, iure diuino, sit in potestate, cuicunque alij Episcopo æqualis. Cùm itaque in his amplius immorandum non sit, ad alia procedamus.

g Bellar. de Rom. Pont. l. 4. in fine.

h Tertul. de præscript.

i Optat. lib. 2.

k Innoc. 1. Ep. 29. & Damas. Ep. 5. & Aug. Ep. 162. & Greg. l. 7. Ind. 1. Ep. 32.

CAP. III.

Electiones Episcoporum à quo fiant, discutiantur, & confirmentur.

Summa Capitis.

Electiones Episcoporum regulam habere debuerunt, num. 1.

Electio ad Clerum & populum semper pertinuit: & de hoc variæ probationes vsque ad tempora proxima post Concilium Nicænum, à num. 2. vsq; ad num. 11.

Probationes post Concilium Nicænum ex Patribus, & rebus gestis à numero 12. ad num. 29.

Ex Conciliis & Canonibus, à num. 30. ad num. 37.

Ex Romanis Pontificibus, eorumque dictis, & decretis, à n. 38. ad n. 49.

Oppositiones & earum solutiones, à n. 50. ad n. 54.

Metropolitani electiones hasce regulare, discutere, & confirmare, aut reprobare debuerunt; imò etiam personam electam cognoscere, & vel admittere, vel reijcere à num. 55. ad num. 60.

Episcopus an possit sibi Successorem deligere, & coadiutorem assumere, à num. 61. vsque ad num. 72.

Contrarius Canon profertur, & explicatur, 63. 64. 65.

Resignationes examinantur, n. 76. 77.

Abbatum electio, & confirmatio, ac consecratio censuratur, num. 78.

I. EPiscopos ab Episcopis fieri, iam satis ostendi libro proxime præcedenti; neque iure Diuino quicquam refert, quis Episcopus, à quo Episcopo ordinetur; neque eodem iure quicquam statuitur, an ab vno magis, quàm ab alio, sedi vacanti, de Episcopo prouideatur. Ne igitur confusio in Ecclesia pacem ipsius turbaret, & tranquillitatem, schismatumque pericula exorirentur, si certatim quisque Episcopus, potissimum ex vicinioribus, qui circa vacantem Ecclesiam reperiuntur, voluisset, quem quisque vellet, Episcopum ordinare: huic incommodo volens occurrere Ecclesia, Prouincias illa certas instituit, seu potius iam sæculariter instituras, assumpsit, vt certus numerus Episcoporum, quasi in vnicum partiale corpus coalesceret, vnusque ex ipsis, cæteris, iure Metropolitico præemineret, cuius cura potissima esset Episcopos suæ Prouinciæ ordinare; Non quod in ipsius esset potestate, quem ipse solus vellet, ad Episcopale munus, in Ecclesia vacante, euehere; sed vt rite electum, & designatum, ipse sua ordinatione, legitimaque missione instructum, in sede collocaret, eique Ecclesiasticam ministerialiter traderet potestatem. Electiones itaque Episcoporum suæ Prouinciæ, ante omnia, discutere, & vt legitimæ essent, conari semper debuit Metropolitanus: vt nimirum ab ijs fiat electio personæ in Episcopum ordinandæ, à quibus debet, & eo modo quo debet. Quare etiam nobis hoc capite tractandum est de legitimis electoribus, ac de electionum à Metropolitano confirmatione. De delectu verò personarum, vt sint vndequaque ad Episcopale munus idoneæ; ac de electorum approbatione, & per Metropolitanum confirmatione, agam postea; ac deinceps de electi ordinatione & consecratione.

II. Initio quidem nascentis Ecclesiæ, cum thronum Episcopalem in vnaquaque Ecclesia vacare contingeret, nulla electione res peragebatur, sed quoties Episcopus decederet, statim ipsius locum accipiebat alius, qui ei proximus esset, & in illa Ecclesia antiquissimus; vt ex Ambrosio ostendi lib 2. cap. 3. num. 27. & 51. Quia tamen hoc neque fuit, vt puto, vniuersale in omnibus Ecclesiis; neque potuit semper esse commodum & tutum; ad electiones fuit deueniendum. Quinam igitur fuerint in Ecclesijs, ac nunc etiam esse debeant ordinarij Episcoporum electores, quaue ratione electiones legitimæ peractæ fuerint, & sint adhuc ordinariè peragendæ, inuestigemus.

In

A In constitutionibus Apostolicis Petrus sic loquens inducitur: [a] Primus igitur ego Petrus dico, Episcopum ordinari debere (vt supra simul omnes constituimus) ex omni parte reprehensione carentem, ab omni populo delectum: quo nominato & approbato, conueniens populus, cum Collegio Presbyterorum, & Episcopis, qui adsunt, in die Dominico, præcipuus ex omnibus, (*hoc est Metropolitanus*) interroget Presbyteros, & plebem, quis sit quem petunt in Rectorem] quamuis hæc aut Petrum aliquando esse locutum, aut Clementem scripsisse, vix credibile sit aut probabile; quis tamen vsus esset in antiqua Ecclesia circa Episcoporum electionem, hinc satis patescit. Vbi obserua nondum Legistarum vanitates fuisse in Ecclesia tunc inductas, quando ista scribebantur, mira subtilitate distinguentes inter se, electionem, nominationem, postulationem, adde etiam præsentationem: siquidem ista omnia hic confunduntur, & idem actus vocatur electio, seu delectus, nominatio, & postulatio. III.

a *Constit. Apost. l. 8. c. 2.*

B Anicetus; [b] Oportet, *inquit*, vt Archiepiscopus, qui illis omnibus (*Episcopis suæ Prouinciæ*) præesse debet, ab omnibus illis eligatur, & ordinetur. — Melius est, si ipse cum omnibus (*suis suffraganeis*) eum qui dignus est elegerit, & cuncti pariter sacrauerint Pontificem.] Hic tamen confundit electionem cum ordinatione. Antherus verò ait, [c] Fœlicem de ciuitate qua ordinatus erat electione ciuium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, ac populorum consilio translatum fuisse Ephesum.] IV.

b *Anicet. ep. vn.*

c *Anther. ep. vn.*

Ignatius ad totam Ecclesiam Philadelphiensem scribens ait, [d] Decet itaque vos vt Dei Ecclesiam eligere Episcopum, vt obeat legationem Dei, vt concedatur illis in eundem locum congregatis etiam glorificare nomen Dei.] V.

d *Ignat. ep. 6.*

Alexandri Carbonarij miram electionem in Comanæ ciuitatis Episcopum & Cleri, & C Plebis opera concurrente, sub Gregorio Thaumaturgo factam narrat [e] Nyssenus, circa tempora Pontiani, secundo post Christum sæculo. Fabiani electionem in Ecclesia ab Episcopis & fratribus factam narrant [f] historiæ. VI.

e *Nyss. in vit. gest. Greg. Thaum.*

f *Nic. l. 8. c. 14.*

Cyprianus eodem sæculo, illum duntaxat esse verum & legitimum Episcopum in Ecclesia contendit, qui [g] post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, suam Cathedram obtineat. Indeque calumniatores Episcoporum legitimorum schismaticos, & extra Ecclesiam esse exaggerat: Quando, *inquit ibidem*, Episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi vniuersi suffragio in pace deligitur; — Et talis à quibusdam desperatis, & perditis, & extra Ecclesiam constitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet.] Scribit & illa idem Cyprianus cum Collegis, ad Ecclesiam Legionensem: [h] In ordinationibus Sacerdotum, non nisi immaculatos, & integros Antistites eligere debemus; qui digne ac sancte Sacrificia Deo offerentes, audiri in precibus possint, quæ faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate; cum scriptum sit, [i] Deus peccatorem non audit, sed si quis Deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit. Propter quod plena diligentia, & exploratione sincera oportet eos ad Sacerdotium Dei deligi, quos à Deo constet audiri. Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis à contagione esse delicti possit, cum Sacerdote peccatore communicans, & ad iniustum, atque illicitum Præpositi sui Episcopatum, consensum suum commodans; cum per Oseam Prophetam comminetur & dicat censura diuina, [k] sacrificia eorum, &c. — Propter quod plebs obsequens præceptis dominicis, & Deum metuens, à peccatore Præposito separare se debet; nec se ad sacrilegi Sacerdotis Sacrificia miscere; cum ipsa maximè habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de diuina autoritate descendere, vt Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur; sicut in [l] Numeris Moysi, &c. — coram E omni Synagoga iubet Deus, constitui Sacerdotem; id est instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur: Et sit ordinatio iusta, & legitima, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata.] Probatque Cyprianus ibidem exemplo Apostolorum, [m] qui & Matthiæ, & Diaconorum ordinationem, conuocata, & congregata plebe fidelium, censuerunt esse celebrandam. Subditq; paulò post: Propter quod diligenter de traditione diuina, & Apostolica obseruatione seruandum est & tenendum, quod & apud nos quoque, & ferè per Prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem Prouinciæ, proximi quique conueniant; & Episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum VII.

g *Cypr. l. 1. ep. 3.*

h *Idem l. 2. ep. 4.*

D i *Ioan. 9.*

k *Oseæ 9.*

l *Num. 20.*

m *Act. 1. & 6.*

gulorum vitam plenissime nouit, & vniuscuiusque actum, de eius conuersatione perspexit. Quod & apud nos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione; vt de vniuersæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia conuenerant, quique de eo literas ad vos fecerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.] Nouatianum à communione excludendum esse exclamat idem Cyprianus; [a] Qui Episcopo, *inquit*, Cornelio, in Catholica Ecclesia, de Dei iudicio, & Cleri ac plebis suffragio, ordinato, profanum altare erigere, & adulteram Cathedram collocare, & sacrilega contra verum Sacerdotem sacrificia offerre tentauerit.] Item de eiusdem Cornelij promotione hæc habet; [b] Non iste ad Episcopatum subito peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, _ ad Sacerdotij sublimè fastigium, cunctis religionis gradibus ascendit. _ factus est Episcopus de Dei, & de Christi eius iudicio; de Clericorum pene omnium testimonio; de plebis quæ tunc affuit suffragio; & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio.] Obserua diligenter electiones huiusmodi ex diuina, & Apostolica traditione in Ecclesiam peruenisse, teste Cypriano. Nam & non multo post, [c] Presbyteri Romani, eundem electionis modum, quo illi Bonifacium elegerant non sine populo, diuinam esse institutionem, asserunt. Et Florus infra num. 21. idem affirmat.

a *Cypr. l. 3. ep. 13.*

b *Idem l. 4. ep. 2.*

c *Apud Baron. tom. 5. an. 419. num. 13. Et nos l. 4 c. 11. nu. 3.*

VIII.

Origenes etiam electionem Episcopi describit, occasione ordinationis Aaron, quam explicabat: [d] licet ergo, *inquit*, Dominus de constituendo Pontifice, præcæpisset; & Dominus elegisset: tamen conuocatur & synagoga. Requiritur enim, in ordinando Sacerdote, & præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium; & hoc astante populo, ne qua postea retractatio cuiquam, ne quis scrupulus relideret. Hoc autem est quod & Apostolus præcipit in ordinatione Sacerdotis, dicens; [e] Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt.] Si ab Ethnicis, quanto magis à populo Dei petendum est hoc testimonium? Idem præterea Origenes, & vsum electionum suorum temporum, & simul abusum notauit, ac descripsit, dicens: [f] Recessurus (*Moyses*) de sæculo, orat Deum vt prouideat ducem populo. Quid agis Moyses? Nunquid filij tibi non sunt Gerson & Eleazar? Aut si aliquid de ipsis dubitas, non sunt filij fratris magni & egregij viri? Quomodo non oras Deum pro ipsis, vt eos constituat populo Duces? Sed discant Ecclesiarum Principes, successores sibi, non eos, qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum; sed referre ad iudicium Dei, & non eligere illum quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totum de successoris electione permittere. Si ergo tantus ille, ac talis Moyses, non permittit iudicio suo, de eligendo Principe populi, de constituendo successore, quis erit qui audeat, vel ex plebe, quæ sæpe clamoribus, ad gratiam, aut ad precium fortasse excitatis, moueri solet; vel ex ipsis etiam Sacerdotibus, quis erit qui se idoneum ad hoc iudicet, nisi si cui oranti & petenti à Domino reueletur? Sicut & Deus dicit ad Moysem: adsume ad temetipsum Iesum filium Naue, hominem qui habet Spiritum Dei in semetipso; & impones manus tuas super eum, & statues eum coram Eleazaro Sacerdote, & præcepta dato ei, in conspectu totius Synagogæ, & præcipe de ipso coram eis, & dabis claritatem tuam super illum, vt audiant illum filij Israel. Audis euidenter ordinationem Principis populi, tam manifeste ad Scripturam, vt pene expositione non egeat. Nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Propinquis, agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit: homini scilicet tali, qui habet (sicut scriptum audistis) in semetipso spiritum Dei, & præcepta Dei in conspectu eius sunt; & qui Moysi valde notus & familiaris sit, id est in quo sit claritas legis, & scientia, vt possint cum audire filij Israel.] Hæc Origenes à laica per similitudinem ad Ecclesiasticam refert electionem.

d *Orig. hom. 6. in Leuit. ponitur. 8. q. 1. c. Licet. & Cyril. l. 6. in Leuit.*

e *1. Tim. 3.*

f *Orig. hom. 22. in Numer.*

IX.

Morem vides antiquissimum, ab ipsa Euangelica, & Apostolica traditione, vt asserebat Cyprianus, emanantem; vt Episcopi, aut electione, & propositione totius Ecclesiæ, etiam Laicorum (vnde iam abusus irrepserant tempore Origenis;*) aut saltem communi plebis assensu designarentur, & ad Episcopale munus assumerentur. Hunc morem in Ecclesia ab ipsis eius incunabulis seruatum, Nicæna celeberrima illa Synodus Vniuersalis, lege sanxit vniuersali: [g] Vt Episcopi omnes eiusdem Prouinciæ, concurrant in Episcopis, vacantibus sedibus, dandis. [h] Quod si, *inquit*, communi omnium electioni,

g *Concil. Nicæn. c. 4.*

h *Ibid. c. 6.*

A electioni, quæ & rationi consentanea, & ex regula Ecclesiastica facta est, duo vel tres propter suam, qua delectantur contentionem contradicant, vincant plurium suffragia.] Communem ponit electionem, non ab Episcopis tantum factam, sed etiam concurrente cum illis, & Clero, & plebe loci, de Episcopo prouidendi; is enim iam erat mos, vt probauimus. Quinimo ipsummet Nicænum Concilium decreuit, vt scribunt ipsimet Patres dicti Concilij ad Episcopos Ægypti; [a] Vt Presbyteri à Melerio quodam Episcopo schismatico, & excommunicato designati, simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur: Vt — omnibus Presbyteris — sint inferiores. — Quod si qui fortè eorum, qui Ecclesiæ fungantur muneribus, diem suum obibit, tum vnius ex illis, qui nuper in Ecclesiam asciti sunt, modò idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur, atque adeò populi electionem confirmet, in locum succedat demortui.] Quod ergo expresse decreuit illud Concilium de electionibus Episcoporum Aegypti, vt concurrat & Clerus, & populus; id virtute inclusum intelligas in Canone illo vniuersali. Ita & Constantinus Imperator, [b] mandat populo Antiocheno, & Episcopis, vt, prætermisso Eusebio Cæsariense, quem sibi in Episcopum aduocabant, & ipse respuebat, vt Canon Ecclesiasticus, de translatione Episcoporum non faciendа, seruaretur; alium sibi canonicè de more eligerent, quem Canones eligi non impedirent.] Ecce non solis Episcopis, sed etiam populo mandatur electio.

a Apud Theod. hist. l. 1. c. 9.

B

b Euseb. de vit. Const. l. 3. c. 58. 59. 60.

Athanasius, statim fermè post dictum Concilium celebratum, factus est Episcopus Alexandrinus: de cuius electione hæc scribunt Episcopi Aegyptij, in sua Encyclica: [c] Nos cum tota ciuitate, & vniuersa prouincia, testamur omnem multitudinem, populumque Catholicæ Ecclesiæ in vnum coactum, quali in speciem vnius corporis, & animæ, clamoribus, vociferationibusque postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari: idque publicis votis à Christo expetijsse, nosque vt faceremus permultos dies, & noctes iureiurando obtestatos fuisse: cùm interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent. — Potrò quod nostrum plerique, sub omnium oculis, exclamationibusque Athanasium Episcopum creârint, nos ipsos in testes offerimus, &c.]

X.

c Apud Athan. apolog. 2.

C

Eodem pacto electiones à plebe, & proprio Clero celebrari solitas, habemus eodem tempore ex Iulio Pontifice Romano; qui Gregorij Alexandrini electionem perperam contra Athanasium factam improbans, ait; [d] Prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt; Primum enim (si verum dicendum est) non decebat, cùm nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, alios præoccupare iudicium Synodi: deinde non decuit nouos istos modos contra Ecclesiam induci: Vbi enim est istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut istiusmodi traditio Apostolica, vt in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus, cum Episcopo Alexandriæ Athanasio existente, immittere Gregorium peregrinum, & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris, &c.] Ipse quoque Athanasius eandem improbat, ita scribens, [e] Sed vt demus querelam aliquam aduersus me suscepram, meumque nomen inter reos receptum esse; non tamen oportuit, in mei locum, Arianum, aut qui Ariana saperet, subrogari: sed secundum Ecclesiasticos Canones, prout Apostolus præcepit, congregatis populis, vna cum Spiritu Sancto, qui Episcopum constituant publicè, & in præsentia Clericorum, Episcopum postulantium, inquisitionem fieri; atque ita omnia Canonicè peragi: non autem ad potentiam, postulationemque Arianorum, qui ab Ecclesia alieni sunt, quique Episcopale nomen non vereantur emere, successorem mihi dari, nundinatoremque Episcopalis tituli, præter consensum eorum qui Episcopum postulare debebant; & præter voluntatem, conscientiamque omnium, qui actis adhibiti non fuere; per vim, opesque iudicum extraneorum, in hanc dignitatem immittere. Id enim & Ecclesiasticos Canones soluit, & Ethnicos ad blasphemiam; suspicionemque cogit, vt putent non legibus rituque diuino, sed nundinatione, & potentia Episcopos constitui.] Ita Athanasius. In Romano Concilio priore sub Syluestro cap. 5. statutum fuit; [f] Vt si fuerit omnium votiua gratia, non præmio, non inuasione cupiditatis, nulli præripiens gradum, sic ab omni Ecclesia eligatur conſecrandus Episcopus, nullo de membris Ecclesiæ intercidente, & omni Ecclesia conueniente.] Et in altero; Vt Presbyter, annis tribus probatus, ex omni parte in tantum, vt etiam ab ijs qui foris sunt testimonium habeat bonum: vnius videlicet vxoris vir, quæ tamen à Sacerdote sit benedicta: & si probatus fuerit dignus, & vota populi, & Cleri concurrerint, Canonicè Episcopus consecretur.] In Sardicensi quoque Concilio, ab ijsdem Patribus, qui Nicænum celebrârant, celebrato, eadem consuetudo manifestè supponitur, dum in eo sic edicitur, cap. 5. vt

d Apud Athan. apolog. 2.

XI.

D

e Athan. ad Orthod.

E

f Concil. Rom. sub Sylu.

[a] Diſt. 65. fin. in annot.

Græcus habet textus: [a] Si qua in Prouincia, in qua plurimi sunt Episcopi, contigerit vnum Episcopum morari absentem, neque is propter negligentiam quandam conuenire voluerit, neque Episcoporum creationi consentire; populi verò congregati postulent eum quem ipsi expetunt Episcopum constitui: primum oportet Episcopum illum qui absens moratur admoneri literis Primatis Prouinciæ (*nempe vnum Episcopi Metropolitani*) de populorum postulato, Pastorem sibi dari petentium: recte autem se habere puto eum quoque vt interſit, expectari. Quod si neque per literas rogatus affuerit, ac ne reſcripſerit quidem, satisfaciendum populi voluntati est. Conuocari autem oporteat ex vicina etiam Prouincia Episcopos ad Metropolitani Episcopi creationem.]

XII. Iam verò post Concilium Nicænum, in electionibus eundem prorsus veterem morem perpetuo Ecclesiam, ad nostra pene tempora, seruasse, vt à Clero & populo fieret, ex Patribus ac rebus gestis; ex Conciliis, & iuribus; ex Rom. Pont. attestationibus, & Decretis, iam sumo comprobandum. Duas Episcopi Cæsarientis in Cappadocia electiones ponit Gregorius Nazianzenus; in quibus egregiam nauarit operam Gregorius eius parens, verus & proprius Episcopus Nazianzenus: Altera Eusebij, Basilij magni alterâ, proximi Eusebio dati successoris: In vtraque mos idem antiquus perseuerat. [b] Cæsariensium *inquit Theologus*, Ciuitas de Pontificis disceptabat electione, cum vnus obijsset, alter verò in locum eius substituendus quæreretur. Feruebat itaque seditio, nec facilè sedari poterat. Ciuitas enim illa, ex sui natura, admodum hanc ob rem ad seditionem est procliuis; cum propter fidei ardorem, tum Cathedræ præstantiam singularem: & hæc erant quæ contentionem plus accendebant. Aderant itaque Episcopi quidam, vt Pontificem darent. Cum verò populus inter se diuisus esset, & alius alium poneret, quemadmodum in talibus fieri consueuit, secundum quod vnusquisque, vel amicitia alicuius, vel pietate erga Deum affectus erat, tandem populus vniuersus consensit, vt quendam ex primis intereos vita præstantem, nondum tamen Diuino baptismate signatum, inuitum etiam raperent. Auxilio itaque manus militaris, quæ tum forte aderat, illum super gradum posuerunt, ac Episcopis obtulerunt, rogantes vt illum expiarent, & Pontificem pronunciarent; interimque persuasionibus vim quoque permiscere non dubitabant: non admodum decenter, sed magno fidei feruore impellente. Verum enimuero non huius temporis est referre quemnam illo præstantiorem, aut sanctiorem ostenderit tempus. Quid igitur factum est? aut quousque processit seditio? cõegerunt, expurgauerunt, pronunciarunt, super thronum collocarunt, manu potius, quam voluntate & dispositione spiritus, quod patuit quidem ex sequentibus.]

[b] Nazian. orat. 14. quæst. in funere patris.

XIII. De Basilij verò electione, multa dicit idem Gregorius Theologus, tum in hac ipsa oratione, quam in funere sui patris dixit; tum etiam in alia, quam de laudibus Basilij habuit: sed quod spectat ad morem eligendi Episcopos, in vtraque narrat, Basilium fuisse de more electum ab Episcopis, Clero, & populo, non tamen sine seditione populari; vt propterea cupiat ipse Nazianzenus [c] electiones à Clero solo, & sui temporis Nazaræis, hoc est Monachis fieri, quam à laicis potentioribus, & plebe: addit & illud; Tandem cum electio canonicè fieri deberet, vnusque qui pronunciari debebat numero destitueretur, è lecto senectute & ægritudine degrauatus (*Gregorius Pater*) surrexit, & ad Ciuitatem iuuenili perrexit animo, seu potius corpore ferebatur mortuo, ac parumper spirante – ordinatur ille; collocat eum in thronum.] Concurrere ergo vota omnia Episcoporum comprouincialium, ad electionem Metropolitani oportuit. Nam & propterea idem Gregorius senior, antequam ad electionem in persona accedere statuisset, per literas non semel inculcauit, se in nullum alium, nisi in solum Basilium consentire. [d] Cæterum ex omnibus, *inquit*, qui & honore, & gloria apud vos florent, neminem, Deo dilectissimo filio nostro Basilio Presbytero, anteferre possum. – Si igitur huic sententiæ assensum fuerit, suffragiumque nostrum adeo sanum, & integrum, vnaque cum Deo latum vicerit, & spiritualiter adsum & adero: imo etiam iam manum imposui, spiritusque fiducia nitor. Sin autem aliud quidpiam potius quam hoc placeat, ac per sodalitia, & cognationes eiusmodi res expendantur, ac miscellanea turba exactum, & seuerum electionis morem conuulserit, & distraxerit, seorsim sane id quod vobis arriserit facite: Nos autem intra nosmetipsos collecti quieſcimus.] Exactum & seuerum electionis morem vocat, vbi Episcopi potissimum de persona deliberant, populo tamen non inuisa. Hunc verò morem à turba solere conuelli, vbi illa parata non sit Episcoporum iudicium sequi, sed tumultuariè velit aliquem temerariè obtrudere, ac per vim in sede collocare. Ciues tamen in hac electione suas partes habuisse,

[c] Nazian. ibid.

[d] Apud Greg. Nazian. ep. 22. & 25.

buisse, quamuis non pauci Basilio obsisterent, [a] Gregorius iunior non diffitetur. Quid verò ipse Basilius?

Conqueritur contra Anthimum Thianensem, secundæ Cappadociæ, vix legitimè factum Metropolitanum: scribitque ad Meletium; [b] Nosse autem volo pietatem tuam, quod bonus frater Anthimus, Faustum, qui versatus est apud Papam, Episcopum elegit, nec suffragijs quidem susceptis, & electione contra Venerandissimum fratrem Cyrum facta, vt Armeniam seditione compleuerit.]

Mortuo Athanasio, Episcopi circumuicini [c] congregantur, & Petrum in sede Alexandrina ei suffecerunt. Is verò a Lucio Ariano pulsus, in sua Epistola, inter alia, hæc scribit; [d] Quæ cum ita se haberent, & ipse de Ecclesia decessissem (qui enim ibi manere poteram, vbi incursiones à militibus factæ, vbi multitudo argento conducta ad seditionem, vbi nimia pecuniæ cupiditas, vbi turbæ gentilium, amplissimis promissis, ad maleficia inuitatæ?) noster scilicet successor Lucius, qui partes lupi nequitia, & improbe factis agere impensè studebat, quique Episcopatum non consensu Episcoporum orthodoxorum in vnum conuenientium, non suffragijs verè Clericorum, non postulationi populi, vti sacri Ecclesiæ Canones præscribunt, sed pecunia tanquam dignitatem quandam, vt ita dicam, sæcularem emerat, illo cum mandato aduenit.] Audiimus ex Petro Alexandrino martyre, quæ tunc esset electio Canonica Episcoporum. Ad Martini quoque Turonensis electionem [e] incredibilis, vt scribit Seuerus, multitudo, non solum ex illo oppido (*Turonensi*) sed etiam ex vicinis Vrbibus, ad suffragia ferenda, conuenerat.] [f] Bricium etiam proximum Martini successorem, scribit Gregorius Turonensis, consentientibus ciuibus, officium Pontificatus adeptum fuisse.]

Hieronymus, [g] In plerisque, *inquit*, suffragium meretur sola simplicitas, & alterius prudentiæ, & calliditati, quasi malitiæ opponitur. Nonnunquam erat plebis vulgique iudicium: & in Sacerdotibus comprobandis, vnusquisque suis moribus fauet, vt non tam bonum, quam sui similem quærat præpositum.] Item alibi: [h] Nam & Alexandriæ, *inquit*, à Marco Euangelista, vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper, vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.] Ecce tibi penes Clerum electio. Præterea idem Hieronymus verba illa Prophetæ: Terra, si constituerit super se speculatorem &c. declarans ait: [i] Terra est Ecclesia, quæ sæpe, de nouissimis suis, speculatorem eligit. — Speculator autem Ecclesiæ, vel Episcopus, vel Presbyter, qui à populo electus est. — Vnde magnopere formidandum est, *inquit*, ne ad hoc officium accedamus indigni, & assumpti à populo, negligentiæ nos demus, atque desidiæ.]

Ambrosius quoque à tota Ecclesia electiones fieri docet, dum ita scribit ad Ecclesiam Vercellensem: [k] Confligor dolore, quia Ecclesia Domini, quæ est in vobis, Sacerdotem adhuc non habet; ac sola nunc ex omnibus liguriæ, atque Aemiliæ, Venetiarumque, vel cæteris finitimis Italiæ partibus, huiusmodi eget officio, quod ex ea aliæ sibi Ecclesiæ petere tolebant; & (quod verecundius est) mihi adscribitur vestra intentio, quæ affert impedimentum. Nam cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quisquam acquiescere, vt inter dissidentes suscipiat hoc munus, quod inter conuenientes vix sustineatur? Hæc est illa Confessoris institutio, hæc iustorum soboles patrum, qui Sanctum Eusebium, quem nunquam ante cognouerant, posthabitis ciuibus, simul vt viderunt & probauerunt: tantumque interfuit vt probaretur, quantum vt videretur: Meritò vir tantus euasit, quem omnis elegit Ecclesia; meritò creditum quod diuino esset electus iudicio, quem omnes postulauissent. Conuenit igitur vt sequamini exemplum parentum, præsertim cum à Sancto confessore institutos, meliores patribus esse oporteat, quando vos melior doctor instituit, atque eruditit, modestiæque vestræ & concordiæ insigne edere vt congruatis ascensu, ad postulandum Sacerdotem.] Attendamus obsecro diligenter his quæ à sanctissimo Patre obseruantur; Vt omnino populi consensus expectetur: nec operæ precium sit vt quis Episcopus constituatur, si de illo suscipiendo plebs tota non consenserit: Vix enim, *inquit*, inter consentientes onus Episcopale sustinetur, quanto minus inter dissentientes sustinebitur? Ac propterea Ambrosius illius Prouinciæ Metropolitanus nolebat ordinare vllum Episcopum Vercellensibus, nisi prius tota illa Ecclesia in vnum aliquem consentiret: infra enim probabimus, Episcopum non esse dandum inuitis. Obseruat enim consensum populi, facilè à Deo bonum impetrare Pastorem: Inde enim fit quod sæpe, & inutili, & inutiles sint Pastores vbi nullo quæsito populi consensu, ij eidem obtruduntur. Quod infra melius ponderabo.

Augustinus,

XIV.

a Greg. Nazianz. orat. de laud. Basil.

b Basil. ep. 58.

XV.

c Theod. l. 4. c. 18.

d Ibid. c. 20.

e Sulpit. de vit. B. Mart. c. 7.

f Greg. Turon. l. 2 Hist. c. 1.

XVI.

g Hieron. l. 1. adu. Iouin.

h Idem Exeger. ep. 85.

i Idem in Ezechiel. c. 33.

XVII.

k Ambr. ep. 82.

XVIII.

Augustinus, vbi [a] quatuor genera posuit in Ecclesia Apostolorum, cum Hieronymo: & ordinarium iam sit eorum genus, qui à Deo fiunt, sed per hominem: contingere tamen etiam ait, vt, & tertium adlit genus, eorum qui per homines tantum fiant, sed non à Deo: [b] Sicut nostris, *inquit*, temporibus, multi, fauore vulgi, in Sacerdotium subrogati sunt.] Subditque indicia ad cognoscendos illos, qui vere sunt à Deo per homines; & ait; [c] Illum cognosce Missum à Deo, quem non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio eligit; sed illum quem & vita, & mores optimi, & Apostolicorum actio commendat Sacerdotum: vel etiam qui vniuersorum populorum iudicio comprobatur; qui non appetit praesse, qui nec pecuniam dat vt Episcopatus honorem acquirat. Nam qui praesse festinat, quidam Patrum eleganter expressit, dicens; sciat se non esse Episcopum, qui praesse cupit non prodesse.] Vniuersi populi approbationem, quando eligitur Episcopus, vult Augustinus esse vnum ex signis Diuinae missionis. Ac interim recenset morem, vt vulgus etiam in electionibus suam partem haberet; licet interdum indignis faueret. Idem signum tractat etiam Cyprianus, supra lib. 2. c. 4. num. 22. huius operis. Et Ambrosius modo citatus, num. praeced. Et Hormisda infra hoc ipso cap. num. 39.

a *Sup. l. 2. c. 4. num. 7.*

b *Aug. dial. 65 qq. ad oros. q. 64*

c *Ibid. q. vlt.*

XIX.

Sed mos legitimarum electionum, egregie explicatur, vbi Augustinus Eradium sibi successorem instituit: Populo enim solenniter congregato in Ecclesia, dixit Augustinus: [d] Scio post obitus Episcoporum, per ambitiosos, aut contentiosos, solere Ecclesias perturbari: &, quod saepe expertus sum, & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat huic prospicere ciuitati. Sicut nouit charitas vestra in Mileuitana Ecclesia modo fui: – quia post obitum beatae mem. fratris & coepiscopi mei Seueri, nonnulla ibi perturbatio populi timebatur. Veni, & quomodo voluit Dominus, adiuuit nos pro sua misericordia, vt cum pace Episcopum acciperent, quem viuus designauerat Episcopus eorum. Hoc enim eis cum innotuisset, voluntatem praecedentis & decedentis Episcopi sui libenter complexi sunt. Minus tamen aliquid factum erat, vnde nonnulli contristabantur: quia frater Seuerus credidit posse sufficere vt successorem suum apud Clericos designaret; ad populum inde non est locutus: & erat inde aliquorum nonnulla tristitia: quid plura? Deo placuit, tristitia fugata est, gaudium successit: ordinatus est Episcopus, quem praecedens Episcopus designauerat.] Electionem itaque personae, à praecessore, cum solo Clero peractam, vt minus habentem, & defectuosam agnoscit etiam Augustinus; quia inconsulto populo & absque eius assensu, facta fuit. Atque hunc defectum, vt tolleret Augustinus, qui Eradium sibi successorem designabat, ait: Ergo ne aliquis de me queratur, voluntatem meam, quam credo Dei esse in omnium vestrum notitiam profero: Presbyterum Eradium mihi successorem volo.] Secutae sunt acclamationes populi consentientis. Post quas quaesiuit Augustinus, vt actis publicis, consensus hic populi, solenniter notaretur. A Notarijs, *inquit*, Ecclesiae, sicut cernitis excipiuntur quae dicimus. – apertius vt dicam, Ecclesiastica nunc gesta conficimus. Sic enim hoc esse, quantum ad homines attinet, confirmatum volo.] Hic etiam populus consentiendo acclamauit. Atque ita electio peracta est: ordinatio tamen dilata post mortem Augustini. Et sic Eradius mansit Coadiutor Augustini, cum futura successione. Erit, *inquit*, Presbyter vt est, quando Deus voluerit futurus Episcopus.] Et de hoc infra. Sola enim Augustini voluntate, & populi sui consensu, coadiutor Augustino, est datus, & futurus post ipsum Episcopus electus ac designatus. Quanta etiam sit potestas populi in electione sui Episcopi, habes ab eodem Augustino expressum, vbi [e] supra & suam, & Piniani violentam electionem ad Sacerdotium, commemorauit. Nam similiter etiam Episcopos rapere, ne dum eligere, solebat populus, vt obiecit Donato [f] Augustinus.

d *Acta publica apud Aug. ep. 110.*

e *Sup. l. 2. c. 11. num. 7.*

f *Aug. ep. 204.*

XX.

Chrysostomus, qui & ipse [g] à populo & Clero in Episcopum est electus, Imperatore quoque consentiente, haec aliquando scripsit; [h] Ito hinc iam, ac publica festa spectato: et dico in quibus dignitatum Ecclesiasticarum electiones, de more, fiunt; & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari Episcopum, quanta est tota illa subditorum multitudo, quibus eligendi potestas concessa est. Hos omnes tum in multas factiones scindi, neque inter se consentire, neque cum eo cui sorte Episcopatus delatus sit, Presbyterorum congregationem conuenire videris; sed vnusquisque à suis vnius partibus stat; alius hunc, alius illum eligens; cuius rei causa haec est quod in vnum non spectant, quod solum spectandum fuerit; nempe animi virtutem; sed aliae sunt causae quibus honores conciliantur: verbi gratia hic quod claro genere natus sit, in Episcopatus, inquit, ordinem cooptetur: ille quod opibus abundet, neq; indigeat alimentis ex Ecclesiae prouentibus quaesitis: alius &c.]

g *Socrat. l. 6. c. 2. Sozom. l. 8. c. 2. Pallad. c. 5.*

h *Chrys. de Sacerd. l. 3. c. 15.*

Damnato

A Damnato impio Dioscoro Alexandrino in Concilio Chalcedonensi, eoque exautorato, quo pacto processum fuerit ad electionem Proterij ipsius successoris, narrat in suo Breuiario Liberatus Diaconus, in ferbens; [a] Reuersi sunt autem, relegato Dioscoro, Alexandriam, qui cum eo venerant Episcopi, & Clerici, — Vt cùm omnium ciuium voluntate eligerent ordinandum Episcopum, sacris ad hoc literis præcedentibus, ad Theodorum Augustalem. Collecti sunt ergo Nobiles ciuitatis, vt eum, qui esset vita, & sermone Pontificatu dignus, eligerent: hoc enim & Imperialibus sanctionibus iubebatur. Cùmque super hoc multa dubitatio præcessisset, volentibus ciuibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur, Dioscoro quippe viuente; nouissimè in Proterium vniuersorum sententia declinauit.] Dioscoriani tamen post multas molestias Proterio exhibitas, eum tandem occiderunt, & Timotheum Aelurum in eam sedem intruserunt. Sed Leo Imperator occur-
B rit, scripsitque Duci Alexandriæ, Stylæ, vt pelleret quidem ab Episcopatu omnibus modis Timotheum, inthronizaret autem alium decreto populi, qui Synodum vindicaret.] Iussit videlicet Imperator pijssmus, vt populus Catholicus, qui nimirum Chalcedonensem Synodum veneraretur, eique adhæreret, electionem Episcopi perageret: & quem populus elegisset, eum Dux inthronizaret.

XXI.

a *Liberat c.14.*

De Mennæ Constantinopolitani electione, eodem more legitimo facta, videbimus inferius in Agapeto num. 39. De electione verò Eutychij Mennæ successoris, Eustathius, post narratam visionem Iustiniano Imperatori exhibitam, qua ei diuinitùs, de Eutychio dictum fuit; Fac vt hic sit Episcopus, subdit; [b] Hæc cùm ita se habere iureiurando affirmaret Imperator, omnes ipsius intentionem, & studium (quod diuino quodam splendore vultus declarabat) conspicientes, vno animo, eademque mente, & cunctis suffragijs, atque vna voce ante tempus clamabant; Dignus est, dignus est. Cùm igitur illi omnia ordine, & ex
C diuinorum Canonum præscripto, contigissent — consecratur.] In hoc verò ordine, & Canonum præscripto, posuit populi consensum, & acclamationem.

XXII.

b *Apud Surium die 6. April.*

Carolus Magnus, & Ludouicus filius, electiones legitimas, de more Ecclesiastico fieri cupientes, ita statuerunt: [c] Sacrorum Canonum non ignari, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus; vt scilicet Episcopi, per electionem Clericorum, & populi, secundum statuta Canonum, de propria Diœcesi — eligantur.] Praximque fuisse tunc huic Imperiali Decreto conformem, habes ex Epistola Hincmari ad Carolum; [d] Venerunt, *inquit*, tres Clerici, & duo Laici Syluanectensis Ecclesiæ, ad indignitatem meam, innotescentes, eandem Ecclesiam, fratre, & consacerdote nostro defuncto, viduatam esse pastore; ferentes etiam ipsius Ecclesiæ, tam Cleri, quàm plebis petitionem; vt, secundum sacras regulas, pastor tribuatur. Quos interrogaui si verbum erat de pace Cleri, ac plebis ipsius Ecclesiæ; & aliqua designata persona? qui responderunt se non aliam petitionem, ex parte sociorum afferre, nisi vt apud solitam misericordiam vestram illis liberam, ac regularem electionem obtinere satagerem, quatenus secundum sacras regulas illuc Canonico Visitatore directo, ab omnibus Ecclesiæ ipsius alumnis, valeat eligi, cui debet ab omnibus obediri.]

XXIII.

c *Capitul. Lt. c.84. ponitur Dist.63. cap.34*

d *Apud Baron. tom 9. an. 813. n.27.28.*

Florus Author satis laudatus circa hæc eadem tempora Caroli Magni, de Episcoporum electione fusiùs disputauit; cuius disputationis fragmentum circunfertur, in quo inter alia hæc habentur; [e] Manifestum est omnibus, qui in Ecclesia Dei sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa, quæ in ordinatione Episcopali, & sacrorum Canonum autoritas, & consuetudo ecclesiastica, iuxta dispositionem diuinæ Legis, & traditionem Apostolicam, iubeat obseruari, videlicet, vt Pastore defuncto, & sede vacante, vnus de Clero Ecclesiæ, quem communis, & concors eiusdem Cleri, & totius plebis consensus elegerit, & publico
E decreto, celebriter, ac solenniter, designauit, legitimo Episcoporum numero consecratus, locum decedentis Antistitis, ritè valeat obtinere: nec dubitetur diuino iudicio, & dispositione firmatum, quod ab Ecclesia Dei, tam sancto ordine, & legitima obseruatione, fuerit celebratum. Hæc sunt quæ in Concilijs Patrum, & in Decretis Apostolicæ sedis Pontificum statuta reperiuntur, & ab Ecclesia Christi, & initio comprobata reperiuntur, & comprobantur.] Et producto Cypriani dicto, quod nos etiam supra nu.7. produximus, ex Epistola 4. lib. 1. subdit: sed fuit semper integra, & rata ordinatio, quam sancta Ecclesia, iuxta traditionem Apostolicam, & religiosæ obseruationis formam celebrauit.] Illa nimirum, quam ipse hic descripserat, per totius Cleri, & populi electionem; & hanc electionem ad Apostolicam reducit traditionem. Sed & in Romana Ecclesia habet idem Autor, solo dispositionis iudicio, & fidelium suffragio, legitimè Pontifices fuisse consecratos.

XXIV.

e *Apud Baron. tom. 13. in appen. ad an. 813.*

De electione

XXV. De electione Romani Pontificis erit nobis seorsim propriùs sermo lib. 4. sequenti. Interim tamen sicut Florum audiuimus, eam ad communes aliarum Ecclesiarum regulas reduxisse; ita accipe quæ Nicolaus 2. constituit: siquidem in hac constitutione adhuc apparet constantissimus mos electionum, Apostolica traditione, hoc est, inuiolabili, imo etiam, si [a] Cypriano credimus, Euangelica in Ecclesiam introductus. [b] Certus verò, atque legitimus, *inquit Nicolaus*, electionis ordo perpenditur, si perspectis diuersorum Patrum regulis, siue gestis, etiam illa B. Leonis prædecessoris nostri sententia recolatur. Nulla, inquit, ratio sinit, vt inter Episcopos habeatur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Episcopis, cum Metropolitani iudicio consecrati. [c] Quia verò sedes Apostolica cunctis in Orbe terrarum præfertur Ecclesijs, atque ideo supra se Metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi, procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum, ad Apostolici culminis apicem prouehant.] Hactenus Nicolaus. Cardinales verò Episcopi erant Episcopi circumuicini, Romanæ Metropolis proprij suffraganei: Id enim in alijs etiam Metropolitanis omnibus seruatum iam ostendimus, & præscriptum; meliusque in sequentibus ostendemus.

a *Sup. n. 7.*
b *Dist. 23. c. in nomine.*
c *Ino par. 5. c. 80.*

XXVI. Percurre etiam, si placet, aliquot Epistolas Iuonis; & videbis, electiones Episcoporum multas à Clero & populo, illo tempore, Canonice peractas, præsertim verò vide Epistolas 97. 98. 104. 138. 144. 157. & alias. Et Metropolitani electionem ab Episcopis Prouinciæ fieri reperies in Epistola 149. Sed & paulo post Gerberti Abbatis, qui fuit postea Sylvester 2. electio in Archiepiscopum Remensem, facta est solenni decreto Episcoporum cleri, & populi, quæ sic habet: [d] Nos Episcopi Remorum Diœceseos, secundum has constitutiones, Patrum fauore, & conniuentia vtriusque Principis nostri Domini videlicet Augusti, & Excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum, qui Dei sunt in Clero & populo, eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum, &c.] Prius verò electio facta fuerat de persona Arnulfi, Regis Lotharij filij, in hæc verba; Nos qui dicimur Episcopi Diœceseos Remorum Metropolis, cum omni clero diuersi ordinis, populo acclamante, orthodoxis Regibus nostris consentientibus, eligimus nobis in Præsulem, &c. Arnulphum, &c.]

d *Vita Gerberti post. eius Epistolas.*

XXVII. Bernardi temporibus idem mos perseuerabat: Is enim commendat Papæ Honorio Albericum, in Episcopum Catalaunensem electum; [e] In cuius electionem, *inquit*, totus tam Clerus, quàm populus, pari voto, & voce conuenerant.] Et ad Gebennensem electum sic scribit: [f] Credimus electionem tuam esse à Deo, quam tanto Cleri, populique consensu, fuisse celebratam accepimus.] [g] Mediolanensis ciuitas plebs, & Nobilitas, confirmationem suæ electionis, Bernardi tempore, à Romano Pontifice obtinuerat.] Ad Sennonensem Clerum scribit idem, sede illa vacante, & ait: [h] Destituti Benedicto Pastore vestro, opus est, charissimi, vt de substituendo alio solicitè satagatis. — expectandum proinde suffraganeorum consilium Episcoporum, expectandus adsensus Religiosorum qui sunt in Episcopatu, atque in communi tractandum commune negotium: — nec sua, quod absit, solennitate, fraudetur tanti Sacerdotis rite celebranda electio.] Ecce paulatim iam populus cœperat excludi; sed Clerus adhuc eligebat. Idem apparet in Epistolis eiusdem Bernardi 275. 282. 329. & de consideratione l. 3. c. 2.

e *Bern. ep. 13.*
f *Idem ep. 27.*
g *Idem ep. 121.*
h *Idem ep. 202.*

XXVIII. Eodem tempore Petrus Blesensis succensuit, dum cerneret electiones Episcoporum clam fieri: nam soli Monachi Canonici Ecclesiæ Cantuarienſis, elegerant quendam in Episcopum, post Thomæ necem: [i] Ausa est, *inquit*, irrumpere vsque ad Religionis professores, magistra illa discordiæ, odij fomes, & occasio scandalorum; præsumptuosa scilicet vsurpatio, seorsim & singulariter eligendi: vt contempta & abiecta Episcoporum & Abbatum deliberatione communi, fieret electio furtiua clandestina, & consuetudini contraria, inimica legibus, damnata decretis, & moribus reprobata. — Sane pestis hæc, & aliæ innumerabiles, corpus Ecclesiæ generalis hodie inficiunt, & corrumpunt.] Narrat etiam idem, [k] se fuisse in Archiepiscopum Neapolitanum ab illa Ecclesia electum, & per maiores capituli communi decreto, & voto vnanimi postulatum: dignitatem tamen illam se respuisse.

i *Bles. ep. 27.*
k *Idem Bles. ep. 132.*

XXIX. Ioannes quoque Saresberiensis, eodem tempore, easdem Cleri & populi electiones, sæpius commemorat in suis Epistolis, nam in Epistola 52. populum quendam pastore destitutum, hortatur ad Canonicam electionem faciendam. Electionem quoque Richardi Cantuariensis, proximi Thomæ occiso dati successoris, narrat idem in Epistolis

[a] quas

A [a] quas nomine Episcopi Exoniensis, & conuentus Cantuariensis exarauit, ab Episcopis suffraganeis, præeunte desiderio & prece populi, secundum institutа sacrorum Canonum, fuisse factam. Sed iam à metis ad carceres iterum per Concilia redeamus; ad eosdem rursus per Romanos Pontifices redituri.

a Sareb. Epist. 298. 299.

XXX.

Quid in Concilio Nicæno in hoc genere statutum; quid in alijs Ecclesiasticis Comitijs, siue prius, siue posterius, circa dicti primi Concilij generalis tempora, Decretum sit, iam vidimus; nunc alia percurramus. Arelatense Concilium secundum, sub Syluestro, seu potius sub Siricio, statuit; [b] In ordinatione Episcopi hunc ordinem custodiri, vt primo loco, venalitate, vel ambitione submota, ab Episcopis nec nominentur, de quibus Clerici, vel Laici ciues, erga vnum eligendi habeant potestatem. Antiochenum sub Iulio decernit; [c] Non posse aliter fieri Episcopum, nisi in Concilio, & cum consensu Episcoporum, eorum duntaxat, qui post obitum illius qui præcesserit, habuerint potestatem, eum qui dignus fuerit prouehendi.] Laodicenum cap. 12. sic; [d] Vt Episcopi, iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam potestatem: ij videlicet qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quam rectæ conuersationis exemplo.] Carthaginense 3. cap 40. [e] Illud est statuendum, vt quando ad eligendum Episcopum conuenimus, si qua contradictio fuerit oborta, (quia sæpe talia facta sunt apud nos) non præsumant ad purgandum eum qui ordinandus est, tres tantum; sed postulentur ad numerum supradictorum duo vel tres: & in eadem plebe cui ordinandus est discutiantur primo personæ contradicentium, postremo illa etiam quæ obijciuntur pertractentur; & cum purgatus fuerit, sub conspectu publico, ita demum ordinetur.] Carthaginense 4. cap. 1. post enarratas qualitates futuri boni Episcopi: Si talis fuerit, inquit, [f] tunc cum consensu Clericorum, & Laicorum, & conuentu totius Prouinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani vel autoritate, vel præsentia ordinetur.]

b Concil. Arelat. 2. c. 35.

c Concil. Antioch. c. 27.

d Dist. 61. c. Episcopum & dist. 24. c. Episcop.

e Dist. 23. cap. Illud. & Concil. Afric. c. 17.

f Dist. 23. c. Qui Episcopus.

XXXI.

Patres Concilij primi Constantinopolitani, secundi generalis, libellum Synodicum ad Damasum, & Episcopos Occidentales miserunt; in quo multa commemorant, & notificant quæ ad instaurandam disciplinam Ecclesiasticam fuerunt in illo Concilio statuta. Inter hæc de electionibus ista habent: [g] De administrationibus autem quæ sunt cuiusque Ecclesiæ propriæ, cum vetus, vti nostis, lex est, tum sanctorum Patrum in Concilio Nicæno decisio, vt videlicet singularum Prouinciarum Antistites, vna cum finitimis, modo ipsis ita visum fuerit, Episcopis, Ministros ad Ecclesiarum commodum, in suis ipsorum Prouincijs ordinent. Ex cuius legis & decisionis præscripto, scitote tum alias quoque Ecclesias apud nos administratas esse, tum illustrissimarum Ecclesiarum Sacerdotes delectos. Vnde Ecclesiæ Constantinopolitanæ, recens, vt ita dicam ædificatæ, quanque ex hæreticorum blasphemia tanquam ex ore leonis per misericordiam Dei nuper eripuimus, reuerendissimum, sanctissimumque Nectarium, in Concilio generali, communi omnium consensu, præsente Theodosio Imperatore religiosissimo, totius denique Cleri, totiusque ciuitatis suffragijs, Episcopum constituimus. Ecclesiæ autem vetustissimæ, & vere Apostolicæ Antiochiæ, Vrbis Syriæ, in qua primo venerandum Christianorum nomen auditum est, Reuerendissimum & Sanctissimum Flauianum Episcopi illius Prouinciæ, & Diœceseos Orientalis, in vnum conuenientes, tota illa Ecclesia, vti Canon postulat, suffragante, & velut vno ore, virum illum honorificè collaudante, Episcopum ordinarunt: Quæ quidem ordinatio vti legitima, communi Concilij consensu, approbata est. Porro Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ est aliarum omnium mater, Reuerendissimum & Sanctissimum Cyrillum Episcopum, vobis ostendimus, tum ab Episcopis Prouinciæ, vti Canon vult, iampridem creatum esse, tum plurima prælia aduersus Arianos varijs in locis confecisse. Quibus rebus tanquam legitimè, & secundum Ecclesiæ Canones constitutis, obsecramus Vestram Reuerentiam vti congratuletur spirituali charitate nos mutuo deuincente.]

g Apud Theodor. l. 5. c. 9.

XXXII.

Concilium Aurelianense 2. circa tempora Vigilij, de electionibus hæc habet: [h] In ordinandis Metropolitanis Episcopis, antiquam institutionis formulam renouamus, quam per incuriam omnimodis vidimus amissam. Itaque Metropolitanus Episcopus à comprouincialibus Episcopis, Clericis, vel populis electus, congregatis in vnum omnibus Comprouincialibus Episcopis, ordinetur: vt talis Deo propitio ad gradum huius dignitatis accedat, per quem regula Ecclesiæ in melius aucta, plus floreat.] Tertium quoque eiusdem loci Concilium sic statuit; [i] Metropolitanus à Comprouincialibus Episcopis (sicut Decreta sedis Apostolicæ continent) cum consensu Cleri, vel ciuium, eligatur [k] quia æquum est, sicut ipsa sedes Apostolica dixit, vt qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur.

h Concil. Aurel. 2. c. 7.

i Concil. Aurel. 3. c. 3.

k Anicet. epist. 7. in. infra cap. 5. num. 9.

gatur. De comprouincialibus vero ordinandis, cum consensu Metropolitani, Cleri, & ciuium, iuxta priorum Canonum statuta, voluntas, & electio requiratur. A

XXXIII. a Concil. Arauer. c. 2.

In Aruernensi Canon est huiusmodi: [a] Placuit etiam vt sacrum quis Pontificij honorem, non votis quærat, sed meritis: nec Diuinum videatur munus comparare rebus, sed moribus: Atque eminentissimæ dignitatis apicem omnium conscendat electione, non paucorum fauore. Sit in eligendis sacerdotibus cura præcipua; quia irreprehensibiles esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis. Diligenter itaque quisque inspiciat prædium dominici gregis, vt sciat, quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Episcopatum ergo desiderans, electione Clericorum, vel ciuium consensu, etiam Metropolitani eiusdem prouinciæ, Pontifex ordinetur. Non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate subdola ad conscribendum decretum alios hortetur præmijs, alios timore compellat. Quod si quis fecerit, Ecclesiæ cui indignus præesse cupit, communione priuabitur.] B

XXXIV. b Concil. Aurel. 5. c. 10. 11.

In Aurelianensi vero quinto sic legimus, [b] Vt nullum Episcopatum præmijs, aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate Regis, iuxta electionem Cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus continetur scriptum, consensu Cleri ac plebis à Metropolitano, vel quem vice sua miserit, cum Comprouincialibus Pontifex consecretur.] *Item*; Sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum ciues aut Clerici, quod dici nefas est, inclinentur.] In Toletano quarto illud habemus: [c] Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ Ciuitatis elegit, vel autoritas Metropolitani, vel Comprouincialium sacerdotum assensus non exquisierit.] Et paulo post: Tunc secundum Synodalem, vel Decretalia constituta, cum omnium Clericorum, vel ciuium voluntate, ab vniuersis comprouincialibus Episcopis --- consecrabitur.

c Concil. Tolet. 4. c. 18. habetur. dist. 51. cap. fin.

XXXV. d Collec. Mart. Bracbar. c. 9. habetur. dist. 92. c. Si quis Epis.

Inter Canones Græcarum Synodorum, à Martino Bracharensi collectos, vnus morem hunc, vt à populo Episcopus eligatur, expresse supponit, dum sic habet: [d] Si quis Episcopus vacans, in Ecclesiam non habentem Episcopum, subripiens populos, sine concilio integri ordinis irruerit, etiam si populus quem seduxit desideret illum, alienum eum ab Ecclesia esse oportet. Integrum autem & perfectum Concilium dicimus illud, in quo Metropolitanus Episcopus fuerit.] Et in Cabilonensi ita statuitur: [e] Si quis Episcopus de quacunque ciuitate fuerit defunctus, non ab alio, nisi à Comprouincialibus, Clero, & ciuibus suis, alterius habeatur electio: sin aliter, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.] Quinisexta etiam Synodus [f] electionem Episcopi, ab omnibus Episcopis comprouincialibus faciendam esse agnoscit, fatetur, & statuit. Et Concilium Valentinum sub Leone 4. [g] electionem Cleri & plebis, ordinariam esse supponit. Ita quoque in Ticinensi Synodo sub Ludouico 2. Imperatore, inter alia cauetur, vt, vacante sede, [h] Primum quidem illius loci Presbyteri, vel cæteri Clerici, idoneum sibi Rectorem eligant: deinde populi, qui ad eandem plebem aspicit, sequatur assensus.] Et apud Bellouacum Synodus, à Carolo Rege, sub Nicolao primo congregata, Remensi Ecclesiæ pastorem dedit, electione facta, iuxta Ecclesiæ morem, quæ sic describitur; [i] Vnde à Clero & plebe ipsius Metropolis, sed & ab Episcopis eiusdem Prouinciæ petitus, sicut petitio eorundem manibus subscripta declarat, & ab Archiepiscopo tunc suo Senonensi, & proprio Episcopo Parisiorum, nec non etiam Episcopis Senonensis Prouinciæ, cum consensu Abbatis sui, & fratrum Monasterij in quo degebat, fauente etiam D. Carolo Rege glorioso, Episcopis Remensis Prouinciæ, & Clero, ac plebi ipsius Metropolis, per Canonicas literas ipsorum manibus subscriptas, quas patenter nobis ostendit frater Hincmarus, est traditus. Sicque de proprio ipsius Ecclesiæ Clero effectus, cum Decreto Canonico, eligentium manibus roborato, iudicio Metropolitanorum, & eorum qui circumcirca fuerunt, secundum Laodicense Concilium, præsentia, & vnanimi consensu omnium suffraganeorum ipsius Metropolis, astante quoq; Metropolitano suo, qui eum, consensu coepiscoporum suorum illis tradiderat, omnibus acclamantibus, nullo resultante, aut obdicente, canonice, & iuxta decreta sedis Romanæ Pontificum, veluti literæ nobis ostensæ, quas Africanum concilium ordinatum ab ordinationibus suis iubet accipere, monstrant, in ea est ordinatus.] In quodam Remensi Concilio sub Leone 9. Canon hic fuit positus, [k] Ne quis sine electione Cleri & populi ad regimen Ecclesiasticum proueheretur.

c Concil. Tolet. 4. c. 18. habetur. dist. 51. cap. fin.

d Collec. Mart. Bracbar. c. 9. habetur. dist. 92. c. Si quis Epis.

e Concil. Cabil. c. 10.

f Syn. Quinisex. c. 39.

g Concil. Valent. c. 7.

h Syn. Ticin.

i Apud Baron. tom. 10. an. 867 num. 18.

k Apud eund. Baron. tom. 11. in append.

XXXVI.

Variis tandem prætextibus, & forte non sine occasione, propter abusus introductos, plebem excludere ab electionibus multi sunt conati. Eam vero, non nisi cum maxima iniuria, & contra tot Ecclesiæ statuta excludi, inde vel maxime probatur; quod

A quod inuitis Episcopum nullo modo esse dandum, tota clamet antiquitas; & ratio suadeat vehementissimè. Quare & in Concilio Ancyrano antiquissimo, liberum esse plebi supponitur, vt possit Episcopum sibi, ea inconsulta, datum respuere: sic enim Canone illius 18. habetur; [a] Si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa Parochia, in qua fuerunt denominati, voluerintque alias occupare Parochias — hos abijci placuit.] Et Cyprianus supra num. 7. dicebat plebem maximè habere potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Et in Antiocheno Concilio Can. 18. supponit, plebem posse Episcopum sibi ea inscia ordinatum, recusare: Si quis, *inquit*, ordinatus non ierit in Parochiam, ad quam est ordinatus, non sua quidem culpa, sed propter populi recusationem, vel aliquam aliam causam quæ à se non oritur; is sit & honoris, & muneris particeps; dummodo nullam rebus Ecclesiæ, in qua conuenit, molestiam afferat. Eodem tempore Iulius, [b] Orientales Episcopos reprehendens, quod Episcopos plebibus acceptos expellerent, & alios inuisos, inuitis obtruderent; id contra Apostolicas Pauli, & Petri, ac Patrum traditiones esse docet: vt habes infra lib. 4. cap. 10. nu. 20. Et expressè Cælestinus Papa (quem [c] Ioannes quoque octauus secutus est) imò & [d] Pelagius declarat, licere Clericis refutare Episcopum, nec illum recipere, si ex alieno Clero is eis præficiatur; [e] Sit facultas, *inquit*, Clericis renitendi, si se viderint prægrauari; & quos sibi ingeri ex transuerso agnouerint, non timeant refutare. Qui etsi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debeat habere iudicium.] Qui & illud præmiserat; [f] Nullus inuitis detur Episcopus; Cleri, plebis, & ordinis consensus, ac desiderium requiratur.] Et exemplum infra habes de [g] Perigene. Leo sapientissimè, [h] Cùm de summi, *inquit*, Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postulant: ita vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio, is alteri præferatur, qui maioribus, & studijs iuuatur, & meritis: tantùm vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur; ne plebs inuita Episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit; & fiat minus religiosa quam conuenit, cui non licuerit habere quem voluit.] Item excessum Hilari reprehendens, qui præter ius, falsque Episcopos ordinabat, ait; [i] Traduntur ordinandi ad hoc officium ijs quibus præficiendi sunt, ciuitatibus ignoti: vt enim notus qui fuerit probatus per pacem petitur; ita per vim necesse est, qui ignotus adducitur, imponatur.] Sic & Concilium Parisiense primum; [k] Nullus, *inquit*, ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi, & Clericorum electio, plenissima quæsierit voluntate.] Idem repetit Concilium Aurelianense quintum. [l] Item, *inquit*, sicut antiqui Canones decreuerunt, nullus inuitis detur Episcopus, &c.] Ita etiam Ioannes Papa 8. infra num. 44. Non est itaque firma assertio Bellarmini, dum [m] nullum Conciliorum Decretum afferri posse dixit, in quo habeatur Episcopos à Clero, & populo eligi debere. Et quod dicimus de Electionibus plebi quoque pro sua parte dandis, intelligimus vbi vel leges de eiusdem quoque plebis consensu latæ non obstant; vel si Rex suppleat pro ipsa plebe, vt infra nu. 54. & lib. 6.

B C D

a *Dist. 92. c. 6.*

b *Apud Athanas. Apolog. 2.*

c *Infra num. 44.*

d *Infra c. 6. nu. 16.*

e *Celestin. ep. 1.*

f *Lib. de Abusiuis. Dist. 61. c. 13.*

g *Infra c. 6. nu. 13.*

h *Leo Ep. 88. habetur. Dist. 63. c. fin.*

i *Idem Leo Ep. 99.*

k *Concil. Paris. 1. c. 1. c. 8.*

l *Concil. Aurel. 5. c. 11.*

m *Bellar. de Clericis l. 1. c. 7.*

XXXVII.

Et quanuis immeritò, vt videmus, iam sit exclusa plebs ab electionibus suorum Episcoporum, Clerus tamen diutissimè in suo iure eligendi perseuerauit, & adhuc perseuerat, vbi nimia potentia, sanctissima iura, Apostolicamque, imo & Euangelicam traditionem, non extinxit. In Concilio Lateranense sub Innocentio tertio cap 23. electio Clericorum confirmatur. Innocentius ipse in sua Epistola 152. libri primi, de iure Canonum fatetur, electionem fieri in ipsa Ecclesia pastore viduata. Decretales recentiorum Romanorum Pontificum idem & supponunt, & confirmant, infra citandæ. Iam igitur morem priscum electionum, ex autoritatibus Romanorum Pontificum ostendamus.

XXXVIII.

Quid prisci Pontifices Romani, ante, vel circa tempora Concilij Nicæni, in hoc genere scripserint, iam posui in superioribus: Nunc præcipuos post illa tempora recensebo. Siricius de gradata prouectione Clerici, leges præscribens, vbi eum ad Diaconatum conduxit, ait; [n] Exinde iam, accessu temporum, Presbyterium, vel Episcopatum, si eum Cleri, ac plebis euocârit electio, non immeritò sortietur.] Bonifacius primus, [o] Cleri, & plebis Lutubensis Ecclesiæ querimonias audiuit, quod in electione Episcopi prætermissi fuerint. Cælestinus, vt supra, plebem, & Clerum inclusit. Leo præter grauissimum ipsius quod paulò antè retuli dictum, habet de hac re, & alia, videlicet; [p] Expectarentur certè vota ciuium, testimonia populorum; quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab ijs, qui norunt Patrum regulas custodiri; vt Apostolicæ autoritatis norma in omnibus seruaretur, qua præcipitur, vt Sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non sòlum attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt testimonio,

n *Siric. Ep. 1. c. 9.*

o *Bonif. 1. ep. 3.*

p *Leo Ep. 93. habetur. Dist. 63. c. Vota.*

muniatur, neque vllius scandali relinquatur occasio, cum per pacem & Deo placitam concordiam consonis omnium studijs, qui Doctor pacis futurus est, ordinatur. — per pacem & quietem Sacerdotes qui præfuturi sunt postulentur, teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, & plebis,] Congratulatur etiam Episcopis Prouinciæ Arelatensis, quod post Hilarium [a] ordinarint Rauennium, secundum desideria Cleri, honoratorum, & plebis.] *Item*, [b] Nulla ratio sinit vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Prouincialibus Episcopis, cum Metropolitani iudicio, consecrati. Vnde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem Clerici, ab istis pseudo-Episcopis, in eis Ecclesijs ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum, cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis Ecclesijs perseuerent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec autoritate munita.] *Item*, [c] Metropolitano, *inquit*, defuncto, cum in locum eius alius fuerit subrogandus, Prouinciales Episcopi, ad Ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium Clericorum atque omnium ciuium voluntate discussa, ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus, optimus eligatur.]

a *Apud Baron. tom. 6. an. 449. n. 59.*
b *Idē Leo ep. 95. habetur dist. 62. ca. 1.*
c *Idē Leo ep. 88. habetur dist. 63. ca. 19.*

XXXIX.

Hilarius quoque Papa populorum petitionem supponit, dum monet Tarraconenses dicens; [d] Nec tantum putetis petitiones valere populorum, vt, cum ijs parere cupitis, voluntatem Dei nostri, qui nos peccare prohibet, deseratis.] Vbi videlicet populus indignum petit. Gelasius electionem à paucis ex populo factam, reprehendit: [e] Cum ad vos, *inquit*, pertineat vniuersos assidua admiratione compellere, vt omnes in vnum, quem dignum Sacerdotio viderint, & sine aliqua reprehensione, consentiant. Et ideo Fratres Carissimi diuersos ex omnibus sæpe dicti loci Parochijs Presbyteros, Diaconos, & vniuersam turbam vos oportet sæpius conuocare; quatenus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis, talem, vobis admonentibus, sibi quærant, sola Diuinitatis attentione, personam, quam nulla contrarietas à constitutis possit reuocare præscriptis.] Et Hormisda; [f] Istam, *inquit*, Sacerdotibus ordinandis reuerentiam seruet electio, vt in graui murmure populorum, Diuinum esse credatur iudicium; ibi enim Deus, vbi simplex, sine prauitate, consensus.] Agapetus de Mennę Constantinopolitani electione hæc habet, in Epistola ad Petrum Hierosolymitanum: [g] Hoc autem, pro excitando vestræ conspiritualitatis lætitiam, significo, quia Mennam fratrem, & Coepiscopum nostrum, virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constantinopolitana Ecclesia Episcopum suscepit: cui licet præter cæteros, Serenissimorum Imperatorum electio arriserit, similiter tamen & totius Cleri, ac populi consensus, accessit; vt à singulis elegi crederetur.] Stephanus Romano Rauennati scribit; [h] Nosse tuam fraternitatem volumus, ad nostras aures fore peruentum, Imolensem Episcopum ab hac luce migrasse, in cuius successoris electione, populi diuisionem prouenisse audiuimus. Quod quia sæpe contingere solet (quærentibus singulis quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi) non adeo miramur; Veruntamen in hoc tuam plurimum oportet adhiberi solicitudinem, vt conuocato Clero, & populo, talis ibi eligatur per Dei misericordiam, cui sacri non obuient canones. Sacerdotum quippe est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est: qui docendus est populus, non sequendus.] hoc est; consensus ipsius est omnino expectandus; non tamen semper persona quam proponit promouenda; quia sæpe indignos promouet. Pelagius similiter requirit, [i] Vt Episcopus eligatur ab omnibus, ex Clero, & populo, in illa Ecclesia, in qua est sessurus.

d *Hilar. ep. 1.*
e *Dist. 63. cap. Plebi.*
f *Hormis. ep. 60*
g *Agapet. ep. 5.*
h *Dist. 63. cap. Nosse.*
i *Dist. 63. c. Literas, & 24. q. 1. c. Prudenda.*

XL.

Gregorius Magnus, eiusdem moris in electionibus fuit obseruantissimus; eumque sæpissime; vt seruaretur, inculcauit. [k] Monendos sane curat habitatores ciuitatis Ariminens. vt excluso quodam Odeatino, in alterius electionem declinent. Idem præstat cum Perusinis [l] vt perquirant vnum, qui Pastoris ministerium possit suscipere. Cum [m] Clero item, ordine, & plebe Vianensis Ecclesiæ, necnon [n] Neopolitanæ, [o] Cumanæ [p] Squillatinæ, [q] Crotonienſis. His enim sedibus vacantibus, electionem personæ expectat, à Clero, & plebe singularum faciendam: nec omnino ad consecrationem vult procedere, nisi earum præcedat electio; & personam electam ad eum transmittant consecrandam, tanquam ad proprium Metropolitanum. Atque vt insignis, tanti Pontificis, obser-

k *Greg. l. 1. ep. 55. 56.*
l *Ibid. ep. 58.*
m *Ibid. ep. 78.*
n *Lib. 2. Ind. 10 ep. 3.*
o *Ibid. ep. 19.*
p *Ibid. ep. 26.*
q *Ibid. ep. 27.*

A uantia, in hoc sacrorum Canonum appareat, vnum aut alterum eius dictum placet hic referre. Vacante iterum sede Neapolitana, Ecclesia illa suo decreto elegerat Florentium Subdiaconum Romanum; is verò vt onus declinaret, aufugerat ex Vrbe: scribit itaque Gregorius Scholastico Iudici Campaniæ, & ait, [a] Atque ideo salutantes hortamur magnitudinem vestram, vt conuocantes priores, vel populum Ciuitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus possit, cum Christi solatio, ad Sacerdotium promoueri. In quo decreto solemniter facto, atque ad hanc Vrbem transmisso, ordinatio illic tandem, Christo auxiliante proueniat. Sin autem aptam non inuenietis, in quam positis consentire personam, saltem tres viros rectos, ac sapientes eligite, quos ad hanc Vrbem, generalitatis vice, mittatis; quorum & iudicio plebs tota consentiat. Fortitan huc venientes, præstante Dei misericordia, talem reperient, qui vobis Antistes irreprehensibiliter ordinetur: quatenus destitutæ ciuitatis vestræ, nec intrinsecus actuum suorum desit inspector, nec extrinsecus adhibita solicitudine Sacerdotis, hostilibus aditus præstetur insidijs.] Etiamsi ex Romana Curia petendus sit Episcopus, illum vult eligi ab ipsa plebe per suos missos, & procuratores. Sedi quoque Mediolanensi de Pastore erat prouidendum: Clerus Mediolanensis Constantium Diaconum illius Ecclesiæ elegerat; idque Gregorio significarat. Respondet Gregorius: [b] Veruntamen, *inquit*, quia antiquæ meæ deliberationis intentio est, B ad suscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius vnquam misceri persona, orationibus prosequor electionem vestram, &c.] Et ad finem: Latorem verò præsentium, *inquit*, Ioannem Subdiaconum nostrum, ad hoc, Deo fauente, transmisimus, vt electum vestrum, sua imminentia, cum Dei omnipotentis solatio, secundum morem prædecessoris eius, faciat Episcopum consecrari. Nam sicut ab alijs nostra exigimus, ita singulis sua iura seruamus.] Non promulgarat profecto Gregorius Regulas Cancellariæ; Non fecerat reseruationes omnium Cathedralium: Id enim sciebat esse aliena iura [c] vsurpare. Electiones C porro has ad Clerum & plebem spectare, in alijs etiam multis Epistolis aperte profitetur Gregorius: nimirum eodem Lib. 2. Ind. 11. Epist. 22. 26. 30. 31. 35. 46. Lib. 3. Ind. 12. Epist. 39. Lib. 4. Ind. 13. Ep. 19. 22. 23. 45. 47. Lib. 5. Ind. 14. Ep. 7. 13. 21. Lib. 6. Ind. 15. Ep. 16. 39. Lib. 7. Ind. 2. Ep. 25. 26. 49. 50. 51. 52. 87. 88. 96. Lib 8. Ind. 3. Ep. 34. 40. 65. Lib. 11. Ind. 6. Ep. 14, 16. 17. Lib. 12. Ep. 6. &c. Et Metropolitanos in Concilio Episcoporum Prouinciæ eligi testatur idem Gregorius, Lib. 1. Ep 72.

Bonifacius tertius voluit [d] electionem Episcopi à Clero pariter & populo fieri, à Principe verò & Papa approbari. Sancta quippe institutio, *inquit Platina*, & pernecessaria, nostris præsertim temporibus, quibus in peius omnia dilabuntur; est enim simile veri, Clerum, & populum, ac Principem Ciuitatis, si libera suffragia sunt, non alium electuros, quam qui meritò possit, & debeat alijs præesse.] Et in Conone Papa reprehenditur [e] quod, D vltra consuetudinem, absque consensu Cleri, ex immissione malorum hominum, in Antiochia, seu Antiparia, Episcopum constituerit. Ita Nicolaus 1. Rauennati Episcopo, eam dat normam, [f] Vt Episcopos per Aemiliam non consecret, nisi post electionem Cleri, & populi.] Et Episcopis in Regno Lotharij hæc scribit: [g] Quapropter præcipimus vobis, vt suggeratis — Regi — quatenus ex se eligendi, iuxta sacros Canones, Episcopum, Clero & Plebi ipsius Ecclesiæ (*Cameracensis*) licentiam tribuat.] Et occupatori dictæ sedis Cameracensis Hilduino, præcipit, vt discedat; [h] Vt talis, *inquit*, à Clero, & plebe, ipsius Ecclesiæ eligi, & ab Archiepiscopo Remorum consecrari possit; qui in nullo à Sanctis Canonibus reprehendatur.]

Et quoniam qui excludunt plebem nostri, ab electionibus Episcoporum, plebis partes non alias ponunt antiquitus, [i] nisi vt testimonium reddat de vita & moribus promouendi; vt errare se cognoscant, si non sint satis tot testimonia iam allata, in quibus multo plus E tribuitur plebi quam tale testimonium; legant acta Concilij Chalcedonensis, [k] in quibus ordinarius Ecclesiasticus mos electionum peragendarum exactè discutitur; in ijs verò decretum etiam publicum intercedebat: vt habes infra lib. 4. cap. 4. nu. 8. Legant etiam Alcuinum, vbi sic scribit; [l] Cum Episcopus Ciuitatis fuerit defunctus, eligitur alius a Clero seu populo, fitque decretum ab illis, & veniunt ad Apostolicum (*hoc est ad Primatem Regni, seu Metropolitanum*) cum suo Electo, deferente secum suggestionem, hoc est, rogatorias literas, vt eis consecret Episcopum.] Vbi satis apparet electio vera, & proprio etiam decreto firmata. Ita supra num. 15 in Martini Turronensis electione plebs concurrit ad ferenda suffragia: & num. 19. Eradij electio à plebe, stipulato per publicum Notarium Instrumento, peracta est: & num. 22. fuit Alexandrinus Episcopus decreto populi

a *Greg. l. 2. ind. 11. ep. 15.*

b *Ibid. ep. 19.*

c *Dist. 12. c. Nos.*

XLI.

d *Platin. in Bonif. 3.*

e *Anastas. in Conone. & apud Baron. tom. 8. ann. 686. nu. 6.*

f *Dist. 63. c. Episcopos.*

g *Nicol. ep. 63.*

h *Idem ep. 65.*

XLII.

i *Sanct Senonens. biblioth. l. 5. annot. 118. & Bellar. de Cler. l. 1 c. 7. & c. 9.*

k *Concil. Chalced. act. 16.*

l *Alcuin. de diuin. off. c. 36.*

inthronizandus: & num. 25. Decretum solenne populi in electione Episcopi requiritur, & num. 35. Decretum ponitur Canonicum, cum roboratione manuum eligentium: & num. 38. Leo quoque Magnus subscriptionem populi requirit, pro Episcopi legitima electione. Et num. 40. Gregorius quoque Cleri, & populi decretum requirebat. Et infra num. 44 Ioannes 8. & num. 45. Gregorius 7. idem postulant Decretum. Et in Hincmari electione Decretum fuisse factum, habes infra cap. 12. num. 46. Decreti porro formulam qualis erat tempore Nicolai primi, in vsu, habemus prænanibus apud Baronium, quæ talis est, corrosa tamen, & nonnihil corrupta: [a] Decretum Cleri & plebis. Vniuersalis Ecclesiæ Sacrosanctis Patribus, præcipueque illius Diœcesis Præsulibus, Ecclesia illa vnanimitas, scilicet totius Cleri & plebis, submissæ deuotionis obsequium in Domino. Ad aures vestræ Beatitudinis peruenisse iam nouimus, excessum primi patris, & pastoris nostri ...., & qualiter Ecclesiæ sibi credita præstantissimo pastore sit viduata, plurimis terrarum finibus manifestum esse comperimus. Et ideo lacrymabiliter preces vnanimis supplicationis vestræ Paternitati mittimus, vt nobis in substituendo pastore, morem Patrum, & Pastorum, Beatorum Pontificum imitante, paternum nobis ferre auxilium ..... humiliter poscentibus..... tum moribus & scien..... autoratum comperimus, illum glorios... .... decubante, eiusque seruitus immorantem nobis expetiuimus .... postulauimus habendum, & per Domini misericordiam quæsiuimus .... Et cum Diuina miserante clementia, cui eiusdem postulationis denuo .... beneuolum, atque concordem, prænominatum nostræ humanitatis effecit Regem, iuxta hoc quod Scriptura testatur, dicendo; [b] Cor Regis in manu Domini est. Quocunque voluerit vertet illud, totius Ecclesiæ, Cleri scilicet plebisque, in eiusdem præclarissimi viri electione.... est deuotio, vnus idemque assensus, in nulla dissimilis acclamatio; sed sicut nobis vnus est Dominus, vna fides, vnumque baptisma; ita & nobis omnibus in supradicti electione, Pontificalisque ordinis consecratione, atque substitutione, vnum est per omnia velle, & nullum extraneum appetere: quin totius Ecclesiæ voce præsenti decreto concorditer & consonanter Ecclesia... mando verum memoratum non simplici, sed multiplici sermone, cordis & corporis deuotione, nobis Pastorem eligere, eumque idoneum, quantum nostræ fragilitati nosse conceditur, tanto Pontificio esse, sicut voce fatemur, ita omnium nostrorum subscriptionibus deuotissime roboramus, & communi annotationis decreto Domini Misericordia præduce, diuturnitate temporum nobis pastorem habendum eligimus, & optamus; More quoque canonico sub Gestorum serie confirmamus.] Habemus ibidem formulam etiam consecrationis. Sed de incommodis harum popularium electionum dicam aliquid infernus. Pergamus tamen alios Pontifices recensere, qui Cleri, & populi electiones agnoscunt, & admittunt.

a *Apud Baron. tom. 10. an. 866 num. 85. 86.*

b Prou. 21.

A B C

XLIII.

Adrianus 2. proximus Nicolai successor; [c] Actardum, *inquit ad Carolum Regem scribens*, venerabilem Antistitem, legatum vestrum; de quo & nos olim vobis mandauimus, & vos vestris apicibus, nostræ clementiæ direxistis, sicut & Synodus expostulauit, plebs, & Turonicus Clerus concorditer elegit; iam constituimus per nostræ Apostolicæ autoritatis decretum, Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiscopum Turonicæ Prouinciæ.

c *Apud Baron. tom. 10. an. 871 num 106.*

D

XLIV.

Ioannes 8. [d] vehementer obiurgat Archiepiscopum Berdunensem, quod noluerit consecrare in Episcopū Viēnen. illum, qui à Clero & populo ciuitatis electus fuerat; quēq; Rex etiam suo assensu firmarat. Obijcitque ei decreta Cœlestini & Leonis, quæ supra habes num. 36. atque inculcat, dandum non esse Episcopum inuitis: posseque plebem refutare Episcopum, quem ipsa non elegerit. Dissensionem quoque in Ecclesia Vercellensi, dum plebs in duas diuisa partes, duos elegerat, narrat idem Pontifex; [e] & rogat Regem, vt, in gratiam ipsius, Gospertum Diaconum in sede illa collocet. Priuauerat etiam idem Pontifex Archiepiscopum Mediolanensem, indeque hoc pacto ad Clerum illius Ecclesiæ scripsit: [f] Iubemus vt omnes vno animo, vnoque voto conuenientes, atque conuocantes Pastores, vel populum ciuitatis, de electione alterius, qui de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus dignior fuerit repertus, cum Christi solatio, ad Archiepiscopatus honorē promoueatis. Quo scilicet decreto solenniter facto, atq; ad hanc Vrbem transmisso, ne antea quoslibet Episcoporum aliquem ibidem ordinare præsumat, antequam nobis omnia fuerint enunciata: Cum Deo fauente nos ibi, secundum morem pristinum, & secundum Regiam concessionem, velimus Archiepiscopum consecrare.] Eundem Cleri & populi consensum in electione Episcopi, idem etiam requirit in Epistola 260. & 304.

d Io. 8. ep. 70.

e Idem ep. 171. & 197.

f Idem ep. 220.

E

Gregorius

A Gregorius septimus Clero, & populo Ferretano, atque Eugubino, Episcopo carentibus, scribit, se ad eos missos suos dirigere; [a] Vt si fortè, *inquit*, in Ecclesia vestra talis persona, quæ huic regimini congrua sit, reperiatur, diligenter inquirant; & eam, sicut dignum est, vestra electione collaudatam, & Canonico decreto probatam, nobis ad ordinandum præsentare studeant.] Hic quoque Pontifex sæpè alias & Cleri, & populi electionem legitimam esse agnoscit, præsertim lib. 1. Ep. 35. 36. lib. 2. Ep. 50. lib. 5. Ep. 3. 5. 8. 11. lib. 6. ep. 21. lib. 8. Ep. 13. 18. 19. 20. lib. 9. Ep. 18. & alijs. Et celebre est Decretum eiusdem in sua quadam Romana Synodo, quod sic se habet; [b] Quotiens defuncto Pastore alicuius Ecclesiæ, alius est ei Canonicè subrogandus, instantia Visitatoris Episcopi, qui ei ab Apostolica, vel Metropolitana sede directus est; Clerus, & populus, remota omni sæculari ambitione, timore, atque gratia; Apostolicæ sedis, vel Metropolitani sui consensu, Pastorem sibi, secundum Deum eligat. Quod si corruptus aliquo vitio, aliter agere præsumpserit, electionis perperam factæ, omni fructu carebit; & de cætero nullam electionis potestatem habebit; electionis verò potestas omnis in deliberatione sedis Apostolicæ, siue Metropolitani sui consistat. Si enim is, ad quem consecratio pertinet, non ritè consecrando, teste B. Leone, gratiam benedictionis amittit, consequenter is, qui ad prauam electionem declinauerit, eligendi potestate priuatur.] XLV.

a Greg. 7. l. 2. Ep. 41.

b Idem post Ep. 14. lib. 7.

B

Innocentij secundi publicum est Decretum in quadam Synodo, cap. 28. [c] Ne Canonici excludant ab electionibus viros religiosissimos, sed eorum consilio, honesta, & idonea persona, in Episcopatum eligatur.] Viros ego religiosos, intelligo laicos pios, & prudentes: Monachi enim non vocabantur tunc, per antonomasiam, religiosi. Glossa intelligit Clericos ciuitatis: vel Prælatos Episcopatus. Nomine tamen Canonicorum includitur totus Clerus, vt exposui lib. 2. cap. 9. XLVI.

c Dist. 63. c. Obeuntibus.

C Vrbani secundi tempore, electio similiter erat Cleri, & populi: nam depositio Gaufrido Episcopo Carnotensi, per Vrbanum, Clerus, & populus ab Vrbano monitus, Iuonem elegit: & quia Sennonensis Archiepiscopus recusauit illum consecrare, Vrbanus ipse illum consecrauit. Ita enim scripsit idem Pontifex ad Clerum, & populum Carnotensem: [d] Bonam animi vestri voluntatem præuenientes, ac subsequentes, venerabilem virum Iuonem Presbyterum, quem Gaufrido per nos depositio, Catholicè, atque Canonicè, secundum nostra monita, elegistis — consecrauimus.] Et in Bullis dictæ consecrationis, sic loquitur Vrbanus. [e] Quoniam, vt credimus, diuino te nutu vocante, Clerus, & populus Carnotensis Ecclesiæ, vnanimiter elegerunt Rectorem, &c.] Et ad Sennonensem Archiepiscopum de eodem scribens idem ait; [f] Carnotenses, venerabilem Presbyterum Iuonem, Canonico ordine, in Episcopum elegerunt.] XLVII.

d Apud Iuonem Ep. 1.

e Ibid. Epi. 3.

f Ibid. ep. 2.

D Alexander tertius, erecta tunc primum Ecclesia Alexandrina Cisalpina, in Cathedralem, ipse primum Episcopum ei dedit; quia tamen sensit se id contra Canones fecisse, factum excusat; & remedio occurrit, hoc pacto; [g] De nouitate, & necessitate processit, quod, præsente Nuncio Mediolanensis Ecclesiæ, nulla præcedente electione, autoritate nostra, vobis & Ecclesiæ vestræ electum, prouidimus (*scribit ad Clericos dictæ Ecclesiæ Alexandrinæ:*) & ideò ne possit ex hoc vobis, vel successoribus vestris præiudicium fieri, autoritate vobis Apostolica duximus prouidendum. Ea propter dilecti in Domino filij, præsenti scripto statuimus, vt ex hoc vobis non præiudicetur in posterum, quo minus, obeunte electo qui nunc est, & suorum quolibet successorum, vos, & successores vestri, de Episcopis vestris electionem liberam habeatis; sicut Canonici Ecclesiarum Cathedralium, quæ Mediolanensi Ecclesiæ subiacent, habere noscuntur.] Iam incipiebat populus excludi. XLVIII.

g Apud Baron. in append. tom. 12. ad an. 1179.

E Innocentius tertius sæpissimè inculcat, vt electiones fiant à Clero, & capitulis Ecclesiarum, iuxta Canonum statuta, & antiquam consuetudinem, vt habemus in multis ipsius Epistolis, lib. 1. Ep. 16. 17. 18. 76. 79. 152. 177. 411. 412. 453. 454. 537. lib. 2. Ep. 52. 176. 181. 184. 265. & alijs. Certè populum etiam inclusit, lib. 1. Ep. 366. & fatetur lib. 2. Ep. 271. secundum statuta Canonica, electiones Episcoporum ad Cathedralium Ecclesiarum Clericos regulariter pertinere. Pleni verò sunt libri sex Decretalium, & Clementinæ, & Extrauagantes, Decretis, in quibus electio tota Episcoporum ad Clerum spectat Ecclesiarum. Quæ sæpissimè, vt verum est, fatentur, & inculcant Canonicas electiones, à Capitulis fieri Canonicorum: toto præsertim titulo de electione. Alia quoque præter hæc, nec pauca videbis in sequentibus testimonia, electiones Cleri, & populi confirmantia. Neque electiones hæ turbatæ fuerunt, nisi postquam summi Pontifices, postremis fermè temporibus, primum quidem commendare cœperunt Canonicis personas eligendas; deinde præ- XLIX.

ceptum addiderunt ; ad extremum reseruationes fecerunt. De quibus reseruationibus non nisi post tempora Clementis 3. & Sexti Decretalium editionem, fieri solitis, agam plene l. 9. c. 8. earumque ostendam iniustitiam manifestam: Dicam etiam aliquid intra postremo capite huius libri. A

L. Contra verò hunc morem electionum, quatenus Laicos & plebem includit, non diffiteor, in Ecclesia interdum fuisse reclamatum ; abususque non leues, ex plebis leuitate, electiones sæpe aut turbasse, aut deturpasse ; vt visum est in aliquot exemplis iam à me productis ; Vbi per seditiones illæ interdum, non sine schismate, factæ sunt. Et quia contingebat, vt plebs Laicos sæpe, contra statuta Canonum, ad Episcopatum posceret, ne id fiat acrius monet Cœlestinus, neue in hoc plebi inscitiæ & imprudenti mos geratur. [a] Docendus, *inquit*, est populus, non sequendus ; noscque si nesciunt eos quid liceat, quidue non liceat commonere, non his consensum præbere debemus.] Non itaque auferendam censuit Cœlestinus potestatem eligendi, sed moderandam: vt, qui præsunt Episcopi, plebem instruant, quales personas debent eligere, & quales non sint iuxta Canones, eligendæ ; vt, correcta mala electione, aliam bonam faciant. Atque hoc sibi voluit etiam Concilium Leodicenum, quando sic statuit ; [b] Permittendum non est turbis, eorum electionem facere, qui sunt ad Sacerdotium promouendi.] Hoc est non esse permittendum vt plebs absolute semper suam voluntatem expleat, circa personarum electiones ; vbi videlicet, contra Canones, personas etiam inhabiles eligit. In quo sensu Canonem hunc intellexit Martinus Bracarensis : in sua enim collectione cap. 1. hoc pacto eum ponit: [c] Non licet populo electionem facere eorum qui ad Sacerdotium promouentur : Sed in iudicio Episcoporum sit, vt ipsi eum probent, si in sermone, & fide, & spirituali vita, edoctus sit.] Per electionem itaque intelligit etiam approbationem. Simplex itaque electio relinquitur iure communissimo plebi : dummodo electi approbatio vel reprobatio non spectet ad Plebem, sed ad Episcopos ordinatores. B C

a *Dist. 62 cap. Docendus.*

b *Dist. 63. cap. Non est.*

c *Dist. 63. cap. Non licet.*

LI. Electionem itaque pura & simplex Ecclesia, non distinxit olim, à nominatione simplici, vel præsentatione, aut postulatione ; neque in electione vllum ius acquiri censuit electo super quo lites & iurgia essent excitanda. Antequam enim ordinaretur Episcopus, & in sede collocaretur ab Episcopis, vel Metropolitano, plebis vnanimis consensus quærebatur ; & si studia in contrarias partes essent diuisa, ad vnionem vt redigerentur, Episcopi ipsi, & ordinatores fatigebant. Ac demum si plebem componere non potuissent, absque vlla competitorum lite, quem magis idoneum ordinatores censebant, plebique non inuisum, illum consecrabant, vt ex supra allatis tot electionum exemplis & autoritatibus, satis constat. Neque ego, tanto cum rigore contendo, plebis electionem ius dare electo ; aut adeo necessarium, vt interdum etiam, vbi persona Diuino aliquo iudicio sit approbata, non possit, citra expressum plebis consensum, ordinari: Ait enim Cyprianus, ad Clerum & plebem suam scribens ; [d] In ordinandis Clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum, communi consilio, ponderare ; sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt Diuina suffragia.] Ordinariè tamen innotescere Pastor plebi debet, antequam ordinetur ; non solum vt si vitia eius plebi nota sint, aduerso testimonio excludatur ; sed etiam, vt postea ament, & obseruent illum, in cuius ordinationem consenserint, neque auerso in eum sint animo, vt Leo supr. num. 36. considerabat, si sibi inscię, ac multo magis si sibi inuitæ præficiatur: loquor de plebe Catholica & fideli. Nam cum primum alicui plebi Episcopus ordinatur, & mittitur ad eam conuertendam, non est necesse ipsius expectare assensum : imo vt plurimum inuitis etiam est dandus Pastor : & gentibus Euangelio reluctantibus, Apostoli Euangelistæ accesserunt: Fidelis tamen plebs debet, saltem tacitè in suos Pastores consentire. D

d *Cyprian. l. 2. ep. 5.*

LII. [e] Fecerunt id, *inquit Sixtus Senensis*, olim tempore Leonis Papæ, & Apostolorum temporibus, in electione Matthiæ ; tunc enim hoc facilè multitudini fidelium donari poterat, quando fidelium populus erat moderatus, grauis, & publicæ vtilitatis studiosissimus. Nunc autem cum plebs [f] Bestia sit multorum capitum, factionibus, & seditionibus semper intenta, id ipsum, non nisi maxima Ecclesiæ perturbatione, concederetur.] Obiectio hæc non esset contemnenda, si plebi daremus & electionem, & vltimum complementum ; ita vt electio sola plene faceret Episcopum : eo modo quo bestia aliquot capitum, & si minor mole, quam sit plebs ; maior tamen humanis, si non & Diabolicis inuentis, & perturbationibus, in sola [g] electione, ad modum Principatuum temporalium, ponit completam Romani Pontificis institutionem : vnde tot mala, & turbulenta schismata sunt E

e *Sixt. Senens. Biblioth. l. 5. annot. 118. & Eckius etiam de prim. Pet. l. 3. c. 28.*

g *Almain. de potes. Eccl. & Laic. q. 2. ad cap. Occam. 10. 11. 12. & alij.*

A ta sunt toties exorta. Nos verò electionem, cum Sanctis Patribus, & Concilijs, ponimus in Clero & plebe, quæ ad summum solius nominationis, aut præsentationis, siue postulationis, vim habeat, aut etiam solius consensus. In ordinationibus verò totam dicimus consistere potestatem missuam Sacerdotum, quod & probauimus lib. 2. cap. 1. nu. 7. & cap. 2. num. 11. 12. & c. 5. nu. 21. & consequenter in consecratione seu missione, tota consistit Episcoporum institutio. Ab his ergo ordinatoribus docenda plebs est, non sequenda, vt supra monebat Cœlestinus; & conandum his est, vt consensum saltem plebis habeant, vel tacitum, si non expressum, ita tamen vt inuitæ Pastor non obtrudatur.

LIII. Ac verum quidem est plebem esse bestium multorum capitum, & ad seditiones paratissimam; sed hoc vitium, circa electiones hasce, plebi fidei innatum non est; quæ non minus nunc, quam olim, moderatione grauis esset, in electionibus, ac publicæ vtilitatis studiosissima, si Episcopi essent, qui olim in pura Ecclesia fuerunt, & Episcopatus onus esset non honor, neq; occasio superbiendi: ac supercilios us fastus esset ab Episcopis nostris, vt olim, remotissimus. Sic enim sæpe fortasse, vi etiam adhibita à plebe essent idonei ad Episcopatum vel inuiti vt olim trahendi, & cogendi. Postquam verò res inuersa est, & Episcopatus cæpit esse plerisque in locis, ac præsertim in nostris Ecclesijs, Mundanus fastus, certatimque potentes ambitione stimulante ad illum animum adiecerunt, malis artibus plebem corruperunt, & ad seditiones incenderunt. Reducatur Episcopatus ad suum verum statum, & moderatissimam vt prius in suis electionibus plebem experiemur. De vero autem Episcopali statu citra abusus & pompas mundanas agam postea lib. 9.

LIV. Atque vt dissensiones huiusmodi, & seditiones vitentur, postquam iam ipsis ampla, vt dixi, data est occasio, optimè & meritò factum est, vt Reges, & Principes temporales, tanquam suæ plebis præcipui protectores, & generales procuratores, electiones, pro ipsa, & C loco ipsius, peragant, sic enim neque plebs multorum capitum bellua turbat electiones; neque interim ipsa suo iure, in quo ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, vt ostendi, est stabilita, priuatur. Reges verò suæ plebis iure vti, non est nouum, neque rectæ dissonum rationi: Quos etiam [a] Gregorius, & [b] Bonifacius tertius, in electionibus admisit: & merito admittendos esse pluribus ostendam lib. 6. Et sanè Monarchiæ visibilis assertor Sanderus, Regibus id negare non potuit: ait enim; [c] Præterea in omnibus Regnis Christianis, videmus hoc fieri, vt Rex eum, prærogatiua suffragij sui donet, quem Episcopatui præesse optat: Rex autem per tacitum populi consensum, in ea re, totius populi, cuius gubernator à Deo constitutus est, personam gerit. Si ergo, quem Rex nominat, eundem postea Clerus elegerit, iam salua sunt omnia; nec aliquid aut de populi, aut de Cleri priuilegijs perit. Nam loco plebis, & omnium Laicorum, Rex interponit autoritatem suam.] Hæc optimè Sanderus. Ideo in Concilio Toletano 12. [d] statutum fuit vt quem Rex nominaret, eum posset Toletanus solus consecrare. Et Innocentius 3. [e] Rheginum, & [f] Capuanum Episcopos, ordinari non vult, nisi præuio ipsius Vice Regis assensu. Regnum enim Neapolitanum est feudum temporale, vt aiunt, sedis Apostolicæ. Et expresse [g] Principis assensum in electionibus expectandum esse idem confirmat: & ante illum proximus [h] Cœlestinus; Et hoc confirmat etiam Canonum collector [i] Gratianus. Quod verò interdum Canones ab electione Laicos & ipsos Reges, ac Principes conentur [k] remouere, nihil his obstat. Id enim faciunt, ne Reges soli, excluso Clero, ad electiones procedant; neue illi, absque vlla Ecclesiastica discussione, & confirmatione, cogant illum, quem ipsi velint, [l] consecrari: audeant, absque Ecclesiasticorum opera, Episcopum, in throno collocare; eique Episcopalem tradere potestatem; vt lib. 6. cap. 9. pluribus differemus, agemusque de potestate Principum in electionibus, & inuestituris.

a Greg dist. 63. c. Quia. & cap. Romana. & seq.
b Plat. in bonif. 3.
c Sander. de visib. Monar. l. 1. c. 7. obiect. vlt.
d Concil. Tolet. 11. c. 1.
e Innoc. 3. l. 2. ep. 165.
f De elect. c. Cum inter.
g Innoc. 3. l. 1. ep. 96.
h De elect. 1. Cum terra.
i Dist. 63. c. 25 § Electiones.
k Dist. 63. c. ep. Porro. & Concil. Auer. c. 2. & seqq.
l Glos. in cap. Porro. dist. 63.

LV. Potuit profectò olim plebs, dum eligebat, non parum errare, ex varijs humanis affectionibus, vt supra Origenes, num. 8. Nazianzenus, num. 12. & 13. Chrysostomus, nu. 20. & Ioannes octauus, num. 44. animaduertebant. Nec enim omnis vox populi est vox Dei: [m] Non erat quippe (*vt loquuntur Episcopi Prouinciæ Remensis*) vox Domini, vox clamantis, Crucifige, crucifige; nec omnia Cleri & populi vota & desideria, in electione Episcopi perquirenda sunt; sed tantum simplicis, & incorrupti, & spe quæstus minimè electi.] Ac propterea electiones iudicandæ, & discutiendæ, Episcopis ordinatoribus, vt vidimus proponuntur.

m Vita Sylu. est. 2. in fine epistolarum Gerbert.

LVI. Quoniam tamen inter Episcopos ordinatores, primus, & Præses est Metropolitanus; neque semper toti Prouinciæ commodum est, vt illius Episcopi in ordinationibus ordinarijs Episcoporum conueniant; hinc factum est, vt Ecclesiæ consensu, Metropolitani munus

munus sit, & officium electiones discutere, & malas reprobare, bonas vero admittere, & confirmare, ac promouere. Et hoc iam probamus. Sane in primis Concilium Nicænum habemus, quod statuit [a] vt si vnus, aut pauci ex Episcopis, qui ordinaturi Episcopum conueniunt, legitime electo aliquid opponant, & ne ordinetur contradicant, tunc plurium suffragia vincant.] Ab hoc Nicæno canone, ita intellecto, pendent fere Arelatenses, dum in altero Concilio suo decernunt: [b] si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero Metropolitanum debere in electione consentire.] Et similiter Concilium Carthaginense 3. cap. 40. [c] contradictiones in electionibus, ab ipsis Episcopis ordinatoribus, statuit, certo modo ibi explicato esse examinandas. Et Ambrosium solicitum videmus, [d] vt Vercellenses, circa dissensiones, vnanimes Episcopum eligant. Vercellensis autem Ecclesia suffraganea est Metropolis Mediolanensis. Imo & culpam aliqui in eum transferebant, qui sua autoritate non vteretur.

a Concil. Nicæn. c. 6.

b Concil. Arel. 2. c. 5.

c Dist. 23. c. Illud.

d Ambr. ep. 82.

A

B

LVII.

Leonis decretum huiusmodi habemus, in Epistola 88. quam ad Anastasium Thessalonicensem scripsit: [e] Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus, concorditer postularit; ita vt si in aliam forte personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio, is alteri præferatur, qui maioribus & studijs iuuatur, & meritis.] Nescio ergo quorum sanctorum Patrum regulâ viderit Ioannes octauus, à regula Nicæna, Arelatensi, Carthaginensi, & Leonina, longe diuersa, quæ, Ioanne ipso referente, sic habeat: [f] Si diuisio Clericorum, vel populi exciterit, & de futuri electione Pontificis contentio fuerit obortа, nullum ex ijs duobus in throno Episcopali esse aliquatenus consecrandum; sed alterius electionem fieri debere.] Melius Innocentius tertius, priscorum memor Ecclesiæ statutorum, [g] Remensem Archiepiscopum, cum suis Episcopis, Iudicem esse definit, circa electionem, si in ea contingat dissentio: & [h] Archiepiscopi curam propriam esse agnoscit, in sedandis dissentionibus circa electiones. Et Iuo Carnotensis, iuxta regulam Leonis, [h] instituit suum Archiepiscopum, vt, in diuisione partium, pro electione Episcopi Niuernensis, illum præferat, qui maioribus studijs iuuetur, & meritis: aut ad futuram Synodum rem deferat. Et discussionem alterius electionis, maxime propriam Metropolitani esse [i] fatetur. Imo si interdum Metropolitanus non possit ad Ecclesiam vacantem accedere, vt assistat electioni; habet ius mittendi ad illam, suo nomine, Visitatorem, qui & rerum Episcopalium dilapidationem prohibeat, easque futuro Episcopo illæsas conseruat; & electionem promoueat, impediatque dissensionem. De hac visitatorum missione plenæ sunt Gregorij epistolæ, plenæ etiam aliorum Decretales dist. 61. cap. 17. 19. & 10. q. 1. cap. 9. 10. 11. 12. & 10. q. 3. c. 4. 6. 7. 8. 9. 10. &c. in quibus etsi Romanus Pontifex illud præstet, ne putes tamen propterea ipsius solius esse id præstare, nisi in Ecclesijs sibi, tanquam peculiari Metropolitano, subiectis: sed scias id esse proprium cuiusque Metropolitani. Habesque de hoc supra num. 45. irrefragabile testimonium Gregorij 7. quod tale est. Quoties defuncto Pastore alicuius Ecclesiæ, alius est ei canonice subrogandus; instantia visitatoris Episcopi, qui ei ab Apostolica, vel Metropolitana sede, directus est, Clerus & populus --- Pastorem sibi eligat.] Sed de Metropolitani potestate, circa suffraganeas sedes vacantes, dicam plura inferius; nunc solam prosequor ipsius authoritatem circa electionum discussionem, & confirmationem.

e Dist. 63. c. fin.

f Ia. 8. ep. 171.

g Innoc. 3. l. 1. ep. 152.

h Ibid. ep. 76.

i Idem ep. 138. 139.

C

D

LVIII.

Non solum itaque ipsam electionem discutit Metropolitanus, curat, & promouet, atq; approbat, & confirmat, vt est hactenus à nobis explicatū; sed etiā ipsius est personā electā cognoscere, & ex causa legitima approbare, vel reprobare; ita vt omnimoda electionū, & electorum confirmatio, ad ipsum spectet. Hoc habes in magno Nicæno Concilio statutum & definitum: vt omnes quidem Episcopi, aut tres ad minimum conueniant, ad nouum Episcopi ordinationem: confirmatio tamen electi, antequam consecretur, spectet ad Metropolitanum: qui sane solus possit electos confirmare; non tamen solus possit eos ordinare, & consecrare. Canon Nicænus sic habet: [k] Episcopi, ab omnibus, qui sunt in Prouincia sua, debent ordinari. Si vero hoc difficile fuerit, vel aliqua vrgente necessitate, vel itineris longitudine, certe tres Episcopi debent in vnum congregari; ita vt etiam cæterorum, qui absentes sunt, consensum in his teneant; & ita faciant ordinationem. Potestas sane vel confirmatio pertinebit, per singulas Prouincias, ad Metropolitanum Episcopum.] Idem repetit Martinus Bracarensis, ex eodem Concilio: [l] Vt potestas circa ordinandum pertineat ad Metropolitanum.] Adeoque inculcat hoc sanctum Nicænum Concilium debere [m] Metropolitanum Episcopum in his ordinationibus Episcoporum suæ Prouinciæ semper suam interponere autoritatem, vt si secùs fiat, Episcopus non sit.

E

k Conc. Nicæn. c. 4. pon. tur. dist. 64. c. 1.

l Dist. 64. c. Episcopi oportet. m Concil. Nicæn. c. 6. ponitur dist. 64. c. fin. Et in Concil. Arelat. c. 6.

A sit, qui sine ipsius consensu factus fuerit. Atque his innixi decretis eiusdem Magni Concilij Patres, Aegypti Ecclesiam instruentes, inter cætera, in Synodica ad eam data, hæc scribunt: [a] Quod si forte eorum, qui Ecclesiæ fungantur muneribus, diem suum obibit, tum vnus ex illis, qui nuper in Ecclesiam ascíti sunt, modo idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur, atque adeo populi electionem confirmet, in locum succedat demortui.] Alexandrinum vero totius Aegypti Metropolitam iam in eodem Concilio cap. 6, approbarant.

a Apud Theod. Li. c. 9.

LIX.

Ambrosius postea, sui muneris esse agnoscit, [b] decernere circa electionem Episcopi, in Ecclesia Vercellensi; quippe cuius ipse esset Metropolitanus, vt iam monui. [c] Siricius quoque ac deinde [d] Hormisda, Metropolitani curam esse fatentur, & inculcant, vt electiones fiant legitimæ, citra Simoniæ, & ambitus deprauationem. Leonem verò, iam vidimus, in electionibus discordantibus, [e] fecisse supremum arbitrum, & confirmatorem Metropolitanum. Et Concilium Nicænum secundum, [f] Metropolitani munus esse asserit, futurum Episcopum examinare, probareque an sacra scientia sit satis instructus. Idem onus Metropolitano imponit [g] Concilium Valentinum sub Leone 4. Iuo quoque Carnotensis, scribit ad suum Metropolitanum Sennonensem, [h] decuisse, vt ipse Episcopos Suffraganeos, ad discussionem cuiusdam electionis Episcopi Parisiensis inuitaret, antequam Rex eosdem conuenire præcepisset. Quod si, *inquit*, tot de collegis non conuenerint, qui ad tanti negotij definitionem sufficiant, aut in aliud tempus rem differre, aut ad sedem Apostolicam vtramque partem ire permittite.] In potestate igitur Metropolitani erat, vel definire in Prouincia negotium electionis perplexæ, vel permittere vt Romæ definiretur. Et ad Clerum Parisiensem, illud, in eadem causa scripserat; [i] Electioni Domini Fulconis, vel vlterius assensum non dabimus, nisi quem aut Cleri, plebisque consensus elegerit; aut Metropolitani iudicium, cum conuentia Suffraganeorum, habita legitima discussione probauerit.] Fatetur planè Monarchicus Eckius, [k] ab antiquo constitutum, Episcopum quemlibet à suo Metropolitano confirmandum, & Metropolitanum à Primate, & Primatem à suo Patriarcha: miraturque quomodo contra iura (quæ plura profert) suas confirmationes Episcopi, præsertim Germani, ex Roma petant. Pergit enim: Quod iugum, nescio quomodo Episcopi excusserunt, vt confirmationem, saltem in Germania, omnes ex Roma petant. Forsitan viri magni, & potentes, ac natalibus illustres, dedignabantur confirmari ab humilis generis Metropolitano. Hoc autem de confirmatione per Metropolitanum facienda, constitutum fuit in Concilio Nicæno &c.] Hæc ille.

b Ambr. Ep. 82
c Siric. Ep. 1. cap. 9.
d Hormisd. Ep. 60.
e Dist. 63. c fin
f Sept Sym. c. 2.
g Concil. Valent. c. 7.
h Iuo Ep. 39.
i Idem Epi. 38.
k Eckius lib. 3. de rom. Pot. c. 40.

LX.

Potestas hæc discutiendi, confirmandique electiones, & electos, absque vlla interruptione, vsque ad nostra fermè tempora, perpetuo mansit in Metropolitanis; eaque semper vsi sunt, vt iura ipsa etiam noua apertè testantur; quod facilè colliges ex Innocentij tertij Epistolis, lib. 1. ep. 76. 366. 532. lib. 2. ep. 163. & cap. Quia diligentia. cap. Innotuit. cap. Cum dilectus. De electione. Et de Cler. coniug. cap. Cum olim. De transl. Episc. c. Cum ex illo, Et c. Inter corporalia. De appellat. c. Qua fronte. De scrutinio. c. Vlt. &c.

LXI.

Atque hic est verus, & legitimus, antiquissimusque, & continuatus modus, & mos electionum peragendarum, Metropolitanis ab Ecclesia commendatus; vt ipsis electionibus assistant, easque discutiant, approbent, & confirment: Mox verò, facta electione personæ, eaque approbata, Episcopum consecrent, vt dicetur inferius. Sed potuit interdum contingere, vt Episcopus sibi successorem eligat; atque adhuc, ipso viuente, omninò post ipsum futurus Episcopus designetur; ita vt, eo defuncto, non sit amplius circa electionem laborandum; sed quem sibi ille viuens successorem elegit, illum omninò consecratores acciperent, & ordinarent. Hæ tamen electiones non sine consensu Cleri, & plebis fuerunt peractæ; ita vt, non tam elegisse diceretur ille Episcopus sibi successorem, quam proposuisse Clero, & plebi, anticipatè eligendum. In paucis omninò; ac præsertim in Augustino, contigit, vt & electus fuerit, & etiam ordinatus, ac plenè consecratus Episcopus Hipponensis, viuente adhuc Valerio. Sed hoc ipsum etiam Augustinus reprehendit, & contra Canones factum non approbauit; vt ostendi lib. 2. cap. 9. num. 14. & ostendam inferius. Quod verò de Petro solet afferri, quod & ipse sibi successorem [l] Clementem ordinârit; quodque non esse imitandum [m] cauerunt multi, aut nihil, aut parum facit ad rem. Iam enim docui libro secundo Apostolos, Romæ secum habuisse aliquos suos discipulos, iam plenè factos Episcopos, & adiutores: & hos non fuisse Apostolorum vt singulorum successores, sed Collegas, dum illi viuerent, & successores omnium in solidum post eorum obitum. Ac propterea Clementem, Linum, & Cletum fuisse primos Episcopos Romanæ Ecclesiæ, ab

l 8. q. 1. c. 1. 2.
m Ea c. 3. & seqq.

Apostolis

Apostolis Petro, & Paulo datos. Quanuis Clemens fuerit propriè Episcopus primus, eo modo quo ego eodem libro secundo, cap. 3. nu. 60. explicaui. Quomodo verò successorem potuerit sibi Episcopus eligere, & designare, ac interdum etiam ordinare, ac consequenter sibi coadiutorem assumere, cum futura etiam successione, patebit ex factis Catholicorum Episcoporum ab Ecclesia non reprobatis. A

LXII. Narcisso Hierosolymitano adhuc superstite, licet sene, Alexander Episcopus cuiusdam Ecclesiæ in Cappadocia, qui deuotionis causa Hierosolymam venerat, factus est Episcopus Hierosolymitanus, & Narcisi collega. [a] Salutat vos, (*inquit idem Alexander ad Antinoitas*) Narcissus; qui hic ante me Episcopatus locum tenuit, & centùm iam & sedecim annos prætergressus, mecum in eodem ministerio, quorundam precibus, coniunctus fuit.]

a *Apud Euseb. l. 6. c. 9.*

LXIII. Gregorius Nazianzenus senior, [b] Gregorium filium Episcopum Sasimorum, sibi coadiutorem asciuit; & secum à pari fecit Episcopum Nazianzenum. Cùm enim Gregorio ipsi iuniori sedes Sasimorum negaretur, ad quam fuerat à Basilio ordinatus; ideoque in solitudines abijsset; post fugam, Patris imperio, fuit reuocatus; & adiutor in functionibus Episcopalibus assumptus; factusque, pariter cum patre, Episcopus & ipse Nazianzenus. Hieronymus eiusdem Gregorij Discipulus id aperte fatetur: [c] Gregorius, *inquit*, primum Sasimorum, deinde Nazianzenus Episcopus, vir eloquentissimus præceptor meus.] Idem asserunt Rufinus lib. 2. cap. 9. Socrates lib. 7. cap. 35. Sozomenus lib. 6. cap. 17. & communissime semper vocatus fuit Episcopus Nazianzenus; & per excellentiam Theologus. Neque verò alius illum in Episcopum Nazianzenum aut elegit, aut ordinauit, nisi pater ipsius; de cuius solius imperio, & non alterius, se Nazianzenam curam suscepisse; idem Gregorius fatetur: profecto non sine consensu Cleri, & plebis; quem consensum merito supponere debemus, Gregorium patrem plenissimum habuisse. Quia tamen ordinatione, hoc est consecratione, non amplius indigebat, qui iam fuerat Episcopus alterius sedis consecratus; Iccirco neque Synodi, neque Metropolitani noua alia opera vtendum fuit: Iam enim Episcopus erat; propria verò sedes ei non concedebatur, & in alienam non irrumpebat; quia & rogatus, & pene coactus, ab Episcopo Patre, & Clero, vt dixi, & plebe, Basilio eius Metropolitano, insigni eius amico, profecto plenissime & ipso consentiente, curam illam suscipiebat; ex qua iam verè & propriè erat Episcopus Nazianzenus. Nam aliam nouam ordinationem, aut deputationem, aut applicationem, nullam amplius habuit: Imo post mortem patris, statim eidem curæ cessit; & ab illa etiam se abdicauit; & nihilominus tam clarum est illum fuisse Episcopum Nazianzenum, quam quod clarissimum. B C

b *Nazian. in carm. de vita sua & in orat. Cum in consortium primi assumptus esset.*

c *Hier. de script. Eccles. in Gregor.*

LXIV. Baronius solus, supra omnes factus nuper sapiens, negare voluit Gregorium hunc iuniorem fuisse Episcopum Nazianzenum; quem tamen Hieronymus ipsius Discipulus, & comes ferme indiuiduus, Nazianzenum Episcopum fuisse affirmat. Quid verò Baronio contrarium persuasit? [d] Quia, *inquit*, ipsemet Gregorius contestatus est, se ad tempus, vsque ad obitum, videlicet patris, illam Præfecturam administraturum fore: Postea verò alio, ex voluntatis arbitrio, migraturum: plane ergo, *inquit*, constat, nequaquam fuisse ordinatum eius Ecclesiæ Episcopum, temporariæ enim & conditionales Ecclesiarum Præfecturæ, nequaquam conferri solebant.] Addit aliud argumentum: Quia ex Canone Nicæno 8. non licebat in eadem Ecclesia duos esse Episcopos. Et quia idem Gregorius scribit [e] Eulalium fuisse in locum Patris, eo mortuo, subrogatum; & se non fuisse creatum Episcopum Nazianzi, sed Sasimorum; ad patris tamen obsequium, se quasi hospitem, Præfecturam illam suscepisse; [f] Seque reliquisse Ecclesiam non suam, neque ad se attinentem.] Hæc tamen non faciunt quominus ipse verè & propriè fuerit Episcopus Nazianzenus. Non enim fuit illa eius ordinatio temporaria, aut conditionata; sed de se perpetua. Quæ enim Ecclesia illum, alij sedi iam consecratum, vt proprium est amplexa, consentiente, imo rogante, imo & cogente Episcopo adhuc vero, illa, quantum in ipsa fuit, vt suum perpetuum Episcopum est complexa. In ipsius igitur Gregorij voluntate & libertate situm erat, vt ad mortem vsque in eo Episcopatu perseueraret. Et quamuis ea conditione ipse suscepit onus, vt post obitum patris esset liber; hoc non facit quominus sit verè & propriè Episcopus. Sic enim in cuiusque Episcopi libertate situm est, vt quando vult recedat, & sedem abrenunciet, seque abdicet. Nicænus verò Canon, vt Ecclesiæ praxis illum explicat, & patebit ex sequentibus, excludit duos Episcopos inter se diuisos, cum plebis etiam diuisione: non autem duos in solidum, & magna charitate coniunctos, & in vno eodemque D E

d *Baron. tom. 4. an. 371. n. 106.*

e *Nazian. ep. 42*

f *Idem ep. 65.*

A eodemque regimine in solidum amice copulatos: vbi præsertim alter robustior alteri imbecilliori subuenit; iuxta illud; [a] Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Quod Eulalium scribat Patri subrogatum nihil est; quia enim ipse sedem illam nolebat retinere, mortuo Patre, subrogatus est Eulalius: sed non minus est subrogatus Patri, quam etiam Filio cedenti, & sedem verè iam suam relinquenti. Quare Hier. vbi supra, de hac cessione loquens, ait de illo: [b] Viuoq; se, Episcopum in loco suo ordinans, ruri vitam Monachi exercuit.] Ordinauit ergo ipse Eulalium, sed de [c] consensu Metropolitani Helladij, & cum [d] aliorum Episcoporum præsentia & concursu. Quoniã verò non erat vndequaq; laudabile opus neq; Ecclesiæ acceptũ, curam illam deserere Episcopum, qui vitã priuatam præferret curę Pastorali, ad quam tam ritè vocatus fuerat; ad eluendam quoquomodo reprehensionem, illam vrget excusationem, se non fuisse creatum Episcopum Nazianzi: & sedem Nazianzi sibi

B tanquam hospiti datam. Quamuis enim prima eius consecratio fuerit pro sede Sasimorum, cum tamen illam sedem consequi non potuerit, & legitimam curam Nazianzenæ Ecclesiæ susceperit, iam hæc facta est ipsius sedes perfectissimè; quantumcunque ipse suam abdicationem conetur, leuioribus etiam excusationibus, à reprehensione vindicare. Igitur vterque Gregorius sibi successorem viuens & elegit, & plene instituit; Alter quadam quasi translatione; alter verò perfecta etiam ordinatione.

a Prou. 18.

b Hieron. de vir. illust. in Greg.

c Nazianzen. ep. 52.

d Idem ep. 42.

LXV.

De Athanasio iam moribundo, hæc scriptores tradiderunt: [e] Igitur ea tempestate, cum quadragesimo & sexto anno Sacerdotij sui Athanasius, post multos agones, multasque patientiæ coronas, quieuisset in pace; sciscitatus de successore, Petrum tribulationum suarum participem, & socium delegit.] [f] Eiusque electioni, *inquit Theodoretus*, ab omnibus tam Sacerdotibus, quam Magistratibus, assensum est: populus quoque vniuersus acclamationibus, quantum letitiæ percepisset, demonstrauit.]

e Rossin. l. 2. c. 3.

f Theodor. l. 4. c. 18.

LXVI.

C Augustinus & ipse, à Valerio Hipponensi, coadiutor cum futura successione, plene factus est Hipponensis [g] Episcopus; eo modo, quo Nazianzenus; & simul cum Valerio sene in solidum Ecclesiam illam gubernauit; in eaque post obitum Valerij, vsque ad mortem perseuerauit. In hac tamen electione ipsius, seu assumptione, Valerius & ipse consensum habuit Cleri & plebis; [h] Qua Ecclesiæ cura tenear, *inquit Augustinus ad Paulinum*, ex hoc vestra caritas oportet attendat, quod B. Pater Valerius — nec Presbyterum me esse suum passus est, nisi maiorem mihi coepiscopatus sarcinam imponeret. Quod quidem quia tanta eius caritate, tantoque populi studio, Dominum id velle credidi, nonnullis iam exemplis præcedentibus, quibus mihi omnis excusatio claudebatur, vehementer timui excusare.] Ordinatus quoque est ab ordinario ordinatore illius Prouinciæ, nimirum Primate Numidiæ; & non sub titulo mendicato Ecclesiarum extinctarum, vt nunc mos est apud nos; sed sub vero titulo Ecclesiæ Hipponensis, in qua ita factus est coadiutor Valerij,

g 7. Syn. Nouar.

h Aug. ep 34.

D vt simul esset Coepiscopus: [i] & sedi, *inquit*, cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam: nec ipse (*Valerius*) sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.] Sed iam vidimus Nazianzenos Gregorios, Patrem & filium, temporibus Nicæno Concilio adhuc propioribus, non nisi quadraginta quinque circiter annis post ipsum, in vna Ecclesia sedisse: voluit tamen Augustinus cautela abundare: Ac propterea & ipse sibi successorem designauit Eradium, habito tamen populi expresso consensu, & in publica acta redacto. Narrat verò ibidem, illis ipsis diebus in Mileuitana quoque Ecclesia, Seuerum Episcopum moribundum, habito solius Cleri consensu, successorem sibi designasse: &, eo mortuo, plebem nonnihil tumultuasse; quod ipsa insciа, Seuerus id fecisset: nihilominus opera eiusdem Augustini pacifice illum, quem Seuerus designauerat, & elegerat, fuisse & admissum, & ordinatum.

i Aug. in actis elect. Eradij ep. 110.

LXVII.

Basilius, tanquam Metropolitanus Cappadociæ Prouinciæ, concesit Innocentio Epis-

E copo, vt viuens, suum apud se haberet successorem: [k] Prudenter profecto, *inquit*, dum viuis, cum videre cupiens, qui post te, electum Domini gregem recturus sit, quod B. Moyses optauit & vidit, &c.] Offertque ad eum se missurum Presbyterum optimum, quem ad succedendum ei in Episcopatu maximè idoneum censeret; vt eum haberet, dum viueret, coadiutorem; & post mortem ad plenum successorem.

k Apud Baron. tom. 5. an. 417. num. 9.

LXVIII.

In vno ex Concilijs Romanis sub Symmacho, inter alia statuta, illud legimus: [l] Si, quod absit, transitus Papæ inopinatus euenerit, vt de sui electione successoris, vt supra placuit, non possit ante decernere: siquidem in vnum totius inclinauerit Ecclesiastici ordinis electio; consecretur electus Episcopus] Hic video supponi, tanquam rem consuetam, & ordinariam; vt Episcopus, etiam Romanus, adhuc viuens, sibi deligat successorem. Igitur etiam

l Syn. Rom. 2. sub Syl. c. 4. habetur dist. 79. c. Si transitus.

etiam Bonifacius secundus, [a] Vigilium Diaconum sibi viuens constituit, in Synodo successorem: Clerique iuramento ac chirographo, electionem hanc stabiliuit; proculdubio quia id moris erat in Ecclesia. Quamuis, iterum congregata Synodo, eandem rescinderit idem Bonifacius, cum suo Clero, electionem: ob reuerentiam sanctæ sedis, ait Anastatius; & quia contra canones hoc fuerat factum: & quia reum se læsæ Maiestatis agnouit. Iam enim Reges Gothi in electione Romani Pontificis, primas habebant. Cur autem contra Canones id asserat factum Anastatius, examinabo interius num. 73. & seq. [b] Tetrico vero Episcopo Lingonensi successor viuenti datus fuit Mondericus: & [c] Augustinus Anglorum dictus Apostolus, successorem sibi viuens Laurentium delegit.

LXIX.

Bonifacius Moguntinus, [d] successorem & ipse sibi assumpsit Lullum; quod ei licere rescripserat Zacharias Papa. Huius vero Lulli Moguntini concessione, [e] Burcardus Herbipolensis, Metropolitica, (non Apostolica ex Legatione, vt somniat Baronius) autoritate fultus, assentiente Carolo Magno, sibi voluit Mengingandum substitui successorem; quod & feliciter consecutus est.] Et vir sanctus [f] Vdalricus, Episcopus Augustanus, nepotem suum Adalberonem, sibi, & coadiutorem, & successorem instituere voluit; Imperatoris duntaxat ad hoc, vt ordinarij iam electoris, propter multa regalia, quæ ille obtinet Episcopatus, consensu requisito.

LXX.

In Concilio Meldensi, Episcopo infirmo coadiutor conceditur; soliusque Episcopi infirmi voluntas, & Archiepiscopi autoritas ad hoc requiritur. Futura etiam successio tribuitur tam dato coadiutori; si tamen moratus extiterit, & iuxta Canones idoneus; non secus, Decretum Concilij est huiusmodi. [g] Vt nemo, viuente Episcopo, Ecclesiam illius, aut res ad eam pertinentes inuadere, aut dominari præsumat; neque sub voluntariæ Cleri, ac populi electionis obtentu, præter voluntatem Episcopi, quisquam, quacunque sæculari potestate præditus, quasi œconomum constituat. Sed si Episcopus ministerium Ecclesiasticum, propter infirmitatem corpoream, exhibere non potuerit; in Archiepiscopi hoc, cum voluntate Episcopi eiusdem Ecclesiæ, maneat ordinatione; qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium vero ad Rempub. pertinens, qualiter exequatur, per tales ex subditis, & Ecclesiasticis Ministris, cum consensu Archiepiscopi; propter pacis, charitatisque custodiam, Episcopus ordinet ac disponat; quos succedendi in Episcopatu appetitus indebitus non eleuet; neque vexet; nisi ita moratus extiterit, vt secundum instituta B. Gregorij, in libro epistolarum, & humiliter in subditione profit, & post viriliter, conueniens sanctis regulis, præsit; quia ob hoc in multis Ecclesijs scandalum magnum conspeximus. Sin autem in Archiepiscopo talis necessitas accideri t, similiter ipse, consilio Coepiscoporum suorum, huiusmodi ordinem exhibeat.]

LXXI.

Gregorius 7. [h] Desiderium Abbatem Cassinensem moriturus, successorem designauit; & Cardinalibus plurimum commendauit. Isque fuit Victor 3. Qui & ipse moribundus, [i] Ottonem Ostiensem, similiter commendauit; imo illum manu apprehensum, cæteris Episcopis tradidit dicens; Accipite eum, & in Romana sede locate; meamque vicem in omnibus, quousque id facere possitis, habetote.]

LXXII.

Causæ porro cur Episcopis dentur coadiutores, prima & præcipua est, corporis infirmitas: abhorruit enim Ecclesia Episcopum infirmum deijcere, & illo ejecto, alium ei substituere; vt habet [k] Gregorius lib. 3. ep. 13. & [l] Nicolaus Albino, & [m] Gregorius 7. Infirmis igitur ordinarie dantur Coadiutores, quasi Vicarij & Chorepiscopi, qui exerceant regimen disciplinæ, & temporalia administrent; Pontificalia vero à vicino Episcopo rogato suppleantur. Sed vt fidelius coadiutor laboret, & sit proprius pastor, non mercenarius; sæpe factus est Coepiscopus, vt patet in aliquot suprapositis exemplis; & concedit expresse, pro causa infirmitatis, [n] Gregorius; seruatis tamen etiam plene [o] alimentis ei cui datus est Coepiscopus. Et Episcopo simplici, ad regimen vix idoneo, si præsertim se talem ipse cognoscat, & petat coadiutorem, [p] Pelagius illum concedit. Sicut & Episcopo dilapidatori bonorũ Ecclesiasticorũ Honor. 3. dat [q] coadiutorẽ pro solis tẽporalibus, & sine successione.

Habemus nihilominus non paucas etiã prohibitiones, ne viuenti Episcopo, aut alius superordinetur; aut assignetur successor. Theodoretus sanè Paulini Antiocheni factum, quo sibi solus successorem Euagrium constituit, & ordinauit, reprehendit, dicens; [r] In qua re complures simul Canones violauit: Siquidem Canones neque faciunt potestatem cuiquam, iam mortem oppetituro, quenquam, in locum suum sufficere: Atque omnes Prouinciæ Episcopos, iubent, in vnum ad eam rem conuocari. Quinetiam vetant rursus quenquam, absque tribus Episcopis, Episcopum constitui.] Sed præter octauum Canonem Nicænum, quo

a *Anastas. in Bonif. 2.*

b *Greg. Turon. l. 5. hist. c. 5.*
c *Beda l. 2 hist. Anglorum c. 4.*

d *7. q. 1. c. Petitis.*
e *Egilerd. apud Sur. 14. Octob. & Baron. tom. 9. an. 791. nu. 11.*
f *Apud Baron. tom. 10. an. 971. num. 5.*

g *Concil. Meld. c. 47.*

h *Leo Hostien. l. 3. c. 64.*
i *Ibid. c. 71.*

k *7. q. 1. c. Scrip.*
l *Ea. c. Pontifices.*
m *Greg. 7. l. 2. ep. 50.*

n *Greg. l. 7 Indict. 2. c. 49. 50. 51.*
o *Idem l. 11. ep. 7. 8. habetur 7. q. 1. c. 13. 14.*
p *Ea. c. Quia frater.*
q *De off. & pot. Iud. deleg. c. Venerabilis.*

r *Theodor. l. 5. c. 23.*

A quo duo Episcopi in vna ciuitate non admittuntur, alios in hoc genere veteres Canones, qui Theodoretum præcesserint, nunc mihi videmur non habere: præsertim quod ait, de non sufficiendo sibi successores & Nicæni Canonis sensum iam expositu supra num. 64. vt duo primarij Episcopi non adsint, cum schismate, & scissione. Sed & illud vel maximè obseruauit Ecclesia, ex illa potestate sibi eligendi successorem, abusui aditum amplum fuisse apertũ; vt caro, & sanguis dominetur, & adsint qui dicant; [a] Venite hæreditate possideamus sanctuariũ Dei; vt vbi tale adsit periculũ, eligẽdi sibi successorẽ potestas Episcopo auferatur. a Psal. 82.

Hoc periculum aduertit olim Origenes; cuius verba supra num. 8. habes, plurimum vrgentia; ne, intuitu sanguinis, & cognationis, Episcopi sibi successores deligant, sed Dei vel maximè electio spectetur, & expectetur. Cyprianus verò aliud periculum, nimirum, schismatis, & diuisionis considerabat, quando dicebat; [b] Agnoscant, atque intelligant, LXXIV.

B Episcopo semel facto, & collegarum ac plebis testimonio, & iudicio comprobato, alium constitui nullo modo posse.] Postea verò Innocentius primus Papa, eundem abusum deplorauit; quando, electo Ioanne Chrysostomo, alius fuit ei Constantinopoli Episcopus subrogatus. Ait enim; [c] Quod igitur hoc commentum est tam deploratum, vt ne vel suppetat, vel quæratur occasio iudicij, in locum Sacerdotum viuentium, alij substituantur? —Neque enim vnquam à Patribus nostris talia fuisse patrata cognoscimus: sed interdictum potius fuisse Decreto, quo cauebatur, ne cui fieret copia, qua in viuentis locum inauctoraretur.] Nicænosque vrget Canones, contra quos electio illa facta fuerit, & subrogatio. Quia nimirum sine [d] Synodo facta fuit. Hilarus deinde Papa de priore abusu certior factus, in quadam Synodo Romana [e] conquestus est; In quibusdam locis Hispaniæ, peruersitatum semina subinde nasci. Denique Episcopatum, *inquit*, qui non nisi meritis præcedentibus datur, non diuinum munus, sed hæreditarium putant esse compendi- b Cypr. l. 2. Ep. 11. c Innoc. 1. Ep. 15. d Concil. Nicen. c. 5. e Concilium Rom. 2.

C um: & credunt, sicut res caducas, atque mortales, ita Sacerdotium, velut legatario, aut testamentario iure posse dimitti. Nam plerique Sacerdotes, mortis confinio constituti; in locum suum feruntur, alios designatis nominibus subrogare; vt scilicet, non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio; pro populi habeatur assensu. —Atque ideò si placet etiam hanc licentiam auferamus.] Et Concilium Aurelianense 5. generaliter statuit; [f] Nullus viuenti Episcopo alius superponatur, aut superordinetur Episcopus; nisi forsitan in eius loco, quem culpa capitalis deiecerit.] Et Gratianus; [g] Ecce, *inquit*, his autoritatibus patenter ostenditur; quod, Episcopo viuente, alius superordinari non potest; nec etiam pro eius ægritudine. Sed illud Gregorij intelligendum est, quando ille qui ægrotat, alium sibi substitui non rogat. Cæterùm quando aliquis, vel senectute, vel infirmitate grauatus, susceptum officium administrare non valet, si alium sibi substitui petierit, rationabiliter fieri potest. Vnde, in eodem capitulo sequitur; si verò idem Ioannes, forsitan pro molestia f Concil. Aurel. 5. c. 12. g 7. q. 1. c. 11. § Ecce hic.

D sua petierit, vt ab Episcopi honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est: Aliter autem facere, pro omnipotentis Dei timore, omnimode non audemus. Hinc etiam B. Augustinus, Episcopo suo nondum defuncto, sed senectute grauato, Cathedram Episcopalem suscepit.] Item alibi; [h] His omnibus autoritatibus prohibentur Episcopi successores sibi instituere. Sed aliud est de sui successoris electione cum fratribus deliberare; aliud est ex testamento, tanquam suæ dignitatis hæredem, sibi quærere: illud fieri permittitur; hoc autem penitus prohibetur. Illud autem B. Petri Apostoli, ab illis valet in argumentum assumi, qui tales sibi substituunt, qualem sibi successorem B. Petrus quæsiuit. Verum quia officium, non vitæ, sed sanguini cœpit deferri, atque ad Episcopatum tales quisque sibi successores quærere cupit, qui vel odiosi populis, vel à plebe docendi inuenirentur; idcirco sacris Canonibus statutum est, ne quisquam sibi sui officij quærat successorem; sed populi electione quæratur, qui eorum vtilitati dignè deseruiat; qui illorum vtilitatem, non sua lucra quærat, qui Christo semen velit suscitare, non sibi diuitias congregare. Quod qui facere contempserit, iure ab Ecclesia repudiatur.] Hæc Gratianus. h 8. q. 1. c. 7. § His omnibus.

E LXXV.

Et nos igitur cum Gratiano concludamus; Nihil obstare, quo minus viuente Episcopo, & suam dignitatem retinente, possit successor ipsius eligi, & confirmari: ipso sic volente, & electoribus ordinarijs, hoc est, Clero, & plebe, seu loco plebis Principe concurrentibus; Metropolitanoque, seu Patriarcha, id concedente, & approbante. Nec solùm posse talem eligi, & confirmari, sed etiam si omnes iam dicti conueniant, consecrari; & simul cum alio in solidum Coepiscopum fieri. Et consequenter posse, ex causis vel inhabilitatis, vel ægritudinis, vel occupationis maioris Ecclesiasticæ, & similibus, Episcopo volenti, & petenti, Clero ac plebe assentiente, non solùm autoritate Patriarchæ supremi, sed etiam solius proprij Me-

prij Metropolitani, dari coadiutor cum futura successione. Quæ omnia & iuribus, & factis sunt iam à me abunde probata, & confirmata. Iura verò, autoritatesque, huiusmodi successiones, & Episcoporum duplicationes prohibentes; intelligenda esse, vbi solus Episcopus propria sola autoritate id conaretur: vbi inuito Episcopo alius adderetur: vbi caro & sanguis dominaretur; & hæreditariæ fierent Ecclesiasticæ dignitates: vbi schismata pullularent: vbi demum nulla legitima suppeteret causa id concedendi: Alioquin coadiutores huiusmodi, non solum à Papa, sed etiam a solis Metropolitanis, cum futura successione, concedi in Ecclesia solitas videmus, citra vllum discrimen, vsque ad tempora Bonifacij 8. [a] Qui primus, ad solum Romanum Pontificem, autoritatem hanc, coadiutores cum futura successione concedendi, per summam vim, & grauem iniuriam Episcoporum, & Metropolitanorum attraxit. Et nunc, absque vllo iure, nostri, Papæ, soli esse volunt, qui Coadiutores cum futura successione, ad magnum argenti & auri pondus concedant.

a De elect. agrot. cap. Vn. in 6. & Concil. Trident. sess. 25. c. 7.

LXXVI. Huc demum spectat resignatio Episcopatus, ad fauorem certæ, & nominatæ personæ; non aliter, nec alio modo; prout est forma resignationis. Hæc enim est ipsissima electio successoris, quam quis viuus, & cedens, facit. Si quis tamen vult suum Episcopatum ita resignare, vt nomen & dignitatem retineat; id a Synodo impetrare debet; ita in Synodo Oecumenica Ephesina, Eustathius Metropolitanus Pamphiliæ, senex, molestiarum impatiens, Episcopatus curæ nuncium remittens; vt nomen & honorem retineret Episcopatus, ab ipsa Synodo petijt, & obtinuit. Illa enim resignationem approbauit; sicut & approbauit quod Synodus Prouincialis Pamphiliæ, ei alium sufficerat, & Metropolitanum ordinarat; nomenque & communionem Episcopi ei reliquit; sed potestatem abstulit ordinandi, nisi ab Episcopo coassumeretur coadiutor. Patet hoc ex Epistola Concilij Ephesini ad Synodum Pamphiliæ: quæ quia rem optime explicat, hic ex parte apponatur.

b Acta Conc. Ephes. edit. Pelt. in append. to. 2. c. 1.

[b] Sancta Synodus quæ, gratia Dei, & nutu pientissimorum Regum, in Epheso congregata est, Sanctæ Synodo in Pamphilia, dilectis fratribus in Domino salutem, &c. Vbi autem à quibusdam turbatus est, (*Eustathius*) & in solicitudines inexpectatas incidit, & cum præ multo ocio pondus curarum sibi impendentium ferre non esset assuetus, nec valeret conuicia insidiantium repellere, cessionis suæ, nescimus quomodo, obtulit libellum. Oportebat enim semel concreditam Sacerdotalem curam, cum tanto spirituali robore geri, vt labores & sudorem sponte ferat. Quoniam autem pusillanimem se declarauit, hoc ex inconsiderantia rei magis, quam ignauia, vel torpore passus; ordinauit necessario vestra pietas, pientissimum, & Dei amantissimum fratrem nostrum, & Coepiscopum Theodorum, qui Ecclesias curet; indignum enim est viduas esse, & absque præceptore manere saluatoris greges. Quoniam autem accessit plorans, non de ciuitate, neque de Ecclesia contendens, contra prædictum pientissimum Episcopum Theodorum, petens iam Episcopatus honorem, & nomen; Condoluimus omnes Presbytero, & communes esse arbitrati eius lachrymas, festinauimus, vt addisceremus, num legitimam depositionem pertulisset memoratus; hoc est, à quibus obtrectatoribus, & de quibus absurdis rebus redargutus esset. Didicimus autem nihil tale, sed magis euenisse illi pro crimine ipsam cessionem. Vnde neque vestram pietatem reprehendimus, quæ ordinauit in locum eius memoratum pientissimum Episcopum Theodorum. Quoniam autem non valde contendendum est, cum viro, ob amorem otij eius; sed miserandum potius seni, extra natalem Ciuitatem, & patrias conuersationes longe disito, iustum esse decreuimus, vt, absque omni contradictione, habeat Episcopi nomen & honorem, ac communionem; sic quidem, vt neque ipse ordinet, neque in Ecclesiam propria autoritate ordinaturus veniat, nisi forte coassumatur, siue admoneri contingat à fratre & Episcopo, secundum affectionem, & charitatem in Christo. Quod si melius quiddam de ipso consulueritis, vel nunc, vel in posterum, placebit & hoc Sanctæ Synodo.] Cyrillus tamen Alexandrinus, in sua Canonica Epistola, resignationes omnino reprobari ab Ecclesia scribit, his verbis: [c] Iam verò alia quoque res est, quæ Ecclesiastici consuetudini non placet; offerre Sacerdotes aliquos, renunciationis libellos. Si sunt enim digni qui sacra misteria obeant, in ijs maneant: Sin autem indigni, nec per renunciationem exeant, sed rebus ipsis potius condemnati.

c Bibloth. PP. tom. 3.

LXXVII. De Martyrio vero Antiocheno Episcopo, narrat Theodorus Lector, & ipsum sui indisciplinati Cleri, populique seditiosi, ac ceruicosi pertæsum, sponte sua se abdicasse, Episcopatumque renunciasse, altiori voce ista præfatum in Ecclesia; [d] Clero immorigerato, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio: seruata interim mihi Sacerdotij dignitate.]

d Apud Baron. to. 6. an. 471. num. 12.

A tate.] Atque hæc est vera cessio & renunciatio; non autem cum conditione, vt talis, vel talis, præsertim consanguineus, ei detur successor: Quod est genus quoddam hæreditatis transmittendæ, non sine nundinatione, & mercatura. Neque video hic resignationes fieri in manus, & de licentia Pontificis Romani, aut Patriarchæ; sed liberè, & absolutè, pro arbitrio resignantis: & cum retentione nominis, & dignitatis Episcopalis, quam merito retinendam esse censuit magnum etiam, (vt nunc vidimus) Concilium Ephesinum. Facta vero resignatione, tunc ordinarios electores, & ordinatores, nempe Clerum & populum, ac Episcopos Comprouinciales, Ecclesiæ vacanti prouidere: saluis tamen semper suis resignanti necessarijs alimentis. Hæc enim includuntur etiam in illa reseruatione nominis, & dignitatis Episcopalis. Certè Nicolaus Papa, resignationem absolutam Episcopatus, in manibus sui proprij Metropolitani, de iure faciendam esse, monet; dum de Suffredo Episcopo ait: [a] Si tale in se crimen nouerat, quo rectè posset Episcopatu priuari; vel infirmitate se sentiebat forsitan prægrauari, qua impeditus nullis posset proximis, sua prælatione prodesse, Primaus sui debuerat, & non aliorum Diœceseos Antistitum, præstolari iudicium.]

B

a 6.q.3.c. Denique.

Dixi satis multa de electionibus Episcoporum, ac eorum confirmationibus, & de assumptione Coadiutorum, ac demum de Resignationibus. Sequitur vt huc attexam paucula de Abbatum, Regulariumque Prælatorum electionibus. Sane quamdiu Monachi fuerunt Monachi, nulla fuit circa Abbatum electiones difficultas, nulla controuersia: sicut enim Monachorum Congregationes erant priuatæ, ac priuatorum hominum, & sane Laicorum, vt ostendi lib. 2. cap. 12. secessus; ita ipsimet inter se sibi Patrem constituebant: Neque in hoc quicquam negotij aut Ecclesia, aut Respub. habuit. Postquam vero petijt Monachismus, & ditata sunt pseudomonachorum Monasteria, ipsorumque Abbates facti sunt

LXXVIII.

C Domini opulenti, dataq; est eis quædam vana, & indebita (vt ostendam postremo libro) iurisdictio, atque Monachi ex Monachis facti sunt per Metamorphosim Clerici, & viri Ecclesiastici; tunc circa electiones Abbatum, variæ sunt exortæ concertationes. Communissimum tamen ius est, vt ipsi Monachi, seu Monachæ, sibi Abbatem eligant, vel Abbatissam. Confirmatio verò & benedictio spectet ad Episcopum loci; quanquam interdum & [b] capitulum Canonicorum ius electionis, simul cum Monachis se habere, in aliquo Monasterio prætendat: Interdum vero etiam alterum [c] Monasterium ius habeat, vt ex eo, in alio Monasterio, persona assumatur, & in Abbatem eligatur. Confirmatio vero Abbatis per Monachos electi, etsi ordinariè spectet ad Episcopum, tamen etiam [d] capitulum interdum Clericorum potuit illum confirmare. Et in multis priuilegiatis Monasterijs, Papa voluit esse ordinarius confirmator; imò & elector Abbatum, & collator Abbatiarum: Sed aliquando Casinensis Cœnobij Monachi, simplices fraterculi, sub ipso pene Romanarum arcium conspectu positi, suæ tamen libertatis memores, Romani Papæ in hoc detrectant Imperium; neque volunt consentire, vt nutu ipsius Abbas illius Monasterij eligatur: & aduersus Cardinalem eo a Papa Honorio 2. ad hoc missum, murmurantes dicebant; [e] Non debere Casinensis Abbatis electionem in alterius potestatem transire; iniquum & indignum esse, vt Casinensis Ecclesia, quæ libera semper extiterat, maximo pudore, Cardinalibus subijceretur.] Dicere veriti sunt, Papæ; vt subdit [f] Baronius: de Papa tamen loquebantur: qui sane tunc nihil potuit obtinere. Sed & Reges, ac Principes, postquam Abbatibus regalia sunt concessa, & ampla latifundia acquisita; in electionibus, & inuestituris, partem habere debuerunt. De his omnibus agam locis commodioribus, nempe libris sexto, nono, & decimo. Ad alia properemus.

b De consuetud. c. Cum dilectus. c. De sent. & re ind. c. Inter. & de Verb. sign. c. Abbate.

d c Cum dilectus. vt supr.

e Pet. Diac. l. 4. c. 91.

f Baron. to. 12. an. 1126.

E

CAP. IIII.

Eligendi in Episcopos, quinam esse, aut non esse debeant.

SVMMA CAPITIS.

Electio Episcopi vt sit bona, & à Metropolitano approbanda, in primis debet esse de persona habili & idonea: In quo vero consistat ista habilitas explicatur generaliter, num. 1. 2. Sed specialiter, qui eligitur in Episcopum debet esse Clericus, num. 3. 4. 5. 6. 7. non laicus à num. 8. ad num. 22. Et sane non quicunque Clericus etiam bonus, sed loci oriundus, & ex propria Ecclesia, à num. 23. vsq; ad finem capitis.

I. MAgnum volumen esset mihi conscribendum, si vellem huc plene & congerere virtutes omnes, omniaque ornamenta, quibus instructus debet esse is, qui ad Episcopatum est promouendus; & omnia impedimenta numerare, quæ hominem, ab hoc insigni in Ecclesia gradu remouent, & repellunt. Ea duntaxat quæ maiori digna consideratione mihi videntur, paucis exponam; Ecclesiæque Sanctæ sensum, & mentem aperiam: ipsiusque decretis & exemplis, ac admonitionibus insistendo, rem explicabo. In genere profecto, Concilium Carthaginense 4. bonas futuri Episcopi qualitates, paucis est complexum, sic statuens cap. 1. [a] Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si super suis negotijs cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus: & ante omnia si fidei documenta, verbis simplicibus asserat; id est, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnum Deum. --- Cum his omnibus examinatus, fuerit inuentus plene instructus, tunc, cum consensu Clericorum & Laicorum, & conuentu totius Prouinciæ Episcoporum, maximèque Metropolitani vel autoritate, vel præsentia, ordinetur Episcopus. Suscepto in nomine Christi Episcopatu, non suæ delectationi, nec suis motibus; sed his Patrum definitionibus, acquiescat.]

a Dist. 22. c. Qui Episcopus.

II. Quæ vero in genere, hominem, ad Episcopatum reddant inhabilem, paucis similiter, & summatim recensuit Concilium Toletanum 4. dum cap. 19. sic statuit: [b] Qui in aliquo crimine detecti sunt; qui infamiæ nota aspersi sunt; qui scelera aliqua, per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt; qui in hæresim lapsi sunt; qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur; qui semetipsos abscinderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur; qui secundæ vxoris coniunctionem sortiti sunt; aut numerosa coniugia frequentarunt: qui viduam, vel à marito relictam duxerunt; aut corruptarum mariti fuerunt; qui concubinas ad fornicationes habuerunt; qui seruili conditioni obnoxij sunt; qui ignoti sunt; qui neophyti sunt; vel laici sunt; qui sæculari militiæ dediti sunt; qui Curiæ nexibus obligati sunt; qui inscij literarum sunt; qui nondum ad 30. annos peruenerunt; qui per gradus Ecclesiasticos non accesserunt; qui ambitu honorem quærunt; qui muneribus honorem obtinere moliuntur; qui à decessoribus in Sacerdotium eliguntur: sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ Ciuitatis elegerit; vel autoritas Metropolitani, vel Comprouincialium Sacerdotum assensio exquisiuit.]

b Dist. 51. c. Qui in aliquo.

III. Sublatis tamen grauioribus variarum irregularitatum impedimentis; vt hæresis, militiæ, bigamiæ, & similibus; positisq; modestis moribus, & sufficiēti literatura Ecclesiastica, hoc est Theologica, non ciuili, quæ totam corrumpit Ecclesiam, vt postea considerabo; quod præcipuè circa eligendos, his præsertim temporibus, est obseruandum, & in quo nunc grauissime peccatur, & ex quo Ecclesia maxima patitur detrimenta, iam propono. Ac primum quidem; vt, qui eligitur, sit Clericus, in ministerijs Ecclesiasticis diutius exercitatus; & consequenter Ecclesiastico spiritu, Ecclesiasticisque moribus imbutus. Est Canon Concilij Laodiceni antiquus, in ordine 12. [c] Vt Episcopi, iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam dignitatem: ij videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quam rectæ conuersationis exemplo.] Intelligit profectò Clericos: hos enim, & non Laicos, Ecclesia

c Dist. 24. c. Episcopi.

muito

A multo tempore probat, tam verbo fidei, quàm conuersationis exemplo. Explicat id clarius Caius Papa, quicunque ille sit, dum mandat; [a] Vt ad ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia qui ordinari merentur, id est, si quis Episcopus esse meretur, sit primum Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus, demum verò Subdiaconus, deinde Diaconus, & postea Presbyter; & exinde, si meretur, Episcopus ordinetur.

IV.

Siricius [b] Episcopum non vult ordinari, nisi prius per decennium fuerit Presbyter. Presbyterum verò vult prius in Diaconatu quinquennio ministrasse. Diaconum verò ordinandum, vult ab infantia, vsque ad vigesimum ætatis annum, in minoribus Ecclesiæ inseruijsse. Et Episcopi Illyrici in suo Synodico libello, Ecclesias vacantes tribuendas esse statuunt, ante omnia [c] Magistratibus, qui Episcopatu laudabiliter functi fuerint: hoc est Episcopis, qui sedes suas non haberent; quippe ex eis ab Arianis pulsi: sin autem tales non

B reperiantur, è Sacerdotum Collegio sint assumendi; minimè verò de Curia, aut militum ductoribus.]

V.

Zozimus Epistola prima; [d] Interdictum, *inquit*, esse constat, ne quis penitus, contra Patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset & temporis approbatione, diuinis stipendijs eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ Sacerdotium aspirare præsumeret: & non solùm in eo ambitio inefficax haberetur, verumetiam ordinatores eius, vt carerent eo ordine, quem sine ordine, contra præcepta Patrum, crediderant præsumendum. — Vos obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbiæ, & arrogantiæ venienti. — [e] Si enim officia sæcularia, principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis, temporibus deferunt; quis ille tam arrogans, tam impudens inuenitur, vt in cœlesti militia, quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cùm tyro ante non fuerit; & prius velit docere, quàm discere? Assuescat in Domini castris, in Lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruitij; nec illi vile sit Exorcistam, Acolythum, Subdiaconum,

C Diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus. Iam verò ad Presbyterij fastigium talis accedat, vt & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia ante acta testentur: iure inde summi Pontificis locum sperare debebit. — [f] Hæc autem in singulis gradibus obseruanda sunt tempora. Si ab infantia Ecclesiasticis Ministerijs nomen dederit, inter Lectores, vsque ad 20. ætatis annum, continuata obseruatione, perduret: si maior iam, & grandæuus accesserit, ita tamen vt post Baptismum statim se diuinæ militiæ desideret mancipari, siue inter Lectores, siue inter Exorcistas, quinquennio teneatur: exinde Acolythus, vel Subdiaconus, quatuor annis; & sic ad benedictionem Diaconatus, si meretur, accedat: in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit hærere debebit. Exinde, Suffragantibus stipendijs, per tot gradus, datis propriæ fidei do-

D cumentis, Presbyterij Sacerdotium poterit promereri De quo loco, si illum eo exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum Pontificatum sperare debebit.] Hæc Zozimus. Similia fermè Gelasius Epist. 6. nisi quod interstitia breuiora assignat Monacho clericando, quàm laico. Vide supra lib. 2. c. 12. n. 53.

VI.

Aduerterat iam optimè ista omnia Gregorius Nazianzenus; cuius grauis est, & sensata illa oratio, dum ex eo capite laudat Basilium, quod [g] nequaquam festinanter ad gradus peruenerit; neq; per obtrectationes, *inquit*, & fraudes, more multorū, qui nunc præsidentias concupiscunt; sed ordine, & lege, assensionis spiritalis honorem adauxit. Sane nequaquam rerum, & ordinis, apud nos, laudo confusionem; cùm aliquando peruersè à quibusdam præsidetur in gradibus. Si quidem non omnes accusare audeo, neque visum est: obiter tamen legem laudo nautarum, quæ prius Gubernatori remum in manus dat; indeque

E in proram deducit, & vlteriora concredit: itaque tandem super gubernacula, cum multa maris experientia, & ventorum statuit cognitione. Pariter & in rebus fieri solet bellicis; Miles sub initium quis efficitur; deinde ordines regit; tandem etiam in ducem euadit: siquidem ordo ipse optimus est, incipientibus pariter, & vtilissimus. Res verò nostræ multum dignæ essent si ita se haberent; nunc autem sanctissimus apud nos periclitatur ordo, ne præ rebus cunctis sit ridiculosissimus; non enim ex virtute magis, quam malitia, oritur præsidentia; neque dignorum, sed potentiorum sunt throni. Samuel inter Prophetas futura præuidens, sed & Saul abiectus: Roboam Salomonis inter Reges, quin & Hieroboam seruus, & desertor. At nec Medicus, aut pictor vllus est, qui non prius ægrotantium consideret naturas, aut colores temperet multos, & deliniat figuras. Cathedra verò, etiam sine vllo acquiritur labore; non secus ac cum fabulæ Gygantes fingunt: vnius diei sanctos facimus,

a Dist. 77. c. Illud nos.

b Dist. ead. c. Quicunque.

c Theodor. l. 4. c. 8.

d Dist. 59. c. 3.

c Dist. 59. c. Si officia.

f Dist. 77. c. In singulis.

g Nazianz. Orat. de laude Basil.

mus, ac sapientes esse iubemus eos, qui nulla præditi sunt sapientia; & qui nil ad gradum præterquam velle, afferunt.] Hæc pulcherrime & sapientissime Nazianzenus, quæ nostris temporibus vel maxime, cum tanto Ecclesiæ dedecore cernimus perpetrari. A

VII. Haud multum dissimilia idem Gregorius de Athanasio perorauit, dicens: Non enim thronum paritet accepit, quemadmodum ij qui tyrannidem quandam, aut hæreditatem, præter opinionem sortiuntur, ac propter satietatem violenter egit; hæc enim degenerantium, & adulterinorum sunt Sacerdotum; & qui professione sunt indigni, qui nihil ad Sacerdotium afferunt, neque boni consequendi gratia laborarunt, nihilominus tamen & Discipulos se, & Doctores pietatis esse ostentant; & prius quam purgentur, purgant; Heri sacrilegi, hodie Sacerdotes: Heri sacrorum expertes, hodie in sacris duces: Veteres in malitia, ac tenues in pietate. Quod quidem opus est charitatis humanæ, & nequaquam spiritus, qui cum omnia per violentiam sunt scrutati, tandem pietati etiam vim inferunt. Quorum mores haud quaquam gradum indicant, sed gradus mores; cum multum ordo immutetur. Qui pluribus pro peccatis proprijs, quam populi, indigent sacrificijs; & omnino in vno ex duobus delinquunt; quia cum venia indigeant, immoderate veniam tribuant; tanquam malitia non sit rescindenda, sed docenda: aut Principatus asperitate propria abscondant crimina; quorum neutrum ille fecit, sed operibus erat sublimis, &c.] Iam igitur illis quoque diebus electiones Pontificum turpiter, vt hodie, nutabant: & inexperti in Clero, inhabilesq; ad regimen Ecclesiæ, atque indigni assumebantur. B

VIII. Hinc est quod Ecclesia tantopere semper abominata sit promotionem Laicorum; ac seueriſsime toties prohibuerit, ne Laici ad Episcopatum assumerentur. Siricius sic decreuit; [a] Certe illud etiam non fuit prætermittendum, vt quod semel, aut secundo, necessitas hæreticorum intulit, contra Apostolica præcepta, velut lege licitum præsumi, Neophytum vel Laicum, qui nullo Ecclesiastico functus fuerit officio, inconsiderate, vel Presbyterum, vel Diaconum ordinare; quasi meliores Apostolis sint, quorum audeant mutare præceptum; & qui non didicit, iam docere compellitur. Ita nullus reperitur idoneus Clericorum; nec inter Diaconos, nec inter alios Clericos inuenitur, qui Sacerdotio dignus habeatur; sed, ad condemnationem Ecclesiæ, Laicus postulatur? Quod ne fiat vltra admoneo. Prædico vt vnam fidem habentes, vnum etiam in traditione sentire debeamus; probantes nos vnanimes, atque concordes, pacifici in Christo & in obseruationibus Apostolicis, habere charitatem. Medio itaque Patre, & vnigenito Filio eius, & Spiritu Sancto, & vnius Diuinitatis Trinitate conuenio, vt in his fides Catholica & disciplina nostra permaneat. Nec quisquam putet, tanquam ordinationes terrenas fieri, cum cæleste sit Sacerdotium; vt fidelibus gloria maneat dignitatis eiusdem; & ante Tribunal Christi, ex hinc non habeat quod accuset.] Prius tamen excluserat omnes qui viri militares fuerant; quos etiam [b] Innocentius 1. excluſit: & simul viros Curiales; qui videlicet forensia tractarint, vt sunt præsertim Iudices curiæ. Quo nomine Athanasius Constantium Imperatorem reprehendit, ita scribens; [c] Cur, cum se Ecclesiasticum Canonem curæ habere prætexit, omnia contra canonem facit? Vbi enim ille canon, vt è palatio mittatur is, qui Episcopus futurus est?] C D E

a *Siric. ep. 3.*

b *Innoc. 1. ep. 13*

c *Athan. ad Solitar.*

IX. Sed idem qui supra Innocentius, grauius aduersus Laicorum ordinationes excanduit; cuius verba ad Aurelium Carthaginensem, sunt ista: [d] Qua indignitate, qua molestia, male tractetur Ecclesia, præcipueque Episcopus, relegam, vel audiam; & tua fraternitas bene nouit, & ego tam idonea tanto dolori verba inuenire non possum; dum facile imponuntur manus, dum negligenter summus Sacerdos eligitur. Ecce facta est querela publica, quæ fecit semper, vt communis omnibus tremenda sit reuerentia. Sic Clerici Ecclesiasticorum dogmatum nutriti, vel honorati intra altaria Christi respuuntur: sic præterreunter promouentur; quasi nefas sit ad primatum per ordinem peruenire. Nam cum inuoluti mundanis nexibus, actibus, vel moribus, abrupte adsciscuntur ad tanti collegium Sacerdotij, & illi videntur contemni, de quibus oportuerat eligi; & isti male intromitti, qui præter ordinem irrumpunt, potius quam eliguntur: Quam enim miserum est eum magistrum fieri, qui nunquam discipulus fuit; eum summum fieri Sacerdotem, qui nunquam in vllo gradu obsecutus fuerit Sacerdoti? Relege Præfectorum literas, & vide quæ vel falso, vel pro certo, sublimium potestatum annotentur scriptis. Perdimus profecto nos ipsi, nos inquam, Sanctimoniæ reuerentiam, qui quasi vilissimum aliquod summos efficimus Sacerdotes: vt iam inciplat quasi noxium aliquid, publicis interlocutionibus condemnati.]

d *Innoc. 1 ep. 30 ponitur dist. 61. cap. Miserum.*

Cœle-

A Cœlestinus vrget idem sic scribens; [a] Ordinatos vero quosdam, fratres carissimi, Episcopos, qui nullis Ecclesiasticis ordinibus, ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta, huius vsurpatione, qui se hoc recognoscit fecisse didicimus; cum ad Episcopatum his gradibus, quibus frequentissimè cautum est, debeat peruenirí, vt minoribus initiati officijs, ad maiora firmentur. Debet enim ante esse discipulus, quisquis Doctor esse desiderat, vt possit docere quod didicit. Omnis vitæ institutio, hac, ad id quo tendit, se ratione confirmat. Qui minimè literis operam dederit, præceptor esse non potest literarum. Qui non per singula stipendia creuerit, ad meritum stipendij ordinem non potest peruenire. Solum Sacerdotium inter ista, rogo, vilius est? quod facilius tribuitur, cum difficilius impleatur. Sed iam non satis est Laicos ordinare, quos nullus fieri ordo permittit: sed etiam ij, quorum crimina, longè latéque per omnes fere sunt nota Pro-
B uincias, ordinantur.] & inferius: Abstineatur, *inquit*, ab illicitis ordinationibus. Nullus ex Laicis nullus digamus, &c.]

X. [a] *Coelest. ep. 1. dist. 59. c. Ordinatos.*

Rursus idem; [b] Nulli Sacerdotum, *inquit*, suos licet Canones ignorare; nec quisquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si Decretalium norma Constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permixta frangatur? Audiuimus quasdam proprijs destitutas Rectoribus Ciuitates, Episcopos sibi velle petere de Laicis; tantumque fastigium, tam vile credere, vt hoc iis qui non Deo, sed sæculo militauerint, æstiment nos posse conferre; non solum male de suis Clericis (in quorum contemptum hoc faciunt) iudicantes; sed de nobis pessimè, quos credunt hoc posse facere, sentientes. Quod nunquam auderent, si non quorundam illic his consentiens sententia conniueret. Ita nihil quæ frequentius sunt decreta proficiunt, vt hoc quasi nunquam de hac parte scriptum fuerit, ignoretur. Quid proderit per singula Clericos stipendia militasse, & omnem egisse in dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex Laicis requirantur? Qui vacantes sæculo, & omnem Ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpropero, in alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere: & in
C aliud vitæ genus, calcata reuerentia Ecclesiasticæ disciplinæ, transire. Talibus itaque fratres carissimi, qui iuris nostri, id est Canonum gubernacula custodimus, necesse est obuiemus: hisque fraternitatem vestram Epistolis commonemus, ne quis Laicum ad ordinem Clericatus admittat, & sinat fieri; vnde & illum decipiat; & sibi causas generet, quibus reus constitutis decretalibus, fiat. [c] Docendus est populus non sequendus: nosq; (si nesciunt) eos quid liceat, quidue non liceat, commonere; non his consensum prebere debemus.] Viueres nunc Cœlestine; fortioribus hæc lateribus intonares.

XI. [b] *Coelest. ep. 2. dist. 61. c. Quid proderit.*

[c] *Dist. 62. c. 2.*

Leo Magnus, [d] In Ciuitatibus, *inquit*, quarum Rectores obierint, de substituendis Episcopis hæc forma seruetur; vt is qui ordinandus est (etiamsi bonæ vitæ testimonio fulciatur) non Laicus, non Neophytus, non secundæ coniugis maritus.] Hoc tamen argumentum, in alia Epistola ad Episcopos Africanos, quoniam tractat idem Leo exactissimè, vt non minus Laicos, quam bigamos, ab incundo Episcopatu absterreat, placet hic integram ferme illam Epistolam exscribere; quæ sic habet.

XII. [d] *Leo ep. 88.*

[e] Mirantes tantum apud nos, per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, vt indignis quibusque, & longe extra Sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium, & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum; & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est pernicioſus exemplo. Et difficile est vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Quod
E si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus prouidenter, scienterque curandum est, vt in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; quanto magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur non erretur? Nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vbi est illa B. Pauli Apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei, omnium Sacerdotum Christi numerus eruditur; & proinde vnicuique nostrum dicitur; [f] Manus citò nemini imposueris; neque communicaueris peccatis alienis? Quid est citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis; ante tempus examinis; ante meritum laboris; ante experientiam disciplinæ; sacerdotalem honorem tribuere non probatis? & quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non

XIII. [e] *Leo ep. 91.*

[f] *1. Tim. 5.*

metuit

meruit ordinari? sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum sectatur in eligendo Sacerdote iudicium; ita graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium tublimat indignum. Non enim in cuiusquam persona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur: Nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit de præuaricatione collatus.] —Merito Sſ. Patrũ venerabiles sanctiones, cum de Sacerdotũ electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas à puerilibus exordijs, neq; ad prouectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticę stipendia cucurrisset; vt vnicuiq; testimoniũ, prior vita præberet: nec posset de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis, celsioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores Mundi, sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire; & notari ambitus solet, quos probitatis documenta non adiuuant; quam diligens, & quam prudens habenda est dispensatio Diuinorum munerum, & cœlestium dignitatum, ne in aliquo Apostolica & Canonica Decreta violentur; & jis Ecclesiæ Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à summis volunt habere principium? Cum valde iniquum sit, & absurdum, vt imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis. [a] In domo quidem magna, necesse est (sicut Apostolus differit) vt vasa diuersa sint; quædam aurea & argentea; quædam vero fictilia, & lignea: sed horum ministerium, pro materiæ qualitate discernitur; nec idem est precioſorum vsus, & vilium. Nam inordinata erunt omnia, si fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis & fictilibus eorum hominum species figurantur, qui nullis adhuc virtutibus nitent; ita in aureis, & argenteis ij sine dubio declarantur, qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excreti, aurum probatum, & argentum purum esse meruerunt. Quibus si merces pro deuotione non redditur, omnis Ecclesiastica disciplina resoluitur; omnis ordo turbatur; dum in Ecclesia, qui nullum subiere ministerium, peruerso eligentium iudicio, indebitum obtinent Principatum.] Has Romanorum Pontificum voces, vtinam nostrorum temporum Pontifices audirent, & seruarent.

a 2. Tim. 2.

XIV.

Grauis etiam est Hormisdæ admonitio, ad Episcopos Hispaniæ; [b] Vt in Sacerdotibus, *inquit*, ordinandis, quæ sunt à Patribus conscripta, & definita, cogiteris; quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem Vicarij Sacerdotes, sic & in eligendis his curam oportet esse præcipuam. Irreprehensibiles enim esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis: nec quicquam illi deesse personæ, penes quam est religionis summa, & substantia disciplinæ. Æstimet quis precium Dominici gregis, vt sciat quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Hoc ita fiet, si non Sacerdotij gradus, saltu quodam, passim laicis transierantur. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Non negamus esse in laicis Deo placitos mores; sed milites suos probatos, sibi quærunt instituta fidelia. Discere prius quisque debet, antequam doceat; & exemplum religiosæ conuersationis de se potius alijs præstare, quam sumere. Emendatiorem esse conuenit populo, quem necesse est orare pro populo. Longa obseruatione religiosus cultus tradatur, vt luceat, & Clericalibus obsequijs erudiendus inseruiat, vt ad venerandi gradus summa perductus, qui sit fructus humilitatis ostendat: Nec leue, nec vacuum fuit, quod, nec apud veteres quidem, nisi Leuitici generis viri, ad sancta admittebantur altaria; ne pessime meritis contemptis, aut precio, aut præsumptione, ad sacros cultus impar accederet. Tunc migrabant per illam prærogatiuam familiarum, ad instituta cultorum; nunc est doctrina pro genere: quod illis fuit nasci, hoc nobis imbui: illos tabernaculo dabat natura; nos altaribus parturit disciplina. Nec tantum de laicis consecrari inhibemus; sed nec de pœnitentibus quisquam quidem, ad huiusmodi gradum profanus temerator adspiret.]

b Hormisd. ep. 60 dist. 61. c. 2. 3.

XV.

Gregorius quoque vehementer, promotionem laicorum ad Episcopatus est detestatus: [c] Hoc ad nos, *inquit*, peruenisse non dissimili dignum detestatione complectimur, quod quidam desiderio honoris inflati, defunctis Episcopis, tonsurantur; & fiunt repente ex laicis Sacerdotes: Atq; inuerecundè, religiosi propositi ducatum arripiunt; qui nec esse adhuc milites didicerunt. Quid putamus quod isti subiectis præstaturi sunt, qui antequam disciplulatus limen attingant, tenere magisterij locum non formidant? Qua de re necesse est, vt, quamuis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distinctos ordines, Ecclesiasticis exerceatur officijs.] Et ad Brunichildam Francorum Reginam; [d] Sacerdotale, inquit, officium, vestris in partibus, in tantam, sicut didicimus, ambitionem perductum est, vt Sacerdotes subito, quod graue nimis est, ex laicis ordinentur.

c Dist. 59. c. 3.

d Dist. 61. c. 1.

Tantum

A Tantum in se ponderis habuit aliquando Canon Ecclesiasticus, ne Laici ad summa Sacerdotia ascisc̃erentur, vt [a] Constantinus Romanus Pontifex, hoc solo nomine fuerit a tede deiectus, quam per integrum iam annum pacificè tenuerat, quod Laicus cum esset, sul ceptis raptim sacris ordinibus, ipsum summum Pontificatum sufficienti electione, & consecratione præcedentibus, arripuisset. Si enim dicas in ipsius electione siue vim & arma, siue largitiones interc̃essisse, ac propterea intrusum fuisse iudicatum, facilè negabimus illum his nominibus fuisse depositum: nam & [b] Damasus per vim, & arma, cædesque fœdissimas in Pontificatum est ingressus, & [c] Vigilius auto promisso Syluerium extrulit, seque in Romanam sedem intrusit; & vterque nihilominus legiumus Pontifex habetur; mitto alios nec paucos. Atque illud ipsum Concilium Romanum, in quo tandem Constantini causa iudicata est, sedente iam Stephano, qui ei deiecto est subrogatus, aliud crimen quo meritò depositum esse pronunciauit, non obiecit, nisi [d] nouitatem hanc solam, quod ex Laico factus sit Episcopus. Imò quamuis ipse fuerit & sacris initiatus, & Pontifex à Prænestino consecratus, ipsius tamen ordinationes, quibus & Diaconos, & Presbyteros, & Episcopos fecerat nonnullos, cassas, & irritas, nullasque, ac inanes esse declarauit, adeò vt noua ordinatione opus esse Episcopi in Concilio illo statuerint, si vellent illi in suis ordinibus ritè ministrare. Atque sub Anathematis interdicto solenniter sanxerunt, Ne vllus vnquam præsumat Laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, vel Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem possit promoueri.] [e] Sic igitur (*subdit Baronius*) & statuto Canone, omnis inuasoribus S. Apostolicæ sedis occlusus est aditus, veluti alto interiecto pariete, quo profanum esset à sacro diuisum.] Hic tamen tam altus paries ad simplicem aranearum telam iam est redactus. Mihi profectò ex hac tam rigida vnius Papæ depositione, certum esse videtur, laicum hominem, si promoueatur ad gradum Episcopalem, nihil accipere, neque esse Pontificem, nisi intrusum, & inuasorem.

XVI.

a *Anast. & Plati. in Steph. 3 & baron. to. 10. an. 768. & 769.*

b *Ammian. Marcell. l. 27.*

c *Liberat. in Breuiar. c. 22.*

d *Apud Baron. vbi supra an. 769. n. 2. 3.*

e *Ibid. n. 5.*

XVII.

Hadrianus primus, Tarasium, ex Laico factum fuisse Episcopum Constantinopolitanum, ægrè tulit; & ita scripsit Imperatoribus. [f] Nimis iterum turbati, ac conturbati sumus, quia ex Laicorum ordine, & imperialibus obsequijs deputatus, repentè, ad Patriarchatus culmen electus est: & Apocalligus, contra sanctorum Canonum censuram, factus est Patriarcha; &, quod dicere pudet, & graue tacere est, qui regendi adhuc, & docendi sunt, Doctores nec erubescunt videri, nec metuunt ducatum animarum impudenter assumere; quibus via in omnibus ignota doctoris est: & quo vel ipsi gradiantur ignari sunt. Quod quàm prauum, quàmue sit temerarium, sæculari ordine, & disciplina, monstratur. Nam dum dux exercitus, non nisi labore, & solicitudine, expertus eligitur, quales animarum duces esse possint, qui in Episcopatus culmen, immatura cupiunt festinatione conscendere; huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repentè inexpertos labores abstineant: quippe qui non didicerint quod docent. Vnde Canonica instituit censura, nequaquam ex Laico ad Sacerdotium repentè transire.]

f *Hadrian. Ep. 1. ad fin.*

XVIII.

Nemo tamen acrius, in Laicorum ordinatione declamauit, quàm Nicolaus primus contra Photium Constantinopolitanum; qui, eiecto Ignatio, fuit perperam, cùm Laicus esset, subrogatus. Reprehendit sæpissimè, ex eo potissimùm capite, factum; quod, contra Canones, Photius, ex Laico sit ordinatus Episcopus. In prima Epistola ad vniuersam Ecclesiam conqueritur, Quòd Ignatium tyrannicè proiecerunt. Photium, *inquit*, quendam, ex foro, ac sæculari militia, & habitu, atque à Palatinis ædibus eductum; ac subitò tonsuratum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ, contra sacros Canones, præfecerunt.] In secunda Epistola ad Michaelem Imperatorem, totus est, vt ostendat, grauiter peccatum contra Canones, dum de Laicorum habitu, populi caterua sic directa, qui ei præesset, elegit Pastorem. Exaggeratque pluribus hoc peccatum: & Decreta Cælestini, Leonis, Gelasij, & Hadriani recitat, ac producit. In Epistola tertia renuit consentire consecrationi Photij; quia Laicus non poterat ordinari: citatque Concilium Sardicense, de quo nos infra: & decreta Cælestini, Leonis, & Gelasij. In quarta Epistola idem repetit, queriturque Photium subitò, contra Canones, ex laicali militia, tractum fuisse ad Episcopatum. In quinta Epistola ad Michaelem Imperatorem Photij similiter ordinationem non admittit; quia ex Laico factus est Episcopus; & respondet ad exempla Nectarij, & Ambrosij, quæ Imperator obiecerat. In sexta Epistola loquitur cum Photio, eumque reprehendit, quod ex laicali ordine sine canonica approbatione, ad Patriarchatus dignitatem, subitò transcendere, contra Patrum promulgationes, non recusarit; sed temerè atque impudenter, ad tanti honoris culmen,

men, accedere præsumpserit. Soluitque etiam ipsi obiecta de Nectario, Tarasio, & Ambrosio: Quod Nectarius ob inopiam Clericorum illius Ecclesiæ Catholicorum, ex necessitate fuerit promotus; Tarasium verò ab Hadriano reprehensum fuisse; & sub conditione restitutionis imaginum, tandem admissum. Ambrosium demum miraculose à Deo fuisse electum. In 7. Epistola, ad finem ipsius eodem redit, aitque; Scimus ex sacris canonibus, quod non minus mala consuetudo, quam pernicioſa corruptela vitanda sit; & scimus quod paulatim crescens iam suæ pestiferæ nequitiæ gramine multos inuaserit, adeo vt temeritas hæc tantum excreuerit, vt iam minime Clericis egeant, dum contra sacros canones, ex se ipsis subito tonsuratum, quem voluerunt eligant: & ad labores Clericorum mentis oculos non inflectant: Ac per hoc fit, vt alienus comedat ipsorum fructum laborum, & stipendia meritorum extraneus hostis insperatus surripiat. Ita vt nihil proficiat Clericis in castris Dominicis militasse; vel gradatim per singulos Ecclesiasticos ordines ascendisse; dum alter saltu hos omnes transcendit; & repente principatur in eis, is, qui inter eos, nec contra spiritales hostes arma sustulit, nec diuersis Ecclesiæ aduersarijs, pro veritate prælians, aliquando restitit.] Et ad confirmationem Osij dictum ex Concilio Sardicensi repetit.

A B

XIX. Non igitur licuit, nisi ex grauissima causa, præsertim vbi ex Clero persona apta non potuit haberi, & Laicus insignis virtutis suppeteret, Laicum in Episcopali sede, non sine probatione præcedenti, facta ordinatione collocare. Sic enim in Concilio Sardicensi cap. 13. Osius loquitur: [a] Et hoc necessarium arbitror vt diligentissime tractetur; si forte, aut diues Laicus, aut Scholasticus de foro, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus; vt non prius ordinetur, nisi ante & lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus; & ita per singulos gradus, si dignus fuerit ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt vtique prolixum tempus, probari; qua fide sit, qua modestia, qua grauitate, & verecundia; & si dignus fuerit probatus, Diuino Sacerdotio illustretur; quia conueniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, vt temere & leuiter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter aut Diaconus, qui neophytus est. Maxime cum & magister gentium B. Apostolus, ne hoc fieret denunciasse, & prohibuisse videatur. Sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata.] Admittitur ergo Laicus: sed prius non ad ludibrium, vt nunc fit, sed vere, & non exiguo tempore, in inferioribus est ordinibus re ipsa exercendus.

a Dist. 61. ca. Osius.

C

XX. Ita Siricius: [b] Qui verò, *inquit*, iam ætate grandæuus, melioris propositi conuersatione prouocatus, ex Laico, ad sacram militiam peruenire festinat, desiderij sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim Lectorum, aut exorcistarum numero societur: Si tamen eum vnam vel habuisse, vel habere, & hanc virginem accepisse constet vxorem, qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus, & Subdiaconus fiat: & sic ad Diaconatum (si per hæc tempora dignus iudicatus fuerit) prouehatur. Exinde iam, accessu temporum, Presbyterio, vel Episcopatui, si eum Cleri ac plebis euocauerit electio, non immerito societur.] His consentientia, suis Decretalibus mandauit etiam Zosimus, vbi ait; [c] Defensores etiam Ecclesiæ qui ex Laicis fiunt, supradicta obseruatione teneantur: si meruerunt esse in ordine Clericatus.] Vt videlicet si sint ad Episcopatum promouendi; per omnes Clericatus gradus, cum ministeriorum exercitatione prouehantur.

b Dist. 77. cap. Quicunque.

D

c Dist. 77. cap. In singulis.

XXI. Gelasius quoque idem docet: [d] Ait enim; Si verò de Laicis quispiam Ecclesiasticis est aggregandus officijs, tanto solicitius in singulis, quæ superius comprehensa sunt, huiusmodi decet examinari personam; quantum inter mundanam, religiosamque vitam constat esse discriminis: quia vtique conuenientia Ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconuenientibus meritis ingerenda: tantoque magis, quod sacris aptum possit esse seruitijs, in eorum quærendum est institutis; quantum de tempore, quo fuerant hæc assequenda, decerpitur: Vt morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit; ne per occasionem supplendæ penuriæ Clericalis, vitia potius Diuinis cultibus intulisse iudicemur, non legitimæ familiæ computemur procurasse compendia; quorum promotionibus, super anni metas, sex menses nihilominus subrogamus: quoniam, sicut dictum est, distare conuenit inter personam Diuino cultui deditam; & de Laicorum conuersatione venientem: quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, vt illis Ecclesijs, quibus infestatione bellorum, vel nulla penitus, vel exigua remanserunt ministeria renouentur: quatenus his, Deo propicio, restitutis, in Ecclesiasticis gradibus subrogandis, Ca-

d Gelas. ep. 6.

E

nonum

A nonum Paternorum vetus forma seruetur, nec contra eos vlla ratione præualeat, quod pro accidentis defectus remedio, prouidetur; non aduersus scita maiorum, noua lege, proponitur: cæteris Ecclesijs, ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas, prisinam faciendis ordinationibus conuenit tenere sententiam: quo magis hac opportunitate commoniti, obseruantiam venerandorum Canonum propensius delegamus, singulorum graduum conscientias admonentes, ne per illicitos prorumpere moliantur excessus.]

XXII. Gregorius frequenter monet suos Visitatores, quos electionibus Episcoporum assistere faciebat, ne vlla ratione, laicos eligi sinerent. Habes hoc Lib. 2. Ind. 10. Epist. 19. Benenato Episcopo. Et Epist. 29. Ioanni Episcopo Scyllaceno: & Lib 7. Ind. 2. Epist. 25. Fortunato Episcopo Neapolitano; & Lib. 11. Epist. 16. [a] Barbaro Episcopo; & Epist. 17. B proximè sequenti. Quia tamen, ob inopiam personæ Ecclesiasticæ, aliquando Laicus nomine opportunus, fuit ei approbandus, ad regimen Ecclesiæ Aprutij; non censuit illum statim consecrandum: sed, [b] Hunc volumus, *inquit Epist. 13. Lib. 10. ad Passiuum Episcopum*, Vt fraternitas vestra, ad se faciat venire, & de anima sua admoneat, quatenus in bonis studijs crescat. Et si nulla ei crimina, quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obuiant; tunc horrandus est, vt, vel Monachus, vel à vobis Subdiaconus fiat: & post aliquantum temporis, si Deo placuerit, ipse ad Pastoralem curam debeat promoueri.

a *Dist. 61. c. Olatum.*

b *Dist. 61. c. Benenatum.*

XXIII. Sed circa eligendos ad Episcopatus, Illud quoque maximi factum inuenio in Ecclesia; vt neque quicunque Clericus, etiam bonus, & maximè idoneus eligatur, si sit extraneus, & in illa Ecclesia ignotus. In persecutionibus Athanasij, subrogatus ei fuit *in sede* Alexandrina, Gregorius quidam Cappadox; & de hoc etiam conqueritur Athanasius, dum ait; C [c] Eumque nemo in Episcopum postulauit, nisi soli Ariani; ac proinde, vti mercenarius & extraneus, &c.] Et Iulius Papa similiter de eadem promotione conquestus est, dicens; [d] Prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt. Primum enim, si verum dicendum est, non decebat, cum nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos præoccupare iudicium Synodi: deinde non decuit nouos istos modos contra Ecclesiam induci: Vbi enim est istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut istiusmodi traditio Apostolica, vt in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus, cum Episcopo Alexandriæ Athanasio existente, immittere Gregorium peregrinum, & externum hominem; neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris, eumque Antiochiæ creare Episcopum, atque inde deducere Alexandriam, non cum Presbyteris, aut Diaconis Ciuitatis, non cum Aegypti Episcopis, sed cum militibus? Hæc enim dixere, & conquesti sunt qui huc venerunt. Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem noui Episcopi, ita illegaliter, & præter Canonem Ecclesiasticum fieri: sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso Sacerdotali ordine; atque ex ipso Clero eius Prouinciæ Episcopos constitui; & nequaquam ex illis, qui nunc Apostolorum Canones violant.]

c *Athan. ad solitar.*

d *Apud Athan. Apolog. 2.*

XXIV. Et Gregorius Nazianzenus dicebat: [e] Nam & si paternis laboribus succedere dulce est, ac noto & familiari gregi præesse iucundius est, quam externo & alieno; addam etiam Deo carius (nisi me amor fallit & mentem eripit consuetudo) non tamen conducibilius est, nec tutius, quam vt volentes volentibus præsint; quandoquidem neminem vi duci vult lex nostra; ac coacte, & non sponte gubernari.]

e *Nazian. orat. quando assum. est in concor. Patru.*

XXV. Cœlestinus Papa Epist. sua prima: Alter, *inquit*, in alterius prouincia nil præsumat: [f] nec emeritis in suis Ecclesijs Clericis peregrini, & extranei, & qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui bene de suorum ciuium merentur testimonio præponantur.] Et Leo; tyrannidem cuiusdam Hilarij Episcopi exprobrans, inter cætera, ait; [g] Militaris manus, vt didicimus, per Prouincias sequitur Sacerdotem: & armatis præsumptione sufflultum, ad inuadendas per tumultum, famulatur Ecclesias, quæ proprios amiserint. Traduntur ordinandi ad hoc officium, his quibus præficiendi sunt, ciuitatibus ignoti. Vt enim notus, qui fuerit probatus, per pacem petitur; ita per vim necesse est, qui ignotus adducitur, imponatur.]

f *Dist. 61 c. 12.*

g *Leo ep. 84.*

XXVI. Ac propterea, ne ignoti intrudantur, illud Ecclesia & seruauit, & sanxit, vt ex proprio tantùm Clero ipsius Ecclesiæ, cui pastor quæritur, pastor eligatur; & non, nisi summa necessitate cogente, ex aliena. [h] Habeat, *inquit Cœlestinus*, vnusquisque Clericorum suæ fructum militiæ, in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat; nec alij debitam, alter sibi audeat vendicare mercedem.] *Item:*

h *Cœlest. ep. 1.*

[a] Quid

a Coelest ep. 2.

[a] Quid proderit per singula Clericos stipendia militasse, & omnem egisse in dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex laicis requirantur? qui vacantes sæculo, & omnem Ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpopero, in alienum honorem ambiunt, immoderata cupiditate transcendere.] Igitur agnoscit dignitates omnes, etiam Episcopatum, deberi Clericis propriæ Ecclesiæ: & alienum honorem ambire laicos asserit, qui ad Episcopatum aspirant. Si itaque alienus est laicis honor Episcopatus, ideo quia is debetur illius Ecclesiæ Clericis, alienus igitur etiam erit Clericis alienis, & exteris; qui & ipsi alienum honorem accipiunt, quoties in alienæ Ecclesiæ Prætecturam irrumpunt: vt plurimis confirmabo lib 9. cap. 10. vbi agam de beneficijs Ecclesiasticis, non nisi proprio clero dandis. A

XXVII.

b Leo ep 88.
c Dist. 60. c. fin.
b De elect & qualit. c. Admonis
c Leo ep. 100.

Leò quoque electiones ita moderatur; [b] Vt omnium Clericorum, atq; omnium ciuium voluntate discussa, ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis (addidit [c] Vrbanus, & cum ipso Innocentius 3. etiam [d] Subdiaconos) optimus eligatur.] Et ad Gennadium Constantinopolitanum scribit idem Leo: [e] Enitere frater carissime, vt spes suffragatoribus ipsis adimatur; & Alexandrinis ex Clero suo Catholicus Episcopus, secundum morem veterem, per orthodoxos Episcopos consecretur.] Atque hinc est quod Ambrosius [f] Paulinum hospitem, in numerum Cleri sui Mediolanensis, cooptarit; vt posset nimirum, post ipsius Ambrosij obitum, in Episcopum illius Ecclesiæ ei succedere. B

f Baron. tom. 4. an. 394. nu. 18.

XXVIII.

g Dist. 61. c. obitum.
h Dist. 61. c. Catuerfs.

Gregorius non semel commonet suos Visitatores, [g] Vt nullum de altera eligi permittant Ecclesia; nisi forte inter Clericos ipsius Ciuitatis, nullus ad Episcopatum dignus, potuerit inueniri.] Ita habet lib. 2. Indic. 10. epist. 19. & epist. 26. & lib. 11. epist. 16. Pelagius etiam idem monuerat, & statuerat; [h] Vt de Clero ipso Catinensi Ecclesiæ prouideatur. Et sane Aprutiensi Ecclesiæ Clericum nullum idoneum habenti, vt supra vidimus, Gregorius, maluit per laicum prouideri, qui erat loci originarius; quàm ei externum, & incognitum dare Sacerdotem, ex aliena Ecclesia desumptum. Et Pelagius eadem de causa, [i] Clericum proprium, etiam coniugatum, eligi satius esse duxit, quam cœlibem alienum. In historijs etiam Rauennatibus legimus; [k] Rauennates restitisse Sixto 3. dum eis, diuino monito instructus, Petrum Diaconum Ecclesiæ Forocornelienſis, pro Episcopo, sede illorum vacante, offerebat: Resistebant autem reclamantes, haud moris esse ex alterius Ecclesiæ clero, assumi aliquem, in Ecclesiæ Rauennatis Episcopum. Neque acquieuerunt, donec de diuina inspiratione fuerunt redditi certiores. C

i Dist 28. c. d. Syracusana.
k Ex Rubeo Baron. tom. 5. an. 433. nu. 23.

XXIX.

l Concil. Rhem. c. 15.
m Greg. 7. l. 6. ep. 13.

Quod si alterius Ecclesiæ Clericus, quantumuis vicinæ, eiusque Prouinciæ, linguæ & nationis, vt extraneus ab Episcopali cura repellitur; quanto magis, si fuerit alterius linguæ, & nationis, est repellendus? Quomodo enim explebit id, quod merito Episcopis imponitur, [l] Vt sermones & homilias sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possunt, secundum proprietatem linguæ, prædicare studeant?] Propterea sapienter, ad Norwechorum Regem illa scripsit Gregorius 7. [m] Notum autem vobis esse volumus, quoniam desiderium nostrum est, si quo modo possemus ad vos, aliquos de fratribus mittere, qui fideles & docti essent ad erudiendum vos, in omni scientia & doctrina, in Christo Iesu.—— Quod quia nobis, tum propter longinquitatem terrarum, & maxime propter ignotas linguas, valde difficile est; rogamus vos, sicut & Regi Danorum denunciauimus, vt de iuuenibus, & nobilibus terræ vestræ, ad Apostolicam Aulam mittatis; quatenus sub alis Apostolorum Petri & Pauli, sacris ac Diuinis legibus diligenter edocti, Apostolicæ sedis ad vos mandata referre, non quasi ignoti, sed cogniti; & quæ Christianæ Religionis ordo postulauerit, apud vos, non quasi rudes, aut ignari; sed lingua, ac scientia, moribusque prudentes, digne Deo prædicare, & efficaciter, ipso adiuuante, excolere valeant.] D

XXX.

n Io. 10.

Nunc vero ad ignotæ quoque linguæ homines, ex Romana Curia, interdum mittuntur Episcopi, & pastores; quorum vocem [n] oues non possint audire, quique neque agnoscunt suas oues, neque oues ipsos: vere mercenarij, non pastores; qui eo veniunt, vt perdant, & mactent; vt lanam expilent, & lac exsorbeant; non vt pascant. Iam igitur habemus quinam sint eligendi in pastores Ecclesiarum, vt Metropolitani hinc tuto possint discutere electiones; scireque quas debeant, vel approbare, & confirmare; vel infirmare, & reprobare. Nostri tamen summi Pontifices omnia sibi licere putantes, contra hæc adeo veneranda iura, & laicos, & alienos, & irregulares, & plurimos indignissimos promouent; non quidem ita necessitate aliqua, aut Ecclesiarum vtilitate vrgente; sed prece, vel precio suadentibus: Ipsi viderint. E

CAP.

A

CAP. V.

Episcopos à Metropolitanis ordinari, & consecrari.

SVMMA CAPITIS.

Facta legitima electione, eaq; approbata, & confirmata, electus à Metropolitano consecrari debet, & plenè ordinari. Atque hoc probatur, primum ex Constitutionibus Apostolicis, veterumq; Pontificum Epistolis, atque ex prisca Ecclesiastica consuetudine, à num. 1. and num. 7. Ex pluribus Concilijs à num. 8. ad num. 26. Ex Ambrosio, & Romanis Pontificibus pluribus, à num. 27. ad num. 36 Ex Iuone num. 37. 38. Ex ratione pallij, num. 39.

Hæc lex consecrationum plurimi semper facta est in Ecclesia, num. 40, 41, 42.

Ideoq; aperto marte aliqui Episcopi Papæ restiterunt, consecrationes hasce eis auferre conanti, num. 43, 44.

Exeuntitur iuramentum quod consecratus suo præsuli consecratori, num. 45, 46, 47.

Demum discrimen inter ordinationem, & consecrationem explicatur, num. vlt.

B

C

D

E

EPiscopos, non nisi ab Episcopis fieri, in præcedenti libro toties ostendimus; & hoc sanè ex ipsa Christi institutione: atque adeò iure diuino quencunque Episcoporum posse à quocunque Episcopo ordinari, mitti, & consecrari; iuxta illud Epiphanij; [a] Episcoporum ordo Patrum generator est; Patres enim generat Ecclesiæ.] Iure tamen humano Ecclesiastico ad scissuras, rixas, & confusiones euitandas, non est cuique Episcopo ordinariè permissum, vt quencunque possit Episcopum ordinare: sed diuisæ sunt, vt ostendimus, Prouinciæ iuxta sæculares, & mundanas, chorographicasque diuisiones; vt Episcopi vniuscuiusque Prouinciæ, tuos eiusdem Prouinciæ Episcopos ordinarent: atque hæc cura potissimùm in Metropolitanum Prouinciæ est conjecta: cuius prima, & potissima institutio fuit, propter iam dictas ordinationes: Cùm igitur & factis, ac exemplis, & dictis, atq; decretis, hoc Metropoliticum ius confirmauero, quod hoc capite propono erit absolutum. Nullæ ergo hic disputationes, sed sola autoritatum erit collectio, & enumeratio; ex qua collectione, quicquid circa Episcoporum ordinationes, & consecrationes explicandum esset, abundè, & enucleatè habebitur. Nimirum facta legitima personæ electione, eaque discussa, & approbata per Episcopos comprouinciales, siue per Metropolitanum solum, in quem Episcopi, ne toties incommoda conueniendi subeant, & Ecclesias suas derelinquant, onus hoc transtulerunt; per eosdem, si conueniant; sin minus, per eundem Metropolitanum, duobus tamen saltem sibi adiunctis coepiscopis, ex vicinioribus, electus plenè ordinetur, & consecretur. Si verò Metropolitanus est ordinandus, tunc similiter, vel Comprouinciales Episcopi, omnes conuenientes, aut maxima eorum pars, aut ad minimum tres eorum illum ordinent: vel saltem Patriarcha, aut Primas; si commodius per ipsum id possit fieri: Quæ omnia ex iam dicendis fient manifestissima.

I.

a *Epiph. hær. 75.*

In Constitutionibus, quæ vocantur Apostolicæ, post descriptum modum electionis Episcopi, & habito consensu omnium; [b] Tunc, facto silentio, *inquiunt*, vnus ex primis Episcopis; *hoc est*, *Metropolitanus*, vna cum duobus alijs, stans propè altare, reliquis Episcopis, & Presbyteris tacitè precationem facientibus, & Diaconis aperta Euangelia super caput eius qui ordinatur tenentibus, in hunc modum precetur, &c.]

II.

b *Constit. Apost. l. 8. c. 2.*

Anacleti Epistola, quid illo tempore quo est conscripta, in Ecclesia seruaretur, satis ostendit: quæ ex Petri institutione, sic tradit; [c] Ordinationes Episcoporum, autoritate Apostolica ab omnibus qui in eadem fuerint Prouincia Episcopis, sunt celebrandæ: qui simul conuenientes, scrutinium diligenter agant; ieiuniumque cum omnibus celebrent precibus; & manus, cum sanctis Euangelijs, quæ prædicaturi sunt, imponentes; Dominica die, hora tertia orantes, sacraque vnctione, exemplo Prophetarum, & Regum, capita eorum, more Apostolorum, & Moysis, vngentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cuius virtus inuisibilis sancto chrismati est permixta: & hoc ritu, solennem cele-

III.

c *Anacl. Ep. 2. Dist. 63. c. 2.*

brent ordinationem. Quod si simul omnes conuenire minime poterunt, assensum tamen suis precibus præbeant, vt ab ipsa ordinatione animo non desint. Porro & Hierosolymitarum primus Archiepiscopus B. Iacobus, qui Iustus dicebatur, & secundum carnem Domini nuncupatus est frater, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis est ordinatus; successoribus videlicet dantibus formam eorum, vt non minus quam à tribus Episcopis, reliquisq; omnibus assensum præbentibus, vllatenus Episcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur.] A Prouincialibus ergo Episcopis fiebant tunc Episcopi in ipsa Prouincia. A

IV. In ea verò Epistola quæ Aniceti nomine inscribitur, sic habemus: [a] Scimus Beatissimum Iacobum, qui dicebatur Iustus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis, Hierosolymorum Episcopum esse ordinatum. Si autem non minus, quam à tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus Episcopus, patet profecto, eos formam instituente Domino tradidisse, non à minus quam à tribus Episcopis, Episcopum ordinari debere. Sed crescente numero Episcoporum, nisi necessitas interuenerit, debent etiam plures augeri; id est, si Archiepiscopus diem obierit, & alter ordinandus Episcopus electus fuerit, omnes eiusdem Prouinciæ Episcopi ad sedem Metropoleos conueniant, vt ab omnibus ipse ordinetur. Oportet autem vt ipse qui illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur, & ordinetur. Reliqui verò comprouinciales Episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus, à tribus, iussu Archiepiscopi consecrari possunt Episcopis. Sed melius est si ipse cum omnibus, eum qui dignus est elegerit; & cuncti pariter sacrauerint Pontificem. Et licet istud, necessitate cogente, concessum sit; illud tamen quod de Archiepiscopi consecratione prædictum est, atque præceptum, id est, vt omnes suffraganei eum ordinent; nullatenus immutari licet: quia qui illis præest, ab omnibus Episcopis, quibus præest debet constitui.] B C

[a] Anicet. ep. Vn. Dist. 64. c. 4.

V. Ne putes tamen ordinationes has Episcoporum, ex his apocryphis constitutionibus, & decretalibus, legem in Ecclesia sumpsisse; non enim lege vlla certa, non Canone, non præcepto, aut diuidi cœperunt Prouinciæ, aut ordinationum Episcopalium modus præscribi; sed ipsimet Episcopi, & ratione, & experimento dictante, & Spiritu Christi interne instruente, vt confusio vitaretur, & simultatibus atque schismatibus occasiones præciderentur, paulatim inuexerunt morem & consuetudinem, vt circumuicini Episcopi certis limitibus inclusi, sese inter se ordinarent: ac ne semper omnes conuenire cogerentur, quod erat valde incommodum, & Ecclesijs non nihil perniciosum, similiter consuetudinem inuexerunt, vt vnus ex ipsis, nomine cæterorum, ordinationes perageret: atque hunc illum esse voluerunt, & more introduxerunt, qui in Metropoli illius Prouinciæ suam sedem haberet.

VI. Id igitur totum ad solam consuetudinem spectare optime colligo ex facto Cæciliani Carthaginensis, & dicto Augustini: Vacante enim sede Carthaginensi per obitum Mensurij, [b] Botrus, & Cælesius, vt narrat Optatus Meleuitanus, qui ambibant dictam sedem, operam dederunt, vt, absentibus Numidis, soli vicini Episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus Diaconus eligitur; & manus imponente Felice Aptungitano Episcopo, ordinatur. Botrus & Cælesius de spe sua deiecti sunt.] Hi postea in rabiem versi, contra Cæcilianum turbas excitarunt; quod fuit initium grauissimi schismatis Donatistarum. Cupientesque Cæcilianum deijcere, dicebant ipsius ordinationem nullam esse; tum quod Felix, cum esset traditor, (vt ei appingebant, sed falso) sacrorum librorum, illum ordinaris: tum quod Primas Africæ Prouinciæ, nempe Carthaginensis, debuerit ordinari ab alio Primate alterius Prouinciæ, puta Numidiæ; & non à priuato Episcopo. Vt hanc posteriorem soluat obiectionem Augustinus, sic loquitur: D E

[b] Optat. cont. Parmen. l. 1.

VII. [c] Quod non expectauerit Cæcilianus, vt Princeps à Principe, (*Hoc est Primas à Primate*) ordinaretur, cum aliud habeat Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, (*non dicit lex, canon, aut regula*) vt non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi, Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis ordinent; sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus: Hoc autem dicentes de sua consuetudine, quam nescio quando instituerunt, Ecclesiæ Catholicæ præiudicare conabantur: quæ consuetudo, si antiqua esset, hoc ipsum obiecissent Cæciliano, quando eum absentem damnauerunt.] Hæc Augustinus. Vt vicini itaque Episcopi ordinent Episcopum vicinum, etiam Metropolitanum, vel Primatem, vel Patriarcham; tametsi vicinus ille Episcopus sit simplex

[c] Aug. Breuic. collat. die 3. c. 5.

A plex Episcopus, non Metropolitanus, aut Primas, antiqua erat consuetudo tempore Cæciliani; cuius ordinatio præcessit Concilium Nicænum viginti annos: neque agnoscit Augustinus vllam consuetudinem antiquam, nisi nuper à Donatistis excogitatam, vt Primas non ordinetur, nisi à Primate: quamuis postea etiam hæc sit, vt videbimus, introducta: non vt necessaria, & continua, ac vniuersalis; sed vt condecens, & alicubi, vbi fuerit opportunum.

VIII.

Consuetudinem hanc, vt Metropolis Episcopi, ordinarent alios suæ Prouinciæ Episcopos, iam in Ecclesia vniuersali inolitam, tanquam optimam, imò & necessariam, lege vniuersali, magna Nicæna Synodus, quarto Canone sanxit, & corroborauit: [a] Episcopum, *inquit*, conuenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in Prouincia Episcopis ordinari, si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum conuenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus; tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per vnamquanque Prouinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.] Et Canone 6. hæc addidit. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere.] Quod fuit non multo post in Concilio Arelatensi 2°. iuxta magnam, *inquit*, Synodum repetitum. Quartum vero iam dictum Canonem in sensu paulo ampliori intellexerunt, & citarunt Episcopi primi Concilij Constantinopolitani, in suo Synodico libello, ad Episcopos Occidentales, hoc pacto: [b] De administrationibus &c. *vt habes supra cap. 3. num. 32.* significant igitur eodem eiusdem Concilij decreto, liberum fuisse Episcopis comprouincialibus, vbi conuenissent ad Episcopum suæ Prouinciæ ordinandum, etiam alios finitimos aliarum Prouinciarum Episcopos aduocare. Eundem Canonem explicauit Siricius Papa, his verbis: [c] Ne vnus Episcopus Episcopum ordinare præsumat, propter arrogantiam; ne furtiuum beneficium præstitum videatur. Hoc enim in Synodo Nicæna constat esse definitum.] Idem totidem verbis reperiit paulò post Siricium [d] Innocentius primus. Et septima Synodus generalis, vt excludat Laicos, eundem Canonem [e] recitat; quem ego alias explicabo. Sanè in Concilio Arelatensi primo, ante Nicænum, à Constantino Magno, pro causa Cæciliani Carthaginensis iusso congregari, hæc eadem consuetudo Prouinciali decreto fuerat stabilita. Decretum vero tale est: [f] De ijs qui vsurpant sibi, quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit, vt nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum alijs septem Episcopis. Si tamen non potuerint septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare.]

a *Conc. Nicæn. 1. 4. & c. 6. habetur dist. 64. c. Episcopi.*

b *Apud Theodor. l. 5. c. 9.*

c *Siric. ep. 4. c. 2.*

d *Innocent. 1. ep. 1. c. 1.*

e *Sept. Syn. c. 3.*

f *Concil. Arelat. 1. c. 21.*

IX.

Vt omnes Episcopi vnius Prouinciæ (erant autem tunc Prouinciæ Ecclesiasticæ paucæ, & patentissimæ) conuenirent, quoties esset Episcopus consecrandus, erat perquam incommodum: ad tres igitur saltem rem prudenter reduxerunt; cum reliquorum tamen per literas approbatione, vt constabit inferius. Qui sane tres Episcopi consecratores, debuerunt esse eiusdem Prouinciæ; quibus nota esset, & persona promouendi, & necessitas Ecclesiæ vacantis: non quicunque, & vndecunque collecti. Hoc enim iam prohibitum fuit Canone Nicæno, [g] ne quis in aliena Prouincia, faceret Episcoporum ordinationes. Et certum est Episcopos consecratores, fuisse quoque ordinarios electionum, electorumque confirmatores, & approbatores; & consequenter examinatores, ac indagatores. Nunc vero, proh dolor, lex hæc sanctissima, de tribus ad minimum consecratoribus, more Pharisaico, sicut & plurimæ aliæ, ac præcipuæ, quibus regenda est, iuxta traditiones Apostolicas, & Canones venerandos, Ecclesia; ad externam solam speciem, non sine ludibrio, redacta est; dum summus Pontifex solus sæpissimè, & eligit, & approbat, & confirmat, & deputat Episcopos: eosque tradit tribus quibuscunque obuijs Episcopis, etiam ex remotissimis, ac inter se distantissimis; siue etiam meris titularibus, qui re vera nullius sint Ecclesiæ, nulliusque Prouinciæ Episcopi, consecrandos. Quod est turpiter sacris illudere Canonibus: & tamen Nicænus Canon Episcopum non esse definit, qui sic per ludibrium sit consecratus.

g *Concil. Nicæn. c. 6.*

X.

De hac Episcoporum ordinatione in Prouincia, post Nicænum Concilium, alia diuersarum Prouinciarum Concilia sæpissimè tractarunt, & eam Decretis munierunt: quippe quam ad publicam Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem; nec non ad bonam Pastorum Ecclesiasticorum institutionem, tutumque eorum delectum, plurimum in se ponderis habere cognoscebant.

XI.

Laodicænum cap. 12. [h] Vt Episcopi, iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum,

h *Dist. 24. c. Episc.*

rum, qui circumcirca sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam potestatem: ij videlicet, qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quam rectè conuersationis exemplo.] Theodoretus ordinationem Euagrij à Paulino Antiocheno factam, his reprehendit verbis; [a] Cum Euagrius contra legem Ecclesiæ designatus esset, quippe solus Paulinus eum ordinauerat, in qua re complures simul Canones violauit; siquidem Canones neque faciunt potestatem cuiquam iam mortem oppeturo, quenquam in locum suum sufficere, atque omnes Prouinciæ Episcopos iubent in vnum ad eam rem conuocari. Quinetiam vetant quenquam absque tribus Episcopis Episcopum constitui.] Legitima ergo Episcopi electio non est, neque Ecclesiasticis Canonibus conformis, vbi vnus solus & eligit personam (vt nunc fit Romæ) & consecrat: sed in prouincia, conuocatis omnibus Episcopis illius prouinciæ, ab illis est electio, & consecratio facienda. Neque repugnant hi Canones Augustino, supra à nobis cap. 3. num. 19. huius, producto, dum negant successorem posse sibi Episcopum sufficere. Aliud enim est sufficere, aliud designare: aliud item est si Episcopus solum totum id peragat, aliud si plebis consensu id faciat, aliud similiter est successorem sibi iam in actu constituere, & plene ordinare, aliud verò coadiutorem de consensu cleri & plebis assumere, post mortem tamen successurum, & à quibus debet, consecrandum.

a *Theodor. hist. l. 5. c. 23.*

XII. Antiochenum cap. 19. [b] Episcopus, præter Synodum, & præsentiam Metropolitani, nullatenus ordinetur. Hoc autem modis omnibus coram posito, melius quidem est, vt omnes simul adsint, eiusdem Prouinciæ Sacerdotes, quos Metropolitanus Episcopus aduocare debebit. Et siquidem omnes occurrerint, optime; quod si hoc difficile fuerit, saltem plures adesse omnimodo conuenit: aut certe scriptis eiusdem sententiæ comprobari; & ita sub plurimorum, vel præsentia, vel decreto, ordinatio celebretur. Quod si secus, contra definita factum fuerit, nullas ordinatio vires habeat: si vero iuxta definitam regulam fiat, & nonnulli, pro contentione propria contradicant, obtineat sententia plurimorum.]

b *Dist. 65. c. Episcopus non est.*

XIII. Sardicense cap. 5. [c] Osius Episcopus dixit; si contigerit in vna Prouincia, in qua plurimi fuerint Episcopi, vnum forte remanere Episcopum; ille verò per negligentiam noluerit ordinare Episcopum, & populi conuenerint, Episcopi vicinæ prouinciæ debent illum prius conuenire Episcopum, qui in ea Prouincia moratur; & ostendere, quod populi petant sibi Rectorem; & hoc iustum est, vt & ipsi veniant, & cum ipso ordinent Episcopum. Quod si conuentus literis tacuerit, & dissimulauerit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, vt veniant ex vicina Prouincia Episcopi, & ordinent Episcopum.] Aliter tamen Græcus habet textus, cuius vera versio in decreto Gratiani Gregoriano, sic habet: Osius Episcopus dixit; si qua in Prouincia, in qua plurimi sunt Episcopi, contigerit vnum Episcopum morari absentem, neque is, propter negligentiam quandam, conuenire voluerit, neque Episcoporum creationi consentire; populi vero congregati postulent eum, quem ipsi expetunt, Episcopum constitui: primum oportet Episcopum illum, qui absens moratur, admoneri literis Primatis Prouinciæ, (*nimirum Episcopi Metropolitani*) de populorum postulato, pastorem sibi dari petentium: recte autem se habere puto eum quoque, vt interfit, expectari. Quod si neque per literas rogatus affuerit, ac ne rescripserit quidem, satisfaciendum populi voluntati est. Conuocari autem oportet ex vicina etiam Prouincia Episcopos, ad Metropolitani Episcopi creationem.] Quod habet hic canon de conuocatione Episcoporum ex Prouincia vicina, pro ordinatione Metropolitani; Patres Concilij Constantinopolitani, vt supra vidimus, canoni quarto Nicæno addiderunt: & in omni ordinatione etiam simplicis Episcopi; sed sub libertate Episcoporum Comprouincialium, si id ita eis placeret posuerunt.

c *Dist. 65. c. fin.*

XIV. Carthaginense secundum, cap. 12. [d] Placet omnibus, vt inconsulto Primate cuiuslibet Prouinciæ, tam facile nemo præsumat, licet cum multis Episcopis, in quocunque loco, sine eius, vt dictum est, præcepto, Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocunque loco sint, cum Primatis præcepto, ordinare debeant Episcopum.] Atque hoc est quod habetur in Nicæno, firmitatem harum ordinationum, pendere à Metropolitano; &, non esse Episcopum, qui præter sententiam Metropolitani factus fuerit. In tertio vero Carthaginensi, Honoratus, & Vrbanus conquesti, duos Numidiæ Episcopos Episcopum ordinasse, proponebant vt fieret decretum, non nisi à duodecim Episcopis, debere Episcoporũ ordinationes celebrari. Sed Aurel. Carthag. dixit: [e] Forma antiqua seruabitur, vt non minus quam tres sufficiant, qui fuerint destinati, ad Episcopum ordinandum.] Antiquam formam vocat fortasse etiam ante Concilium Nicænum vsitatam: Hoc enim

d *Dist. 31. c. Placet omnibus.*

e *Concil. Carthag. 3. c. 9. & Afric. c. 16.*

Concilium

A Concilium septuaginta circiter annis post Nicænum, Siricij temporibus est celebratum. Arelatense verò primum ante Nicænum idem statuerat, vt supra n. 8.

XV.

Carthaginense 4. cap. 1. exposito examine Episcopi ordinandi, [a] Cùm in his, *inquit*, omnibus examinatus, fuerit inuentus plenè instructus; tunc cum consensu Clericorum, & Laicorum, & conuentu totius Prouinciæ Episcoporum, maximèque Metropolitani vel autoritate, vel præsentia, ordinetur Episcopus.] Secundus verò eiusdem Concilij Canon est huiusmodi; [b] Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem super caput, & ceruicem eius; & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.]

a *Dist.* 23. c. *Qui Episcopus*

b *Dist* 24. c. *Episcopus.*

XVI.

Taurinatense controuersiam inter Proclum Massilienſem, & Episcopos secundæ Narbonensis, circa Primatum Metropoliticum, totam in ordinandi iure disquirit, & definit.

B Ita etiam aliam controuersiam inter Arelatensem, & Viennensem Episcopos, circa Primatum eundem Metropoliticum, solo iure ordinandi definiuit. Ait enim se definire; [c] Vt qui ex eis comprobauerit suam ciuitatem esse Metropolim, is totius Prouinciæ honorem Primatus obtineat; & ipse, iuxta præceptum Canonum, ordinationum habeat potestatem.] Atque hinc est, quod Theodoretus Paulinum Antiochenum reprehendit, qui solus sibi successorem ordinârat Euagrium. [d] In qua re, *inquit*, complures simul Canones violauit: si quidem Canones neque faciunt potestatem cuiquam iam mortem oppetituro, quenquam in locum suum sufficere; (*hoc iam supra cap. 3. num. 21. explicauit*) atque omnes Prouinciæ Episcopos iubent in vnum ad eam rem conuocare. Quinetiam vetant rursus quenquam, absque tribus Episcopis, Episcopum constitui.]

c *Concil. Taurinense 1.*

d *Theodor. l. 5. c. 23.*

XVII.

Regiense vehementer arguit abusum, quod in illis partibus Ecclesiæ sanctæ Canonibus, ac reuerendis Patrum constitutionibus omni ex parte neglectis, absque trium Episcoporum præsentia, absque comprouincialium literis, absque Metropolitani autoritate, irritam ordinationis speciem, à duobus temerè conuenientibus præsumptam fuisse clareret. Admissisque pœnitentibus illis, qui deliquerint, ad veniam, concludit Concilium in primo Capitulo; [e] Itaque ordinationem quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam esse censuimus: in qua, prætermissa trium præsentia, nec expetitis Comprouincialium literis, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod Episcopum faceret ostensum est.] Eundem abusum damnat Concilium etiam Araulicanum primum, cap. 21. depositionisque pœnam infert tam ordinatoribus, quàm ordinato.

C

e *Concil. Regien. c. 1.*

XVIII.

Concilium Chalcedonense supponit Episcoporum ordinationes totas penitùs à voluntate Metropolitanorum pendere; dum sic statuit cap. 25. [f] Quoniam quidam Metropolitanorum, quantum comperimus, negligunt commissos sibi greges, & ordinationes Episcoporum facere differunt; placuit sanctæ Synodo intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari; nisi fortè necessitas inexcusabilis præparet tempus dilationis extendi: Quod si hoc minimè fecerit, correptioni Ecclesiæ subiacebit: Veruntamen redditus Ecclesiæ iudicatæ, penes œconomum eiusdem Ecclesiæ integri reseruentur.]

D

f *Dist. 75. c. Quoniam quidem.*

XIX.

Tarraconense cap. 5. [g] Si quis, *ait*, in Metropolitana ciuitate non fuerit Episcopus ordinatus; postquam, susceptâ benedictione, per Metropolitani literas, honorem fuerit Episcopi adeptus, id optimum esse decreuimus, vt postmodum, statuto tempore, id est, impletis duobus mensibus, se Metropolitani sui repræsentet aspectibus; vt ab illo monitis Ecclesiasticis instructus, plenius quod obseruare debeat recognoscat. Quod si fortè hoc implere neglexerit, in Synodo increpatus, à fratribus corrigatur. Et si fortè infirmitate aliqua, ne hoc impleat, fuerit præpeditus, hoc suis literis Metropolitano indicare procuret.]

g *Dist. 65. c. 8.*

XX.

In collectione Martini Bracharensis, cap. 4. ponitur Canon. 4. Nicænus, sub suis verbis; [h] Episcopum oportet maximè quidem ab omni Concilio constitui: &c. vt supra num. 8. Et cap. 3. ponitur Canon 19. Concilij Antiocheni, his verbis; [i] Non debet ordinari Episcopus, absque consilio, & præsentia Metropolitani, &c. vt supra n. 12.

E

h *Dist. 64. c. 7.*

i *Dist. 63. c. 2.*

XXI.

Epaunense; [k] Prima, *inquit*, & immutabili constitutione decretum est, vt cùm Metropolitanus fratres vel comprouinciales suos ad Concilium, aut ad ordinationem cuiuscunque consacerdotis crediderit euocandos, nisi causa euidentis tædij exstiterit, nullus excuset.]

k *Concil. Epaunense. c. 1.*

XXII.

Aurelianense quartum; [l] Id etiam regulariter esse perspeximus decernendum, vt Episcopus in ciuitate, in qua per decretum eligitur, ordinandus in sua Ecclesia, cui præfuturus est, consecretur. Sane si subito necessitas temporis hoc implere non patitur, licet melius esset in sua Ecclesia fieri, tamen, vt sub præsentia Metropolitani, aut certe eius autoritate,

l *Concil. Aurel. 4. c. 5. & idem quartum c. 10.*

toritate, intra Prouinciam omnino à Comprouincialibus ordinetur. Item quintum sic habet; Vt nullum Episcopatum præmijs, aut comparatione liceat adipisci: sed cum voluntate Regis, iuxta electionem Cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus continetur scriptum, consensu Cleri ac plebis, à Metropolitano, vel quem vice sua miserit, cum Comprouincialibus Pontifex consecretur. A

XXIII. Turonicum secundum: [a] Adijcimus etenim, ne quis Britannum, aut Romanorum, in Armorico, sine Metropolitani aut Comprouincialium voluntate, vel literis, Episcopum ordinare præsumat. Quod si quis contraire tentauerit, sententiam in anterioribus Canonibus prolatam obseruet, & a nostra charitate, vsque ad maiorem Synodum, se cognoscat remotum, & excommunicatum: quia merito à charitate nostra, vel nostris Ecclesijs segregantur, qui Patrum statuta contemnunt.]

a Conc. Turonic. 2. c. 9.

XXIV. In Parisiensi secunda Synodo sub Pelagio primo; Patres, qui deposuerunt Stephanum Parisientem Episcopum ob eius delicta, sic loquuntur: [b] Igitur tam aperta confessione, secundum sententiam Canonum, quæ de huiusce modi transgressione, in Aurelianensi Synodo nuper habita, sunt decreta; à Metropolitano, cui redigendi actio, vel ordinatio, de Comprouincialibus eius Ecclesiæ manet in memorata Vrbe, scripta seruentur, ac regulariter peragantur, vt disciplinæ modus maneat: & qui tanto ordini præsunt, adiuuante Christo, bonæ vitæ autoritate viuentes, quem secundum ordinem sacrum possitis ordinare, prouideant, vt nec falsa obiectio culpæ maculet innocentes, & illi qui inuenti, & comprobati in culpa fuerint, in nulla distinctione habeantur immunes.] In tertia verò est Canon grauissimus huiusmodi: Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta Canonum violantur; placuit, vt iuxta antiquam consuetudinem, Canonum decreta seruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus; nisi quem populi & Clericorum electio plenissima quæsierit voluntate: non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Episcoporum Comprouincialium ingeratur. Quod si per ordinationem Regiam honoris istius culmen persuadere aliquis nimia temeritate præsumpserit; à Comprouincialibus loci ipsius Episcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum cognoscunt. Si quis de Comprouincialibus recipere, contra interdicta præsumpserit, sit à fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium charitate remotus. Nam de actis ordinationibus Pontificum ita conuenit, vt coniuncti Metropolitanus cum suis Comprouincialibus Episcopis, vel quos vicinos Episcopos eligere voluerit, in loco vbi conuenerint, iuxta antiqua statuta canonum, omnia communi consilio, & sententia decernantur.] Ex hoc canone colligo tunc Reges fuisse solitos sua sola Regia autoritate, contempta Ecclesiastica ordinatione, Episcopos in sedes Episcopales intrudere. Et hoc merito hîc reprehenditur. B C

b Conc. Paris 2. & idem tertius c. 8.

XXV. Toletanum 4. postquam excluſit eos, qui ad Episcopatum non sint promouendi, pergit ita statuere: [c] Quicunque igitur deinceps ad ordinem Sacerdotij postulatur, & in his, quæ prædicta sunt exquisitus, in nullo horum deprehensus fuerit, & examinatus, probabilis vita, atque doctrina extiterit; tunc, secundum Synodalia, vel decretalia constituta, cum omnium Clericorum, vel ciuium voluntate, ab vniuersis Comprouincialibus Episcopis, aut certe à tribus in Sacerdotem, die Dominica consecrabitur; conniuentibus cæteris, qui absentes sunt, literis suis; & magis autoritate, vel præsentia eius, qui est in Metropoli constitutus. Episcopus autem Comprouincialis ibi consecrandus est, vbi Metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem non nisi in Ciuitate Metropoli; Comprouincialibus ibidem conuenientibus. Si quis autem contra prædicta vetita Canonum, ad gradum Sacerdotij indignus aspirare contenderit, cum ordinatoribus suis, adepti honoris periculo subiacebit.] D

c Conc. Tolet. 4. c. 18.

XXVI. In Pictauiensi Concilio, sub Paschali secundo, quando Ecclesia Romana tantopere pugnabat contra Principum inuestituras, facta est aperta confessio, [d] Episcopos à suo Metropolitano; Abbates verò & Presbyteros, à suo Episcopo accipere debere donum suarum Ecclesiarum. Omitto alia Concilia: & ex Patribus, præsertim Romanis Pontificibus, argumentum quod tracto confirmo. E

d Apud Baron. to. 12. an. 1100

XXVII. Ambrosius Simoniam insectans; [e] Videas, *inquit*, in Ecclesia passim, quos non merita, sed pecuniæ ad Episcopatus ordinem prouexerunt: Nugacem populum, & indoctum, qui talem sibi acciuerunt Sacerdotem: quos si percontari fideliter velis, quis eos præfecerit Sacerdotes; Respondent mox & dicunt, ab Archiepiscopo sum nuper Episcopus ordinatus, &c.] Et infra: Nempe hoc est quod doleo, quia Archiepiscopus carnaliter Episcopum

e Ambr. de dign. Sacer. c. 5.

A copum fecit.] De se verò ipso tanquam Metropolitano, cui subeiat Ecclesia Vercellensis, dum sede illa vacante promtio protelaretur, ait: [a] Confligor dolore, quia Ecclesia Domini, quæ est in vobis, Sacerdotem adhuc non habet: — &, quod verecundius est, mihi ascribitur vestra intentio, quæ affert impedimentum. Nam cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid, aut nos decernere, aut vos eligere, aut quisquam acquiescere, vt inter dissidentes suscipiat hoc munus, quod inter conuenientes vix sustinearur?] Hæc Ambrosius tanquam Metropolitanus, ad quem illa ordinatio spectabat. a *Idem ep.82.*

Innocentius primus, multa præscribit Victricio Rothomagensi: Ac primum; [b] Vt, extra conscientiam Metropolitani Episcopi, nullus audeat ordinare Episcopum. Integrum enim, *inquit*, est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur. Nec vnus Episcopus audeat ordinare Episcopum, ne furtiuum præstitum beneficium videatur. Hoc enim B & à Synodo Nicæna constitutum est, atque definitum.] XXVIII. b *Dist.64.* c *Extra.*

Leo Magnus; [c] Id statuentes, *inquit*, vt si quisquam fratrum nostrorum, in quacunque Prouincia decesserit; is sibi ordinationem vindicet Sacerdotis, quem illius Prouinciæ Metropolitanum esse constiterit.] *Item*: [d] Nulla ratio finit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec à Prouincialibus Episcopis, cum Metropolitani iudicio consecrati. Vnde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur; quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum?] Leo Papa pro non Episcopis habet eos, qui absque Metropolitano fuerint consecrati. XXIX. c *Leo ep.93.* d *Idem ep.95.*

Hilarus Papa, ad Tarraconenses Episcopos, ait: [e] Reprehensione non carebat allegatio, quæ Syluanum excusabat; quia præter conscientiam Metropolitani fratris, & Coepiscopi nostri Ascanij, nonnullis Ciuitatibus ordinatos claruit Sacerdotes: Vnde quoniam, quicquid ab alterutra parte est indicatum, omni videmus peruersitate confusum; C temporea necessitate perspecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere quod gestum est, vt nihil deinceps, contra præcepta B. Apostoli, nihil contra Nicænorum Canonum constituta tentetur. Hoc autem primum, iuxta eorundem Patrum Regulas, volumus custodiri; vt [f] nullus, præter notitiam, atque consensum fratris Ascanij Metropolitani, aliquatenus consecretur Antistes; quia hoc, & vetus ordo tenuit, hoc trecentorum decem & octo Patrum definiuit autoritas, cui quisquis obuius tenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum præceptionibus resultarit. — Talis protinus de Clero proprio Barcinocensibus Episcopus ordinetur, qualem te præcipue, frater Ascani, oporteat eligere, & deceat consecrare.] XXX. e *Hilar.ep 1. habetur 1.q.7. c. Quoniam.* f *Concil.Nicæn. cap 4.*

Gelasius; [g] Quia per ambitiones illicitas, non pudet quosdam Ecclesiarum iura turbare, ac priuilegia, quæ Metropolitanis, vel Prouincialibus Episcopis decreuit antiquitas, temeraria præsumptione peruadere; propter quod etiam communionis Apostolicæ desiderant dissidium tenere; quo scilicet ab eius autoritate diuisi, vel impunè proprias vsurpationes exerceant: non respicientes, quia æterno iudici rationem, tam de Catholicæ sinceritatis iniuria, quam de traditionum præiudicijs paternarum, non sine perpetuæ sint damnationis interitu reddituri, si in hac obstinatione permanserint; caritatem vestram duximus instruendam, vt vos omnes in commune fratres, siue per Dardaniam, siue per quamque contiguam Prouinciam constituti, qui vos sub Metropolitanis vestris esse meministis, & ab eisdem subsitui decernentes, sicut vetus consuetudo deposcit, vnanimiter statuatis Antistites: & vicissim, si Metropolitanus humanæ conditionis sorte decesserit, à Comprouincialibus Episcopis, sicut forma transmisit, sacrari modis omnibus censeatis: nec quenquam sibi, quod vobis antiqua dispositione concessum est, patiamini vendicare: quatenus & inter ipsas aduersantium voluntatum procellas, veterum regulas nullatenus custodire celletis, sicut persecutionum tempore diuersarum, Patres nostros constanter fecisse D non dubium est.] Videmus hic quantum Gelasius tribuat antiquis Canonibus, quos hodie conculcant ipsius successores. XXXI. g *Dist. 64.c.6.*

Gregorius ad Mediolanensem Archiepiscopum ita scripsit: [h] Illum vero Episcopum, quem a fraternitate tua inuenimus esse depositum; postquam sacri Canones, sicut nostis, vltra tres menses Ecclesiam præcipiant non vacare; si manifestum in eo crimen apparuit, loco eius Episcopum studij vestri sit modis omnibus ordinare: quia diu sine proprio Rectore esse non debet Ecclesia.] Et Rauennati [i] mandat, Vt, iuxta munus suum, consecret Episcopum Cornelienscm, quem Ecclesia illa in locum lapsi & electi eligerat. XXXII. h *Greg. l.6. Ind.15.ep.14.* i *Ibid. ep.29.*

Nicolaus, Bulgaris interrogantibus à quo sit Patriarcha ordinandus, respondet; [k] Scitote, quia in loco vbi nunquam Patriarcha, vel Archiepiscopus constitutus est, à maiori est E primitus XXXIII. k *Nicol. ad cons. Bulgar. c.73*

primitus instituendus: quoniam secundum Apostolum minus à maiori benedicitur: Deinde vero accepta licentia, & pallij vsu, ordinat ipse sibi deinceps Episcopos; qui successorem suum valeant ordinare. Vos tamen, siue Patriarcham, siue Archiepiscopum, siue Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle congruentius, quam à Pontifice sedis B. Petri, à quo & Episcopatus & Apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari valetis: in quo est hic ordo seruandus, vt videlicet à sedis Apostolicæ Præsule sit nunc vobis Episcopus consecrandus: qui, si Christi plebs ipso præstante crescit, Archiepiscopatus priuilegia per nos accipiat; & ita demum Episcopos sibi constituat, qui, ei decedenti successorem eligant, & propter longitudinem itineris, non iam huc consecrandus, qui electus est veniat, sed hunc Episcopi, qui ab obeunte Archiepiscopo cõsecrati sunt, simul congregati constituant: sane interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium à sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Episcopi agere comprobantur.] Potuisset tamen Archiepiscopus, nondum accepto pallio, committere vni ex suis Episcopis, alterius Episcopi consecrationem; vt habet inferius Papa Alexander tertius, num. 36. Quod ait, primam Patriarchæ, vel Archiepiscopi, hoc est Metropolitani de nouo institutionem, ad Romanum spectare Pontificem, sibi ipsi, sed gratis, blanditur; vt alibi explico; nunc nobis satis sit, Nicolaum fateri, imo docere ex Cathedra, Episcopos Prouinciæ, suum eligere, & ordinare Metropolitanum: ipsum vero Metropolitanum, suos ordinare suffraganeos. Quod similiter ait, id Metropolitanum, siue Archiepiscopum posse, postquam priuilegia, à sede Apostolica Romana, acceperit; & hoc infra suo loco excutietur; vbi de pallio absoluetur disputatio.

XXXIV. Leo 9. [a] primam potestatem, primumque munus Archiepiscopi, & ipse fatetur, & declarat, circa Episcoporum ordinationem occupari.

a Leo 9. ep. 3. 4.

XXXV. Alexander 2. Geruasio Archiepiscopo Remorum scribens, pestem simoniæ detestatur; eiusque culpam, maxime in Archiepiscopos conijcit, his verbis; [b] Quod totum sane Archiepiscopis imputamus: Nemo enim simoniacus emptionem iniret, si se consecrandum fore desperaret. Sed quia Archiepiscopi sine discretione consecrant; multi indiscrete ad Episcopatus aspirant.]

b 1. ex epistolas Steph. Tornac. ep. 13.

XXXVI. In libro primo Decretalium Gregorij 9. inter iura noua reponitur Decretum Concilij Arelatensis, tale videlicet; [c] Ne Episcopi sine Metropolitani permissu, nec Metropolitanus sine tribus, vel duobus Episcopis comprouincialibus, præsumat Episcopum ordinare; ita vt alij Episcopi comprouinciales admoneantur epistolis, vt se suo responso significent consensisse. Quod si inter partes aliqua dubitatio fuerit, maiori numero Metropolitanus consentiat.] Et aliud Alexandri tertij; [d] Suffraganeis alicuius Metropolitani, ad mandatum ipsius, post confirmationem electionis suæ, etiamsi pallium non receperit, licitum est electum, qui ad eius iurisdictionem pertinet consecrare.] Et Lucij: [e] Si Archiepiscopus obierit, & alter fuerit ordinandus, omnes Episcopi eiusdem Prouinciæ ad sedem Metropolitanam conueniant, vt ab omnibus ordinetur. Reliqui vero comprouinciales Episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus, à tribus iussu Archiepiscopi poterunt ordinari, sed melius est si ipse cum omnibus eum qui dignus est elegerit, & cuncti pariter Pontificem consecrauerint.] Et Innocentij tertij ad Archiepiscopum Turonensem, [f] Nos siquidem decreuisti prouide consulendos; vtrum, si forte aliqua infirmitate, vel alia causa iusta detentus, aliquem suffraganeorum tuorum consecrare non possis, alicui Coepiscoporum tuorum, vices tuas, licitum committere tibi esset: & vtrum electus, qui pro consecratione instaret, ab eo, cui vices tuas taliter commisisses, deberet licite consecrari: in quo tale damus tuæ consultationi responsum; Quod in tali articulo constituto, & tuas vices vt dictum est, committere tibi licet; & consecrandus debet munus consecrationis ab eo recipere, cui eas duxeris committendas.] Et alibi; [g] Episcopi, *inquit*, à Metropolitanis suis munus consecrationis accipiunt.

c De tempor. ordin. & qual. &c. c. Ne Episcopi.

d De elect. c Suffraganeis.

e De tempor. ordinat. Si Archiepiscopus.

f De off. Iud. ord. c. Quia sedem.

g De translat. Epis. c. Inter corporalia & de Cler. coniug. c. Cum olim.

Iuo, sacrorum Canonum eruditissimus, non modò sæpius Episcopos Comprouinciales, imo etiam suum [h] Metropolitanum Sennonensem, cum suis tamen Collegis consecrauit; sed etiam factum defendit. Sicubi vero audis ipsum [i] Iuonem esse ordinatorem, & consecratorem Episcoporum suæ Prouinciæ, qui non erat Metropolitanus, sed simplex Episcopus Carnotensis; intellige id eum muneris, simul cum suis Comprouincialibus, & Consuffraganeis, solitum obire: & fortasse inter ipsos, propter doctrinam, & in rebus gerendis excellentiam, primum locum, reliquis illum ei deferentibus, obtinuisse.

XXXVII

h Iuo ep. 59.

i Iuo ep. 58.

Idem

XXXVIII.

A Idem Iuo rursus, pro iure hoc consecrationis, pugnauit cum Hugone Legato; sic enim scribit: [a] Verum, de eo quod consecrationem Niuernensis electi, ad nostram Diœcesim pertinentem, Augustoduni facere disposuistis; simpliciter dico paternitati vestræ, quia nec dispositionem vestram reprehendimus, quoniam reuerentiæ vestræ deferimus, nec tamen approbamus; quia, nec ex autoritate, nec ex consuetudine, ordinem huius consecrationis habemus; neque in consuetudinem ducere, sine multa consideratione audemus; timentes rei fieri sponsionis, quam Metropolitanæ sedi fecimus. Cuius Præsides, si non rectè incedunt, videtur nobis, secundum Dominicum præceptum, enormitas eorum deuitanda, non uicacia arguenda; non autem potestas Cathedræ, quæ non sacris locis propter personas huius temporis, sed, propter sacra loca, personis conceditur, est euertenda. Cùm ergo Metropolitana sedes, ad præsens, ab hoc officio suspensa sit; possemus nos, pro sede Metropolitana, confratribus nostris, secundum consuetudines nostras, intra Diœcesim, hoc sacramentum consecrationis implere; confirmata per Ministerium vestræ legationis, prætaxatæ personæ electione, quam aliter facientes quam cum ea, vel pro ea, vel non confirmantes, videremur prælatam nobis Cathedrã, quodammodo subuertere. Quod si aliquando contigit, penuria Catholicorum Episcoporum, vel aliqua alia necessitate cogente, aliquem Episcopum, â comprouincialibus non fuisse consecratum; non debent hæc exempla præiudicium facere legi communi, vel generali consuetudini. Licèt enim prudentia vestra velit, & debeat, Ministerium suum honorare, reminisci tamen debet, quia, cùm Petrus Paulo esset prælatus, dederunt tamen sibi inuicem dexteras societatis, vt alter in Gentibus, alter in circuncisione prædicaret Euangelium. Attendat ergo discretio vestra, vtrum hoc ita fieri liceat; & si liceat, vtrum expediat; ne fortè odisse, & derrectare incipiant iugum vestrum, quos multis habere subiectos; dum hoc exemplo, suo se intellexerit iure esse priuandos. Quanta autem firmitate, singulis Ecclesijs, sua sint iura seruanda, demonstrat Stephanus quintus Papa, ita scribens Walberto Patriarchæ: Miramur prudentiam vestrum, Cumensi Ecclesiæ denegare consecrare Pastorem, cùm te etiam adhuc prouocatum noueris Apostolica exhortatione. Nunc verò iterato tibi scribimus, nolentes alicuius Ecclesiæ priuilegium infringere; licet Apostolica prærogatiua possimus, de qualibet Ecclesia, Clericum ordinare. Cùm ergo præcipua virtus sit viri illustris Parcere subiectis, & debellare superbos, cauendũ est vestræ solertiæ, ne glorientur aduersus nos recalcitrantes aduersus nos tanquam plus profuerit eis sua repugnantia, quam nobis obedientibus nostra obedientia. Sed non est opus vt nos multum in dicendo laboremus, quia nihil vltra terminos Patrum, vestram moderationem vsurpare arbitramur.] Mitto alios, ne tædio sim Lectori.

[a] Ioa. Epi. 61.

XXXIX.

Pallium profectò, quod Metropolitanis datur, vt infra explicabitur, eo potissimùm datur, vt iam ipsi possint, plena autoritate, Episcopos suæ Prouinciæ, ordinare, & consecrare: atque hæc est prima, & præcipua potestas, quam secum fert pallium; vt infra videbimus.

XL.

Quantum verò momenti, & antiquissima hæc consuetudo, & hi sanciti in Ecclesia, iuxta eam, Canones, habuerint in mentibus Romanorum Pontificum, etiam non antiquissimorum; cognosce ex eorum factis, & attestationibus. Sanè Gregorius Magnus, de consecratione electi Mediolanensis, hæc rescribit Exarcho Italiæ; [b] Quia, quantum ex Cleri relatione didicimus, in Constantio filio nostro, Diacono eiusdem Ecclesiæ, omnium consistit electio; necesse fuit, pro seruanda consuetudine, militem Ecclesiæ nostræ, dirigere; qui cùm in quo omnium voluntates, atque consensum, concorditer conuenire cognouerit, à suis Episcopis, sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu, faciat consecrari.] Vetus profectò mos fuit, vt Episcopi comprouinciales suum Metropolitanum consecrarent; vt constat ex iam allegatis; & Glossa fatetur [c] de iure communi ita esse, sed Papas tamen contrarium facere.] Et in illo veteri more nullus fuit vnquam requisitus, aut putatus necessarius Papæ assensus. Quia tamen consuetudo iam alia inualuerat, vt Patriarchæ Metropolitanos sui Patriarchatus consecrarent, post introductam hanc consuetudinem, Mediolanensis, & Aquilegiensis, propter incommodum, quia nimirum à Roma distabant, obtinuerant à sede Apostolica, vt se mutuò [d] consecrarent: sed hoc etiam ipsum sub Pelagio, fuit [e] interruptum, occasione schismatum, quibus vterque hic Metropolitanus laborabat. Sicut ergo ex concessione sedis Apostolicæ liberati fuerunt, ne Romam ad accipiendam consecrationem venirent; ita in eandem libertatem Gregorius reponens Mediolanensem, permittit illum veteri consuetudini, vt à suffraganeis consecretur: sed suum vult interponi assensum. Quem licet vetus consuetudo non expectaret, neque requireret, Papa tamen

[b] Greg. l. 2. Ind. 11. Ep. 31.

[c] Glos. in c. Pudenda 24. q. 1. V. Apostolico.

[d] 11. q. 1. c. Illud est.

[e] 24. q. 1. c. Pudenda.

men post introductam iam recentiorem consuetudinem, vt Metropolitani à suo Patriarcha consecrentur, remittit Mediolanensi hanc obligationem; & loco eius substituit, vt ipsius assensus expectetur: sine quo vtique potuisset illum compellere, vt Romam veniret. Et hinc est quod ait idem Gregorius Ioanni Subdiacono, cui negotium hoc Mediolanensis noui Episcopi committebat: [a] Tunc enim à proprijs Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ autoritatis assensu, solatiante & auxiliante Domino, facias consecrari: quatenus huiusmodi seruata consuetudine, & Apostolica sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa alijs sua iura non minuat.] Reseruata obligatione vt ipsius assensus expectetur, vigorem sedis Apostolicæ retinet, cui consuetudo recentior dabat, vt Metropolitanos ipsa consecraret. Iura verò Episcopis suffraganeis non minuit, dum eos ad eadem iura, quæ ex alia recentiori consuetudine iam amiserant, sua voluntate, suoque assensu restituit. Dum ergo ait iura hæc antiqua suffraganeorum, ad suum Metropolitanum consecrandum, esse à Romana sede ei concessa, non significat ab antiquo id ab ipsi sede suffraganeos illos habuisse, quod ab ipsamet antiquissima Ecclesiastica consuetudine habebant; sed significat illos, ex assensu dictæ sedis, suum ius posterius acquisitum remittentis, ad illa restitui. Sic etiam Salonitanus in Dalmatia (cuius ego sedem teneo) Metropolitanus, in Romano Patriarchatu existens, mandat idem Gregorius, vt [b] cum ipsius decreto, sicut priscis fuit, *inquit*, temporibus ordinetur.] Priscam ordinationem intelligit, vt fiat à suffraganeis: addit tamen vt ipsius expectetur decretum, vt nouo iure vsum Patriarchali, quo potuisset etiam illum, ad accipiendam Romæ ab ipso ordinationem, aduocare. Quo etiam Honorius Papa respexit, quando pallia duo in Angliam misit quibus Archiepiscopis, vt se inuicem possent ordinare, [c] Ne sit, *inquit*, necesse ad Romanam vsque ciuitatem, pro ordinando Archiepiscopo fatigari.

a *Greg. l. 2. Ind. 11 ep. 30.*

b *Ibid. ep. 22. & l. 3. Ind. 12. ep. 16.*

c *Apud Bed. in hist. Ang. lib. 2. ca. 17.*

XLI.

Stephanus Papa huius nominis sextus, vt scribit Frodoardus, [d] noluit populo & Clero Lingonensi consentire, vt eis Episcopum Teutboldum, quem ipsi rite elegerant, consecraret: siquidem alium, propria sola electione, & autoritate, contra Canones, Lugdunensis Metropolitanus eis obtruserat consecratum. Ipse enim Stephanus, *inquit historia*, vniusculusque Ecclesiæ priuilegium inconcussum seruare volens, distulit: Scripsitque ad Lugdunensem, vt si cleri, populique vota in dictum Teutboldum concordarent; & sacri canones illi non obuiarent, manus ei imponere non differret. Promisit Lugdunensis, sed fefellit: neque voluit parere. Clerus verò & populus, suum electum Romam miserunt, cum tabulis suæ electionis, à Papa consecrandum: sed nec tunc Stephanus id agere acquieuit, volens Lugdunensi Ecclesiæ collatum priuilegium immutilatum consistere; iteratoque Lugdunensi rescripsit: Tunc Demum Papa vix illum consecrauit. In tali verò casu, vbi Metropolitanus aut negligit, aut censuris irretitus, alioue impedimento detentus non potest suum Episcopum consecrare, solet Primas, vel Patriarcha [e] supplere.

d *Apud Baron. to. 10. an. 882. num. 10.*

e *Ino ep. 2. 61. 157. Innoc. 3. lib. 2. ep. 3. & 8 9. 3. c. 2. & 9. 9. 3. ca. 20.*

XLII.

Gregorius 7. in hac parte canonum obseruantissimus, cum optime sciret, & aliquando etiam confessus esset, [f] Romanam Ecclesiam, habere certos suæ Prouinciæ, qui ad Romani Pontificis consecrationem spectarent Episcopos; noluit consentire, vt Melitensem Episcopum, vt rogabatur à quodam Comite, consecraret: nisi prius datis legatis, & cognitoribus, certo constaret, Melitensem non subijci in sui consecratione Metropolitano Regitano. Cui si subesse, vt dicebatur, fuisset inuentus: [g] Decet, *inquit*, atque necesse est, vt sic tua deuotio, in his præcipue quæ Dei sunt, sese æqualiter habeat; quatenus fraternæ charitatis, & concordiæ vinculum rumpere, & dilectionis vnitatem in inuicem scindere caueat; in mente habens, quod scriptum est: Si recte offeras, & recte non dijudicas peccasti.] Nouerat igitur, & peccatum esse, & fraternæ charitatis vnitatem scindere, vbi Archiepiscoporum iura vellet Papa sibi, præsertim in Episcoporum consecratione vsurpare.

f *Greg. 7. l. 6. post epist. 5.*

g *Idē l. 9. ep. 24.*

XLIII.

Quid igitur mirum, Si tanto iure muniti Metropolitani Catholici, aperto etiam Marte, Romanis Pontificibus in hoc non semel restituerint? Duo profero exempla. Geneuensi Ecclesiæ ex vna parte prouidit de pastore Metropolitanus Opteramus Viennensis; ex altera Papa Ioannes 8. Quomodo verò concertatio processerit, ex ipso Ioanne audiamus. Scribit ille hoc pacto ad dictum Opteramum: [h] Relatu veraci didicimus, sanctimoniam vestram in Geneuensi Ecclesia Episcopum consecrasse; cui nos, necessaria temporum qualitate perspecta, iam primum Clericis eiusdem Ecclesiæ suggerentibus, autoritate Apostolica præfeceramus Episcopum, nomine Opradum: Quo audito, audaciam, & temeritatem vestram nimium admirantes, ob id maxime turbati sumus, eo quod, non

h *Io. 8 ep. 292.*

A non solum super ordinationem nostram obices manus habuistis, sed etiam ad contemptum, & iniuriam sedis Apostolicæ, præfatum Episcopum turpiter capientes, arcta custodia retrusistis; & rebus omnibusque supellectilibus eius direptis, hactenus retrusum affligitis. Et contra omne ministerium vestrum (quod nulli Christiano licet) Sacerdotem Domini tetro carcere maceratis: non habentes præ oculis, scilicet quod Sacerdotes Domini sacra Scriptura aliquando Deos, aliquando Angelos nominet; & qui eos tangit, tangat pupillam oculi Domini. Quapropter autoritate Dei omnipotentis, & Principum Apostolorum Petri & Pauli, simulque nostra vobis præcipimus; vt, accepta hac nostra Epistola, aut quoquomodo terrore illius audito, si intra octo dierum spacia, iam dictum Episcopum propriæ sedi, proprioque honori, & dignitati reddere, restituereque contempseritis, à corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus, vobis in hoc facto facientibus, sitis prorsus extorres; quousque, iuxta hanc nostram dispositionem, perficere fatigeritis. Et quia alia multa vobis, à quibusdam obijciuntur, quæ Synodali discussione sunt corrigenda, decernimus, vt omni excusatione remota, octauo Calendas Octobris, futuræ primæ Indictionis Romam, ad Synodum occurrere non omittatis; vt tunc, & de vobis obiectis rationem reddatis, & si aduersus eundem Episcopum, à nobis consecratum, aliquam querimoniam habetis, Canonico valeamus, quicquid illud fuerit, Deo iuuante, libramine definire. Hoc autem scientes, quia si ad eandem Synodum præfato tempore venire distuleris, Canonicæ in vos censuram sententiæ proferemus.] Quid secutum fuerit compertum non habeo.

B

C

D

E

XLIV.

Chronologus item Antiliodorensis, sub anno 1081. refert, [a] defuncto Meldensi Episcopo, ab Hugone Diensi Episcopo, & Apostolicæ sedis Legato, apud eandem Vrbem, Concilium habitum fuisse; & Robertum Ecclesiæ Resbacensis Abbatem ordinatum Episcopum. Quod Richerius Senonensis Archiepiscopus, sine suo assensu, & præsentia fieri indignans, Robertum excommunicauit; & alium Episcopum ordinauit, atque subrogauit.] Si plura vellem, non deessent.

a *Apud Hugon. ad Vrban. Epist. 237.*

XLV.

Confirmatissimum igitur habemus, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, vsque ad postrema ferme nostra tempora; & consequenter, ab ipsa traditione Apostolica, ius ordinandi & consecrandi Episcopos, esse penes alios Episcopos circumuicinos, hoc est eiusdem Prouinciæ ac eorum nomine, penes Metropolitanum. Cui etiam, tanquam suo consecratori, suffraganei, in ipsa eorum ordinatione, iuramentum quoddam præstare de more antiquo tenentur. Certè Cornelij Papæ Epistola quædam nomine scripta circumfertur, in qua hæc habet: [b] Sacramentum autem hactenus, à summis Sacerdotibus, vel Dei Ministris exigi, nisi pro fide recta, minime cognouimus; nec spontaneos iurasse reperimus.] Et paulò post repetit: Nos autem vt paulò superius prælibauimus, Sacramentum Episcopis nescimus oblatum; nec vnquam fieri debet.] Cuiuscunque sit hæc Epistola, siue Cornelij, quod mihi dubium est; siue alterius antiqui autoris; certè significat tunc ab aliquo Metropolitano tentatum, vt sibi Suffraganei iuramentum fidelitatis, more vasallorum Laicorum exhiberet: idque non licere, tunc fuisse per hanc Epistolam declaratum. Solum tamen iuramentum pro recta fide, & licitum, & vsitatum tunc fuisse, ex eadem apparet. Hoc est, vt ego arbitror, & infra confirmabo, iurandum fuit nouis Episcopis, ac professio emittenda, de seruanda fide Catholica, ac etiam de seruanda similiter fide suo ordinatori, circa obedientiam, & regimen; in rebus tamen duntaxat Ecclesiasticis, iuxta sacrorum Canonum dispositionem; vt colligitur ex supplici libello quorundam Episcoporum Metropolis Aquilegiensis, quem ad Mauritium Imperatorem scripserunt, aiunt enim, [c] Suggerimus, pie dominator, quia tempore ordinationis nostræ, vnusquisque Sacerdos (*id est Episcopus*) in sancta sede Aquilegiensi, cautionem scriptis emittimus studiosè, de fide ordinatoris nostri, nos fidem integram sanctæ Reipub. seruaturos: Quod ipse nouit Dominus nos fideliter, toto corde, & seruasse, & hucusque iugiter conseruare.]

b *Cornel. ep. 1.*

c *Apud Baron. tom. 8. ann. 590. num. 42.*

XLVI.

Extat integrum iuramentum Bonifacij Moguntini, quod sic se habet. [d] In nomine Domini Dei saluatoris nostri Iesu Christi, Imperante Domino Leone Magno Imperatore anno septimo post Consulatum eius; sed & Constantini Magni Imperatoris eius filij anno 4. inchoato scilicet, Indictione 6. Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi B. Petre Apostolorum Princeps, Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ, & successoribus eius, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem; & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiusdem fidei, Deo operante, persistere, in qua omnis Christianorum salus esse, sine

d *Apud Surium die 5. Iunij, & Baron. tom. 9. ann. 723. n. 4.*

sine dubio comprobaui; nullo modo me contra vnitatem communis, & vniuersalis Ecclesiæ, suadente quopiam consentire; sed, vt dixi, fidem & puritatem meam, atque concursum mihi, & vtilitatibus Ecclesiæ tuæ, cui à Domino Deo potestas ligandi, soluendique data est, & prædicto Vicario tuo, atque successoribus eius per omnia exhibere. Sed & si cognouero Antistites, contra instituta antiqua sanctorum Patrum, conuersari; cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem, sed magis si valuero prohibebo; sin minus, fideliter statim Domino meo Apostolico renunciabo. Quod si, quod absit, contra huius promissionis meæ seriem aliquid facere, quolibet modo, aut ingenio, vel occasione tentauero; reus inueniar in æterno iudicio, vltionem Ananiæ, & Saphiræ incurram, qui nobis etiam de rebus proprijs fraudem facere præsumpserunt. Hunc etiam indiculum Sacramenti; ego Bonifacius exiguus Episcopus, manu propria scripsi, atque ponens supra Sacratissimum corpus S. Petri, ita vt præscriptum est, Deo teste, & iudice, feci Sacramentum; quod & seruare promitto.] Succincte etiam similiter iurauit suo Regi, ac simul suo Metropolitano, Landunensis Episcopus Hincmaro Hincmarus, hoc pacto: [a]Ego Hincmarus Ecclesiæ Landunensis Episcopus, à modo, & deinceps, Domino seniori meo Carolo Regi, sic fidelis & obediens secundum ministerium meum ero, sicut homo suo seniori; & Episcopus per rectum suo Regi esse debet; ac priuilegio Hincmari Metropolitani Remorum Ecclesiæ, secundum sacros canones, & decreta sedis Apostolicæ, ex sactis Canonibus promulgata; pro scire & posse me obedituru profiteor.] Iuo quoque supra [b] dicebat, se timere, ne reus fieret sponsionis, quam Metropolitanæ sedi fecerat.

a Ex Aimonio, Baron. tom 10. an. 871. nu. 80.

b Ino ep. 61.

XLVII.

Gregorius 9.[c] idem iuramentum fidelitatis Metropolitanos merito exigere à suis suffraganeis, dum eos ordinant, declarat, [d] quod ipsi, Papæ suo ordinatori sui præstant Episcopi, ab eius ordinatione immediate dependentes. Et Innocentius 3. Iadertino electo mandat, vt veniat Romam: Vt [e] cum nobis, *inquit*, de postulatione Canonica, & personæ tuæ indoneitate constiterit, translationis gratiam, (*erat enim Episcopus Pharensis*) & vsum pallij recipere merearis. Postmodum debitam nobis fidelitatem, & dicto Patriarchæ (*Gradensi*) professionem Canonicam impensurus.] Quia Iadertinum Episcopum iam dixerat ad consecrationem Gradensis Patriarchæ pertinere. Alios quoque Episcopos idem Innocentius [f] obligat, vt suo Archiepiscopo præstent iuramentum. Ex his satis confirmamus suffraganeorum consecrationes à Metropolitanis exhiberi, siquidem eis iuramento se astringere tenentur. Sed re vera iuramentum [g] quod Papa exigit, ex sua profecto recenti vsurpatione, est iuramentum vasalli erga suum Principem, potius quàm Episcopi erga suum consecratorem: & quod in Ecclesia sana nunquam locum habuit; in qua sola fidei professio etiam iuramento confirmabatur, vt infra cap. 11. num. 24. & lib. 4. cap. 7. num. 53. Iam verò vult Papa vt omnes prorsus Episcopi dum consecrantur, ipsi Papæ iurent fidelitatem: & sic sibi comparat Monarchiam, omnesque Episcopos sibi facit vasallos; alioquin iam nunquam consecrabuntur: quod iuramentum prius à solis Romanæ Metropolis suffraganeis exigebat. Alij verò Episcopi id suo proprio Metropolitano præstabant: vt habes infra lib. 4. cap. 7. iam citato. Audimus Innocentium sibi ab Episcopis omnibus poscere fidelitatem, Metropolitanis vero relinquere à suis suffraganeis canonicam professionem. Atque hæc est vsurpatio manifestissima, & dira tyrannis, qua contra ius & fas sibi nos Episcopos Papa facit suos propriè subditos, & vasallos; & ipse se supra nos in nostrum temporalem dominum, & Principem constituit; cum graui etiam Principum damno, & præiudicio; quibus non modo ipsorum subditi eripiuntur, sed & alieni Principis iuratos vasallos, intra sua viscera tenere, & alere coguntur; profectò hostes acerrimos.

c De maior. & obed. c. Diuersi. & Glos. in c. Antiqua de Priuileg.
d De iureiur. c. Ego N.
e Innoc. 3. l. 1. ep. 537.
f Idem lib. 1. ep. 419.
g De iureiur. c. Ego N.

XLVIII.

Sed quæret quispiam, num ordinatio, & consecratio, sint idem: an differant. Respondeo ordinarie ista confundi, atque citra discrimen ad idem significandum vsurpari. Sed tamen, re vera, inter se duo hæc differunt: Ordinare enim significat actum iurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ, quo quis fit Minister Christi, & Ecclesiæ; includitque in se missionem; in qua alias docuimus consistere totam Ministrorum creationem. Itaque ordinatio semper est autoritatiua, & dat proxime totam potestatem. Consecratio vero est mera quædam cæremonia, cum precibus, & manuum impositione, aliisque externis actibus peracta: quæ sæpe ordinationem iam factam subsequitur; vt gratia cœlestis ordinato impetretur: sicut factum fuit [h] Paulo & Barnabæ Antiochiæ, quando Prophetæ & Doctores illis manus imposuerunt; & tamen Barnabas ab Apostolis fuerat & ipse Apostolus, hoc est Episcopus ordinatus, hoc est missus, vt docui libro præcedenti. Ita Gregorius,

h Act. 13.

A gorius; [a] Presbyterum iam in vna Ecclesia ordinatum, & ab ea amotum, mandat in alia Ecclesia ordinari. Ordinatio ergo non consistit proprie in sacri ordinis per preces collatione; sed in actuali, & autoritatiua applicatione Ministri, ad opus suum ministeriale. Quoniam tamen ordinariè, & vt plurimum ordinationes hæ Ministrorum fiunt cum precibus illis, & ceremonijs, de quibus egi libro secundo, cap. 3. & 4. in quibus fit quædam personæ consecratio; iccircò etiam ordinariè consecratio eadem est, quæ & ordinatio. Quod autem in hoc capite intendebam, fuit, vt ipsa ordinatio, & non mera, ac pura sine ordinatione autoritatiua consecratio, seu benedictio, ad Episcopos comprouinciales, & Metropolitanos integrè ac perfectè spectare intelligeretur. Et hoc iam satis, vt reor, est a me demonstratum. Pergamus ad alia.

a 7. q. 1. c. Presentiam.

B

CAP. VI.

Mutationes, & Translationes Episcoporum à quo, & cur fiant.

SVMMA CAPITIS.

Vacanti Ecclesiæ prouidetur per noui Episcopi electionem, & consecrationem; vel translationem alicuius Episcopi iam facti, à sua sede, ad aliam vacantem; vinculum enim inter Episcopum, & suam primam quam obtinuit Ecclesiam, non est insolubile, num. 1.

Id verò licere ex causa, autoritatibus, & celebri exemplo comprobatur num. 2, 3, 4.

C *Prohibitiones Ecclesiasticæ ne id fiat proferuntur, & declarantur dictis, ac exemplis, esse intelligendæ, ne fiant vbi necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ eas non requirat: & simul à quo sint faciendæ ostenditur à num. 6. ad num. 21.*

Hinc reprehenditur error grauis Innocentij 3. num. 22. 23.

Translatio etiam sedis Cathedralis consideratur, num. vltimo.

I.

EPiscopum, iure diuino, nulli certæ sedi, nulli loco, nullique particulari Ecclesiæ, alligatum esse iam probaui lib. 2. cap. 7. Ecclesiastica tamen statuta, postquam excursus Episcoporum non fuit necessarius, vnumquenque Episcopum, suæ sedi, certæque Ecclesiæ alligârunt. Hoc tamen vinculum atque ligamen non est adeò insolubile, vt in ipsum Ecclesia vim & potestatem non habeat: sicut enim Ecclesiæ solius statuto positiuo, quisque Episcopus suæ sedi alligatur; ita ab eadem Ecclesia

D etiam solui ex causa potest, vt ad aliam transferatur. Neque enim verum est, vt videbimus, & libro præcedenti innuimus, inter Episcopum & suam Ecclesiam particularem, coniugium spirituale tale celebrari, vt eodem modo sit insolubile, sicut insolubile ponitur vinculum carnalis matrimonij. Hoc enim iure diuino, siue naturali, siue saltem positiuo constringitur. Ideoque humana potestas, in id vim non habet; at coniugium hoc spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam suam particularem, totum solo iure humano Ecclesiastico constringitur; vt iam est à me probatum; & adhuc in sequentibus confirmabitur. Ne igitur quilibet Episcopus iam certæ sedi adhærens, possit pro suo arbitratu de sede in sedem commigrare, (hæc enim esset summa confusio) videndum est an id interdum liceat, & cuiusnam autoritate id fieri debeat.

II.

Calixto primo dictum illud tribuitur; [b] Ait Apostolus, [c] Alligata est vxor legi, quandiu vir eius viuit: eo verò defuncto, soluta est à lege viri. Similiter & sponsa Episcopi,

E (quia sponsa vxorque eius dicitur Ecclesia) illo viuente, ei est alligata; eo vero defuncto, soluta est, & cui voluerit nubat; tantùm in Domino; id est, regulariter. Si enim, eo viuente, alteri nupserit, adultera iudicabitur: similiter & ille si alteram sponte duxerit, adulter æstimabitur, & communione priuabitur. Si autem persecutus fuerit in sua Ecclesia, fugiendum illi est ad alteram, eique est associandus; dicente Domino, si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Si autem vtilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc agat, sed fratribus inuitantibus, & autoritate huius sanctæ Sedis faciat; non ambitus causa, sed vtilitatis.]

b Calix Ep. 2. habetur. 7. q. 1.
c Sicut.
c Rom. 7.

III.

Antherus quoque fusius hæc pertractasse, illis verbis fertur; [d] De mutatione ergo Episcoporum, vnde sanctam sedem Apostolicam consulere voluistis, scitote eam communi vtilitate,

d Anther. Ep. vn habetur 7. q. 1. c. Mutationes

litatē, atque necessitate fieri licere; sed non libitu cuiusquam, aut dominatione. Petrus sanctus magister noster, & princeps Apostolorum, de Antiochia, vtilitatis causa, translatus est Romam: vt ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parua ciuitate, Apostolica autoritate, mutatus Alexandriam. Similiter Fœlix de ciuitate qua ordinatus erat electione ciuium, propter doctrinam, & bonam vitam quam habebat, communi Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac populorum consilio translatus est Ephesum. Non enim transit de Ciuitate ad Ciuitatem, qui non suo libitu, aut ambitu hoc facit; sed vtilitate quadam, aut necessitate aliorum, hortatu ac consilio potiorum transfertur. Nec transfertur de minori ciuitate ad maiorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit; sed aut vi à propria sede pulsus; aut necessitate coactus; aut vtilitate loci, aut populi, non superbe, sed cum humilitate ab alijs translatus, & inthronizatus est: Quia [a] homo videt in facie, Deus autem in corde. Et Dominus per Prophetam loquitur, dicens: [b] Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem. Nec mutat ciuitatem, qui non sua sponte, sed consilio ac electione aliorum mutatur. Non ergo migrat de ciuitate ad ciuitatem, qui non auaritiæ causa, nec sponte dimittit suam; sed, vt iam dictum est, aut pulsus à sede sua, aut necessitate coactus, aut electione, & exhortatione Sacerdotum, & populorum translatus est ad alteram ciuitatem. Nam sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos, & reliquos Sacerdotes; sic, quoties vtilitas, aut necessitas coegerit, supradicto modo, & mutare, & inthronizare potestatem habēt. Hæc, vt petistis, licet vobis incognita non sunt, tenenda mandamus; ne ignorantia quorundā meliora, & vtiliora vitentur, & inutiliora sumantur; sicut in sancto legitur Euangelio; [c] Væ vobis hypocritę quia decimatis mentam, &c. — quod licet, non licēt; & [d] quod non licet, licet; quemadmodum [e] Ioannes, & Mambres restiterunt veritati, sic & illi mente reprobi, amantes voluptatem magis quam Deum, quod licet docent non licere, id est Episcopos migrare de ciuitate ad ciuitatem, prætaxato modo; & quod non licet, docent licere, id est, misericordiam non agere circa patientes necessitatem; hoc est eis, qui Episcopum non habent, & sacro Episcopali indigent ministerio, Episcopum de alia ciuitate, causa vtilitatis, vel necessitatis tribui: Et Episcopis persecutionem, aut necessitatem patientibus, aliam Cathedram dari negant: Contradicunt etiam Sacræ Scripturæ, quæ testatur; [f] Malle Deum misericordiam, quam iudicium. Quæ precor maior charitas, aut quod efficacius pietatis patrocinium potest à quoquam alicui impendi; quam si ignorantiæ tenebras, & imperitiæ caliginem ab eo repellat; ac demum veræ fidei doctrinæ pabulo, non ad quæstum, non ad ambitionem, sed ad eruditionem, & ad ædificationem reficiat? Tanquam enim mutilo fit manus, claudo pes, oculus cæco, qui ignorantiæ tenebris obuoluto, sapientiæ & scientiæ thesaurum reserat; & candorem lucis, viasque Domini benigniter aperit. Vtrisque autem, id est, & famem verbi Dei patientibus, & Episcopis necessitatem, quando inthronizantur propter communem vtilitatem in alijs ciuitatibus, non modica exhibetur misericordia. Negantes autem hæc, licet speciem habeant pietatis, virtutem tamen eius abnegant. Nam in tali negotio prosapiam non agnosco: si quis tamen sapientiam, quos insipientibus tempestatis huius procella alijs sociauit autoribus, facinorum participatione maculatur splendor sapientis; & si communionem criminum incurrit, nescit tamen Ducem se præbere peccantibus. Alia quoque est causa vtilitatis, & necessitatis; & alia auaritiæ, & præsumptionis, aut propriæ voluntatis. Auaritiæ quoque causa, vel præsumptionis, aut propriæ voluntatis, non sunt Episcopi mutandi de ciuitate ad ciuitatem; sed vtilitatis, & necessitatis. Quod nemo negat, nisi ij, de quibus dictum est; [g] Errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium.] Hæc ille.

a 1. Reg. 16.
b Psal 93.
c Matth. 23.
d 2. Tim. 3.
e Exod. 7.
f Matth. 9. 12.
g Isa. 28.

IV. Quod tamen de Petro dicit, & Antherus, & alij, à sede Antiochena ad Romanam seipsum transtulisse; nihil est ad rem; neque exemplum hoc quicquam facit pro translationibus Episcoporum. Apostoli enim non erant vlli certæ sedi obligati, neq; erant vllius particularis Ecclesię Episcopi, ad eam solam restricti, vt docui lib. præcedenti; sed ex officio ipsorum proprio & ipsi, & multi eorum Discipuli, viri Apostolici, & Apostolorum Collegæ, ac postea successores, excurrebant: Vt [h] in omnē terram exiret sonus eorū, & in fines orbis terræ verba eorū; fundabantq; Ecclesias particulares, eisq; Episcopos præficiebant, & ad alias fundandas properabant: non per translationē sui ab vna Ecclesia sua propria, ad aliam, quæ nō esset eorum propria; sed per excursum eorū proprium, quibus non vna aliqua certa, sed tota, & vniuersalis totius mundi Ecclesia fuerat commissa, vt eam fundarent; & non tam regerent

h Psal. 18.

A gerent singulas, quam eas regendas proprijs Episcopis committerent. Quid tamen in Ecclesia Canonice fieri consueuerit, citra exemplum Apostolorum, est inquirendum.

Alexander Episcopus in Cappadocia, [a] Hierosolymam tum voti, tum locorum visendorum causa venerat: illius Ecclesiæ fratres eum exceperunt benignissime; & non amplius domum reuerti permittunt. — Viuente enim adhuc Narcisso, tene tamen, & impotente, communi Episcoporum consensu, qui finitimas Ecclesias procurabant, necessario illum apud se munere coegerunt, pleneque fecerunt illum Episcopum Hierosolymitanum. Id tamen diuino miraculo, expressaque reuelatione, vt declarat ipsa facti historia, totum contigit. Quare trahendum non videtur in exemplum. V.

[a] Euseb. l. 6. c. 9.

Sed quoniam humana ambitione, auaritia quoque stimulante, sæpe Episcopi propria autoritate, derelicta sua sede, in alias Ecclesias irrumpebant; aliasque sedes sibi gratiores, B & commodiores, si quo modo vacuas reperissent occupabant; solo ad hos populi requisito, sæpe etiam extorto consensu: Concilium magnum Nicænum tanto malo obuiam ire statuit, ediditque Canonem huiusmodi: [b] Propter multam perturbationem, & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, vt de Ciuitate ad Ciuitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur. Si quis autem post definitionem Sancti & Magni Concilij, tale quid agere tentauerit, & se huiusmodi negotio manciparit; hoc factū prorsus in irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ, cui fuit Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus ordinatus.] VI.

[b] Conc. Nicæn. c. 15. habetur 7. q. 1. c. 19.

In Sardicensi quoque ita statutum fuit; [c] Osius Episcopus dixit; Non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, Ne cui liceat Episcopo, de ciuitate sua, ad aliam transire ciuitatem: manifesta est enim causa, qua hoc facere tentat, cum nullus in hac re inuentus sit Episcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem transiret: C Vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, & vt dominationem agant. Si omnibus placet, huiusmodi pernicies sæuius & austerius vindicetur, vt nec Laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt omnes, Placet. Osius Episcopus dixit: Etiam si talis aliquis extiterit temerarius, vt fortasis talem exculationem afferens adseueret; quod populi literas acceperit; cum manifestum sit potuisse plures præmio, & mercede corrumpi eos, qui sinceram fidem non habent, vt clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum. Omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ita vt nec Laicam in fine communionem talis accipiat. Si vero omnibus placet, statuite. Synodus respondit, Placet. Osius Episcopus dixit; Illud quoque necessario adijciendum est, vt Episcopi de sua Prouincia, ad aliam Prouinciam in qua non sunt Episcopi, non transeant; nisi forte à fratribus suis inuitati, ne videamur ianuam claudere caritatis.] VII.

[c] Concil. Sardicens. c. 1. 2. 3.

Antiochenum Concilium sic statuit: [d] Episcopus ab alia Parochia nequaquam migret D ad aliam; nec sponte sua prorsus insiliens; nec vi coactus à populis; nec ab Episcopo necessitate compulsus: maneat autem in Ecclesia, quam primitus à Deo sortitus est; nec inde transmigret, secundum pristinum de hac re terminum constitutum.] Ex quibus decretis conflatum censeo Canonem quendam, qui dicitur Apostolorum; qui sic habet: [e] Episcopo non licere alienam Parochiam, propria relicta peruadere, licet cogatur à plurimis; nisi forte quis, cum rationabili causa compellat, tanquam qui possit ibidem constitutus plus lucri conferre, & in causa religionis aliquid profectus prospicere. Et hoc non à semetipso pertenter, sed multorum Episcoporum iudicio, & maxima supplicatione perficiat. VIII.

[d] Concil. Antioch. c. 21. habetur 7. q. 1. c. 25.

[e] Can. Apost. 14.

Hinc est quod [f] Eusebius Cæsariensis, ab Antiochenis ad illam sedem electus, eam repudiarit: quippe quia contra Canones, & absque legitima causa translatio hæc tentabatur. Et Iulius Papa Eusebianos Episcopos reprehendit, quod [g] non solum, *inquit*, Arianos recipiant, sed iam in vsu habeant de loco in locum, ad Episcopatus capiendos transilire. Si E igitur vere parem, eundemque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse; neque ex magnitudine ciuitatum (vt vos scribitis) honorem eius rei crescere arbitramini; oportuit eum, cui concredita est parua ciuitas, in ea quæ credita est permanere; & nequaquam, reiecta concredita, ad eam, quæ concredita non est transuolare: ne eam quæ à Deo data est aspernari; illam vero quæ hominum ambitu concessa est, magnificare videatur.] IX.

[f] Euseb. de vita Constant. l. 3. c. 59.

[g] Iul. apud Athan. apolog. 2.

Contra illos vero qui illegitimè de Ecclesia in Ecclesiam transilirent, Damasus, & reliqua Synodus in libello Synodico ad Paulinum Thessalonicensem, anathema dixit, hoc pacto; [h] Eos autem qui ab Ecclesijs in quibus vixerunt, ad alias se transtulerint, vsque eo sint à nostra communione alieni, quoad ipsas ad Vrbes redierint, in quibus erant primum ad aliquem honoris Ecclesiastici gradum elati: Quod si in alterius locum, qui X.

[h] Theodoret. l. 5. c. 11. & 7. q. 1. c. 43.

sedem mutauit, cooptatus sit; tantisper à dignitate Sacerdotali vacet ille, qui Ciuitatem propriam deseruerit; dum qui ei successerit obdormierit in Domino.] A

XI. Concilium Carthaginense sic habet: [a] Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum; Non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum. Nam Cresconius Villaregiensis Episcopus, plebe sua derelicta, Tributiensem inualit Ecclesiam; & vsque hodie commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem, quam inuaserat plebem, contempsit.] Ac per potestatem laicam extrudendum esse decernunt. Carthaginense vero quartum, c. 27. [b] Episcopus, *inquit*, de loco ignobili ad nobilem, per ambitionem non transeat; nec quisquam inferioris ordinis Clericus. Sane si vtilitas Ecclesiæ fiendum popposcerit, decreto pro eo Clericorum & laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur; nihilominus alio in locum eius Episcopo subrogato. Inferioris vero gradus Sacerdotes, vel alij Clerici, concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare.] B

a Concil. Carthag. 3. c. 38 & African c. 1. & Deconsec. dist. 4. c. Non liceat.

b 7. q. 1. c. 2. Episcopus.

XII. Et quoniam interdum Episcopi Visitatores Ecclesiarum vacantium, qui ad promouendas, vt vidimus, electiones, à Patriarcha vel Metropolitano dirigebantur; si Ecclesia vacans fuisset dignior, vel opulentior, se ipsos obtrudebant, & vt eligerentur satagebant, iccirco Concilium quintum Carthaginense occurrit statuens: [c] Vt nulli intercessori licitum sit, Cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studijs, vel seditionibus retinere: sed dare operam, vt intra annum eisdem Episcopum prouideat. Quod si neglexerit, anno expleto interuentor alius tribuatur.]

c Concil. 5. Carthag. c. 8. 7. q. 1. c. Constitutum. & Collect. Mart. Brucar. c. 9.

XIII. Vbi tamen affuit vel necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, translationi aditus apertus est relictus. Veterem sane hac de re canonem refert Socrates, sub huiusmodi sententia. [d] Si quis Episcopus ad aliquam Ecclesiam regendam designatus, ad eam non iuerit; cùm illud non ob suam ipsius culpam, sed vel quod populus illum retinuerit, vel aliam ob causam quæ sit necessaria factum sit; ei licebit honoris, & ministerij Ecclesiastici compotem esse; modo nihil faciat molestiarum Ecclesiæ, in qua ipse conuentus agit; sed lubens approbet quod Concilium Prouinciæ de re in controuersiam adducta statuerit. Canonis hæc quidem (*inquit Socrates*) sententia est. Verum quo magis constet, multos Episcopos, ab alijs ad alias ciuitates, propter opportunos, & necessarios Ecclesiæ vsus, fuisse translatos; nomina eorum, qui translati fuerint, hoc loco citabo. Perigenes Ecclesiæ Patrensis designatus fuit Episcopus. Quem vbi populus illius Vrbis eum repudiauerat, Episcopus Romanus mandauit, vt, Episcopo Corynthi Metropolis iam mortuo, in sede Episcopali illius Vrbis collocaretur; Cui Ecclesiæ reliquo vitæ spacio præfuit. Gregorius etiam Nazianzenus, primum Sasimorum Vrbis Cappadociæ Episcopatum gessit, deinde Ecclesiæ Nazianzenæ Episcopus factus est. Meletius porro primum Ecclesiæ Sebastiensis Episcopatu fungebatur, postea Episcopatum Antiochiæ procurauit. Adde his Dositheum Seleuciæ Episcopum, quem Alexander Antiochiæ Episcopus Tharsum Ciliciæ traduxit &c.] Pergitque non paucos alios commemorare, qui ab vno Episcopatu ad alium translati fuerint. Ita Meletius Antiochenus [e] Stephanum Ioannis Apameæ Episcopi collegam, & adintorem, & consequenter etiam ipsum Episcopum Apameæ transtulit ad Ecclesiam Germaniciæ. Ita & [f] Gregorius, qui nouissime Nazianzenam rexerat Ecclesiam, *inquit Theodoretus*, Constantinopoli vitam egit, & Præsulatum illum tenuit.] C D

d Socrat. l. 7. c. 35.

e Theodor. l. 5. c. 4.

f Idem l. 5. c. 8.

XIV. Nestorio damnato, & exautorato, in Proclum Cyzicenum ordinatum Episcopum, sed à Cyzicenis impeditum, quia à Patriarcha [g] Constantinopolitano Sisinio, ipsis inconsultis, eis dabatur, vnde & anteuertentes, alium sibi Episcopum ordinarant, multorum vota concurrebant: sed, [h] obiecto ei canone, qui translationes vetat fieri, Constantinopolitanum Episcopatum non potuit tunc obtinere; & tunc Maximianus Nestorio suffectus fuit. Postea tamen, mortuo Maximiano, [i] Proclus nihilominus, canone nihil obstante, sedem habuit Constantinopolitanam. Imo Socrates tuetur potuisse Proclum, etiam quando sub prætextu canonis fuit prima vice impeditus, legitime ordinari; sic enim disputat: [k] Iam vero, quoniam quidam propter Ecclesiæ Canonem, quem pro se afferebant, Proclum Episcopum Cyzici iam tum nominatum, in sede Episcopali Constantinopolis collocari prohibuerunt; de ea re pauca dicere statui. Qui tum ista asserere aggressi sunt, videntur mihi certe minime vera dixisse; sed vel inuidia aduersus Proclum eadem confinxisse, vel tum Canones, tum alias res ad Ecclesiarum vtilitatem non raro gestas, penitus ignorasse. Nam Eusebius Paraphilus, in 6. lib. Historiæ Ecclesiasticæ (*cap. 9.*) E

g Socr. l. 7. c. 28. & Liberatus in Breuiar. c. 7.

h Idem Socr. ibid. c. 34.

i Ibid. c. 39.

k Ibid. c. 35.

Alexandrum

A Alexandrum ciuitatis cuiusdam Cappadociæ Episcopum, Hierosolymam voti causa contendentem, à Hierosolymitanis detineri, Narcisi loco in Episcopatus gradu collocari, & reliquum vitæ tempus in illa Ecclesia contriuisse memorat. Itaque res erat planè indifferens apud veteres, quoties Ecclesiarum vsus poscebat, Episcopum ab vna ciuitate ad alteram transferre. Quod si quicquam interfit Canonem de hac re sancitum huic Historiæ annectere, inde planè constabit quàm perspicuè eum ementiti sint ij, qui Proclum propterea in sede Episcopali collocari vetuerint. Canon ita se habet,&c.] *vt habes supra,nu.13.* Sed & literas ad diuersos à [a] Cælestino Papa datas commemorat, in quibus docebat, nihil obstare quo minus translatio hæc posit fieri.

a *Socrat.ibid. c.39.*

XV.

Leo; [b] Si quis, *inquit*, Episcopus mediocritate ciuitatis suæ despecta, administrationem celebrioris loci ambierit, & ad maiorem plebem se quacunque ratione transtulerit; non so-

b *7.q.1.c.32.*

B lùm a Cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria, vt nec illis præsideat, quos per auaritiam concupiuit; nec illis quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis contentus sit quisque, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri.] Quod Hilarus quoque Papa inculcat Epist. 1 ad Ascanium, & Tarraconenses, cap. 2.

XVI.

Pelagius tamen alter, Socratem imitatus, fusiùs præceptum hoc de non transferendis Episcopis à sede in sedem tractat. Cuius disputationem non breuem de translationibus, quia explicat quando illæ liceant, & quando secus; & cuius autoritate fiant, contractiorem hìc infero. Ait igitur ad Benignum Archiepiscopum; [c] Exigit ergo dilectio tua consulta sedis Apostolicæ; si licitum foret Episcopum transire, aut mutare de ciuitate ad ciuitatem. — Quapropter scias, frater dilectissimè, aliud esse causam necessitatis, & vtilitatis; & aliud causàm præsumptionis, & propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem; id est, qui non causa auaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ electionis migrat de ciuitate ad ciuitatem; sed causa necessitatis, aut vtilitatis mutatur. Nam plurimorum vtilitas, vnius vtilitati, aut voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, & aliud mutari: sicut aliud est ministrare, & aliud ministrari. Vnde Dominus in Euangelio loquitur, dicens; [d] Non veni ministrari, sed ministrare. Quod enim in Canonibus legitur, Non debere Episcopum de ciuitate ad ciuitatem transire, vel transferri; non de his dicitur, qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut autoritate maiorum hoc agunt; sed de ijs qui auaritiæ ardore inflammati, sponte sua prosiliunt; & potius ambitioni, quàm vtilitati Ecclesiæ seruire; & vt dominationem agant, insistere cupiunt. — Quis enim vnquam audet dicere, S. Petrum Apostolorum Principem non benè egisse, quando mutauit sedem de Antiochia in Romam? aut quis eum negat ob id sanctum non esse, aut dignitatem, aut meritum vnquam Apostolatus tam in cœlis, quam in terris, perdidisse? Aut quis negat sanctos non esse multos alios Episcopos, qui de ciuitatibus ad ciuitates translati sunt, aut meritum Pontificatus perdidisse? quorum nomina si cœperim enumerare, ante dies pertransiet, quàm hæc omnia perscribere possem; & prolixior erit Epistola, quàm necesse sit. Aut quis vnquam potest approbare sanctum non esse Alexandrum, qui Hierosolymam de altera ciuitate translatus est? Aut sanctum Gregorium Nazianzenum, qui in Nazianzo constitutus est? Aut S. Proclum qui de Cyzico translatus, & Constantinopoli inthronizatus est? — Tales autem quæstiones magis ex inuidia, quàm ex charitate, aut vtilitate nasci videntur: cùm ipsa per se veritas dicat; [e] Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Huic ergo sententiæ nullus Catholicorum vsquam contradicere potest; quæ non alterius, sed ipsius proprio Domini ore prolata, & firmata esse dignoscitur. — Nam & ipse Dominus de loco ad locum secessit, id est, transiuit, Iudæis illum quærentibus. Fugiens ille quærentes, & persequentes se, dedit nobis exemplum fugere nos persequentes, & de ciuitate ad ciuitatem transire, dicens; Si vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam; & cætera his similia. Nam si fugere malum est, persequi multò deterius. Hic quidem ne moriatur absconditur: hic autem persequitur, vt occidat: & vt fugiatur præcipitur. — Si ergo pijssimus, atque iustissimus Dauid, sciret peccatum esse persecutionem fugientes, & transeuntes de loco ad locum, & de ciuitate ad ciuitatem, tales nequaquam reciperet; nec secum teneret, nec in alijs ciuitatibus eos collocaret. Qui enim persequuntur Domini Episcopos, eosque de ciuitatibus ad ciuitates transire compellunt, non eos tantùm persequuntur, quantum Dominum nostrum Iesum Christum, cuius legatione funguntur. Nec ipsi in hoc peccant Episcopi, quoniam non sponte, sed coactè hoc agunt, sed illi à quibus persequuntur: nec ipsis Episcopis hoc imputari potest, sed illis qui eos hoc agere cogunt. — Qui autem negant misericordiam faciendam fugientibus, & necessitatem patientibus, ipsum

c *Pelag.2.Ep. 2.& 7.q.1. c.35.36.*

d *Matt.20.*

e *Matt.10.*

C

D

E

ipsum Christum negant, qui est misericordia & veritas, & omnibus necessitatem patientibus subuenire iubet. Pauca sunt, frater, quæ asserui: sed quanta ex his perdeant, tua prouidentia poteris æstimare. Quare hanc adnituntur maleuoli irrumpere misericordiam? Cur illudere vanis intentionibus fælicitatem? Excusationem iam non habet furor iste incredentibus: nec interest quibus itineribus ad Mundi Principem currat, qui à beneuolentia fratrum desciscit, aut necessitatem patientibus misericordiam negat. Negat misericordiam necessitatem patientibus, qui populis indigentibus Diuinis mysterijs, & non habentibus propriũ Episcopum, qui eos instruat, causa vtilitatis, atq; necessitatis, ex alia ciuitate, licet minor sit, in eam quæ non habet Episcopum doctiorem vel vtiliorem, meliori consilio, non sponte transeuntem, sed maiorum exhortatione mutare; aut Episcopum electum, & persecutionem patientem, causa vtilitatis, aut necessitatis inthronizari non permittit. Apud veteres enim, sine vlla differentia, de vna Ciuitate ad alteram migrabat Episcopus, dum vtilitas, aut necessitas euocaret. — Pingues hostias litat Diabolo, qui his resistere nititur; aut misericordiam & vtilitatem Ecclesiæ iam dictis negat; id est, & Episcopis, & populis. — Scio te non ignorare, frater, memoratas Canonum sententias; atq; Euangelicas sanctiones nouas non esse, sed nostro eas assensui mancipari. Cur his contradicentes, & emigrationes Episcoporum vtilitatis, & necessitatis causa fieri prohibentes, vt sæpe dictum est, & non auaritiæ, aut temeritatis, in perniciem Sacerdotum, ac populorum, lædunt Sacerdotale Concilium? Cur lacerant sententiam, in qua inspirante Christo, oracula superna patuerunt, & inter Deum & homines interpres extitit lingua Pontificum? — Talium ergo dictiones, vel prohibitiones, indignæ etiam fiunt memoratu. Profunda est ergo nimis imperitia eorum, & sepulchrum patens guttur eorum, qui linguis suis dolose agunt; non est enim in ore eorum rectum, interiora eorum insidiæ; densis coreorum vepribus suffocatur; & interna vitia alijs certant ascribere.] Hæc Pelagius; & sane optime; nam & causas legitimas exposuit legitimæ translationis faciendæ; & illegitimas quibus non sit obsequendum aperuit; & in Metropolitani potestate ipsas translationes legitimas ponit. Similem satis fusam disputationem habet etiam [a] Nicephorus Callistus; & Stephanus 6. contra [b] Basilium Imperatorem, negantem propterea Martinum Papam fuisse legitimum, quia alterius Ecclesiæ Episcopus erat, quando factus est Romanus Episcopus; de eadem translatione disputauit: exempla quidem protulit, sed causam affuisse non ostendit.

a Niceph. l. 14. c. 30.
b Apud Baron. to. 10. an. 885. n. 14.

XVII. Gregorius Ioannem Lisitanæ Ciuitatis ab hostibus captiuatæ, in Scyllatina Ecclesia fecit Episcopum; ita tamen, *inquit*, [c] Vt, si ciuitatem illam ab hostibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem statum contigerit reuocari; ad eam, in qua prius es ordinatus, Ecclesiam reuertaris; Sin autem &c.]

c 7. q. 1. c. 42.

XVIII. Deposito Ioanne Constantinopolitano Episcopo, ob hæresis suspicionem, Germanus Episcopus Cyzicenus, vt olim Proclus, ei suffectus fuit; opera & autoritate Anastasij Imperatoris: Cuius translationis commonitorium refert Theophanes; & est tale; [d] Electione & approbatione religiosissimorum Presbyterorum, & Diaconorum totius venerabilis, sacrique senatus; & amici Christi populi conseruandæ huius Regiæ Vrbis, Diuina gratia, quæ semper infirma curat, & ea quæ non sunt adimplet, transtulit Germanum sanctissimum Præsulem Cyzicensium Metropoleos, in Episcopum huius à Deo conseruandæ, ac Imperatricis ciuitatis. Facta est præsens translatio in præsentia Michaelis Sanctissimi Presbyteri, & apocrisarij Apostolicæ sedis, sub Artemio Imperatore.]

d Apud Baron. tom. 9. an. 714. num. 4.

XIX. Vacante sede Magdeburgense, quæ est Metropolis Saxoniæ, sub Friderico Priore Romanorum Rege, Electoribusque discordantibus, [e] Rex ipse Guicmannum Cycensem Episcopum in ea sede collocandum curauit; data ei regalium inuestitura: Successit Eugenius 3. scripsitque ad Episcopos præcipuos Germaniæ, qui translationem fecerant; eamque illegitimam esse docet, & ait; [f] Cum enim translationes Episcoporum, sine manifesto vtilitatis, & necessitatis iudicio, Diuinæ legis oraculum non permittat; cum etiam multo amplior, quam in alijs electionibus, Cleri & populi eas debeat præuenire concordia; in facienda translatione de venerabili fratre nostro Guicmanno Cycensi Episcopo, nihil horum est, sed solus fauor Principis expectatus; & nec inspecta necessitate illius Ecclesiæ, nec considerata vtilitate personæ, Clero nolente, imo, vt dictum, ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensi eum dicitis Ecclesia supplantandum. Super quo tanto amplius admiramur, quanto persona illa, cuius grauitatis sit, atque scientiæ, ab anteactis agnouimus; ac proinde quantum Ecclesiæ illi sit vtilis, non penitus ignoramus.] Non opponit translationem fieri non posse, nisi à Romano Pontifice; sed arguit

e Otto Frising. in Frid. l. 2. c. 6.
f Ibid. c. 8. apud Baron. tom. 12. an. 1152.

A guit duntaxat necessitatem, Clerique ac populi necessarium consensum, & personæ meritum abfuisse. Si igitur necessitas aliqua id suasisset, personaque fuisset idonea, & Clerus ac populus consensissent, nihil huic translationi Eugenius erat oppositurus.

XX. Ex his itaque tam celebribus testimonijs habemus manifestissimum electiones, & ordinationes Episcoporum, si persona electa iam sit Episcopus, illud amplius requiri lege Canonica, quam in ordinarijs alijs electionibus personarum, quæ non sint in dignitate Episcopali constitutæ, requiritur; vt si non adsit legitima causa, omnino sit talis persona, iam Episcopali ornata dignitate, penitus ineligibilis, & impostulabilis: Quæ ineligibilitas & impostulabilitas, nulla est, vbi adsint legitimæ causæ; puta si Episcopus aliquis ad aliam Ecclesiam electus, in sua propria Ecclesia esse non possit; nimirum quia vel illa periit, vel plebs illum excludit; aut si apud aliam Ecclesiam illius Episcopi opera sit magis vtilis, ma-
B giſque necessaria, & similes; Ecclesia, vt vidimus, semper intellexit, & declarauit, se translationes non impedire, nisi vbi non adsint causæ. Si igitur causa adsit, cum Canon nihil impediat, electores & ordinatores ordinarij, absque postulatione, aut vlla dispensatione, suo iure communi, & ordinario possunt transferre Episcopum de sede in sedem; vt tot exempla iam allata manifestant: si vero non adsit causa, nulla postulatio est admittenda, nulla dispensatio facienda: & si fiat etiam à Papa, illa pessimè fit, & nullius est roboris ac momenti, sed iniquitas additur iniquitati.

XXI. Quorsum enim quærunt nostri sub Romano Pontifice Episcopi, si necessitas, aut vtilitas absint, vt de sede in sedem transferantur, nisi vt dimissa tenuiori, ac viliori, opulentiorem rapiant, & digniorem? Imò dimissa sæpe [a] Archiepiscopali sede, ad Episcopalem inferiorem (quod ego meis oculis vidi) aspirant; vbi Episcopalis est Metropolitana opulentior. Abusum hunc in translationibus sine causa nostro tempore frequentissimum, vidit
C etiam ante Platina, illumque non sine stomacho detestatus est, ita scribens de Anthero Papa: [b] Censuit Episcopum, omisso primo Episcopatu, ad alium necessitatis causa & vtilitatis; non tuiplius, sed creditarum ouium, posse transferri, interposita summi Pontificis autoritate: quod hodie à plerisque contra fit: Ad vtilitatem enim propriam respicientes, imò voluptatem, vt habeant vnde expilent, ad vberiorem semper respiciunt: Non quot oues, & qua ratione pascendæ sint quærentes, quod est officium boni Pastoris; sed scisitantes quantum singulis annis inde excerpi possit. De cura animarum parua fit mentio, de augendis prouentibus magna, quo multa iumenta, & plures seruos; ac eos quidem ignauos, & stolidos domi alant.] Hæc Platina de suo tempore: quidni etiam de nostro?

a *De transl. Episc. c. 1.*

b *Platin. in Anther.*

XXII. Laborat conatu intensissimo, sed frustra, Innocentius tertius, dum potestatem transferendi Episcopos, ad solum Romanum Pontificem pertinere contendit. Vide Epistolas
D eius in primo libro registri 51. 118. 326. 335. 447. 491. 503. 532. ex quibus posita sunt in libris Decretalium decreta plura. De postul. Prælat. cap. 1. 2. De transl. Episc. cap. 1. 2. 3. 4. De offic. leg. cap. 3. 4. De Cler. excomm. vel depos. cap. Illud Dominus. Et sane cum materia hæc sit iuris Ecclesiastici, debuisset sacris niti Canonibus, atque ex illis ostendere, potestatem hanc Romano soli Pontifici reseruari: Sed quia Canones, & Patres, & facta Ecclesiastica id ei non tribuunt; ex duplici capite suam hanc fouet potestatem. Primum, quia causæ maiores ad sedem Apostolicam sunt deferendæ. Alterum, quia solus Deus separat, quos Deus coniunxit: Cum vero inter Episcopum, & suam primam Ecclesiam sit spirituale matrimonium, id separari ab homine non potest, sed à solo Deo. Et quia Papa est Vicarius Dei, tanquam Deus, non tanquam homo, separat Episcopum à prima sua Ecclesia, vt possit alteri Ecclesiæ copulari.] Prius sane caput, de maioribus causis, nihil ei prodest: nam & dictum illud multa eget explicatione, vt alias suo loco ostendam, & exponam; & falsum est translationem hanc esse causam maiorem. Iure enim Diuino Episcopus non est alligatus vlli certæ Ecclesiæ, sed Ecclesiæ tantum Vniuersali: siue igitur in hac, siue in illa ministret Ecclesia, semper est sponsus Christi Ecclesiæ: & communi iure Ecclesiastico ita ligatur vni Ecclesiæ, vt ijdem Episcopi, qui illum vni Ecclesiæ deputauerunt, ordinaria sua potestate possint eundem, ex causa, inde amouere; & alteri Ecclesiæ deputare; vt est iam ostensum. Quomodo ergo causa hæc erit ex maioribus?
E

XXIII. Alterum caput mihi videtur grauem in se continere blasphemiam; & ethnicismum redolere; dum se Papa in terris alterum Deum facit; vt præcedenti etiam libro ad finem sexti cap. considerabam; vbi ostendi Apostolos, Ecclesiasticosque ministros Apostolorum

successores,

successores, Vicarios esse non Dei, sed Christi hominis; in ijs vtique quæ ratione humanitatis, non ratione Diuinitatis in terris ei fuerant mandata peragenda. Et sane, si iure Diuino, coniunctio inter Episcopum, & suam particularem Ecclesiam, stringeretur; quemadmodum iure diuino inter se stringuntur coniuges; certe sicut non potest Papa, quantumcunque sit Vicarius Dei, seu Vicedeus, matrimonium ratum dirimere; ita neque posset Episcopum à sua Ecclesia separare. Est ergo vanissima, sed simul etiam impia illa Innocentij ratiocinatio: & Episcopum transferre potest, non solus Papa Romanus, sed etiam quilibet alius Patriarcha, & Metropolitanus, in sua Prouincia; positis tamen requisitis; vt videlicet adsit vel necessitas, vel vtilitas: & vt consensus etiam Cleri, plebis, & Coepiscoporum, prout de iure, aut consuetudine fuerit, habeatur: Et hoc ex his quæ hoc capite protulimus, factum est manifestissimum. A

XXIV. Addo hic ad finem, translationem etiam sedis Cathedralis, ex legitima causa, posse autoritate Ecclesiæ fieri ab vno loco in alium eiusdem Parochiæ, seu Diœcesis. Id vero in Prouincia Romana inuenio factitatum de licentia & autoritate Papæ Romani; nam Gregorius [a] Vellitranam sedem, transferri iussit ad sanctum Andream, propter periculum Barbarorum. Potest etiam mutari ad meliorandum, vt decreuit [b] Bonifacius. Et Augustinus ait, [c] Tribus ex causis loca sanctorum transmutanda sunt; cum necessitas persecutorum loca eorum grauauerit: secunda cum difficultas locorum fuerit: tertia cum malorum societate grauantur.] Sed video etiam autoritate Synodi Prouincialis, sedes Cathedrales transferri; sicut factum est in quodam Concilio [d] Hispaniæ; in quo, qui erat Oscæ Episcopatus, translatus est in Iaccam.] Atque de translationibus Episcoporum hæc sufficiant. B

a 7.q.1.c.Tempora.
b 16.q.7.c.41.
c De consec. dist.1.c.Tribus.
d Apud Baron. tom.11.an. 1060.nu.11.

C

CAP. VII.

Metropolitanos ordinariam iam habere in Episcopos suæ Prouinciæ potestatem.

Summa Capitis.

Metropolitanorum autoritas ordinaria erga Episcopos suffraganeos considerandæ proponitur, vt hierarchicis actus cognoscantur, num. 1. Vnde habeant Metropolitani hanc potestatem inquiritur, ac docetur si absint delicta non habere vllum Episcopum supra alios ius vllum, à num. 2. ad num. 11.

Confirmatur legibus Ecclesiasticis Metropolitanos esse iudices ordinarios suorum suffraganeorum, à num. 12. ad num. 18.

Factis & exemplis eadem Metropolitanorum potestas fit manifesta, num. 19. 20. 21. 22.

Eadem potestas Metropolitanorum in suos suffraganeos, ex alijs actis in iure contentis explicatur, à num. 23. ad finem.

D

I. NVllum Episcopum esse, iure Diuino, aliorum Episcoporum Episcopum, iam cum Cypriano probaui, & declaraui, lib. præcedenti, cap. 5. num. 38. Ita etiam supra hoc lib. 3. cap. 1. num. 17. Sed vnumquemque Episcopum esse in sua Ecclesia supremum, & immediate soli Deo subiectum, in quantum Episcopus est, & minister Christi, atque Ecclesiæ; ac proinde soli Deo, in regimine suæ Ecclesiæ, esse rationem redditurum. Vbi nimirum non adsit Ecclesiæ vniuersalis definitio, & præfixus Canon. Episcopus enim quilibet, pastor duntaxat est; non vllius Pastoris in terris, nisi solius Christi, ouis: non igitur in terris habet supra se Pastorem in spiritualibus: & consequenter neque Iudicem, neque absolute vllum superiorem: certum nimirum hominem, & determinatum. Quid si erret? Quid si ex Pastore fiat lupus? Quid si conculcet Canones? Quid si venenata pabula ouibus suis præbeat? Habet ille Ecclesiam iudicem simul & vindicem. Sicut enim Ecclesia vniuersa per suas definitiones ex verbo Diuino collectas, & spiritu Christi ad intelligendum Verbum Dei illi dato inspiratas, & per canones rectæ disciplinæ, ipsosmet suos dirigit, E

A dirigit, & instruit Ministros; ita eadem Ecclesia, per easdem & definitiones, & regulas, ante omnia iudicat errent ne aliquis Episcopus nec ne; & si erret, illum corripit; & ab errore reuocat, quandiu potest. Si verò ille sit incorrigibilis, Ecclesia eadem illum tandem habet tanquam ethnicum, & publicanum; aliam enim iurisdictionem non habet in suos Ministros, vt tradam libro 5. Sed si opus est correctione, & remedio maiori, [a] Ad eum qui non sine causa [b] gladium portat, confugit. Et de hoc agam libris 5. 6. 8. Ostendam enim iurisdictionem aliquam temporalem Ecclesiam in suos Ministros, dono & priuilegio Principum, quam aliunde habere non poterat, acquisiuisse.

a Concil. Carthag. 3. c 38.
b Rom. 13.

II.

Ecclesiam verò quam facio iudicem Episcoporum, non intelligo toram semper, & vniuersalem, quam Concilium vniuersale aliquo pacto solet repręsentare; sed etiam partialem, & longè minorem vniuersali; quæ loco, & nomine totius, & vniuersalis potest, & solet super alios vigilare. Singula enim membra, pro salute totius corporis sunt solicita. Sic igitur si contingat Episcopum aliquem à recto tramite deuiare, proximorum Episcoporum est, illum prius monere; deinde etiam corripere, & arguere. [c] Copiosum, *inquit Cyprianus*, corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque vnitatis vinculo copulatum. Vt si quis ex Collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentauerit, subueniant cæteri.] Ac demum si resipiscere nolit, eorundem est illum abijcere, deponere, excommunicare, & alium sanum eius loco substituere. Aut si morbus id postulârit, plures alios Episcopos ad opem ferendam aduocare. Et, si opus fuerit, etiam vniuersam Ecclesiam conuocare. Vt tamen in hoc etiam negotio, ordine & sine confusione procedatur, fecit Ecclesia, quod circa electiones, & ordinationes Episcoporum eam fecisse iam demonstraui; vt nimirum diuisis Prouincijs Episcopi vniuersi singularum Prouinciarum, super singulos eiusdem Prouinciæ Episcopos inuigilarent; atque adeò Synodus in vnaquaque Prouincia excessus Ecclesiasticos, Canonumque violationes corrigeret; & fidem, atque disciplinam sartam tectam conseruaret; vt fusè libro octauo ostendetur. Ac quemadmodum circa electiones, & ordinationes, ne toties omnes Episcopi cum graui incommodo, absque magna necessitate conuenirent; consuetudine primum, deinde etiam legibus prouisum est, vt vnus qui sit in Prouincia, ratione loci, & Metropolis Prouinciæ primus, qui & Metropolitanus, siue Archiepiscopus appellatur, nomine omnium electiones ipsas, & promoueret, & confirmaret; & consecrationes modis explicatis faceret, ac Episcopos ordinaret; ita circa Episcoporum defectus, vel excessus, & consuetudo, & lex induxit, vt Metropolitanus sit velut Iudex ordinarius [d] vice Synodi, omnium suorum Suffraganeorum; ac præsertim postquam dono Principum, vt dixi, iurisdictio etiam aliqua temporalis est data Ecclesiæ; multa quæ ad iurisdictionem externam pertinent, sunt commissa Metropolitanis: & hæc omnia complectar hoc septimo, & duobus sequentibus capitibus, octauo, & nono. In hoc tamen septimo Metropoliticam potestatem explico, erga ipsas personas Episcoporum Prouinciæ.

c Cypr. l. 3. Ep. 13.

d Ambr. Ep. 79.

III.

Celebre est Gregorij Magni dictum; [e] Si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis sedi Apostolicæ Episcopus subiectus non sit: Cùm verò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.] *Item*; Ego cunctorum Sacerdotum seruus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter viuunt; nam qui iuxta omnipotentem Dominum, per inanis gloriæ tumorem, atque contra statuta Patrum suam ceruicem erigunt, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladio flectet.] Hauserant iam Romani Pontifices, sibi ipsis nimium blandientes, opinionem illam totius vniuersalis Ecclesiæ primatum quendam ipsis deberi: ac propterea ad ipsos tandem vltimum iudicium, super criminibus omnium Episcoporum spectare. De quo agam libro 4. & 8. Hoc itaque nunc tantisper concesso, optimè dicit Gregorius, Ecclesiasticam superioritatem, in quocunque illa sit, siue Patriarcha, siue Primate, siue Metropolitano, nullam prorsus esse, si absint delicta, & crimina; intellige Ecclesiastica circa fidem, & disciplinam: sed omnes Episcopos, etiam cum suis Primatibus, & Patriarchis, atque Metropolitanis esse æquales. Quia, vt iam docui, iure diuino summa est inter omnes Episcopos æqualitas: occasione verò sola delictorum, vbi contingat Episcopos, vel à recta fide, vel à sacris Canonibus in regimine discedere, & discrepare, inductæ sunt hæ superioritates, & Prælaturæ. Deme errores, & necessitatem ordinationum Episcopalium, vix vlli quoad iurisdictionem, Patriarchæ, vlli Primates, vlli Metropolitani, vlli Papæ, sed summa, & perfecta æqualitas. Quod verò ait Gregorius de humilitate; intelligit profectò humilitatem illam quæ est debita; qua quis se in proprio gradu detinet; neque se effert super alios, quorum par est, & non superior; non intelligit

e Greg. l. 7. Ind. 2. Ep. 64.

git autem humilitatem, qua quis se suis inferioribus parem facit. Nam & alio loco sic habet idem Gregorius, ad Episcopum Sardiniæ scribens; [a] qualiter obedientia, vel reuerentia sit Præpositis exhibenda, ex tuis quoque subiectis ipse non ambigis. In qua re est valde vtile, si id, quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda seruauerit.] Hæc humilitas plane est cum debito, & obligatione iustitiæ. Qui autem superiorem, cum vera potestate ac Principatu super se habeat, etiam citra delicta & crimina, illi sunt ei subiecti, & ipse est eorum Prælatus, seu Princeps ac Dominus. Hunc verò Principatum, atque hoc dominium non agnoscit Gregorius, nisi vbi sola adsit occasio admonendi, reprehendendi, corripiendi, corrigendi, & exclusione etiam malorum ministrorum Ecclesiam purgandi. Et hoc exactius adhuc declarabo libro 5. & 8.

a Greg. l. 1. Ind. 13. ep. 7.

IV. Vbi itaque Episcopi Prouinciæ quisque se in officio continet, & omnes vt boni operarij in vinea Domini laborant; facta iam ipsorum ordinatione, nulla est inter ipsos differentia, nullum discrimen, nulla disparitas; omnes Episcopi duntaxat sunt, nullus inter ipsos Archiepiscopus, nullus Primas, nullus Patriarcha, nullus Papa, vt optime asserit Gregorius; & hoc ex vera, atque ex debita, debito iustitiæ humilitate. Hinc illæ tam seriæ admonitiones, vt Metropolitanus nihil agat in Prouincia, sine consilio & consensu suorum Episcoporum Comprouincialium; cum nondum præsertim canones regiminis essent conscripti; ita etiam Episcopi nihil in Prouincia commoueant, sine Metropolitano; vt inde summa paritas retineatur; neque vnus supra alium efferatur; sed commune bonum communi consilio promoueatur. Priuatum solum propriæ Diœcesis bonum quisque vt lubet procuret: ad communem se extra propriam Diœcesim nemo extendat, nisi de communi suorum confratrum consilio; siue sit Episcopus simplex, siue Archiepiscopus, siue Patriarcha aut Papa. Ita sane Ecclesia & monuit sæpius, & mandauit; quæ spiritu Christi instructa optime agnouit regimen Ecclesiasticum esse à Monarchica tyrannide remotissimum; & sola occasione delinquentium, suas introduxit superioritates, & aliquam ordinauit hierarchiam; vt iam est explicatum.

V. In Callisti primi altera, ac Lucij, quæ dicuntur Epistolæ; nec non in prima quæ fertur Iulij, cap. 23. hæc habemus; [b] Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quòd ad suam solummodo propriam pertinet Parochiam, sine consilio, ac voluntate omnium Comprouincialium Episcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit; & quod egerit irritum habeatur, & vacuum. Sed quicquid de Prouincialium Coepiscoporum causis, eorumque Ecclesiarum, & Clericorum, atque sæcularium necessitatibus agere, aut disponere necesse fuerit; hoc, cum omnium consensu Comprouincialium agatur Pontificum; nec aliquo dominationis fastu; sed humillima, & concordi administratione; sicut Dominus ait, [c] non veni ministrari, sed ministrare; & alibi, [d] Qui maior est vestrum, erit minister vester; & reliqua. Similiter & ipsi Comprouinciales Episcopi, cuncta cum eius consilio, nisi quantum ad proprias pertinet Parochias, agant iuxta sanctorum constituta Patrum --- vt vno animo, vno ore, concorditer sancta glorificetur Trinitas in sæcula.]

b Collect. Adriani & 9. q. 3. c. 4. & c. 7.

c Matth. 20.
d Mar. 10.

VI. Anicetus quoque illa scripsisse fertur; [e] Archiepiscopus nihil de Episcoporum causis, aut de alijs communibus, iuxta statuta Apostolorum, absque cunctorum illorum agat consilio; nec ille, nisi quantum ad suas Parochias pertinet, sine suo; quoniam tali gaudet concordia Altissimus, & gloriatur in membris suis.] *Item*, Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium Comprouincialium præsentia, vel consilio Episcoporum, aut eorum, aut alias causas (nisi eas tantum quæ ad propriam suam Parochiam pertinent) agere, aut eos grauare voluerit, ab omnibus districte corrigatur: ne talia deinceps præsumere audeat. Si verò incorrigibilis, eisque inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam sedem, cui omnia Episcoporum iudicia referri præcepta sunt, eius contumacia referatur; vt vindicta de eo fiat; & cæteri timorem habeant.] Applaudit Autor huius Epistolæ Romanis Episcopis, post ab eis iam vsurpatum in alias Ecclesias Primatum.

e 99. 3. c. 5. 6.

VII. Decreta Nicæna, vt testantur Patres [f] Africani, siue inferioris gradus Clericos, siue ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt.] Concilij verò Antiocheni Canon 9. in ordine, est talis ex Græco fideliter traductus; [g] Episcopos qui in vnaquaque Prouincia sunt, nosse oportet eum, qui Metropoli præest, vniuersæ quoque Prouinciæ curam susci pere; eo quod in Metropoli vndique conueniunt omnes, quicunque negotia habent. Quapropter placuit, & honore ipsum præcellere, & reliquos Episcopos nihil

f Conc. Afric. sub Bonif. c. 105 g 99 3 c. 1 in Versione Gregoriana.

A nihil aliud sine ipso facere (secundum veterem qui viguit Patrum nostrorum Canonem) quam ea sola, quæcunque ad cuiusque Parochiam, subiectasque Parochiæ regiones pertinent. In cuiusque enim Episcopi potestate esse propriam ipsius Parochiam, vt eam administret, pro ea quæ cuique conuenit integritate; & vniuersæ regioni, quæ suæ ciuitati subiecta est prospiciat consulatque: Ita vt & Presbyteros, Diaconosque ordinet, & singula quæque cum iudicio explicet. Præterea vero nihil quidquam facere aggrediantur, sine Metropolitani Episcopi, neque ipse sine reliquorum sententia.] In cuius etiam Canone vigesimo illud habetur; [a] Nec liceat aliquibus apud semetipsos Concilia, sine Metropolitanorum Episcoporum conscientia facere; quibus de omnibus cautis constat permissum esse iudicium.] a *Dist.18. c.Propter.*

VIII.

In collectione Martini Bracarensis, cap.4. sic statuitur. [b] Per singulas Prouincias oportet Episcopos cognoscere Metropolitanum suum, & ipsum Primatus curam suscipere; nihil autem agere reliquos Episcopos præter eum, secundum quod antiquitus à Patribus nostris constitutum continetur in Canone; propter quod Metropolitanus Episcopus nihil præsumptiue assumat, absque consilio cæterorum.] Ex his conflatus est Canon Apostolorum, qui ait; [c] Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius præter eius conscientiam gerant, quam illa sola singuli, quæ Parochiæ propriæ, & Villis quæ sub ea sunt competunt: sed nec ille, præter omnium conscientiam faciat aliquid; sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus, per Christum in Spiritu Sancto.] Quem Canonem vere de Metropolitanis positum, ad suum Primatum Papalem, & solum confirmandum, produxit [d] Ioannes Papa octauus. B b *9 43 c.1.* c *Can. Apost.35.* d *Io.8.ep.181.*

IX.

Vbi tamen delicta, aut quicunque excessus, vel defectus in Episcopis, post iam conscriptos Canones occurrant; tunc sicut Episcopi reliqui Comprouinciales debent insurgere, ita eorum nomine Metropolitanus Canonum vindex statim insurgit, & fit ordinarius admonitor, corrector, & Iudex, aduersus suorum suffraganeorum vel negligentiam, vel excessus. Et ex hac autoritate caput vocatur; vt nunc vidimus in Canone Apostolorum: Pater similiter, & Pastor eorum, vt eum vocat Innocentius tertius; dum ad suffraganeos Metropolitani Arelatensis scribit: [e] Cum secundum doctrinam Euangelicam, [f] quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eis eadem facere debetis, eam reuerentiam vos conuenit præstare Prælatis, quam vobis vultis à subditis exhiberi.] Prælatum Episcoporum Prouinciæ vocat Metropolitanum, præcipitque illis Episcopis, Quatenus ei tanquam Patri, *inquit*, & Episcopo animarum vestrarum, deuote studeatis, & humiliter obedire: ad vocationem ipsius, nisi euidens necessitas contradicat, secundum traditionem Canonicam, sine difficultate qualibet accedentes.] Metropolitanum esse Episcopum animarum suorum suffraganeorum, intelligi debet, ex sola Ecclesiastica consuetudine, & lege Canonica; vt vbi delinquerint, ab eo paternam excipiant correptionem. Nam iure Diuino [g] nemo est Episcoporum Episcopus: Et excepto solo externo regimine Prouinciæ, in quo Metropolitanus caput est, iure Ecclesiastico, & primus; mera vanitas Canonistarum est, vbi Archiepiscopo dant curam animarum suorum suffraganeorum: eumque faciunt ipsorum ordinarium confessarium; & similia. Et idem Innocentius in alia Epistola suffraganeis Acheruntinæ Ecclesiæ scripta, ait; [h] Fraternitati vestræ, per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad eum, sicut Patrem, & Pastorem vestrum, pium geratis deuotionis respectum.] C e *Innoc.3.l.1. ep.466.* f *Matth.7.* D g *Cypr. in Concil.Carthag.* h *Innoc 3.l.1. ep.150.*

X.

Prius vero Nicolaus primus, Archiepiscopum Albinum admonet, vt Episcopum quendam suum suffraganeum corripiat, & ait; [i] Oportet ergo fraternitatem tuam Synodale, cum Episcopis & suffraganeis tuis, conuocare Concilium, & hunc salutaribus eloquijs Episcopum conuenire, atque illi, Pastorali autoritate præcipere; quatenus &c.] Pastoralem autoritatem, erga Episcopos Prouinciæ, in Synodo ponit Prouinciali; sed præcipue in ipso Metropolitano, qui vt toties dixi, nomine totius corporis suæ Prouinciæ Episcoporum, tanquam caput eorũ, singulis præest; & ita præest, vt si omnes conuenirent, & aliquid statuerent, id nullius sit roboris, lege Ecclesiastica, nullius momenti, si absit Metropolitanus: [k] integrum enim & perfectum Concilium definit esse Concilium Antiochenum cap.16. illud, cui, *inquit*, Metropolitanus etiam Episcopus interfuit.] Et in Romana secunda Synodo sub Symmacho, vbi Basilij Patricij lex quædam abroganda proponitur, [l] Laurentius Mediolanensis dixit, legem esse nullam, maxime cum nec Papa Romanus subscripserit, nec alicuius secundum Canones, Metropolitani legatur assensus.] Et Eulalius Syracusanus dixit; E i *Dist.34.c.1.* k *Dist.92.c.8.* l *Dist.96 c.1.*

dixit; Quod si cuiuslibet Prouinciæ Sacerdotes, intra terminos suos Concilio habito, A quicquid sine Metropolitani sui autoritate tentauerint, irritum esse debere, sancti patres sanxerunt; quanto magis &c.]

XI. Ac propterea in genere, ad reuerentiam, & obedientiam suo Metropolitano præstandam, astringuntur suffraganei: vnde Gregorius Felicem Episcopum in Sardinia grauius obiurgauit; quod suo Metropolitano obediens non esset; vindictamque ei comminatur; [a] contristamur, inquit, quia superbiæ de te manifestum præbes indicium: – hortamur, vt mentis tumore deposito, ordinatori tuo, – humilem te exhibere, ac parere non desinas, &c.] Et [b] Nicolaus, increpans quendam Hilduinum, nouum Episcopum Cameracensem, inter alia ei tanquam graue scelus, obijcit, quod Metropolitano, *inquit*, id est confratri nostro Hincmaro Remorum Archiepiscopo, nullam debitam subiectionem, vel obedientiam impendas; sed absque libitu eius, & per decem iam menses viduatam eandem Ecclesiam occupatam detineas.] Atque inter eiusdem Nicolai Epistolas reperta est electio Redonensis Episcopi; in qua electores, & ordinatores eius, Episcopi comprouinciales illud etiam addiderunt: [c] Matri suæ Metropoli, debita reuerentia se subijcere non negligat; & iuxta sanctissimorum Patrum Regulas, nihil, nisi quæ ad propriam pertinent Ecclesiam, extra eius consensum, pertentet.] In Concilio quodam Trullensi eiusdem Nicolai temporibus celebrato, grauis facta est reprehensio suffraganeis Metropolitanæ Britannicæ, quod erga suum Metropolitanum essent peruicaciores: [d] Sacris instructi, *inquiunt*, Canonibus non ignoramus, Metropolitano vestro, carissimo fratri nostro Erardo, competentem reuerentiam vos debere; ita vt, præter eius præsentiam, & consensum, nullus in regione vestra Canonice possit ordinari Episcopus. Nec vos generale aliquid sine eius assensu posse sancire: De qua reuerentia salubriter à vobis, & gente vestra Metropolitano impendenda, nostro nomine plura, & Reuerendissimi Papæ Leonis, & successoris eius Benedicti scripta docuerunt; & refragantibus, Apostolica autoritate, dignam excommunicationis protulerunt sententiam. Monet etiam nos, quod ijs, quos vester Metropolitanus, cum alijs Episcopis, propter diuersa crimina excommunicauit, indifferenter vos communicare comperit: in canonibus autem diuinitus institutis, socij excommunicatorum, eorundem sententia feriuntur.] Et infra; Verum si (quod non optamus) ab eiusdem Metropolitani solicitudine vlterius resilieritis; & nostris ex charitate manantibus exhortationibus vos constiterit reluctari; ministerij necessitate, Canonicam in vos cogemur proferre sententiam.] Et [e] Ioannes octauus, Nitriensem Episcopum, suo Archiepiscopo in omnibus obedientem, sicut sancti Canones docent, esse iubet.] [f] Innocentius tertius, Auersanum Episcopum omnino iubet esse sub obedientia, & subiectione Archiepiscopi Metropolitani; donec aliquid in contrarium probauerit. Imo & iuramento obedientiæ, vt supra vidimus, cap. 5. num. 45. colligantur.

a *Greg. l. 4. Indict. 13. ep. 7.*
b *Nicol. ep. 85.*
c *Apud Baron. tom. 10. an. 866. nu. 85.*
d *Ibid. an. 855. nu. 42. 43.*
e *Io. 8. ep. 247.*
f *Innoc. 3. l. 1. ep. 402.*

XII. Metropolitanum porro esse iudicem ordinarium suorum suffraganeorum tam in criminalibus, quam in ciuilibus, iam confirmo. In Concilio Carthaginensi tertio, septimus canon talis est; [g] Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem Prouinciæ ipsius causam deferat accusator: nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, die statuta, Primatis literis euocatus, minime occurrerit, &c.] Et paulo ante Fœlix secundus sic statuerat: [h] Si Primates, accusatores Episcoporum, cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad Synodum Canonice conuocatam, non intra angusta tempora, canonice conuocent; & non prius quam eis per scripta significent, quid eis opponitur, vt ad responsionem præparati aduenant] Hic Primas Prouinciæ, hoc est Metropolitanus, actus iudiciarios, quamuis præsente Synodo, aduersus Episcopos exercet. Et in Toletano tertio cap. 20. edicitur, [i] Vt Clerici tam locales, quam Diœcesani, qui se ab Episcopo grauari cognouerint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant; & Metropolitanus non moretur huiusmodi præsumptiones coercere.] Patet ergo hoc loco non esse sermonem de appellationibus, sed de excessibus Episcoporum, quos per modum simplicis querelæ læsi deferant contra Episcopum lædentem, ad Metropolitanum, tanquam iudicem Primarium, & ordinarium ipsorum Episcoporum.

g *4. q. 5. c. Fin.*
h *5. q. 2. c. fin.*
i *10. q. 3. c. Quia cognouimus.*

XIII. Concilium Aurelianense quintum, sic statuit; [k] Placuit etiam, vt si quæcunque persona contra Episcopum, vel actores Ecclesiæ, se proprium crediderit habere negotium, prius ad eum recurrat caritatis studio, vt familiari admonitione commonitus, sanare ea debeat, quæ

k *Concil. Aurel. 5. c. 17.*

A quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre voluerit, tum demum ad Metropolitani audientiam veniatur. De qua re cùm literas suas Metropolitanus ad Comprouincialem Episcopum dederit, & causa ipsa inter vtrosque, quacunque occasione, amicis medijs non fuerit definita, vt ipsi Metropolitano necessarium sit in eodem negotio iterare scriptum; & secundo admonitus aut mittere, aut venire distulerit; tandiu à charitate Metropolitani sui nouerit se esse suspensum, donec ad præsentiam eius veniens, causæ ipsius, de qua petitur, reddiderit rationem. Quod si patuerit Episcopum ipsum contra iustitiam fatigatum, is qui eum iniusta interpellatione pulsauit, anni spacio à communione Ecclesiastica suspendatur. Si verò Metropolitanus à quocunque comprouinciali Episcopo, bis fuerit in causa propria appellatus, & eum audire distulerit, ad proximam Synodum quæ constituetur, negotium suum in Concilio licentiam habeat exercendi: & quicquid pro iustitia à

B Comprouincialibus suis statutum fuerit, studeat obseruare.]

In Mauisconensi secundo sic habemus; [a] Si aliquid contentionis aduersus Episcopum potentior persona habuerit, pergat ad Metropolitanum Episcopum, & ei causas alleget, & ipsius sit potestatis honorabiliter Episcopum de quo agitur euocare, vt in eius præsentia accusatori respondeat; & oppositas sibi actiones extricet. Quod si talis fuerit immanitas causæ, vt eam solus Metropolitanus definire non valeat, aduocet secum vnum, vel duos Coepiscopos. Quod si & ipsis dubietas fuerit, Conciliabulum definito die, vel tempore instituant; in quo vniuersa ritè fraternitas collecta, Coepiscopi sui causas discutiat; & pro merito aut iustificet, aut culpet.] XIV.

a *Conc. Matisc. 1. c. 9.*

Gregorius Magnus monet Episcopos, vt [b] Metropolitanum suum nullus præsumat in aliquo postponere; excepto si contra ipsum Metropolitanum quis eorum aliquid causæ haberet; tunc enim iudicium sedis Apostolicæ esse requirendum affirmat.] Igitur in alijs XV.

b *2 q. 7. c. Metropolitanum.*

C causis, quæ inter Episcopos vertant, Metropolitani iudicium non est postponendum. Nunc verò nostri leguleij iam axioma fecerunt, Licere, omisso medio, immediatè ad sedem Apostolicam conuolare. Sed de hoc plura libro 8. Idem quoque Gregorius instruit Augustinum suum Legatum, & iam factum Episcopum Cantuariensem; [c] In Galliarum, *inquit*, Episcopos nullam tibi autoritatem tribuimus; quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus, pallium Arelatensis Episcopus accepit: quem nos priuare autoritate percepta minimè debemus. Si igitur contingat, vt fraternitas tua ad Galliarum Prouinciam transeat, & aliquid ex autoritate agendum fuerit, cum eodem Arelatensi Episcopo debes agere; qualiter si qua sunt in Episcopis vitia corrigantur.] Plenissimam ergo in Metropolitanis agnoscit Gregorius iudiciariam potestatem, in Episcopis suæ Prouinciæ corrigendis; adeò vt, ne legatum quidem suum velit in his se ex autoritate immiscere.

c *Greg. inter ep. ad inter. Aug. c. 9.*

Idem quoque in controuersia de iure Diœcesano, inter Episcopos [d] Epidaurienſem, & XVI.

D Corcyritanum orta, & agitata; Nicopolitani eorum Metropolitani iudicium, & definitionem omnino seruandam inculcat: eiusdemque Metropolitani munus, & officium esse agnoscit, vt & reliquas inter eosdem ciuiles causas de damnis Ecclesiæ illatis iudicet, & componat. Et Nicolaus primus Archiepiscopum concedit Bulgaris; [e] Ad quem, *inquit*, omnes concurrant; & cuius consilium in causis maioribus præstolentur.] Idipsum etiam Apostolicis regulis præcipientibus, ac dicentibus; [f] Episcopos gentium singularum iure conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius, præter eius conscientiam gerant, &c.]

d *Greg. l. 12. Ep. 2. 3.*

e *Nicol. ad consul. Bulgar. c. 72.*

f *Can. Apost. 34.*

Gregorius septimus noluit querimoniam ad se delatam contra Episcopum Pictauiensem, admittere; ne Metropolitano præiudicium generaret, & sacros Canones videretur contemnere; sed eam totam ad Synodum Prouinciæ, & ad ipsius Metropolitanum, vt Primarium ab eo haberetur iudicium, remisit; scribit enim ad eundem Episcopum accusatum; [g] Quæ si ita facta sunt, Apostolica autoritate tibi præcipimus, vt te repræsentes in

E Concilio Episcoporum Prouinciæ vestræ, Metropolitano tuo; & reddita super his omnibus ratione, ac pura veritate discussa; iustitiam inde consequenter exhibere non prætermittas.] XVII.

g *Greg. 7. l. 1. Ep. 73.*

Siluanectensis [h] Episcopus, de venditione sacrorum ordinum fuit apud illius Prouinciæ Metropolitanum à suis Clericis accusatus. Sed neque ipse, neque fautor ipsius Iuo Carnotensis, incompetentiam iudicij exceperunt: sed à grauamine duntaxat, ad Romanam sedem appellârunt; vt in ea non primarium fieret iudicium, sed in secunda instantia, super grauamine cognosceretur. Adhuc igitur Iuonis tempore, iudicia etiam criminalia Episcoporum, & sanè in causis grauissimis Simoniæ, quæ depositione plectitur, penes Metropolitanum XVIII.

h *Iuo Ep. 244.*

tropolitanum, vt Indicem ordinarium, in primario tractabantur. Est etiam nostrorum Canonistarum communissima doctrina, [a] Metropolitanum esse Indicem ordinarium suorum suffraganeorum; & contra illos, per solam querelam, etiam sine appellatione, posse coram Metropolitano induci accusationes. A

a Apud Steph. Quarant. in sum. Bull. Verbo Archiepiscopi auctoritas. num. 10. 11.

XIX.

Sed nunc factis ipsis, ac præsertim pœnis nec leuibus illatis, Metropolitanorum potestatem erga suos Episcopos confirmemus. Et sane Censuris omnibus posse Metropolitanum in suos suffraganeos, ex causa agere, concedunt apertissime [b] Canonistæ. Facta verò Catholicorũ Metropolitanorũ iam accipe, quæ mihi occurrunt insigniora. In ciuitate Ephesina, quando in ea tertia Oecumenica Synodus celebrabatur, inuenti sunt aliquot Episcopi, qui grauibus de causis à suis Metropolitanis erant depositi; vt narrant Patres illius Concilij, in sua [c] Synodica ad Cœlestinum Romanum Pontificem; dum conquerũtur, Ioannem Antiochenum, Conciliabulum quoddam ex his depositis, & alijs extorribus, qui nullas habentes Ecclesias vagabantur, & ex eiectis, & Pelagianis, ac Cœlestianis congregasse. Basilius verò [d] depositionem minatur suis suffraganeis, si propter pecuniam faciant ordinationes. Ibas Edessenus, à suis Clericis accusatus, [e] iudicatus fuit ab Antiocheno Primate in Synodo: [f] Florentius Epidaurens. Episcopus à Natali Salonitano in exilium pulsus est. Et [g] Mediolanensis vnum suum Episcopum deposuerat; & factum à Gregorio laudatur. B

b Ibid. n. 8. & De suppl. negligg. Prælat. 1. in 6.

c Apud Cyrill. Alex. ep. 12. Synodali.

d Basil. ep. 76.

e Conc. Chalced. act 9.

f Greg. Li. Ind. 2. ep. 9. & l. 7. Ind. 1. ep. 12.

g Idem lib. 6. Ind. 15. ep. 14.

XX.

Hincmarus Remensis Archiepiscopus, vir doctissimus sui temporis, & rerum Ecclesiasticarum peritissimus, [h] Rothaldum Suessionens. Episcopum, ob varia crimina in Syno po deposuit ab Episcopatu, aliumque ei subrogauit; imo verò etiam in Monasterium intrusit, & tetro carcere macerauit. Scio inde ortas multas contentiones inter Papam Nicolaum, & Hincmarum Archiepiscopum; qui Metropoliticam iurisdictionem, aduersus Papæ conatus, nisus est defendere, quam ipse Papa infringere nitebatur. Sed libro 8. ista discutiam; vbi de iudiciaria Ecclesiæ potestate mihi erit agendum; ostendamque meliorem causam Hincmarum fouisse quàm Nicolaum. Idem quoque Hincmarus [i] Laudunensem Episcopum, nomine item Hincmarum, ipsius & nepotem, & suffraganeum, & ab Episcopatu deposuit, & exilio, cathenis, carceribusque afflixit; imo etiam excæcatione plectendum curauit. Archiepiscopus Polonus, vt de eo conqueritur Paschalis 2. ad priuationem etiam, seu depositionem vnius Episcopi sui suffraganei, propria autoritate deuenit; vt habes infra cap. 11. num. 22. Sic Richardus Cantuariensis, Episcopum [k] Landauensem, & Abbatem Malmesburiensem, suspendit à Diuinis, ob turbatam alterius Episcopi iurisdictionem. C

h Nicol. ep. 31. & seqq. vsque ad ep. 45.

i Inter ep. lo. 8. post. ep. 111.

k Petr. Blesf. ep. 68.

XXI.

Eandem autoritatem Metropolitani suspendendi, interdicendi, excommunicandi suffraganeos; tanquam de iure communi ordinariam esse, & supponit & expresse fatetur Innocentius 3. Sic enim Lexouiensi scribit Episcopo: [l] Ad hæc ne — videaris ab ipsius (*Rhotomagensis*) subiectione substractus; volumus vt sibi, tanquam Metropolitano tuo, debitam obedientiam exhibeas cum honore. Cæterum vt tu ipse non possis, vel debeas ab ipso indebite aggrauari, — indulgemus, vt si forte ad dictandum in te, vel Ecclesiam tuam, sententiam casu aliquo moueatur, trina semper admonitio — canonice antecedat. — Si verò vel ante commonitionem emissam, vel post appellationem rationabiliter interpositam, in te, vel Ecclesiam tuam suspensionis, interdicti, aut excommunicationis, dictus Archiepiscopus sententiam promulgauerit; illam decernimus non tenere: — nisi forte quod absit) tantum, & talem excessum committeres, propter quem de iure communi tibi prouocandi foret interdicta facultas.] Adhuc igitur Innocentij tertij temporibus, Archiepiscopi in suos suffraganeos plenam exercebant ordinariam, & primariam iurisdictionem. D

l Innoc. 3. Li. ep. 240.

XXII.

Ita etiam postea sub Honorio tertio, qui [m] Cœnomanensem Episcopum, à sententia excommunicationis, in ipsum per Turronensem Archiepiscopum lata, ad cautelam tantum absoluit; ipso Episcopo iuramentum præstante, quod parebit mandatis, quæ idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit; si constiterit ipsum in eo, pro quo fuit lata prædicta sententia; culpabilem esse.] Et postea etiam Innocentius quartus, in [n] Archiepiscopo potestatem suspendendi, interdicendi, & excommunicandi suos suffraganeos, plane agnoscit ordinariam; dum præsente Archiepiscopo, aut non admodum remoto, prohibet ipsius officiali, ne id faciat. Sed si etiam officialis id faceret, teneret sententia; vt glossa ibidem: quæ & supponit vt manifestum eandem Metropolitani potestatem extendi etiam contra [o] officiales suorum suffraganeorum, cum delinquunt in officio, vt eadem explicat glossa. E

m De sent. Excom. Ventrabili.

n De off. ord. c. 1. §. fin. in 6.

o Cap. Romana, de off. Vicari. in 6.

suffra-

A Suffraganeos in suo Episcopali munere negligentes, Metropolitanus non modo arguere, & monere, sed etiam [a] compelere potest, vt quod sui muneris est expleant. Et propterea Concil. Trident. [b] Metropolitanos monet, vt in erectione, & conseruatione seminarij, cogant suos suffraganeos in hoc negligentes.

Cogere etiam potest eosdem suffraganeos Metropolitanus, vt ad Synodum, ab eo vocati, secluso legitimo impedimento, omnino veniant; & non accedentes punire potest, eorumque pœnam taxare. De his habes in Concilio Antiocheno Can. 16. in quo patet [c] penes Metropolitanum esse potestatem Synodi conuocandæ. Idem statuit sæpe alia etiam Concilia, & Patres; vt colligit [d] Gratianus. Et præterea in Concilio Aurelianensi 4. ca. 37. & eodem 5. ca. 18. & Vasionensi c. 39. & alijs idem habetur. Atque in his Synodis vbi iudicia, vel alia negotia Prouinciæ ventilantur, [e] prima sententia, imò & definitio est

B Metropolitani: cui si non acquiescant Episcopi, Primas regionis est adeundus; vt explicat Bonifacius Papa.

Et quoniam dedecet Episcopum temporalia suæ Ecclesiæ ita tractare, vt inde à proprio munere docendi, & spiritualia ministrandi abstrahatur, & impediatur, Archiepiscopi munus, & potestas est, vt suos suffraganeos compellat in suis Ecclesijs œconomos instituere, ac per eos temporalia administrare. Sic enim 7ª. Synodus generalis statuit: [f] Si vnusquisq; Metropolitanus in sua Ecclesia œconomum constituit, bene habet: sin minus Constantinopolitano Episcopo, proprio autoritate licebit, œconomum in sua Ecclesia præficere. Similiter & Metropolitanis, si qui eis subsunt Episcopi nolint in sua Ecclesia œconomos constituere. Hoc ipsum autem seruari etiam in Monasterijs oportet.] Metropolitanos vult in hoc, à suis Patriarchis corripi; Episcopos verò à suis Metropolitanis.

Episcopum fraudatorem bonorum suæ Ecclesiæ corrigere, [g] est officium & potestas

C Metropolitani: sicut & exactiones indebitas suorum suffraganeorum compescere, & moderari, vt supra vidimus in Concilio tertio [h] Toletano c. 20.

Si Episcopus à sua Ecclesia abiit, diutiusque quam par sit, extra illam moras trahat; [i] Archiepiscopus causam talis absentiæ debet cognoscere, & approbare, vel reprobare: & absentem sine causa, punire potest, & debet, fructuum subtractione eorumque fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci applicatione; imò eiusdem Archiepiscopi est concedere, vel negare licentiam Episcopis suæ Prouinciæ, ab Ecclesia abeundi; sine cuius licentia [k] egredi ad remota, suffraganeis non liceat; vt habetur in Concilio Antiocheno ca. 11. & ca. 13. & monet Gregorius dicens; [l] Additur etiam, quod ex vobis aliqui, pro Ecclesiæ suæ emergentibus causis, transmarina petentes, sine prædicti Metropolitani sui cognitione, vel Epistolis, sicut Canonum ordo constituit, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatem Vestram, vt antiquam Ecclesiarum vestrarum consuetudinem exequentes, tam de suscipienda Paschali denunciatione, quam etiam si quenquam vestrum pro causis propriis vbicunque compulerit ambulare necessitas, ab eodem Metropolitano vestro, secundum indictam vobis regulam, petere cessionem debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis.] Et loquitur de Episcopis: Illud quoq; sibi displicuisse in alia Epistola scribit; [m] Quod

D aliquos Episcoporum, sine Primatis sui Epistolis, ad Comitatum profectos esse, (*hoc est ad Curiam Imperialem*) cognouerit. Pelagius etiam, vt habes infra cap. 11. nu. 10. formatas Metropolitani necessarias iudicat omnibus Ecclesiasticis totius prouinciæ, qui velint ad longinqua iter facere.

In Concilio Meldensi cap. 16. inuenio vetitum fuisse Episcopis, [n] ne quenquam sub anathemate ponant, sine conscientia Archiepiscopi, aut Coepiscoporum.] Non est in vsu.

Atque vt vno verbo concludam hoc caput, quicquid potest Ecclesia tota in Episcopos

E suos Ministros, id potest in suos suffraganeos Metropolitanus; ipsius enim nomine & autoritate, vt iam exposui, inter Comprouinciales Episcopos ille præest. Quare nihil etiam ei eripiendum est in hac potestate, nisi quod expresse Ecclesia eripit, vel negat ei. Vetat porro Ecclesia Metropolitanis, ne in regimine ordinario, & primario propriæ Diœcesis suorum suffraganeorum se ingerant; nisi in casibus, de quibus infra. Itaque relinquitur illis plenissima potestas erga ipsos suffraganeos, in quocunque casu, tam ciuili, quam criminali. Nisi tanti momenti causa sit, vt extra Prouinciam etiam extendatur: tunc enim maior Synodus quàm sit vnius Prouinciæ, & fortasse vniuersalis, causam magni momenti debet discutere, & iudicare; vt pluribus erit postea suis locis explicandum. Atque hinc satis habemus quod miremur, dum in Concilio Tridentino [o] cernimus hanc Metropolita-

XXIII.

[a] *Zyaras de Arch. pot. 3. p. 9.*
[b] *Concil. Trid. sess. 23. c. 18. de ref.*

XXIV.

[c] *Dist. 18. c. Propter.*
[d] *Dist. 18. per totam*
[e] *6. q. 4. c. 5. in fin.*

XXV.

[f] *Sept. Synod. can. 11. habetur 9. q. 3. c. Cum simus.*

XXVI.

[g] *16. q. 7. c. Filij.*
[h] *10. q. 3. c. Quia.*

XXVII.

[i] *Concil. Trid. sess. 6. c. 3. & sess. 21. c. 1.*
[k] *23. q. 8. c. Si quis Episcopus: & 99. 2. c. Nullum Episcopum.*
[l] *Greg. lib. 7. ind. 2. ep. 8.*
[m] *Ibid. ep. 61.*

XXVIII.

[n] *11. q. 3. c. Nemo Episcoporum.*

XXIX.

[o] *Concil. Trid. sess. 3. c. 8. & sess. 24. c. 3.*

norum potestatem erga suos suffraganeos, non parum restrictam, & coarctatam: quam tamen, tota concedente Ecclesia, ab ipsis pene Apostolorum temporibus integram perpetuo habuerunt. Sed totus illius Concilij scopus fuit, vt ampliſſimam iam ex innumeris vsurpationibus Papalem potestatem, non modo stabiliret, sed etiam faceret ampliorem. Solus enim Papa, solaque Roma Concilium illud rexit, struxit, & instruxit. Neque aliud aut definiebatur in eo, aut statuebatur, nisi quod prius Romæ in Papali Consistorio, vel priuato etiam cubiculo definitum, statutumue fuisset. Nihilque tractandum, discutiendumue proponebatur, nisi quod Papa tractari, discutiue voluisset, & significasset. Maximo nimirum artificio vsus, vt maxima pars Episcoporum adesset Curialium & titulatorum, Romanæ sedis clientum, & Romani Pontificis assectarum, ne dicam satellitum, & parasitorum: qui fraudulenter in custodiam sponsæ Christi Ecclesiæ intrusi, male fidi custodes, facti adulteri, eam, quantum in ipsis fuit, alieno stupratori prostituere non destiterunt.

CAP. VIII.

Metropolitanos erga subditos suorum suffraganeorum multa posse.

SUMMA CAPITIS.

Episcopi suffraganei sunt verè & propriè, ac proximè, & immediatè, occasione delictorum & defectuum subiecti potestati suorum Metropolitanorum; non ita Clerus & subditi ipsorum suffraganeorum, nisi per legitimam deuolutionem: atque huiusmodi deuolutiones causarum ad Metropolitanos, per Ecclesiastica statuta, enumerantur; potissimæ sunt duæ.

Prima est per Appellationem, à num. 1. ad num. 13. qua occasione defenduntur Canones Antiocheni; & Chrysostomi damnatio enodatur. num. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Altera deuolutio ex negligentia ordinarij, à num. 14. ad finem.

I.

IN pluribus Ecclesiasticis statutis, præcedenti capite recitatis, seuerius inhibitum vidimus, ne Metropolitani [a] curam ordinariam suorum suffraganeorum, in regimine propriarum ipsorum Diœcesum vsurpent, aut turbent. Nam etiam iure Diuino, vt dicebat Cyprianus, Episcopi nemini, nisi soli Deo, rationem sunt reddituri de suo suæ Ecclesiæ regimine; in ijs, quæ Ecclesiæ definitionibus, & statutis non sunt iam declarata, & præscripta. Et demptis criminibus, Canonumque violationibus, nullam habet Metropolitanus in suos suffraganeos potestatem; neque extra propriam Diœcesim regimen primatium vllum habet. Ita neque Primates, neque Patriarchæ, vt infra dicetur. Vbi tamen Episcopos, aut in suis iudicijs, aut in suo regimine errare contingit, sicuti vicinorum Coepiscoporum correctioni subsstare debent, ita etiam Metropolitano, qui eorum locum tenet, consuetudine Ecclesiæ, & iure Canonico debent subesse: adeo vt ipsorum acta erga suos subditos, si à recta regula deuient, per eorum Metropolitanos sint corrigenda. Atque ita causæ subditorum suffraganeorum, ante omnia ad Metropolitanos per appellationem deuoluuntur; postquam præsertim, & iudicia forensa strepitosa, & modus procedendi sæcularis, est in Ecclesiam introductus; de quo agam lib. 5. & 8.

[a] 9. q. 3. c. Per singulas. & cap. conquestus.

II.

Appellatio sane aliqua, vbi se quis à suo Episcopo grauatum sentiret, & ea valde summarie, & ex æquo & bono, non per tot tricas & ambages legum ciuilium expedienda, fuit olim permissa: vbi præsertim aliquis, à communione fidelium fuisset à suo Episcopo exclusus. Is enim potuit & ad vicinum Episcopum, & ad Metropolitanum, & ad Synodum suæ Prouinciæ, seu etiam alterius confugere; vt causa suæ damnationis ab his excuteretur. Concilium Antiochenum habet in hoc genere illum Canonem, qui duodecimus est in ordine; [b] Si quis à proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oporteat ad maius Episcoporum conuentu concilium, & quæ putauerint habere iusta plurimi Episcopis suggerant, eorumque discussiones, ac iudicia præstolentur. Si vero hæc paruipendentes molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus opperiri dijudicamus.]

[b] 21. q. 4. c. Si quis à proprio.

III.

Hunc Canonem, imo & reliquos huius Concilij eleuare plurimum conatus est [c] Baronius; & cum eo [d] Binius: quod factos prætendat fuisse ab Arianis; atque hunc potissimum duodecimũ, in odium Athanasij, quem in hoc Concilio damnatum fuisse autumant: sed

[c] Baron. tom. 3 an. 341. nu. 29. & seqq.

[d] Sener. Binius in sua edit. Concil. notis in hunc Can.

A Sed quicunque fuerint illi, qui ad hoc Concilium conuenerint, & Canones ediderint, mihi certum est huius Concilij Canones omnes fuisse ab antiquis temporibus, non multò post Nicænum primum œcumenicum, in corpus, seu codicem Canonum coniectos, & Ecclesiæ vniuersali legendos, atque seruandos traditos. Certè vnus ex his Canonibus, qui est quintus in ordine, in Concilio [a] Chalcedonensi lectus fuit ex codice, & mira laudatione approbatus illis enconijs, omnibus Episcopis clamantibus: Hæc iusta regula; hæc regula Patrum.] Et Pelagius Papa dum implorat auxilium potestatis laicæ; [b] Secundum Canones ait, schismaticos esse per sæculares potestates comprimendos: & id per [c] regulas Patrum specialiter ait esse constitutum.] Neque de hoc aliam regulam habebat, nisi Antiochenam, in codice Canonum Ecclesiæ vniuersalis repositam, in ordine 84. Et Gratianus inter Catholica Concilia, ex quibus codex Canonum est collectus, [*] numerat etiam hoc An-

B tiochenum. Quod ab Ecclesia vniuersa quatuor primis œcumenicis Concilijs, aut aliquo eorum confirmatum fuisse, satis apertè innuit Iustinianus; dum [d] legum vim habere debere codicem Canonum Ecclesiasticorum decernit; quos ipsa quatuor Concilia, vel condiderunt, vel firmârunt.] Inter eos verò cùm fuerint semper Antiocheni numerati, à primis Concilijs eos firmatos fuisse necesse est. Quare magna mihi temeritas videtur velle Canones hos, tantę semper in Ecclesia autoritatis, inter hæreticorum quisquilias proijcere.

Ioannes, *inquiunt*, Chrysostomus, cum hoc duodecimo Canone ab hostibus [e] vrgeretur, ei opponentibus, quod non ritè fuerit in sedem restitutus, opposuit huic Canoni eum in Ecclesia Ariana, non in Catholica locum habere; quia ab Arianis fuerit Antiochiæ editus. Et Innocentius primus in Epistola ad Clerum Constantinopolitanum, in defensione eiusdem Chrysostomi, Canonem eundem, *inquiunt*, [f] reiecit, vti Nicænis contrarium.] Cum tamen verba ipsa Canonis, qui ab aduersarijs Ioanni obijciebatur, sint ab hoc Antiocheno

C Canone diuersa, diuersa quoque sententia, vt inferius patebit; & Concilia Antiochena, necnon conciliabula, tempore Athanasij plura facta fuerint, vt ostendam lib. 4. cap. 8. neque in hoc Canone duodecimo Concilij Antiocheni in Encænijs celebrato, quicquam appareat quod sit contrarium Nicænæ Synodo; imò Canon hic 12. antiquissimæ consuetudini, Nicænis quoque decretis sit valdè conformis, vt constabit lib. 4. cap. 8. num. 9, 10. contineatque in se summam æquitatem, & restitutioni Chrysostomi nihil obstet, imò plurimum prosit, eique maximè nitatur Simplicius Papa, contra Petrum Moggum, & Acacium qui hunc damnatum in communionem receperat, [g] Oportebat, *inquit* communi decreto damnatum tanquam adulterum, communi Concilio à damnatione liberari,] ac interim Canones hi omnes Antiocheni in Ecclesia semper fuerint venerandi, & à Patribus maiori ex parte orthodoxis in eo Concilio editi, et in [*] Quinisex. Syn. approbati, assentiri

D non possum hunc esse Canonem qui Ioanni obijciebatur; cùm præsertim ipse hoc Canone duodecimo, suæ restitutionis totam fermè vrgeret defensionem.

Scribit profectò ipse Chrysostomus ad Innocentium, post alteram sui damnationem, iam in exilio plenè positus, [h] se enixè apud Imperatorem curasse, vt Synodus cogeretur, quæ legitimam ei, vitiis ipsius criminationibus, & auditis defensionibus, impenderet absolutionem, & synodicè habitam rescinderet damnationem: seque iugiter instituisse iudicium hoc fieri, nec impetrare potuisse. Atque hoc ipsum est quod Canon hic 12. concedit, & præscribit grauatis. Quamuis autem ab Imperatore non potuerit obtinere dictam Synodi congregationem, malè tamen hinc Baronius [i] reijcit Sozomenum asserentem fuisse circa 60. Episcopos Ioanni communicantes, [k] qui post reditum, & thronum resumptum; acta Quercuana contra Chrysostomum irrita esse, & vt Ioannes Episcopatum retineret, decreuerunt. Nonne etiam Socrates refert [l] Ioannem opposuisse aduersarijs suis, suffragia horum 50. Episcoporum? (variat tantùm in numero à Sozomeno.) Et iterum Sozo-

E menus ait; [m] Ioannem se tali decreto defendisse, obiecisseque aduersarijs, sibi post reditum plures Episcopos suffragatos esse cum ipso communicantes, quàm fuerant ipsius damnatores. Non obtinuit quidem vnquam Synodum, quæ accusationes ipsius discuteret, eumque plenè definitiuè absolueret: habuit tamen Synodum hanc 50. vel 60. Episcoporum, qui ex se decreto quodam, in ordine tantùm, ac possessorio, & sanè non nisi interlocutorio, non in meritis, neque definitiuo, illam throni receptionem, quam aduersarij Ioannis solam in iudicium tunc vocabant, confirmauerunt. Et consequenter quoad possessorium, iuxta Canonem illum duodecimum Antiochenum, Ioannes se meritò restitutum profitebatur; quia à maiori Synodo restitutus fuit, aut saltem in sua throni recuperatione actuali confirmatus, quàm fuerat Synodus, quæ illum de throno deiecit. Rursus tamen per vim ejecto,

a *Concil. Chalc. Act. 4.*

b *Dist. 17. c. Nec leuis.*

c *Pelag. ep. 3. 5.*

* *Dist. 17. c. 11*

d *Nouel. 131.*

IV.

e *Soc. l. 6. c. 16. & Trip. l. 10. c. 17.*

f *Innoc. 1 Ep. 15.*

g *Breuiar. Liberati c. 18.*

* *Syn. Quinisex. can. 2. & Dist. 16. c. 7.*

V.

h *Chrys. ep. 2. ad Innoc.*

i *Baron. to. 5. an. 403. nu. 29.*

k *Sozom. lib. 8. c. 19.*

l *Soc. l. 6. c. 16.*

m *Sozom. l. 8. c. 20.*

decretum illud nihil amplius proderat, quod non erat nisi in possessorio; ideoque eo non est amplius vsus Ioannes, sed perpetuo vrsit, vt in causa sua in petitorio, seu in meritis, beneficio eiusdem Canonis Antiochent duodecimi, per maiorem Synodum discuteretur, & acculationes, ac criminationes, ipsius auditis defensionibus, ventilarentur. Imo tunc etiam quando populus eum ad repetendam sedem post reditum stimulabat, ille omnino recusabat, dicebatque; [a] Hoc non ante faciendum esse, quam cum causa eius iudicio esset disceptata, tum ij qui ipsum condemnarant, mutata sententia absoluerent.] Adhuc enim Theophilus Alexandrinus Præses Synodi condemnatoriæ, cum suis Episcopis, qui Ioannem inauditum ad Quercum deposuerant, præsentes erant Constantinopoli. Constanter itaq; Ioannes Canoni Antiocheno in sua illa depositione adhæsit, vt altero iudicio maioris Synodi totius causæ fieret discussio. A

a Socr. l.6.c.14.

VI. Verum quidem est, aduersarios Ioannis iam altera vice congregatos, dum Ioannes in suo throno restitutus sederet, aliam formam iudicij contra ipsum instituisse; non amplius super criminibus, & delictis discutiendis, sed super sola executione cuiusdam Canonis, quo omni sui defensione priuabatur, & absolutè omni spe restitutionis destituebatur, quia videlicet iam synodaliter damnatus, seipsum, absque vllo synodali iudicio priorem damnationem rescindente, in sedem suam propria autoritate restituerat. Ac propterea negabant ei omnem sui defensionem, quia Canon illum propter hoc omni iure defensionum, & omni spe restitutionis priuabat. Sententiam porrò huius Canonis satis innuit [b] Sozomenus: sed Canon ipse ponitur tum à Metaphraste, tum à Georgio Alexandrino, qui vitam Chrysostomi descripserunt; tum maximè à Palladio, sub his verbis, [c] Si quis Episcopus, aut Presbyter, iniuste, siue iuste depositus, ex seipso absque Synodo in Ecclesiam redierit, hic iam excusationis non habeat locum, sed omnino expellatur.] Atqui Canon Antiochenus hic duodecimus, licet videatur similis, verè tamen hanc sententiam non habet, quia apertum semper semel damnato relinquit, & quandocunque aditum, vt in maiori Synodo possit audiri: & eos solos a defensionibus arcet, & spe priuat restitutionis, qui tale renouandum iudicium synodale penitus contempserint, & ad solum Imperiale brachium, pro sui plena per vim restitutione, conuolarint: de iusta verò vel iniusta damnatione nihil memorat; sicut neque de throni amissi priuata resumptione. Non ergo hic Canon duodecimus Antiochenus ille Canon est, quo damnatus secunda vice fuit Chrysostomus; neq; quem Innocentius, vt Nicænis contrarium respuebat. B C

b Sozom. l.8. c.20.

c Pallad. Dial. de vita S. Chry.

VII. Adde quod Canonem illum quo est secundò damnatus Chrysostomus, & ipsemet suis obiecerit aduersarijs, & Socrates atque Sozomenus fateantur, fuisse ab Arianis contra Athanasium malitiosè editum, quando Antiochiæ ad fidem Consubstantialis tollendam conuenerant; vt sic quæ aduersus Athanasium fuerant machinati, manerent indiscussa. Ac propterea obijciebatur ijsdem Chrysostomi aduersarijs, si tali Canone iuste sit damnatus Chrysostomus, iuste etiam Athanasium fuisse suo throno abdicatum. In Concilio tamen Antiocheno Encæniorum, non interfuerunt Ariani, sed maxima ex parte orthodoxi, & aliquot Eusebiani, qui licet semi-Ariani à quibusdam vocentur, Ariani tamen non fuerunt; vocem enim solam Consubstantialis reijciebant, Filium tamen reipsa consubstantialem esse Patri non diffitebantur. De Eusebianis huius Concilij tracto infra libro quarto capite octauo. Palladius verò & Georgius expresse asserunt, Canonem illum fuisse à quadraginta Arij complicibus editum, & à Theophilo contra Chrysostomum productum; Concilium tamen Antiochenum Encæniorum non à 40. Arij complicibus, sed à nonaginta nouem Episcopis, maiori ex parte orthodoxis, vt ostendo lib. 4. cap. 8. num. 10. est celebratum. Præterea Athanasius iam fuerat damnatus ab Arianis, etiam Roma redierat à Iulio absolutus, quando est celebratum Concilium hoc Antiochenum in Encæniis: quod quidem post reiectam dictam Iulij absolutionem, & confirmatam Athanasij damnationem, suos [c] Canones edidit, inter quos est iste duodecimus. Non ergo hoc Canone potuit Athanasius damnari, qui ipsius damnationem est subsequutus. Igitur Canon quo similiter damnatus est Chrysostomus, quique putatur fuisse Arianorum, & tali exceptione ab ipso Chrysostomo reiectus, non est Canon hic Antiochenus, sed alius in aliqua alia præcedenti Antiochena Ariana Synodo contra Athanasium fabricatus. Et demum Canon hic duodecimus Antiochenus, non relinquit indiscussa acta priora cuiuscunque damnationis, quod de Canone hoc Ariano asserebat Sozomenus: Imo ille vel maxime aperit viam patentissimam, quandocunque vt discutiantur. D E

d Socr. l.6.c.16. & Sozom. l.8. c.20.

c Nos infra l.4. cap.8.

VIII. Duo igitur Canones Antiocheni, diuersarum tamen Synodorum, in causa Chrysostomi

A stomi agitabantur, alter Arianus, alter Catholicus. Arianus oppugnabat, Catholicus propugnabat Chrysostomi restitutionem. Contra Arianum Chrysostomus opponebat eum esse Arianorum, & Catholicos non debere illo uti: quam oppositionem omnino legitimam contempserunt aduersarij Ioannis, & illum nihilominus ex illo Canone damnarunt. Verè enim Ioannes absque vlla Synodo, solo [a] populi fauore, sedem à qua depositus fuerat, sponte recepit; & non nisi post receptam sedem, 50. illi seu 60. Episcopi, priorem depositionem, neque discussa causa, vt supra explicabam, illegitimam esse decreuerunt. Quod tamen decretum virtute Canonis Antiocheni Catholici, vrgebat postea in suo possessorio Ioannes: sed tali decreto, secundum Socratem, opposuerunt aduersarij non esse legitimum, quia Canon ipse Catholicus requirit, vt Synodus absoluens sit numerosior, Synodo damnante; [b] plures verò fuisse (sed [c] mentiebantur) Episcopos, qui ei fuerant refragati, quàm B qui ei fuissent postea suffragati. At verò apud Sozomenum aduersarij illi non negabant [d] plures fuisse Episcopos, qui pro Ioanne, quàm qui contra Ioannem pronunciarant; ac propterea aduersarios Ioannis Canoni huic, qui erat propitius Ioanni, obiecisse, illum esse Canonem sectariorum; ac proinde contemnendum. Puto eos inde cauillum obtendisse, quod in Concilio illo Antiocheno Encæniorum fuerint aliquot Eusebiani permisti: vt quomodocunque euaderent iustam Ioannis defensionem, & illum damnarent. Certè non nisi triginta sex Episcopos habuit Theophilus ad Quercum, in prima Ioannis depositione; & tamen tunc etiam 40. erant Episcopi cum Ioanne, qui Theophilo resistebant. Refert enim Palladius Epistolam horum Episcoporum ad Theophilum, in qua hæc habentur; [e] Plures per Dei gratiam sumus, quàm Synodus tua, congregati non ad euersionem Ecclesiæ, sed pacem. Nam tua quidem Synodus triginta & sex habet Episcopos; ex vna prouincia; nos autem quadraginta sumus ex prouincijs variis, in quibus & septem sunt C Metropolitæ, & necessariò conuenit pauciores à pluribus ac præstantioribus, secundum Canones, iudicari.] Profecto intelligunt hunc ipsum Canonem duodecimum Antiochenum, qui in tota hac causa Ioanni ipsi sacra fuit anchora, sed incassum. Postea verò quando rediit ab exilio Ioannes, quinquaginta illi, seu sexaginta, Quercuanam depositionem, eiusdem Canonis fulti autoritate, aboleuerunt.

[a] Sozom. l. 8. cap. 14.

[b] Sozom. l. 8. cap. 16.
[c] Baron. tom. 5. an. 404. num. 10.
[d] Sozom. l. 8. cap. 20.

[e] Apud Pallad. in Dial. de Reb. gest. Chrys. & ibid. Theodor. Diac. Rom.

Est ergo error grauissimus, planeque intolerabilis & Baronij, & Binij, dum asserunt Canoni huic duodecimo Antiocheno fuisse à Chrysostomo, ipsiusque fautoribus obiectum, illum esse Arianorum; qui tamen solus Canon, & vnicus fuerit insigne Ioanni propugnaculum. Neque possum non mirari summam horum libertatem, dum celeberrimo, & summæ in Ecclesia Catholica semper autoritatis Concilio huic Antiocheno, nunc demum, & nunc primùm, turpem notam inurunt id fuisse Arianum, Arianosque Canones contra Athanasium edidisse; atque hinc ad minimum imprudenter, tanto Concilio fidem D derogant, quam in tota Ecclesia Catholica, in suis saluberrimis Canonibus, perpetuò integram habuit, ac penitus indubitatam. O nostrorum licentiam non ferendam. Expectò ab horum, & similium ausis, vt ipsa œcumenica quatuor prima Concilia, imò & ipsi quatuor Euangelia, similibus fœdissimis notis per eos aspersa, in dubium aliquando reuocentur. Et quæ Scripturæ, si hæc ita liceant, iam tutæ relinquentur?

IX.

Fuit itaque Canon duodecimus Antiochenus Chrysostomo, non obfuit. Potius videretur contrarius ipsi fuisse Canon 15. eiusdem Concilij, qui sic habet; Vt si quis Episcopus aliquorum criminum accusatus, fuerit ab omnibus Prouinciæ Episcopis condemnatus, & omnes vnam consentientem aduersus eum sententiam tulerint, is ne amplius ab aliis iudicetur, sed Prouinciæ Episcoporum firma maneat sententia] Sed hic Canon nihil oberat Ioanni; qui non ab omnibus suæ Prouinciæ Episcopis, imò à nullo fuit depositus! & Ecclesia hunc quoque Canonem, vt optimum [f] admisit, & approbauit: vt iudicia Episcoporum non abirent in infinitum: & Ecclesia fieret forum plenum contentionibus. Non enim censuit verosimile esse, vt omnes penitus Episcopi alterius Synodi, in iniuriam alicuius ad vnum, nemine excepto, consentiant: Post remedium præsertim canonis 14. eiusdē Concilij Antiocheni, quo, discordante Synodo Prouinciæ, debent exteri Episcopi adhiberi. Quanto magis igitur vltima debet esse sententia, & omnium appellationum finis, in Synodo tota conformi, vbi agitatur causa non Episcopi, sed inferiorum? Sic itaque maneat Canon ille Antiochenus, & cum ipso reliqui eiusdem Concilij Canones, confirmati, & ab inanibus Baronianis, Binianisque calumnijs vindicati. Pergamus ad alios.

X.

[f] 694. c. Si quis Episcopus.

In Sardicensi Concilio hoc ipsum appellationum negotium excussum diligenter, & tractatum fuit c. 17. Nam Osius dixit; [g] Quod autem me vndequaque commouet, tacere non

XI.

[g] 1149. 354. in vtr.

non debeo: Si quis Episcopus existat ad iracundiam procliuis (quod quidem à tali viro longe abesse debet) & citò aduersus Presbyterum, vel Diaconum commotus, ex Ecclesia quemlibet eijcere voluerit, prouidendum est ne is repente condemnetur, & communione priuetur: Omnes dixerunt, Qui eijcitur facultatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolis eiusdem Prouinciæ: sin autem Metropolitanus absit, finitimum adeundi ac rogandi, vt ipsius causa diligenter cognoscatur. Minime enim decet aures non præbere rogantibus. Et ille vero Episcopus, qui iure, vel iniuria istum eiecit, generose ferre debet causam cognosci, ipsiusque sententiam, vel confirmari, vel corrigi. Verum priusquam diligenter ac fideliter singula quæque examinata fuerint, qui communionem non habet, ante causæ cognitionem non debet suo sibi iure communionem vindicare.] Viderunt huius Concilij Patres ijdem pene omnes, qui magnam Nicænam synodum celebrarant, graue esse, pro cuiusque etiam leuiori grauamine, Synodum in Prouincia congregari. Iccirco in solum Metropolitanum curam hanc audiendi grauatos à suis Episcopis, coniecerunt; vt ille totius Synodi nomine, & autoritate negotia hæc appellationum absolueret. Quod igitur Higinus Papa fertur [a] Metropolitanis inhibuisse, ne cuiusquam ex Prouincia audiant causas, sine omnium comprouincialium Episcoporum instantia, alioquin irrita fore eius iudicia; si per instantiam velimus cum glossa intelligere præsentiam, cum id sit penitus contrarium Canoni Sardicensi, errabimus; cum præsertim Epistolæ Higini sint apocryphæ, nulliusque certæ fidei in Ecclesia, aut autoritatis. Si vero per instantiam intelligit commissionem, satis est hæc generalis commissio data in Concilio Sardicensi: neque pro singulis causis speciales sunt amplius commissiones expectandæ: Vnde & glossa hoc pacto saluat Higini dictum: Nisi velis, *inquit*, dicere quod hodie solus Metropolitanus obtinet vicem Synodi, quantum ad istud.] De autoritate Synodi Sardicensis, aliàs.

a 9.q.3.c.Sabi.

XII. Carthaginense secundum, cap. 8. sic habet: [b] Si quis forte Presbyter, ab Episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore, vel superbia inflatus, putauerit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare — crediderit; non exeat impunitus, — anathema sit. Si quis Presbyter à Præposito suo excommunicatus, vel correptus fuerit, debet vtique apud vicinos Episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri; ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod si schisma faciat — anathema habeatur, & locum amittat. — Hoc considerato, nunquid aduersus Episcopum iustam habeat postulationem.]

b 11.q.3.c.Si quis Presbyter.

XIII. Per legitimam porro appellationem, causas Prouinciæ ad Metropolitanum deuolui, iura etiam noua multa confirmant. c. 1, de off. leg. c. Duo. c. Pastoralis. c. licet de off. ord. c. Dilectis. c. Cum causam. c. Solicitudinem. de appellat. c. Per tuas. de sent. excom. Et in 6. c. 1. de foro compet. c. Romana de appel. c. 1. & c. Vt litigantes de off. ord. c. Venerabilibus, de sent. excom. &c. Ita vt possit eas etiam delegare. De off. ord. c. 1. & c. Vt litigantes. in 6. Quid vero secundum iura seruandum sit in appellationibus; quomodo & quando admittendæ, quomodo agitandæ, quomodo inhibendum, quid sit circa attentata agendum, & de similibus tricis innumeris, digladientur inter se Iuristæ. Nos scimus, quia [c] contentiones faciendi, Ecclesia Dei consuetudinem non habuit; nisi postquam facta est pene tota temporalis; & ad Papatum peruenerunt inquieti, & Theologiæ expertes Iuristæ, quod mihi erit suo loco deplorandum.

c 1.Cor.11.

XIV. Sed præter appellationis occasionem, etiam ex sola negligentia Episcoporum, causæ subditorum totius Prouinciæ possunt, & solent deuolui ad Metropolitanum: cuius est peculiare officium supplere negligentiam suorum suffraganeorum, in regimine etiam eorum Diœcesis, & subditorum. Hoc enim de iure Diuino spectat ad quemcunque Episcopum; vt patet ex ijsquæ tradidimus lib. 2. præcedenti; dum docuimus, vnumquemque Episcopum iure Diuino esse vniuersalem; & teneri ex officio, & ex charitate Ecclesiæ Christi, in quacunque parte illa illius opera indigeat, subuenire: vt Cyprianus, Athanasius, Eusebius, & tot sancti viri fecerunt. Id tamen potissimum ad proximos Episcopos spectat, qui videant negligentiam sui vicini Episcopi, in sua parte Vineæ Domini excolenda. Sed ne in hoc quoque adesset confusio, Ecclesiæ statuto prouisum est, vt non quilibet vicinus Episcopus, negligentiam vicini Episcopi suppleat; sed Metropolitanus. Quod igitur, iure Diuino, ad quemcunque ex vicinis pertinet, id Iure Ecclesiastico ad solum ordinarie restrictum est Metropolitanum. Et quia iure Diuino, vicini debent supplere negligentiam vicini Episcopi, in omnibus indefinite rebus, ad regimen Ecclesiæ spectantibus; ideo etiam Metropolitanus, nulla causa, nulloque negotio regiminis excepto, supplere debet in quo

negligit

A negligit ordinarius. Vt propterea vana sit exceptio Iuristarum, qui restringunt hanc Metropolitani potestatem ad ea sola negotia, quæ iuribus expressa habeantur. Si enim in vno negotio potest supplere, cur non in omni? An quia casus tulit, vt in tali, & tali certa & specificata causa, Archiepiscopalis potestas fuit ad supplendam negligentiam suffraganei adhibita; ideò exclusæ sint intelligendæ aliæ causæ, quas vt exprimerentur, casus nondū tulerat? Certè Hilarus Papa optimè intelligens vniuersalem hanc Metropolitanorum curam in tota Prouincia, in quacunque regiminis causa, vbi Episcopi muneri suo deessent, ad Ascanium Metropolitanum illud scripsit; [a] Tuæ solicitudinis est, frater carissime, omnia, debita tibi autoritate tueri; & illicitis non modo non præbere assensum, sed etiam cuncta, quæ contra regulam facta repereris, coercere.] Et sanè loquitur de negotijs totius Prouinciæ; in qua tota significat Metropolitanum debere Canones sacros tueri, & coercere transB gressores.

a Hilar. Ep. 3.

Gratianus quoque vbi aliquot collegit Canones, quibus Metropolitanus monetur, ne se ingerat in regimine Ecclesiarum suorum suffraganeorum, hoc subdit; [b] Sed aliud est, quod ex temeritate assumitur præsumptionis; aliud, quod ex necessitate geritur charitatis. Cùm Suffraganei Archiepiscoporum subditis suis ad malum fauere cœperint, atque circa eorum correctiones negligentes extiterint, tunc licet Metropolitanis, præter illorum voluntatem, & ligandos damnare, & reconciliandos absoluere. Cùm verò Episcopi, zelo diuinæ charitatis accensi, bonos verbo, & exemplo ædificant; & malorum vitia aspera increpatione redarguunt, absque talium consilio non licet Metropolitanis, in eorum Parochia aliquid agere, vel disponere. Vnde in fine capituli Martini Papæ, non simpliciter dictum est; Nihil agat; sed cum determinatione; Nil præsumptiuè assumat absque eorum consilio: vt vitium præsumptionis videatur improbatum, non officium charitatis. Sic & Apostolis, quia Corinthios vidit negligentes circa correctionem fornicatoris, sua autoritate illum damnauit. Ioannes verò, quia Episcopum Ephesiorum vidit paratum ad corrigenda vitia subditorum, sine eius autoritate illos corrigere noluit: sed illum tantum de eorum correctione admonuit.] Hæc Gratianus.

XV.

b 9. q. 3. in fin.

C

Propterea [c] Canonistæ, solo reclamante Panormitano, concedunt, propter negligentiam Episcopi, deuolui potestatem ad Archiepiscopum. Id enim vniuersum mundum tenere, ait Felinus in c. Pastoralis de off. ord. Atque ex hoc negligentiæ capite, notoria crimina totius Prouinciæ ad Ecclesiasticam potestatem pertinentia, quæcunque sint impunita, etiam noui iuris explicatione, ad Metropolitani spectant iurisdictionem: c. Romana de pœnis in 6. Ibi enim Metropolitanus fit Iudex primarius, & ordinarius, contra omnes subD ditos suorum suffraganeorum, non modò vbi iurisdictionem Metropoliticam illi impediunt, sed etiam in omni delicto notorio, contra missos Metropoliticos commissos; etiam vbi delinquentes iurisdictionem Metropoliticam non impedirent; & est textus etiam c. Romana. de Censibus in sexto. quod notoria crimina subditorum suorum suffraganeorum libere corrigat Archiepiscopus; pœnam pro illis debitam infligendo. Et quamuis textus hic videatur loqui, quando Archiepiscopus visitat Prouinciam, Abbas tamen in c, Ex frequentibus. de institut. super Verbo in gloss. officio legationis. nu. 10. ait, Doctores communiter in prædicto textu, c. Romana de Cens. in 6. sentire; quod ratione notorietatis delicti, potest Archiepiscopus, in sua Dioecesi existens, delinquentes sua sententia afficere. Et Francus in c. Romana de pœnis. l. 6. in gloss. V. Punire. tradit, In huiusmodi delictis notorijs, Archiepiscopum posse delinquentes punire; etiamsi delictum commiserint contra aliquem de suis; vel de sua familia: Nam etiam tunc non poterit, *inquit*, vt suspectus recusari.]

XVI.

c Apud Steph. Quarant de Archiep. aut. n. 21.

E Ex hoc præterea capite negligentiæ, declarat Abbas, in caput Quoniam. de off. ord. posse Archiepiscopum assignare terminum Episcopo suffraganeo, vt constituat sib. Vicarium, vel officialem; vbi Episcopus vel est absens, vel non potest, aut non vult, omnia Episcopalia officia obire. Quo termino elapso, Archiepiscopus, inquit Abbas, supplebit: Et Vicarium, vel Officialem illi Ecclesiæ deputabit. Ita in executione vltimæ voluntatis, si desit Episcopus, supplet Archiepiscopus. Abbas in c. Pastoralis de off. ord. sic in multis alijs casibus, quos collegit Quaranta, vbi supra nu. 21. Et in additionibus ibidem habes ex Baldo, quando Episcopus retardat expeditionem primariam alicuius causæ, tunc ad instantiam partis posse illum, ab Archiepiscopo moneri cum termino; alias eo elapso, & nulla subsistente causa rationabili, posse Archiepiscopum procedere. Fauet huic Concilium Trid. sess. 24. cap. 20. Et de deuolutione collationis beneficij ad Metropolitanum, ex negligentia ordinarij Collatoris, est cap. Ne pro defectu; & cap. Nulla. de electione. Et ad

XVII.

cum

eum deuolui confirmationem præsentatorum, si negligat Episcopus, fatetur Innocentius tertius libro primo, Epist. 88. Et libro secundo, Epist. 20. Et de his deuolutionibus agam libro nono. A

XVIII. Fit verò etiam Iudex ordinarius Prouinciæ Archiepiscopus, ex causa recusationis Iudicis ordinarij: si ille merito recusatus, parti recusanti non satisfecerit. De qua consulendi sunt Canonistæ: Sicut & de alijs causis deuolutionis Iurisdictionis ad Metropolitanum; nam etiam consuetudo multum iuris solet tribuere Archiepiscopo, erga subditos suorum suffraganeorum. Quæ omnia Canonistis relinquamus; & potestatem Metropoliticam, in totius Prouinciæ generali regimine consideremus.

CAP. IX. B

Metropolitanorum curam ad multa alia se extendere in tota Prouincia.

SVMMA CAPITIS.

Prater actus iudiciales, ad Metropolitanos spectant multi alij actus cura, & regiminis, in tota Prouincia, vniuersali. Atque in specie hi actus toto hoc capite numerantur, probantur, & explicantur. sunt multi, & minuti.

I. Canonistæ simplices nudam sequentes in cortice literam, non arctassent, cum Nicolao, & alijs, [a] Metropolitanorum potestatem ad ea sola quæ sunt in iure particulariter expressa; superuacaneus esset huius capitis labor. Quia tamen ad quædam pauca restringunt Metropoliticam potestatem, cum glossa in cap. Pastoralis, de off. ord. ostendendum est, esse tam multa, etiam Canonibus expressa, vt stultum sit velle ea numerare: siquidem posita iam generali potestate; in omnibus videlicet causis, quæ siue per prouocationem, siue ob negligentiam ordinariorum, ad Metropolitanum deuoluuntur; & adhuc generalius, in omnibus quæ commune totius Prouinciæ bonum concernunt; exceptiones potius fuerint quærendæ, quæ auferant aut limitent, quam casus qui tribuant Metropolitano, in tota Prouincia potestatem. Nos multa hactenus recensuimus, in toto hoc libro. Nunc verò plurima adhuc, speciali commemoratione addimus; monentes vt supra, particulares casus in iure fuisse expressos, non nisi quando occasio se obtulit potestatem vniuersalem Metropolitanorum particularibus casibus applicandi. Si enim ab his particularibus expressionibus penderet iurisdictio Metropolitica; eam prius dicendum esset fuisse longe angustiorem; & postea factam, progressu temporis, semper ampliorem; & tamen iam vidimus regulas generales, quæ amplissimam dant Metropolitanis super tota Prouincia cumm & superintendentiam. Et Papa Bonifacius primus, nulla facta restrictione, generali præceptione vsus, ait; [b] Metropolitani tui, vnaquæque prouincia, in omnibus rebus ordinationem semper expectet.] Vt autem hæc ipsa generalis potestas, (sola excepta cura ordinarij Regiminis singulorum Episcoporum, Episcopis ipsis neque errantibus, neque negligentibus) fiat manifestior; accipe quæ sequuntur. C D

a 9. q. 3. c. Conquestus, & Gloss. in Clem. Si vna V. Mense sua. de verb. Eccl. non alia.

b Bonif. ep. 3.

II. Instruere totam Prouinciam debet Metropolitanus; & quæcunque in ea occurrerint dubia, siue circa res fidei, siue circa Ecclesiasticam disciplinam, ad ipsum ante omnia recurrendum est omnibus Episcopis suffraganeis. Audiamus Leonem, Theodoro Episcopo Foroiulienſi scribentem; [c] Solicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo, quod quærendum videbatur esse, conferres: ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret. instrui vos pariter posceretis: quia in causis, quę ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet inquiri.] Et eandem Epistolam sic concludit: Hæc autem, frater, quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideo respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione gereretur, in Metropolitani tui notitiam facies peruenire: vt si qui forte sunt fratrum, qui de his antea putauerunt ambigendum, per ipsum, de omnibus, quæ ad te scripta sunt instruantur.] Et curam vniuersalem totius Prouinciæ, ne hæresi contaminetur propriam esse Primatis agnouit, & inculcat [a] Maximo Antiocheno. Clericos quoque

c Leo ep. 59.

A transfugas totius Prouinciæ a Metropolitano compescendos esse, [a] scribit ad Anastasium Thessalonicensem. Nec immerito ista Leo, quia nouerat Canonem nonum Antiochenum illud statuisse: [b] Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse Metropolitanum Episcopum solicitudinem totius Prouinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes vndique, qui negotia videntur habere concurrunt; vnde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere, secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam; nisi ea tantum quæ ad suam Diœcesim pertinent, possessionesque subiectas.]

a Idem ep. 88.

b 9. q. 3. c. Per singulas.

Nazianzenus de Metropoli Cæsarea Cappadociæ hæc habet: [c] Omnis quidem igitur Ecclesiæ, velut corporis Christi, cura habenda est; maximè autem nostræ, quæ mater ferme omnium Ecclesiarum & ab initio fuit, & nunc esse censetur; & ad quam Respub. respicit, quemadmodum circulus centro circumscriptus.] Matrem vocat omnium Ecclesiarum, nimirum Prouinciæ Cappadociæ; seu etiam totius Ponti. Atque hoc ex ipsius dignitate sæculari. Et Papa Hilarus in Metropolitanis Monarchiam ponit totius prouinciæ, sic enim scribit ad Leontium Arelatens. [d] Miramur fraternitatem tuam ita legis Catholicæ immemorem esse, vt quæque iniqua, & contra Patrum nostrorum statuta in Prouincia, quæ ad Monarchiam tuam pertinet, si ipse, aut non vis, aut non potes; etiam nec nos, silentij tui taciturnitate, permittas corrigere.]

III.

c Apud Basil. epist. 30.

d Apud Baron. tom. 6. an. 462. num. 4.

Bonifacius Moguntinus in quodam synodali conuentu, [e] Decreuimus, *inquit*, vt Metropolitanus, qui sit pallio sublimatus, hortetur cæteros & admoneat, vt inueltiget quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisue negligens seruus Dei. — Statuimus quod proprium sit Metropolitani, iuxta Canonum statuta, subiectorum sibi Episcoporum inuestigare mores, & solicitudinem circa populos qualis sit: & moneat, vt Episcopi a Synodo venientes, in propria Parochia, cum Presbyteris & Abbatibus conuentum habentes, præcepta Synodi obseruare insinuando præcipiat; & vnusquisque Episcopus, si quid in sua Diœcesi corrigere, vel emendare nequiuerit; itidem in Synodo, coram Archiepiscopis, & palam omnibus ad corrigendum insinuet; eodem modo quo Romana Ecclesia nos ordinatos cum Sacramento constrinxit: Vt si Sacerdotes vel plebes à lege Dei deuiasse viderim, & corrigere non potuerim; fideliter semper sedi Apostolicæ, & Vicario sancti Petri ad emendandum indicauerim: sic enim, nisi fallor, omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipsi Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est notum facere.] Totus Pontificius agnoscet tamen Metropolitica iura.

IV.

e Apud Baron. tom. 9. an. 740. num. 5.

Sed & Metropolitani munus esse non modo instruere suffraganeos, sed etiam cogere, si ipsi sint negligentes, vt doceant suam plebem, monent seuerius Patres vndecimi Concilij Toletani: [f] Nam quorundam, *inquiunt*, mentes Pontificum, ita torporis ocio, à lectionis gratia secluduntur, vt quid doctrinæ gregibus subditis exhibeat, non inueniat præco mutus; Insistendum ego semper erit maioribus, vt quos sub regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant: Sicut Metropolitanus in confinitimos, cæterosque Ecclesiasticis ordinibus deditos, sic confinitimis in commisso sibi Religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium, diuinæ legis eruditionibus imbuatur; ita vt indesinenti solicitudine Prælatus quisque subditos quærens, aut profectum coram lætabundus agnoscat, aut nescientiam sine arrogantia instituat. Placuit ergo de talibus, iuxta instituta Toletani Concilij, hoc specialiter definire, vt, aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut à maioribus ad lectionis exercitia cogantur inuiti.] Et Arelatense quartum mandat; [g] Vt de baptismo, & mysterio sanctæ fidei vnusquisque Archiepiscopus suos suffraganeos diligenter, studioseque admoneat; quatenus per studium sacræ lectionis imbuti, de mysterio sanctæ fidei, & de Sacramento baptismatis vnusquisque illorum in propria Parochia perfectè, studioseque Presbyteros, & vniuersum populum docere, & instruere non negligat.] Et à [h] Metropolitana Ecclesia contrahendi legitimi matrimonij vsum, totam prouinciam sumere debere, dixerunt Alexander & Innocentius, 3. vterque.

V.

f Concil. Tolet. 11. c. 2.

g Concil. Arelat. 4. c. 3.

h De cognat. spir. c. Super eo. & de sponsa duorum. c. fin.

In Concilio Chalcedonensi Aegyptij, cum non haberent suum Primatem Alexandrinum, Sedes enim illa depositio Dioscoro vacabat; abstinent ab omni suffragio, & actione Conciliari: [i] Quia sciunt omnes, *inquiunt*, sanctissimi Patres nostri, quod in nobis expectamus sententiam Beatissimi nostri Archiepiscopi, & petimus vestram Clementiam, expectare Præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequimur. Et sanctissimi Patres qui in Nicæa congregati sunt 318. regulam dederunt, vt sequatur omnis Aegyptiaca regio Archiepiscopum magni nominis ciuitatis Alexandrinæ: & nihil absque ipso agatur ab aliquo

VI.

i Concil. Chalced. act. 4.

ab aliquo ei subiacente Episcopo.] Cumque vrgerentur vt subscriberent Epistolæ Sanct Leonis, illi clamabant; fiat hîc Archiepiscopus, & subscribimus, & consentimus: miseremini canorum nostrorum, detur hîc Archiepiscopus, Nouit Deo amantissimus Archiepiscopus Anatolius (*Constantinopolitanus*) quia talis consuetudo Aegyptiacam regionem obtinuit, vt omnes Episcopi obediant Archiepiscopo Alexandriæ. Hîc sumus vsque dum fiat Archiepiscopus.— Date Archiepiscopum; & si contradixerimus, punite nos. Consentimus his quæ decreuerit potestas vestra: non contradicimus: sed eligite Archiepiscopum. Hîc expectamus vsque dum ordinetur.] Iudicesque ac Senatus tandem illis gratificandum esse statuerunt; vt nihil ab eis extorqueatur, donec ipsorum Primas ordinaretur. Vides quanti fuerit apud hos Episcopos sui Archiepiscopi autoritas; vt sine illo, in Concilio generali nihil se posse, aut debere statuere censuerint: cuius ductum & normam, in omnibus sibi sequendam esse, ex sacris canonibus cognouerant. A B

VII. Concilium Valentinum sub Leone quarto, mandat: [a] Vt singulis Metropolitanis, cum suffraganeis suis, cura præcipua sit, de vita & opinione, non solum totius Cleri, sed etiam ipsorum Episcoporum; ne se per culpam, vel negligentiam suam, tales exhibeant; qui merito apud laicos, viles atque infames, ac per hoc in ipso sacro ministerio contemptibiles habeantur.]

a *Concil. Valent. c. 19.*

VIII. Agnouit & confessus est hanc curam generalem in tota Prouincia Metropolitanorum Nicolaus primus, dum in Bulgaria creat Archiepiscopum: [b] Ad quem, *inquit*, omnes concurrant; & cuius consilium in causis maioribus præstolentur.] Confessus etiam est Innocentius 3. dum Magdeburgensi Archiepiscopo hæc scribit: [c] Et licet vbi subditorum cura generalis incumbat; tamen circa Ecclesias, & Ecclesiasticas constitutiones vbi solicitudo imminet specialis; vt per tuam diligentiam Ecclesiæ ipsæ, prout conuenit, ordinentur; & rite singulis ordinatis, in eis Diuini cultus obsequia celebrentur.] Quod vero subdit concedendo ei Apostolicam autoritatem, vt possit in suffraganeis Ecclesijs beneficia, ex negligentia collatorum deuoluta conferre; id iam ex causa generali negligentiæ, Archiepiscopos posse citra Apostolicam autoritatem Romani Pontificis, & ex concessione, seu potius declaratione Concilij Lateranensis, satis confirmaui; & lib. 9. vlterius confirmabo. Quod etiam concedit Innocentius ibidem eidem, ex fauore Apostolico, vt possit per censuras compellere suffraganeos, ad sibi consueta & debita obsequia exhibenda est similiter à me pluribus iam probatum, id propria autoritate posse omnes Metropolitanos. Sed hoc est iam ordinarium Paparum artificium; vt quæ Episcopi proprio iure possunt, ea Apostolica concedant autoritate; vt inde Episcopi fiant meri Papæ ministri, & executores; quod falsum esse iam probaui libro proxime præcedenti. C

b *Nicol. ad Consul. Bulg. c. 72.*

c *Innoc. 3. l. 2. ep. 20.*

IX. Ad hanc vniuersalem Prouinciæ curam respexit Iuo; quando à suo Metropolitano Sennonensi auxilium poscebat, contra vsurpatores bonorum Ecclesiæ Carnotensis. Vt, quod solus non poterat, ope Metropolitani obtineret. [d] Ista, *inquit*, dicendo prudentiam vestram non docemus; sed ad officij vestri sarcinam fortiter portandam cohortamur; quatenus pusillanimitatem nostram consolatio vestra confoueat; patientiam nostram fortitudo vestra communiat.] D

d *Iuo ep. 3.*

X. Antequam tabulæ fixæ & perpetuæ festorum mobilium fuissent inuentæ & compositæ; Metropolitani munus erat, diem Paschatis toti Prouinciæ intimare. Quamuis enim Innocentius primus, [e] id sui muneris esse significet ad Aurelium Carthaginensem scribens; & [f] Leo idem præstet; Ambrosius tamen eodem tempore Innocentij, Metropolitanus Mediolanensis, [g] Episcopos per Aemiliam constitutos, de die Paschatis instruit plenius: imo ait, necesse fuisse, vt de eo scriberet; Quia etiam post Aegyptiorum supputationes, *inquit*, & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ, per literas plerique meam adhuc expectant sententiam, quid existimem scribere de die Paschæ.] Episcopos Romanæ Ecclesiæ, intelligit proprios Romanæ Metropolis suffraganeos, ad ordinationem Romani Pontificis pertinentes. Et Gregorius monet cuiusdam Insulæ Episcopos; Vt [h] antiquam, *inquit*, Ecclesiarum vestrarum consuetudinem exequentes, tam de Paschali denunciatione; quam etiam, si quenquam vestrum pro causis proprijs, vbicunq; compulerit ambulare necessitas, ab eodem Metropolitano vestro, secundum indictam vobis regulã petere cessionem debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis.] Et in Toletano Concilio 4. [i] Placuit, vt ante tres menses Epiphaniorum, Metropolitani Sacerdotes literis se inuicem inquirant, vt communi scientia edocti, diem Resurrectionis Christi, Comprouincialibus suis insinuent; & vno tempore celebrandum annuncient.] Idem statutum E

e *Innoc. 1. ep. 10*

f *Leo ep. 70.*

g *Ambr. ep. 83.*

h *Greg. l. 7. Indict. 2. ep. 8.*

i *Concil. Tolet. 4. c. 4.*

A tutum est in altero Concilio Bracarensi c. 9. Extant aliquot Epistolæ Paschales Theophili Alexandrini, in Bibliotheca sanctorum Patrum, tom. 3.

XI.

Simoniacos ingressus Monachorum in tota Prouincia [a] punit, & regulat Metropolitanus: & generaliter totius Prouinciæ Monachi, Metropolitani iure Metropolitico subsunt; eique [b] subiectionem promittunt Abbates. Et Prælatos Regularium [c] compellit idem, vt prædicationē promoueant in Parochijs ipsis subiectis; & decreta Ecclesiastica exequantur.

[a] *De Simonia c. Dilectus 2.*
[b] *Ioa Ep. 234. 235.*
[c] *Concil. Trid. Session. 5. c. 2. & Session. 25. c. 8.*

XII.

[d] Prauas consuetudines ex tota Prouincia potest, & debet tollere Metropolitanus; exercendo propter hoc suam iurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum: sic nouis disponentibus iuribus, & Doctoribus à Quaranta collectis: textus præcipui sunt, de fil. Presbyt. c. fin. & c. ad extirpandas: de institut. c. ex freq. &c. Ac propterea Metropolitani possunt per vniuersam Prouinciam [e] Edicta generalia publicare, de rebus quæ ad eorum
B spectent iurisdictionem. Et sanè si qua controuersia inter Episcopos inter se conterminos exorta fuerit, circa inuasionem partis alicuius Diœceseos: in Mileuitano Concilio Canone 21. cui Concilio subscripsit Augustinus, definitur, [f] Eam decidi debere per Episcopos iudices, siue quos eis primates, *hoc est Metropolitani*, dederint; siue quos ipsi vicinos ex consultu Primatis delegerint.]

[d] *Quaran. de Archiepisc. aut. nu. 23.*
[e] *Ibid. aut. 27.*
[f] *16. q. 6. c. Placuit.*

XIII.

Metropolitana Ecclesia exemplar est Suffraganeorum in modo celebrandi diuina officia; ipsque in hoc ritus præscribit; & punit à consuetudine ipsius deuiantes; vt habent Concilia Epaunens. c 27. & ponitur de consecrat. Dist. 1. c. Altaria. Ierunden. c. 1. Toletana 1. c. 3. ponitur Dist. 12. c. De ijs; & confirmat ex iure nouo Quaran. autoritate 22. de Archiepiscopi autoritate.

XIIII.

Metropolitanus cùm sit custos Canonum in tota Prouincia, & prauarum consuetudinum vindex vniuersalis, ac boni communis totius Prouinciæ promotor, iudexque ordina-
C rius, & corrector suorum Suffraganeorum; quis non videt posse Prouinciam suam visitare, procurationes etiam exigendo, vt Canonum obseruantiam tueatur, prauas consuetudines aboleat, bonas inducat, Suffraganeorum excessus corrigat, & disciplinam Ecclesiasticam sartam tectam conseruet? In ordinario tamen regimine suæ Ecclesiæ Suffraganeum nullum impediat; quia hoc ei, vt vidimus, Ecclesiastici Canones vetant; nisi aliquid ad eum, ex causis iam explicatis, deuoluatur. Atque hanc potestatem visitandi totam Prouinciam, habemus non solùm in iure diuino fundatam, quatenus iure diuino Episcopi vicini vicinorum Episcoporum excessus, aut defectus debent corrigere; & Ecclesiæ Christi, vbi illa ope indiget, opem ferre; eorumque locum & potestatem, Metropolitanus, eorum consensu & commissione generali exercet; sed etiam Ecclesiasticis statutis expressam, & confirmatam reperimus.

XV.

Sane octaua Synodus generalis, dum prohibet, [g] Ne vllus Archiepiscopus, & Metro-
D politanus propriam relinquat Ecclesiam; & sub occasione quasi visitationis ad alias accedat; & potestate propria contra infirmiores abutatur, vt consumat redditus, indebitisque exactionibus grauet Ecclesias; planè supponit antiquum esse ius, & ius proprium iam factum Metropolitanorum, vt non ad auaritiam, aut ambitionem, sed ad bonum commune visitent suas Prouincias.

[g] *8. Syn. c. 9.*

XVI.

Idem supponit Alexander tertius in Concilio Lateranensi; dum & ipse [h] prohibet Metropolitanis, nè comitatu excessiuo, venatione, & subditorum oppressione, ad visitandum transeant. Et Iuo [i] rogat suum Archiepiscopum Sennonensem, vt Ecclesiam ipsius Carnotensem visitaret; & plenius instrueretur, super excessibus quibusdam dictæ Ecclesiæ Clericorum. Et fatetur Lucius tertius; [k] De iure communi Archiepiscopo, visitationem Prouinciæ competere. [l] Gregorius similiter nonus, & [m] Innocentius quartus, Archiepiscopum propria etiam autoritate posse & solere Prouinciam visitare, expressè supponunt; &
E Glossa, loco priore, concedit: quanuis satis insulsè limitationem addiderit, vt hoc intelligatur, quando Episcopus est negligens; alias, *inquit*, se intromittere non debet. Quasi verò visitatio sit solùm in actibus regiminis suorum subditorum; & non etiam pro corrigendis criminibus Episcoporum, & prauis consuetudinibus vniuersalibus extirpandis, communique bono promouendo. Et visitatio etiam potest fieri ad hoc tantùm, vt inquiratur sitne Episcopus negligens necne; & si inuentus fuerit diligens laudabitur; nihilominus visitabitur Ideoque Bonifacius 8. amplissimam, & illimitatam esse declarauit hanc Archiepiscoporum visitandi suas Prouincias potestatem; [n] Perpetuò, *inquit*, declaramus edicto, Archiepiscopum posse, secundum tenorem constitutionis fæl. rec. Innocentij Papæ quarti, prædecessoris nostri super hoc editæ, suam Prouinciam visitare liberè; licèt non sint eius

[h] *Concil. Lateran. sub Alex. par. 1. c. 4. de cens. libro c. Cum Apostolus.*
[i] *Ivo Ep. 182.*
[k] *De censib. c. Sicut.*
[l] *c. Cum super eo.*
[m] *De censib. c. 1 in 6. & de pæn. c. 1. in 6.*
[n] *De censib. c. fin. in 6.*

Suffraganei negligentes; & iterare visitationem eandem; ac procurationes à locis recipere visitatis; consuetudine (si qua forsan ab ipsis Suffraganeis vel alijs allegetur) præmissis contraria non obstante, &c.] An non est quædam visitationis pars, [a] statuere per singulas Diœceses personas idoneas, quæ inuestigent quicquid correctione vel reformatione dignum fuerit? Id verò spectat ad Metropolitanos. Nescio ergo cur [b] Concilium Tridentinum hanc visitandi Prouinciam facultatem, à iure Diuino radicaliter habitam, & per tot Ecclesiastica iura expressa confirmatam, Metropolitanis auferre voluerit, statuendo, vt ipsi Metropolitani non possint Prouincias suas visitare, nisi causa cognita, & probata in Concilio Prouinciali; quis verò non videt, Episcopos suffraganeos nunquam consensuros, vt à suo visitentur Archiepiscopo, ideoque causam nunquam probaturos? Sed iamdiu Papatus imminutione potestatis Metropolitanorum & Episcoporum, sua molitur incrementa.

a De Simon. c. Sanct.

b Conc. Trid. sess. 23. c. 3.

XVII.

Siue porrò visitet, siue non visitet, sed alia occasione, aut causa sit in Ecclesijs suffraganeis totius Prouinciæ; de iure communi potest, [c] cruce præeunte, incedere, benedicere populo, & solenniter, & priuatim; imo ob eius reuerentiam, [d] Episcopus loci debet ab his benedictionibus, Metropolitano præsente, abstinere. Potest etiam Diuina officia vbique celebrare in tota Prouincia; collocare etiã sedem Pontificalem, non extruso ex propria sua sede Episcopo loci; & pallio vti; concedere Indulgentias; prædicare; imo & Clericos ordinare, proprios videlicet, aut alienos cum dimissorijs: id verò exprimit Innocentius tertius dum ait, [e] Licere Archiepiscopo vti pallio, extra Prouinciam quoque, in duobus casibus; videlicet in consecrandis Episcopis suffraganeis; & in Clericis ordinandis; si contingat diuertere ad Ecclesias extraneas, & licentia habeatur ordinarij: Ergo si hæc duo præstet in Ecclesijs suæ Prouinciæ, non indiget licentia. Quia tamen ordinare proprios clericos, est actus propriæ & ordinariæ iurisdictionis Episcoporum; & Metropolitanis expresse prohibetur, [f] ne actus ordinarios suffraganeorum exerceant in eorum præiudicium, nisi deuoluatur ad eos potestas, ideo ordinare non possunt Clericos suorum suffraganeorum: & hoc non ratione loci, quia sint in Ecclesia aliena, modo sint in Prouincia; sed ratione ordinariæ Episcoporum iurisdictionis, quam turbare non possunt: Nulla enim Ecclesia in Prouincia, ratione loci, est Archiepiscopo aliena; sed omnes sunt æque ipsius propriæ, atque suorum Episcoporum: iurisdictio tamen Episcopalis ordinaria, in Ecclesijs suffraganeis, est Archiepiscopo aliena. Locus itaque non impedit Archiepiscopum, quominus propria auctoritate, in eo possit omnia, quæ ratione actus iurisdictionalis, ei non sint prohibita. Talis est ordinatio sui Episcopi, quam potest facere in [g] quacunque, quæ ei placuerit, Prouinciæ Ecclesia; nulla petita ab Episcopo loci licentia. Igitur æque potest etiam proprium suum Clericum ibidem ordinare; & pariter alienum, suis tamen munitum dimissorijs; est enim par ratio.

c Quæram. autor. Archiep. 28 29. 30. 31. 32. & Clementina Archiepiscopo de priuilegijs.

d Cerem. Rom. li. 1. c. 4.

e De Aet. & vsu pallij. c. Ex tuarum.

f Ino. ep. 83.

g Dist. 51. cap. Qui in aliquo.

XVIII.

In alienationibus rerum Ecclesiasticarum, ex causa, totius Prouinciæ Ecclesiæ de iure communi Metropolitani assensum, & approbationem [h] obtinere debent; vt probabo libro nono. Et super [i] decimis in tota Prouincia, de consensu Archiepiscopi, potest componi.

h 17. q. 3. c. Nullus vest. & Greg. 7. l. 6 post ep. c.

i D. transact. c. Statuimus.

XIX.

Quæstuarios illegitimos, per totam Prouinciam, [k] compescit Metropolitanus; & pro subuentione fabricæ suæ, potest idem [l] quæstores eleemosynarum per totam Prouinciam mittere.

k De Trinel. ca. Tuarum.

l De præsc. & remiss. c. 1. in 6.

XX.

Si Canonici suffraganeorum, contra voluntatem Episcopi, [m] cessarent à Diuinis; Metropolitanus, ad querelam ipsius, debet eos punire.

m De offic. ord. c. Irrefrag. 6. cæter.

XXI.

Consecratio Regis, & Reginæ, [n] ad Metropolitanum illius Prouinciæ spectat, in qua fit consecratio.

n Ino. ep. 189. Iuvet. Ad ep. Innoc. 13. 60.

XXII.

Dispensationes varias, potest ex causa concedere Metropolitanus; ac præsertim in bigamia; incligibilitate; & cum illegitimis ex defectu natalium ad ordines. In bigamia solitos fuisse Metropolitanos dispensare, habes apud Siricium, qui sic scribit; [o] Didicimus etiam libenter, ac libere, inexploratæ vitæ homines quibus etiam fuerint numerosa coniugia ad præfatas dignitates, prout cuique libuerit adspirare. Quod non tantum illis, qui, ad hæc immoderata ambitione perueniunt, quantum Metropolitanis specialiter Pontificibus imputamus; qui, dum inhibitis ausibus conniuent, Dei nostri, quantum in se est, præcepta contemnunt.] Reprehendit igitur illos, non quod attentent aliquid, quod ad eorũ non perueniat potestatem; sed quod sua potestate abutantur; & sine causa tales faciant dispensationes, bigamos ad Episcopatus, & Sacerdotia, vel ordinando vel ordinare permittendo:

o Siric. ep. 1. c. 8

cum

A cum tamen id non liceat, nisi in maxima, & vrgentissima Ecclesiæ necessitate; aut eminentissima vtilitate; cuius tamen neque necessitatis, neque vtilitatis Romæ vlla habetur ratio, sed modo pecunia curtat, indifferenter omnes dispensantur. Si etiam Clerus & populus ineligibilem aliquem in suum postulet Episcopum, Metropolitani autoritas ad illum concedendum ex causa, se extendit. Ita enim Vrbanus declarauit; Vt [a] Subdiaconus possit ad Episcopatum promoueri; non tamen sine licentia, *inquit*, Romani Pontificis, vel Metropolitani. Ex quo generalem colligit regulam Glossa, [b] olim dispensasse Metropolitanos cum ineligibili circa Episcopatum; sed cum illegitimo, *inquit*, dispensare ad Episcopatum non potest. c. Innotuit. de elect. nec in ætate. Sed cum ijs qui patiuntur defectum in ordine, satis videtur, *inquit*, quod potest adhuc Archiepiscopus dispensare in suo Archiepiscopatu: sicut olim poterat Arg. dist. 60. c. fin. & in alijs dignitatibus inferioribus bene potest. c. Præterea. de elect.] Et vniuersaliter in quibus casibus potest iudicare subditos suffraganeorum; potest etiam cum illis [c] dispensare.

a Dist. 60. fin. & de etat. & qualit. ord. c. Anulin.

b Glossa in dic. c. Anulin. Verbo, Metropolitam.

c Quæren. auth. c. 10.

XXIII.

Ex tota Prouincia potest Metropolitanus [d] ejicere aliquem delinquentem; & in pœnam totius Prouinciæ vsum, ei auferre.

d De arbit. c. 2. & Quæren. auth. 39.

XXIV.

Seminarium, hoc est Collegia & Academias propriorum Clericorum, erigere potest pro tota Prouincia; vt cautum est in [e] Concilio Tridentino.

e Concil. Trid. sess. 23 c. 18.

XXV.

Sedibus porro suffraganeis vacantibus, multa earum cura recidit in Metropolitanum. Ante omnia indemnitati consulit, ne mobilia Episcopatus, quæ iam dicuntur spolia, distrahantur, sed successori conseruentur. Ideoque vel mittit [f] Visitatorem, qui rerum custodiam gerat; imò & Ecclesiam administret: vel proximus [g] Episcopus, statim de functo Episcopo, eo se confert; tum vt exequijs assistat, tum vt curam rerum Ecclesiæ suscipiat, Metropolitanoque omnia significet; & si quid Clerici subtraherent, [h] Metropolitani seu Synodi totius opera, coguntur omnia restituere. Vel iure nouo, si capitulum [i] œconomum non instituerit, intra dies octo Metropolitanus illum instituat; similiter & Vicarium qui sede Vacante Ecclesiam, nomine totius Capituli regat. Quinisexta vero Synodus cap. 15. [k] Non liceat, *inquit*, alicui Metropolitano mortuo Episcopo qui sub eo est, aut res eius, aut Ecclesiæ suæ auferre: sed sint sub custodia Cleri, Ecclesiæ defuncti Episcopi, vsq; dum alius ordinetur Episcopus. Si vero Clerici in Ecclesia non fuerint, tunc Metropolitanus illibata omnia Episcopo, qui ibi ordinabitur, reddat.] Agam de spolijs lib 9. Quamuis autem Gregorius 7. apertè fateatur vniuersaliter posse & Papam & Archiepiscopos Visitatorem ad Ecclesiam vacantem mittere, & vsus ipse ante Gregorij 7. tempora id confirmet, vt habemus exemplum sub Hincmaro, supra c. 3. n. 23. & 57. huius, id tamen soli Papæ Bonifacius octauus, [l] conuenire asserit: nisi in casu, *inquit*, quo capitulum negligenter administraret. Cum tamen Archiepiscopus electionum curam gerat, & negligentiam etiam ordinariorum suppleat, potest absolutè Visitatorem mittere, qui electionem promoueat & ei assistat: & si negligens repererit capitulum, etiam Ecclesiam Sede vacante administret. Papa quoque nihil amplius de iure potest in suæ Prouinciæ Ecclesijs vacantibus; quarum administrationem Capitulo eripere, & alij committere non potest, nisi in casu negligentiæ, Capitulum enim de iure ordinario succedit Episcopo, vt docui lib. 2. cap. 9. Deinde eiusdem Metropolitani est [m] solicitare electionem, vt illa quam primum & ritè fiat, illamque discutere & confirmare, vt dixi supra cap. 3. Tædio sim nimio si velim singillatim omnes Metropolitani autoritates numerare, nam & nimis multas iam numeraui, omnesque Ecclesiasticis statutis, & declarationibus confirmaui: vt hinc quisque videat quam inepte nostri Canonistæ Metropoliticam autoritatem ad solos pauculos casus specificos, in corpore iuris expressos, conati sint restringere. Sed iam satis de Metropolitanis: Qui sane pro sua prudentia hinc perspicient, & planè cognoscent à quàm alto gradu in Ecclesia ad infimum sint à Papa depressi, & pene conculcati. Eorum tota ferme iurisdictione ad ipsum attracta, imò rapta: vt Papatus generatio fuerit Metropolitanorum, imò & Episcoporum corruptio.

f Gregor. 7 l. 7. epist. ep. 11. & supra cap. 3. nu. 23. huius.

g Concil. Regiense c. 5. 6.

h Conc. Valent. Hispan. c. 2.

i Concil. Trid. sess. 24 c. 18. & de suppl. negl. Prael. c. finali 6.

k 12. q. 2. c. Non liceat.

l De elect. c. Iuuenis. in 6 & c. fin. de suppl. neg. Prael. in 6.

m Leo ep. 87. & Innoc. 3 lib. 1. ep. 454.

CAP. X.

Patriarchas & Primates, ac sedes Apostolicas, suis etiam priuilegijs eminere.

SVMMA CAPITIS.

Quæ sint Patriarchales sedes explicatur, num. 1. Petrus tamen Patriarchalium sedium fundator non est specialis, num. 2. 3. 4.

Patriarchales sedes ab Apostolicis sedibus differunt, num. 5. 6. 7. Neq; ab originali fidei dissemination Patriarchalis pendet sedes, num. 8.

Necessitas ordinationum Episcopalium occasio prima fuit Patriarchalium sedium instituendarum; vix enim differunt Patriarchæ in prima sui institutione, à Primatibus, & Metropolitanis, num. 9. 10. 11. 12. 13.

Numerus Patriarcharum veterum inquiritur, & stabilitur, num. 14. 15. 16.

Ciuitatum secularis dignitas sedes potissimum Patriarchales fecit. num. 17. 18. 19. 20. 21.

Quid specialis prærogatiuæ & potestatis habeant primi Patriarchæ exponitur, à num. 22. ad num. 30.

Summi Pontificis titulus, qui omnium Patriarcharum videtur communis, explicatur, num. 31.

Inter Patriarchas æqualitas constituitur, num. 32. 33. 34.

Patriarchæ errantes à quo sint corrigendi, num. 35. 36. 37. 38. Non necessario omnes Ecclesiæ vni & eidem Patriarchæ semper subijciuntur, num. 39. 40. 41.

Quis sit Patriarcharum ordinator, à num. 41. vsq; ad num. 49.

Potestas Patriarcharum ex dicto Innocentij corroboratur, num. 50.

I. NOn fuit nobis admodum difficile, primam Metropolitanorum Episcoporum institutionem, eorumque officium & potestatem, in Ecclesiastica Hierarchia inuenire; Primatum autem & ponsimum Patriarchatum in Ecclesia & institutionem & potestatem statuere, difficilioris erit negotij. Sane Patriarchales primas, & antiquissimas sedes tres duntaxat in tota Christi Ecclesia antiquitas numerauit: Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam; quibus postea subsequentibus temporibus, additæ sunt duæ; Constantinopolitana, & Hierosolymitana; vt nimirum ad illarum trium priuilegia & prærogatiuas, hæ quoque statuto Ecclesiastico pertingerent. Sed vndenam illæ tres Ecclesiæ primùm habuerint, vt supra cæteras eminerent, & in quo hæc illarum eminentia consisteret, clare explicatum non inuenio: vt propterea mihi sit in hoc nonnihil laborandum.

II. Anacleti quæ dicitur epistola tertia, trium sedium prædictarum prærogatiuam omnem ad Petri reducit institutionem: Vt propterea illæ tres emineant supra cæteras, quia Petrum habuerint fundatorem: sic enim in ea Epistola scriptum inuenimus: [a] Episcoporum ordo vnus est, licet sint Primates illi, qui primas Ciuitates tenent; qui & in quibusdam locis Patriarchæ à nonnullis vocantur. Illi autem qui in Metropoli. à B. Petro Apostolo, ordinante Domino, & à prædecessore nostro S. Clemente, seu à nobis constituti sunt; non omnes Primates, vel Patriarchæ esse possunt; sed illæ Vrbes, quæ præfatis & priscis temporibus Primatum tenuere Episcoporum, Patriarcharum aut Primatum nomine fruantur. Reliquæ verò Metropoles, Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum, & non Patriarcharum aut Primatum vtantur nominibus: quia hæc eadem & leges sæculi in suis continent Principibus: aliæ autem ciuitates, quas vobis conscriptas in quodam tomo mittimus, à sanctis Apostolis, & à B. Clemente, siue à nobis Primates prædicatores acceperunt. Hæc vero sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias; ac totum Christiani populi gregem assecuta est; sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus &c. Adhibita est etiam societas in eadem Romana Vrbe, Beatissimi Apostoli Pauli Vasis electionis; qui vno die, vno quoque tempore, glorioſa morte, cum Petro, sub Principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo Sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt; aliisque omnibus Vrbibus in vniuerso mundo, eam sua præsentia, atque

[a] Dist. 22. c. Sacrosancta.

venerando

A venerando triumpho prætulerunt. —Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ; quam vt memoratum est, beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrárunt. Sic Roma quæ prius erat Cacodæmonis artificio omnium errorum mater, & altrix; excussis tenebris, & vanis superstitionum ritibus abiectis, filiorum Dei, exorto sole iustitiæ, facta est copiosa propagatrix. Secunda autem sedes apud Alexandriam, beati Petri nomine, à Marco eius Discipulo atque Euangelista consecrata est: quia ipse, & in Ægypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicauit; & glorioſum suscepit martyrium; cui venerabilis successit Abilius. Tertia autem sedes apud Antiochiam; eiusdem B. Petri Apostoli nomine habetur honorabilis; quia illic, priusquam Romam veniret, habitauit; & Ignatium Episcopum constituit; & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est. Reliquas verò, vt prædiximus, in quodam tomo prolixitatem vitantes Epistolæ
B vobis conscriptas direximus. Inde namque & beati Apostoli inter se statuerunt, vt Episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset: quatenus ad eum potior eorum solicitudo pertineret. Nam & inter beatos Apostolos quædam fuit discretio: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis; & Cephas, id est, caput, & principium teneret Apostolatus; qui & eandem formam suis successoribus, & reliqui Apostoli Episcopis tenendam tradiderunt.] Sensus igitur huius conficti Anacleti est, harum sedium prærogatiuas, ad ius quodammodo diuinum, Christique institutionem esse reducendas; vt quemadmodum Petrus inter alios Apostolos habuerit præeminentiam; ita sedes ab eo institutæ, eandem super alias ab alijs Apostolis fundatas sedes, obtinerent.

Hæc ipsa quæ Anacleto verè ficto tribuuntur verba, totidem penè collectio [a] Cresconiana tribuit Concilio Romano sub Damaso; tempore, aut non multo post, Concilij primi Constantinopolitani; quod fuit secundum generale, habito. Atque hæc ipsa verba repetijt etiam Gelasius, in quodam suo Romano Concilio, quod habetur ex Cresconio, in fine Epistolarum Gelasij. tom. 1. Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum, parte secunda. Innocentius quoque primus Antiochenæ Ecclesiæ prærogatiuam, [b] Non tam pro ciuitatis magnificentia, quam quod prima primi Apostoli sedes fuerit, attributam esse affirmat. Et Nicolaus primus ijsdem insistens vestigijs, Bulgaris sic respondet; [c] Desideratis hosse quòt sint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent: id est, qui illis præsunt Ecclesijs, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam. Romanam quam sanctorum Principes Apostolorum Petrus ac Paulus, & prædicatione sua instituerunt; & pro Christi amore, fuso proprio sanguine sacrauerunt: Alexandrinam quam Euangelista Marcus discipulus, & de baptismate Petri filius, à Petro missus
D instituit; & Domino Christo amore dicauit: Antiochenam, in qua, conuentu magno sanctorum facto, primum fideles dicti sunt Christiani; & quam beatus Petrus, priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernauit. Constantinopolitanus autem, & Hierosolymitanus Antistites, licet dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen autoritatis, quantæ superiores existunt. Nam Constantinopolitanam Ecclesiam nec Apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna Synodus, quæ cunctis Synodis celebrior, & venerabilior est, eius mentionem aliquam fecit: sed solum quia Constantinopolis noua Roma dicta est, fauore Principum potius, quam ratione, Patriarcha eius Pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem Præsul, licèt & ipse Patriarcha dicatur, & secundum antiquam consuetudinem, ac Nicænam Synodum honorandus sit; salua tamen Metropoli propria dignitate.] *Addit g*;
E [d] Porrò quis Patriarcharum secundus sit à Romano consulitis; sed iuxta quod sancta Romana tenet Ecclesia, & Nicæni Canones innuunt, & sancti Præsules Romanorum defendunt, & ipsa ratio docet Alexandrinus Patriarcharum, à Romano Papa secundus est.] Sed & [e] Gregorius Magnus in eadem videtur esse sententia, de quo infra; & eam sequitur [f] Bellarminus.

III.

a *Apud Baron. tom. 4. an. 382. n. 19.*

b *Innoc. 1. Ep. 20.*

c *Nicol. ad consul. Bulgar. c. 92*

d *Ibid. c. 93.*

e *Gregor. l. 6. in l. 14. Ep. 37.*

f *Bellar. de Ro. Pont. l. 1. c. 24.*

Hæc tamen cùm in propria causa à Romanis Pontificibus suas fimbrias libenter dilatantibus exaggerentur; si ipsa per se, & ex se, aut aliunde fidem sibi non conciliant; ex dicentium sola autoritate fidem non merentur; sed redduntur suspectissima: Imò in se ruinosa sunt, & facilè reprobanda. Nam primum ijs opponitur, summa inter Apostolos etiam cum Petro æqualitas; quam primo huius operis libro, iam probauimus. Deinde quia solas tres Ecclesias iam memoratas Petrus non fundauit; sed plurimas alias, si præsertim eas etiam accipiamus, quas ipse non per se, sed per suos Discipulos fundauit. Certe [g] Ra-

IV.

g *Martyrolog. die 23. in 9.*

uennatem per Apollinarem idem fundauit Petrus; & in Gallijs Arelatensem per [a] Trophimum; & in Dalmatia meam Salonitanam per [b] Domnium; & sic de cæteris; non minus quam Alexandrinam per Marcum. Si verò cupis scire quas alias Ecclesias Petrus fundauerit, consule Sophronium Patriarcham Hierosolymitanum; ex eo enim hæc audies de Petro; [c] Sydone, Berythi, Bibli, Episcopos ex ijs qui eum comitabantur, duos ordinauit: Apud Tripolim Phœniciæ, Marcum hospitem suum Antiochiæ, Antaradi, Acadi, Balneis, & Peltæ, Gazaræ, & Laodiciæ: Martianum in Syracusa Siciliæ; Brancauum, Tauromenij; Thianum Cappadociæ, Ancyræ Galatiæ, vbi & suscitat mortuum: In Ponto Sinope, Mystico Hellespontis, Canyræ Paphlagonum; Chandeopoli, Hononadis; Nicomediæ, Bythiniæ Nicææ. — Nicomediæ Prochorum præfecit in Episcopum: Tum demum Romã peruenit, &c.] Alios etiam numerat [d] Hugo Herettianus: & alios nec paucos Episcopos à Petro primum suis Ecclesijs datos, colligit [e] Baronius. Sed cur etiam Alexandrina prætertur Antiochenæ, si hanc ipsemet Petrus per se ipsum, & prius fundauit; illam verò non nisi per suum Discipulum Marcum, & posterius? Quo argumento retudit aliquando Theodoretus [f] Dioscorum, conantem totius orientis primatum trahere ad Episcopum Alexandrinum. Est verò intuta fuga Bellarmini, dum ait; [g] Petrum Romanam per se fundasse Ecclesiam; Alexandrinam per Marcum Apostolum, & Euangelistam; Antiochenam verò per Euodium, neque Apostolum, neque Euangelistam. Et ideo Antiochenam fuisse postpositam Alexandrinæ.] Sed non ignorabat Bellarminus omnes passim facere Petrum per se, & immediatum primum Episcopum [h] Antiochenum, in eaque Ecclesia septennio resedisse. Antequam igitur Euodius ad eam sedem accessisset, iam erat Antiochena Ecclesia, & sedes optime & perfecte fundata. Et cur Antiochena est Patriarchalis, à Petro per vnum discipulum simplicem, qui nec Apostolus erat, nec Euangelista, nempe Euodium fundata; & non fuerunt Patriarchales tot aliæ ab eodem per innumeros alios eius discipulos fundatæ?

a Baron. tom. 6. an. 450. n. 53.
b Acta S. Domnij quæ habentur in Ecclesia Spalatens.
c Sophron. de labor. & peregri. Pet. Biblioth. SS. PP. to. 7.
d Hereteium de hæres. l. 3 c. 17.
e Baron. tom. 1. an. 46. n. 2.
f Theodor. ep. 86 apud Bar. to. 5 an. 429. n. 42. & to 6. an. 448. n. 16.
g Bellar. de Rõ. Pont. l. 1. c. 24.
h Greg. l. 6. Ind. 15. ep 37.

A B C D E

V.

Quod si quis Patriarchales sedes velit esse illas, quæ [i] Apostolicæ sunt, & vocantur, erunt multo plures quam tres, vel quinque; quia multæ sunt sedes in quibus Apostoli primi earum etiam immediati fundatores resederunt. Certe Tertullianus Apostolicas Ecclesias plures numerat, & nominat; [k] apud quas, *inquit*, ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur; apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur; sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque.] Nominatque in Achaia Corinthum: in Macedonia Philippos, & Thessalonicam; in Asia Ephesum: In Italia Romam. Et Augustinus: Multæ, [l] *inquit*, Ecclesiæ ad ipsam vnicam peruenientes, Apostolico labore fundatæ sunt.] Et tamen non omnes hæ Ecclesiæ, vere Apostolicæ, sunt Patriarchales: imo ne Hierosolymitana quidem fuit Patriarchalis, vsque ad quintam Synodum, sub Vigilio, tempore Iustiniani, vt iam docui supra cap 2. num. 9. Eam profecto Augustinus æque facit Apostolicam, atque Romanam, [m] Cathedra tibi, *ait Petiliano Donatiste*, Quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit; & in qua hodie Anastasius sedet; vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur; & à quibus vos nefario furore separastis? Et paulo post has cathedras vocat Apostolicas. Et tamen in Concilio Nicæno Aeliæ Episcopus honorem habet, sed non Patriarchalem: nam Cæsareensi, vt iam vidimus, subijcitur

i Leo ep 57.
k Tertull. de præscript.
l Aug. in Breuic. collat. die 3. c. 4.
m Aug. cont. lit. Petil. l. 2. c. 51.

VI.

Dum ergo Thodoretus [n] Antiocheno Episcopatui dat titulum Primatus Apostolici, significat quidem Sedem illam esse Apostolicam, ab Apostolis Paulo & Barnaba primum fundatam, deinde à Petro etiam fortasse rectam; sed inde primatum esse fortitam, vt sit Patriarchalis, dici non potest, vt probaui: sic enim plurimæ essent Patriarchales; non ergo omnes sedes Apostolicæ sunt Patriarchales: imo neque omnes Patriarchales, inclusa iam Constantinopolitana, sunt Apostolicæ: Byzantinam enim Ecclesiam ab Apostolis fundatam fuisse non facile apparet; ac Apostolum quempiam in ea ciuitate sedisse, aut docuisse ab omnibus non admittitur; de quo aliquid melius indagabimus libro sequenti. Quia tamen insignes ciuitates, ab Apostolis instructæ, sedes habent Patriarchales & Primatiales, ac Metropolitanas, inde factum est, vt interdum, & Patriarchales Ecclesia [o] Constantinopolitana; & in communi [p] Primatiales quæque, Apostolicæ sint vocatæ.

n Theodor. l. 3. c. 17.
o Alibi Baron. to. 8. an. 608. n. 5
p Siric. ep 4. c. 1.

VII.

Cum itaque planum sit, sedes Apostolicas esse multas; non minus tali dignas titulo, quam sit Romana, monendus hoc loco mihi lector es, ne vana Baronij obseruatione decipiaris: is enim sæpius contendit, [q] Cũ absq; certi nominis expressione, sedes Apostolica nominatur, ob sui excellentiam, Romanam Ecclesiam esse intelligendam. Proferetque exempla

q Baron. to. 7. an. 534. n. 43.

A empla ex Epistolis Iustiniani ad Hormisdam; & ad Agapetum. Scias verò ex materia & negotijs, quæ tractari soleant; aut ex personis, aut alijs circunstantijs, absolutum Apostolicæ sedis nomen, certam sedem solere designare; quod non modo Romanæ solet contingere, vt illa tali absoluto nomine designetur; sed etiam reliquis. Exempla verò non pauca possem obseruare & proferre; duo tamen duntaxat profero. Hieronymus Vigilantij errorem, qui non nisi coniugatos ad sacros ordines volebat assumi, reprehendens, obijcit ei sic: [a] *Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Aegypti, & sedis Apostolicæ? Quę aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes.*] Ecclesias intelligit Alexandrinæ Sedi, aut certæ sedi Apostolicæ, quæ sit in Oriente, subiectas. Theodoretus vero, [b] *Ioannes, inquit, qui longo tempore Presbyteris Antiochiæ præfuit, & sæpe ad Primatum Apostolicum, suffragijs delectus, semper illum honoris gradum recusauit.*] Quis non videt hic

B per Primatum Apostolicum, absolutè prolatum, intelligi sedem ipsam Antiochenam? Cum tamen in toto Occidente, vnica sit sedes propriè Apostolica ipsa Romana; quid mirum, si vbi sermo est in Occidente, vel de Occidente, nomine sedis Apostolicæ, Romana sola significetur?

a *Hieron. adv. Vigil.*

b *Theod. lib. 3. cap. 17.*

VIII.

Non defuerunt qui Patriarchalium sedium prærogatiuam ad initia fidei, & primam Euangelicorum Ministrorum missionem reducant: Vt illa Ecclesia Patriarchale ius habeat in alias, quæ illis initia fidei dederit; & vnde ad illas Euangelium proximè, missione legitima peruenerit. Ita video Dioscorum Antiochenum Diaconum, qui postea factus eiusdem Sedis Episcopus, Ecclesiam Catholicam satis turbauit; Petri Fullonis, imò Nebulonis sui Episcopi, ambitiosos spiritus fouentem, vehementius Constantinopoli instituisse, vt Cypri Ecclesiæ omnino Antiocheno Patriarchæ subderentur; [c] *Quoniam verbum Dei, aiebat, ab vrbe Antiochia ad Cyprum Insulam manauit.*] Et si hæc probasset, vt his-

C toricus innuit vicisset. Sed Anthemius Salaminæ Episcopus cum id negasset, nouoque illius temporis miraculo, inuentionis corporis [d] Barnabæ Apostoli in Insula Cypri confirmasset Euangelium eo delatum per hunc Apostolum immediatè, & non per missionem Antiochenam, Antiochenam effugit subiectionem. Eandem tamen effugisset, si solam contrariam consuetudinem protulisset; vt factum fuit in [e] Concilio Oecumenico primo Ephelino. Nam neque missio facit Patriarchas, cum Episcopus omnis possit mittere nouos Euangelij ministros in proximas regiones, in quibus Euangelium non sit prædicatum, vt docui Lib. 2. præced. cap. 8. Et Apostolicæ Sedes soleant etiam subijci alij Sedi, quæ non sit Apostolica; sicut in Nicæno Concilio [f] Hierosolymitana subiecta Cæsareensi Metropoli esse definitur: Et tamen, si spectes hoc argumentum missionis, sola Hierosolymitana esse deberet Patriarchatus vnicus totius mundi; ex ea enim in vniuersam terram est emissum Euangelium, quia de [g] *Sion exiuit lex*; & *Verbum Domini de Hierusalem.*

c *Apud Surium die 11. Iunij & Baron. tom. 6. an. 485. nu. 6.*

d *Theodidact. Collectan. 2.*

e *Acta Concil. Ephes. append. 1. tom. 2. cap. 4. edit. Pet.*

f *Concil. Nican. c. 7. & Hieron. ep. 61.*

g *Isai. 2.*

D [h] *Eritis mihi testes, inquit Christus, in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad extremum terræ.*] Ab Hierusalem igitur in vniuersam terram est effusum Euangelium. Et de Hierosolymitana Ecclesia dicam aliquid sequenti Lib. 4. cap. 3. Qui autem [i] Petrum faciunt Patriarchalium sedium, sola ipsius voluntate institutorem, quia sic ipse statuerit & decreuerit; illas tres nimirum, & non alias debere esse Patriarchales, propria narrant somnia; dicuntque id quod nullo pacto probare possunt; ne ex Apocryphis quidem.

h Act. 1.

i *Baron. tom. 1 an. 39. nu. 16. & bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 12.*

IX.

Tota igitur occasio Patriarchales sedes super alias efferendi alia non fuit, meo iudicio, nisi communissima illa necessitas ordinationum Episcopalium, citra confusionem peragendarum. Hæc enim ponsimum, vt supra ad initium secundi, & quinti capitis exposui, peperit Metropolitanos: Patriarchæ vero ipsi sunt primi, quando Ecclesia pusilla erat, & in infantia constituta, Metropolitani, siue Archiepiscopi; sic enim sæpe obseruabis

E & Romanum, & Alexandrinum, & Antiochenum, nomine Archiepiscoporum insigniri; quos Clerus, & Episcopi Aegyptij ad Leonem Imperatorem, [k] *summos vocant Archiepiscopos*; & è contra alios Metropolitanos postea natos, & multiplicatos, Patriarchas hoc est Patrum, seu Episcoporũ suæ Prouinciæ Principes & Primarios, inuenies vocitari. Nam Socrates in Concil. Constant. 1°. scribit, varios [l] Patriarchatus, varijs fuisse Episcopis assignatos: ponitque Patriarchatus, præter Constantinopolitanum, Alexandrinum, & Antiochenum, etiam Cæsareæ in Cappadocia, & Melitinæ in Armenia, & Iconij in Asia, & Antiochiæ Pisidiæ. Et Nicolaus [m] Primates Galliæ etiam Patriarchas nominat; & ius Metropoliticum ius vocat Patriarchatus. Et Athalaricus Rex Metropolitanos alloquens, ait; [n] *Vos autem qui Patriarcharum honore, reliquis præsidetis Ecclesijs, &c.*]

k *Post Concil. Chalced.*

l *Socrat. l. 5. c. 8.*

m *9. q. 3. c. Congressus.*

n *Apud Bar. a. tom. 7. ann. 573. num. 37.*

Ex quo

X

Ex quo satis vana redditur coniectura Baronij, dum Patriarchæ nomen, ab Aquilegiensi primùm in schismate vsurpatum autumat; & inde abusu, non paucos alios Archiepiscopos nomen hoc vsurpasse; [a] quod olim, *inquit*, Apostolicarum tantum sedium consueuit esse nomen amplissimæ dignitatis.] Nam neque omnes Apostolicæ sedes, vt monui, sunt Patriarchales: & Patriarchæ nomen idem re ipsa significat, quod nomen Archiepiscopi, vt nunc ex Socrate probaui, siue Metropolitani: & nomine Patriarchatus, longe ante Histrienſium schisma, vt nunc dicebam, sedes communes & ordinariæ Metropolitanæ, in Concilio etiam Oecumenico secundo significatæ sunt. Vocentur itaque quicunque Episcopi Metropolitani nomine Patriarchæ, nihil plus sunt, quam Archiepiscopi, & Metropolitani. Veri Patriarchæ priuilegiati non sunt nisi tres, toties nominati: & si quos illis tribus adiunxit Ecclesia; & eorum priuilegijs, non solo nomine exornauit; vt factum est Constantinopolitano, & Hierosolymitano.

a Baron. tom. 7. an. 570. nu. 10.

XI.

Consuetudine itaque valde prisca, ante Concilium Nicænum, iam expositi, in Ecclesiam inductam esse Prouinciarum diuisionem, & Metropolitanorum institutionem, vt loco omnium Comprouincialium Episcoporum, totiusque Synodi Prouinciæ & ordinationes facerent, & Episcopos errantes corrigerent, & commonerent. Eos vero non electione, non ætate, non promotionis tempore, non alia simili vaga & incerta causa constitui voluit Ecclesia; sed stabili ac perpetua loci sede eos determinauit; vt quæ Ciuitas esset in tota Prouincia sæcularis Metropolis, & maxime insignis, illius Ciuitatis Episcopus esset totius Prouinciæ Archiepiscopus, seu Metropolitanus.

XII.

Cum itaque initio nascentis Ecclesiæ Prouinciæ essent maximæ & latissime patentes, ob paucitatem tum Apostolorum & virorum Apostolicorum; & consequenter Episcoporum; tum fidelium qui in multis ciuitatibus tot non erant, vt operæpreciũ esset eis paucissimis Episcopos proprios assignare & deputare; integras & magnas regiones oportuit in vnaquaque Prouincia existere: atque ita, non nisi Regiæ Ciuitates, suos habebant Metropolitanos, qui totius illius Regionis Episcopos consecrarent. Et ita in tota Italia dinumerus fuit Metropolitanus Romanus: Roma enim erat vera totius Italiæ, imo & totius Romani Imperij Regia. Tota similiter Aegyptus vnicum habuit Metropolitanum Alexandrinum, Reliquus vero totus Orlens, Antiochenum. [b] Totius enim Orientis Metropolis, ait Hieronymus, ex Concilio Nicæno est Antiochia. Quanquam etiam Palæstina iam seorsim, eiusdem Concilij tempore, suum haberet in Cæsareensi sede Metropolitanum.

b Hieron. ep. 61.

XIII.

Hinc igitur est quod idem magnum Concilium Nicænum, iam certum de aliquorum tyrannide Patriarcharum, ac præsertim Alexandrini, libenter suum primatum ad alienas etiam Prouincias extendentis; & Episcoporum alienorum ordinationes sibi arrogantis; vt tales excessus compesceret, antiqua nixum consuetudine, cuique suos limites denuo assignauit; [c] Alexandrino nimirum Aegyptum, Lybiam & Pentapolim: ita vt Antiocheno quoque sua remaneret intacta Prouincia; seque intra suos limites continerent; sicut Romanus se suis continebat; qui magnas circa Romam regiones, tunc pro sua speciali habebat Prouincia, earumque Episcopos ordinabat. Assignatis vero suis Alexandrino limitibus, decretoque, vt sicut se Romanus ad alienas Ecclesias non extendebat, ita neque Alexandrinus, neque Antiochenus se extenderet; statim subdit: illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus; hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere.] Vt hinc habeamus Metropolitanorum institutionem esse potissimum ad Episcoporum ordinationem; & hos ipsos quos iam Patriarchas vocamus, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, esse inter illos, de quibus Concilium loquebatur Metropolitanos: & consequenter priuilegia harum sedium propria Ecclesiastica, esse priuilegia Metropolitica circa suorum Episcoporum ordinationes. Et quoniam iam multiplicatis Ecclesijs & Episcopis, magnæ regiones horum trium Patriarcharum subdiuisæ sunt in alias Prouincias partiales, eodem Canone habemus, ita suas proprias duntaxat ordinare debere hos tres Patriarchas Prouincias, vt aliæ Prouinciæ iam à suis illis magnis separatæ, siquidem alios proprios sint sortitæ Metropolitanos, proprijs etiam vtantur priuilegijs, circa suorum Episcoporum ordinationes. Neque eos ipsi Patriarchæ turbent, neque se in eorum ingerant Prouincias. Similiter autem, in quit Concilium, & apud Antiochiam, cæteraſque Prouincias, suis priuilegia seruentur Ecclesijs.] Hæc proculdubio Patriarchis illis primis intimantur, & potissimum Alexandrino, qui se caput totius Orientis faciebat, vt postea videbimus.

c Concil. Nican. c. 6.

Ex

A Ex his ego coniecturam capio, initio inualescentis Ecclesiæ, in toto Romano Imperio non nisi tres omninò fuisse Metropolitanos; à quibus ecclesiastica consuetudine omnes prorsus Episcopi, qui initio pauci erant, ordinarentur; & consequenter non nisi tres Prouincias Ecclesiam vniuersam in Romano Imperio habuisse. In quo quia tres erant tantummodò Regiæ, & primæ ciuitates; Roma in Italia, Alexandria in Aegypto, & Antiochia in Syria, iccirco tres hæ primariæ diuersarum regionum Metropoles, tres primos habuerunt Ecclesiasticos Metropolitanos, qui sub se Metropolitanum nullum haberent. Has verò duntaxat tres fuisse in toto Imperio Romano verè Regias ciuitates, & Metropoles, fatetur apertè Hegesippus iunior, qui de Antiochena ciuitate sic scribit; [a] Vrbs tertio loco ante ex omnibus quæ in orbe Romano sunt ciuitatibus æstimata; nunc quarto postquam Constantinopolis excreuit, ciuitas Byzantiorum, Persarum quondam caput, nunc repulsorum: Prima enim Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Constantinopolis.] Teste igitur Hegesippo, in toto Romano Imperio olim primo loco æstimata est Roma, secundo Alexandria, tertio Antiochia. Postquam verò quarta excreuit Constantinopolis, hæc secundum locum post Romam obtinuit: in tertium locum conjecta est Alexandria; in quartum verò Antiochia. Et hæc intelligit secundum laicam, & sæcularem dignitatem. Cui sæculari ciuitatum dignitati nitens Ecclesia, vt supra etiam monui, Ecclesiasticas instituit Metropoles: & quia tres illæ fuerunt in Romano Imperio antequam Constantinopolis excreuisset, Metropoles maximè insignes; inde habemus nos tres illos in Ecclesia Patriarchas insigniores: quia primi illi fuerunt Patrum consuetudine ad ius Ecclesiasticum Metropoliticum euecti. Ita Patres Nicæni in tota Aegypto, Lybia, & Pentapoli, alium Metropolitanum, & consequenter Episcoporum illarum regionum consecratorem non agnoscunt, nisi solum Alexandrinum; vt supra posui cap. 3. n. 9. Et colligitur ex Actis Concilij Chalcedonensis, vt supra c. 9. n. 6. Postea multiplicatis alijs Metropolitanis, illis subtractæ sunt multæ Ecclesiæ, eorumque restrictæ Prouinciæ: sed quia primi fuerunt, iccirco nunc etiam aliqua dignitatis prærogatiua perfruuntur: & adhuc dignitate quidem potius quam potestate, aut iurisdictione vera Ecclesiastica, vt infra sequenti libro explicabo, inter alios eminent Metropolitas. XIV.

a Hegesip. de excid. vrb. Hierosol. l. 3. c. 3.

B

C

Illis verò tribus postea & nouo consuetudo, & Concilia; secundum nimirum, & quartum generale, Constantinopolitanam Ecclesiam paribus priuilegijs aggregârunt. Et vltimo loco in Concilio quinto generali, Hierosolymitana quoque iisdem exæquata fuit; vt est iam à me supra cap. 2. n. 9. ostensum: & de Constantinopolitanæ Ecclesiæ priuilegio, agam in sequenti lib. 4. c. 4. Gregorius itaque dum suo tempore non nisi quatuor numerat [b] Patriarchas, intelligit, vt puto, orientales: suppositio tanquam notissimo, se in occidente esse quintum. Nam & expressè quatuor orientales admittit, & cognoscit, eisque [c] communicatorias dat à paribus. Sed Innocentius 3. & posteriores Papæ supponentes Romanum Pontificem esse extra ordinem Patriarcharum supra illos, contra quam prisca sentit, & expressit Ecclesia, reponendum, [d] quatuor tantùm numerant Patriarchas: Theodorus tamen studita vir summæ sanctitatis, & in Ecclesia Catholica autoritatis, includens expressè Romanum, quinque numerat Patriarchas. Contra Iconomachos enim concitatus, scripsit; [e] Orientem non habent, occidente priuati sunt, à quini verticis Ecclesiastico corpore auulsi sunt.] In Ecclesiastico corpore quinque vertices ponit, quinque Patriarchas, quanquã inter hos quinque, primum etiam verticem ponat Patriarcham Romanum: ordine enim dignitatis primum locum in Ecclesia ille semper tenuit. Et Concilium 8. generale, [f] quinque sedes numerat Patriarchales. Et vnum ex Patriarchis supra expressè Romanum posuit Nicolaus primus. XV.

b Greg. l. 7. Ind. 1. Ep. 5. & Ind. 2. Ep. 53.

c Idem l. 1. Ind. 9. Ep. 24.

d De Prob. & d. gn. c. Grauis, et de priuil. c. Antiquæ et Extrauag. Sanctæ Romanæ de elect. in com.

e Apud Baron. tom. 9 an. 819. nu. 31.

f D. st. 22. c. fin.

D

E

Quantum igitur credendum sit Onuphrio Panuinio Papam à quatuor Patriarchis distinguenti, consideret Lector: ille enim ita scribit; [g] Processu temporis, & præsertim post Photium (*is pertigit ad tempora Stephani 6.*) Patriarcham Constantinopolitanum, vtraque parte conniuente, illud vsurpari cœptum; vt ambo Episcopi, Romanus scilicet, & Constantinopolitanus, œcumenici, id est, Vniuersales appellarentur. — Additumque, vt Papæ nomen, quod omnium vocabulorum Episcopalium excellentius esse statutum est, solus Romanus Pontifex, cum ante omnibus commune esset Episcopis, retineret: Quo vno, & illi tantùm particulari nomine, potestatis eius dignitas, & supra cæteras Ecclesias vetus prærogatiua designaretur: cæteri verò quatuor Episcopi præcipuarum sedium, Videlicet, Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierusalem, Patrjarchæ vocarentur. Atque hic fuit litis finis, inter duos summos Christiani orbis Episcopos. Quam rem ego, *inquit*, ex historiarum tum Græcarum, tum Latinarum varia lectione obseruaui.] Si autores signasset XVI.

g Onuph. annot. in Bonif. 3. Platina.

nasset Onuphrius, gratiam ei haberem: ego enim non vlla conuentione, sed Romanorum Pontificum posteriorum proprio conatu, Papam supra Patriarchas quatuor suspicor esse constitutum; vbi prius Ecclesia semper, imò & post tempora Gregorij aliquandiu, vt vidimus, quinque Patriarchas agnouerit: & inter eos, non supra eos, primum locum Romano tribuerit. Totam verò hanc conuentionem destruit Leo 9.[a] qui non longe à Photij temporibus est subsecutus; nam neq; vlla ratione tolerat Oecumenici titulum in Constantinopolitano, quem vocat Archiepiscopum; & secundum locum inter Patriarchas tribuit Alexandrino, tertium Antiocheno. Et Anselmus Lucensis, tempore Gregorij 7.[b] Papam facit vnum de quinque Patriarchis: Ideoque negat eum posse cõuellere statuta Ecclesiastica, quæ ab omnibus quinque fuerint stabilita. De hoc tamen Romani Patriarchæ supra cæteros primatu, agam seorsim libro sequenti. A

a Leo 9 ep. 6. 7.

b Ansel. Lucen. con Guilb. Ab. lib. 2.

XVII. Primas itaque sedes tres Patriarchales, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, vt primæ essent Metropolitanæ in Romano imperio, supposita necessitate diuidendi Prouincias ad commodius Ecclesiasticum regimen; & in singulis, vnum Episcoporum, quasi præsidem & primatem supra cæteros instituendi; cuius esset potissimum suæ Prouinciæ Episcopos consecrare; nihil aliud effecit, neque vlla alia ratio potest assignari, nisi sola qualitas, dignitas, & eminentia ciuitatum sæcularis: quia, vt vidimus ex Hegesippo, illæ tres ciuitates in toto Imperio Romano, primas tulerunt; fueruntque typo sæculari omnium maxime insignes; quod sæpius iam asserui & probaui. Propterea in Concilio Antiocheno, ea ratio assignata fuit, quare in ijs ciuitatibus quæ Metropoles essent sæculares, Metropolitani Episcopi sint collocati; [c] eo quod, *inquit*, in Metropoli vndique conueniunt omnes, quicunque negotia habent.] Et sane illi qui sub nomine, aut Clementis, aut Anacleti, aut Aniceti, aut Stephani, Epistolas composuerunt, cum hoc ipsum perspectissimum haberent, idem etiam expressérunt, dum Patriarcharum & Primatum institutionem, ad solam Ciuitatum dignitatem, & potestatem sæcularem reduxerunt. [d] In illis Ciuitatibus, *inquit Clemens*, in quibus olim Ethnicorum erant Archiflamines, Primates poni vel Patriarchas — constituerunt Sancti Apostoli.] Anacletus verò: [e] Episcoporum, *inquit*, vnus ordo est; licet sint Primates illi qui primas ciuitates tenent; qui & in quibusdam locis Patriarchæ à nonnullis vocantur.] Anicetus ait: [f] Nulli Archiepiscopi Primates vocentur, nisi illi qui primas tenent Ciuitates; quorum Episcopos Apostoli, & successores Apostolorum regulariter Patriarchas, & Primates esse constituerunt.] Stephanus: [g] Vrbes, *ait*, & loca, quibus Primates præsidere debent; non à modernis, sed etiam à multis ante Aduentum Christi, sunt statuta temporibus. B C

c Sup. c. 7. n. 7.

d Clem. ep. 1.

e Anacl. ep. 2. 3.

f Anicet. ep. vn.

g Steph. 1. ep. 2.

XVIII. Et Leo Magnus Taurinatensis Concilij facto instructus, dum controuersiã inter Arelatensem, & Viennensem Archiepiscopos, cupit decidere; in ea definienda potentiam Ciuitatum inspexit, & secutus est dignitatem: nam & partes ipsæ sua iura inde potissimum explicabant, quod Ciuitates illæ sæculari potentia, & dignitate eminerent. Atque sic rescribit: [h] Consideratis allegationibus vtriusque partis præsentium Clericorum, ita semper intra Prouinciam vestram, & Viennensem, & Arelatensem, Ciuitates claras fuisse reperimus, vt quarundam causarum alterna ratione nunc illa in Ecclesiasticis priuilegijs, nunc ista præcelleret: Cum tamen eisdem commune ius quondam fuisse à Gentibus proderetur, &c.] Atque hinc Viennensi etiam suos assignat suffraganeos: & reliquos Arelatensi relinquit. D

h Apud Baron. to. 6. an. 450. n. 53. 54.

XIX. Miror igitur Gelasium ab hoc asserto tantopere abhorruisse: noluit enim Constantinopolitanam sedem inter Patriarchales admittere, quamuis & Constantinopolitanum, & Chalcedonense Concilia Oecumenica id ei priuilegij erogassent: Sed [i] Constantinopolim negauit paræciam Episcopi Heracleensis; ne Metropolitano quidem iure donatam; atque hinc Acacium Episcopum Constantinopolitanum deprimit; vt tanto euidentiorem ipsius errorem faciat, qui contra Romanæ sedis decreta, cum damnatis Hæreticis communicaret. Et quia fautores Acacij eum autoritate sedis Patriarchalis tuebantur, quod Ciuitas Regia Patriarchatus meruerit dignitatem, sic inuehitur: Risimus autem quod prærogatiuam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ Ciuitatis: Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros, multis temporibus non constitit Imperator? — Si certe de dignitate agitur ciuitatum, secundæ sedis & tertiæ (*hoc est Alexandriæ & Antiochiæ*) maior est dignitas Sacerdotum; quam eius Ciuitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter Metropolitanorum iura censetur. Nam quod dicitis Regiæ Ciuitatis, alia potestas est Regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum E

i Gelas. ep. 11.

A rum distributio dignitatum.] Leo quoque in hoc [a] excanduit aliquando, sed de eo inferius. [a] Leo ep. 37.

XX. Hæ Gelasij obiectiones facile diluuntur, non enim eo ipso quo ciuitas aliqua prius exigua, minusque nobilis, ad magnam euehitur sæcularem dignitatem; Curia præsertim Regali in ea, tanquam primaria & ordinaria residente, statim illius Ciuitatis Episcopus fit Primas, aut Metropolitanus, aut Patriarcha. Potest tamen hæc noua euectio sæcularis, esse causa sufficiens, vt Ecclesia in Synodis, maxime generalibus, sedem illam ornet priuilegio Primatus: & id Constantinopolitanæ contigit Ecclesiæ. De quo alias. Nos tamen contendimus tunc, quando primum, diuisis Prouincijs, Primates sunt instituti, dignitatem hanc in eos Episcopos esse coniectam, qui in ciuitatibus essent sæculari potentia insignibus. Itaque si Constantinopolis fuisset Ciuitas Imperialis, qualis fuit tempore Concilij
B primi Constantinopolitani, procul dubio ante Concilium Nicænum, aut etiam eiusdem Concilij tempore, non minus quam Romana, ex sola etiam consuetudine, fuisset Patriarchalis Ecclesia Constantinopolitana. Verum tamen est, Ecclesiæ morem esse; Siqua Ciuitas semel cœpit habere Episcopum Metropolitanum, quo tempore ipsa Ciuitas esset suę Prouinciæ, siue Regionis, siue Regni Metropolis; si postea Curia sæcularis mutetur, non statim Primatus Ecclesiastici ius mutari. Cum tamen interim moneam, autoritate etiam Principum, hoc ipsum aut mutari interdum solitum fuisse, aut de nouo institui: vt docui supra cap. 2. num. 9. & seqq. rursusque tradam lib. 6.

XXI. Sed multo magis miror, Baronium non potuisse acquiescere illi rationi, quam dederunt Patres in Concilio Chalcedonensi; vbi sedem ipsam Constantinopolitanam, Canone dato, Patriarchalem esse voluerunt: aiunt enim; [b] Etenim sedi senioris Romæ, propter Imperium Ciuitatis illius, Patres consequenter Priuilegia reddiderunt: & eadem intentione
C permoti, centum quinquaginta, amantissimi Deo Episcopi, æquè sanctissimæ sedi nouæ Romæ, priuilegia tribuerunt; rationabiliter iudicantes Imperio, & Senatu, Vrbem ornatam, æque Romæ senioris priuilegijs frui &c.] [c] At certè, subdit Baronius, si non aliunde Canon suffulcitur, quam ex reddita ratione, nulla ex parte subsistente; ipsum necesse est penitus euanescere. Vbinam Gentium quæso prærogatiua sedium, ex pulchritudine, vel amplitudine, vel dignitate Ciuitatum à maioribus reperitur esse sancita; & non potius ex Apostolorum successione; vnde & ipsæ sunt Apostolicæ nominatæ, & præ cæteris à Patribus exaltatæ reperiantur?] Sed vbinam Gentium reperit ipse Baronius successionem Apostolorum Patriarchales Ecclesias fecisse; si Cæsareensis Ecclesia Hierosolymitanæ, in qua & Christus, & Apostoli omnes Episcopatum gesserunt, prælata est? Si tot sunt Ecclesiæ Apostolicæ, quæ tamen Patriarchales nunquam fuerunt? & non potius obseruauit dignitatem trium Ciuitatum Imperij Romani, & occasionem Curiarum in ipsis commorantium, negotiaque publica totius regionis agitantium, Ecclesiasticos Primatus, tres illos
D insignes primos erexisse? Quod enim asserunt Episcopi Concilium 1. Constantinopolitanum celebrantes, Romanæ Ecclesiæ, propter Imperium ciuitatis Patres priuilegia reddidisse; non intelligunt hos Patres Concilij Nicæni (quod Baronius reprehendit) sed Patres priores, & illo Concilio anteriores; qui eam inuexerunt consuetudinem, quâ postea Concilium Nicænum approbauit, & Canone, reformatis abusibus, stabiliuit. Habemus igitur vnde maximè miremur dictum Benedicti 11. dum ait; [d] Sancta Romana Ecclesia, quæ disponente Domino, super omnes alias potestatis ordinariæ obtinent principatum à Deo; vtpote Mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra; quatuor Patriarchales sedes instituit; inter quas, post ipsam Romanam Ecclesiam Constantinopolitanam primùm, Alexandrinam secundùm, Antiochenam tertium, & Hierosolymitanam quartum locum, voluit obtinere; ipsasq; multis prærogatiuis, & honoribus, ac priuilegijs decorauit.] Reseruatq;
E Rom. Pont. electiones horum Patriarcharum, quandiu Ciuitates ipsæ schismaticorum, aut infidelium subsunt, aut subierunt ditioni. Bone Deus quàm exorbitans dictum, quàm arrogans assertio Romanam Ecclesiam quatuor Patriarchales Ecclesias instituisse! & ineptiæ huiusmodi nobis pro sanctis oraculis obtruduntur!

[b] Concil. Chalced. sess. 12.

[c] Baron. tom. 6. an. 451. n. 133.

[d] Extrau. sancta Romana. de elect. in com.

XXII. Quæres quid igitur habent hi quinque Patriarchæ potestatis, & iurisdictionis Ecclesiasticæ, pluspuam alij simplices Archiepiscopi, & Metropolitani; præter hoc nudum nomen, & dignitatis solius, ex antiquitate sedis, cum iure Metropolitico excellentiam? Respondeo, sicut prima & illorum, & consequenter aliorum post illos Metropolitanorum, institutio fuit, tum propter Episcoporum ordinationes; tum propter eorundem, si errarent correptiones; ita partim consuetudine, etsi non vniuersali; partim commissione Synodorum

nodorum Regionalium, partim earundem conniuentia, partim Patriarcharum vsurpatione, Patriarchæ ante omnia Metropolitanorum sui Patriarchatus ordinationem habuerunt; vt, vel ipsimet illos ordinarent, vel alij, de ipsorum tamen commissione. In Canone sane paulò ante citato Concilij Chalcedonensis; vbi Constantinopolitanam sedem fecit Patriarchalem; statim ei primum Patriarchale ius explicauit; Vt in ijs quæ in Ponto sunt, & in Asia, & in Thracia Diœcesibus, Metropolitanos solos; rursus autem, & qui inter barbaros sunt Episcopos præfatarum Diœcesium, à prædictæ sanctissimæ Constantinopolitanæ sedis sanctissima Ecclesia ordinetur.] Et in Romana Ecclesia eandem fuisse consuetudinem, ex Gregorio vidimus superius cap. 5. num. 4. Id tamen non fuisse perpetuum, & constans ius omnium Patriarcharum, facile ostenditur; tum ex iure antiquo, & communi, quo Metropolitani ab omnibus suis Episcopis Comprouincialibus debent, vt docui supra cap. 5. consecrari; tum ex Gregorij assertione, [a] qui veterem morem esse fatetur, vt Mediolanensis Metropolitanus, ab Episcopis suæ Prouinciæ consecretur: solum tamen suum ad id requiri ait assensum: quod iam cap. 5. num. 40. explicaui. Tum demum quia hanc potestatem vniuersalem non tribuit [b] Octaua Synodus generalis, Patriarchis. De quo infra.

a Greg. l. 2. ind. 11 ep. 31.

b Oct. Syn. gen. can. 17.

XXIII. Sed & in consecratione Episcoporum simplicium, inuenio Patriarchas conatos esse, vt partem haberent in toto suo Patriarchatu: vt videlicet illi quoque à suis Comprouincialibus vel Metropolitanis, sine ipsorum notitia, & assensu non consecrarentur. Innocentius primus ad Alexandrum Antiochenum ita scribit; [c] Itaque arbitramur, frater carissime, vt sicut Metropolitanos autoritate ordinas singulari, sic & cæteros, non sine permissu conscientiaque tua, sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte seruabis, vt longe positos, literis datis, ordinari censeas ab jis, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipue tuum debent mereri iudicium.] Hic apparet consuetudinem fuisse in Prouincia Antiochena, vt ipse Patriarcha Antiochenus Metropolitanos, qui in ipsius Patriarchatu essent; Metropolitani vero singuli suos suffraganeos ordinarent. Quod & Constantinopolitano præscripsit Concilium Chalcedonense. Quia tamen idem Alexander putabat aliquid amplius, circa ordinationes iuris habere Rom. Pontificem, in suo Patriarchatu; ab eo per literas quæsierat institutionem; vt patet ex hac responsione: Quæ addit Patriarchæ vltra ius ordinandi Metropolitanos, vt sine ipsius consensu & licentia, Metropolitani non ordinent suos suffraganeos: & in ipsius potestate esse, vt viciniores Episcopos suorum Metropolitanorum suffraganeos si velit, ipsemet possit ordinare. Idque asserit Innocentius se respondere, postquam prius consulerit ac reuoluerit Nicænæ Synodi autoritatem. In Nicæna tamen Synodo, nihil tale reperitur: & iam à me est clarissime ostensum, tum ex antiqua consuetudine, tum ex Nicæna Synodo, tum ex alijs Concilijs & Patribus, Episcopos Comprouinciales, aut per seipsos, aut per suum Metropolitanum omnes ordinationes peregisse. Metropolitani vero ordinationes, aut similiter eosdem Comprouinciales per se ipsos, aut per suum Primatem, seu Patriarcham absoluisse; & quando vel Metropolitanus, vel Patriarcha ordinat Episcopum, non propria autoritate sola id eos facere, sed nomine & consensu omnium Episcoporum Comprouincialium, iam est demonstratum. Innocentij itaque illa responsio stare non potest, nisi de illis Episcopis loquatur, qui essent proprij Patriarchæ suffraganei. Prouincias verò, Patriarcharum præsertim fuisse valde amplas, non est ambigendum; vt propterea & propinquos, & remotos haberent suffraganeos. Hodie quoque multas tales cernimus; & de his intelligendus est etiam Siricius, qui non multo præcessit Innocentium, dum ita statuit, [d] Nemo extra conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est Primatis, audeat ordinare Episcopum.] Hoc est non licere Episcopis quibuscunque, etiam eiusdem prouinciæ, sine concursu seu consensu sui Metropolitani, qualis est Pontifex Romanus in Prouincia Romana, Episcopum consecrare. Quod si velit hoc esse vniuersale, etiam extra Romanam Prouinciam, vt nullus Episcopus sine ipsius licentia, etiam à proprio Metropolitano consecretur, decretum hoc nullum erit, quia est contra Canones, ac præsertim Nicænos: & Romanus Episcopus non potest suam propriam iurisdictionem, cum aliorum preiudicio dilatare, vt suis locis à me ostenditur.

c Innoc. 1. ep. 20

d Siric. ep. 4.

XXIV. Hanc certe necessitatem requirendi assensum Patriarchæ in ordinarijs Episcoporum ordinationibus, qui non sint proprij ipsius suffraganei, nulla lege reperies, aut consuetudine prisca stabilitam. Fuit aliquando in Oriente lex, seu potius priuilegium, [e] Ne quis

e Socrat. l. 5. c. 28.

A quis Episcopus designetur absque sententia, & autoritate Episcopi Constantinopolitani: qua iultus Sisinius voluit Cyzicenis Episcopum dare Proclum: illi tamen ea contempta antenertunt, & Dalmatium Monachum ordinant Episcopum. Legem autem, *inquit Socrates*, propterea neglexerunt, quod Attico soli, vti illi putabant, nominatim autoritatem illam concederet.] Proclus itaque prorsus exclusus à Cyzicenis, postea fuit factus [a] Episcopus Constantinopolitanus: factum verò Cyzicenorum meritò obtinuit firmitatem; quia & Canones, & consuetudo Ecclesiastica vniuersalis erat; vt Episcopi in propria Prouincia fierent: & Patriarchæ aliorum Metropolitanorum autoritatem in ordinatione Episcoporum non turbarent; & sola ambitio Constantinopolitani, qui ad Primatum orientis fuerat erectus, illud extorquere tentauerat, & vsurpare; sicut nostèr extorsit, & vsurpauit.

[a] *Ibid. c. 39.*

XXV.

Iccirco Iuo quoque aliquid tale ab Episcopo Lugdunensi, Legato Apostolico tentatum
B cernens, tolerare non potuit; sed ad eum ita scripsit; [b] Quod verò mihi scripsistis, propter officium legationis vobis iniunctæ, prius hoc ad notitiam vestram fuisse referendum, vt tunc cum (*Aurelianensem*) consecraremus, cum quod vobis benè placeret agnosceremus, quoniam sic præcepit Leo Papa Anastasio Thessalonicensi Episcopo Legato suo: personale hoc fuisse intelligimus priuilegium, non generale decretum.] Vbi enim Leo Episcoporum ordinationes ad Metropolitanos spectare differuit, Metropolitanorum verò ad Episcopos Comprouinciales, addidit; [c] De persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat; quodque in Prouincia benè placuit scire te faciat; vt ordinationem ritè celebrandam, tua quoque firmet autoritas.] *Item*; De cuius (*electi in Metropolitanum*) nomine ad tuam notitiam Prouinciales referant Episcopi, impleturi vota petentium, si quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint.] Quibus verbis videtur arctari, & limitari potestas ordinaria
C Metropolitani, & Episcoporum, in ordinationibus suæ Prouinciæ Antistitum; vt non nisi de licentia Papæ, vel eius Legati, qui adsit in Prouincia, illæ peragantur. Iuo itaque qui cernebat hanc limitationem esse contra antiquissimam consuetudinem, & contra Canones; ne Leonem iniustæ vsurpationis argueret, & iniquæ definitionis, maluit pia interpretatione errorem lenire, quam decretum ipsum tanquam iniquum; & Ecclesiæ contrarium deprimere, & respuere: Modestèque insurrexit, seque opposuit, ne Papa potestatem ordinariam Episcoporum Prouinciæ, & Metropolitani in aliqua parte vt tentabat, labefactaret. Ad vitandas tamen contentiones, & submouenda impedimenta iniusta, ad consilium dicti Legati, non ad Imperium recurrit pro electo Sennonensi illius Prouinciæ Metropolitano consecrando; ita tamen vt dictam consecrationem ab ipsis Comprouincialibus Episcopis fieri omnino velit. Sed quia, *inquit*, non est meum contentiosè agere, — consulo solicitudinem vestram, — cuius electio, si iusta vobis videbitur, vt nullas moras innectatis: si in-
D iusta, qua lege differenda sit, vel cassanda, me, & consuffraganeos meos, sic literis vestris instruatis, vt nec vni, nec alteri, sed omnibus hoc onus imponatis.] Certiorem Patriarcham reddere post factam ordinationem Episcopi, vnionis, charitatis, & communicationis gratia, & si lex nulla præcipiat, insolitum tamen non est in Ecclesia, sed [d] laudabile, & meritò factitatum: licentiam tamen à Patriarcha expectare, nullus Canon, nulla præcipit consuetudo: nam omnes Canones, vt vidimus, solius proprij Metropolitani, & comprouincialium assensum, in Episcoporum ordinationibus postulant, non alterius. Et hoc tantum Siricium quoque voluisse mihi certum videtur.

[b] *Leo Ep. 59.*

[c] *Leo Ep. 88.*

[d] *Decret. c. Cum certa.*

XXVI.

Altera causa instituendi Metropolitanos, fuit coërceptio Episcoporum, vt non confusè ea fieret à quocunque, sed ex officio ab vno: & non semper Synodus in hoc grauaretur. Sicut igitur Metropolitanus Episcopos suos Suffraganeos errantes corripere, & corrigere debet, & emendare; ita si Metropolitanus erret, siue in moribus, siue in iudicijs, & actis suis,
E ne etiam in hoc Synodus semper cum incommodo conueniat, à Patriarchis, voluit Ecclesiastica consuetudo, & lex, Metropolitanos emendari; nisi tam grauis sit causa, & publica, præsertim fidei, vt totius regionis Synodus; imò & œcumenica debeat conuenire. Ita in Concilio Chalcedonensi, cap. 9. statutum est; [e] Vt si aduersus Prouinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ; & apud ipsum iudicetur.] Ita quoque [f] Bonifacius, & [g] Iustinianus. Et in octaua Synodo generali Canon expressus ponitur de potestate Patriarcharum, & Metropolitanorum, sub his verbis; [h] Sancta & vniuersalis Nicæna prior Synodus, antiquam consuetudinem iubet seruari per Aegyptum, & Prouincias quæ sub ipsa sunt: ita vt horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens, quia & in Roma-

[e] *11. q. 1. c. Si Clericus.*

[f] *6. q. 4. c. Si inter.*

[g] *Nouel. 123. c. 22.*

[h] *Oct. Syn. gen. Can. 17.*

norum ciuitate huiusmodi mos prævaluit. Qua pro causa & hæc sancta, & magna Synodus, tam in seniori, & noua Roma, quam in sede Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum, priscam consuetudinem decernit in omnibus conseruari; ita vt eorum præsules vniuersorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promouentur, siue per manus impositionem, siue per pallij dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad conuocandum eos vrgente necessitate ad synodalem conuentum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsan accusauerit.] Tum verò idem Canon addit Patriarchis potestatem Synodum sui Patriarchatus conuocandi; & Metropolitanos obligat ad conueniendum aliam potestatem in Patriarchis non agnoscit specialem. A

XXVII.

Scias porro [a] Primates, & Patriarchas aliquando idem significasse; nempe primos illos tres, aut quinque: Postea verò, quia hi quinque nimis amplas habuerunt sub se regiones; & plura regna ampliſsima, & à sua sede distantiſsima; in singulis Regnis Primates sunt instituti; qui plures adhuc sub se haberent Metropolitanos: quamuis ipsi deinde, suo quisque Patriarchæ, alicui ex illis quinque, subesse deberet. Sicut igitur Iacobum Hierosolymitanum primum Episcopum, Clemens in illis ipsi attributis Epistolis ad eundē vocat Episcopum Episcoporum, nimirum suæ Prouinciæ; illum enim suæ regionis supponit esse Patriarcham (quod non erat verum tempore Clementis) Ita in Concilio Carthaginense tertio, Aurelius Carthaginensis, quia totius [b] Africæ Primas erat; Ego, *ait*, cunctarum Ecclesiarum (*nimirum Africanarum*) dignatione Dei, vt scitis fratres, solicitudines sustineo.] Et in Concilio Matisconensi totius Regni Galliæ generali, Lugdunensis Episcopus Brisicus vocatur Patriarcha: erat enim omnium Primas; sub Romano tamen Patriarcha: quamuis alij Arelatensi hanc tribuant dignitatem. Sed certe in prædicto Concilio, etiam Arelate isis interfuit, & nihilominus Lugdunensis præcedit, & Patriarchæ nomine inlignitus est, vbi omnes aderant totius Regni Metropolitani. Et Iuo, [c] Lugdunensem esse primæ sedis Episcopum, non diffitetur. Pari modo [d] Brituricensis, & Aquilegiensis, [e] Gradensisque, Patriarchæ vocantur; & [f] Gualbertum Cumanum Archiepiscopum, Stephanus vocat Patriarcham. [g] Ephesina quoque Ecclesia, Patriarchatum habuisse memoratur. Innocentius 3. in toto Regno Suetiæ, [h] Lundensem Episcopum, Primatem facit; cui subsint alij eiusdem Regni Metropolitani. Alia exempla non desunt plurima, huiusmodi Primatum in Ecclesia; quamuis etiam tali nomine celebres aliqui Metropolitani, quorum Metropolis latissimè se extendat, soleant insigniri, vt Mediolanensis, & Aquilegiensis: licet sub se nullos habeant Metropolitanos. Imo verò Basilius ad Ambrosium scribens, gratulatur ei [i] quod à Iudicibus terræ, ad primam Apostolorum sedem, sit translatus.] Neque intelligo cur Mediolanensem Ecclesiam primam vocet sedem Apostolorum; nisi velit per Apostolos Petrum & Paulum, post Romanam, Mediolanensem primam, vti præcipuam in Italia fuisse constitutam. Ita in Africa, quamuis vnicus esset, vt monui superius, supremus Primas Carthaginensis; Numidiæ tamen Metropolitanum Augustinus vocat [k] Primatem Episcoporum in Numidia; vt iam facile confundantur ista nomina Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, & Metropolitanus. B C D

XXVIII.

Habent igitur Patriarchæ proprie dicti, illud priuilegium ex Concilio Chalcedonensi, vt Metropolitanos iudicent: & liberum sit grauatis à Metropolitano, siue ad Primatem Regni, siue ad [l] Patriarcham supremum illius regionis, confugere. Et valde ridiculum est (vt alias plenius considerabo) quod maxima cum violentia conatur Nicolaus 1. vt per Primatem Prouinciæ, in decreto Chalcedonensi Romanus Pontifex intelligatur. Cum tamen Gregorius 4. id de proprio [m] Primate cuiusque prouinciæ intellexerit. Suis etiam locis agam similiter, de quinque Patriarcharum autoritate & priuilegijs, in Concilijs congregandis; statutis Ecclesiasticis condendis, ijsdemque custodiendis; in rebus fidei decidendis; in Ecclesijs omnibus protegendis, & vniendis; communioneque, per ipsas Patriarchales sedes, quasi per communem nodum [n] consociandis: & similibus. E

Si tamen vis audire compendio, quod sit munus, & officium proprium Patriarchæ; audi Basilium Macedonem, Orientis Imperatorem vt refertur in libro iuris Græcorum, [o] Patriarcha, *inquit*, est imago Christi viua & animata, operibus & verbis, in seipsa veritatem exprimens. Scopus Patriarchæ propositus est, primum quidem, vt quos à Deo accepit, in pietate, ac honestate vitæ conseruet. Deinde & omnes hæreticos, pro viribus suis conuertat, ad rectam veritatis sententiam, & vnitatem Ecclesiæ: Vocantur autem hæretici, tam legibus, quam Canonibus, qui Catholicæ Ecclesiæ societate non continentur.

Præterea,

a *Steph. 1. ep. 2. & Felix 2. ep. 1. c. 12.*

b *Leo 9. ep. 3. 4 Conc. Carthag. 3 ca. 45.*

c *Iuo ep. 236. 237.*
d *9. q. 3. c. Conquestus.*
e *Dist 32. cap. Erubescant.*
f *9. q. 3. c. Nunc vero.*
g *Ephesina Synod. 3. c. 6*
h *Innoc. 3. l. 1. ep. 419.*

i *Basil. ep. 55.*

k *Aug. Brevic. coll. diei 3. c. 4. & de for. comp. cap. Sane.*

XXVIII.

l *De off. Iud. ord. c. Domino.*

m *2. quæst. 6. c. Decreto.*
n *Sozom. l. 7. c. 9 & Theodorus Stud. apud Baron. to. 9. an. 821. n. 38.*

XXIX.

o *Baron. to. 10. an. 886. n. 10.*

A Præterea, vt infideles quoque, claris & illustrissimis, & admirabilibus factis suis stupefaciens, imitatores fidei reddat. Finis Patriarchæ creditarum sibi animarum salus; & Christo quidem viuere, mundo vero crucifixum esse; Propria Patriarchæ facultate docendi pollere, atque erga vniuersos tam sublimes, quam humiles æqualiter absque animi contradictione, semet gerere; ac mansuetum esse erga omnes se conuenientes. Etiam in docendo, & redarguendis contumacibus acrem; pro veritate æqui, iustique conseruatione, proque pietate coram Imperatore loqui non erubescere. Cum Respublica ex partibus, & membris, ad similitudinem corporis humani constet, amplissimæ huius maximeque necessariæ partes sunt, Imperator & Patriarcha: Ideoque subditorum pax, & fœlicitas, tam animi ratione, quam corporis est Imperij, atque Pontificatus, in omni vnanimitate consensus.] Vbi videmus generalem illam superintendentiam Papæ Romani, & reliquorum
B Compatriarcharum, super vniuersas Ecclesias, inde bona ex parte pendere; quia cum ad pacem, & tranquillitatem omnium Ecclesiarum, maximè opera sit necessaria Imperatoris, Patriarchæ verò in Imperialibus Ciuitatibus sedeant; in quibus aut Imperator ipse, aut Curia eius, aut præcipui quique, & cum maxima potestate Proconsules, atque ministri adsunt, facilè patet aditus, ad opem tuendis Ecclesijs necessariam impetrandam: Atque hinc etiam ipsis Patriarchis vniuersalis imminet cura Ecclesiarum. Ita tamen, vt interim, quæ iurisdictionis sunt, siue in ordinandis, siue in iudicandis Episcopis Metropolitanis, quisque ipsorum, intra proprios limites sui Patriarchatus coerceatur: ea enim lex æquè omnibus Patriarchis præscribitur in Concilio Nicæno; vt nullus ipsorum in alienam irrumpat prouinciam: imò vt, ne proprijs quidem, præiudicium faciant Metropolitanis: satisque esse debet vnicuique Patriarchæ vt sit primus, & supremus in sua ditione: indeque quilibet eorum possit, vt olim fuit in vsu, summus Pontifex appellari. Sic de Alexandrino
C loquens Leo, aduersus Timotheum Aelurum: Vnde, *inquit*, cum in omni Ecclesiæ membro, & integræ fidei veritas, & bonorum operum plenitudo quæratur; quanto magis in summo Pontifice debent vtraque præcellere?]

Siricius Metropolitanos omnes vocat [a] summos Prouinciarum Antistites. Et Episcopi Arelatensis Prouinciæ Leoni Papæ significant, [b] Rauennium eorum nouum Archiepiscopum, ad summum Pontificium prouectum esse. De Antiochena Ecclesia scribit Cedrenus, [c] Postquam illa aliquandiu, summo Pontifice caruisset; Theodorum quendam Monachum, fuisse ad illam sedem promotum. Et Theodorus Studita, Alexandrinum Patriarcham, vocat [d] Papam Beatissimum, Patrem Patrum, & lumen luminum, & verticem Apostolicum. Inepte verò Baronius, lumen luminum, interpretatur quod Romanus Pontifex sit supremum lumen; cæteri verò Patriarchæ, non supremum lumen, sed lumen luminum; neque videt Alexandrinum hoc loco dici, lumen luminum; non lumen luminis, nec de lumine: Ipse enim in sua Prouincia, hoc est in tota Aegypto, est lumen aliorum
D luminum suorum Episcop. qui ab eo sunt erudiendi; sicut & Romanus est lumen luminum, suorum scilicet Episcoporum. Vtinam vero nostrũ hoc lumen non sit tam adeò intensum, vt nimio suo fulgore, vel potius fulgure, minora lumina absorbeat, ac penitus extinguat.

Ac ne nimiũ glorientur soli Patriarchę, præsertim noster Romanus, de titulo summi Pontificis, sciant hunc olim titulum, etiam Episcopis simplicibus, qui ne Metropolitani quidem essent conuenisse. Ita Epistola quæ dicitur Pontiani monet: [e] Si peccauerint Sacerdotes, à reliquis arguendos esse Sacerdotibus; & à summis Pontificibus constringendos.] Damasus quoque [f] numerat quædam Episcoporum propria munia, vt per hæc summos Pontifices separet à Chorepiscopis. Et Zosimus Epistola 1ª. gradus numerat, quibus, ad locum
E [g] summi Pontificis, id est Episcopi; & ad summum Pontificatum, id est Episcopatum, possit Clericus peruenire. Leo, dum & ipse separat Episcopos à Chorepiscopis, [h] narrat officia, quæ solis summis Pontificibus debeantur. Et in Concilio Agathensi c. 35. Metropolitani commemoratur potestas, in conuocandis suffraganeis, ad ordinandũ summum Pontificẽ; hoc est Episcopum. Isidorus Episcopum dicit [i] Pontificem maximum nuncupari. [k] Bonifacius Moguntinus scribit Ecberto Archiepiscopo, summi Pontificatus infula prædito. Aliqua testimonia colligit etiam Baronius, [l] eundem titulum summi Pontificis, simplicibus etiam Episcopis confirmantia. Quanquam hunc titulum Patres Concilij tertij Carthaginensis [m] ex suis Ecclesijs Africanis expunxerint; vetuerintque ne vllus Primas eo vteretur.

Quod si Patriarchæ quinque illi celebres inter se comparentur, nullam prorsus inter ipsos inuenies, præter solum ordinem dignitatis & præcedentiæ, subordinationem; aut in potestate erga suos subditos disparitatem. Quamuis in iure se inter se ordinandi, sint interdum

XXX.

a Siric. ep. 1. c. 15.
b Apud Baron. tom. 6. an. 459. num. 51.
c Baron. to. 10. an. 970. num. 1.
d Apud baron. tom. 9. an. 817. nu. 31.

XXXI.

e Pontian. ep. 1.
f Damas. ep. 5.
g Dist. 59. c. Si officia. & dist. 77. c. Insinuatio.
h Leo ep. 92.
i Dist. 21. c. 1.
k Apud baron. tom. 9. an. 731. num. 47.
l Baron. to. 5. an. 397. nu. 61.
m Concil. Carthag. 3. c. 26.

XXXII.

terdum, sed frustra digladiati; vt ostendam inferius; pares tamen esse omnes in Patriarchali potestate, facile est demonstrare: Certè iure Diuino iam probatum est omnes prorsus Episcopos esse inter se æquales; & has dignitates, ac Prælationes inter ipsos, solo iure Ecclesiastico, esse institutas: & Ecclesiam Aristocratice non Monarchice gubernari: iure veto Ecclesiastico constat Patriarchas vnumquenque proprijs limitibus esse coercitos; neque posse quenquam ipsorum, in alterius Parochiam, seu Patriarchatum irrepere, aut irrumpere; & vnumquemque esse summum in suo Patriarchatu, primamque sedem obtinere; & quinque eos numerari; paribusque perpetuo priuilegijs ornari; ac paribus legibus constringi: sed libro 4. horum radicem exactius considerabo. Nunc subdo facta & exempla, ac dicta Sanctorum, æqualitatem hanc inter Patriarchas confirmantia. A

XXXIII. Merito igitur in Concilio Constantinopolitano contra Anthimum celebrato; [a] Quartum capitulum in libello Monachorum fuit propositum; vt Leonis Romani nomen in Diptychis prædicetur, sicut Cyrilli Alexandrini nomen prædicabatur; Quia, *inquiunt*, æqualiter (*in Chalcedonensi Synodo*) pro statu orthodoxæ fidei honorati sunt.] Hic iam de more somniat Baronius, [b] de legatione Cyrilli; sed inepte comparatur Episcopus Romanus, cum legato Episcopi Rom. Sermo est de duobus Patriarchis, & vtroque supremo; altero in Occidente; altero in Oriente; ac vtroque pro fide egregiè laborante; ideoque ex vtroque capite æqualiter honorantur. Sic Hieronymus quoque aliquando considerans duas has supremas sedes, in Occidente alteram, alteram in Oriente, eorumque Episcopos æque contra Origenis errores insurgentes, & eos condemnantes, Anastasium, & Theophilum; æque vtrumque extollit: [d] Duos, *inquit*, Orientis atque Occidentis Tropæophoros, alacri sequamur incessu.] Vides vt eos pares facit, & duces æque, ac victores, de damnatis Origenis erroribus trophæa ferentes. B C

a *Syn. Constantinop. cont. Anthim. act. 1. tom. 2.*

b *Baron. tom. 7. an. 518. nu. 27.*

c *Hieron. aduer. Russin. Apolog. 3.*

XXXIV. Et quis melius, atque ardentius paritatem hanc inter Patriarchas defendit, quam Gregorius Patriarcha Romanus? Is non potest ferre, vt Constantinopolitanus se Patriarcham vniuersalem vocet: [d] Quia si vnus, *inquit*, Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.] Excitatque Alexandrinum & Antiochenum, vt cum ipso resistant; & simul proprium honorem tueantur; ne vnus supra cæteros elatus, cæteris Patriarchatum eripiat. Cernebat enim Patriarcham non posse esse illum, qui supra se alium Patriarcham haberet; & consequenter vnumquenque Patriarcham esse in sua regione ita supremum, vt nulli prorsus Episcopo, cuiuscunque tituli & eminentiæ subiaceat. Rursumq; ad Alexandrinum scribens, paritatem hanc vel maxime profitetur: [e] Est aliquid, *inquit*, quod nos erga Alexandrinam Ecclesiam, quadam peculiaritate constringit; & in eius amore promiores existere, speciali quodammodo lege compellit.] Quid vero hoc? An primatus supra ipsam & dominium vniuersale? Nam sicut omnibus, *inquit*, liquet, quia B. Euangelista Marcus, à S. Petro Apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus, huius nos Magistri & Discipuli vnitate constringimur, vt & ego sedi Discipuli præsidere videar, propter Magistrum; & vos sedi Magistri propter Discipulum.] Inter Patriarchas ergo nulla superioritas, sed summa paritas; ac in sola charitate & amore mutua coniunctio. Et denuo ad eundem Alexandrinum & de eodem: [f] Ille mihi, *inquit*, de Petri cathedra locutus est, qui super Petri Cathedram sedit; & cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus sum, quia vos sanctissimi, quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. — Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis sedes in autoritate conualuit; quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est: ipse decorauit sedem, in qua Euangelistam discipulum misit; ipse firmauit sedem, in qua septem annis quamuis discessurus sedit. Cum ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex autoritate diuina tres nunc Episcopi præsident; quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Siquid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate; quia in illo vnum sumus, qui ait; [g] Vt omnes vnum sint sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.] Patriarchales sedes Gregorius quoque ad Petri fundationem reducit, quod supra ad initium huius capitis impugnauimus; nihilominus pares eas facit quia ab eodem Apostolo Petro fundatæ. Sensatissime tamen ad eundem Patriarcham Alexandrinum iterum replicat, hoc pacto; [h] Indicare quoque vestra Beatitudo studuit, iam sè quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt; & mihi loquitur dicens; sicut iussistis. Quod verbum iussionis petò à meo auditu remouete, quia scio quis sum, qui estis: loco enim mihi fratres estis, moribus Patres. Non ergo iussi; sed quæ vtilia visa sunt indicare curaui; D E

d *Greg. l. 4. Indic. 13. ep. 36.*

e *Idem l. 5. Indic. 14. ep. 60.*

f *Idem l. 6. Indic. 15. ep. 37.*

g *Io. 14.*

h *Greg. l. 7 Indict. 2. ep. 30.*

non

A non tamen inuenio vestram Beatitudinem hoc ipsum quod memoriæ vestræ intuli, perfecte retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri, tale aliquid scribere debere: & ecce in præfatione Epistolæ, quam ad me ipsum, qui prohibui direxistis; superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat; quia vobis subtrahitur quod alteri plusquam ratio exigit præbetur. Ego enim non verbis quæro proiperari, sed moribus: nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor, est honor vniuersalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus sum, cum singulis quibusq; honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc: recedant verba quæ vanitatem inflant, charitatē vulnerant.] Et tamen Gre-
B gorius erga sibi subditos Episcopos satis imperiosus esse solet, & minax: sed quia parē sibi Patriarcham agnoscebat, meritò abstinet à præcipiendo, & reijcit nomen œcumenici. Nam & alia data occasione, negotium quoddam expellendi hæreticos ex quodam Monasterio Diœcesis Alexandrinæ, eidem Patriarchæ modestissimè commendat, & vix innuit; à præceptione remotissimus: [a] Hæc, *inquit*, à nobis vobis indicata esse sufficiat, &c.] Et initio sui Pontificatus, dum ad omnes quatuor Patriarchas scribit literas communicatorias, seque eis commendat, hæc habet; [b] Dum enim nos vobis per orationis opem coniungimus, quasi ambulantes per lubricum, vicissim nobis manum tenemus: fitque ex magna prouisione charitatis, vt eo singulorum robustius charitas præfigatur, quo in alterum alter innititur.] Et ei illi, & ille eis pariter innititur; ac de subiectione ipsorum ne verbum quidem, quos iam loco fratres vocârat, moribus Patres; se ergo loco parem agnoscit cum Com patriarchis: sicut reliquis Episcopis se loco [c] præcedere aliàs est professus. Locus verò est gradus dig-
C nitatis in Ecclesia ecclesiastico iure institutus; vt habes intra libro quarto, cap. 8. nu. 43.

a *Idem l. 10. Ind. 5. Ep. 54.*

b *Idem l. 1. Ep. 24.*

c *Idem l. 2. Ind. 10. Ep. 37.*

Quid si aliquis Patriarcharum, inquies, erret, à quo corrigetur si omnes inter se pares sunt? Respondeo ita esse pares, vt tamen errantes à non errantibus corripi debeant, nam solo iure humano supra alios Episcopos eminent: iure vero diuino, non modò Patriarcha Patriarcham; sed quilibet Episcopus, quemlibet etiam Patriarcham, corripere potest & debet, vt iam expositi: ac potissimùm Synodus propria; & corripere potest, & etiam deponere Patriarcham, vt ostendam lib. 8. Interim tamen decentissimum visum est Ecclesiæ, vt Patriarcha errans ab alio Patriarcha corripiatur. Theodori Studitæ dictum est; [d] Vt si aberret vnus è Patriarchis, à cæteris eiusdem ordinis, *inquit*, quemadmodum diuinus Dionysius tradit, correctionem admittat.] Non enim in Ecclesia exactæ sunt more sæculari iurisdictiones; sed omnes Ecclesiæ Rectores vnicum constituunt (vt iam sæpius est a me declaratum in præcedentibus) corpus Sacerdotum: in quo corpore singula membra, de altero membro sunt solicita: Ita vt non modò manus, & pedes seruiant capiti; sed etiam caput & oculi, pedi, vel manui seruiant ægrotanti: quanuis inter Episcopos non nisi iure humano alij sint alijs eminentiores: nam iure diuino omnes æquè sunt, siue oculi, siue manus, vt vis, Ministerijs à Christo applicati; vt lib. 1. cap. 1. n. 4. explicaui.

d *Apud Baron. tom. 9. an. 823. nu. 15.*

XXXV.

D

Hæc tamen correctio, & hoc refugium in nostro misero Occidente iam totum euanuit: alius enim Patriarcha non adest: Synodi verò sub Romano aut nullæ sunt, aut sub iugo sunt: Nihilominus tamen contigit aliquando, vt Colonienlis, & Treuirensis Archiepiscopi, nimium à Papa oppressi, quantum in ipsis fuit, ei in faciem restiterint; & vt se melius ab iniurijs tuerentur ad Constantinopolitanum, & ad reliquos orientis Patriarchas, per literas confugerint. Rem narrat vetus Chronicon Francorum à Pitheo editum. Cùm enim duo Primates cum pluribus alijs Episcopis in Metensi Synodo, Lothario Regi, iustis de causis, verisne an fictis? in Matrimonij vnius solutionem, & alterius contractionem consensissent; fuerunt à Papa Nicolao primo excommunicati; & iudicio præcipiti etiam depositi. Insurrexerunt illi primum in Papam illis verbis; [e] Nicolao Pontifici. Guntharius atque Teutgaudus; (*hi erant Colonienſis, & Treuirenſis Epiſcopi*) Patres Episcopi, & fratres Coepiscopi ad te nos direxerunt, & nos sponte iuimus, consulere videlicet expleta generali legatione tuum Magisterium, super his specialiter quæ pariter, prout nobis visum fuit, & adijcientibus notum esse potuit iudicauimus, autoritates, rationesque quas secuti fuimus scriptis ostendentes; vt tua sapientia perscrutatis omnibus quid inde sentires, & quid velles, nobis paterno demonstrares affectu, nosque fraterna charitate procurares; & si melius illud tua sanctitas inueniret, vt nos instrueres, & doceres suppliciter obtecrauimus; parati quicquid rectius, & probabilius esset libenter amplecti. Sed nos per tres hebdomadas tuum expe-

XXXVI.

E

e *Apud Baron. tom. 10. an. 863. n. 31. & seqq.*

ctantes responsum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ, nobis expressisti. Tantum quodam die in publico dixisti, nos excusabiles apparere, & innocentes, iuxta assertiones nostri libelli. Ad vltimum autem nos euocati, ad tuam præsentiam deducti sumus; nihil aduersitatis suspicantes. Ibique obseratis ostijs, facta, more latrocinali, conspiratione; ex Clericis & Laicis turba collecta, & permixta; nos violenter, inter tantos opprimere studuisti; longa scilicet intercapedine à nostris Clericis, & Laicis, separatos; atque sine Synodo atque sine canonico examine, nullo acculante, nullo testificante, nullaque disputationis discretione dirimente; vel autoritate, vel probatione conuincente; absque nostri oris confessione, absentibus alijs Metropolitanis, & Diœcesanis, & Episcopis, & compatribus nostris; extra omnium omnino consensum tui solius arbitrio, & tyrannico furore, nosmet damnare voluisti: subito quadam tibi chartula, & improuise porrecta, lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim Presbytero, ambitus damnato, & deposito, & anathematizato; cuius scelerato ministerio, tuus præcipitatur furor. Ergo tuam prauam sententiam, à zelo rectitudinis alienam, iniustam & irrationabilem, cononicis regulis contrariam, nequaquam recipimus. Imo cum omni ritu fraterno, quasi nefas, atque maledictum frustra prolatum, contemnimus atque abijcimus; tibique anathematizatorum, & religionis sacræ abiectorum, & contemptorum fautori, & communicatori, reuera communicare nolumus; contenti totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate; quam tu arroganter te superexaltans despicis; teque ab ea elationis tumore indignum faciens, segregas. Igitur ex tuæ leuitatis temeritate, propria tibimet sententia, anathematis plagam inflixisti, exclamans: Qui præcepta Apostolica non seruat, anathema sit: quæ multipliciter violare, & violasse dignosceris, Diuinas leges, simul & sacros Canones calcans; &, quantum in te est, euacuans, prædecessorum tuorum Pontificum vestigia sequi nolens. Nunc ergo, qui fraudulentiam tuam & calliditatem experti sumus, indignationem quoque, tumidumque Potentatum agnoscimus, nihil tibi, tuæque superbiæ cedimus; qua nos, ad vota nostrorum, quibus fauces inimicorum obtuere festinabas sentientes nos non tuos esse, vt rectractas, & extollis Clericos; quos vt fratres, & Coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi, nostri ordinis non inscij, nimirum tua improbitate compulsi, respondemus; non quasi ad illatam nobis contumeliam prouocati; sed contra tuam iniquitatem, Ecclesiastico zelo accensi; nec nostræ vilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis vniuersitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.]

XXXVII. Quid ad hæc Baronius? Peiores Gentilibus, Iudæis, Hæreticis, Schismaticis inclamat; Satanam in istis agnoscit; rabidos vocat, contumelioſos, refractarios, blasphemos, mendaces, arrogantes, iracundos, superbos, furiosos; plaustra de more conuitijs plena, in duos hosce Archiepiscopos exonerat. Sed non oportuit occasionem iusto dolori, in querulas cum acerbitate voces erumpendi, per summam iniustitiam, & Scythicam barbariem, truculentamque tyrannidem præbere. Quod si nouum, & insolitum, & propterea admirandum visum sit Baronio, dum liberè, sed iuste audit à duobus magnis Episcopis Romanum Pontificem, ac merito obiurgari; sciat nouum quoque fuisse vt Romani Pontifices tam turpia, tamque infanda, quæ Phalaridem vix decerent, in suos collegas, confratres, & comministros, nihil minoris dignitatis, & autoritatis quàm sit ipse, auderet. Sciat nouum quoque fuisse & admodum rarum, vt nunc, vt inter Episcopos à Papatu iam tum oppressos, aliquis esset qui debita cum libertate, plenus sancto zelo, contra nimiam viriliter insurgeret insolentiam. Sciat tales in omni fere ætate, & si non tam frequentes, nihil tamen minori zelo flagrantes sæpius Papatum ingentes abusus increpasse, quorum aliquot colligere sequenti libro quarto capite octauo conabor, & plures libro nono capite nono. Sed neque hi duo Archiepiscopi soli tunc fuerunt, Socios enim antea illos Papę nimios excessus, [a] Rauennatem quoque Archiepiscopum Ioannem; & fratrem eius Gregorium; nec non & Haganonem Episcopum Bergomatem habuerunt. Quod si hodie quoque quatuor tales Prælati Episcopo Romano subiecti, cum diuina libertate errores Papales in omni pene genere horribiles indargerent, næ ille cristas reciperet submittere, & Ecclesiam non tantopere scandalizaret. Suscitet Deus aliquot tales ad suæ Ecclesiæ liberationem & exaltationem. Hi porro ipsi duo Archiepiscopi Germani (vt ostenderent se contra solum Nicolaum, non contra Ecclesiam Catholicam, negocium habere, nec inde Schismatici putarentur) soliciti de conseruanda vnione cum reliqua Christi Ecclesia; & cupientes, vt alij Patriarchæ Orientis errorem agnoscerent, & reprehenderent Patriarchæ eorum collegæ in Occidente;

[a] Anast Bibliot. Apud Baron. 861. n. 32.

A dente; & suas querimonias Synodice, & exemplar harum literarum, quas Nicolao exhibuerant, transmittunt ad Photium Constantinopolitanum, qui partim ipse abeodem Nicolio ictus, partim his querimonijs duorum maximorum in Germania Archiepiscoporum motus, tractare cœpit cum alijs Orientis Patriarchis, de congreganda Synodo Orientali, ad tot turbas occidentalis Papæ sedandas & comprimendas; deditque Encyclicam, in qua, quod spectat ad duos prædictos Archiepiscopos hæc habet.

[a] Ex partibus enim Italiæ, Synodica quædam Epistola ad nos allata est, sexcenta continens mala & delicta, quæ aduersus proprium ipsorum Episcopum, illi qui Italiam incolunt conqueruntur: sexcentas etiam obtestationes, cum magna iræ Dei comminatione, nobis adhibent; ne ipsos prætermittamus, ita misere perditos, & tanta, & adeo graui tyrannide oppressos: Sacerdotales præterea leges, & omnes Ecclesiasticas regulas conculcatas narrant; quæ iamdiu quidem à Monachis, & Presbyteris inde aufugientibus, ad omnium B aures deuenerunt; inter quos Basilius fuit, & Zosimus, & Metrophanes, & cum ipsis alij multi qui huiusmodi tyrannidem deplorabant, & ad Ecclesiarum defensionem nos vocabant multis cum lacrymis. Nunc vero, vt superius dixi, diuersæ literæ diuersorum inde venerunt, huiusmodi tragœdiæ sexcentorũ malorum plenæ, quarum exempla iuxta eorum preces, & obtestationes, (ad vniuersas enim Patriarchales sedes illas dari, cum horrendis obtestationibus nos rogarunt, vt ipsemet literæ, cum legentur, manifestum vobis facient) his nostris literis adiecimus, vt de his rebus etiam S. vniuersali Synodo in Domino congregata, quæ placuerint Deo, cõmuni sententia confirmentur; & magna pax Ecclesiæ Christi restituatur: Nec enim solam vestram Beatitudinem ad hoc aduocamus, verum etiam ad alias Patriarchales, & Apostolicas sedes, ex quibus quidem alij iam adsunt, alij vero breui affuturi expectantur.] Atq; hic facto ipso verũ esse vides id, quod dictũ Studitę continebat: vt Patriarchæ errantes, ab alijs Patriarchis corripi debeant, moneri, & emendari.

XXXVIII.

a Baron. ibidem. nu. 46.

C Quæret quispiam, num Hierarchia hæc Ecclesiastica, ita tandem terminetur in illos quinque Patriarchas, vt nulla prorsus sit Ecclesia, præsertim Metropolitana & Primatialis, quæ vni ex his quinque non subsit, iure Patriarchali, Patriarchis? Respondeo posse ex actis potissimum Concilij generalis Ephesini, huius quæsiti peti solutionem; quod Nicæni magni, tantæque in Ecclesia autoritatis Concilij, mentem optimè est assecutum, & interpretatum. In Nicæno enim habemus, neminem ex Patriarchis, posse in alterius, non modo Patriarchæ, sed ne Metropolitani quidem Prouinciæ, quicquam suæ potestatis exercere; sed vnamquanque Metropolim, etiamsi non sit Patriarchalis, suis debere frui Priuilegijs; vt capite duodecimo infra explicabo. Si qua igitur Metropolis erat tempore Concilij Nicæni, in quam nullus Patriarcha ius haberet, ea procul dubio nulli subierit Patriarchæ: sed ille Metropolitanus supremus erit absolutè, non minus quam quilibet Patriarcha. Ita, inquam, Concilium Ephesinum declarauit. [b] Primas enim Constantiensis Cypri, de Antiocheno Patriarcha conquestus, quod vellet Cypri Ecclesias, suo Patriarchatui subijcere; cum probasset Antiochenum nunquam quicquam iuris habuisse in Cypri Ecclesias, liber ab ipso Antiocheno, & consequenter ab omni alio Patriarcha declaratus est; ita vt ipsius ordinationem soli peragerent Cypri Episcopi, ipsius suffraganei. Atque hæc ei libertas inde maximè est confirmata, quod Nicænus Canon, vnumquenque Metropolitanum liberum esse velit à Patriarcharum oppressione, qui ad eorum non spectet ordinationem, & extra eorum Patriarchatum sit collocatus. Quod igitur de Cypri Ecclesijs, in hoc Concilio statutum est, vt nulli subsint Patriarchæ; nisi suo proprio Primati Ecclesiæ Constantiensis Episcopi; idem de cæteris quoque iudicium esse debet, quæcunque olim nulli ex his subfuerint Patriarchis. Tales vero erunt Metropoles omnes, quæ neque sunt ex primis magnis trium illarum Patriarchalium primarum sedium Prouincijs auulsæ; neque earum missionibus fundatæ: Sic Aethiopicas Ecclesias nulli horum Patriarcharum subiectas inuenio, sed proprio tantùm Patriarchæ: Sic Persidis, sic Indicas, & E alias extra Romanum Imperium, à viris Apostolicis, & Episcopis, priuata eorundem opera, aut priuatorum Episcoporum missione, Christo acquisitas erectas & constitutas. Talis fuit aliquando etiam Bulgaria; vt propterea tam acris, tamquè molesta, nec breuis fuerit concertatio, inter Romanum pro ipsa, & Constantinopolitanum Patriarchas. Cum enim nuper fidem Christi acceperit, & non ex vllius Patriarchæ missione, ad neutrum spectare debebat. Quia tamen eguit Episcopis eorum ordinatoribus, ijs subijci debuit; siue ij Romani fuerint, siue Græci; de qua consentione aliquid inferius; & postea alijs locis.

XXXIX.

D b Acta Concil. Ephes. append. 1. tom 2. c. 4. edit. Pet.

Imò

XL.

Imo vero etiam Prouinciæ, seu Ecclesiæ, quæ iure aliquo Patriarchali iam suo subiectæ A
sunt aliquo modo Patriarchæ; facile & citra schisma, ab vno Patriarcha ad alium desciuerunt interdum, aut deflexerunt. Cum enim subiectio hæc tota sit puri iuris humani positiui, vt iam est explicatum, dummodo non fiat schisma, sed vnitas Catholica cum tota Ecclesia vniuersali conseruetur, nihil interest sub vno ne, an sub alio Catholico tamen Patriarcha seu Primate, aut Metropolitano, & in vnione totius Catholicæ Ecclesiæ perseuerante, aliqua prouincia seu Ecclesia consistat: vbi præsertim aliqua non irrationabilis adsit causa, vel emergat occasio. Ita Episcopi, imo & plebes, ac Cleri Ecclesiarum, sub Aquilegiensi Metropoli positarum, defectionem à dicta Metropoli minantur, si in illa difficultates aliquas, circa Episcoporum ordinationem reperiant. Sic enim ad Imperatorem Mauritium scribunt: [a] Suggerimus pie dominator, quia tempore ordinationis nostræ, vnusquisque Sacerdos in sancta sede Aquilegiensi cautionem scriptis emittimus studiose, de fide ordinatoris nostri, nos fidem integram sanctæ Reipub. seruaturos: quod ipse nouit Dominus, B
nos fideliter toto corde & seruasse, & hucusque iugiter conseruare. Si conturbatio ista & compulsio, pijs iussionibus vestris remota non fuerit, si quem de nobis, qui nunc esse videmur, defungi contingeret, nullus plebium nostrarum ad ordinationem Aquilegiensis Ecclesiæ, posthac pateretur accedere. Sed quia Galliarum Archiepiscopi vicini sunt, ad ipsorum sine dubio ordinationem accurrent; & dissoluetur Metropolitana Aquilegiensis Ecclesia sub vestro Imperio constituta; per quam, Deo propitio, Ecclesias in gentibus possidet; vt quod ante annos iam fieri cæperat, & in tribus Ecclesijs nostri Concilij, id est Bremensi, Triburiensi, & Augustana, Galliarum Episcopi constituerant Sacerdotes; & nisi eiusdem tunc Diuæ memoriæ Iustiniani Principis iussione commotio partium nostratum remota fuisset, pro nostris iniquitatibus pene omnes Ecclesias ad Aquilegiensem Synodum pertinentes, Galliarum Sacerdotes peruaserant.] Hæc de mutatione Metropolis. C

[a] *Apud Baron. tom. 8. an. 590. num. 42.*

XLI.

De mutatione vero Patriarchæ exemplum habemus, non modo in Bulgaria, pro qua tantopere certatum est, vt patebit inferius; sed etiam in mea Dalmatia; quæ tempore Ioannis 8. posthabito Romano Pontifice, Constantinopolitano adhæserat Patriarchæ. Quia nimirum Græcorum Imperium Dalmatiam quoque tunc obtinebat. Hinc illæ humiles lerme preces, quibus [b] Ioannes Papa Nonensem electum enixe, imo & submisse rogat, vt ab ipso, & non ab alio, hoc est non à Constantinopolitano, accipiat consecrationem. Erad reliquos Dalmatiæ Præsules & Ciuitates scribens monet; [c] Vt more, *inquit*, præcessorum vestrorum, ad sedem B. Petri Apostoli — reuerti studeatis; quatenus inde summi honorem Sacerdotij, & totius institutionis Ecclesiasticæ formam sumatis, vnde parentes, ac præcessores vestros, melliflua sanctæ prædicationis, & doctrinæ Apostolicæ potasse fluenta recolitis. Reminisci namque debetis, quanta eosdem præcessores vestros prospera euidentissime comitabantur, quando ad limina Petri cœlestis Regni clauigeri, deuoto pectore, D
quasi proprij filij confluebant; & quanta postmodum hucusque sustinueritis aduersa, cum ab ea vos, quasi alienos separare non dubitastis. Quapropter vos plurimum diligentes, non ea quæ vestra, sed vos quærentes, paterna benignitate monemus atque hortamur, vt sicut diximus, ad gremium S. Rom. Ecclesiæ matris vestræ, redire omnter attendatis; vt electus à vobis canonice Archiepiscopus, vna cum vestro omnium consensu, & voluntate ad nos veniens, gratiam Episcopalis consecrationis, sacrumque pallium à nobis, more pristino, incunctanter percipiat; vt gratiam & benedictionem sancti Petri, ac nostram habentes, à malis omnibus liberi, & bonis vniuersis repleti, & hic in præsente sæculo gaudeatis, & in futuro cum Domino sine fine procul dubio exultetis. Porrò si aliquid de parte Græcorum, vel Sclauorum, super vestra ad nos reuersione, vel consecratione, aut de pallij perceptione dubitatis, scitote pro certo, quoniam nos, secundum sanctorum Patrum, decessorumque nostrorum Pontificum statuta, vos adiuuare autoritate curabimus.] Sane in disputatione legatorum Romanæ Ecclesiæ, cum Vicarijs Orientalium Patriarcharum pro Bulgaria, potissima ratio Romanorum, quæ secundo loco ponitur, est: [d] Quia, *inquiunt*, Bulgares qui iure gentili sibi patriam subiugantes, eam per tot annos retinent, quod cæperunt sedis Apostolicæ semet patrocinio, ordinationique specialiter committentes, nobis debent nec immerito subijci, quos vltronea voluntate magistros elegere.] Audis in potestate ipsius Nationis fuisse, se cui magis placuerit Patriarchæ subijcere. Hac ratione multæ Ecclesiæ Orientales, vt Dardaniæ & Illyrici, quæ citra controuersiam Constantinopolitano suberant Patriarchæ, occasione hæresum seu schismatum, illo derelicto Romano se subiecerunt. De quibus Hormisda ad Auitum Viennensem sic scribit; [e] Vt autem quæ

[b] *Ioan. 8. ep. 183*

[c] *Idem ep. 190*

[d] *Anastas. in Hadr. 2.*

[e] *Hormis. ep. 10.*

sint

A sint partium earum studia posthabita agnoscere, plures Thracum, licet persequentium incursibus atterantur, in nostra tamen communione persistunt; scientes fieri fidem per aduersa clariorem. Dardania & Illyricus vicina Pannoniæ, à nobis quod iam fecimus vbi necessarium fuit, vt sibi Episcopi ordinarentur experijt. Iu tantum se à consortio perditorum separare gaudentes, vt remedia quærerent, dummodo commune cum transgressoribus nil haberent.] Communionem tantùm cum Ecclesia Romana quærere, & obtinere, non est se ei subijcere; sed tantùm cum illa coniungi, & illi in vnitate Catholica vniri, & sociari. At verò etiam ordinationem ab illa expetere, est prorsus ei se iure primatiali, seu Patriarchali supponere: iam enim ostendi primam, & maximam Patriarcharum potestatem esse circa ordinationes. Nota Papã approbare, si proprius Patriarcha, ex causa purioris fidei, deiecatur.

Habeant igitur singulæ Ecclesiæ proprium Episcopum Catholicum, fide & charitate XLII.
B cum vniuerso Catholicorum Episcoporum cœtu, & consequenter cum tota Ecclesia Catholica colligatum, & ipsæ cum eadem sint colligatæ; & hoc eis ad salutem æternam est necessarium. De Patriarcha non est cur sint admodum solicitæ, siue vni, siue alteri, siue etiam ex illis quinque nulli subsint. Habere enim vnum ex his Patriarchis sibi prælatum, non est de necessitate salutis, vt iam vidimus. Prima enim horum Patriarcharum institutio fuit tota Ecclesiastica, solius consuetudinis, & iuris positiui, ad confusiones regiminis Ecclesiastici euitandas; & essentialiter verè, ac propriè Patriarcha aliud non est ex primæuo ortu suo, nisi Metropolitanus. Ac propterea modò Prouinciæ omnes Christianæ suum quæque habeant Metropolitanum, & ad summum Primatem, toti penitus regiminis Ecclesiastici necessitati plenissimè occurritur; ita vt neque ad ordinis hierarchici dispositionem Patriarcha sit absolutè necessarius: & iam ostendimus in Ecclesia Catholica fuisse, & esse
C prouincias, quæ nulli subsint ex his magnis Patriarchis. Vidit profectò ipsa sancta Ecclesia hanc primorum, & supremorum Patriarcharum paucitatem, & incommodam esse ipsimet Ecclesiastico regimini, & etiam perniciosam: incommodam quidem, quia in nimis magnis, nimiumque patentibus regionibus, & à se remotissimis, vnus Patriarcha, in ijs quæ ad patriarchalem spectant superintendentiam, commodè non potest satisfacere; ideoque sicut initio in ipsa infantia conualescentis Ecclesiæ, non vnum, sed tres, vt vidimus, sunt instituti: ita subsequentibus temporibus additi sunt duo, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus. Perniciosam verò quia illi inter se de primatu digladiari cœperunt, vt se ad Monarchiam reducerent, quam semper & Christus à sua Ecclesia, vt iam docui, amouit; & ipsa Ecclesia est abominata: ac propterea adeò laborauit tum in Concilio Nicæno, tum etiam in primo Constantinopolitano, vt Patriarchas ipsos ad suos limites reuocaret, & intra eos
D eosdem contineret. XLIX

Idem porrò incommodum eandemq; perniciem cum nostris temporibus vel maximè tota nostra Ecclesia Occidentalis pariatur, cuius cùm vnicus fuerit Patriarcha, ad absolutam XLIII.
tyrannidem ille peruenit, cum tanto damno, tanta ignominia, tanta confusione Ecclesiasticæ Reipub. tantaque rerum omnium, & diuinarum, & humanarum perturbatione; profectò nullum dubium est nunc longè maiorem esse & opportunitatem, & necessitatem, quam olim fuerit, aut saltem nihil minorem, vt subtractis aliquot Prouincijs huic nimium magno Patriarchæ Romano, alij Patriarchæ veri, re & nomine, non solo nomine, vt iam vocantur aliqui, multiplicentur. Atque hoc pacto per Synodos nationales ipsi Patriarchæ instituantur, pro suo iure, & plena potestate Ecclesiastica, quam habent ipsæ Synodi. Licuit profectò Cypro sub solo suo Constantiensi Primate esse, nulliquo subdi ex primis huius Patriarchis; licuit Persidi, Aethiopiæ, Indis, & tot alijs extra Romanum Imperium Ecclesijs,
E non esse sub vllo ex his Patriarchis, sed proprios habere; licuit Bulgariæ, Dalmatiæ, Dardaniæ, Illyrico, vt iam ostendi, subtrahere se suo Patriarchæ ex causa legitima, & alteri intra tantùm Patriarchali se subijcere: (qui enim suo dimisso Constantinopolitano adhæserunt Romano, non nisi tanquam Patriarchæ, & in ijs solis in quibus Constantinopolitano subijciebantur, se ei subtmiserunt: mutârunt Patriarcham, non Papam vniuersalem acceperunt, sicut nec Papam vniuersalem suum priorem Patriarcham agnoscebant.) Licuit eodem pacto nostris diebus, Ruthenis aliquot Episcopis, eodem Constantinopolitano derelicto, Romanum amplecti, de quibus agam libro quarto, cap. 10. num. 69. 71. Licuit similiter nostro sæculo Moscouensi Archiepiscopo, Russiæ Primati, à Constantinopolitano, cui olim subijciebatur, se liberare, & independentem se efficere illius regionis Primatem, qui à suis duntaxat consecretur Metropolitanis, quod est esse plenè Patriarcham; Cur non idem licebit nunc multis regnis Christianis, siue alteri se subijcere, quem vicinum, & commodum

dum habeant; siue si neque commodum neque vicinum habeant, vnum ex proprijs assumere, eumque Patriarcham sibi plenè præficere? Sic commodè admodum & opportunè posset tota Ecclesia Gallicana suum Primatem Lugdunensem, aliumue, plenè Patriarcham summum agnoscere: Sic Hispaniæ Toletanum: Sic Anglia, Scotia, & Hibernia Cantuariensem: sic Germania Moguntinum, vel alium: sic Hungaria, Croatia, Sclauonia, Bosina, Strigoniensem: sic Polonia, Liuonia, Russia, &c. Vilnensem, siue alium: sic Dalmatia & Histria Venetum: sic Venetorum ditio in Italia Aquilegiensem: sic ducatus Mediolanensis, & Pedemontana regio, ac Rhœtij Mediolanensem: Reliqua Italia, & Sicilia, Corsica, atque Sardinia Romanum; & sic de alijs. A

XLIV. Hinc summa oriretur Ecclesiarum pax & vnio, ciuilium quoque Rerumpublicarum, & Regnorum quies, & vtilitas incredibilis; non exhaurirentur pecunijs regna; proprij & natiui pastores Ecclesias regerent, & beneficia Ecclesiastica filij proprij, & non exteri possiderent; fidelitas Ecclesiasticorum suo, & non alieno Principi tota inseruiret; & ipsimet Christiani Principes, monstrosi illius Papatus, iam ipsis quoque facti tremendi, iugum excuterent: Ecclesiæ reformatæ, depositio hinc omni Papatus timore, regimen per Episcopos, & ritus multos puros & pios, cum fructu incredibili fidelium plebium, & maximo reformationis incremento, reuocarent: Ecclesia verò vniuersalis in fide, religione, pietate, & summa vnione egregie floreret, & ad primarium statum reduceretur, quando illa erat Episcopatus vnus, concordi Episcoporum numerositate diffusus, cuius quisque in solidum suam partem teneret, & gubernaret. Falsum enim est vnionem Ecclesiæ Catholicæ in vnitate Rectoris visibilis consistere. Vna enim Ecclesia est (vt ostendi in præcedentibus, & ostendam in sequentibus) per concordiam dogmatum & fidei, per charitatem inter omnes Episcopos, & per eandem pietatis professionem. Atque hoc est de necessitate salutis, vt nimirum Episcopi omnes cum suo Metropolitano, Metropolitani omnes & cum suis Episcopis, & inter se, & cum suo Primate, hoc est Patriarcha: & Patriarchæ omnes inter se, & cum omnibus Metropolitanis, & Episcopis, in fundamentali fide, & religionis Catholicæ puritate plenè consentiant; cum perfecta inter ipsos, & cum tota Ecclesia vniuersali communione: Et consequenter de necessitate salutis est, vt vnaquæque Ecclesia cum Patriarchis omnibus Catholicis, & Ecclesiæ Catholicæ vnitis plenè communicent. Subdere verò se iurisdictioni alicuius ex his quinque Patriarchis summis, qui nunc sunt, non est de necessitate salutis, vt est ostensum: imo neque de necessitate recti ordinis, qui multo rectior esset si vnumquodq; Regnum suum haberet proprium intra se plenum Patriarcham, vt monebam. B C

XLV. Quis verò est Patriarcharum ordinator? Si ambitio nimia, & cupido dominandi Patriarchas aliquos interdum transuersos non egisset, frustra id nunc quærerem. De ordinationibus enim, & electionibus omnium Episcoporum, regulæ generales sunt iam a me propositæ, & expositæ. Docuiq; Metropolitanos omnes ordinario iure à suis Episcopis, post legitimam Cleri, & plebis electionem, ordinari. Hæc verò regula maximè in Patriarcharum electione locum habet, qui supra se, neque Metropolitanos cognoscunt, neque Patriarchas. Alexandrinum quidem, Antiochenum, & Hierosolymitanum, constat passim in historijs, & Concilijs, à suis Episcopis præsertim Metropolitanis, ne magna Episcoporum aliorum turba concurrat, fuisse ordinarie consecratos; neque vllum certum & determinatum, quod viderim, habuerunt consecratorem. Sane de Alexandrino in specie, Aegyptij Episcopi ad Leonem Imperatorem scribunt; [a] Sanctis Patrum regulis præcipi, & antiqua consuetudine Aegypti tradi, omnem Synodum orthodoxam illũ elegere, & sedi Marci præficere.] Sane Romani tamen Patriarchæ consecratorem, sed post legitimam electionem, ex consuetudine antiqua, inuenio esse de proximo Episcopum Ostiensem, non sine aliorum circumuicinorum Episcoporum concursu, idque fatetur Augustinus, supra cap. 5. num. 7. & liber de Romanis Pontificibus in Marco primo. Similiter ordinarium consecratorem Constantinopolitani, inuenio olim fuisse Episcopum [b] Heracleensem, cum alijs tamen circumuicinis. Id verò consuetudine introductum esse quis dubitet, Synodis etiam ipsis propriarum Prouinciarum id approbantibus, ad dissensiones euitandas; ne prò hac re inter se Episcopi decertarent? Et qui ordinant plene & proprio iure Patriarcham; ijdem etiam illum deponunt ex causa; vel vt intrusum expellunt, vt dicetur l. 8. & patet ex facto [c] Alexij Patriarchæ Constantipolitani. Qui Metropolitanis ad ipsius depositionem coniurantibus, non negauit eos hanc habere potestatem; sed callide ab hac eos dimouit cogitatione, obiectans prius esse abdicãdos multos ex ipsis quos ipse cõsecrarat; D E

a Post Concil. Chalced.

b Baron. to. 3. an. 306. n. 31.

c Apud Baron. tom. 11. an. 10. num. 4.

A rat; & Imperatores quos coronauerat anathematizandos, si ipse fuerit in eam sedē intrusus.

Inuasit tamen aliquando Alexandrinum Patriarcham illa ambitio, vt ipse tanquam primus Orientis, ex antiquo iure Patriarcha; primum ex priuilegio, nimirum Constantinopolitanum consecraret. Quia enim in odium Gregorij Nazianzeni, ad Episcopatum Constantinopolitanum postulati, Petrus Alexandrinus, cum suis Aegyptijs Episcopis seditiose Maximum Cynicum ordinarat; hoc malo exemplo postea etiam, exautorato per Concilium primum Constantinopolitanum Cynico, Aegyptij ius sibi acquirere conati sunt huius consecrationis. Nam, vt rursus impedirent eundem Gregorium; iam ipsis absentibus in ea sede per Synodum, actore potissimum Meletio Antiocheno, collocatum; eius promotionem, vt illegitime factam cæperunt arguere; siquidem [a] Timotheus Alexandrinus id ad se spectare contendebat; eo quòd & Petrus præcessor eius Maximum ordinasset: & B tantum effecerunt suis turbis, vt Gregorius se sponte abdicare tandem statuerit. Ac paulò post, mortuo Nectario, qui Gregorio fuit subrogatus; [b] Theophilus Alexandrinus, vt Isidorus ei succederet, plurimum laborauit; vicerunt tamen illi, qui Ioannem Chrysostomum in illo throno videre cupiebant. Sed hi omnes fuerunt conatus ambitionis; non iuris vllius executio; ideoque nihil tandem obtinuerunt. [c] Mennas quoque postea ab Agapeto Romano fuit in Patriarcham Constantinopolitanum consecratus; sed id honoris ei præsenti Episcopi, legitimi consecratores, tribuere voluerunt: sed non propterea Romani Pontifices, post ipsum, vllum Constantinopolitani Episcopi consecrandi ius prętenderunt.

XLVI.

a *Baron. tom. 4. an. 381. n. 53.*

b *Socr. l. 6. c. 2. Sozom. l. 8. c. 2. & Palad. in vit. Chrysost.*

c *Synod. Constantin. sub Menna. & Agapet. ep. 5.*

Sed & Constantinopolitanus Antiocheni ordinationem sibi arrogare interdum non dubitauit. Quid enim, & quam male attentarit Anatolius, habemus ex Leone, acriter factum arguente. Sic enim ad eundem scribit Anatolium: [d] Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia (*quia* [e] *à Dioscoro hæretico in locum Flauiani perperam depositi suffectus est*) post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicænorum Canonum constitutiones conareris infringere, &c.] Statimque in priuilegium nuper Constantinopolitanæ sedi, in Concilio Chalcedonensi, autore vt putat ipso Anatolio confirmati, quo Romanæ sedi Constantinopolitana æquatur, vehementiori declamatione Leo digreditur. Succensebat enim satis iusto vehementiùs, quod ipse Constantinopolitanus Anatolius Antiochenum ordinasset, quia videlicet tali ordinatione putabat Anatolium suum Primatum nuper confirmatum voluisse exercere. Replicat easdem querelas ad Martianum Imperatorem, & ad finem de hac ordinatione Antiocheni hæc habet. [f] Consulat paci (*Anatolius*) neque sibi æstimet licuisse quod Antiochenum, sine vllo exemplo, contra statuta Canonum, Episcopum ordinare præsumpsit.] Non erat tamen cur ex hac ordinatione semel tantùm, & incidenter, ex occasione ferè necessaria facta, Leo tantopere excandesceret. Ordinare enim Patriarcham, non supponit necessario in ordinatore superioritatem, ac prælationem; nam & Heracleensis ordinat, seu consecrat nomine Synodi, vt dixi, Constantinopolitanum; & Ostiensis Romanum; neque in hoc Nicæni, aut vlli alij Canones violantur; modo ordinator non subijciat sibi ordinatum: neque per actum ordinationis, ordinator prætendat Ecclesiam illam esse suæ Diœcesi subiectam. At nullus Patriarcha, alium Patriarcham consecrando, prætendit illum expatriarchare, & sibi subijcere; neque vnquam Constantinopolitanus Patriarcha in animo habuit, suo Patriarchatu alios destruere, & absorbere; sed ad priuilegia Patriarchalia aspiranit, Romanę Ecclesiæ priuilegijs persimillima. Quæ verò illa sint, Theodorus Balsamon explicat, producto [g] edicto donationis Constantini: & sunt pure humana, non propriè Ecclesiastica; vt Lib. 4. explicabo; (in quo de Cardinalibus quoque commodius erit agendum; sunt enim Cardinales Romanæ Ecclesiæ Clerus: ne mireris igitur quod ipsis in Hierarchia Ecclesiastica E locum peculiarem non dederim; soli enim Episcopi eam quam hoc libro consideraui Hierarchiam conficiunt, vt est ostensum.) Solo quoque loco Constantinopolitanus, & dignitate ac præcedentia, non dominio, aut iurisdictione in alios, post Romanum, supra Patriarchas Orientales vt collocaretur obtinuit. Hoc verò non est alienam Parochiam inuadere; sed ad parem honorem euehi; saluo tamen aliarum sedium proprio honore. Et in hoc non tam Patriarchæ ipsi Antiocheno, eiusq; iuribus Patriarchalibus; quàm Episcopis illius Prouinciæ facta fuit aliqua iniuria, quos Nicæni Canones faciunt ordinarios sui Primatis ordinatores; alieni verò Episcopi non debent alienæ Prouinciæ Episcopum ordinare; nisi vocati id faciant, & rogati. De euectione Cathedræ Constantinopolitanæ ad priuilegia Patriarchalia, agam pluribus, lib. 4. cap. 4.

XLVII.

d *Leo ep. 56.*

e *Liberat. Brev. c. 22. & Euagr. l. 2. c. 10.*

f *Leo ep. 57.*

g *Balsam. in Nomocan. Photii. tit. 8. c. 1.*

XLVIII. Anatolium imitatus postea Acacius, eiusdem sedis Constantinopolitanæ Episcopus; & ipse rursus ordinationem Antiocheni sibi assumpsit Patriarchæ: & quamuis ex legitima causa id Imperator Zeno ita fieri iusserit, ad vitandas dissensiones, & turbas Antiochenas; non ad vsurpandum ius alienum; Simplicius tamen id ægre tulit, tanquam contra canones factum; qui iubent vt Primates à proprijs Episcopis ordinentur; cauitque diligentius, ne id ab alijs traheretur in exemplum; scribitque hoc pacto ad Zenonem: [a] Et quoniam seditiones Antiochenas, religiosissimo proposito sedandas, non aliter existimastis, nisi præter præiudicium venerandi illius Concilij Nicæni, apud Constantinopolim, ijsdem petentibus ordinaretur Antistes; quod in eius tantummodo persona sic memoratis assumptum, vt deinceps, secundum definitiones Patrum, Orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis reseruetur; nec haberi loco vltis iniuriæ, quod dilensionis gratia factum est auferendæ. Tenet hanc pietatis vestræ B. Petrus Apostolus sponsionem; & Christianissimi, fidelissimique Principis mentem in hæc verba turasse, quod posthac in Antiochena Vrbe, veteri more seruato, à comprouincialibus suis Episcopis ordinetur; ne quod nunc fratet & Coepiscopus meus Acacius, nobis est iubentibus executus, in vsum posteritatis veniat; & statuta Patrum, quæ præcipue præstastis, illæsa confundat. Vnde quæ à vobis amore quietis sanctè & religiosè sunt ordinata, reprobare non possumus: ne status Antiochenæ Ecclesiæ sub nostra dubitatione videatur ambiguus; præcipue cum is qui legitur ordinatus, testimonio Clementiæ vestræ, & tanta sit prædicatione subnixus, vt in eo, præter horum vulnerum dolorem, posito, possimus, & Ecclesiæ quæ illum meruit gloriari.]

[a] Simp. ep. 13.

XLIX. Ad Acacium quoq; ipsum ita scripsit: [b] Quamuis proficeret ad quietē, quod Christianissimj Principis iussione, vel sine præiudicio canonum, à tua charitate fuerit Antiochenus Episcopus ordinatus; tamen non est sine inuidia factum, cuius cauendum deinceps etiam ille testatur, qui præcepit, exemplum. In quo pietati eius gratias dignum est nos referre, quoniam ita gloriæ suæ moderatus est potestatem, vt fidelissima deuotione Patrum regulis submitteret quæ iuberet; nec in autoritatem recipi, quod sequenti constituit ætate prohiberi; vt scilicet in hac tantummodo persona, quam iussu eius, & studio quietis Antiochensibus, non tua vsurpatione Antistitem consecrasti; quod factum est necessitate sufficeret. In quo tuæ dilectionis non irrationabilem cognoscimus fuisse famulatum; quia Ecclesiarum iura respiciens, diu te non immerito suspendisse testaris, ne videreris ambire, quod tanto Principi, & in tam graui causa non poteras abnegare. Quapropter, frater carissime, institutorum veterum, quæ in te sunt probata, non immemor; sicut veniale iudicare non peruides, quod tibi certum est imperatum; ita ipse dans honorem patribus, labora, ne necessitas sit vlla faciendi, quod optas nunc satisfactione purgari.] Ordinatio itaque Patriarcharum ad Episcopos præsertim Metropolitanos, illius Patriarchatus, & sane ad viciniores spectat; & Patriarcham à Patriarcha ordinari non est necesse. Imo hoc cauendum esse vidimus; quod periculum immineret ne Patriarcham ordinans, sibi talis ordinationis prætextu subiectum faceret illum quem ordinat. Et nullus Patriarcha, ex Canone Nicæno, ius vllum habet in alium Patriarchatum.

[b] Idem Simpl. ep. 15.

L. Placet hic ad finem huius capitis, Innocentij tertij confessionem addere; qui ait in rescripto quodam ad Archiepiscopum Tyrensem: [c] Volentes igitur tibi super grauaminibus prouidere prædictis, & consultationibus tuis, quod Canones sanciunt respondere; cum sit in Canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas, nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum Canones sacri concedunt, & prisca consuetudo illis contulit ab antiquo; ita vt, secundum Nicænas regulas, sua priuilegia seruentur Ecclesijs, præterquam si Apostolica sedes aliquam Ecclesiam, vel Rectorem ipsius, quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare; de fratrum nostrorum consilio respondemus; quod quandiu Clerici tui coram te voluerint stare iuri, compelli non debent iudicium eiusdem Patriarchæ subire; nisi causa forsitan per appellationem ad eius audientiam perferatur; aut (quod non credimus) aliquid ei à sede Apostolica sit indultum.] Applaudat sibi quantum vult Innocentius, & excipiat suam sedem, nihil refert. Quod enim de Patriarchalibus sedibus in genere protulit; id de omnibus, etiam de Romana verissimum est; quam à sacris Canonibus, & sanctis Patribus nunquam exceptam reperies; sed ex æquo cum alijs inclusam; ijsdemque obligatam legibus, & decretis.

[c] Innocent. 3. l. 1. ep. 516.

CAP.

A

CAP. XI.

Pallium quibus, à quo, & ad quid detur.

SVMMA CAPITIS.

Pallium quid conferat, aut in se contineat potestatis, n. 1. Origo Pallij, nu. 2.
Eius antiquitas adducitur, cum continuata successione, à nu. 3. ad 18. Leges à Romanis Pontificibus ijs qui accipiunt Pallium præscriptæ, à num. 19. ad num. 24. quæsitis præcipuis circa institutionem Pallij, ipsiusq. potestatem fit satis, num. 25.
B *A quo debeat peti, & dari Pallium, à num. 26. ad 30. Obiectiones soluuntur, num. 31. 32 33.*
Dubium ex potestate dandi Pallium Metropolitanis, mouetur, & soluitur, num 34. 35.

I.

POtestas tota Ecclesiastica, quæcunque in Rectoribus Ecclesiæ Christi Ministris inuenitur; alia tandem non est, nisi potestas Apostolica, & Episcopalis: siue simplicem Episcopum accipias, siue Metropolitanum, siue Primatem, siue demum Patriarcham. Hos enim gradus solo iure Ecclesiastico distinximus. Nam exercitium potestatis Episcopalis, quæ de se est vniuersalis, nulli certo loco, nulli certo gregi alligata, ad vitandam confusionem in Ecclesia, per eandem Ecclesiam restrictum est, & varijs modis regulatum. Pri-
C mum enim exercitium hoc quoad presbyterales aliquas potestates Presbyteris est restrictum, & plenius datum est Episcopis; deinde restrictum in Episcopis, vt non nisi certo loco, & in certo grege, ac populo Episcopalia gerant munera; tum verò, quoad ordinationes, & correctiones Episcoporum, restricta est potestas in singulis, ita tamen vt maneat in Comprouincialibus vniuersis: & ab his in vnicum coniecta est Metropolitanum; aliqua tamen, sed valdè pauca, Primatibus, & Patriarchis sunt reseruata; vt est à me iam planè explicatum, & vlterius libro quarto explicabitur. Cùm verò potestas ipsa Episcopalis, à Deo sit vniuersa, & non ab homine, nisi ministerialiter; quatenus ab homine fit electio, & deputatio personarum; planum est ista pallia nihil potestatis tribuere Metropolitanis; qui in sua legitima ordinatione, etiam sine pallio, totam quam habent, consequuntur à Deo potestatem. Si quid ergo operatur Pallium, id signum tantùm erit legitimæ ordinationis, & ritè factæ deputationis, ac missionis; solaque humana inuentione peculiare hoc pallij indumentum, est
D Metropolitanis attributum; soloque iure humano Ecclesiastico, Pallium si quid dat, dat potius exercitium legitimum potestatis; quam potestatem: eodemque solo iure Ecclesiastico impediri videtur Metropolitanis, & vetari exercitium suorum propriorum munerum Metropoliticorum, saltem aliquorum, nisi prius pallium sint consecuti.

II.

Quando verò, à quo, & quomodo, & cur, hic vsus Pallij incœperit, fateor me reperire non potuisse. Si Decretum illud Donationis Constantini, quod circunfertur, fide certa subsisteret, Pallij Episcopalis originem facilè à Constantini dono incœpisse probaremus. In eo enim Decreto sic legimus: [a] Ad hæc autem decreuimus, vt ipse etiam pius ac religiosus sanctus Pater noster Syluester, magnus Episcopus, & omnes eius successores Episcopi ferant Diadema, seu coronam quam ei tradidimus ex capite nostro, ex auro puro, & margaritis inæstimabilibus; & vt ea vtantur in capitibus suis ad laudem Dei, & honorem sancti,
E & Principis Apostoli. Ipse autem B. Papa Syluester, supra coronam, seu tonsuram quam habuit ad honorem Dei, & sancti Petri, noluit ferre coronam ex auro, vel margaritis: Nos autem, quia sanctus Syluester noluit ex auro coronam, splendidissimum phrygium lorum, quod sanctam Resurrectionem significat, eius sancto capiti, propriis manibus imposuimus: & tenentes frænum equi eius, propter venerationem, & reuerentiam S. Petri, Stratoris officio functi sumus; decernentes, vt omnes eius successores, Phrygio vtantur loro in processionibus, ad imitationem Imperij.] Siue vt alia lectio habet; [b] Beato Syluestro Patri nostro, —de præsenti contradimus Palatium Imperij nostri Lateranense, deinde Diadema, videlicet coronam capitis nostri; simulque phrygium; nec non & superhumerale, videlicet lorum quod Imperiale circundare assolet collum.] Quæ sane est plena ferme descriptio Pallij Archiepiscopalis, sub Phrygij, seu Lori nomine. Et quamuis decretum illud

a *Apud Balsam. in Nicænos Photij tit. 8. c. 1.*

b *Dist. 96 c. Constantinus.*

lud quoad multa sit fabulosum, vt libro sexto ostendam; quod tamen spectat ad quædam donaria, & ornamenta, non videtur omnino contemnendum. Sane in Anthimi Constantinopolitani depositione legimus, illum, [a] Vt vidit se sede pulsum, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidisse. Ex quo videtur posse colligi illud imperiale munus fuisse. Et Gregorius ab Imperatore petit, vt Anastasium Patriarcham Antiochenum sibi hospitem concedat; permittatque vt idem missarum solemnia, cum vsu pallij, possit simul cum ipso celebrare; [b] Præterea indico, *inquit*, suggestionem me apud pijssimos Dominos summis precibus plenam feciisse, vt virum beatissimum Dominum Anastasium Patriarcham, concesso vsu pallij, ad Beati Petri Apostolorum Principis limina, mecum celebraturum solennia missarum, transmittere debuissent; quatenus si ei ad sedem suam minime reuerti liceret, saltem mecum in honore suo viueret.] Potest ergo etiam Primas, & Patriarcha, qui ex iniusta persecutione, aliaue legitima causa, suam relinquit Ecclesiam, apud alios in honore suo viuere.

a *Liberat. Breuiar. c.22.*

b *Greg. l.1. ep.27.*

A

B

III. Pariter etiam, si liber de Romanis Pontificibus sæpius fide non mutaret, pallij vsum, adhuc viuente Constantino, vt iam consuetum haberemus; is enim de Marco primo habet: [c] Hic constituit vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopos Vrbis, tunc pallio vteretur; & ab eodem Vrbis Episcopo consecraretur.] Fertur etiam de Cælestino, cum ad Cyrillum Alexandrinum misisse Phrygium, quod pallium fuisse [d] Baronius explicat. Sed Nicephorus hanc fuisse [e] mitram asserit: Et Theodorus Balsamon, ex quo sumpsit Baronius, Phrygium hoc, capitis facit ornamentum. [f] Qui ex edicto illo Constantinanæ donationis, Papam Romanum ius habere ait, vt in Processionibus, & Diuinis mysterijs Regio loro caput eius tegatur; illudque mox subdit: Huius quoque temporis Patriarcha Alexandrinus, ex præsenti edicto ius habet, vt cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem Sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cœlestino; quando fuit Ephesina Synodus aduersus Nestorium. Cum non posset Cœlestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium, visum est vt Sancto Cyrillo à Cœlestino permitteretur huic Synodo præsidere. Vt itaque constaret eum habere ius & autoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnauit Nestorium. Ab eo ergo tempore cum eodem Phrygio sacrificant, & præsident Patriarchæ Alexandrini, & non verentur reprehendi.] Hæc Balsamon. Si quid ergo Cœlestinus misit Cyrillo, id propriè pallium non fuit; neque vllius potestatis nouæ collatiuum; sed merum ornamentum, quo postea Alexandrini vsi sint Pontifices. At quis dicet potestatem legationis, in Synodo Ephesina particulariter exercendam, in Nestorij condemnatione, ad successores etiam propagari? Ideoque Baronius ipse nihil præterea tunc concessum esse Cyrillo illo pallio, seu Phrygio, quam concedi soleat ijs, quibus creditur Vicaria Præfectura, vel legatio à latere, existimat. De hac tamen Cyrilli legatione agam postea lib. 7.

c *Lib. de Rom. Pont. in Marco primo.*

d *Baron. tom. 5. an. 430. n. 26.*

e *Nicephor. l. 14. c. 34.*

f *Balsam. vbi sup.*

C

D

IV. Antiquam præterea pallij huius mentionẽ haberemus à temporibus Valentiniani Imperatoris; si priuilegium quoddam Ecclesiæ Rauennatis, in Rauennæ Historijs contentum, suspectum non haberet Baronius; in eo enim Valentinianus concedit [g] Rauennati Episcopo, inter alia, ob decorem Apostolicæ dignitatis, honorem pallij; & omnis Pontificalis decoris vsum, sicut cæteri — fruuntur Metropolitæ.] Ea verò visa est Baronio impostura, eo quod Romani Pontificis, non Laici Imperatoris sit, inquit, pallium concedere. Quid si, vt supra innuebam, id fuerat munus Imperiale? Ego tamen priuilegium hoc defendi adhuc posse, & ab obiectis vindicari, ostendam postea lib. 6.

g *Apud Baron. to. 5. an. 432. n. 91.*

V. Isidem Valentiniani temporibus, Isidorus Peluſiota, mysteria huius Episcopalis Pallij explicabat, illis verbis: [h] Id autem amiculum, quod Sacerdos humeris gestat; atque ex lana & lino contextum est; ouis illius, quam Dominus oberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.] Hinc videmur posse colligere, fuisse id omnium Episcoporum proprium amiculum; & non Patriarcharum tantum, siue Metropolitanorum. Nam etiam hodie in Orientali Ecclesia (quod mihi Græci Episcopi affirmarunt, & fatetur Luitprandus infra num. 31.) omnes Episcopi hoc pallio vtuntur, & iamdiu sunt vsi. Eadem mystica pallij explicatione, vsus est etiam Clemens 2. dum Pallium concedit Salernitano.

h *Isid. Pelus. l. 1. ep. 136.*

E

i *Apud Baron. to. 11. an. 1047. n. 12.*

Amalarius verò Fortunatus, Episcopus Treuirensis, aliam affert mysticam pallij significationem. VI. [k] Pallium, *inquit*, Archiepiscoporum, super omnia indumenta est, vt lamina in

k *Amal. de Eccl. offic. l. 2. c. 23.*

A in fronte solius Pontificis. Illo discernitur Archiepiscopus à cæteris Episcopis. Pallium significat torquem, quem solebant legitimè certantes accipere. Quo dono admonentur cæteri ad legitimum certamen, quod habet duas lineas, à summo vsque deorsum, ante & retro: Significat enim summæ doctrinæ decorem, per disciplinam mandatorum Domini acceptabilem. Circulus circa collum, disciplina est Domini circa sermonem prædicationis; vt non sit alter sermo prædicationis, & aliud opus, dicente Paulo; Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Quod ita Ambrosius in tractatu Epistolæ ad Corinthios: Vituperatur enim ministerium ipsorum, si ea quæ verbis docebant, operibus suis vt fierent, exempla non darent. Mandata veteris Testamenti à principio Geneseos, vsque in finem, in humerali linea, operando & docendo, portet Pontifex in pectorali: Noui à primitiua Ecclesia vsque in finem. De torque dicebat Salo-
B mon in Parabolis, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Quod ita Beda in eodem. Mos apud veteres fuit, vt legitimè certantes coronam in capite, torquem in collo acciperent: Et nobis ergo, si disciplinam conditoris nostri, si gratiæ matris sera custodimus, maior inde virtutum spiritalium claritas augetur. Additur gratia capiti, cum caritas quę principale mentis ornabat, ardentiùs inflammatur. Additur & collo torques, cum fulgore perfectæ operationis, sermo prædicationis, qui per collum procedit confirmatur: Ac ne contemni ab auditoribus debeat, indeficienti virtutum connexione ducitur. Sed & eis, qui Mosaicæ legis decreta Domino veniente seruabant, addita est gratia noui Testamenti, cum spe regni Cœlestis; cuius splendor, eximius, ad exemplum coronæ, vel torquis, nullo vnquam fine claudetur.] Explicatio tamen hæc, sicut & præcedens, nihil speciale continet, quo pallium sit tantum Archiepiscoporum, sed in omnes prorsus quadrat Episcopos, imò etiam Presbyteros.

C De Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani miraculosa electione, habetur historia seu Legenda; in qua illud legimus: [a] Precibus ac manu, & diuinis ac venerandis oraculis consecratur; sancto inungitur spiritu, vel potius sanctificatus ipse, vicissim præsentes omnes Pontifices sanctificat: ouis errantis typum super humeros tollit, in sedem sublimem ascendit &c.] Hic iuxta Isidori interpretationem, alluditur ad Pallium.

VII.

a *Apud Sur. die 6. Apr.*

Liberatus Diaconus scribit: [b] Consuetudinẽ Alexandriæ esse, illum Patriarchã, qui defuncto succedit, excubias supra defuncti corpus agere; manumq; dexterã eius capiti suo imponere; & sepulto manibus suis accipere collo suo B. Marci pallũ, & tunc legitimè sedere.]

VIII.

b *Liberat. Breuiar. c. 20.*

Iustinianus Imperator, primam suam Iustinianam erexerat in Metropolim; ac proinde, eo petente, [c] Vigilius Papa decernit, vt eius Episcopus pallio ornaretur. Et de Pallio huius Episcopi testimonium habemus etiam apud [d] Gregorium.

IX.

c *Nouel. 131. c. 3*
d *Lib. 4. Ind. 13. ep. 15.*

Sepaudo Arelatensi, Pelagius concedit pallium: [e] Vsum quoque pallij tibi alacriter, *inquit*, affectuoseque concedimus; pariter etiam pallium dirigentes, vt in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoq; habitu decoreris: scituras omnibus Ecclesiastici gradus hominibus, nullam haberi licentiam, sine formata tuæ caritatis, ex quacunque Galliarum parte, longiores petere regiones: ne prohibita præsumentes, ipsi se proprio priuare videantur officio.] Mira pallij potestas, vt Ecclesiastici totius regni, ad longinqua non possint, absque formatis illius Episcopi, qui hoc pallio decoratur, commeare.

X.

e *Apud Baron. tom. 7. an. 556. nu. 19.*

D

Gregorius verò, & antiquum esse pallij vsum in Archiepiscopis; & eo potestatem tribui tantam affirmat, vt legati à latere locũ habere non possint suæ potestatis exercendæ, vbi Episcopus adsit pallio decoratus. Ita enim Augustino suo legato rescribit; [f] In Galliarum Episcopos nullam tibi autoritatem tribuimus; quia ab antiquis prædecessorum meorũ temporibus, pallium Arelatensis Episcopus accepit; quem nos priuare autoritate præcepta minimè debemus &c.] Idem, [g] Prisca consuetudo, *inquit*, obtinuit vt honor pallij, nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti, dari non debeat.] Idem verò frequens est in

XI.

f *15. q. 2. c. In Galliarum.*

g *Dist. 100. c. 2*

E concedendo pallio non modo suis Metropolitanis occidentalibus, vt habes dist. 100. c. 5. 6. 8. 9. 10. 11. sed etiam Episcopo Corinthiorũ; [h] Pallium, *inquit*, sicut per Epistolã vestram, quam per Andream, & Coepiscopum nostrum suscepimus, postulastis, direximus; quo ita vos, vt necesse est, sicut prædecessores vestri vsi, concedentibus nostris prædecessoribus, approbantur.] Cui & illud addit: Nouit autem fraternitas vestra, quia prius pallium, nisi dato commodo non dabatur; quod quoniam incongruum erat, facto Concilio, ante corpus B. Petri Apostolorum Principis, tam de hoc, quam de ordinationibus aliquid accipere, sub districta interdictione vetuimus.] Et Salonitano [i] minatur Pallij ablationem, à sua sede Apostolica concessi.

h *Greg. l. 4. ind. 13. ep. 55.*

i *Dist. 74. c. Honoratum.*

lud quoad multa sit fabulosum, vt libro sexto ostendam; quod tamen spectat ad quædam donaria, & ornamenta, non videtur omnino contemnendum. Sane in Anthimi Constantinopolitani depositione legimus, illum, [a] Vt vidit se sede pulsum, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidisse. Ex quo videtur posse colligi illud imperiale munus fuisse. Et Gregorius ab Imperatore petit, vt Anastasium Patriarcham Antiochenum sibi hospitem concedat; permittatque vt idem missarum solemnia, cum vsu pallij, posset simul cum ipso celebrare; [b] Præterea indico, *inquit*, suggestionem me apud pijssimos Dominos summis precibus plenam fecisse, vt virum beatissimum Dominum Anastasium Patriarcham, concesso vsu pallij, ad Beati Petri Apostolorum Principis limina, mecum celebraturum solennia missarum, transmittere debuissent; quatenus si ei ad sedem suam minime reuerti liceret, saltem mecum in honore suo viueret.] Potest ergo etiam Primas, & Patriarcha, qui ex iniusta persecutione, aliaue legitima causa, suam relinquit Ecclesiam, apud alios in honore suo viuere.

a *Liberat. Breuiar. c.22.*

b *Greg. l.1. ep.27.*

A

B

III.

Pariter etiam, si liber de Romanis Pontificibus sæpius fide non nutaret, pallij vsum, adhuc viuente Constantino, vt iam consuetum haberemus; is enim de Marco primo habet: [c] Hic constituit vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopos Vrbis, tunc pallio vteretur; & ab eodem Vrbis Episcopo consecraretur.] Fertur etiam de Cælestino, eum ad Cyrillum Alexandrinum misisse Phrygium, quod pallium fuisse [d] Baronius explicat. Sed Nicephorus hanc fuisse [e] mitram asserit: Et Theodorus Balsamon, ex quo sumpsit Baronius, Phrygium hoc, capitis facit ornamentum. [f] Qui ex edicto illo Constantinianæ donationis, Papam Romanum ius habere ait, vt in Processionibus, & Diuinis mysterijs Regio loro caput eius tegatur; illudque mox subdit: Huius quoque temporis Patriarcha Alexandrinus, ex præsenti edicto ius habet, vt cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem Sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cœlestino; quando fuit Ephesina Synodus aduersus Nestorium. Cum non posset Cœlestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium, visum est vt Sancto Cyrillo à Cœlestino permitteretur huic Synodo præsidere. Vt itaque constaret eum habere ius & autoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnauit Nestorium. Ab eo ergo tempore cum eodem Phrygio sacrificant, & præsident Patriarchæ Alexandrini, & non verentur reprehendi.] Hæc Balsamon. Si quid ergo Cœlestinus misit Cyrillo, id propriè pallium non fuit; neque vllius potestatis nouæ collatiuum; sed merum ornamentum, quo postea Alexandrini vsi sint Pontifices. At quis dicet potestatem legationis, in Synodo Ephesina particulariter exercendam, in Nestorij condemnatione, ad successores etiam propagari? Ideoque Baronius ipse nihil præterea tunc concessum esse Cyrillo illo pallio, seu Phrygio, quam concedi soleat ijs, quibus creditur Vicaria Præfectura, vel legatio à latere, existimat. De hac tamen Cyrilli legatione agam postea lib. 7.

c *Lib. de Rom. Pont. in Marco primo.*
d *Baron. tom. 5. an. 430. n. 26.*
e *Niceph. l. 14. c. 34.*
f *Balsa. vbi sup.*

C

D

IV.

Antiquam prçterea pallij huius mentionẽ haberemus à temporibus Valentiniani Imperatoris; si priuilegium quoddam Ecclesiæ Rauennatis, in Rauennæ Historijs contentum, suspectum non haberet Baronius; in eo enim Valentinianus concedit [g] Rauennati Episcopo, inter alia, ob decorem Apostolicæ dignitatis, honorem pallij; & omnis Pontificalis decoris vsum, sicut cæteri — fruuntur Metropolitæ.] Ea verò visa est Baronio impostura, eo quod Romani Pontificis, non Laici Imperatoris sit, inquit, pallium concedere. Quid si, vt supra innuebam, id fuerat munus Imperiale? Ego tamen priuilegium hoc defendi adhuc posse, & ab obiectis vindicari, ostendam postea lib. 6.

g *Apud Baron. to. 5. an. 432. n. 91.*

V.

Iisdem Valentiniani temporibus, Isidorus Pelusiota, mysteria huius Episcopalis Pallij explicabat, illis verbis: [h] Id autem amiculum, quod Sacerdos humeris gestat; atque ex lana & lino contextum est; ouis illius, quam Dominus oberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.] Hinc videmur posse colligere, fuisse id omnium Episcoporum proprium amiculum; & non Patriarcharum tantum, siue Metropolitanorum. Nam etiam hodie in Orientali Ecclesia (quod mihi Græci Episcopi affirmarunt, & fatetur Luitprandus infra num. 31.) omnes Episcopi hoc pallio vtuntur, & iamdiu sunt vsi. Eadem mystica pallij explicatione, vsus est etiam [i] Clemens 2. dum Pallium concedit Salernitano.

h *Isid. Pelus. l. 1. ep. 136.*

E

i *Apud Baron. to. 11. an. 1047. n. 12.*

VI.

Amalarius verò Fortunatus, Episcopus Treuirensis, aliam affert mysticam pallij significationem. [k] Pallium, *inquit*, Archiepiscoporum, super omnia indumenta est, vt lamina

k *Amal. de Eccl. off. l. 2. c. 23.*

in

A in fronte solius Pontificis. Illo discernitur Archiepiscopus à cæteris Episcopis. Pallium significat torquem, quem solebant legitimè certantes accipere. Quo dono admonentur cæteri ad legitimum certamen, quod habet duas lineas, a summo vsque deorsum, ante & retro: Significat enim summæ doctrinæ decorem, per disciplinam mandatorum Domini acceptabilem. Circulus circa collum, disciplina est Domini circa sermonem prædicationis; vt non sit alter sermo prædicationis, & aliud opus, dicente Paulo; Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Quod ita Ambrosius in tractatu Epistolæ ad Corinthios: Vituperatur enim ministerium ipsorum, si ea quæ verbis docebant, operibus suis vt fierent, exempla non darent. Mandata veteris Testamenti à principio Geneseos, vsque in finem, in humerali linea, operando & docendo, portet Pontifex in pectorali: Noui à primitiua Ecclesia vsque in finem. De torque dicebat Salo-
B mon in Parabolis, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Quod ita Beda in eodem. Mos apud veteres fuit, vt legitimè certantes coronam in capite, torquem in collo acciperent: Et nobis ergo, si disciplinam conditoris nostri, si gratiæ matris scita custodimus, maior inde virtutum spiritalium claritas augetur. Additur gratia capiti, cum caritas quę principale mentis ornabat, ardentiùs inflammatur. Additur & collo torques, cum fulgore perfectæ operationis, sermo prædicationis, qui per collum procedit confirmatur: Ac ne contemni ab auditoribus debeat, indeficienti virtutum connexione ducitur. Sed & eis, qui Mosaicæ legis decreta Domino veniente seruabant, addita est gratia noui Testamenti, cum spe regni Cœlestis; cuius splendor, eximus, ad exemplum coronæ, vel torquis, nullo vnquam fine claudetur.] Explicatio tamen hæc, sicut & præcedens, nihil speciale continet, quo pallium sit tantum Archiepiscoporum, sed in omnes prorsus quadrat Episcopos, imò etiam Presbyteros.

C De Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani miraculosa electione, habetur historia seu Legenda; in qua illud legimus: [a] Precibus ac manu, & diuinis ac venerandis oraculis consecratur; sancto inungitur spiritu, vel potius sanctificatus ipse, vicissim præsentes omnes Pontifices sanctificat: ouis errantis typum super humeros tollit, in sedem sublimem ascendit &c.] Hic iuxta Isidori interpretationem, alluditur ad Pallium.

Liberatus Diaconus scribit: [b] Consuetudinẽ Alexandriæ esse, illum Patriarchã, qui defuncto succedit, excubias supra defuncti corpus agere; manumq; dexterã eius capiti suo imponere; & sepulto manibus suis accipere collo suo B. Marci palliũ, & tunc legitimè sedere.]

Iustinianus Imperator, primam suam Iustinianam erexerat in Metropolim; ac proinde, eo petente, [c] Vigilius Papa decernit, vt eius Episcopus pallio ornaretur. Et de Pallio huius Episcopi testimonium habemus etiam apud [d] Gregorium.

Sepaudo Arelatensi, Pelagius concedit pallium: [e] Vsum quoque pallij tibi alacriter, *inquit*, affectuoseque concedimus; pariter etiam pallium dirigentes, vt in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoq; habitu decoreris: sciturus omnibus Ecclesiastici gradus hominibus, nullam haberi licentiam, sine formata tuæ caritatis, ex quacunque Galliarum parte, longiores petere regiones: ne prohibita præsumentes, ipsi se proprio priuare videantur officio.] Mira pallij potestas, vt Ecclesiastici totius regni, ad longinqua non possint, absque formatis illius Episcopi, qui hoc pallio decoratur, commeare.

Gregorius verò, & antiquum esse pallij vsum in Archiepiscopis; & eo potestatem tribui tantam affirmat, vt legati à latere locũ habere non possint suæ potestatis exercendæ, vbi Episcopus adsit pallio decoratus. Ita enim Augustino suo legato rescribit; [f] In Galliarum Episcopos nullam tibi autoritatem tribuimus; quia ab antiquis prædecessorum meorũ temporibus, pallium Arelatensis Episcopus accepit; quem nos priuare autoritate præcepta minimè debemus &c.] Idem, [g] Prisca consuetudo, *inquit*, obtinuit vt honor pallij, nisi exigen-
E tibus causarum meritis, & fortiter postulanti, dari non debeat.] Idem verò frequens est in concedendo pallio non modo suis Metropolitanis occidentalibus, vt habes dist. 100. c. 5. 6 8. 9. 10. 11. sed etiam Episcopo Corinthiorũ; [h] Pallium, *inquit*, sicut per Epistolã vestram, quam per Andream, & Coepiscopum nostrum suscepimus, postulastis, direximus; quo ita vos, vt necesse est, sicut prædecessores vestri vsi, concedentibus nostris prædecessoribus, approbantur.] Cui & illud addit: Nouit autem fraternitas vestra, quia prius pallium, nisi dato commodo non dabatur; quod quoniam incongruum erat, facto Concilio, ante corpus B. Petri Apostolorum Principis, tam de hoc, quam de ordinationibus aliquid accipere, sub districta interdictione vetuimus.] Et Salonitano [i] minatur Pallij ablationem, à sua sede Apostolica concessi.

VII.
a *Apud Ior. die 6. Apr.*

VIII.
b *Liberat. Breuiar. c. 20.*

IX.
c *Nouel. 131. c. 3*
d *Lib. 4. Ind. 13. ep. 15.*

X.
e *Apud Baron. tom. 7. an. 556. nu. 19.*

XI.
f *15. 72. c. In Galliarum.*
g *Dist. 100. c. 2*
h *Greg. l. 4. ind. 13. ep. 55.*
i *Dist. 74. s. Honoratum.*

XII.

Bonifacius quintus, Iusto Episcopo pallium mittit: [a] Concedentes, *inquit*, tibi ordinationes Episcoporum, exigente opportunitate, Domini præueniente misericordia, celebrare.] Et Honorius primus duo mittit in Angliam Pallia, [b] Honorio & Paulino: Vt dum quis eorum, *inquit*, de hoc sæculo ad autorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum Episcopum, ex hac nostra autoritate debeat subrogare.] Et hic dicitur præcipuus Pallij effectus, vt qui illum accipit, ordinationes iam possit facere Episcoporum. Et rursus idem Honorius, ad eundem Honorium scribens ait: Autoritatem tribuimus, [c] vt quando vnum ex vobis Diuina ad se iusserit gratia vocari, is qui superstes fuerit alterum in loco defuncti debeat Episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia, pro eadem ordinatione celebranda direximus.] Vbi adhuc magis patet, eo potissimum pallium concedi, vt possint Episcopi ordinati. Addit vero Honorius: Quia vt hæc vobis concederemus, longa terrarum, marisque interualla, quæ inter nos & vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coegerunt: vt nulla possit Ecclesiarum vestrarum iactura, per cuiuslibet occasionis obtentum, quoquomodo peruenire; sed potius commissi vobis populi deuotionem plenius propagare.] Innuit igitur, ad se, tanquam ad vnicum in toto Occidente Patriarcham, spectare omnes ordinationes, vbi ab antiquo non sint Metropolitani. Se tamen illis concedere potestatem ordinariam Metropolitanorum, eamque pallij concessione firmare. Conon quoque in Antiochia, *seu potius in Antiparia*, Episcopum constituit; [d] sed & pallio, vt scribit Anastasius, ad caballicandum vri, licentiam ei concessit.

a Beda hist. Angl. l. 2. c. 8. & com. Epist. decret. Rom. Pont.

b Ibid. c. 17.

c Ibid. c. 18.

d Anastas. in Conon.

XIII.

Gregorius secundus Bonifacio Moguntino Pallium & ipse mittit; ad hoc vt possit Episcopos per Germaniam ordinare: [e] Tibi, *inquit*, sacri pallii direximus munus, quod B. Petri Apostoli autoritate suscipiens induaris; atque inter Archiepiscopos, vnus, Deo autore, præcipimus vt censearis — ita vt dum Missarum solennia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo — vtaris — vt iuxta sacrorum Canonum statuta, vbi multitudo excreuerit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis, debeas ordinare Episcopos.

e Tom. 2. epist. Decret Rom. Pont.

XIV.

Octaui Concilii generalis Canon vltimus talis est: [f] Sancimus, vt designati homophoria gestanda Episcopi, ea certis statisque temporibus, & locis gestent; ne huiusmodi cultu per fastum, & superbiam abutantur, aut quouis tempore Diuini sacrificii, aut quacunque Ecclesiastica functione ferant. Sed qui vitam solitariam religiose sunt sectati, & ad Episcopatus honorem sunt euecti, vt religiosam vestem suam, habitumque seruent statuimus; nullusque homophorion per superbiam, arrogantiamque sumere audeat; ne suas inde, quas ipse sibi scripsit leges, violet. Quod si quis Episcopus præter designata sibi, seu scripto, seu sine scripto, tempore, homophoria tulerit, religiosamque vestem abiecerit, aut corrigatur aut exautoretur.] Hoc quod hic de homophoriis præcipitur, videtur omnino de palliis intelligendum; nam & modernæ leges pallii vsum, ad certa tempora, certaque loca, & certas [g] functiones Pontificales, contrahunt.

f Oct. Syn. gen. c. vlt.

g De elect. c. Quod sicut §. Super eo.

XV.

Nicolaus primus, ipse quoque vsum pallij præcipuum ponit, ad Episcopos ordinandos: [h] Patriarcha, *inquit*, vel Archiepiscopus, accepta licentia, & Pallij vsu, ordinat ipse sibi deinceps Episcopos; qui successorem suum valeant ordinare. Vos tamen, siue Patriarcham, siue Archiepiscopum, siue Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle congruentius, quam à Pontifice sedis B. Petri, à quo & Episcopatus & Apostolatus sumpsit initium, nunc ordinari valetis; in quo hic est ordo seruandus, vt videlicet à sedis Apostolicæ præsule sit nunc vobis Episcopus consecrandus; qui si Christi plebs ipso præstante crescit Archiepiscopatus priuilegia per nos accipiat; & ita demum Episcopos sibi constituat, qui ei decedenti successorem eligant; & propter longitudinem itineris non iam huc consecrandus qui electus est veniat; sed hunc Episcopi qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant: sanè interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi, non consecrantem, priusquam pallium à sede Romana percipiat; sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.] Qui Nicolaum audit Archiepiscopus ante pallium habitum Suffraganeos suos consecrare non potest: qui verò audit Alexandrum tertium, licet per se id præstare Archiepiscopus, qui nondum pallium habuit, non possit, [i] potest tamen vni ex Suffraganeis potestatem hanc consecrandi tradere, & committere. In quo mihi lusum quendam videor cernere. Vt possit quis per alium, quod per se non possit; & possit quis dare quod non habet. Cùm possit itaque aliis committere, potest etiam per se exercere. Et conditio hæc pallii & potestas est inuentum Romanum, in Ecclesia vniuersali ignotum.

h Nicol. ad consult. Bulg. c. 73.

i De Elect. c. Suffraganeis.

Agapetus

A Agapetus secundus [a] Brunoni Colonienſi misit pallium, iugum Domini ſuaue, & onus leue, cum priuilegio ſedis Apoſtolicæ, quo eodem pallio, præter conſuetudinem, Sacerdos Domini quoties vellet, indui permiſſus eſt.] XVI.

a *Regin. apud Surium die 11. Octob.*

Leo nonus ad Epiſcopos Africanos ſcribens, ait; [b] Inſuper rectè contra Gummitanum Epiſcopum dignitatem Carthaginenſis Eccleſiæ defendiſtis; quia, ſine dubio, poſt Romanum Pontificem primus Archiepiſcopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus; nec pro aliquo Epiſcopo in tota Africa poteſt perdere priuilegium, ſemel ſuſceptum à ſancta Romana, & Apoſtolica ſede. — Nec quicunque ille ſit Gummitanus Epiſcopus, aliquam licentiam conſecrandi Epiſcopos, vel deponendi, ſeu Prouinciale Concilium conuocandi habet, ſine conſenſu Carthaginenſis Archiepiſcopi, — qui ſolus in Africa pallium ab Apoſtolica ſede habere ſolet. Vnde & Epiſcopos conſecrandi, principale & antiquum ius retinet, &c.] XVII.

b *Leo 9. Ep. 4. tom. 3.*

B Igitur quia ſolus Carthaginenſis Epiſcopus in tota Africa vſum pallij habet, ſolus etiam conſecrat Epiſcopos; pallium enim, vt vides, ad Epiſcopos conſecrandos datur. Solum tamen in tota Africa ordinatorem Epiſcoporum fuiſſe Carthaginenſem; & ſolum pallij vſum habuiſſe, non poſſum Leoni aſſentiri; quia erant Primates alij, puta Numidiæ, & Mauritaniæ; & fortè alij. Ac certè Numidiæ [c] Primas Megalius Calamenſis Auguſtinum ordinauit Epiſcopum Hipponenſem. An verò pallij vſum haberet, nescio; effectum pallij video; & ſi pallium fuit neceſſarium, certè etiam pallium habuit Calamenſis; Sed neque illud habuiſſe, neque tunc neceſſarium fuiſſe arbitror.

c *Poſſid. in vita Aug. c. 8.*

Clemens 2. his verbis Salernitano Archiepiſcopo concedit pallium; [d] In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Archiepiſcopali pallio, noſtra Apoſtolica manu, dilectionem veſtram inſigniuimus; quo vtaris toties in anno, quoties prædeceſſores tuos eo vſos fuiſſe conſtat. In quo quia de vellere ouis eſt, intellige te ouium paſtorem. Et quia circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoſcas & vndique circunſpicias, ne aliqua erret, & in morſus incidat luporum. Quod ſi aliquando, quod ablit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare; & priſtinæ ſocietati coadunare. Quod verè ante, & retro crux Domini habetur, illud Apoſtolicum ſemper docet ante oculos tuæ mentis habere, [e] Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Confirmamus etiam tibi ipſum ex integro Archiepiſcopatum Salernitanum, cum omnibus adiacentibus Parochijs ſuis; & inſuper licentiam damus & poteſtatem ordinandi, & conſecrandi Epiſcopos, in his ſubiectis vobis locis, hoc eſt; Peſtanenſem Epiſcoparum cum Parochijs & adiacentijs ſuis; & Epiſcopatum Conſanum; & Epiſcopatum Nolanum; & Epiſcopatum Maluitanum; nec non & Epiſcopatum Acerentinum; ſimulque & Epiſcopatum Biſsinianenſem; atque Archiepiſcopatum Cuſentiæ, cum omnibus Parochijs, & adiacentijs eorum. Pro pallio vero, quod ſupra diximus, poſt diſceſſum quidem tuum ſucceſſores tui perueniant ad Apoſtolicam ſedem, & vſum pallij, conſecrationemque decretaliter recipiant; & non habeant poteſtatem ſucceſſores noſtri in cunctis prædictis Epiſcopatibus, quos vobis Apoſtolica autoritate conceſsimus, deinceps Epiſcopos conſecrare; quemadmodum vobis conceſſum eſt] XVIII.

d *Anna Bar. tom. 11. an. 1047. n. 12.*

e *Gal. 6.*

Atque hic inuenio, & obſeruo, nunc primum exprimi & pallij neceſsitatē iure ſanè Romano Pontificio; & vnumquenque Metropolitanum in ſua ordinatione, noua pallij conceſsione indigere; nec ſatis eſſe quod illa Eccleſia ſemel id habuerit. Quod etiam ex præcedentibus teſtimonijs confirmatur: quia non omnes illæ Eccleſiæ, quorum Archiepiſcopis datur pallium, tunc primùm ſunt in Metropolis erectæ; quanuis ex hac Clementis bulla innuatur, non multò ante, Salernitanam Eccleſiam factam eſſe Archiepiſcopalem. XIX.

E Quicunque hactenus à ſede Apoſtolica Romana pallium petierunt, ij ſanè per literas, aut ſuos nuncios id petierunt; & ad eos tranſmiſſum eſt pallium. Hildebrandus verò, adhuc Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, ad Papalem faſtum altius euehendum, primus illud adinuenit, vt, qui vellent pallium, ipſimet Romam venirent, & conſequenter munera ferrent, & Dominum adorarent. Lanfrancus enim Cantuarienſis Epiſcopus, à noſtro orbe diuiſus, cùm per Legatos ſuos pallium ab Alexandro 2. petiſſet, reſcriptum huiuſmodi ab Hildebrando retulit; [f] Verba Legatorum veſtrorum gnauiter accepimus, ſed quod voluntati veſtræ, in mittendo abſenti perſonæ veſtræ priuilegio, vt illi petebant, ritè non potuimus ſatisfacere, valdè doluimus; neque id ægrè ferat veſtra prudentia, quoniam ſi alicui Archiepiſcoporum veſtris temporibus abſenti hoc conceſſum fuiſſe vidiſſemus, profectò Religioni veſtræ promptiſsima charitate honorem hunc, abſque veſtrâ fatigatione impenderemus. Vnde neceſſarium nobis videtur vos Apoſtolorum limina viſitare; quatenus de hoc, & cæ- XX.

f *Apud Baron. tom. 11. an. 1070. nu. 17.*

teris, vna vobiscum efficacius quod oportuerit consulere valeamus, atque statuere.] Eandem obligationem [a] Innocentius quoque tertius postea replicauit. A

a Innoc. 3. l. 2. ep. 161.

XXI. Hildebrandi, hoc est Gregorij 7. alumnus & discipulus, & in sede, post duos successor, Paschalis 2. vt de more aliorum, suæ sedi splendorem adderet, & mundanum fastum, voluit & edicto confirmauit, vt qui pallium essent à Sancta sede accepturi, iuramento fidelitatis se Romano Pontifici obstringerent: vt sic, summi quique Episcopi, aliorum Episcoporum Patres, & Duces, in plenam Papæ transirent clientelam; & ipse esset eorum Princeps & Dominus; ipsi vero illius subditi, cum plena seruili pene subiectione. Et quamuis in hoc non exiguam senturet repugnantiam, & audiret murmurationem, vicit tamen, hodieque tali iuramento subijciuntur Papæ, quicunque ab eo pallium accipiunt. Paschalis edictum, in quadam ipsius decretali, ad Episcopum Panormitanum continetur; quod sic habet: [b] Significasti Reges, et Regni maiores admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocrisariis nostris, tali conditione oblatum fuerit, si sacramentum quod a nobis scriptum detulerant, exhiberes. Et inferius, de causa huius faciendi Decreti: Nonne malum est ab Ecclesiæ vnitate, & sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere? Quod multi etiam, post Sacramentum præstitum, præsumpserint: Et infra: Hoc nimirum malo, ac necessitate compellimur iuramentum pro fide, pro obedientia, pro vnitate requirere. Aiunt in Concilijs statutum non inueniri: quasi Romanæ Ecclesiæ Concilia vlla, legem præfixerint; cum omnia Concilia Romanæ Ecclesiæ autoritatem & facta sint, & autoritatem & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur autoritas. Et infra: Cum igitur à sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantum corpore assumuntur, iustum est, vt vos quoque sedi Apostolicæ subiectionis debitæ signa soluatis, quæ vos cum B. Petro, tanquam membra de membro habere, & Catholici capitis vnitatem seruare declarent.] Hæc ex Paschalis rescripto. B C

b Decret. c. 4.

XXII. Eadem repetit, & fusius, Archiepiscopo Polonorum, vt ex Codice Vaticano nobis communicauit Baronius, placetque ex maiori parte illam Epistolam hic referre. [c] Significasti, *inquit*, frater carissime, Regem, & Regni maioris, admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocrisarijs nostris tali conditione oblatum fuerit, si Sacramentum, quod à nobis scriptum detulerant iurares. In pallio frater plenitudo conceditur Pontificalis officij, quia iuxta sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante acceptum pallium Metropolitanis minime licet aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare: Mirentur in hac causa & Dominum Iesum Christum: Cum enim Dominus Iesus Christus, vt omnium ouium suarum curam Simoni Petro committeret conditionem posuit dicens; [d] Diligis me Simon Petre? Pasce oues meas. Si conscientiarum factor & conditor conditione hac vsus est, nec semel tantum, sed & secundo, & vsque ad contristationem, qua nos solicitudine, qua prouisione oportet tantam Ecclesiæ Prælationem, tantam Christi ouium curam fratribus imponere, quorum conscientias non vidimus, illis maxime quos nullo vsu nouimus, quorum dilectionem penitus ignoramus? — Nonne prædecessor tuus, præter Romani Pontificis conscientiam, damnauit Episcopum? Quibus hoc Canonibus, quibus Concilijs legitur esse permissum? Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos, non autoritate Apostolica, sed nutu Regis præsumuntur? Propter hæc mala, & alia euitanda huiusmodi iuramentum eligitur. — Aiunt in Concilijs statutum non inueniri: quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia vlla præfixerint; cum omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ autoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romana patenter autoritas excipiatur. Nonne in Chalcedonensis Concilii actione 16. statutum est, Ante omnia quidem Primatus honorem præcipuum, secundum Canones antiquæ Romæ Reuerendissimo Archiepiscopo conseruari? Itaque quod censuerunt Rex & Magnates, à supradicta Sacramenti conditione te quiescere, videtur ne vobis indicium Euangelicum? Videtur ne Primatus nostri honor præcipuus? Nunquid animo cecidit illa sententia Domini; [e] Non est Discipulus super magistrum? Nunquid Hungarico Principi dictum est: [f] Et tu conuersus confirma fratres tuos? Nunquid hæc nos commodi nostri profectione requirimus, & non vnitatis Catholicæ statuimus firmamentum? Possunt Apostolicam sedem contemnere; possunt aduersum nos calcaneum eleuare; datum à Deo Priuilegium euertere, vel auferre non possunt, quo Petro dictum est, Tues Petrus, &c. Quibus tamen quatuor Conciliorum decretis dandi Pallii modus præfixus est, & professionis vel obedientiæ ordo sancitus est. Cum igitur à sede Apostolica vestræ insig- D E

c Apud Baron. to. 12. an. 1102.

d Io. 21.

e Matth. 10.

f Luc. 22.

A insignia dignitatis exigitis, quæ à B. tantum Petri corpore assumuntur, iustum est vt vos quoque sedi Apostolicæ, subiectionis debitæ signa soluatis, quæ vos cum B. Petro, tanquam membra de membro hærere, & Catholici capitis vnitatem seruare declarent. In quibus à prædecessoribus nostris ea est adhibita moderatio, vt nihil iniurioſum, nihil difficile sit appositum, quod non etiam, præter exactionem nostram, ab omnibus debeat Episcopis obseruari, qui sub Apostolorum Principum Petri & Pauli obedientia decreuerunt, & vnitatę perstitere. Numquid non vltra vos Saxones, Danique consistunt? Et tamen eorum Metropolitani & idem iuramentum asserunt, & Legatos Apostolicæ sedis honorificè tractant; & in suis necessitatibus adiuuant; & Apostolorum limina, per legatos suos, non tantum per triennium, sed annis singulis visitant. Ita te, frater carissime, truamur in Domino, vt non per te in Ecclesijs subtractionis & dissidij (quod absit) oriatur occasio.] Hactenus Paschalis.

B Hoc pacto sibi ipsis nostri Papæ substernunt bases, easque in altum sustollunt, vt Idolum abominationis tanto eminentius super illas collocetur. Pallij profectò ornamentum, vt dixi, & ostendi, res vetus est in Ecclesia, sed compara, obsecro, Lector, superiores superiorum Pontificum longè modestiorum modestas pallij concessiones; cum hoc typho Hildebrandico, & Paschalino, quas [a] posteriores sunt subsecuti: Et videbis nihil fermè esse in Ecclesia tam sanctè institutum, quod non tandem Roma, siue ad Auaritiæ, siue ad Ambitionis, terrenique fastus peruerterit insaniam. Considera abusum sacræ Scripturæ, in hac Paschalina monitione; & vide, num hæc conditio iuramenti fidelitatis & subiectionis propter pallium, sit magis similis conditioni illi, sub qua Christus committebat curam pastoralem Petro, [b] si illum diligebat: an illi, sub qua insignis [c] tentator pollicebatur omnia Regna mundi, & gloriam eorum Christo, si procidens adoraret illum? Et quid subiectioni Episcoporum, Monarchiæque vnius Episcopi supra cæteros ob solum fastum

C temporalem, cum Ecclesiæ vnitate? Ecclesiæ vnitas est, vt omnes Episcopi, nullo excepto tanquam vera membra in vnico suo capite Christo vniantur: & vnitas non est, vbi vnus [d] conseruus super alios vsurpat tyrannidem, eosque verberibus male accipit, factus ex seruo suorum conseruorum Dominus. Nihil dico de maximo Conciliorum contemptu; erit suus suo loco sermo. Vbi vero, vbi quæso Sancte Pater Paschalis, quatuor Concilia modum decreuerunt dandi pallij; vbi professionis obedientiæ faciendæ verbum vllum in dictis Concilijs? Translationes Episcoporum a Metropolitanis & Synodis sine Romano Papa fieri legitime, vbi adsit legitima causa, supra cap. 3. iam probaui. In Concilio Nicæno, & Chalcedonensi de solo primatu Romano, respectu suæ propriæ Prouinciæ agi, ostendam lib. sequenti. De alijs vsurpationibus suis locis tractabo.

Prisca sane consuetudo fuit, vt accipientes pallium à suo Patriarcha, fidem suam ei explicarent, & profiterentur; vt inde constaret illos in fide Catholica, cum Catholica Eccle-

D sia conuenire; vt patet ex verbis Pelagij, [e] reprehendentis eos Metropolitanos, qui fidem suam, secundum priscam consuetudinem, sanctæ sedi Apostolicæ exponere detrectantes, vsum pallij neque expetebant, neque ipsum percipiebant. Vbi etiam decernit; Vt quisquis Metropolitanus, vltra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum, ad Apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate.] Et Ioannes octauus [f] Agrippinensi Episcopo, optatum pallium noluit conferre, quia fidei tuæ, *inquit*, paginam, minus quam oporteat, continere reperimus: cum videlicet in ea nullam sanctam vniuersalium Synodorum, in quibus fidei nostræ Symbolum continetur; nec Decretalium Pontificum Romanorum constitutionum, secundum morem feceris mentionem: sed nec illam propria subscriptione munieris; nec aliquem qui hanc iureiurando firmaret miseris.] Hæc de fidei dogmaticæ professione ad iuramentum [g] fidelitatis, hoc est obsequij, & subiectionis temporalis, flexerunt posteriores: Cum

E tamen consuetudo Ecclesiastica, solam fidei Catholicæ, iuxta Symbola ab Ecclesia definita, professionem etiam iuramento firmatam requisierit; vt supra explicaui huius libri capite quinto.

Hæc sunt quæ passim sparsa de pallio potui colligere: ex quibus soluere paucis conabimur, præcipua quæsita circa pallium. Nimirum quo iure sit institutum; quam antiquus sit in Ecclesia pallij vsus; ad quid, & quibus Episcopis, quibusque modis, seu conditionibus daretur; ac demum à quo dari pallium debeat. Pallium sane, ante omnia, satis apparet fuisse initio aliquod vestimenti genus quod Imperatores simile alicui Imperiali ornamento, præcipuis Episcopis, puta Romano, & Constantinopolitano concesserint, vt habes

supra

XXIII.

a Extr. de auct. & vsu Pallij.

b Ioan. 21.

c Matth. 4.

d Matth. 24.

XXIV.

e Dist. 100. c. 1

f Fa l. c. Optatum.

g De iur. iur. c. Ego N.

XXV.

supra num. 2. Cui postea cruces illæ sint additæ, vt penitus Ecclesiasticum fieret ornamentum. Hoc vero ornamentum ad omnes Episcopos in Oriente transijsse, & factum fuisse commune omnium Episcoporum indumentũ sacrum, in rebus sacris peragendis, satis constat ex num. 5 & 6. Sed Romani Pontifices hinc etiam suæ, & elationis supra aljos, & vtilitatis occasionẽ arripuerũt; & quia in Occidẽte non erat fortasse cõmunis pallij vsus, sicut in Oriente, ipsi ad solos Archiepiscopos illud restrinxerũt; seq; solos, illius largitores non sine pingui lucro, vt testatur [a] Gregorius supra num. 11. effecerunt: & tali pallio sibi Metropolitanos omnes totius Occidentis subiugare voluerunt. Et tandem aperte suos vasallos Archiepiscopos omnes, talis pallij concessione, declararunt. Vt quæ paulo ante produximus, ostendũt manifestè. Itaq; non vlla lege, vlloue iure, ne Ecclesiastico quidẽ, pallij necessitas est inducta; sed donum Imperiale factum Episcopo Romano, ex Ecclesiastica consuetudine sola, vt fatetur Gregorius, [b] cæpit ab aliis quoque ambiri, & enixe postulari: inde vero Romani Pontifices etiam necessitatem induxerunt, & sibi iurisdictionem compararunt, vetueruntq; ne sine pallio Archiepiscopus suam possit autoritatem Archiepiscopalem exercere.

[a] Greg. l. 4. Ind. 13. ep. 55.

[b] Dist. 100. c. 2

XXVI. Hinc iam est vt Romanæ Monarchiæ assertores contendant à solo Papa Romano pallium esse petendum, & concedendum: & ex Papæ concessione Patriarchas reliquos quatuor Orientales, postquam ipsi à Papa Romano pallium obtinuerint, posse sibi subiectis Metropolitanis pallium concedere. Ita definit [c] Innocentius tertius in Concilio generali: Qui negare non potuit, cuiusque Patriarchæ esse, pallium suis concedere Metropolitanis; & consequenter actum concedendi pallium, esse actum iurisdictionis, & superioritatis erga illum, cui conceditur pallium; illumque qui accipit hoc ipso, quandam subiectionem fateri ad concedentem. Sed quatuor Patriarchas Orientales habere hanc subiectionẽ ad Romanum, ab eoque teneri pallium postulare, & accipere, vt Innocentius in propria causa, inauditis partibus, definiuit; mihi videtur falsissimum. Cum præsertim, vt dixi, pallium in Græca Ecclesia, sit iam ordinariũ omnium Episcoporum, non Metropolitanorum duntaxat, sacrum indumentum, quod in Occidente ad summum potest esse signum tantummodo legitimæ alicuius Metropolitani ordinationis: & iure solo positiuo, imo non nisi Romano, inductum videtur vt ligata censeatur potestas Metropolitica in ordinato iam Metropolitano, vsusque ipsius ei inhibitus, quousque pallio exornetur. Pallium itaque, etiam si stemus Romanis legibus, non dat potestatem Ecclesiasticam, sed ordinatio, vt toto pene libro secundo probaui: ligatam potestatem duntaxat soluit, & vsum inhibitum liberum facit. Sicut itaque sola Ecclesiæ consuetudine Metropolitanus, & non alii Episcopi, ordinant Episcopum simplicem; & Episcopi totius Prouinciæ, & non alii externi, ordinant Metropolitanum, & Primatem, ac Patriarcham; ita eorundem esse deberet & ligare potestatem Metropoliticam in nouo Metropolitano ordinato, & eam concessione pallii soluere: aut Patriarchis concedere deberet Synodus plenior, vt ipsi per pallii iam dicti concessionem, vsum liberum iam acceptæ in ordinatione potestatis, nuper ordinato Metropolitano relaxarent.

[c] De trinit. c. Aliqua.

XXVII. Quẽadmodũ vero ad vitandã confusionẽ Ecclesię, & cõsuetudo, & lex diuisit Prouincias, & præsides Ecclesiasticos instituit Prouinciarũ; cum seuera inhibitione, ne primi præsertim Patriarchæ, in alterius Patriarchæ ius & Prouinciã irrumperẽt; sed quisque intra sibi assignatos limites cõtineretur: Ita profecto in concedendo pallio, vnus Patriarcha, etiamsi legitimũ ius habeat pallij concedendi, non debet alterius Patriarchæ ius turbare. Vanũ est igitur quod Innocentius prætendit, Patriarchas Orientales palliũ suis Metropolitanis concedere, autoritate indulta & donata Romanæ sedis Apostolicæ: sic enim contra Nicænos Canones supponit Romani Patriarchæ esse Prouincias aliorum Patriarcharum regere & gubernare; & Patriarchas alios esse quasi Ministros ipsius Romani, & delegatos: cum tamen & Concilium Nicænum, & tota Ecclesia, vt iam ostendi, ostendamque plenius lib. 4. vnumquemque Patriarcham supremum fecerit in sua regione, ab alio prorsus independentem, cum plena separatione, quoad loca, & regiones, Ecclesiasticæ potestatis.

XXVIII. A quo igitur, dices, ipsi Patriarchæ debent pallium accipere? Si illius esset pallium concedere, cuius est ordinare; & illius vsus potestatis ligatum soluere, qui ligauit; proculdubio Synodus quæ ordinat Metropolitanum, Primatem, & Patriarcham, posset ligare vsum Metropoliticæ, & Patriarchalis potestatis, quousque pallium habeatur, ipsa eadem pallium; tunc deberet concedere. Honoris tamen gratia si voluit aliqua Ecclesiastica consuetudo à Patriarcha pallium esse inferioribus Metropolitanis concedendum: Vt quam

potestatem

A potestatem Synodus ordinando concessit, & Ecclesia ligatam esse voluit; eandem Ecclesiæ consuetudine & institutione, Patriarcha solueret pallij concessione. Sed ne processus fiat in infinitum, Patriarchas, quippe nulli certo Ecclesiastico homini etiam iure Ecclesiastico subiectos, voluit per seipsos sibi ipsis pallium sumere, & à nemine illum postulare; ne suprema sedes qualis est quæcunque sedes Patriarchalis, vlli sedi videatur subiecta. Hæc vero ita esse inde maxime colligo & confirmo, quod Alexandrini Patriarchæ, qui primus in toto Oriente fuit olim iudicatus, mos vetus & constans fuisse perhibeatur, vt Patriarchæ demortui pallium à collo eius detractum, sibi imponeret, & tunc tandem legitime sederet, vt supra num. 8. scribit Liberatus Diaconus. Quod si Alexandrinus certissime non debuit à Romano pallium accipere, profecto neque alij Patriarchæ illud debuerunt. Ac si Romanus ipse, citra controuersiam, à nemine petit pallium, sed ipsemet ex altari ipsum sibi sumit;
B (quod est per se notissimum) cur id non facient alij Patriarchæ, in hoc ei prorsus æquales, & ab eo ita diuersi, vt nihil in eorum Prouinciis, iuxta Nicænas regulas, ipse possit?

XXVIII. Agnouerunt hanc potestatem à Romano indepedentem Patriarchæ Antiochenus, & Hierosolymitanus; illi quoque qui Latini cùm essent, & à Latina Ecclesia dependentes, & Latinis Principibus illis regionibus post recuperatam Hierusalem, & Palæstinam, aliaque Regna Orientis dominantibus, sedes illas detinebant: Quanuis enim in gratiam Papæ Romani, cùm primum à Saracenorum tyrannide regiones illæ Latinorum armis sunt liberatæ; Ecclesiæ Græcis ereptæ Latinis dari cœperunt; Occidentisque Romanum morem secuti Episcopi, Papam Romanum Monarcham suum agnoscere, aut voluerunt, aut coacti sunt, & qui Metropolitani erant electi, cogerentur [a] Romam ad pallium petendum, & accipiendum proficisci: vt sic planè Oriens Romano Pontifici in rebus Ecclesiasticis subderetur; [b] Rodolphus tamen Mamistanus, nouus Antiochenus Patriarcha, secundus ex Latinis, statim populi electione prouectus, sine mora, pallium de altari B. Petri (in ipsa vrbe Antiochena) nulla ad Ecclesiam Romanam (vt loquitur Tyrius Episcopus totus Romanus) habita reuerentia sibi assumpsit; dicens vtramque Petri esse Cathedram, Antiochenam, & Romanam: eamque quasi primogenitam insignem prærogatiua.] Ac nisi cum Principe Antiocheno simultates gessisset, à quo æmuli ipsius fouebantur, in sua prærogatiua perseueraisset. Non potuit tamen tanto persecutori resistere, sed vi coacto Roma petenda fuit, exuendumque pallium, & nouum à Romano concessum induendum. Et quia hominem suæ sedis libertatis retinendæ cupidum Roma agnouit; veneno sublatum, spiritus libertatis deponere illum, vt moris est, coegit. Historiam habes integram à Tyrio Episcopo Villelmo descriptam; & à Baronio in suos annales coniectam.

a *Vill. Tyr. l. 13. c. 23. & Baron. tom. 12. an. 1127.*

b *Idem Tyr. l. 14. c. 10. & Baron. ibid. an. 1136.*

XXIX. Hierosolymorum pariter Villelmus Patriarcha, ijsdem Latinorum temporibus, suæ itidem sedis pristinam, & debitam iure libertatem, quantum potuit, enixus est reparare. Fulcherum enim nouum Tyri Episcopum Metropolitanum, natione Aquitanicum, Romam ad pallium petendum proficisci parantem, non parùm vexauit; ei succensens quod prætermisso suo ordinario Patriarcha, à quo pallium accipere, iuxta antiquas Ecclesiasticas regulas debuisset, Romano se subijceret: & ita iuri Patriarchali Hierosolymitano derogaret. Refert idem [c] Historicus literas Innocentij 2. aduersus Patriarcham Villelmum, propter hoc conscriptas. Vnde, vt arbitror, Innocentius 3. occasionē, paulò post, sumpsit; [d] Decreti illius de Patriarchis in Concilio promulgandi. Recensitis vero Innocentij 2. literis, subdit Baronius hæc verba: Vidisti, Lector, non Græcos tantùm, sed Latinos nostros retractarios esse inuentos, aduersus Romanos Pontifices? Vt nō mireris, si tanti ædificij moles corruerit; cuius cōpagines malè cohærerent Catholicæ vnitati.] Ecce tibi de more nouum Prophetā.

c *Tyr. ibid. c. 11. & Baron. an. 1138.*

d *De primat. c. Antiqua.*

XXX. Corruit profectò tanti moles ædificij; & pulcherrima Regna ab Infidelibus recuperata, breui ad eosdem redierunt; non quia Patriarchæ illarum Ecclesiarum, antiqua sua iura tueri, & iniustæ vsurpationi, imò oppressioni, ex Christi institutione, & sacrorum Canonum præscripto resistere voluerint; qui sanè vnitatem Catholicam in fide, & mutua animorum coniunctione, consensuque inter Episcopos omnes in ministerijs exercendis, iuxta sanctiones Ecclesiasticas, non in vnius Monarchia, temporalique pompa fastu & dominatu reposuerunt: Sed quia Romanus noster Pontifex, non contentus grauissima Romani Imperij, in multas partes inter se penitus diuisas, & separatas dissectione, cuius ipse autor præcipuus fuit, eripiens Imperatori Græco totum Occidentem, nomine etiam Imperatoris in alium translato; iam etiam Monarchiam suam Ecclesiasticam, toties ambitam supra Ecclesias orientales, ac præsertim Patriarchales, occasione Latinorum armorum in Orientem transmissorum, & victricium cœpit extendere, & ad effectum perducere; cogendo vt extinctis

tinctis in Oriente Patriarchis ipse solus Vniuersi, quod tandiu molitur, Hierarcha, adeoque Monarcha agnosceretur. Habemus hac de re querimonias Theodori Balsamonis, qui fuit nomine tantum Patriarcha Antiochenus; [a] Non sinuntur, *inquit*, pedem in eam immittere Græci à Latinis, (*Antiochiam scilicet, vel Hierosolymam, vel Tharsum*) Hierosolymæ enim ab impijs Saracenis pollutæ sunt: Thronus Antiochenus à Patriarcha Latino detinetur; & Tharsus ab Armenijs.] Quæ duo tam graues occupationes, supremi nimirum Regni, supremique in Oriente Sacerdotij, adeo Græcos anxios, & afflictos habuerunt, vt acti desperatione, quemadmodum in similibus fieri solet; non modo vires suas coniungere cum Latinis, quos iam sæuissimos hostes nominis Græci experiebantur, detrectarint; sed etiam infidelibus fauere maluerint, dummodo ipsorum gloriæ, ipsorumque Ecclesiasticæ potissimum libertatis oppressores ex Oriente pellerentur. Lugubre hoc quidem, sed eheu nimis verum. Si titulus Imperialis, quem iam legitime possidebant Græci, integer ipsis relictus fuisset; si Ecclesiarum Priuilegia intacta eis fuissent reseruata; moles tanti ædificii crede mihi Baroni, stetisset; & quotidianis nobilitata incrementis, Orientis cum Occidentis viribus coniunctis, prostrata infidelitate, adhuc splenderet. Sed Imperij Romani perfecte Christiani dignitas tota periit; & cum illa, vires omnes, tot Regnorum factis dissensionibus, imo dissectionibus, & tot Regulis erectis, & consequenter infidelitate euecta, euanuerunt, Ecclesiæque nobilissimæ factæ sunt captiuæ, & sub iugo dant gemitus, altaque ducunt suspiria; opera & industria nostrorum Romanorum Pontificum; quibus tot ruinæ solis acceptæ sunt ferendæ. Dum enim ex Imperij casu & ruina, propriam mundanam quærunt elationem, & frænum abiiciunt, quo, stante Imperio, in officio continebantur; dumque Ecclesias omnes sibi, per summam vim, & tyrannidem, contra fas, & contra omnem æquitatem subiicere conantur, eoque humana consilia dirigunt; amplissima Regna, nobilissimasque Ecclesias magno schismate separatas amiserunt; & insuper fidem & religionem perditam effecerunt. Imperij igitur Christiani abolitio; & Turcorum tyranni ad ipsum Imperium euectio; Anglicanæ, Gallicanæ magna ex parte, & Germanicæ, ac Polonicæ, reliquarumque septemtrionalium Ecclesiarum à Romana dimembratio, sunt fructus egregij nostræ Papaticæ Monarchiæ. O Monarchiam Orbi toti Christiano infaustam, atque infestam; ô seruitutem & cæcitatem Principum Christianorum omnibus lachrymis deplorandam, qui hæc aut non cernunt, aut de remedio opportuno non cogitant. Sed à cothurno tragico ad sacrum pallium reuertamur.

[a] *Balsam. l. 2. inc. 16. Conc. Antioch.*

XXXI. Quærebamus vltimo loco, quisnam esset à quo pallia sint petenda & accipienda; posuimusque Metropolitanos inferiores, pallium à suis Patriarchis accipere debere: Patriarchas vero illos quinque à nemine: sed ipsos sua sponte sibi pallium assumere, & imponere. Sed aduersus hoc vtrumque, singulæ mihi occurrunt obiectiones. Ac primum ex Gregorio, qui vt supra vidimus num. 11. Corinthiorum Episcopo Metropolitano, pallium concessit, ac ille à Gregorio illud postulauit. Deinde ex Luithprandi Episcopi Cremonensis relatione suæ Legationis, quam habuit nomine Ottonum, Patris, & Filij, Imperatorum, ad Nicephorum Phocam in Oriente Imperatorem; in ea enim inter alia hæc habentur: [b] Nicephorus cum omnibus Ecclesijs homo sit impius, liuore quo in vos (*Ottones*) abundat, Constantinopolitano Patriarchæ præcepit, vt Hydruntinam Ecclesiam in Archiepiscopatus honorem dilatet: nec permittat in omni Apulia seu Calabria Latine amplius, sed Græce Diuina mysteria celebrari. — Scripsit itaque Polyeuctus Constantinopolitanus Patriarcha priuilegium Hydruntino Episcopo, quatenus sua autoritate habeat licentiam Episcopos consecrandi in Acirentila, Turcico, Grauina, Maceria, Tricario; qui ad consecrationem Domini Apostolici pertinere videntur. Sed quid hoc memorem, cum ipsa Constantinopolitana Ecclesia nostræ Sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ merito subiecta sit? Scimus, imo videmus Constantinopolitanum Episcopum pallio non vti, nisi sancti Patris nostri permissu. Verum cum impij simus Albericus, quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleuerat, Romanam Ciuitatem sibi vsurparet, Dominumque Apostolicum quasi seruum proprium in conclaui teneret, Romanus Imperator filium suum Theophylactum Eunuchum Patriarcham constituit; cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis magnis, effecit, vt, ex Papæ nomine, Theophylacto Patriarchæ literæ mitterentur: qua autoritate cum ipse, tum successores eius, absque Papæ permissu, pallijs vterentur. Ex quo turpi cõmercio vituperandus mos inoleuit, vt non solum Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ pallijs vtantur. Quod quam absurdum sit, censore opus non est.]

[b] *Apud Baron. to. 10. an. 968. n. 60. 61.*

Ad

A Ad Gregorij factum, ne tanquam Nicænis regulis contrarium, & tota hac præsenti disputatione reprobatum, id vsurpationis & iniuriæ nota aspergatur, respondeo; Sicut Constantinopolitanus Orientis Patriarcha in Italia, nimirum in magna Græcia diu habuit autoritatem Patriarchalem, vt nunc audiuimus; illaque ei in rebus Ecclesiasticis iure Metropolitico & Patriarchali subiaceret; ita & Romanum in orientalibus Prouincijs, aliquas Ecclesias habuisse Romani iuris; & inter has fuisse tempore Gregorij Ecclesiam Corinthiorum, & reliquas [a] Achaiæ. Imò & vetustum inuenio quoddam ius Episcopi Romani, in Ecclesiam Corinthiorum: vt supra cap. 6 n. 13. ex Socrate de Perigene: aut fortè Imperatori innixi, plusculum audebant: & precationes, ac commendationes in mandata vertebant. [b] Bulgariam, & [c] Dalmatiam inuenio modo Romano, modo Constantinopolitano Episcopo, tanquam suo obsequutas Patriarchæ; Et Legati Romanæ Ecclesiæ, in quadam B disputatione cum Græcis habita Constantinopoli pro Bulgaria, asserunt [d] sedem Apostolicam vtranque Epyrum, totamque Thessaliam, atque Dardaniam antiquitus Canonice ordinasse, & obtinuisse: & Martinus [e] Thessalonicensem Episcopum, peculiari quadam ratione subiectum facit sedi Apostolicæ: vnde verò hæc permixtio contigerit, dicam postremo cap. libri 4. sequentis. num. 16, 17.

a *Greg. l. 2. ind. 11. ep. 38.*

b *Ioan. epist. Nicol. 1.*
c *Io. octauus. ep. 183. 150.*
d *Anast. in Hadrian 2.*
e *Martin. 1. ep. 12.*

Ad id quod refert Luithprandus, respondeo hominem totum nostrum Latinum, & Romanæ Monarchiæ spiritibus iam imbutum, à Græcisque pessimè habitum, illa protulisse: non quod vnquam illud factitatum, iureue aliquo id præceptum, aut explicatum viderit, aut legerit; sed quia id ita fieri debere ipsemet sibi ipsi persuaserit. A Romano enim Pontifice Constantinopolitanum, pallium vnquam petijsse, aut accepisse, nulla, quod sciam, extat memoria. Aliorum vero Orientalium Patriarcharum, quibus ille, si non superior, saltem par effectus est, nullum à Romano, alioue Patriarcha pallium petere debuisse, ex hactenus productis constat manifeste. XXXIII.

C Quæret quispiam hic ad extremum, an ex eo quod Patriarchæ concedunt Pallium Archiepiscopis, sufficiens colligatur ius etiam Metropoliticum, ab ipsis Patriarchis Metropolitanos primum habuisse, seu Ecclesias, sedesue aliquas ad Metropolis iura fuisse euectas. Respondeo Metropolum primas institutiones, vt cap. 2. confirmaui, à sola consuetudine ortum habuisse; alias verò subsequentes, & nouas, post Concilium Nicænum erectas, à Synodis maxima ex parte fuisse institutas; seu etiam ad solam similitudinem priorum; vt videlicet reducta aliqua Prouincia ad fidem, instituisque in ea pluribus Episcopis, is qui in Metropoli Prouinciæ resideret, ius haberet Episcopi Metropolitani. Atque hoc pacto aliud est dare potestatem Metropolitani, aliud dare pallium, vt supra declaraui: potestatem enim dant ordinatores, & consuetudo ac lex generalis, vt qui Episcopi sunt in Metropoli sæculari Prouinciæ, sint etiam in Ecclesiastico Regimine Metropolitani. Pallium tamen ijs ipsis à solo datur Patriarcha, modo iam explicato. Sed neque diffiteor potuisse olim, & adhuc posse Patriarchas in suis regionibus, non tam erigere nouas Metropoles, quam declarare, in Synodis præsertim, aliquam Ciuitatem esse tantæ frequentiæ, ac celebritatis, vt pro Metropoli debeat haberi; & sic ipsius Episcopus respectu circumuicinorum fiat Metropolitanus. Sed hoc ipsum multo magis, & multo frequentius fecerunt olim Imperatores, & Reges; vt lib. 6. ostendetur. XXXIV.

D Quare, quod Nicolaus rescribit Bulgaris, [f] Primam Archiepiscoporum institutionem spectare ad Romanos Pontifices; non potest intelligi id semper, & ad solum Romanum Pontificem, & vbique spectare: sed sano modo id, iuxta iam datas explicationes, est accipiendum; nempe in solo occidente, & interdum, atque cum Synodo: salua etiam Principum in hoc autoritate: de qua, vt monui, agam lib. 6. Multo magis reijcienda est quædam consecutio quam contexit Baronius, dum ex concessione pallij à Pontifice Romano, vniuersali collectione infert, [g] Archiepiscopalium sedium priuilegia, ab ipsa Romana Ecclesia effluxisse. Posse verò Archiepiscopum in quibusdam casibus pallio vti, etiam extra suam Prouinciam, ex Innocentio 3°. sup. c. 9. n. 17. iam probaui. Et contra abusum Simoniacum Romanæ sedis in extorquendo pro pallijs precio pecuniario, verbis Gregorij supra n. 11. allatis; nec non acri Bonifacij Moguntini obiurgatione Zachariæ Papæ facta, eo quod diceretur precium pro pallijs accipere; & constituto Leonis 2. precia hæc prohibentis, insurgam infernus lib. 9. cap. 9. nu. 52. 53. XXXV.

f *Nicol. ad Consul. Bulgar. c. 73.*

g *Baron. tom. 9 an. 432. in fin.*

CAP.

A

CAP. XII.

Hierarchiam hanc Ecclesiasticam nunc plurimum turbari, & confundi.

Summa Capitis.

Hierarchiæ Ecclesiasticæ iam constitutæ necessitas proponitur, & ex Patrum dictis & exemplis ipsius inuiolabilitas confirmatur, à num. primo ad num. 17.

Turbatio huius hierarchiæ deploratur, num. 18. Occasionem huic turbationi dedit post expletam Auaritiam, Ambitio, num. 19. 20. 21. B

Turbatio Romanæ hierarchiæ Ecclesiasticæ circa Episcoporum electionem, à num. 22. ad 36.

Circa confirmationes Episcoporum à num. 37. ad num. 51.

Circa consecrationes eorundem, à num. 52. ad num. 64.

Obiectiones proponuntur, & soluuntur, à num. 65. ad finem.

I. VT vitaretur confusio in regimine Ecclesiarum, paulatim, vt vidimus in præcedentibus huius libri capitibus, magistro vsu, docente experientia, ac super omnia spiritu Christi suam Ecclesiam regente, varia sunt inducta instituta, legesque præscriptæ, vt Rectores, ministrique Sanctæ Ecclesiæ in officio omnes, ac potestate alioquin pares, ordine tamen certo vniuersali Ecclesiæ inseruirent; & quasi stationibus inter se dispositis, vere Ecclesiam facerent, [a] Castrorum aciem ordinatam. Ordinem vero iam exposui; stationum dispositiones ostendi; officia varia, variaque munera proprijs distincta limitibus patefeci: leges vnicuique præscriptas iam recensui. Quæ quandiu seruatæ sunt illæsæ, dum quisque se intra suos limites coercuit; quousque proprio officio, proprioque munere fuit quisque contentus; dum suam nemo dereliquit stationem, pulcherrimus ordo in Ecclesia viguit; nulla affuit turbatio, nulla confusio, nulla turpitudo. Postquam vero [b] Ambitio pestifera, dominandique libido, atque Auaritia cæperunt, & Metropolitanos, & Primates, & præcipue Patriarchas, sed potissimum præcipuum Patriarcham Romanum exagitare, turbati sunt ordines, & omnia confusa. Sua enim illa immani Monarchia exlegem se fecit, omnibus canonibus superiorem, ijsque conculcatis, aliena iura sibi rapuit, & Ecclesiam Christi, syluam fecit frementium bestiarum. Atque vt plane agnoscant nostri Papæ, quam misere errent, dum pulcherrimam, quam exposui hactenus, turbant Hierarchiam, audiant in primis & videant, quam inuiolabilia sint iura Primatum, quam firma & inconcussa priuilegia Ecclesiarum; discantque ab ipsorum potestate alienissimum esse illa infringere, & perturbare. Deinde singillatim eorum errores, præcipuos tamen, circa iam expositam Hierarchiam, aperiam, & manifestabo; ex quibus in Ecclesia Christi confusio orta est miseranda, & abusus prorsus deplorandi inualuerunt. Libere ex religioso zelo dicentem, audiat me libenter Sanctissimus, & patienter.

a Cantic. 6.

b Supra cap. 2. num. 5.

C

D

II. Anacletus ille, magni in Ecclesia Romana nominis & autoritatis, Episcoporum ordinationes in proprijs Prouincijs, per proprios Prouinciæ Episcopos fieri debere edicit; timensque ne aliquis morem hunc turbare velit aliquando, monet seuere, ac dicit: [c] Porro quod Episcopus non ab vno, sed à cunctis, consensu aut præsentia comprouincialium est ordinandus, & nullatenus minus quam à tribus, cæteris consentientibus cunctis; iccirco instituente Domino fieri iubetur, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ, vnius tyrannica autoritas moliretur; & regula vel fides confunderetur credentium.] Qui ita scripsit, quicunque ille fuit, aut Diuino spiritu quod futurum erat præuidit; aut oculis suis conspexit, Romanos nostros Pontifices vere tyrannice, vt ipse loquitur, sibi Episcoporum omnium, etiam remotissimorum, ordinationes vsurpare, & Prouincialibus Episcopis eripere. Eidem quoque Anacleto tribuitur dictum illud: [d] Priuilegia Ecclesiarum & Sacerdotum, Sancti Apostoli, iussu Saluatoris, intemerata & inuiolata omnibus decreuerunt manere temporibus.]

c Anacl. ep. 2.

E

d 25. q. 2. c. Priuilegia 1.

Zosimus

A Zosimus ægrè ferens Proculum Massilienſem, conniuentia Synodi Taurinenſis, in præiudicium ſedis Metropolitanæ Arelatenſis, quorundam Epiſcoporum ad eam ſpectantium ordinationes ad ſe traxiſſe, factum deteſtatus in id ita inuehitur; [a] Indecens autius, & in ipſo veſtibulo reſecandus: hoc ab Epiſcopis ob certas cauſas conſilium agitantibus extorquere, quod contra ſtatura Patrum, & ſancti Trophimi reuerentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis ex hac ſede directus eſt, concedere, vel mutare, ne huius quidem ſedis poſsit autoritas. Apud nos enim inconſultis radicibus viuit antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reuerentiam.] Audis dictum Romani Pontificis ex Cathedra, ne ſedem quidem Romanam poſſe Metropolitanis auferre ſuos Epiſcopos, vt ab alijs quam ab ipſis Metropolitanis, eorumue commiſsione ordinentur. III. a Apud Bar. in appendice Ann. 6

B Bonifacius primus certior factus Lutubenſium querimonijs, Patroclum Arelatenſem, in aliena Prouincia eis Epiſcopum, ablque Cleri & Plebis conſenſu, & ablque Metropolitani própria notitia ordinaſſe, ferre non potuit. [b] Quia conuenit, *inquit*, nos paternarum ſanctionum eſſe diligentes cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit (vt eadem propriè verba ponamus.) Per vnamquanque Prouinciam ius Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe poſſe ſubiectas. Quod illi (quia aliter credendum non eſt) ſeruandum, Sancto Spiritu ſuggerente, ſibimet cenſuerunt. Vnde frater cariſsime, ſi ita res ſunt, & Eccleſiam ſupradictam Prouinciæ tuæ limes includit, noſtra autoritate communitus, quod quidem facere ſponte deberes, deſiderijs ſupplicantium, & voluntate reſpecta, ad eundem locum in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani iure munitus, & præceptionibus noſtris fretus, accede: Intelligens arbitrio tuo, ſecundum regulas Patrum, quæcunque facienda ſunt, à nobis eſſe conceſſa; ita vt peractis omnibus, Apoſtolicæ ſedi; quicquid ſtatueris te referente clareſcat, cui C totius Prouinciæ ſuæ ordinationem liquet eſſe mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat; nec aliquis in illorum contumeliam, partibus ſuis quæ ſibi ab his non videntur conceſſa defendat. Ceſſet huiuſmodi preſſa noſtra autoritate præſumptio eorum, qui vltra licitum ſuæ limitem dignitatis extendunt. Quod ideircò dicimus, vt aduertat charitas tua, adeò nos Canonum præcepta ſeruare, vt ita conſtitutio quoque noſtra definiat, quatenus Metropolitani ſui vnaquæque Prouincia, in omnibus rebus, ordinationem ſemper expectet.] Si factum Patrocli tantopere fuit abhorrendum, quia ſecundum Nicænas regulas, oportet per ſingulas Prouincias, ius ſuum Metropolitanos habere; cur licebit Romano Pontifici ius hoc Metropolitanis infringere? Ita enim Patriarchis, ſicut & cæteris Epiſcopis datur inhibitio, ne in aliena Prouincia attententent ordinationes; ſed cuique Eccleſiæ ſalua velint eſſe Priuilegia; quod exaggerat Bonifacius, & alij qui ſequuntur. IV. b Bonif. 1. Ep. 3

D Leo quanta bile in Anatolium Conſtantinopolitanum excanduerit, quòd Antiochenum Patriarcham ordinare ſit auſus; quamque ſe vehementem Nicænarum Regularum vindicem exhibuerit, ne aliorum iura in Epiſcopis ordinandis peruertantur, conſtat ex eius Epiſtolis 56. 57. 58. Quæ tota illius obiurgatio, meritò æquè cadit etiam in Romanum Pontificem, ſi alienarum Prouinciarum ſiue Primates, ſiue Epiſcopos, ipſe quoque velit, inſcijs, & inconſultis, contemptiſque illarum Prouinciarum Epiſcopis, ordinare; ſeu alijs extra Prouincias illas ordinandos committere. Cur enim Conſtantinopolitano id non liceat, in Oriente potiſsimùm, poſtquam duplici iam vniuerſali Concilio Priuilegia primi Patriarchæ in Oriente habuerit; Romano verò licet? Certè Canones æquè Romano, atque Conſtantinopolitano id vetuere, neque vllum Eccleſiaſticum Primatem, ab vniuerſali illa prohibitione excepere; vt probabo in ſequentibus. Et omnibus etiam ſibi illa intimat ibidem Leo; [c] Non conuellantur Prouincialium iura Primatum; nec priuilegijs antiquitus inſtitutis Metropolitani fraudentur Antiſtites.] *Et*; [d] Priuilegia Eccleſiarum ſanctorum E Patrum Canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa Decretis, nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt; & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen, Spiritu Dei inſtruente ſunt conditæ, me (quod abſit) conniuente violentur, &c.] V. c Leo Ep. 56. d Idem Ep. 54. & habetur 25. q. 1. c. Priuilegia 2.

Idem quoque Leo ad Maximum Antiochenum ſcribens, curam ei Eccleſiarum ſui Patriarchatus præcipue commendat; ne permittat eas hæreſibus inficere: eaque occaſione digreditur in Primatum Conſtantinopolitanum, qui illum ſemper anxium habuit: [e] Neque vllo modo ſinas, *inquit*, in Orientalibus Eccleſijs, maximeque in ijs quas Antiochenæ ſe di ſacra- VI. e Idem Leo Ep. 60.

di sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputauere, ab improbis hæreticis Euangelio insultari. — Summa itaque vigilantia cautum te esse conuenit, ne quid sibi hæretica prauitas audeat vindicare; cum te deceat his Sacerdotali autoritate resistere, nosque sæpius de profectu Ecclesiarum, tuis relationibus, quid agatur, instruere. Dignum est enim te Apostolicæ sedis in hac solicitudine consortem esse, & ad augendam fiduciam priuilegia tertiæ sedis agnoscere; vt in nullo, cuiusquam ambitione, minuantur: quia tanta apud me est Nicænorum canonum reuerentia, vt ea quæ sunt Sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua nouitate violari. Etsi enim diuersa non nunquam sunt merita Præsulum, tamen iura permanent sedium: quibus, etsi possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre; non tamen possunt minuere dignitatem. Vnde, cum aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ priuilegijs, dilectio tua agendum esse crediderit, proprijs literis studeat explicare; vt & nos consulationi tuæ absolute, & congrue respondere possimus. Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quod, siquid à quoquam contra Nicænorum Canonum statuta, in quacunque Synodo, vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicij potest inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet contentionum pactum dissolui, quam prædictorum Canonum regulas ex vlla parte corrumpi. Subrependi enim occasiones non prætermittit ambitio; & quoties ob intercurrentes causas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est vt cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus, ad obtinendum Palæstinæ Prouinciæ Principatum credidit se posse sufficere; & insolentes ausus, per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicauit. Et solicita prece multum poposcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur assensio. Nam cuius Epistolæ ad nos exemplaria direxisti, sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro scrinio requisitã, nos authenticam noueris reperisse. Hoc tamen proprium definitionis meæ est, vt quantumlibet numerus Sacerdotum amplior, aliquid per quorundam surreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Patrum constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur: quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia intemerata seruetur.] Quæcunque hic aduersus Constantinopolitanum, & Hierosolymitanum inculcantur, dum aliorum siue Patriarcharum, siue Metropolitanorum vsurpant iura, & suo Primatu alios opprimunt, & deijciunt, eorumq; turbant iurisdictionem, hæc omnia in ipsum quoque Romanum prolata, aut saltem militare non dubites. Quod si de mente Leonis ne vniuersalia quidem Concilia possunt Nicænis regulis, quod sæpius [a] repetiuit, derogare; ac in specie circa potestatem priscam Metropolitanorum; quomodo poterit solus Romanus Pontifex quotidie ijs derogare; imo etiam sine causa ex sola ambitione, & auaritia, eas conculcare, & Episcoporum omnium tam electiones, qnam consecrationes sibi reseruare?

a Leo ep. 56. 58.

VII.

Ac ne putes Leonem alijs, & non sibi hanc canonum obseruantiam inculcare, audi quæ ad Legatum suum Apostolicum Anastasium Thessalonicensem scribit; vt illum quoque compesceret, & vel Apostolicam sedem ab iniurijs Metropolitanorum abstinere debere declararet: [b] Et necesse est, *inquit*, post multarum experimenta causarum, solicitius prospici, & diligentius præcaueri; quatenus per spiritum charitatis & pacis, omnis materia scandalorum, de Ecclesijs Domini (quas tibi commendauimus) auferatur, præeminente quidem in illis Prouinciis Episcopatus tui fastigio, sed amputato totius vsurpationis excessu. Igitur secundum Sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum Prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita vt à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.] Hæc in æternam memoriam S. Leo.

b Idē Leo ep 88

VIII.

Factis etiam verba sua idem S. Leo, vbi emersit occasio, comprobauit. Viennensis enim Prouinciæ Episcopos, post aliqua eis data monita, sic alloquitur: [c] Vnde quia nostra longe alia videtur intentio (nam omnium Ecclesiarum statum & concordiam custodiri cupimus Sacerdotum) ad vnitatem vos vinculo caritatis hortantes, & obtestamur, & affectione congrua commonemus, vt ea quæ à nobis Deo inspirante, & Beatissimo Petro Apostolo, discussis, probatisque nunc omnibus causis decreta sunt, pro vestra pace & dignitate seruetis: certu non tam nostro honori proficere quod talia statuisse cognoscimur; non enim

c Idem ep. 93.

A enim nobis ordinationes vestrarum Prouinciarum defendimus; quod potest forsitan ad depranandos vestræ Sanctitatis animos, Hilarius pro suo more mentiri: sed vobis, per vestram solicitudinem vindicamus, ne quid vlterius liceat nouitati; nec præsumptori locus vltra iam pateat priuilegia nostra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si Apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata seruetur: & per sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire, quod suum est, pro nouis vsurpationibus non sinamus. Et quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem & Coepiscopum nostrum Leontium, probabilem Sacerdotem, hac (si vobis placet) dignitate volumus decorari; vt, præter eius consensum, alterius Prouinciæ non indicatur à Vestra sanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetustas eius & probitas exigit honorè-
B tur, Metropolitanis priuilegij sui dignitate seruata. Aequum est enim, nec vlli de fratribus fieri videtur iniuria, si ijs, qui Sacerdotij vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito, in suis Prouincijs, à Sacerdotibus cæteris deferatur.] Cauet anxiè, ne vsurpator, contra sibi adeo cordi infixos Canones, alieni iuris videatur, si vellet ordinationem Prouinciæ Episcopis Comprouincialibus eripere, & ad se trahere. Et quia Arelatensis Ecclesia Primatum ambibat in Gallijs, Viennensisque Metropolitani iura sibi nitebatur vsurpare, obstitit idem Leo, sicque rescripsit ad Arelatenses Episcopos; [a] Petitionem fraternitatis vestræ, Vien- a *Apud Baron. tom.6.an.450. num.56.*
nensis Episcopus, missis literis & Legatis, sua suggestione præuenerat, conquerens Arelatensem Episcopum ordinationem sibi Valensis Episcopi vsurpasse. Cum itaque nobis ita & paternarum reuerentia sanctionum, & omnium vestrum seruanda sit gratia, vt in Ecclesiarum priuilegijs nihil conuelli, nihil patiamur excidi, consequens fuit, vt ad conseruandam inter Viennensem & Arelatensem Prouincias pacem, adhiberetur iustitiæ moderatio; quæ nec antiquitatis vsum; nec desideria vestra negligeret.] Statimque Viennensi quo-
C que Episcopo, suos assignat suffraganeos; in quos Arelatensis nihil iuris habeat. Totam verò causæ decisionem, vt supra consideraui, ex ipsarum Ciuitatum sæculari dignitate petendam esse duxit.

Simplicius Hierarchiæ Ecclesiasticæ turbatorem Acacium, quàm iniquo tulerit animo, vidimus supra ad finem capitis 10. eundemque audiuimus obseruantiam Canonum, sua iura Metropolitanis illæsa conseruantium, serio inculcantem. Symmachum pariter eodem zelo æstuantem supra posuimus num. 21. primi capitis huius libri: & rursum infra, lib.4.cap.12. num.8. IX.

Hormisda quoque Ioanni Episcopo cuidam in Hispanijs, legationis Apostolicæ munus ita committit, vt nihil tamen Metropolitanis velit præiudicari: infra lib.4.c.12 n.10. X.
Ioannes quoque octauus, dum Arelatensi legationis officium confirmat, [b] Cauet tamen e- b *Ioan.epist. ep.93.*
D odem modo, vt Metropolitis, secundũ priscam consuetudinem, proprius honor seruetur. Legatorum itaque Apostolicorum munus fuit olim (nec aliud iure esse potest) vt inspicerent duntaxat si quid contra Canones fieret, monerent, arguerent, & Papæ significarent. In reliquis & Episcopi & Metropolitani suo proprio munere perpetuò fungerentur; nec legati se in regimen Ecclesiarum, vel Prouinciæ ingererent. Imò Papæ quoque, si essent in aliena Prouincia extra Romanam præsentes, sua iura integra cedebant Metropolitanis; vt patebit inferius, lib.4.cap 12. Eiusdem Hormisdæ opus fuit: Vt Constantinopolitanis Patriarchis auferretur potestas Antiocheni Patriarchæ ordinandi, quam Anatolius iam, & Acacius videbantur vsurpasse. Dioscorus enim Hormisdę Diaconus, dum esset Constantinopoli Papæ Legatus, & Ecclesiæ Antiochenæ vacatio contigisset, & tentarent Imperator, & Patriarcha, vt Constantinopoli in Antiochenum Paulus Presbyter Constantinopolitanus eligeretur, & ordinaretur Episcopum; obstitit Hormisdæ nomine, effecitq; vt Paulus hic, de veteri more, in ipsa Ecclesia Antiochiæ, & eligeretur, & ordinaretur; vt
E idem Dioscorus in sua [c] suggestione ad Hormisdam transmissa narrat. Qui autem pati c *Inter Epist. Hormisd. post ep.62.*
non potuit Hormisda, vt Constantinopoli ordinaretur Antiochenus; ne antiquus Ecclesiæ mos iniuria afficeretur; quomodo passurus fuit vt Romæ quoque eadem ordinatio celebraretur, siquidem eidem iniuriæ æquè locus sit futurus?

Gregorius quoque non minori zelo, & sæpius, pro Ecclesiarum priuilegijs pugnat; cauetque vehementer, ne iura Ecclesiarum lædantur: [d] De Ecclesiasticis verò, *inquit*, priui- XI.
legijs, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat; Quia sicut nostra d *Greg.lib.2. ind.10.ep.39.*
defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs [e] sua iura seruamus: nec cuilibet, fauente gra- e *Idem lib.2. ind.11.ep.19.*
tia, vltra quam meretur, impertior; nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu simulante dero-go: Sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subuehi,

dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi.] *Item*: [a] Absit à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis, in qualibet Ecclesia intringam: quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.] *Item ad Vitalem defensorem?* [b] Si cuiusquam Clerici, vt assolet, culpæ casus emerserint, in qua te sibi petere debeant adiutorem, ad Episcopum reuerenter accede; & sicut causæ meritum cognoueris, apud eum, non defensor culpæ, sed potius intercessor existe; vt hac prouisione & poscenti feras auxilium, & iura Præpositi non turbentur. Si qui vero sunt qui iusta popoſcerint eis per te auxilium sedis Apostolicæ non est negandum. Sed tamen ita seruanda est vniuscuiusque Episcopi reuerentia, vt clericorum disciplina per defensionis tuæ experientiã minime soluatur.] *Item*: [c] Nam si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur; quid aliud agitur, nisi vt per nos per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?] *Item*: [d] Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt; non constructor, sed euersor esse iustè comprobarer; testante veritatis voce, quæ ait: Omne Regnum in se ipso diuisum non stabit; & omnis scientia & lex aduersum se diuisa destruetur.] Et legato suo Augustino illud dat in mandatis: [e] Ipse autem autoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris; sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studia reforma: quia scriptum est in lege: [f] Per alienam messem transiens, falcem mittere non debet, sed manu spicas conterere & manducare. Falcem ergo iudicij mittere non pores in eam segetem, quæ alteri videtur commissa &c.] Eodemque modo, sicut supra Hormisda, Legato, omnem prorsus negat iurisdictionem; ne ordinario iuri Metropolitico, vlla vel minima fiat læsio. Quod si Legatus à latere, qui Papæ ipsius personam repræsentat, Metropolitanum non potest turbare in sua iurisdictione; neque ipse Papa poterit; siquidem id ei negatur, non restrictione commissionis; sed iuris Metropolitici proprio vigore, quod à nulla possit in Ecclesia potestate labefactari.

a *Greg. l. 2. Indic. 10. ep. 37.*

b *Idem l. 7. Indic. 2. ep 65.*

c *Idem l. 4. Indic. 4. ep. 32.*

d *Idem l. 10. ep. 31.*

e *Idem ad interrog. Aug. c. 9.*

f *Deut. 23.*

XII. Quanta sit firmitas hæc Ecclesiasticorum statutorum, quibus diuisus est magnus Christi grex inter Pastores; ac inter Pastores aliqua posita est subordinatio, & prælatio, ita tamen vt nunquam adhuc suprema vnius appareat supra reliquos omnes Monarchia, explicarunt hactenus egregie ipsimet Romani Pontifices, & sane celeberrimi; & magni nominis in Ecclesia; qui Ecclesiarum iura inuiolata esse debere in perpetuum & senserunt, & pronunciarunt; neque licere cuiquam, etiam summo Pontifici, ea perturbare, ac multo minus sibi vsurpare. Iam vero hanc ipsam firmitatem ex aliis quoque aliorum Episcoporum factis, adhuc reddamus patentiorem; si forte noster Dominus Papa plenissime instructus, hos, quos recensuimus, maiores suos optimos duces, tandem aliquando sibi sequendos esse statuat, & magistros.

XIII. Bonifacius Germaniæ Apostolus, Romano Pontifici addictissimus, Traiectensem nouam Ecclesiam omnino eidem Pontifici immediate subdere conabatur; quia Frisonum gens, per Villebrordum à Papa missum, fuit conuersa: sed Colonienſis Archiepiscopus, quia Traiectum in ipsius Prouincia erat inclusum, restitit; vt idem Bonifacius scribit: [g] Et modo, *inquit*, vult Colonienſis Episcopus, sedem supradicti Villebrordi sibi contrahere, vt non sit Episcopalis sedes subiecta Romano Pontifici.] Episcopus Catholicus non obstitisset Romano Pontifici, nisi habuisset canones eidem obsistentes; ne & ipse alienæ Prouinciæ ordinationes sibi vsurpet; & Ecclesias sibi Metropolitico iure subijciat, quæ ei subiectæ non sunt, nec ad eius pertinent propriam Prouinciam. Ita postea Ignatius quoque Constantinopolitanus, vir non modo Catholicus, sed etiam sanctus, & à Romana quoque Ecclesia inter [h] sanctos habitus perpetuo & recensitus; Nihilominus aduersus Romanum Pontificem [i] pugnauit acriter, vt Bulgariam Prouinciam, ad Romani Papæ ius, & ordinationem transire non permitteret, sed eam tanquam iuris Primatus Constantinopolitani, sibi retineret. Concertationem hanc pro Bulgaria, habes in Anastasio Bibliothecario, vbi recenset gesta Hadriani secundi: & in Epistola quinta eiusdem Hadriani tom. 3. Decret. epist. Romanorum Pontificum: siue in tom. 3. Concil in fine oct. Synod. general. Et in pluribus Epistolis Ioannis 8. Videlicet 75. 76. 77. 78. 79. 109. 174. 192. 201. 251. 287. 297. In Encyclica Photij apud Baronium, tomo decimo, ann. 863. numer. 42. 43. 44. 45. Et in eod. Baron. eod. tom. sæpius. Et nihilominus Constantinopolitanus tandem euicit Bulgariam: Quod si indubitatum fuisset in Ecclesia Romanum Pontificem posse ad placitum suum quoscunq; Episcopos, cuiuscunque

g *Apud Baron. tom. 9. an. 755. num. 41.*

h *Baron tom. 10. an. 788. nn. 45. & seq.*

i *Ibid. nn. 44.*

Prouinciæ

A Prouinciæ ordinare; esseque illum sacris Canonibus id prohibentibus, eiq; propriam prouinciam, vt infra patebit, assignantibus, superiorem; cur tam diutinam sustinuissent Romani Pontificis disputationem, vt ostenderent, non quidem Romanam sedem habere supremam in tota Ecclesia vniuersali Monarchiam, sed Bulgariam ad ius Romanæ Ecclesiæ, & non Constantinopolitanæ pertinere?

XIV.

Acerrimum Metropoliticorum iurium aduersus Romanum Pontificem propugnatorem habemus Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem: virum sanè & doctrina, & sanctitate singulare. Is enim. Rothaldū, siue Rothadū Suession. Episc. ob ipsius varia delicta, debitis affecerat pœnis: Nicolaus tamen Papa Rothaldi, ad sedem Apostolicam appellantis defensionem susceperat, indeque in Hincmarum non semel excanduerat, appellationibus, & inhibitionibus non deferentem. Sed ille Epistola Apologetica se purgare voluit; in

B eaque Metropolitica iura tutatus est, & ab oppressione Romana, modestissimè tamen, vt par est, vindicauit. Ait igitur; [a] Qua de re sanctissime Domine, & Pater reuerendissime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ; sed & supportate me, si adhuc quædam de Rothaldi causa, vobis iam sufficienter notissima, quasi repetens scribo; cum quo, quia vobis placet, cui cuncta bona placent, mittimus Vicarios nostros, non vt accusatores ad confligendum, sed vt à Rothaldo, atque à vicinis nostris, qui causam pleniter, ac veraciter, aut nesciunt, aut scire nolunt, accusati quod nos in contemptum sedis Apostolicæ appellantem Rothaldum secundum Sardicenses Canones sedem Apostolicam, retinuerimus; sed eum quia ad Electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses, & Africanenses Canones, ac Decreta beati Gregorij, regulariter iudicauimus vestræ summæ autoritati humiliter intimandum: Absit enim à nobis vt priuilegium primæ, & summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis, pro sic paruo pendamus, vt controuersias, &

C iurgia tam superioris, quàm inferioris ordinis, quæ Nicæni, & cæteri sacrorum Conciliorum Canones, & Innocentij, atque aliorum sanctæ Romanæ sedis Pontificum Decreta, in Synodis Prouincialibus, ac Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam autoritatem fatigandam ducamus. At si fortè de Episcopis causa nata fuerit, vnde certa & expressa in sacris regulis non habemus iudicia, & ob id in Prouinciali, vel in Comprouinciali nequeat examine definiri; ad diuinum Oraculum, id est, ad Apostolicam sedem, nobis inde est recurrendum. Si etiam de maioribus causis, à Prouinciali Episcopo, ad Electorum iudicium non fuerit prouocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit iudicatus, id est, à gradu suo in Comprouinciali Synodo deiectus, & putat se bonam causam habere, & appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur examen, scribendum est ab iis qui causam examinârant post iudicium Episcopale eidem summo Pontifici; &

D ad illius dispositionem, secundum septimum Sardicensis Concilij capitulum, renouabitur examen. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænum Concilium innuit, & cæteri Romanæ sedis Pontifices in Decretis suis, ex sacris Canonibus monstrant, ipsius Pontificis, etiam ante iudicium est sententia præstolanda.]

XV.

Et post narrata Rothaldi delicta, totus in eo est, vt doceat [b] Romanum Pontificem posse quidem patrocinium afflictorum iniustè, & oppressorum susci pere, ad eum in grauioribus causis prouocantium; iudicare tamen per se non debere alienos, sed ad iudicium Prouinciæ transmittere; curareque vt iudicium rectum fiat. Huc adducit exempla Scripturæ, nimirum [c] Pauli non à Christo immediatè instructi, quid illum oporteat facere, sed ad Ananiam missi: [d] Cornelij ab Angelo non instructi, sed ad Petrum missi: Petri non ex po-

E testate, sed ex ratione, querelæ fidelium Iudæorum respondentis; & Prælatis Ecclesiæ, [e] vt non sint dominantes in Clero præcipientis. Adducit etiam varia & Pauli, & Romanorum Pontificum Gelasij, & Leonis, Ambrosii quoque dicta, vt his omnibus ostendat Papam non debere ex potestate adeò agere, vt ordinaria Ordinariorum impediat iudicia; sed generali quadam superintendentia illum debere esse contentum; in eoque priuilegium Romanæ sedis collocat, vt sua autoritate priuilegia Rhemensis, & aliarum Ecclesiarum Metropolitanarum intacta conseruet, vigere faciat, & studeat confirmare; concordiamque cum ipsis perfectam conetur retinere. De hac Hincmari apologia nos plura lib. 8.

XVI.

Idem Hincmarus Ecclesiastici iuris sicut instructissimus, ita obseruantissimus, in Synodo quadam Metensi, pro causa Caroli Regis, cùm præsideret, in aliena Prouincia, & capitula proponeret, excusationem hanc præmisit, quæ optimam continet instructionem;

a *Ex Frodoardo Baron. tom. 10. an. 865. num. 36.*

b *Ibid. num. 44. & seqq.*

c Act. 9.

d Act. 10.

e 1. Pet. 5.

a Apud Baron. to. 10. an. 869. num. 110.

[a] Ne alicui, *inquit*, fortè videatur incongruè, & præsumptuosè me, ac Prouinciæ nostræ venerabiles Coepiscopos, facere, quoniam de altera Prouincia ordinationi, & causis huius Prouinciæ nos immiscemus; sciat nos contra Canones sacros non agere; quoniam Rhemensis, & Treuirensis Ecclesia in hac regione Belgica cum istis Ecclesijs sorores, & comprouinciales habentur, sicut autoritas Ecclesiastica, & antiquissima demonstrat consuetudo; ac per hoc vnanimi consensu, & Synodalia iudicia exercere, & quæ à Sanctis Patribus constituta sunt, debent concorditer custoditi. Hac priuilegij constitutione seruata, qui prior de Rhemensi, & Treuirensi Episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur. Et lex

b Deut. 23. Diuinitus inspirata præcipit dicens: [b] Si transieris per messem amici tui, colligens spicas manu confricabis ad manducandum, falcem non mittas, vel falce non metas. Messis est

c Matth. 9. populus, vt Dominus demonstrat in Euangelio dicens: [c] Messis quidem multa, operarij autem pauci, rogate Dominum messis vt mittat operarios in messem suam; quia vos pro nobis Episcopis debetis orare, vt vobis digna possimus loqui. Messis autem amicie est populus in Prouincia alteri Metropolitano commissa. Vnde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad Dei voluntatem, & vestram salutem, in corpus vnitatis Ecclesiæ valemus, & debemus traijcere. In Parochianos autem Prouinciarum alijs Metropolitanis commissarum falcem iudicij non mittimus, quia nec est vnde, nec nostrum esse consideramus. Est & alia causa, quia isti venerabiles Domini, & confratres nostri Prouinciæ illius Episcopi, non habentes Metropolitanum Episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut & in specialibus nostris causis, nos fraterna charitate iubent, & commonent agere.] Quæ instructio generalis est Patriarchis etiam; nedum inferioribus Metropolitanis obseruanda.

XVII. Iuo quoque Carnotensis, totius Galliæ Primati, seu Patriarchæ Lugdunensi, Sennonensem Archiepiscopum diuersæ Prouinciæ ad Concilium iure sui primatus conuocanti,

d Iuo ep. 236. ita Sennonensis nomine respondet: [d] Ad Concilium venire minime contemnimus: sed terminos, quos posuerunt Patres nostri, terminos antiquos, transgredi formidamus. Nusquam enim reuerenda Patrum sanxit autoritas, nunquam hoc seruare consueuit antiquitas, vt primæ sedis Episcopus, Episcopos, extra Prouinciam propriam positos, inuitaret ad Concilium; nisi hoc, aut Apostolica sedes imperaret; aut vna de prouincialibus Ecclesijs, pro causis, quas intra Prouinciam terminare non poterat, primæ sedis audientiam appellaret.] Profertque canonem Nicolai, 9. q. 3. c. Conquestus, in quo illud habetur; Primates enim, vel Patriarchas, nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus: ita vt secundum Nicænas regulas, sua priuilegia seruentur Ecclesijs.] Et hæc Regula, si non intentione Nicolai, certe iure & ratione iam exposita in præcedentibus, & vlterius lib. 4. exponenda, omnibus penitus, & Metropolitanis, & Patriarchis, & etiam Romano præscribitur; Vt nihil possit in alienis Prouincijs, nisi quantum ei sacri concedunt Canones; & prisca contulit consuetudo. Quamuis circa conciliorum conuocationem, non modo Patriarchæ, sed etiam

e Idem ep. 237. Primates ius habeant plenum; vt bene Sennonensi, vel potius Iuoni respondet [e] Lugdunensis; & ego tractabo lib. 7. His adde, si placet, Iustiniani edictum in hoc genere pulcherrimum, quod supra posuimus, huius lib. c. 2. n. 18.

XVIII. Et nihilominus hæc subordinatio inter Episcopos, quæ fuit, & est in Ecclesia maxime necessaria ad vitandam confusionem, fuit etiam, & nunc maxime est, canonibus iam, & legibus contemptis, occasio multorum malorum in Ecclesia. Hinc enim Metropolitani sæpe in suffraganeos; Primates in Metropolitanos; & Patriarchæ in omnes Episcopos, insolenter insurrexerunt. Hierarchia hæc, initio quidem modesta, & egregie regulata, tandem immane illud nobis peperit monstrum Hieromonarchæ Supremi, & Vniuersalis. Sicut enim in ipsis pene Ecclesiæ incunabulis Auaritia primum sola facile turbauit regimen Ecclesiæ, & rectores ipsius sæpissime ad indigna compulit, sic postea, expleta iam ex parte auaritia, ex ditatione Ecclesiæ, Ambitio optimas quasque Ecclesiæ regulas pessundedit; cui Ambitioni, & libidini dominandi aditum aperuit hæc ipsa inter Episcopos, alioquin omnes æquales, Hierarchica dispositio.

XIX. Pauperes duntaxat initio, & vt plurimum consequenter viles, in clerum cooptabantur personæ; vt ostendam libro 9. & non nisi ex tali clero, ad regimen Ecclesiarum, Episcopi assumebantur, vt supra docui cap. 4. Hi igitur in natura corrupta, cum se viderent ad dignitatem euectos, & populis præfectos, non contenti religiosa frugalitate, & parsimonia, ad opes comparandas multi inhiabant: & hoc deplorat Cyprianus, qui persecutiones sui temporis

A poris in Christianos ab Ethnicis Principibus excitatas, peccatis eorundem tribuit Christianorum, ac præsertim Ecclesiasticorum: [a] Non in Sacerdotibus, *inquit*, religio deuota; non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. — Episcopi plurimi, quos & ornamento esse oportet cæteris, & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas Prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari; esurientibus in Ecclesia fratribus, habere argentum largiter, velle fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere.] Occasio igitur oblationum, & eleemosynarum piorum fidelium, cum pauperes ipsi essent Episcopi, Auaritiam eorum suscitauit, & inde in Ecclesia perturbata sunt omnia; iramque Dei, ac vindictam persecutionum sub Decio, vt scribit Cyprianus, prouocarunt.

a *Cypr. serm. de Lapsis.*

XX.

Inuectæ sunt opes postea in Ecclesiam, inducta proprietas: Auaritiæ satisfactum; sed in
B officio se Ecclesiastici viri non continuerunt; [b] abyssus enim abyssum inuocat: & [c] dilectus impinguatus, incrassatus, recalcitrauit. Episcopi potentiores, ij videlicet qui occasione positæ Hierarchiæ, supra alios sunt euecti, turbas inter se & rixas excitarunt; Quod meritò deflet Eusebius: [d] Cum nos, *inquit*, præ nimia quadam licentia, in mollitiem delicatam, & dissolutam segnitiem essemus prolapsi; cumque alij alijs inuidere, maledictis insectari, & propè nos ipsi inter nos, petulantibus linguis, tanquam mortuis armis oppugnare; & casu aliquando verborum contumelias, velut hastas, vnus in alium intorquere; & Præsides Ecclesiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare: Veluti sensibus orbati, & perstricti mente, nulla cura aut cogitatione incubuimus, vt diuinum numen in nos incensum, benevolum, & placatum efficeremus; sed tanquam impij, nostras res à Deo nec curari, nec animaduerti arbitrati; alia vitia alijs aceruatim adiecimus. Et Pastores nostri, depulsa repudiataque pietatis regula, dissidio & contentione in-
C ter se exarserunt: Quin etiam nullas alias res, præterquam discordias, minas, æmulationem, inimicitias, & odium inter ipsos mutuo adaugere studuerunt; & animis Ambitionis æstu incensis, tyrannorum more, Principatum obtinere laborarunt. Tunc demum iuxta illam Hieremiæ sententiam: [e] Obscurauit in ira sua Dominus filiam Syon.] Ac Diocletiani persecutionem hinc subsecutam, non immeritò arbitratur. Iam tunc igitur tyrannicum Principatum Episcopi ambibant: Quinam, obsecro, potissimum, nisi Patriarchæ, occasione illius cuiuscunque Primatus? Et de Episcopis reliquis paulò pòst subsecutis, hæc scripta inuenio; [f] Multo auidius tum (*sub Diocletiano*) martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm nunc (*tempore Sulpicij, quarto sæculo*) Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur.] *Item*: [g] Et nunc cum maximè discordijs Episcoporum turbari, aut misceri omnia cernerentur; cunctaque per eos odio, aut gratia, nutu, inconstantia, inuidia, factione, libidine, auaritia, arrogantia, somno, desidia essent depranata; postremo plures aduersum paucos
D bene consulentes, insanis consilijs, & pertinacibus studijs certabant: inter hæc plebs Dei, & optimus quisque probro, atque ludibrio habebatur.] Vetus morbus in Ecclesia.

b Psal. 41.
c Deut. 32.
d *Euseb. lib. 8. cap. 1.*
e *Thren. 2.*
f *Sulpic. Sac. hist. l. 2. sub ann. Christi 303.*
g *Ibid. l. 2. in fin.*

Et quid, quæso, Canoni 6. Nicæno edicendo occasionem dedit, nisi Patriarcharum isthæc Ambitio; eorumque de Primatu controuersiæ, & dissensiones? Quibus ita occurrit, vt singuli proprijs limitibus coercerentur; nec vnus in alterius regimen se inucheret. Hoc ipsum alterum generale Concilium post Nicænum Constantinopoli celebratum, tanquam maximè necessarium [h] repetiuit; vt [i] supra etiam explicabam, & infra lib. 4. explicabo: Alexandrinus enim, quia primum locum inter Orientis Patriarchas obtinebat, antequam Constantinopolis Imperialis Curia excreuisset, nimium sibi cum arrogaret, eodem Nicæno Canone fuit compescendus. Et sanè, si Canon ille Alexandrinum conantem sibi Antiochenum subigere, refrænat & compescit; cur non debet etiam Romanum frænare, & compescere? Si quidem Canon ille, vt explicabo fusius lib. sequenti, omnibus
E Patriarchis proprios assignat terminos; extra quos nemini ipsorum liceat egredi? Et nihilominus ipse vel maximè, è terminis proprijs exiliens, maximè etiam Ecclesiasticam optimè institutam turbauit Hierarchiam; vt iam ex peculiaribus ipsius inuasionibus, & vsurpationibus, Hierarchiam ipsam hactenus à me hoc libro descriptam turbantibus, ostendo.

XXI.

h *Socr. l. 5. c. 8.*
i *Hoc lib. c. 2. n. 5. 6.*
k *Theodor. apud Bar. an. to. 5. an. 439. n. 42. 43.*

Episcoporum electiones potissimum, confirmationes, & consecrationes ne confusè fierent; deinde etiam Episcoporum errores & defectus, necessitatem prælationis alicuius, & subiectionis inter Episcopos, in Ecclesiam, vt vidimus, importarunt. Circa hæc omnia sicut Ecclesia ipsa consuetudinem iam meritò introductam optimis legibus stabiliuit, &

XXII.

confirma-

CAP. XII.

Hierarchiam hanc Ecclesiasticam nunc plurimum turbari, & confundi.

Summa Capitis.

Hierarchiæ Ecclesiasticæ iam constitutæ necessitas proponitur, & ex Patrum dictis & exemplis ipsius inuiolabilitas confirmatur, à num. primo ad num. 17.

Turbatio huius hierarchiæ deploratur, num. 18. Occasionem huic turbationi dedit post expletam Auaritiam, Ambitio, num. 19. 20. 21.

Turbatio Romanæ hierarchiæ Ecclesiasticæ circa Episcoporum electionem, à num. 22. ad 36.

Circa confirmationes Episcoporum à num. 37. ad num. 51.

Circa consecrationes eorundem, à num. 52. ad num. 64.

Obiectiones proponuntur, & soluuntur, à num. 65. ad finem.

I. VT vitaretur confusio in regimine Ecclesiarum, paulatim, vt vidimus, in præcedentibus huius libri capitibus, magistro vsu, docente experientia, ac super omnia spiritu Christi suam Ecclesiam regente, varia sunt inducta instituta, legesque præscriptæ, vt Rectores, ministrique Sanctæ Ecclesiæ in officio omnes, ac potestate alioquin pares, ordine tamen certo vniuersali Ecclesiæ inseruirent; & quasi

a Cantic. 6. stationibus inter se dispositis, vere Ecclesiam facerent,[a] Castrorum aciem ordinatam. Ordinem vero iam exposui; stationum dispositiones ostendi; officia varia, variaque munera proprijs distincta limitibus patefeci: leges vnicuique præscriptas iam recensui. Quæ quandiu seruatæ sunt illæsæ, dum quisque se intra suos limites coercuit; quousque proprio officio, proprioque munere fuit quisque contentus; dum suam nemo dereliquit stationem, pulcherrimus ordo in Ecclesia viguit; nulla

b Supra cap. 2. num. 5. affuit turbatio, nulla confusio, nulla turpitudo. Postquam vero [b] Ambitio pestifera, dominandique libido, atque Auaritia cæperunt, & Metropolitanos, & Primates, & præcipue Patriarchas, sed potissimum præcipuum Patriarcham Romanum exagitare, turbati sunt ordines, & omnia confusa. Sua enim illa immani Monarchia exlegem se fecit, omnibus canonibus superiorem, ijsque conculcatis, aliena iura sibi rapuit, & Ecclesiam Christi, syluam fecit frementium bestiarum. Atque vt plane agnoscant nostri Papæ, quam misere errent, dum pulcherrimam, quam exposui hactenus, turbant Hierarchiam, audiant in primis & videant, quam inuiolabilia sint iura Primatum, quam firma & inconcussa priuilegia Ecclesiarum; discantque ab ipsorum potestate alienissimum esse illa infringere, & perturbare. Deinde singillatim eorum errores, præcipuos tamen, circa iam expositam Hierarchiam, aperiam, & manifestabo; ex quibus in Ecclesia Christi confusio orta est miseranda, & abusus prorsus deplorandi inualuerunt. Libere ex religioso zelo dicentem, audiat me libenter Sanctissimus, & patienter.

II. Anacletus ille, magni in Ecclesia Romana nominis & autoritatis, Episcoporum ordinationes in proprijs Prouincijs, per proprios Prouinciæ Episcopos fieri debere edicit; timensque ne aliquis morem hunc turbare velit aliquando, monet seuere, ac dicit: « Porro quod

c Anacl. ep. 2. Episcopus non ab vno, sed à cunctis, consensu aut præsentia comprouincialium est ordinandus, & nullatenus minus quam à tribus, cæteris consentientibus cunctis; iccirco instituente Domino fieri iubetur, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ, vnius tyrannica autoritas moliretur; & regula vel fides confunderetur credentium.] Qui ita scripsit, quicunque ille fuit, aut Diuino spiritu quod futurum erat præuidit; aut oculis suis conspexit, Romanos nostros Pontifices vere tyrannice, vt ipse loquitur, sibi Episcoporum omnium, etiam remotissimorum, ordinationes vsurpare, & Prouincialibus Episcopis eripere. Eidem

d 25. q. 1. c. Priuilegia 1. quoque Anacleto tribuitur dictum illud: [d] Priuilegia Ecclesiarum & Sacerdotum, Sancti Apostoli, iussu Saluatoris, intemerata & inuiolata omnibus decreuerunt manere temporibus.]

Zosimus

A Zolimus ægrè ferens Proculum Massilienſem, conniuentia Synodi Taurinenſis, in præiudicium ſedis Metropolitanæ Arelatenſis, quorundam Epiſcoporum ad eam ſpectantium ordinationes ad ſe traxiſſe, factum deteſtatus in id ita inuehitur; [a] Indecens auſus, & in ipſo veſtibulo reſecandus: hoc ab Epiſcopis ob certas cauſas conſilium agitantibus extorquere, quod contra ſtatuta Patrum, & ſancti Trophimi reuerentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis ex hac ſede directus eſt, concedere, vel mutare, ne huius quidem ſedis poſsit autoritas. Apud nos enim inconſultis radicibus viuit antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reuerentiam.] Audis dictum Romani Pontificis ex Cathedra, ne ſedem quidem Romanam poſſe Metropolitanis auferre ſuos Epiſcopos, vt ab alijs quam ab ipſis Metropolitanis, eorumue commiſsione ordinentur. III.

a Apud Baron. in append. tom. 5

4

Bonifacius primus certior factus Lutubenſium querimonijs, Patroclum Arelatenſem, IV.

B in aliena Prouincia eis Epiſcopum, abſque Cleri & Plebis conſenſu, & abſque Metropolitani propria notitia ordinaſſe, ferre non potuit. [b] Quia conuenit, *inquit*, nos paternarum ſanctionum eſſe diligentes cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit (vt eadem propriè verba ponamus.) Per vnamquanque Prouinciam ius Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe poſſe ſubiectas. Quod illi (quia aliter credendum non eſt) ſeruandum, Sancto Spiritu ſuggerente, ſibimet cenſuerunt. Vnde frater carisſime, ſi ita res ſunt, & Eccleſiam ſupradictam Prouinciæ tuæ limes includit, noſtra autoritate communitus, quod quidem facere ſponte deberes, deſiderijs ſupplicantium, & voluntate reſpecta, ad eundem locum in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani iure munitus, & præceptionibus noſtris fretus, accede: Intelligens arbitrio tuo, ſecundum regulas Patrum, quæcunque facienda ſunt, à nobis eſſe conceſſa; ita vt peractis omnibus, Apoſtolicæ ſedi; quicquid ſtatueris te referente clareſcat, cui

b Bonif. 1. Ep. 3

C totius Prouinciæ ſuæ ordinationem liquet eſſe mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat; nec aliquis in illorum contumeliam, partibus ſuis quæ ſibi ab his non videntur conceſſa defendat. Ceſſet huiuſmodi preſſa noſtra autoritate præſumptio eorum, qui vltra licitum ſuæ limitem dignitatis extendunt. Quod iccircò dicimus, vt aduertat charitas tua, adeò nos Canonum præcepta ſeruare, vt ita conſtitutio quoque noſtra definiat, quatenus Metropolitani ſui vnaquæque Prouincia, in omnibus rebus, ordinationem ſemper expectet.] Si factum Patrocli tantopere fuit abhorrendum, quia ſecundum Nicænas regulas, oportet per ſingulas Prouincias, ius ſuum Metropolitanos habere; cur licebit Romano Pontifici ius hoc Metropolitanis infringere? Ita enim Patriarchis, ſicut & cæteris Epiſcopis datur inhibitio, ne in aliena Prouincia attentent ordinationes; ſed cuique Eccleſiæ ſalua velint eſſe Priuilegia; quod exaggerat Bonifacius, & alij qui ſequuntur.

Leo quanta bile in Anatolium Conſtantinopolitanum excanduerit, quòd Antiochenum Patriarcham ordinare ſit auſus; quamque ſe vehementem Nicænarum Regularum vindicem exhibuerit, ne aliorum iura in Epiſcopis ordinandis peruertantur, conſtat ex eius Epiſtolis 56. 57. 58. Quæ tota illius obiurgatio, meritò æquè cadit etiam in Romanum Pontificem, ſi alienarum Prouinciarum ſiue Primates, ſiue Epiſcopos, ipſe quoque velit, inſcijs, & inconſultis, contemptiſque illarum Prouinciarum Epiſcopis, ordinare; ſeu alijs extra Prouincias illas ordinandos committere. Cur enim Conſtantinopolitano id non liceat, in Oriente potiſsimùm, poſtquam duplici iam vniuerſali Concilio Priuilegia primi Patriarchæ in Oriente habuerit; Romano verò licet? Certè Canones æquè Romano, atque Conſtantinopolitano id vetuere, neque vllum Eccleſiaſticum Primatem, ab vniuerſali illa prohibitione excepere; vt probabo in ſequentibus. Et omnibus etiam ſibi illa intimat ibidem Leo; [c] Non conuellantur Prouincialium iura Primatum; nec priuilegijs antiquitus inſtitutis Metropolitani fraudentur Antiſtites.] *Et*; [d] Priuilegia Eccleſiarum ſanctorum Patrum Canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa Decretis, nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt; & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen, Spiritu Dei inſtruente ſunt conditæ, me (quod abſit) conniuente violentur, &c.] V.

D

c Leo Ep. 56.

d Idem Ep. 54. & habetur 25. q. 2. c. Priuilegia 2.

Idem quoque Leo ad Maximum Antiochenum ſcribens, curam ei Eccleſiarum ſui Patriarchatus præcipue commendat; ne permittat eas hæreſibus inficiendi; eaque occaſione digreditur in Primatum Conſtantinopolitanum, qui illum ſemper anxium habuit: [e] Neque vllo modo ſinas, *inquit*, in Orientalibus Eccleſijs, maximeque in ijs quas Antiochenæ ſe di ſacra-

VI.

e Idem Leo Ep. 66.

E

di sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputauere, ab improbis hæreticis Euangelio insultari. — Summa itaque vigilantia cautum te esse conuenit, ne quid sibi hæretica prauitas audeat vindicare; cum te deceat his Sacerdotali autoritate resistere, nosque sæpius de profectu Ecclesiarum, tuis relationibus, quid agatur, instruere. Dignum est enim te Apostolicæ sedis in hac solicitudine consortem esse, & ad augendam fiduciam priuilegia tertiæ sedis agnoscere; vt in nullo, cuiusquam ambitione, minuantur: quia tanta apud me est Nicænorum canonum reuerentia, vt ea quæ sunt Sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua nouitate violari. Etsi enim diuersa non nunquam sunt merita Præsulum, tamen iura permanent sedium: quibus, etsi possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre; non tamen possunt minuere dignitatem. Vnde, cum aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ priuilegijs, dilectio tua agendum esse crediderit, proprijs literis studeat explicare; vt & nos consulationi tuæ absolute, & congrue respondere possimus. Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quod, siquid à quoquam contra Nicænorum Canonum statuta, in quacunque Synodo, vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicij potest inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet contentionum pactum dissolui, quam prædictorum Canonum regulas ex vlla parte corrumpi. Subrependi enim occasiones non prætermittit ambitio; & quoties ob intercurrentes causas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est vt cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus, ad obtinendum Palæstinæ Prouinciæ Principatum credidit se posse sufficere; & insolentes ausus, per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicauit. Et solicita prece multum popposcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur assensio. Nam cuius Epistolæ ad nos exemplaria direxisti, sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro scrinio requisitã, nos authenticam noueris reperisse. Hoc tamen proprium definitionis meæ est, vt quantumlibet numerus Sacerdotum amplior, aliquid per quorundam surreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Patrum constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur: quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia intemerata seruetur.] Quæcunque hic aduersus Constantinopolitanum, & Hierosolymitanum inculcantur, dum aliorum siue Patriarcharum, siue Metropolitanorum vsurpant iura, & suo Primatu alios opprimunt, & deijciunt, eorumq; turbant iurisdictionem, hæc omnia in ipsum quoque Romanum prolata, aut saltem militare non dubites. Quod si de mente Leonis ne vniuersalia quidem Concilia possunt Nicænis regulis, quod sæpius [a] repetiuit, derogare; ac in specie circa potestatem priscam Metropolitanorum; quomodo poterit solus Romanus Pontifex quotidie ijs derogare; imo etiam sine causa ex sola ambitione, & auaritia, eas conculcare, & Episcoporum omnium tam electiones, quam consecrationes sibi reseruare?

a Leo ep. 56. 58.

VII. Ac ne putes Leonem alijs, & non sibi hanc canonum obseruantiam inculcare, audi quæ ad Legatum suum Apostolicum Anastasium Thessalonicensem scribit; vt illum quoque compesceret, & vel Apostolicam sedem ab iniurijs Metropolitanorum abstinere debere declararet: [b] Et necesse est, *inquit*, post multarum experimenta causarum, solicitius prospici, & diligentius præcaueri; quatenus per spiritum charitatis & pacis, omnis materia scandalorum, de Ecclesijs Domini (quas tibi commendauimus) auferatur, præeminente quidem in illis Prouincijs Episcopatus tui fastigio, sed amputato totius vsurpationis excessu. Igitur secundum Sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum Prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita vt à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.] Hæc in æternam memoriam S. Leo.

b Idē Leo. ep 88

VIII. Factis etiam verba sua idem S. Leo, vbi emersit occasio, comprobauit. Viennensis enim Prouinciæ Episcopos, post aliqua eis data monita, sic alloquitur: [c] Vnde quia nostra longe alia videtur intentio (nam omnium Ecclesiarum statum & concordiam custodiri cupimus Sacerdotum) ad vnitatem vos vinculo caritatis hortantes, & obtestamur, & affectione congrua commonemus, vt ea quæ à nobis Deo inspirante, & Beatissimo Petro Apostolo, discussis, probatisque nunc omnibus causis decreta sunt, pro vestra pace & dignitate seruetis: certi non tam nostro honori proficere quod talia statuisse cognoscimur; non enim

c Idem ep. 93.

A enim nobis ordinationes vestrarum Prouinciarum defendimus; quod potest forsitan ad depranandos vestræ Sanctitatis animos, Hilarius pro suo more mentiri: sed vobis, per vestram solicitudinem vindicamus, ne quid vlterius liceat nouitati; nec præsumptori locus vltra iam pateat priuilegia nostra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si Apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata seruetur: & per sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire, quod suum est, pro nouis vsurpationibus non sinamus. Et quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem & Coepiscopum nostrum Leontium, probabilem Sacerdotem, hac (si vobis placet) dignitate volumus decorari; vt, præter eius consensum, alterius Prouinciæ non iudicatur à Vestra sanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetustas eius & probitas exigit honorètur, Metropolitanis priuilegij sui dignitate seruata. Aequum est enim, nec vlli de fratribus
B fieri videtur iniuria, si ijs, qui Sacerdotij vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito, in suis Prouincijs, à Sacerdotibus cæteris deferatur.] Cauet anxiè, ne vsurpator, contra sibi adeo cordi infixos Canones, alieni iuris videatur, si vellet ordinationem Prouinciæ Episcopis Comprouincialibus eripere, & ad se trahere. Et quia Arelatensis Ecclesia Primatum ambibat in Gallijs, Viennensisque Metropolitani iura sibi nitebatur vsurpare, obstitit idem Leo, sicque rescripsit ad Arelatenses Episcopos; [a] Petitionem fraternitatis vestræ, Viennensis Episcopus, missis literis & Legatis, sua suggestione præuenerat, conquerens Arelatensem Episcopum ordinationem sibi Vatensis Episcopi vsurpasse. Cum itaque nobis ita & paternarum reuerentia sanctionum, & omnium vestrum seruanda sit gratia, vt in Ecclesiarum priuilegijs nihil conuelli, nihil patiamur excidi, consequens fuit, vt ad conseruandam inter Viennensem & Arelatensem Prouincias pacem, adhiberetur iustitiæ moderatio; quæ nec antiquitatis vsum; nec desideria vestra negligeret.] Statimque Viennensi quo-
C que Episcopo, suos assignat suffraganeos; in quos Arelatensis nihil iuris habeat. Totam verò causæ decisionem, vt supra consideraui, ex ipsarum Ciuitatum sæculari dignitate petendam esse duxit.

a *Apud Baron. tom.6.an 450. num.56.*

Simplicius Hierarchiæ Ecclesiasticæ turbatorem Acacium, quàm iniquo tulerit animo, vidimus supra ad finem capitis 10. eundemque audiuimus obseruantiam Canonum, sua iura Metropolitanis illæsa conseruantium, serio inculcantem. Symmachum pariter eodem zelo æstuantem supra posuimus num. 21. primi capitis huius libri: & rursum infra, lib.4.cap.12. num.8. IX.

Hormisda quoque Ioanni Episcopo cuidam in Hispanijs, legationis Apostolicæ munus ita committit, vt nihil tamen Metropolitanis velit præiudicari: infra lib.4.c.12 n.10. Ioannes quoque octauus, dum Arelatensi legationis officium confirmat, [b] Cauet tamen e- X.

b *Ioan.epist. 93.*

odem modo, vt Metropolitis, secundũ priscam consuetudinem, proprius honor seruetur.
D Legatorum itaque Apostolicorum munus fuit olim (nec aliud iure esse potest) vt inspicerent duntaxat si quid contra Canones fieret, monerent, arguerent, & Papæ significarent. In reliquis & Episcopi & Metropolitani suo proprio munere perpetuò fungerentur; nec legati se in regimen Ecclesiarum, vel Prouinciæ ingererent. Imò Papæ quoque, si essent in aliena Prouincia extra Romanam præsentes, sua iura integra cedebant Metropolitanis; vt patebit inferius lib.4.cap 12. Eiusdem Hormisdæ opus fuit: Vt Constantinopolitanis Patriarchis auferretur potestas Antiocheni Patriarchæ ordinandi, quam Anatolius iam, & Acacius videbantur vsurpasse. Dioscorus enim Hormisdę Diaconus, dum esset Constantinopoli Papæ Legatus, & Ecclesiæ Antiochenæ vacatio contigisset, & tentarent Imperator, & Patriarcha, vt Constantinopoli in Antiochenum Paulus Presbyter Constantinopolitanus eligeretur, & ordinaretur Episcopum; obstitit Hormisdæ nomine, effecitq; vt Paulus hic, de veteri more, in ipsa Ecclesia Antiochiæ, & eligeretur, & ordinaretur; vt
E idem Dioscorus in sua [c] suggestione ad Hormisdam transmissa narrat. Qui autem pati non potuit Hormisda, vt Constantinopoli ordinaretur Antiochenus; ne antiquus Ecclesiæ mos iniuria afficeretur; quomodo passurus fuit vt Romæ quoque eadem ordinatio celebraretur, siquidem eidem iniuriæ æquè locus sit futurus?

c *Inter Epist. Hormisd. post ep.62.*

Gregorius quoque non minori zelo, & sæpius, pro Ecclesiarum priuilegiis pugnat; cauetque vehementer, ne iura Ecclesiarum lædantur: [d] De Ecclesiasticis verò, *inquit*, priuilegijs, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat; Quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs [e] sua iura seruamus: nec cuilibet, fauente gratia, vltra quam meretur, impertior; nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu simulante derogo: Sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subuehi, XI.

d *Greg.lib.2. ind.10.ep.39.*

e *Idem lib 2. ind.11. ep.29.*

dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi.] *Item*: [a] Absit à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis, in qualibet Ecclesia intringam: quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.] *Item ad Vitalem defensorem?* [b] Si cuiusquam Clerici, vt assolet, culpæ casus emerserint, in qua te sibi petere debeant adiutorem, ad Episcopum reuerenter accede; & sicut causæ meritum cognoueris, apud eum, non defensor culpæ, sed potius intercessor existe; vt hac prouisione & poscenti feras auxilium, & iura Præpositi non turbentur. Si qui vero sunt qui iusta popoſcerint eis per te auxilium sedis Apostolicæ non est negandum. Sed tamen ita seruanda est vniuscuiusque Episcopi reuerentia, vt clericorum disciplina per defensionis tuæ experientiã minime soluatur.] *Item*: [c] Nam si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur; quid aliud agitur, nisi vt per nos per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?] *Item*: [d] Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt; non constructor, sed euersor esse iustè comprobarer; testante veritatis voce, quæ ait: Omne Regnum in se ipso diuisum non stabit; & omnis scientia & lex aduersum se diuisa destruetur.] Et legato suo Augustino illud dat in mandatis: [e] Ipse autem autoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris; sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studia reforma: quia scriptum est in lege: [f] Per alienam messem transiens, falcem mittere non debet, sed manu spicas conterere & manducare. Falcem ergo iudicij mittere non potes in eam segetem, quæ alteri videtur commissa &c.] Eodemque modo, sicut supra Hormisda, Legato, omnem prorsus negat iurisdictionem; ne ordinario iuri Metropolitico, vlla vel minima fiat læsio. Quod si Legatus à latere, qui Papæ ipsius personam repræsentat, Metropolitanum non potest turbare in sua iurisdictione; neque ipse Papa poterit; siquidem id ei negatur, non restrictione commissionis; sed iuris Metropolitici proprio vigore, quod à nulla possit in Ecclesia potestate labefactari.

a *Greg. l. 2. Indict. 10. ep. 37.*

b *Idem l. 7. Indict. 2. ep 65.*

c *Idem l. 4. Indict. 4. ep. 32.*

d *Idem l. 10. ep. 31.*

e *Idem ad interreg. Aug. c. 9.*

f *Deut. 23.*

XII. Quanta sit firmitas hæc Ecclesiasticorum statutorum, quibus diuisus est magnus Christi grex inter Pastores; ac inter Pastores aliqua posita est subordinatio, & prælatio, ita tamen vt nunquam adhuc suprema vnius appareat supra reliquos omnes Monarchia, explicarunt hactenus egregie ipsimet Romani Pontifices, & sane celeberrimi; & magni nominis in Ecclesia; qui Ecclesiarum iura inuiolata esse debere in perpetuum & senserunt, & pronunciarunt; neque licere cuiquam, etiam summo Pontifici, ea perturbare, ac multo minus sibi vsurpare. Iam vero hanc ipsam firmitatem ex aliis quoque aliorum Episcoporum factis, adhuc reddamus patentiorem; si forte noster Dominus Papa plenissime instructus, hos, quos recensuimus, maiores suos optimos duces, tandem aliquando sibi sequendos esse statuat, & magistros.

XIII. Bonifacius Germaniæ Apostolus, Romano Pontifici addictissimus, Traiectensem nouam Ecclesiam omnino eidem Pontifici immediate subdere conabatur; quia Frisonum gens, per Villebrordum à Papa missum, fuit conuersa: sed Colonienſis Archiepiscopus, quia Traiectum in ipsius Prouincia erat inclusum, restitit; vt idem Bonifacius scribit: [g] Et modo, *inquit*, vult Colonienſis Episcopus, sedem supradicti Villebrordi sibi contrahere, vt non sit Episcopalis sedes subiecta Romano Pontifici.] Episcopus Catholicus non obstitisset Romano Pontifici, nisi habuisset canones eidem obsistentes; ne & ipse alienæ Prouinciæ ordinationes sibi vsurpet; & Ecclesias sibi Metropolitico iure subijciat, quæ ei subiectæ non sunt, nec ad eius pertinent propriam Prouinciam. Ita postea Ignatius quoque Constantinopolitanus, vir non modo Catholicus, sed etiam sanctus, & à Romana quoque Ecclesia inter [h] sanctos habitus perpetuo & recensitus; Nihilominus aduersus Romanum Pontificem [i] pugnauit acriter, vt Bulgariam Prouinciam, ad Romani Papæ ius, & ordinationem transire non permitteret, sed eam tanquam iuris Primatus Constantinopolitani, sibi retineret. Concertationem hanc pro Bulgaria, habes in Anastasio Bibliothecario, vbi recenſet gesta Hadriani secundi: & in Epistola quinta eiusdem Hadriani tom. 3. Decret. epist. Romanorum Pontificum: siue in tom. 3. Concil in fine oct. Synod. general. Et in pluribus Epistolis Ioannis 8. Videlicet 75. 76. 77. 78. 79. 109. 174. 192. 201. 251. 287. 297. In Encyclica Photij apud Baronium, tomo decimo, ann. 863. numer. 42. 43. 44. 45. Et in eod. Baron. eod. tom. sæpius. Et nihilominus Constantinopolitanus tandem euicit Bulgariam: Quod si indubitatum fuisset in Ecclesia Romanum Pontificem posse ad placitum suum quoscunq; Episcopos, cuiuscunque

g *Apud Baron. tom. 9. an. 755. num. 41.*

h *Baron tom 10. an. 788. nn. 45. & seq.*

i *Ibid. nn. 44.*

Prouinciæ

A Prouinciæ ordinare; esseque illum sacris Canonibus id prohibentibus, eiq; propriam prouinciam, vt infra patebit, assignantibus, superiorem; cur tam diutinam sustinuissent Romani Pontificis disputationem, vt ostenderent, non quidem Romanam sedem habere supremam in tota Ecclesia vniuersali Monarchiam, sed Bulgariam ad ius Romanæ Ecclesiæ, & non Constantinopolitanæ pertinere?

XIV. Acerrimum Metropoliticorum iurium aduersus Romanum Pontificem propugnatorem habemus Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem: virum sanè & doctrina, & sanctitate singulare. Is enim. Rothaldū, siue Rothadū Suession. Episc. ob ipsius varia delicta, debitis affecerat pœnis: Nicolaus tamen Papa Rothaldi, ad sedem Apostolicam appellantis defensionem susceperat, indeque in Hincmarum non semel excanduerat, appellationibus, & inhibitionibus non deferentem. Sed ille Epistola Apologetica se purgare voluit; in

B eaque Metropolitica iura tutatus est, & ab oppressione Romana, modestissimè tamen, vt par est, vindicauit. Ait igitur; [a] Qua de re sanctissime Domine, & Pater reuerendissime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ; sed & supportate me, si adhuc quædam de Rothaldi causa, vobis iam sufficienter notissima, quasi repetens scribo; cum quo, quia vobis placet, cui cuncta bona placent, mittimus Vicarios nostros, non vt accusatores ad confligendum, sed vt à Rothaldo, atque à vicinis nostris, qui causam pleniter, ac veraciter, aut nesciunt, aut scire nolunt, accusati quod nos in contemptum sedis Apostolicæ appellantem Rothaldum secundum Sardicenses Canones sedem Apostolicam, retinuerimus; sed eum quia ad Electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses, & Africanenses Canones, ac Decreta beati Gregorij, regulariter iudicauimus vestræ summæ autoritati humiliter intimandum: Absit enim à nobis vt priuilegium primæ, & summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis, pro sic paruo pendamus, vt controuersias, & iurgia tam superioris, quàm inferioris ordinis, quæ Nicæni, & cæteri sacrorum

C Conciliorum Canones, & Innocentij, atque aliorum sanctæ Romanæ sedis Pontificum Decreta, in Synodis Prouincialibus, ac Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam autoritatem fatigandam ducamus. At si fortè de Episcopis causa nata fuerit, vnde certa & expressa in sacris regulis non habemus iudicia, & ob id in Prouinciali, vel in Comprouinciali nequeat examine definiri; ad diuinum Oraculum, id est, ad Apostolicam sedem, nobis inde est recurrendum. Si etiam de maioribus causis, à Prouinciali Episcopo, ad Electorum iudicium non fuerit prouocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit iudicatus, id est, à gradu suo in Comprouinciali Synodo deiectus, & putat se bonam causam habere, & appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur examen, scribendum est ab iis qui causam examinârant post iudicium Episcopale eidem summo Pontifici; &

D ad illius dispositionem, secundum septimum Sardicensis Concilij capitulum, renouabitur examen. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænum Concilium innuit, & cæteri Romanæ sedis Pontifices in Decretis suis, ex sacris Canonibus monstrant, ipsius Pontificis, etiam ante iudicium est sententia præstolanda.]

XV. Et post narrata Rothaldi delicta, totus in eo est, vt doceat [b] Romanum Pontificem posse quidem patrocinium afflictorum iniustè, & oppressorum suscipere, ad eum in grauioribus causis pronocantium; iudicare tamen per se non debere alienos, sed ad iudicium Prouinciæ transmittere; curareque vt iudicium rectum fiat. Huc adducit exempla Scripturæ, nimirum [c] Pauli non à Christo immediatè instructi, quid illum oporteat facere, sed ad Ananiam missi: [d] Cornelij ab Angelo non instructi, sed ad Petrum missi: Petri non expo-

E testate, sed ex ratione, querelæ fidelium Iudæorum respondentis; & Prælatis Ecclesiæ, [e] vt non sint dominantes in Clero præcipientis. Adducit etiam varia & Pauli, & Romanorum Pontificum Gelasij, & Leonis, Ambrosii quoque dicta, vt his omnibus ostendat Papam non debere ex potestate adeò agere, vt ordinaria Ordinariorum impediat iudicia; sed generali quadam superintendentia illum debere esse contentum; in eoque priuilegium Romanæ sedis collocat, vt sua autoritate priuilegia Rhemensis, & aliarum Ecclesiarum Metropolitanarum intacta conseruet, vigere faciat, & studeat confirmare; concordiamque cum ipsis perfectam conetur retinere. De hac Hincmari apologia nos plura lib. 8.

XVI. Idem Hincmarus Ecclesiastici iuris sicut instructissimus, ita obseruantissimus, in Synodo quadam Metensi, pro causa Caroli Regis, cùm præsideret, in aliena Prouincia, & capitula proponeret, excusationem hanc præmisit, quæ optimam continet instructionem;

a *Ex Frodoardo Baronium. 10. an. 865. nu. 36.*

b *Ibid. nu. 44. & seqq.*

c Act. 9.

d Act. 10.

e 1. Pet. 5.

a Apud Baron. to. 10. an. 869. num. 110.

[a] Ne alicui, *inquit*, fortè videatur incongruè, & præsumptuosè me, ac Prouinciæ nostræ venerabiles Coepiscopos, facere, quoniam de altera Prouincia ordinationi, & causis huius Prouinciæ nos immiscemus; sciat nos contra Canones sacros non agere; quoniam Rhemensis, & Treuirensis Ecclesia in hac regione Belgica cum istis Ecclesijs sorores, & comprouinciales habentur, sicut autoritas Ecclesiastica, & antiquissima demonstrat consuetudo; ac per hoc vnanimi consensu, & Synodalia iudicia exercere, & quæ à Sanctis Patribus constituta sunt, debent concorditer custodiri. Hac priuilegij constitutione seruata, qui prior de Rhemensi, & Treuirensi Episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur. Et lex

b Deut. 23.

Diuinitus inspirata præcipit dicens: [b] Si transieris per messem amici tui, colligens spicas manu confricabis ad manducandum, falcem non mittas, vel falce non metas. Messis est

c Matth. 9.

populus, vt Dominus demonstrat in Euangelio dicens: [c] Messis quidem multa, operarij autem pauci, rogate Dominum messis vt mittat operarios in messem suam; quia vos pro nobis Episcopis debetis orare, vt vobis digna possimus loqui. Messis autem amici est populus in Prouincia alteri Metropolitano commissa. Vnde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad Dei voluntatem, & vestram salutem, in corpus vnitatis Ecclesiæ valemus, & debemus traijcere. In Parochianos autem Prouinciarum alijs Metropolitanis commissarum falcem iudicij non mittimus, quia nec est vnde, nec nostrum esse consideramus. Est & alia causa, quia isti venerabiles Domini, & confratres nostri Prouinciæ istius Episcopi, non habentes Metropolitanum Episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut & in specialibus nostris causis, nos fraterna charitate iubent, & commonent agere.] Quæ instructio generalis est Patriarchis etiam; nedum inferioribus Metropolitanis obseruanda.

A B

XVII. Iuo quoque Carnotensis, totius Galliæ Primati, Seu Patriarchæ Lugdunensi, Sennonensem Archiepiscopum diuersæ Prouinciæ ad Concilium iure sui primatus conuocanti,

d Iuo ep. 236.

ita Sennonensis nomine respondet: [d] Ad Concilium venire minime contemnimus: sed terminos, quos posuerunt Patres nostri, terminos antiquos, transgredi formidamus. Nusquam enim reuerenda Patrum sanxit autoritas, nunquam hoc seruare consueuit antiquitas, vt primæ sedis Episcopus, Episcopos, extra Prouinciam propriam positos, inuitaret ad Concilium; nisi hoc, aut Apostolica sedes imperaret; aut vna de prouincialibus Ecclesijs, pro causis, quas intra Prouinciam terminare non poterat, primæ sedis audientiam appellaret.] Profertque canonem Nicolai, 9. q. 3. c. Conquestus, in quo illud habetur; Primates enim, vel Patriarchas, nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus: ita vt secundum Nicænas regulas, sua priuilegia seruentur Ecclesijs.] Et hæc Regula, si non intentione Nicolai, certe iure & ratione iam exposita in præcedentibus, & vlterius lib. 4. exponenda, omnibus penitus, & Metropolitanis, & Patriarchis, & etiam Romano præscribitur; Vt nihil possit in alienis Prouincijs, nisi quantum ei sacri concedunt Canones; & prisca contulit consuetudo. Quamuis circa conciliorum conuocationem, non modo Patriarchæ, sed etiam

e Idem ep. 237.

Primates ius habeant plenum; vt bene Sennonensi, vel potius Iuoni respondet [e] Lugdunensis; & ego tractabo lib. 7. His adde, si placet, Iustiniani edictum in hoc genere pulcherrimum, quod supra posuimus, huius lib. c. 2. n. 18.

C D

XVIII. Et nihilominus hæc subordinatio inter Episcopos, quæ fuit, & est in Ecclesia maxime necessaria ad vitandam confusionem, fuit etiam, & nunc maxime est, canonibus iam, & legibus contemptis, occasio multorum malorum in Ecclesia. Hinc enim Metropolitani sæpe in suffraganeos; Primates in Metropolitanos; & Patriarchæ in omnes Episcopos, insolenter insurrexerunt. Hierarchia hæc, initio quidem modesta, & egregie regulata, tandem immane illud nobis peperit monstrum Hieromonarchæ Supremi, & Vniuersalis. Sicut enim in ipsis pene Ecclesiæ incunabulis Auaritia primum sola facile turbauit regimen Ecclesiæ, & rectores ipsius sæpissime ad indigna compulit, sic postea, expleta iam ex parte auaritia, ex ditatione Ecclesiæ, Ambitio optimas quasque Ecclesiæ regulas pessundedit; cui Ambitioni, & libidini dominandi aditum aperuit hæc ipsa inter Episcopos, alioquin omnes æquales, Hierarchica dispositio.

E

XIX. Pauperes duntaxat initio, & vt plurimum consequenter viles, in clerum cooptabantur personæ; vt ostendam libro 9. & non nisi ex tali clero, ad regimen Ecclesiarum, Episcopi assumebantur, vt supra docui cap. 4. Hi igitur in natura corrupta, cum se viderent ad dignitatem euectos, & populis præfectos, non contenti religiosa frugalitate, & parsimonia, ad opes comparandas multi inhiabant: & hoc deplorat Cyprianus, qui persecutiones sui temporis

A poris in Christianos ab Ethnicis Principibus excitatas, peccatis eorundem tribuit Christianorum, ac præsertim Ecclesiasticorum: [a] Non in Sacerdotibus, *inquit*, religio deuota; non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. — Episcopi plurimi, quos & ornamento esse oportet cæteris, & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas Prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari; esurientibus in Ecclesia fratribus, habere argentum largiter, velle fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere.] Occasio igitur oblationum, & eleemosynarum piorum fidelium, cum pauperes ipsi essent Episcopi, Auaritiam eorum suscitauit, & inde in Ecclesia perturbata sunt omnia; iramque Dei, ac vindictam persecutionum sub Decio, vt scribit Cyprianus, prouocarunt.

a *Cypr. serm. de Lapsis.*

XX.

Inuectæ sunt opes postea in Ecclesiam, inducta proprietas: Auaritiæ satisfactum; sed in
B officio se Ecclesiastici viri non continuerunt; [b] abyssus enim abyssum inuocat: & [c] dilectus impinguatus, incrassatus, recalcitrauit. Episcopi potentiores, ij videlicet qui occasione positæ Hierarchiæ, supra alios sunt euecti, turbas inter se & rixas excitarunt; Quod meritò deflet Eusebius: [d] Cum nos, *inquit*, præ nimia quadam licentia, in mollitiem delicatam, & dissolutam segnitiem essemus prolapsi; cumque alij alijs inuidere, maledictis insectari, & propè nos ipsi inter nos, petulantibus linguis, tanquam mortuis armis oppugnare; & casu aliquando verborum contumelias, velut hastas, vnus in alium intorquere; & Præsides Ecclesiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare: Veluti sensibus orbati, & perstricti mente, nulla cura aut cogitatione incubuimus, vt diuinum numen in nos incensum, benevolum, & placatum efficeremus; sed tanquam impij, nostras res à Deo nec curari, nec animaduerti arbitrati; alia vitia alijs aceruatim adiecimus. Et Pastores nostri, depulsa repudiataque pietatis regula, dissidio & contentione in-
C ter se exarserunt: Quin etiam nullas alias res, præterquam discordias, minas, æmulationem, inimicitias, & odium inter ipsos mutuo adaugere studuerunt; & animis Ambitionis æstu incensis, tyrannorum more, Principatum obtinere laborarunt. Tunc demum iuxta illam Hieremiæ sententiam: [e] Obscurauit in ira sua Dominus filiam Syon.] Ac Diocletiani persecutionem hinc subsecutam, non immeritò arbitratur. Iam tunc igitur tyrannicum Principatum Episcopi ambibant: Quinam, obsecro, potissimum, nisi Patriarchæ, occasione illius cuiuscunque Primatus? Et de Episcopis reliquis paulò pòst subsecutis, hæc scripta inuenio; [f] Multo auidius tum (*sub Diocletiano*) martyria glorioris mortibus quærebantur, quàm nunc (*tempore Sulpicij, quarto sæculo*) Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur.] *Item*: [g] Et nunc cum maximè discordijs Episcoporum turbari, aut misceri omnia cernerentur; cunctaque per eos odio, aut gratia, nutu, inconstantia, inuidia, factione, libidine, auaritia, arrogantia, somno, desidia essent deprauata; postremo plures aduersum paucos
D bene consulentes, insanis consilijs, & pertinacibus studijs certabant: inter hæc plebs Dei, & optimus quisque probro, atque ludibrio habebatur.] Vetus morbus in Ecclesia.

b Psal. 41.
c Deut. 32.
d *Euseb. lib. 8. cap. 1.*
e *Thren. 2.*
f *Sulpic. Sac. hist. l. 2. sub ann. Christi 303.*
g *Ibid. l. 2. in fin.*

Et quid, quæso, Canoni 6. Nicæno edicendo occasionem dedit, nisi Patriarcharum isthæc Ambitio; eorumque de Primatu controuersiæ, & dissensiones? Quibus ita occurrit, vt singuli proprijs limitibus coercerentur; nec vnus in alterius regimen se inueheret. Hoc ipsum alterum generale Concilium post Nicænum Constantinopoli celebratum, tanquam maximè necessarium [h] repetuit; vt [i] supra etiam explicabam, & infra lib. 4. explicabo: Alexandrinus enim, quia primum locum inter Orientis Patriarchas obtinebat, antequam Constantinopolis Imperialis Curia excreuisset, nimium sibi cum arrogaret, eodem Nicæno Canone fuit compescendus. Et sanè, si Canon ille Alexandrinum conantem sibi Antiochenum subigere, refrænat & compescit; cur non debet etiam Romanum frænare, & compescere? Si quidem Canon ille, vt explicabo fusius lib. sequenti, omnibus
E Patriarchis proprios assignat terminos; extra quos nemini ipsorum liceat egredi? Et nihilominus ipse vel maximè, è terminis proprijs exsiliens, maximè etiam Ecclesiasticam optimè institutam turbauit Hierarchiam; vt iam ex peculiaribus ipsius inuasionibus, & vsurpationibus, Hierarchiam ipsam hactenus à me hoc libro descriptam turbantibus, ostendo.

XXI.

h *Socr. l. 5. c. 8.*
i *Hoc lib. c. 2. n. 5. 6.*
k *Theodor. apud Bar. an. to 5. an. 439. n. 42. 43.*

Episcoporum electiones potissimum, confirmationes, & consecrationes ne confusè fierent; deinde etiam Episcoporum errores & defectus, necessitatem prælationis alicuius, & subiectionis inter Episcopos, in Ecclesiam, vt vidimus, importarunt. Circa hæc omnia sicut Ecclesia ipsa consuetudinem iam meritò introductam optimis legibus stabiliuit, &

XXII.

confirma-

confirmauit; ita Romana nimia Ambitio, & consuetudinem optimam, & sanctissimas leges, & iura ipsa, non minus diuina quam humana peruertit, pessum dedit, conculcauit. Veniamus ad electiones: Ac primum considera quam importuna, & verè præsumpta sit, contra tot sanctissima decreta, Gregorij 9. definitio, [a] excludens Laicos ab electione: & consuetudinem contrariam ex Apostolica traditione venientem, vocans corruptelam. Episcopos namque omnes cuiuscunque gradus & dignitatis sint in Ecclesia, à Clero & populo eligi debere pluribus probaui supra c. 3. & quinam, ac vnde eligi debeant, c. 4. idque ab Apostolorum temporibus [b] Apostolica traditione in Ecclesia ita perpetuo, & inuiolabiliter seruatum ostendi per quatuordecim ferme post Christum sæcula. A

a c. Missana, de electione.

b Supra cap 3. num. 7. & 25.

XXIII.

Hinc vero tandem Romani Pontifices cæperunt primùm, in alienis præsertim à Romana peculiari prouincijs, commendare personam aliquam Cleris & populis, vt ab ijs eligatur; quod in Gallijs [c] frequens fuit. A commendatione vero & precibus, tandem ad vim apertam eruperunt; & ereptis vbi potuerunt electionibus Episcoporum Cleris & populis, eas ad se traxerunt, factis sibi expressis reseruationibus, primùm [d] particularibus, dum aliqua vacaret Ecclesia; deinde etiam generalibus. Benedictus enim xi. electionem personarum ad [e] Patriarchales Ecclesias, quamdiu schismaticorum, aut infidelium subsunt ditioni, ad Romanam sedem pertinere, prima generali reseruatione voluit, & declarauit. Postea vero [f] Cathedralium omnium generalem sibi reseruationem fecerunt alij subsequentes; electiones Episcoporum Cleris, & populis penitus auferentes, & ad solum Papam reducentes: non quidem publica vlla data constitutione, sed per Regulas quas excogitarunt Cancellariæ. Quarum primam inuentionem, quod ego obseruarim, [g] Sixto iv. tribuere debemus; nam prius vt dicebam, cum vacaret, vel vacatura crederetur aliqua Ecclesia, particulari reseruatione Papæ electiones ordinarias prohibebant. Quibus tamen siue Cathedralium, siue beneficiorum reseruationibus, vt tractabo etiam lib. 9. obstitit Concilium Basileense; ex quo Ecclesia Gallicana suam sibi formauit Pragmaticam; voluitque omnino vt iuxta Basileensia decreta, electiones Episcoporum in Gallia fierent à Cleris & populis, prout semper Ecclesia tota Christi seruauit. Leo tamen x. qui custos esse debuit sanctorum canonum, & Ecclesiasticæ consuetudinis, Apostolicique instituti obseruator & vindex, non modo non laudauit, nec approbauit in hac parte legitimarum electionum reformationem iam factam, & aliquandiu practicatam in Gallia, sed cum non posset electiones Episcoporum, & Abbatum ex illo Regno ad se trahere, obnitente ipsi cum suo Rege tota Ecclesia Gallicana, maluit contra ius, contra fas, & nullam ad hoc habens autoritatem, Rege excluso Clero electiones ipsas concedere; quam vt eas Clerus faceret. Regem profecto suum assensum in electionibus præstare, æquum est; vt supra docui, & docebo libro sexto; sed Clerum excludere, ne ipse potissimum suum sibi eligat pastorem, est Ecclesiam, Ecclesiasticamque libertatem opprimere, Ecclesiasticas atque Apostolicas regulas conculcare, & omnia peruertere. Et huius peruersionis abominandæ (proh nefas) Romanum Pontificem cernimus, non toleratorem modo, sed etiam autorem. B C D

c Vrban. 5. apud Laun. ep. 1. & ep 21. & Laret. ad Leonis ep. 1.

d c. Si eo tempore, de elect. in 6.

e Extrau. sancta Romana, de elect. in com.

f Regul. Cancellar. 2.

g Extrauag. Ad vniuersalis, de reg. & pa. in com.

XXIV.

Sanctissimæ Gallicani Regni leges, à Carolo & Ludouico Regibus piissimis collectæ editæ & promulgatæ, in hoc genere sic statuunt: [h] Sacrorum Canonum non ignari, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, vt scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi, secundum statuta Canonum, de propria Diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum, eligantur; vt exemplo, & verbis, sibi subiectis, vsquequaque prodesse valeant.] Et Ludouici sancti pragmatica illud continet; [i] Vt Ecclesiarum Regni nostri Prælati, patroni, & beneficiorum collatores, ius suum plenarium habeant, & vnicuique sua iurisdictio seruetur.] *Item*: Ecclesiæ Cathedrales, & aliæ Regni nostri, liberas electiones, & earum effectum integraliter habeant.] *Item*: Promotiones, collationes, prouisiones, & dispensationes Prælaturarum, dignitatum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & officiorum Regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem, & determinationem iuris communis, sacrorum Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum, fieri volumus pariter & ordinamus.] Concilia Gallicana aliquot, præsertim Aurelianense quintum, quam serio electiones retineant, vt voluntate quidem Regis, sed à Cleris & populis fiant; habes supra c. 3. num. 32. 33. 34. Et Nicolai primi vehemens studium contra Regem Galliæ, vt electiones permitteret liberas Clero & populo, habes ibidem num. 41. Et nihilominus his omnibus non sine graui periculo posthabitis, Leonis concordata in contrarium sic habent: [k] Videlicet, quod Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesiis, E

h Dist. 63. c. Sacrorum.

i Ad finem pragm. Caroli. & Biblior. PP. tom. 6. in fin.

k Concil. Later. sub Leone 10. sess. 2.

A clesijs in regno Delphinatu, & comitatu Diensi, ac Valentinensi, nunc & pro tempore, etiamsi per cessionem in manibus nostris, & successorum nostrorum Rom. Pont. Canonicè intrantium sponte factam, vacantibus illarum capitula, & Canonici ad electionem, seu postulationem inibi futuri prælati procedere non possint: sed illarum occurrente huiusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, vnum grauem Magistrum — alias idoneum, infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earundem computandos nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu sedi prædictæ nominare, &c. — Et si persona nominata non fuerit qualificata, nec confirmanda, teneatur idem Rex infra tres alios menses, à die recusationis personæ, aliam nominare. Alioquin Ecclesiæ tunc sic vacanti, *inquit*, per nos, & successores nostros, seu sedem huiusmodi de persona, vt præfertur, qualificata; nec non Ecclesijs per obitum apud sedem prædictam vacantibus, semper, nulla dicti B Regis præcedente nominatione, liberè prouideri possit. Decernentes electiones contra præmissa attentatas, ac prouisiones per nos, & successores nostros, seu sedem huiusmodi factas nullas, & inualidas existere] Atque ita Clerum penitùs exclusit, & attentatum ac nullum pronunciauit, id quod ex ipsa traditione Apostolica legitimum est, & sanctissimis Canonibus, totius que Ecclesiæ firmissima consuetudine roboratum.

XXV.

Sed Genebrardi elogium de Leone decimo, ob hæc Concordata Francica audiamus; [a] Pragmaticam, *inquit*, sanctionem sustulit; concordata quæ vocantur cum Rege Francisco agitans, de nominatione Episcoporum, & Abbatum specioso prætextu, vt Rex propter electionum abusus, Doctorem quidem, vel licentiatum Theologiæ, iurisque Canonici, è celebri Academia ad Episcopatum; religiosum eiusdem ordinis Doctorem similiter, vel certè Baccalaureum earundem facultatũ ad Abbatiam, nominare teneretur; re vera autem C ageretur mysterium illud iniquitatis, quo perditam Ecclesiam Gallicanam cernimus. Hinc enim eius pernicies, in ea omnis generis hæresecon, Simoniarum, fiduciarum seminarium: scientiæ, virtutis, pietatis exterminatio; Regni pestis.] Hæc de Gallia sua Genebrardus. Quid in Italia fermè tota? quid in Dalmatia? excluſus est non modò populus, & Clerus, sed etiam ipsi Principes iam in electionibus nullum ius habent: sed solus Papa omnia ad se corrasit.

a Genebrard. in Chronol. in Leone 10. an. 1513.

XXVI.

Effectus hic magnus in Gallia fuit Romanæ potissimùm auaritiæ: Data enim Regi nominatione, quæ est reuera ipsa electio (iam enim hoc exemplo Imperator tuas non vult vocare nominationes; sed omninò, etiam Papa renitente, eas vocat, vt sunt, electiones.) Confirmationem Episcoporum, & Abbatum facilè poterant Romani Pontifices sibi retinere; ac inde & Bullarum, & Annatarum immensa precia corradere; de quibus agam lib. 9. D Quod si Clerus suam faceret de more cum populo, & de assensu Regis electionem, dubium non erat confirmationes, & consecrationes, ad proprios [b] Metropolitanos pertinere. Sic tandem vsurpatis iam electionibus Episcoporum, vbi resistentiam præsertim Principum potentum non habuerunt, Papæ nostri facti sunt ordinarij Episcopatuum collatores, cum graui totius Ecclesiæ iniuria, & sacratum regularum, continuatique vsus vsque ad postrema sæcula, tyrannica conculcatione; & Simoniaca apertissima venditione. Maluit præterea Leo electiones Regi indulgere quàm vt Clero relinquerentur, quia sciebat Clerum esse sui iuris tenacissimum, & vix eas sperabat Clero se posse auferre, & sibi assumere, longè verò facilius esse videbat easdem electiones rursus Regibus eripere, & Episcopatus, Abbatiasq; & pinguia beneficia ad sui absolutam collationem reducere; sæpè se multis opportunitatibus offerentibus, quæ sicut Franciscum ad hæc Concordata perpulerunt, ita vel eundem, vel alium Franciæ Regem ad electiones Papæ cedendas liberas essent adducturæ: ideoque E Cleri electiones omninò in Francia abolere voluit, vt inde facilius tandem aliquando ad ipsius manus liberè collationes, imo ablationes essent peruenturæ.

b Gloss. in c. 51 eo tempore de elect. in 6.

XXVII.

Et tantùm abest vt hæc iuris alieni vsurpatio, aliqua rationabili, saltem apparenti causa facta fuerit, publicæ videlicet vtilitatis; vt etiam præter summam iniuriam, summumque Ecclesiastici regiminis contemptum, multa mala in Ecclesiam inuexerit, & incommoda secum tulerit grauissima. Hinc enim surgunt petitores, & proci innumerabiles: Episcopi verò non qui Episcopatum petunt, & ambiunt, seseque omni conatu obtrudunt; sed qui fugiunt, & se indignos agnoscunt, sunt orandi vt consentiant, si non etiam cogendi: quòd si Clerus eligeret seruato more Canonico, petitores molesti, & importuni tot non essent, sed verè, vt plurimum, saltem digniores acciperentur. Nunc verò qui intercessores in Curia Romana non habet, quique benè nummatus non est, vt possit bullarum, & annatarum insanos sumptus, anticipata solutione, & dignitatis emptione tolerare, sed tenuioris sit fortunæ,

tunæ, cuiusmodi sunt ferme omnes Episcopatu digniores, ad Episcopatum non promouebitur. Et quomodo potest Papa cognoscere idoneos, non literis & doctrina modo, sed tot etiam virtutibus, maxime Episcopo necessarijs? nunquid ex sua Curia, omnibus scatente vitijs, potest toti mundo prouidere? Tot linguis, tot nationibus, & populis? Alia plura incommoda libro nono considerabo. Non male profecto Dominicus Sotus, inter grauissima Ecclesiæ mala, posuit defectum in Episcopis necessariæ residentiæ; & hoc malum maxime tribuit perperam factis electionibus: [a] Neque verò diffitendum est, *inquit*, hanc pestem, quæ Ecclesias præsentia suorum pastorum expoliat, inde latius inserpsisse, ex quo Episcopi à suis capitulis eligi desierunt; cæperuntque in Curijs vel Romana, vel Regijs, creari.] Hæc Sotus. Intelligit autem Regias Curias in quibus, penitus exclusa cleri canonica electione, absolute, & perfecte sola Regia donatione Episcopatus acquiruntur.

a Sot. de iust. & iur. l. 10. q. 3. ar. 4.

XXVIII. Longe grauius est quod scripserat prius Anselmus Lucensis: Gallicanam enim [b] constitutionem de electionibus à clero & populo fiendis, illis verbis extollit: [c] Certe constitutio hæc, tam consonantissima Sanctorum Patrum Constitutionibus esse perpenditur, vt si vel à Nicæna, vel qualibet etiam vniuersalium Synodorum promulgaretur, non minus Spiritu Dei per istorum ora, quam per eandem prolata crederetur. Hoc quippe docet hanc esse huiusmodi, hanc esse libertatem sanctæ Ecclesiæ, Clerum scilicet eidem & populum sibimet Pontificem eligere debere.] Opprimit ergo libertatem Ecclesiæ Papa, dum electiones cleri & populi impedit; easque vel alijs donat, vel sibi vsurpat.

b Dist. 63. cap. Sacrorum.
c Ansel. Lucen. con. Guil. Anti. l. 2.

XXIX. Vidimus Gregorium ab his electionibus abhorrentem, & serio statuentem [d] se nolle, ne precando quidem, aut hortando in certarum personarum electionibus immiscere. Sciebat enim irrefragabile esse, quod inde ab Apostolis Ecclesia inuiolabiliter seruauit. Nostri tamen insipidi Canonistæ, Regulas Cancellariæ Romanæ, & eiusdem Ecclesiæ Pontificale, Apostolicis traditionibus & institutis, Oecumenicis sanctissimis Concilijs, sacratissimis Canonibus, & firmatissimæ nunquamque interruptæ consuetudini, ac ipsis etiam sapientissimis priscis Romanis Pontificibus præferre non verentur: [e] Quia, *inquiunt*, Papa sibi reseruat generaliter omnes Ecclesias Patriarchales Primatiales, Archiepiscopales, & Episcopales; superfluum est hodie de his disputare: Adeo quod prouisio facta à Papa, habet vim electionis, & confirmationis.] Sed hoc in Ecclesia Catholica per mille & quadraginta ferme annos fuit inauditum: imo contrarium & factitatum, & edictum.

d Greg. l. 2. Ind. 11. ep. 29. Supra cap. 3. n. 40.
e Caran. de Archiep. auct. n. 3.

XXX. Nunc illud tantum obseruo, Gregorium Petro subdiacono suo dedisse in mandatis; [f] Vt si vacantia loca repererit, & nullus dignitati Episcopali ex eadem Ecclesia congruus inueniatur, ei id renunciaret; vt Deus, *inquit*, quem dignum talibus ordinationibus indicauerit, valeat prouidere.] Et ad Syracusanum scripsisse; Vt ad ipsum Romam mitteret Presbyterum quendam, quem ad Episcopatum idoneum commendari audierat. [g] Vt cum, *inquit*, disponente Deo, loco, cui præuiderimus, possimus ordinare Pastorem.] Quia tamen aliàs ordinarios electores, Clerum nimirum & populum, etiam in casu defectus, vbi in propria Ecclesia non habeant quem eligant, vt ex [h] aliena eligant permittit; prior hic locus explicandus est, voluisse Gregorium in eo defectu proponere electoribus personam eligendam: aut electionem sibi reseruasse, vbi electores quem eligerent idoneum, neque in propria haberent Ecclesia, neque cognoscerent alienum. Posterior verò locus innuit, aut Gregorium similiter voluisse illum Presbyterum proponere, vbi ab electoribus solitus erat rogari, vt ipse eis personam idoneam inueniret & proponeret: aut nouas missiones ad nouas gentes nondum conuersas in mente habuisse.

f Greg. l. 1. ep. 18.
g Idem lib. 2. Ind. 10. ep. 18.
h Idem ibid. ep. 19 & ep. 26. & l. 11. ep. 16.

XXXI. Obijcies, in Petri potestate fuisse, iuxta Chrysostomi [i] interpretationem, eligere in locum Iudæ illos duos Matthiam & Barsabam; vt Deus postea ostenderet quem ex his duobus vellet esse Apostolum loco Iudæ: noluisse tamen, ne videretur affectione duci; sed electionem simul cum reliquis omnibus fratribus peregisse. Respondeo, ex facto quidem hoc clare deduci, Apostolicam esse institutionem, vt electiones à Clero fierent toto, & simul à populo. Quod vero ait Chrysostomus, Petrum potuisse id per se exequi, vide explicationem supra lib. 1. cap. 9. num. 19. Ex ea certe Petri præsidentia [k] Anacletus Metropolitanorum institutionem deducebat. Vt sicut Petrus, consensu Apostolorum, totius Apostolici Collegij Præses erat; ita inter Episcopos eiusdem Prouinciæ Metropolitanus præsideret; & ipse potissimum ordinationibus Episcoporum præesset; sicut videtur Petrus in electione Matthiæ præfuisse. Hæc tamen omnia ius humanum important, non diuinum. Quia idem Anacletus iure Diuino, omnes Apostolos, etiam cum Petro, agnouit æquales.

i Chrys. in Act. Hom. 3.
k Supra c. 10. num. 4. Iuncta.

Obijcies

A Obijcies præterea Nicolaum primum præcipere Lothario Regi: [a] Vt in Treuerensi Vrbe, & in Agrippina Colonia, nullum eligi patiatur, antequam relatum super hoc sit ipsius Apostolatui.] Respondeo Glossam quoque hoc præceptum agnouisse esse exorbitans, & iuribus aduersum; propterea illud mollire, & sale condire conatur dicens: Vel istud pro tempore fuit statutum: Vel dic eligi, id est consecrari, vel instituui.] At neque in consecratione Episcoporum alienæ Prouinciæ, eorumue institutione, ius habet Papa; vt paulò pòst differam. XXXII.

a Dist. 63. c. Petro.

Ex his, atque ijs, quæ de electionibus fusè cap. 3. huius libri disputaui, colligat quisque, quam frigidè, quamque insulsè Gulielmus Occam, Petrum solum, in ordinibus conferendis, Episcopopatibusque distribuendis, Monarcham absolutum facere sit conatus, cui potestatem hanc soli, ibi datam esse asserit, vbi ei dicitur, Tu vocaberis Cephas; [b] quia ad caput, *inquit*, spectat distribuere officia membris. Putauit enim Cepham significare caput; & tamen videbat in ipso [c] Euangelio explicari, quid Cephas significaret, nempe Petrum, hoc est, petram. [d] Cõmuniorem tamen & probabiliorem, inquit Almainus, opinionem esse, potestatem hanc Petro collatam, per illud verbum, [e] Pasce oues meas. Nam ad officium pascendi spectat, non solum sacramenta administrare, sed etiam pastores assumere, & populis præficere. Ideo Petro data fuit, *inquit*, potestas etiam instituendi ministros ad pascendum, & instituendum, & distribuendum cæteras dignitates Ecclesiasticas, licut Episcopatus, curas &c.] Ita Monarchici detorquent quocunque eis placet Diuinas Scripturas. Dicat mihi Almaynus, si Petro soli data est hæc potestas, cur Paulus & Barnabas [f] constituebant Presbyteros, hoc est Episcopos, per singulas Ecclesias? Num autoritate Petri? sed Petrus illos non [g] miserat. Cur Paulus [h] ordinat Timotheum? Et [i] Tito dat potestatem vt constituat similiter Presbyteros per ciuitates? Cur Ioannes [k] Polycarpum primum ordinat Episcopum Smyrnæorum? Et nos iam satis ostendimus, lib. 1. c. 8. per illa verba, Pasce oues meas, nihil plus tribui Petro, quam omnibus simul & singulis Apostolis tributum fuit illis verbis, Sicut misit me Pater, &c. Per hæc ergo Apostoli omnes & singuli plenam habuerunt potestatem, etiam ministros instituendi; ideoque ordinis necessitatem Catholica Ecclesia semper tenuit, vt ex Patribus optimè probat [l] Bellarminus. XXXIII.

b Occam apud Almayn. de Potest. Eccl. & laic. q. 1. a. 2.
c Ioan. 1.
d Almayn ibid.
e Io. 21.
f Act. 14.
g Act. 13.
h 1. Tim 4.
i Ad Tit. 1.
k Tertul. de præscript.
l Bellar. de Euch. l. 4. c. 16.

Non minus insipide Caietanus quoque potestatem eandem applicatiuam Ecclesiarum in solo Papa collocat; dum ait; [m] Et in Papa quidem esse potestatem hanc, quoad applicationem potestatum inferiorum Papatu, patet, tum ex gestis Apostolorum, dum singulos Episcopos per loca instituebant: tum Ecclesiæ consuetudine, quæ quotidie hæc à Papa faciente suscipit, absque conscientiæ scrupulo: tum ex ratione officij sui; ad eundem namq; spectat plena potestas supremi regiminis, & assumptio aliorum in partem solicitudinis, vt patet Exodi 18. vbi Moysis dux populi, ex consilio Iethro, elegit & constituit principes populi, & millenos, & Centuriones, & Decanos.] Sic nostri Monarchici, ex friuolis, leuissimisque ratiunculis, plane puerilibus, nobis Romanam Monarchiam, tota reclamante Ecclesia, persuaserunt: imo & illam ad articulos fidei reduxerunt; contra quos vtor tantummodo verbis Augustini, videlicet: [n] Ista inania, & ridenda potius quam refellenda non dicerent; si pro sua causa possent validum aliquid inuenire quod dicerent.] Præterea Bellarminus [o] eandem poscit quidem propositionem cum Caietano; sed cum vnde illum probaret non haberet, sicco eam pertransijt pede; aliorum assertione contentus. XXXIV.

m Caiet. opusc. 1. c. 13.
n Aug. post collat. cont. Donat. c. vlt.
o Bellar. de Clericis. l. 1. c. 8.

Ex ijsdem quoque quæ de electionibus sunt à me prolata, electionum Episcopalium deuolutiones ad sedem potissimum Apostolicam, vanissimas esse habemus, & rationi æque ac Ecclesiasticis regulis, Ecclesiasticæque consuetudini repugnantes. Si enim Clerus & populus sint negligentes, & sede vacante ad faciendam electionem non properent, excitandi sunt à Metropolitano, & solicite permouendi: ad hoc enim toties vidimus Gregorium suos Visitatores destinantem: Vidimus quoque Metropolitanos ab Ecclesia vrgeri, vt electiones promoueant: Vt tamen eas in se assumant Metropolitani in Antiquitate nihil vidimus, quæ perpetuo, nullo siue negligentiæ, siue alio excepto casu, à Clero & populo fiendæ præscribuntur. XXXV.

Quodsi ex casu negligentiæ electio non debet Clero & populo eripi, quanto minus debet ea priuari, si interdum etiam ab ijs indignum eligi contingat. Cur enim electionibus assistit Metropolitanus, vel ab eo missus Visitator? Cur discussio & confirmatio electionis eidem committitur Metropolitano? Non vt priuet electores suo iure eligendi; sed vt ineptos excludat, & aptiores curet eligi. Nunquam enim inuitis dandus est Episcopus: & consequenter, Nunquam suo sunt iure [p] priuandi: moderari eos oportet in suis electionibus, & dirigere; XXXVI.

p Dist. 28. c. De Siracusana.

a c. Licet propter de elect.
b c. Quamplures. dist. 63.

dirigere ; vt tandem in eum qui dignus sit consentiant. Itaque deuolutio in [a] Concilio Lateranensi declarata, stare non potest ; ac multo minus illa quam posuit [b] Bonifacius octauus. Tametsi enim aliqua ex causa Clerus & populus caderet suo iure eligendi, cur quæso Episcopi Prouinciæ, & consequenter Metropolitanus, qui eos repræsentat, absque sua vlla culpa, suo iure ordinandi, & consecrandi priuabuntur ? Cur ad Papam deuoluetur prouisio, cum tanta iniuria Episcoporum Prouinciæ, & Metropolitani ? Respondet Glossa, [c] Quia res de facili reuertitur ad suam naturam : vnde in principio Ecclesiæ solus Papa conferebat Episcopatus, & alias dignitates maiores : & Episcopi conferebant alia omnia beneficia inferiora : Postea illud fuit innouatum, & fuit ordinatum, quod Canonici eligerent Episcopum, vel Prælatum superiorem. — Ideo si Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Metropolitanæ, quibus facta fuit illa gratia delinquant, potestas reuertitur ad Papam.] Hæc, glossa satis stolide & imperite : Nos enim ordinarios Episcopatuum collatores, ex ipsa Apostolica & Euangelica traditione, inuenimus esse Episcopos circumuicinos, præcedente tamen cleri proprij, & populi, seu Regis vice populi electione. Et hæc quæ dicit glossa sunt mera imperitorum somnia. Deuolutiones tamen collationis beneficiorum, hoc est Ecclesiarum minorum, ex negligentia Episcopi ad Metropolitanum, laudabo lib. 9. c. 8. ad fin, A B

c Glossa ibid.

XXXVII. Confirmatio electionum & electorum ad Metropolitanos spectat vt docui cap. 3. præcedenti. Sed sicut electiones, ita & confirmationes turbarunt Romani Pontifices, & eas de manibus Metropolitanorum iam penitus, per summam vim & iniuriam manifestam ereptas, sibi, vt vere dicam, contra ius, & fas vsurparunt. Huc enim Leo x. suis discordantibus Concordatis rem, vt monui, deducebat ; vt electiones Cleris & populis auferrentur ; & mutatæ in nominationes Regum, ad ipsius Papæ confirmationem conuocherentur. Posteriores vero Papæ Cathedrales alias, extra Regnum Franciæ, quas generalibus reseruationibus Regularum Cancellariæ ad suam liberam prouisionem, quæ & electio esset, & confirmatio, & ordinatio, & consecratio, trahere non potuerunt, sicubi aut Principes, aut Canonicorum capitula, maioris quam trivialis autoritatis, obstiterunt, eas ad sui confirmationem omnino spectare, per fas, seu nefas voluerunt ; vt occasione huius confirmationis, & annatas, & munera, & Bullarum immensa precia, in suam corbonam colligerent. Cum tamen confirmationes huiusmodi nullius sint valoris, nullius que momenti ; in Ecclesia nunquam necessariæ deputatæ ; imo in ea nunquam, vsque ad postrema terme tempora, aut cognitæ, aut vsu receptæ. Ecclesia enim, vt vidimus, alias confirmationes electionum, & electorum in Episcopos non cognouit, nisi eas quas Metropolitani facerent, seu Synodus Prouincialis. C

XXXVIII. Habemus quidem in Ecclesia, etiam antiqua, & more diutissime continuato, confirmationes quasdam Episcoporum, ac præsertim Metropolitanorum, & Primatum, ac Patriarcharum, à Pontifice Romano fieri solitas ; sed illæ aliæ sunt, penitusque ab his diuersæ, quas nunc in vsum, imo reuera in magnũ abusũ reductas cernimus. Illæ enim nihil aliud erant, nisi per fidem orthodoxam, cum Ecclesia Romana consensus & vniones : vt noui Prælati, cuiuscunque partis & regionis, ad communionem eiusdem Ecclesiæ reciperentur ; & ita confirmati Episcopum iam factum & plene consecratum, à Papa Romano, fuit semper ad Romanæ Ecclesiæ communionem recipi, & fide, charitateq; ei coniungi. Atque hoc plenius iam probandum assumo. D

XXXIX Tempore Concilij primi Constantinopolitani, secundi generalis, tres magnos Episcopos in Oriente contigit de nouo, vacantibus tribus sedibus, Constantinopolitana, Antiochena, & Hierosolymitana ordinari. Et quidem Constantinopolitanum Episcopum Nectarium, ipsum Concilium, quia Constantinopoli est congregatum, ordinauit : quæ ordinatio quia ab ipso facta est Concilio, approbatione alia non eguit. Antiochenus vero Flauianus, & Cyrillus Hierosolymitanus, quia in proprijs Ecclesijs, & Prouincijs ordinati sunt, eorum ordinationes sunt postea in dicto Concilio Generali approbatæ, & confirmatæ ; vt habet [d] Synodicus dicti Concilij libellus. Ecce tibi confirmationem, & approbationem, post peractam iam plene ordinationem : quæ nihil aliud est, nisi admissio illorum nouorum Episcoporum, ad communionem totius Concilij ; seu aliorum, qui ordinationes similes dicuntur confirmare, seu approbare. Nam & ijdem Patres, vbi Pontifici Romano, & Occidentalibus Episcopis, promotiones illas notificarunt ; [e] *obsecramus, inquiunt*, vestram Reuerentiam, vti congratuletur, spirituli charitate nos mutuo deuincientes.] Neque vllam aliam iurisdictionalem petunt eorum Episcoporum confirmationem. E

d Apud Theodor. l. 5. c. 9.

e Ibid.

Nestorij

A Nestorij quoque Constantinopolitani ordinatio Synodicis literis notificata fuit etiam Cyrillo Patriarchæ Alexandrino; & ille congratulatorias rescripsit literas; [a] Cùm de illius ordinatione, *inquit*, à pertitsimis Episcopis ad hoc adhibitis missæ essent literæ, rescripsi sine cura gaudens, ac laudans, optansque tanquam fratri, & comministro, vt illi quæque selectissima bona, per diuinam darentur sententiam.] Nemo ergo ex talibus Synodicis literis communicatorijs colligat confirmationem peti: quasi ille nouus Episcopus plenè Episcopus non sit, nisi post istas confirmationes. Hoc enim falsum esse iam cernimus, & vlterius infra cernemus. Quia post plenissimè peractam ordinationem, huiusmodi confirmationes, seu approbationes ob solam communicationem quærebantur. Nam etiam Romanus Pontifex post suam promotionem talibus Synodicis, vt postea constabit, aliorum Patriarcharum hanc confirmationem, seu approbationem cupiens, ad obtinendam cum B ipsis communicationem illos per literas suas visitabat.

XL.

a *Cyril. Apol. ad Theodos.*

Post damnatum perperam ab impio Dioscoro Flauianum, in sedem ipsius Constantinopolitanam suffectus est ab eodem Dioscoro Anatolius, Theodosio Imperatore decepto hæc rata habente; [b] Haud tamen eo impietatis profundi demersus est Theodosius, *inquit Baronius*, vt autoritatem Romanæ Ecclesiæ contemnendam prorsus existimârit: imò eandem sedium omnium caput intelligens, non prius Anatolium à Dioscoro, in locum Flauiani suffectum recipiendum putauit, quam id ipsius Romanæ sedis Pontificis probaret assensus; deque his literas daret ad sanctum Leonem; exploraturus eius voluntatem, & auxilium imploraturus.] Recitatoque initio literarum Leonis ad Theodosium rescriptarum, hæc subiungit, quasi Epilogum dictarum Leonis literarum; [c] Subdit verò, *inquit*, non recepturum se tore Anatolij communionem, neque electionem probaturum, nisi prius constaret de eius fide Catholica.] Hoc verò quod ex suo addit Baronius de electione, est ordinaria C eius impostura. Leo enim rogatus à Theodosio, vt Anatolij ordinationem ratum haberet, & concessa ei communione approbaret, requirit ab Anatolio fidei Catholicæ, vt moris erat, professionem. Ait enim; [d] Sed ne aliquid in præiudicium Catholicæ defensionis videretur egisse, de ordinatione eius qui Constantinopolitanæ cœpit Ecclesiæ præsidere, nihil interim in alterutram tibi partem temerè rescribendum putaui, non dilectionem negans, sed manifestationem Catholicæ veritatis expectans.] Ordinatio igitur iam facta fuerat, & Anatolius iam suæ Ecclesiæ præsidebat: & Leo neque id approbare, neque reprobare voluit, donec de ipsius fide esset instructus: non dilectionem, *inquit*, negans: si electionis confirmatio à Leone expectabatur, dixisset non confirmationem negans: & tamen dilectionem tantùm commemorauit; quia Theodosius solam dilectionem postulârat, hoc est communicationis charitatiuæ, & vnionis concessionem. Et infra idem Leo in eadem Epistola, postquam petijt fidei professionem, & vt à sua communione hærencos secernat Anatolius, D hæc ait se requirere, vt ei fraternam in Christo charitatem meritò possit impendere: & non dixit se id requirere, vt ipsius confirmet electionem.

XLI.

b *Baron tom. 6. an. 450. num. 5.*

c *Ibid. num. 6.*

d *Leo Ep. 35.*

Vbi vero ad Martianum Imperatorem idem Leo scribens, postea de hac Anatolij promotione sic ait; [e] Nos enim vestræ fidei, & interuentionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis autores eius initia ritubarent, benigniores circa ipsum quam iustiores esse voluimus: — Satis sit quod prædicto vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ Vrbis obtinuit.] Et ad Pulcheriam Augustam; [f] Anatolius parum quanto pietatis vestræ beneficio, & mei fauoris assensu, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium fuerit consecutus, &c.] nihil aliud intellexit, nisi per admissionem ipsius in communionem, factam de ipsius ordinatione approbationem: tunc enim plenè quis ex Patriarchis potissimum, in sua sede sedebat, cùm illum reliqui Patriarchæ in suam communionem recipiebant: quæ erat aliqualis, sed post factum, confirmatio. Vt sicut in propria Ec- E clesia iam sufficienter esset factus Episcopus, ita pro tali, ac legitimo ab alijs etiam Ecclesijs vnione Catholica agnosceretur, & teneretur. Leo igitur his suis dictis non significat se electioni Anatolij suo assensu dedisse confirmationem vllam Canonicam, quam requirunt electiones, ad hoc vt electus iam possit ritè consecrari, & plenè ordinari; sed de sola quadam corroboratione loquitur, per concessam communionem; sine qua, licet ille esset Patriarcha in sua Ecclesia, pro Compatriarcha tamen ab alijs Patriarchis non habebatur. Ac de his rursus apertiùs scribit ad Martianum; [g] Anatolij, *inquit*, Episcopi ordinationem (sicut scientia Dei testis est) suspectam, quod fatendum est, mihi fecerunt consecrationis eius autores; nec dissimilem ab eligentibus arbitrabar electum; secutumque est vt, dum communione Apostolicæ sedis existeret alienus, diu dandis ad eum Epistolis pacis me abstinerem, &c.]

XLII.

e *Leo Ep. 57.*

f *Idem Ep. 18.*

g *Idem Ep. 61.*

Igitur iam erat & electus, & consecratus, & plenè ordinatus: & Leo abstinebat à dandis ei Epistolis, non confirmationis, sed pacis; hoc est charitatiuæ communionis; & ab hac communione, non à confirmatione sedis Apostolicæ fuit aliquandiu alienus. Quid ergo somniat Baronius de probatione electionis? Quid de [a] dispensatione Anatolij, vt per dispensationem Leonis, qui deponendus esset, sederit? ordinationis enim malæ initia satis erant ad negandam ei communionem; & sic ad tenendum eum tanquam illegitimum Patriarcham, cui cæteræ sedes, ac præsertim Romana, non communicarent. Si verò in gratiam Imperatoris voluit, non obstante vitio malæ ordinationis, ei communicare, hoc non fuit dispensare, & ex illegitimo Episcopo legitimum facere; sed fuit non præbere occasionem, vnde ille illegitimus censeretur, data ei communicatione. Quid vero quod ait Baronius, non fuisse alterius quam Romani Pont. dispensare, vt tot aspersus sordibus homo sederet Episcopus? An non plene sedebat ante hanc assertam dispensationem? An non Episcopi qui eum ordinarunt, cum eo etiam dispensarunt, si quo tenebatur impedimento, ne posset, aut deberet ordinari? Scilicet, teste Baronio dispensatio Romana facit vt sordidus non sit sordidus; & quæ dispensatio potest efficere, vt sordidus legitime sedeat? & quas sordes in Anatolio inuenit Baronius? Et hoc non est alienæ famæ, lingua maledica detrahere? Eadem prorsus confirmatio illa quoque est, qua Legati Romani in Concilio Chalcedonensi dixerunt, [b] Maximum Antiochenum, qui in Ephesina Synodo prædatoria Domno deposito suffectus fuerat, fuisse ab eodem Leone confirmatum.] Nempe per concessam communionem.

a Baron. to. 6. an. 452. n. 13.

b Conc. Chalced. act. 7. & Bellar. de Rom. Pont. l. 2 c. 18.

XLIII.

Simplicius tamen, *inquit Baronius*, de vera loquitur confirmatione; & Alexandrinum Patriarcham à Romano confirmandum esse aperte asseuerat, ait enim: [c] Nuper ab Aegyptia Synodo, quæ & numero plurima, & fidei Catholicæ esset communione suffulta, atque ab ipso omni propemodum Clero Alexandrinæ sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ fratrem quendam & Coepiscopum nostrum obijsse Timotheum, inque eius vicem, consona fidelium voluntate, Ioannem, cui ad Sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum, vt nihil omnino restare videbatur, nisi vt Deo nostro gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, vt sine strepitu, quod Catholicus *in* defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu, votiuam sumeret firmitatem; cum ecce, secundum consuetudinem, mihi talia disponenti, tranquillissimi principis scripta sunt reddita, quibus memoratum, tanquam periurij reum, quod fraternitati quoque tuæ non esse diceretur incognitum, Sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem, & meam reuocaui super eius confirmatione sententiam; ne quid contra tantum ac tale testimonium præpropere fecisse iudicarer.] His statim subinfert Baronius quod intendit, hoc pacto: [d] Hæc cum adeo disertis verbis de confirmatione Episcopi Alexandrini Simplicius dicat, puto lector intelligis, veterem morem, vt non haberetur firma, ratane Alexandrini, sicut nec Antiocheni noui Antistitis electio, nisi illa à Romano Pontifice confirmaretur. Cum eius rei causa mox ijdem electi, & Synodi quæ elegerant, statim post creationem eorundem, vt sæpius factum vidimus, mittere solerent ad ipsum Romanum Pontificem Legationem, cum fidei professione; vt quæ per ipsos acta essent, ab eodem Romano Pont. confirmarentur: Ante hæc autem haud idonei illi habebantur, vt ipsis reliqui Episcopi communicarent, quibus nondum Romanus Antistes communicasset.]

c Simplic. ep. 17

d Baron. to. 6. an. 482. n. 15.

XLIV.

Sed neque Simplicius aliam confirmationem intellexit, nisi has ipsas quas iam exposui, præsertim in Leone. Quod etiam ex suis Simplicij verbis facile est colligere, dum ait, Ioannem fuisse subrogatum in locum Timothei defuncti; non dicit tantummodo electum: subrogatus verò est, qui plene alterius locum iam obtinuit. Et nihil restare ait, nisi, vt Deo gratias ageret de bona substitutione; & sic suæ moderationis assensu ipsa substitutio votiuam sumeret firmitatem. Gratias agere, & assensum post factum præbere, fuit factum laudare, & illum in communionem tanquam com-Patriarcham admittere. Reuocauit verò sententiam super eius confirmatione, quia literas ad eum approbatiuas, & communicatorias amplius dare noluit. Et bene ait Baronius, morem fuisse, vt electus fidei professionem mitteret: eam tamen ipsi electi iam plene ordinati, & perfecta inthronizati mittebant, ad effectum non Bullarum expediendarum, sed communionis obtinendæ. Neque vim facias in verbo confirmandi: quia confirmare sæpe idem est quod laudare, admittere, & approbare: Sicut Martinus primus se suo consensu [e] definitionem fidei confirmasse asserit; & hæreticorum sermones infirmasse. Et Hadrianus primus, se [f] Tarasij

e Martin. ep. 3.

f Hadrian. ep. 2

conse-

A consecrationem, [a] Nicolaus verò Photij modis omnibus recipere non audere scripserunt maxime si sectati fuerint eos, qui non credunt veritati. Eadem igitur est Simplicij confirmatio, & Hadriani ac Nicolai receptio, seu admissio consecrationis. Vtraque enim fit post iam plene peractam electi consecrationem. Dum verò legimus de [b] Flauita Constantinopolitano, ipsum noluisse in sede illa sine Romano Episcopo inthronizari, scimus illum voluisse in cautela abundare: quod enim alij post perfectam inthronizationem faciebant per Synodicam, ad communionem retinendam, vt toties docui, id ille voluit ante inthronizationem facere, quia Acacius ipsius proximus præcessor, mortuus erat sine communione sedis Apostolicæ, quæ se ab illo [c] separauerat. Flauitas ergo antequam inthronizaretur, vt tanto facilius reconciliaretur Ecclesia Constantinopolitana cum Romana, voluit communionem obtinere, non confirmationem: Et poterat si voluisset, post
B perfectam inthronizationem idem præstare.

a Nicol. ep. 6.

b Liber. Brev. c. 18.

c Ibid. IX.

Hilarus Papa ante Simplicium, ad Ascanium Tarraconensem scribens, ait: [d] Ordinatos ergo nunc Episcopos (qui licet te ignorante prouecti sunt, cum suis autoribus meruerunt submoueri) hac ratione firmamus; si nec viduarum maritus fuerit &c.] firmat, vt audis, iam ordinatos: hoc est, vt deijciantur, tanquã irregulares, ordinati, non instat, sed tolerat; ad ipsius enim spectabant Patriarchatum. Et postea, tempore Hormisdæ, morem videmus in Oriente, vt [e] Metropolitani à suis Comprouincialibus plene ordinati, ad Primatem suæ Regionis, relationem suæ promotionis mitterent; & sic in ipsius admitterentur communionem. Et ad eundem Hormisdam scribunt Episcopi Patriarchatus Constantinopolitani, de electione & promotione Epiphanij: [f] Igitur Ecclesiasticam legem implentes, *inquiunt*, Apostolatui vestro salutationis debitum persoluentes officium, speramus vt amplius caritatis vinculum, & paternum affectum circa nos caritas vestra custodire dignetur.]

XLV.

d Hilar. ep. 1.

e Hormisd. ep. 17. 18.

f Relat. Synod. post ep. Hormisd. 64.

C Nullam petunt confirmationem, nullam offerunt subiectionem; nulli pro annatis & bullis proferunt pecuniam, sed communionis gratia, literas salutatorias, & legationem ad eum mittunt. Ab ipso tamen quoque Epiphanio, & literas & legationem, de more Ecclesiastico, sibi deberi Hormisda [g] scripsit ad eundem: non quidem vt peteret Canonicam confirmationem, sed vt concordia inter ipsos sic firmaretur. Epiphanij quoque literæ [h] communicatoriæ nihil aliud continent, nisi vinculum concordiæ, & fidei professionem; Et quas Hormisda reddidit, tum [i] Synodo, tum ipsi [k] Epiphanio, ne verbum quidem vllum continent de confirmatione; sed plenissime explicant totum hoc huiusmodi literarum negotium, solum pacis, & vnionis vinculum astringere. Sic etiam Symmachus, à Liberio patricio certior factus de Aquilegiensis Episcopi promotione; [l] Iungo & ego, *inquit*, amplissimis patribus vestris, pro modulo exiguitatis propriæ, vobis, cœlo obsequente, consensum.] Modulus exiguitatis, non significat plenum ius confirmandi electos,
D sed est cum alijs Episcopis promotoribus concursus, pro sua virili. In Primatum igitur ordinationibus, vides interdum Patriarchas suas partes, simul cum alijs ordinatoribus, habuisse: vt supra explicatum est cap. 5. nu. 40.

g Hormisd. ep. 68.

h Ibid. post ep. 1.

i Hormisd. ep. 72.

k Ibid. ep. 73.

l Tom. 2. Concil. Symm. c. 3.

Totus progressus ordinationis, secundum priscum Ecclesiasticum morem, Hincmari Archiepiscopi Remensis diligenter describitur in Concilio Suessionensi, apud sanctum Medardum, his verbis; [m] Volumus vt ordinatores fratris nostri Hincmari doceant, qualiter idem frater noster Hincmarus Canonicè fuerit ordinatus. Tunc surgens Rotadus Episcopus Suessionensis ciuitatis, porrexit Canonicam autoritatem, qualiter Metropolitanus Episcopus debeat ordinari; & si de eadem Ecclesia non sumitur, qualiter, petente eiusdem Ecclesiæ Clero, vel populo, à vicina debeat Ecclesia postulari; porrigens etiam Canonicas literas Erchenradij Episcopi Parisenorum Ecclesiæ, confirmatas suis, suique Archiepiscopi, & Coepiscoporum suorum manibus, quas ad petitionem Remensis Ecclesiæ
E Cleri & plebi idem Hincmaro tribuerat, porrigens nihilominus Decretum Canonicum Cleri & plebis manibus roboratum, qualiter iam dictum Hincmarum sibi postularunt Episcopum ordinari. Et his omnibus relectis, docuit quia Canonice, cum præsentia & consensu omnium Episcoporum Remensis Diœcesis, eundem Hincmarum ordinauit Archiepiscopum Post hæc surgens idem Hincmarus in conspectu glorioſi Principis, & Synodi porrexit & literas Canonicas, quas Canones sacri ordinatum à suis ordinatoribus accipere iubent, diem proferentes, & Consulem. Porrexit etiam Epistolam totius Galliæ Episcoporum manibus subscriptam, ad Apostolicam sedem, pro confirmatione ipsius ordinationis; quoniam sedes Apostolica, per Sergium Papam, sæpe dictum Ebbonem damnauit Episcopum, adeo vt inter Laicos cõmunionem tantum habere mereretur, vt diximus.

XLVI.

m Concil. Medard. actione 3. 4.

ostendit etiam ipsi Christianissimo Principi, coram sancta Synodo, diploma sacrum ipsius venerandi Principis manibus insignitum, ex approbatione suæ ordinationis ad eandem sanctam & Apostolicam, omnium scilicet Ecclesiarum matrem, Romanam Ecclesiam. Et sic quarta actione euidentissimis documnentis ostensum, & Synodali iudicio decretum est, Hincmarum Archiepiscopum Canonice à vicina Diœcesi ad ipsum canonice electum, & Canonice ordinatum, & Canonice pallio Apostolicæ sedis, rata ordinatione, perfectum, & in culmine Primatus, Metropolitana autoritate, vsquequaque & ab omnibus confirmata.] A

XLVII. Ad Apostolicam sedem scriptum audis pro confirmatione; & tamen confirmationem plenam iam antea factam in Prouincia narratio eadem clare explicat: & confirmationem aliam à sede Apostolica non fuisse habitam, nisi eam, qua Papa ratam habuit hanc ordinationem; eamque pallij concessione approbauit. Sic & Gregorius ordinationem cuiusdam Metropolitani se [a] confirmare asserit, pallij concessione; Proinde iuxta postulationis vestræ desiderũ, ait, prædictum fratrem & Coepiscopũ nostrum, in eo in quo est Sacerdotij ordine constitutus, nostri assensus autoritate firmamus: ratamque nos eius consecrationem habere, dirigentes pallium, indicamus.] Et ad eundem nuper promotum: [b] Nos quoque, *inquit*, in personam fraternitatis tuæ per omnia consentimus.] Ex quo deducit glossa, omnes Metropolitanos à Papa confirmari: additis cap. Quanto. Dist. 63. & cap. Salonitanæ. Et Dist. 100. c. Quoniam. Quia tamen id perpetuo verum non esse animaduertebat, se ipsam correxit, & limitauit, dicens: Quod verum est cum non habent Primatem, sed Papæ nullo medio subsunt.] Additque statim; nisi velis dicere, quod eo ipso quod quis recipit pallium à Papa, intelligitur confirmati ab ipso. Imo & plerique Archiepiscopi non confirmantur nec consecrantur nisi à suis subditis, nec petitur confirmatio à Papa, sed tantum pallium.] Hæc glossa: quæ aperte distinguit confirmationem, à pallij concessione. Quo sensu inuenies [c] Cantuariensem Primatem Angliæ, confirmationem Romanam petisse, & expectasse. Sic etiam Galliæ Primatem [d] Lugdunensem. B C

a *Greg. l. 4. Indict. 13. ep. 9.*

b *Ibid. ep. 15. ponitur dist. 63. c. Quia igitur.*

c *Sareshur. ep. 300 301.*

d *Bernar. ep. 171. 172.*

XLVIII. Leo 9. isdem ab aliis iam pressis insistens vestigiis, Petri Antiocheni Patriarchæ promotionem laudat & approbat. [e] Mea, *inquit*, humilitas in culmine Apostolici throni ideo exaltata, vt approbanda approbet, improbanda quoque improbet; tuæ sanctissimæ fraternitatis Episcopalem promotionem libens approbat, collaudat, & confirmat &c.] Ecce ibi Synonima approbare, collaudare, confirmare, iam factam & absolutam promotionem. Atque hæc approbatio, collaudatio, confirmatio, facta est admissione professionis fidei, quam ad illum, de more, nouus transmiserat Antiochenus. Sane, *inquit*, fidem tuam, quam proprio scripto summæ & Apostolicæ sedi exposuisti, sanam & Catholicam, atque Orthodoxam per omnia protestamur: & sicut vere vnicam & salutarem amplectimur.] Statimque in eadem epistola & ipse viceuersa suam professionem (vt olim fieri solitum pluribus lib. 7. explicabo) ad eundem scribit Antiochenum; vt nimirum ipse quoque haberet vnde merito cum Romano deberet communicare. Ac profecto hoc eodem sensu etiam Romanus Pont. indiget confirmatione. Audi Cyprianum de Cornelio dicentem: [f] Hunc Dei iudicio factum Episcopum, & Coepiscoporum testimonio, quorum numerus, *inquit*, per totum Mundum concordi vnanimitate consensit.] *Item*: [g] Factus est Episcopus cum locus Petri — vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, &c.] *Item ad ipsum Cornelium*: [h] Placuit, *inquit*, vt per Episcopos, retenta à nobis rei veritate, ad comprobandam ordinationem tuam, facta autoritate maiore, tum demum scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omnino in Prouincia ista positos, literæ fierent, sicut fiunt, vt te vniuersi collegæ nostri, & communicationem tuam, id est Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, pariter & charitatem, probarent firmiter, ac tenerent. Quod diuinitus euenisse, & consilium nostrum prouidenter processisse gaudemus. Sic enim nunc Episcopatus tui, & veritas pariter, & dignitas, apertissima luce, & manifestissima, & firmissima est confirmatione fundata.] Cyprianus ergo cum suis Collegis Africanis, firmauit ac comprobauit suum Cornelio Episcopatum, data ei confirmatione: quatenus videlicet ipsius promotionem vt legitimam agnouerunt & approbarunt; eumque pro vero Episcopo Romano admiserunt, & tenuerunt: & sic sunt ei Ecclesiastica communione copulati. D E

e *Leo 9. ep. 5.*

f *Cyp. l. 4. ep. 2.*

g *Ibidem.*

h *Ibid. ep. 8.*

XLIX. Quandam præterea confirmationis speciem sæpius reperies, vbi Rom. Pont. dirimis ad se electionum & ordinationum Episcopalium iudicijs, tanquam ad proprium Patriar-

cham,

A cham, decisione data causæ, illum Episcopum dicitur confirmare, cui causam euictam dedit. Ita Stephanus tertius [a] Rauennatem confirmauit, dum inter duos electos, & ordinatos, schismate compresso, sedem alteri adiudicauit. Ita Ioannes 8. [b] Photium dici potest confirmasse, quando ipsius ordinationem, tandem post plures annos, tanquam legitimam iudicauit, & admisit.

a *Platin. in Steph 3.*
b *Ioann.8.Ep. 109.*

Confirmationis etiam nomine solent interdum nostrorum summotum Pontificum facta insigniri, vbi indigni Episcopatu, ad eumque inhabiles, vt euehantur, Papali qualicunque fulciuntur concessione. Gallicana potissimùm hoc morbo diu laborauit Ecclesia; & vtinam hodieque non laboraret; vt Papalibus extortis dispensationibus, ex multis capitibus irregulares ad Sacerdotia promoueantur. Sic enim aliquando inter huius Papalis confirmationis effectus & ille numeratus fuit, vt [c] puer quinquennis, ferè infans, ad Rhemen-

L.

c *Frodoar apud Baron tom. 10. an.925.n.8.93*

B sem magnam Cathedram malè electus, & à Papa confirmatus, Rhemensis fuerit Archiepiscopus, recens iam à nutricum vberibus ablactatus. Ita quotidiè postulationes, vbi nimirum promouendus impedimento aliquo tenetur, ne possit Canonicè promoueri, ad Romanam sedem, quæ scilicet omnia poterit, deferuntur. Ego verò iam supra monui, si impedimentum tale sit, quod possit ex legitima causa tolli, aut contemni, ordinarios Episcoporum ordinatores posse, per se solos, illud aut tollere, aut contemnere; neque Papalem ad hoc esse necessariam dispensationem. Si verò causa non adsit, neque impedimentum sit legitimè amouibile, ne Papam quidem posse in eo dispensare. Verè itaque Episcoporum confirmationes à Metropolitanis fiunt in Prouincijs. & ab Episcopis comprouincialibus. Et dum noster Dominus Papa eas ad se trahit, turbat Ecclesiam, Ecclesiasticamque Hierarchiam; & vsurpat quod ei iure non debetur.

LI.

Sed & confirmationem Papalem interdum vocari cerno, vbi Papa ab Episcopis Prouin-

C ciarum consultus, an ipsorum facta, circa electiones etiam, & ordinationes suorum Episcoporum sint legitima, & Canonica, doctrinaliter respondet, illa vt legitima approbando. Ita Tarraconensis Prouinciæ Episcopi ad Papam Hilarum scribunt; [d] Illud specialius, *inquiunt*, deprecantes, vt factum nostrum, quod tam voto penè omnis Prouinciæ, quam exemplo vetustatis, in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus nostris roborare dignemini.] Factum verò est, vt ipsi narrant statim, quod in Episcopum Barcinonensem ordinârant, seu potius confirmârant, eum quem præcessor ante obitum, de consensu Coepiscoporum Prouinciæ, suum coadiutorem consecrârat, & successorem designârat. Ergo, *inquiunt*, suppliciter precamur Apostolatum vestrum, vt humilitatis nostræ decretum, quod iustè à nobis videtur factum, vestra autoritate firmetis.] Vt videlicet factum hoc declaret esse legitimum, & nullitati non subiacere. Nam & subdunt; Iandudum tanè questi fueramus literis nostris de præsumptione Syluani Episcopi, & miramur quod nulla Apo-

d *Ante Epistolas Hilarij tom.1.*

D stolatus vestri responsa susceperimus: Nunc hæc eadem suggerentes petimus, vt quid super his rebus obseruandum sit, Apostolicis sermonibus nos dignemini informare.] Consilium itaque petunt & instructionem, non decretum iudiciale. Et hoc confugium ad Romanum consilium, voto totius Prouinciæ, & exemplo vetustatis fieri supra dicebant: & in Epistola quam dicunt se de Syluano scripsisse, se Romam ad instructionem confugere dicunt, [e] Propter doctrinam quæ in ea Ecclesia pura vigebat, & peritiam Ecclesiasticæ disciplinæ; de qua agam suo loco.

e *Ibid.*

LII.

Consecrationes quoque, siue ordinationes Episcoporum ad Metropolitanos propriè spectantes, non parum, neque minori cum iniuria, & Canonum conculcatione, ab eodem Domino nostro Papa, per summam vsurpationem perturbantur. In his enim vel maximè

E Nicænos violat Canones, qui suos cuique Patriarchæ fines, suosque terminos assignârunt, extra quos ordinationes potissimùm Episcoporum facere eis non liceat; ne in alienam messem falcem immittant. Habet sanè Romanus Pontifex suam propriam Prouinciam, & certos Episcopatus, qui ad eius spectant ordinationem. Ad alios extendi non potest, quod plenè libro quarto proximè sequenti confirmabo. Cum itaque Romana Ecclesia certos habeat proprios Episcopos suæ consecrationis, & inuiolabili Ecclesiastica lege cautum sit, vt quisque se suis finibus contineat, nec alienam vsurpet iurisdictionem, planum protectò est, Papam contra ius, & contra fas agere, quoties velit ipse, ex potestate & imperio, alienum Episcopum ordinare. Inde enim vel maximè pax Ecclesiarum turbatur, & tyrannis inuehitur intolerabilis. Non nego equidem, ob magnam reuerentiam & exactam, quæ olim viguit in Romana Ecclesia Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiam, perfectamque iustitiam, exteros siue Episcopos Comprouinciales, siue Metropolitanos, libenter interdum consen-

consensisse, vt ipsorum Episcopi, siue Metropolitani ab illo consecrentur: & siqua difficultas circa aliquem consecrandum occurreret, totam consecrationem in eundem eos reijcere solitos fuisse. Nonnunquam etiam si Metropolitanus proprius iniustè negaret consecrationem, ne Synodus Prouincialis esset ad hoc cum incommodo cogenda, aut ex alia necessitate, ad Patriarcham fuisse recurrendum. Sic profecto Agapetus rogatus ab Episcopis Metropolis Constantinopolitanæ, [a] Mennam illius Ciuitatis Patriarcham, rite electum & confirmatum consecrauit: nam & fatetur [b] Agapetus a temporibus Petri Apostoli, nullum alium vnquam Orientalem Ecclesiam suscepisse Episcopum, manibus suæ sedis Romanæ ordinatum. Ordinarij ergo ordinatores, habita ratione summæ Dignitatis ibidem casu præsentis, Papæ Romani, ei consecrationem solam detulerunt: Electio enim facta est à [c] Clero de more & populo, & maxime ab Imperatore. Vana igitur est Baronij amplificatio, dum inter Agapeti facta conglobata [d] ponit, Successorem Anthimi deligere, & ordinare.] Sic Gregorius septimus ex [e] Africa ad se mittendum curat Episcopum, vt ab eo consecretur; quia videlicet in tota Africa tunc non erant nisi duo Episcopi: & ad consecrationem Episcoporum tres requiruntur. Sic Stephanus Gualberto Patriarchæ intimat, [f] si diutius protelauerit Cumensis Ecclesiæ Episcopi consecrationem, proculdubio si ad eum venerit, consecratum abiturum. Sed quod asserit se posse de qualibet Ecclesia Clericum ordinare, sibi ipsi nimium, & contra quam Canones præscribunt, blanditur. Sic Vrbanus secundus, [g] Artaldum Arelatensem, quem Narbonensis; & [h] Iuonem Carnotensem, quem Senonensis Metropolitani consecrare recusabant; ipse consecrauit.

a *Liberat. in Breu. c. 22.*
b *Agapet. ep. 5.*
c *Ibid. & apud Baron. to. 7. anno 536. n. 30.*
d *Ibid. n. 32.*
e *Greg. 7. l. 3. ep. 19. 20.*
f *9. 9. 3. Hunc vt. 9.*
g *8. 7. 3. c. Artaldum.*
h *Iuo ep. 2. 8. 12.*

A B

LIII.

In his ego conniuentiam potius, aut tolerantiã Ecclesiæ, quam ius aut autoritatem, mihi videor posse obseruare. Horum enim præcessores inuenio in hoc fuisse religiosiores: nam Stephanus sextus, vt pluribus narrat Frodoardus, ne ordinariam Lugdunensis Primatis turbaret iurisdictionem, in suis Episcopis consecrandis, [i] Lingonensem à Clero & Populo rite electum, & Romam pro consecratione missum, recusante nimirum Lugdunensi, qui alium obtrudebat, illum consecrare bis renuit, eumque repulit, ad Lugdunensem scribens, ac rescribens, vt ipse suo munere in huius consecratione fungeretur; siquidem ipse vellet vniuscuiusque Ecclesiæ priuilegium inconcussum seruari: Tertio demum, vix magna Lugdunensis pertinacia coactus, illum consecrauit. Et Gregorius septimus Robertum Carnotensem ab Episcopatu deposuit; non tamen propterea sibi alterius suffectionem, reseruauit; sed ita ordinarios tum electores, tum consecratores, illum, prout de iure, reiecit. Sennonensi enim Archiepiscopo & suffraganeis ita scribit: [k] Ecclesiam illam canonicam electionem in aliquam idoneam personam facere admonuimus: admonemus & vos, vt eidem electioni, eam quam oportet aut per vos, aut per idoneos nuncios vestros diligentiam adhibentes, quem electum canonice cognoueritis, & manus imponere, & in Episcopum consecrare, nulla occasione recusetis.]

i *Apud Baron. to. 10. an. 885. n. 23.*
k *Greg. 7. l. 4. ep. 15.*

C D

LIV.

Non puto adeo rudem fuisse Clementem secundum, vt putarit se posse in ijs, quæ iuris sunt Pontificij, successorum suorum manus ligare; siquidem par in parem non habet autoritatem: & nihilominus, vbi Salernitanæ Ecclesiæ proprios assignauit suffraganeos: [l] Non habeant, *inquit*, potestatem successores nostri, in cunctis prædictis Episcopatibus, quos vobis autoritate Apostolica concessimus, deinceps Episcopos consecrare; quemadmodum vobis (*alloquitur Episcopum Salernitanum*) concessum est.] Sciebat enim Metropolitanorum iura esse inconcussa, & neque Romanum Pontificem contra illa quicquam posse. Si quid igitur Romanos Pontifices postremis duobus, tribusue ante nostra tempora sæculis, in hoc genere feciisse, & alienos Episcopos, extra casus iam explicatos, ordinare voluisse legeris, scias id totum meram vim, & apertam vsurpationem redolere.

l *Apud. Baron. to. 11. an. 1047. n. 12.*

E

LV.

Obijcies primo, Athanasium cum suis Episcopis Aegyptijs ad Fœlicem Romanum sic scripsisse: [m] Ideo Pater Beatissime, quia semper antecessores nostri & nos, à vestra Apostolica Sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam Apostolicam, & summam expetimus, iuxta Canonum decreta, sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes & dogmata, atque subleuationes ceperunt.] Respondeo Epistolam illam esse confictam, & nullius fidei; ideoque in primam partem decretalium antiquarum Epistolarum, Romæ coniectam inter alias quasdam apocrypharum. Etsi etiam vera esset, & authentica, adulantur illi Episcopi nostro Papæ, ipsius ope indigi. Sed præterea esto vndequaque vera sit, & sincera; significant duntaxat

m *Tom. 1. Epistolarum Decret. Rom. Pont. 1. par. ante ep. Felicis secundi.*

A taxat Alexandrinam Ecclesiam, & consequenter reliquas omnes Aegyptiacas; à B. Petro, per Marcum Euangelistam fuisse ordinatas: & sic quoad originem, ordinationem suam & fundationem à Romana sede, id est, à Petro deriuatam recognoscunt.

LVI.

Obijcies secundo, rescriptum Valentiniani aduersum Hilarium Episcopum Arelatensem, quod sic se habet: [a] Cum igitur sedis Apostolicæ Primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit autoritas, ne quid præter autoritatem sedis istius inlicitum præsumptio attentare nitatur, tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si Rectorem suum agnoscat Vniuersitas. Hæc cum hactenus inuiolabiliter fuerint custodita, Hilarius Arelatensis (sicut Venerabiles viri, Romani Papæ Leonis fideli relatione comperimus) contumaci ausu, inlicita quædam præsumenda tentauit, & ideo Transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus inuasit, quod recens maximè testatur exemplum. Hilarius enim, qui Episcopus
B Arelatensis vocatur, Ecclesiæ Romanæ Vrbis inconsulto Pontifice, indebitas sibi ordinationes Episcoporum, sola temeritate vsurpans, inuasit &c.] Respondeo Imperatores, qui plus æquo sæpe terrena sapiunt, ad Romanæ Ciuitatis maiorem gloriam & splendorem, plurimum semper laborasse, vt sicut in temporalibus erat totius ferme orbis caput, ita in spiritualibus quoque & rebus Ecclesiasticis, super omnes Ecclesias imperium haberet. Sed neque absolutè reprehendit factum Hilarij, quod inconsulto Papa ordinaret suos Episcopos, id enim omni iure ad eum spectabat; neque tenebatur super hoc Papam consulere: sed quod indebitas faceret ordinationes: [b] nam alios, *inquit*, incompetenter remouet; indecenter alios inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit: qui quidem, quoniam non facile ab his qui non elegerant recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam; & claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressione referabat, & ad sedem quietis, pacem prædicaturus, per bella ducebat.] Non igitur ordinationes legitimas,
C etiam inconsulto Papa, sed hos excessus reprehendit Imperator.

[a] *Apud baron. to 6. an. 445. num. 9.*

[b] *Ibid.*

LVII.

Obijcies tertio, Gregorium [c] irasci, quod Maximus Salonitanus Episcopus, ipso nescio & inconsulto, fuerit ordinatus. Respondeo inde Gregorium Maxime irasci, quia cum Honoratum commendasset, eumque promoueri ad illam sedem percuperet, [d] Maximum verò omnino repellendum scripsisset, nihilominus ipsum Maximum, contra voluntatem & commendationem Gregorij, Episcopi Prouinciales ordinarant: [e] Episcopos verò Dalmatiæ ordinatores sui Metropolitani ordinarios agnouit, & fassus est; cuius tamen Maximi ordinatio tandem, vellet nollet Gregorius, obtinuit, vt ex plurimis ipsius Epistolis fit manifestum. Sed præterea irascitur quia ex recentiori consuetudine, Metropolitani, aut à suo Patriarcha erant consecrandi, aut non sine ipsius assensu & Decreto; vt est à me expositum supra cap. 5. nu. 40.

[c] *Dist 63. s. Salonitanæ.*

[d] *Greg. lib. 3. Ind. 12. ep 16. & l. 2. ind. 11. ep. 12.*

[e] *Ibid.*

LVIII.

Obijcies quarto Martinum primum, Philadephiensi Episcopo in Orientem scripsisse
D hæc verba: [f] Vt sic prosperans in Domino, ea quæ desunt corrigas, & constituas per omnem Ciuitatem earum quæ sedi tum Hierosolymitanæ, tum Antiochenæ subsunt, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, hoc tibi omnimodo facere præcipientibus nobis ex Apostolica autoritate, quæ data est nobis à Domino, per Petrum sanctissimum Principem Apostolorum, propter angustias temporis nostri, & pressuram gentium; ne vsque in finem in illis partibus deficiat Sacerdotalis decoris eximius ordo; ac ne inde de cætero nostræ Religionis magnum & venerandum mysterium ignoretur; iam non sit Sacerdos, & sacrificium, aut spirituale libamen, quod iugiter Deo in odorem suauitatis pro salute populi offeratur. Nam oportet in hoc maximè tempore Pastoribus spiritualibus frequentari, ac muniri, quæ vbique sunt Dei Catholicas Ecclesias, quo iuxta ipsius Domini prædictiones, tribulationes propter peccata nostra venerunt, quales non fuerunt ab initio mundi vsque modo, neque fient; cum quibus & magnæ scandalorum tentationes, vt in errorem inducantur,
E si fieri potest, etiam electi.] Respondeo non ex autoritate id factum, sed ex caritate, & communi omnium Episcoporum cura, ac præsertim Romani primi Patriarchæ, quam gerere debeat omnium Ecclesiarum, vbi illas destitutas esse suis ordinarijs gubernatoribus contigerit; vt pluribus docui libro secundo præcedenti, & tradam libro quarto. Quamuis dubium non sit Martinum sibi adhuc plusculum aliquid tribuere, sibique ipsi non nihil assentari.

[f] *Martin. ep. 5.*

LIX.

Obijcies quinto, Cononem Papam [g] Antiochiæ Episcopum ordinasse, eique pallium concessisse. Respondeo, mendum esse in scriptis Anastasij: nam alij legunt non Antiochiæ, sed Antiochiæ. Et quæ probabilitas est hominem Syracusanum Antiochenæ præfectum

[g] *Anastas. in Conone. & Baron. tom 8. an 686. n. 6.*

fectum fuisse Ecclesiæ? Cum præsertim ibidem subdatur Constantinum illum nonum Episcopum Antiochiæ, orta seditione contra eum, ob patrimonij Ecclesiæ in Sicilia rationes, cuius patrimonij rector fuerat, fuisse retrusum in custodiam. Erat igitur Episcopus alicuius Ecclesiæ Siculæ, non Antiochenæ in Syria. Siciliæ vero Episcopos ad Romanam ordinationem spectasse, passim reperies.

LX.

Objicies 6. cum Baronio, de Constantino Papa ab Anastasio ista scribi: [a] Egressus igitur à Nicomedia Ciuitate, crebris valetudinibus Pontifex attritus, tandem sospitatem Domino tribuente incolumis ad Portum Caietæ peruenit: vbi Sacerdotes, & maximam populi Rom. reperit multitudinem; ac vigesima quarta die mensis Octobris Indictione 10. Romam ingressus est; & omnis populus exultauit atque lætatus est. Fecit autem ordinationes Episcoporum in eundo & redeundo per diuersa loca Episcopos duodecim.] Subdit vero ista Baronius: Etenim vbicunque contigit præsentem esse Pontificem, illum omnes intelligebant primarium, propriumque esse pastorem, Episcopis omnibus suæ iurisdictionis subijcientibus fasces summo vniuersalis Ecclesiæ Sacerdoti.] Respondeo in eundo & redeundo inter Romam & Caietam potuisse facile duodecim Episcopos ad suam ordinationem spectantes ordinare. Quod si in Oriente quoque aliquem ordinauit, rogatum id feciisse oportuit, sicut de Agapeto dixi Mennam Constantinopoli consecrante. Et si qui Episcopi ei alieni illi fasces submiserunt, ex abundantia charitatis, & honoris causa, eos submiserunt, non ex debito iustitiæ & obedientiæ: Alioquin videbis [b] Moguntinum Episcopum Papæ Leoni nono, in eius Ecclesia præsenti, & potestatem primariam aduersus eius Clericos exercere conanti, in faciem restitisse; ipsique suos fasces submittere noluisse; sed vt penitus desisteret illum coegisse; de quo alias.

[a] Baron. tom. 8. an. 711. nu. 1.

[b] Vrsperg. apud Baron. 11. an. 1052. nu. 14.

XLI.

Alias Metropolitanorum potestates, quas cap. 7. 8. & 9. explicaui, quàm maxime possunt nostri Papæ conantur infringere, vt hinc suam in dies magis magisque stabiliant Monarchiam, ac ipsi soli sint supremi, imo & proximi iudices, gubernatores, ac Domini omnium Episcoporum. Quoniam tamen in iudiciis potissimum & appellationibus illæ versantur potestates, & de iudiciis Ecclesiasticis mihi plene agendum est lib. 8. ibi turbationem, quoad hæc, Ecclesiasticæ Hierarchiæ, à nostro Papa procedentem, exactè considerabo. Nunc satis sit innuere omnem inobedientiam & rebellionem Episcoporum aduersus suos Archiepiscopos Romæ hodie, & iamdiu pro Papatus maiori incremẽto foueri, nutriri, & defendi: vt iam Episcopi nostri flocci faciant suos Archiepiscopos: Qui & ipsi non sine aliqua (ignoscant mihi quod verum dicam) stoliditate cedunt facile; siue quia iam nihil ad ipsos, si verum Ecclesiæ regimen, & Ecclesiastica disciplina, in ipsorum suffraganeis, totaque Prouincia contemnatur; propria enim eheu plurimi curant, & in regimine suarum Ecclesiarum stertunt, ac dormiunt, & ignauia plane contabescunt; siue quia Papæ adulantes, à quo vel timent sibi, vel sperant, Metropoliticam ei libenter & *vltro* cedunt potestatem. Quod si Archiepiscopi ita contemnerent Papam, sicut ipsi, Papa autore, à suis suffraganeis contemnuntur, qui se eis penitus iam faciunt æquales, ordo certe hierarchicus facile ad suam primam institutionem, integritatemque reuocaretur, & primæuum suum splendorem recuperaret. Vtinam.

Libri Tertij finis.

DE REP. ECCLESIASTICA,

LIBER IIII.

Qui est

De Romana Ecclesia.

PROŒMIVM.

CONSTITVTA iam à nobis in primo huius Operis libro, Ecclesiasticæ Reipublicæ forma, cum totali ab ea Monarchiæ remotione: datis in secundo libro suis eidem Reipublicæ Rectoribus, & Ministris: dispositis tertio libro, aliquo ordine hierarchico, ipsis inter se Ecclesiæ Ministris, absque vlla visibilis Monarchiæ specie vel apparenti; ad huius nostræ Reipublicæ propriam potestatem indagandam, & explicandam, inoffenso pede accessissem, nisi me eo properantem Romanæ Ecclesiæ elati nimium spiritus, quasi turbine quodam aut tempestate, detinuissent. Quam enim Monarchiam me putabam longè longius à nostra Republica amandasse; eam Romana Ecclesia obsitmatis animis, adhuc retinere dum non veretur; cogor cum ea moram facere, conarique vlterius, vt eam à nimio vsurpati cuiusdam Primatus defendendi studio, si fieri possit, absterream. Indignabitur certè ac iratscetur mihi, quod in ipsa Ecclesiastica Hierarchia recolenda, ei reliquas omnes totius orbis Christiani Ecclesias planè non subdiderim: quod ipsius Episcopo, Episcopos omnes, Primates omnes, omnes Metropolitanos, Patriarchas omnes, tanquam supremo in hac Repub. visibili capiti, soli Christi Vicario, & Episcopo vniuersali non fecerim subiectos: quod ipsius Cleri Romani, id est, pompatici Cardinalium Collegij splendorem, & supra reliquos omnes omnium Ecclesiarum Cleros prærogatiuas non extulerim: quod Legatorum Apostolicorum potestatem eximiam non considerauerim; sed hæc omnia prætermiserim, quasi in Repub. Ecclesiastica aut nullum, aut non eminentissimum locum occupent. Hic igitur sistendus mihi pes est tantisper: ac Liber hic peculiaris Romano Primatui dedicandus. I.

Arduum verò negotium, periculosa tractatio, res plena inuidiæ. In qua dum versor, ijs me angustijs premi cerno, quibus aliquando pressus Ambrosius, quo se verteret, fermè non habebat. [a] Valentinianus Imperator legem tulerat, ne cui esset liberum iudicare de rebus fidei tunc controuersis, nisi prout ipse, in gratiam Arianorum iudicârat: & per Prouincias vno momento mandatum fuerat, vt quicunque obuiauerit Imperatori, feriatur gladio. Contendebatur cuiusnam esset Ecclesia Mediolanensis; Ambrosij ne, an Auxentij Ariani: Iudicium hac de re in Palatio à Laicis habendum, indixerat Imperator. Quid Ambrosius? Negat iudicium fidei ad Laicos pertinere: sed & illas Catholicorum Laicorum commemorat angustias: Quis est, *inquit*, qui possit, vel vnus, vel inter paucos, dicere Imperatori, lex tua mihi non probatur? Non permittitur hoc dicere Sacerdotibus, permittetur Laicis? Et iudicabit de fide, qui aut gratiam sperat, aut metuit offensam? Deinde ipse committam vt II.

a *Ambros. Ep. 32. alias 13.*

eligam

eligam iudices Laicos, qui cum tenuerint fidei veritatem, aut proscribantur, aut necentur, quod lex de fide lata decernit? Ego igitur, aut præuaricationi offeram homines, aut pœnæ.] Hæ porro sunt meæ quoque angustiæ. Lex est, vt quicquid dixerit, statuerit, fecerit-ue summus Pontifex in rebus fidei, id verum, id Sacro-sanctum, id inuiolabile sit: qui contradixerit, gladio feriatur. Quod iudicium, in re, quam propono disputandam, ferre possum sincerum, dum aut spero gratiam, si obsequar falsitati, aut metuo offensam, si veritatem sequar? Quomodo veritatem propugnem, si veritatis assertores, ex lege data, ac sanguine scripta, aut proscribuntur, aut necantur? Me igitur ipsum aut præuaricationi offero, aut pœnæ. Vtrinq; certa crux: hinc corpori, illinc animæ.

III. Dicerem libenter suæ Sanctitati cum Ambrosio, si tractandum est, tractare in Ecclesia didici, quod maiores fecerunt mei: Si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino Augustæ memoriæ Principe; qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. — Tolle igitur legem, si vis certamen.] Liberum sit, Pater Beatissime, mihi, non ex meo peculiari, & priuato sensu, quicquam promere, quod potsit præsertim perturbata affectio temere stulteq; audere; sed quod veritas ipsa, quod sacræ leges, quod Ecclesiasticæ Catholicæ historiæ, quod fides, quod ratio, quod Euãgelium, quod Sacræ Literæ, quod Patres orthodoxi, quod Venerãdi Sacrosanctæ Ecclesiæ senatus tradiderunt, docuerunt, sanxerunt, explicarunt, in medium proferre: liberum sit venerandis Episcopis, & cuique Catholico, Sacris Literis addicto, & erudito, hæc ipsa legere & iudicare. Neq; quisquam eorum in his dijudicandis, aut gratiam speret, aut metuat offensam. Sic enim veritas ipsa patentissima elucescet. Certamen profecto recusare non debes; Sed tolle legem, si vis certamen.

IV. Suscepit aliquando Augustinus, seu quis alius, vir sane magni iudicij, & autoritatis in Ecclesia, quæstionem de Leuitis Romanis tractandam; sensitq; easdẽ pene angustias; vnde & hoc pacto ei libuit præfari. [a] Dum iussis charitatis parere volumus, in vituperationem forte cademus, qui de re, quæ nulli aliquando in dubium venit, scribimus: quia cum amicitiam offendere nolumus, studium, quod ad aliquam rem occultam reuelandam proficere debuit, intricamus. Quamuis propter nimiam stultitiam cuiusdam hoc asseuerantis, quod in subiectis pandemus, istud nobis iniunxerit charitas memorata: ne, cum nemo diu ad hoc responderit, in peius proficeret, vt diu in vano exercitatus emendari non possit. Hoc enim charitatis studium est, quæ non quærit quæ sua sunt.] Eadem profecto, Deum testor, me quoque vrget charitas; vt in rebus diuinis sola vincat veritas; & spe gratiæ, offensæq; metu postpositis, [b] de testimonijs Domini, in conspectu etiam Regum, loquar, & non confundar.

a Aug. in qq. vet. & noui test. q. 101.

b Psal. 118.

V. Prærogatiuas itaq; Ecclesiæ Romanæ in hoc toto libro sumimus considerandas, quas illa vel falsas prætẽdit, vel veras habet. Et quidem alias in ipsâ totâ, alias in suo proprio clero, alias demum in suo Episcopo: hæc omnia ad 12. capita reuocabo.

In se tota immerito prætendit sui fundationem à Petro atq; de hoc agitur cap. 1.

Prætendit etiam imperium in cæteras omnes Ecclesias: & de hoc cap. 2.

Veras tamen habet & proprias aliquas ipsa Ecclesia Romana prærogatiuas, cap. 3.

Sed & in illis cum Constantinopolitana coæquatur, cap. 4.

In suo proprio Clero dignitatem prætendit Cardinalitiam, de hac cap. 5.

In suo Episcopo similiter prætendit immerito aliqua magna, videlicet successionem à Petro, de hac cap. 6.

Prætendit etiam Monarchiam in tota vniuersali Ecclesia super omnes alios Episcopos, ac Ecclesias, de hac cap. 7.

Hæc tamen Monarchia ignota fuit perpetuò in Ecclesia Christi pura, cap. 8.

Priuilegia tamen vera habuit aliqua Episcopus Romanus, cap. 9.

Apparentiæ Papatus vniuersalis, cap. 10.

Circa Episcopi sui electionem prætendit alia priuilegia Ecclesia Romana; ita circa ipsius confirmationem, & consecrationem, & de his cap. 11.

Prætendit demum Episcopus Romanus in suis Legatis potestatem erga totam Ecclesiam vniuersalem, & de hoc cap. 12.

Aliæ prætentiones plurimæ Episcopi Romani partim iam sunt discussæ in præcedentibus, & partim discutientur in sequentibus huius operis libris.

CAP.

A

CAP. I.

Ecclesiam Romanam non esse peculiarem Petri Sedem.

SVMMA CAPITIS.

Romana Ecclesia à Petro Primatum super cæteras habere non potuit, siquidem Petrus à Christo nullum in Ecclesia Primatum habuit, quem posset vlli tribuere Ecclesiæ, num 1.

Si etiam Petrus Primatum supremum in totam Ecclesiam solus habuisset, adhuc Romana Ecclesia tali Primatu non frueretur: si quidem Romæ Petrus propriam & peculiarem sedem non habuerit: Romæ enim Martyrio coronatus admittitur, num. 2. & Romæ Episcopatum aliquo modo gessisse affirmatur, num. 3. & Romanus Episcopus Vicarius Petri melius quam Christi Vicarius à Patribus dicitur, num. 4. 5. 6. & Romæ prædicasse conceditur, num. 7. Hæc tamen omnia Petrum non faciunt verè & propriè peculiarem Romanum Episcopum, num. 8.

B

Et quod spectat ad fundationem Romanæ Ecclesiæ, non minus illa Paulo quam Petro debetur, num. 9. 10. 11. 12. Imò prima Romanæ conuersionis initia Petro nullo modo sunt tribuenda, num. 13. 14. 15.

Itinera itaque tam Petri quam Pauli inuestiganda proponuntur, num. 16. & sub debita Chronologia collocantur, atque ab Antiochena Ecclesiæ fundatione & gubernatione Petrus excluditur, à num. 17. ad num 23. Paulus ante Petrum Romam adducitur, num. 24. Petri prædicatio in Oriente, antequam Romam proficisceretur, explicatur num. 25. 26. 27. Romam tandem adducitur occasione Simonis Magi, num. 28. 29. 30. & Martyrio cum Paulo coronatur, num. 31. ad finem.

C

Vpremus Ecclesiæ Romanæ Primatus, ipsiusque supra cæteras omnes Christi Ecclesias imperium, sicuti re vera nullis solidis innititur fundamentis, ita penitus illum consideranti & excutienti, statim suam prodit imbecillitatem, nutat, ruit, concidit, prosternitur; vt mirum prorsus sit, quod quiuis propius intuens non planè cernat, huius Primatus patentissimam vanitatem. Non ne supra ego, libro proximè præcedenti, capite præsertim decimo, Ecclesias omnes Patriarchales, iure & diuino pariter & humano, penitus pares in potestate feci? Non ne satis confirmaui, solo iure humano Ecclesiastico, Ecclesias aliquas insignium Vrbium, curam aliquam, in alias, certarum Prouinciarum, seu Regionum ijsdem Vrbibus subiectarum suscepisse? Audio Romanos acriter in me insurgentes, & hisce non acquiescentes, illud vel maximè mihi obijcere: Si Petrus supremum totius Ecclesiæ visibile caput, toti præfuit Ecclesiæ, tanquam vnicus Christi Vicarius in terris; & omnibus siue Apostolis, siue Episcopis prælatus, cur non Romana quoque Ecclesia, Petri sedes, eadem ratione, & ex eadem causa Primatus, Petri Primatum supra cæteras omnes Ecclesias non tenebit? Ego verò iam primo huius operis libro totum hoc argumentum destruxi penitus, & in puluerem redegi: Petro enim Primatum hunc Imperij & Dominij Ecclesiastici, nullum competere docui; Petrumque cæteris Apostolis penitus parem feci; ostendique vniuersaliter, in Ecclesia Christi Monarchiam non esse, quam à sua Ecclesia Christus longissimè abesse voluit. Itaque quid sibi vsurpat Romana Ecclesia propter Petrum, quòd à Petro fuit remotissimum? Sed vt melius adhuc vanitas huius Primatus Ecclesiæ Romanæ pateat, nunc addo, ne inde quidem quòd sit peculiaris Petri sedes, ipsam posse gloriari; sed in hoc habere plurimas alias Ecclesias sibi pares: Quarum cum nulla Primatum, eo nomine, in cæteras iactet, cur Romana sola iactabit? I.

D

Petrum Romæ Martyrio coronatum fuisse, malo assentiri, quàm reluctari: quamuis hac de re plenam historicam fidem nondum sim assecutus; ob plurimorum tamen sanctorum Patrum consensum, arbitror id posse à quouis facilè concedi, & credi; neque videtur operæpretium in hoc contentiosum funem trahere. Quamuis enim suas hoc habeat historicas[a] difficultates, non tamen tanti momenti mihi videntur, vt prudenter possit quis iam obniti, & contradicere. Episcopum verò Romanæ Vrbis Petrum fuisse, & in Episcopali II.

E

[a] *Apud Bellar. de Rom. Pont. lib. 2. c. 1. 2. 3.*

pali munere defunctum, nostri [a] contendunt acriter : & hoc videtur fieri euidens ex sequentibus. Quid vero videatur posse id persuadere, quantum ego potui ex Patribus potissimum colligere, iam profero libenter ; meum super his iudicium postea subiecturus. Petrum itaque fuisse Romanum Episcopum, probatur. Primo ; quia ab antiquissimis etiam Patribus, Romana Cathedra dicitur sedes Petri. Cyprianus : [b] Nauigare, *inquit*, audent, & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.] *Item* : [c] Factus est Cornelius Episcopus, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.] Optatus Mileuitanus, Parmenianum sic compellat : [d] Igitur negare non potes, scire te, in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus.] Athanasius : [e] Non ita se habet, *inquit*, Ecclesiasticus Canon, neque vnquam accepimus talem à Patribus traditionem, quam ipsi (*Romani*) à Beato & magno Apostolo Petro, acceperunt.] Hieronymus ad Damasum, [f] Cum successore, *inquit*, piscatoris & Discipulo crucis loquor ; ego Beatudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior.] Rursus idem : [g] Prædicatione quoque, *inquit*, Cathedræ Marci Euangelistæ, Cathedra Petri Apostoli, sua prædicatione confirmet.] Loquitur de damnatione errorum Origenis, per Anastasium Romanum Pontificem, Romæ probata. Augustinus : [h] Cathedra tibi, *inquit*, quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet ?] Et alibi : [i] Numerate, *inquit*, Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum Portæ.] Petrus Rauennas ad Eutychem, [k] Hortamur, *inquit*, te frater honorabilis, vt ijs quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.] Ita etiam [l] Leo, ita Prosper ait, [m] Sedes Roma Petri.] Sozomenus, [n] Non sine diuina, *inquit*, prouidentia factum est, vt mortuo Fœlice, solus Liberius Romanæ Ecclesiæ præesset ; ne Petri sedes vlla infamiæ macula aspergeretur.] Orientales Episcopi Symmacho Papæ asserunt à Christo optimo pastore [o] Petri Cathedram esse creditam. Gregorius acri cum querimonia de Rege illius tẽporis ita scribit : [p] In tantũ autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam, sibi vendicet ; & in Dominia gentium, terrenæ ius potestatis vsurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro Apostolo specialiter commisit, dicens, Tibi dabo Ecclesiam meam.] Bernardus ad Eugenium Papam : [q] Terribilis prorsus, *inquit*, terribilis est locus iste ; locus, inquam, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius : locus illius est, quem constituit Dominus dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.] Omitto recentiores innumerabiles. Sed neque silentio præteribo, ipsosmet Episcopos Romanos hoc primum videri suæ sedi attribuisse, eam esse Petri sedem, & consequenter se Petri successores asseruisse ; in id non ita facilè aliis Episcopis, præsertim Orientalibus assentientibus. Inuenio enim Firmilianum Cappadocem de Stephano Romano Pontifice ad Cyprianum ista scribere. [r] Atque ego in hac parte iustè indignor ad hanc tam apertam & manifestam Stephani stultitiam, quod, qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat.] *Item* : Iudæos zelum Dei Apostolus habere profitetur ; Stephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se prædicat, nullo aduersus hæreticos zelo excitatur.] Certè Firmilianus his fermè ironicis verbis satis ostendit, se non assentiri Stephano prætendenti, & asserenti se in Cathedra Petri sedere, & Petri esse successorem. Eodem igitur tempore, & Cyprianus supra adductus Romanam sedem vocat absolute Petri Cathedram ; & Firmilianus in hoc non vult assentiri, sed potius videtur dubitare. Iudicet Lector. Fortasse alia tunc erat opinio de Petri Romana sede Orientalium, alia Occidentalium : & adhuc sub iudice lis est.

Secundo, Romanus Petri Episcopatus ex eo probatur, quod sæpe à Patribus expresse ponitur, & asseritur idem Petrus, Romanus Episcopus. Eusebius : [t] Petrus Natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur ; vbi Euangelium prædicans, 25. annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat.] Ambrosius : [u] Vtique, *inquit*, ipse author est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.] Inde illud Eusebii Papæ ; [x] Benedictus Dominus — qui — Romanam Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis Sacerdotio ditauit. Sulpitius ; [y] Inualuerat apud Vrbem diuina Religio, Petro Episcopatum gerente.] Hieronymus ; [z] Petrum dicit 25. annis Romæ Sacerdotalem Cathedram tenuisse. Idem affirmat

III.

a Idem l. 4. ep. 2

d Optat. cont. Parm. l. 2.

e Athan. ad solitar.

f Hieron. ep. ad Damas.

g Idem ep. 38. ad Damas. & Marcellam.

h Aug. cont. lit. Petil. l. 2. c. 51.

i Idem in psalmo cont. part. Donat.

k Ad Concil. Chalced.

l Leo serm. 2. de sua assump.

m Prosper. lib. de ingrat.

n Sozom. l. 4. c. 14

o Inter epist. Symm. post Apologet.

p Greg. in psa. pœnit. 5.

q Bern. ep. 237.

r Inter epist. Cypr. ep. 75. ed. 1. Pamel.

s Euseb. in Chron. ann. 44.

t Anast. lib. 3. de Sacram. c. 1.

u Euseb. ep. 3.

x Sulpit. l. 2. sac. hist.

y Hieron. de vir. illust. in Petro.

A affirmat de Petro Isidorus; [a] Hic, *inquit*, postquam Antiochenam Ecclesiam fundauit, sub Claudio Cæsare, contra Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans Euangelium 25. annis eiusdem tenuit Pontificatum. Producit pro Petri Romano Episcopatu Bellarminus autoritatem [b] Dorothei in Synopsi, ita scribentis; Linus post coryphæum Petrum Romæ Episcopus fuit] Oblitus, vt arbitror, suæ propriæ censuræ in illam Synopsim, paulò antè illa nota latæ; [c] Porrò Synopsim, quæ Dorotheo Tyrensi falsò ascribitur, plenam esse narrationibus confictis, atq; mendacibus, &c.] Sed hoc familiare est nostris Monarchicis, ac præsertim Baronio, eundem autorem modo approbare, & in cœlum euehere, vbi fauere eis videatur; modo diris deuouere, & execrari illum eundem, vbi ipsis aduersantem offenderint. Sed vndenam Bellarminus ad tam acrem censuram in Synopsim illam fuerit permotus, vt eam tanquam plenam confictis, & mendacibus narrationibus coarguerit, audiamus: Eunuchum, *inquit*, Reginæ Aethiopum, inter 72. Discipulos numerat. Et Iuniam ponit inter Discipulos; Iunia autem erat fœmina.] Sed dormitabat bonus Cardinalis quando hæc scripsit. Dorotheus enim, enumeratis primum nominatim sexaginta octo Discipulis, ijs adnumerat Marcum, & Lucam Euangelistas, ad complendum numerum septuagenarium. Seorsim verò post illos, Euangelij primos annunciatores in mente habens, 12. Apostolis, & 70. Discipulis, subiungit etiam Eunuchum Candacis, qui in Arabia fœlici, & Taprobana Euangelium prædicauit. Et expressè illum ponit Euangelij prædicatorem; sed tamen extra numerum Apostolorum, & 70. Discipulorum. [d] Iunias autem, & Andronicus nobiles erant in Apostolis, sumpto Apostoli nomine in latiori significatione. Poterat ergo, imò debebat Bellarminus, à tam graui censura abstinere, si Opusculum illud aliundè non poterat abijcere.

B

a Isid. in vita Petri.

b Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 4.

c Bellar. ibid. c. 2.

d Rom. 16.

IV.

C Tertiò Episcopatus Romanus Petri probatur ex illis qui Romanum Pontificem Vicarium Petri nominauerunt. Symmachus in suo Apologetico, aduersus Anastasium Imperatorem sic loquitur; [e] An quia Imperator es, contra Petri niteris potestatem? Et qui Petrum Alexandrinum recipis, beatum Petrum Apostolum, in suo qualicunque Vicario calcare contendis?] Ennodius Diaconus Symmachi defensor, [f] beati Petri Apostoli Vicarium, vocat Symmachum. Et [g] Iustinus Imperator lætus fuit, quod meruit temporibus suis Vicarium Petri Apostoli videre in regno suo Constantinopoli; nimirum Ioannem primum. Ludouicus Imperator in quodam Diplomate ita loquitur; [h] Ego Ludouicus Imperator Augustus statuo, & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi B. Petro Principi Apostolorum, & pro te Vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici, &c.] Tarraconensis Prouinciæ Episcopi ad Hilarum Papam, ita scribunt; [i] Beatissimi Petri singularis prædicatio, vniuersorum illuminationi prospexit, cuius Vicarij Principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus, & amandus.] Gelasius Papa; [k] Quantum ad sæculi potestatem, illa à Pontificibus, & præcipuè à B. Petri Vicario debet cognoscere, quæ diuina sunt.] Et ad Anastasium scribens; se [l] Apostolicæ sedis Vicarium vocat. Amator Episcopus ad Syluerium Papam, è sede sua iniustè pulsum, ita scribit; [m] Quid enim putas de nobis fieri, Pater summe, cùm de summo Pastore, & Vicario sancti Petri, talia fiunt?] Gregorius Apostolicam sedem, [n] vice Petri asserit suscipere gubernandam. Habet quoque idem formulam iuramenti, & professionis fidei, quam tenebantur facere ij, qui à schismate ad Ecclesiam redirent; quæ sic habet inter cætera; [o] Ego — spondeo atque promitto tibi, & per te sancto Petro Apostolorum Principi, atque eius Vicario beatissimo Gregorio, & successoribus, &c.] Simile fidelitatis iuramentum præstitit Bonifacius Episcopus Germaniæ, Gregorio secundo, quod sic habet; [p] Ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi B. Petre Apostolorum Princeps, Vicarioque tuo Gregorio Papæ, & successoribus eius, &c.] Idem Bonifacius scribens de Synodo à se habita, inter alia hæc habet; [q] Decreuimus autem in nostro Synodali conuentu, & confessi sumus fidem Catholicam, in vnitatem, & subiectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ, velle seruare sancto Petro, & Vicario eius velle subijci, &c.] Adrianus primus; [r] Petro, *inquit*, Apostolo cura totius Ecclesiæ, & principatus committitur; & ipse vices suas Vicarijs suis Pontificibus relinquere dinoscitur, Ecclesiæ curam gerendi.] Anastasius Bibliothecarius, de Spoletinorum deditione sedi Apostolicæ agens, hæc scribit; [s] In Ecclesia sancti Petri omnes vnanimiter, à magno vsque ad paruum, sub indiculo Sacramenti, iureiurando promisere eidem Domno Apostolico, in seruitio eiusdem, atq; antedicti Vicarij ipsius, sanctissimi Hadriani Papæ, atq; omnium successorum eius Pontificum, fideliter permansuros.] Et de Caroli magni donatione, idem Autor ita scribit: [t] Adhortari (*Pontifex*) studuit (*Carolum*), vt permissione illa, quam

D

E

e Sym. in Apologet.

f Ennodius Diac. Apolog. pro Sym. tom. 2. Conciliorum.

g Anastas. Biblioth. in Ioanne primo.

h Diplom. Caroli Ludouici.

i Inter Epist. Hilar.

k Gelas. in Comment.

l Idem Ep. 10.

m Ante Epist. Syluerij.

n Greg. l. 2. ind. 10. Ep. 33.

o Idem Greg. lib. 10. ind. 5. Ep. 30.

p Apud Baron. tom. 9. an. 723. num. 14.

q Ibid. an. 740. num. 6.

r Adrian. 1. Ep. 3.

s Apud Baron. tom. 9. an. 773. num. 13.

t Ibid. an. 774. num. 7.

eius sanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex,& ipse præcellentissimus Carolus, cum suo germano Carolo, vna cum omnibus Iudicibus Francorum fecerat B.Petro,& eius Vicario S. memoriæ D.Stephano iuniori Papæ,quãdo in Franciam perrexit,pro concedendis diuersis Ciuitatibus, ac territorijs istius Italiæ Prouinciæ,& contradendis Beato Petro, & omnibus Vicarijs in perpetuum possidendis,adimpleret in omnibus.] Et vbi narrat idem Anastasius aduentum Papæ Leonis tertij in Franciam, ait: [a] Ipse magnus Rex et obuiauit, & sicut Beati Petri Apostoli Vicariũ venerabiliter,& honorifice cum Hymnis & Canticis spiritualibus eum susceptt.] Gregorius 4. ad omnes Episcopos scribens ait; [b] Contra caput ergo nolite vos extollere, nolite beati clauigeri Petri, cuius vice pro Christo legatione fungimur, sedem, eiusque sedis autoritatem spernere.] Nicolaus 1. ad Michaelem Imperatorem ita scribit, [c] Nec in Vicarijs beati Petri Apostoli, vobis est attendendum qui sint.] Eiusdem quoque verba sunt; [d] Imperator machæræ vsum, quamprimum à Petri Principis Apostolorum Vicario contra infideles accepit, non cogatur in Christi fideles conuertere.] Gregorius 7. [e] Per autoritatem, *inquit*, quæ data est Apostolo Petro, per nos eiusdem Vicarios,&c.]Alexander 2.vt loquitur Malmesburiensis,voluit Vt [f] Lanfrancus Cantuariensis Sancti Petri Vicarij vestigijs aduolueretur.] Et in Concilio quodam Anglicano eiusdem temporis ponitur, [g] Vis Diuinæ liberalitatis per Dominum Iesum, à B. Petro in Vicarium eius diffusa.] Bernardus ad Conradum, Regem Romanorum & ipse scribit: [h] Quam tamen sententiam cupio vos,& omnimodis moneo custodire, in exhibenda reuerentia summæ & Apostolicæ sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab Vniuerso seruari imperio.] Possent sexcenta alia proferri testimonia veterum scriptorum, in quibus Romanus Papa Vicarij potius, quam successoris Petri nomine insigniatur. Sed hæc pauca sufficiant. Certe Cyprianus generali assertione Episcopos omnes Apostolorum facit Vicarios, dum ait: [i] Christus dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Præpositos, qui Apostolis Vicaria ordinatione succedant,qui vos audit me audit,&c.]

a *Ibid. an. 799. num.8.*
b *Greg.4.ep.Ra. tom.2.*
c *Nicol.ep.8.*
d *Idem ep.26.*
e *Greg.7.l.1. ep 68.*
f *Apud Baron. to 11. an.107.. num.6.*
g *Ibidem 1072 num.6.*
h *Bern.ep.185*
i *Cypr.l.4.ep.10*

V.

Appositi tibi, Lector,satis multa loca in quibus priora sæcula Romanum Pontificem libentius appellarunt Petri, quã Christi Vicarium,aut Petri successorem,qui in ea Ecclesia in qua Petrus laborando conquieuit, illius vices subit in labore: vt hinc priscorum illorum sanctorum Pontificum modestia eluceret. Baronius verò,& Bellarm.nauseabundi, in hoc titulo Vicarij Petri, nescio quam fastidiunt improprietatem; dum alicubi ad marginem ista notat Baronius: [k] Sic vsurpatur improprie vox illa Vicarius, vsu loquendi illius temporis, quod loco Petri Christi vicem Papa gerat in terris.] Et Bellarminus, [l] Impropriæ sunt, *inquit*, illæ locutiones, & solum ob reuerentiam B. Petri aliquando vsurpantur.] At certe si in voce hac Vicarij esset hæc improprietas; non fuisset vox hæc adeo priscis temporibus communis; sed ideo Vicarij Petri dicebantur Romani Pontifices, quia se *in locum* Petri, hoc est, puri ministri, & serui substitutos puros ministros, & seruos agnoscebant. Nunc verò quia nudum hoc dedignantur ministerium, non Petri sed Christi, imo Dei Vicarij,specioßissimo titulo gloriantur.

k *Baron.to.9. an.740.n.5.*
l *Bellar. de Rõ. Pont.l.2.c 17.*

VI.

Et sane Petrus Episcopos humillimis verbis compellat, & obsecrat dicens: [m] Presbyteros ego compresbyter obsecro, Pascite qui in vobis est gregem Dei.] Vnus verò ex Petri non antiquis Vicarijs,hoc pacto loquitur: [n] Cæterum attendentes quod nos Dominus licet immeritos *in* sede iustitiæ collocauerit,& Vicarios sui,& Apostolorum Principis constituerit successores; ne videamur acceptorum beneficiorum ingrati, si ei qui nos de puluere suscitatos inter Principes, imo supra Principes, sedere voluit,& de Principibus iudicare, hominem præferamus, &c.] Et idem aliam ita Epistolam exorditur: [o] Apostolica sedes, quæ disponente Domino inter omnes Ecclesias obtinet Principatum, alios vocauit in partem solicitudinis,retenta sibi plenitudine potestatis, vt quoniam Romanus Pontifex, pro defectu conditionis humanæ, per seipsum omnia expedire non potest; iuuetur subsidijs aliorum, quibus vices suas committit,ad exemplum Domini,& Magistri qui Discipulos suos per Mundum vniuersum transmisit.] Hoc sane est non esse Vicarium Petri,sed alium pene Christũ, cui se exequat;& iam vult instar Christi, mittere Discipulos suos,qui non Christi, sed ipsius loco,& vice,iniũcta ab ipso obeant ministeria: Quippe qui non amplius Diuina, sed propria, propriæ autoritatis institutione, plenitudinẽ potestatis sibi ipsemet reseruauit, & Episcopis quantum ipse voluit,assignauit. Quis non tanto typho scandalizetur?

m *1.Pet 5.*
n *Innoc 3.l.2. ep.188.*
o *Idem l.2. ep.193.*

VII.

Quarto idem Petri Episcopatus probatur ex ijs,qui asserunt Petrum Romanam fundasse Ecclesiam; sua nimirum prædicatione, cum Romanorum ad fidem conuersione. Irenæus, Caius, Dionysius Corinthius, viri antiquissimi id fatentur, & alij multi: sed simul cum

Paulo

A Paulo Petrum faciunt Romanæ Ecclesiæ fundatorem, infra num. 10. Chrysostomus: [a] Piscator Petrus, *inquit*, quoniam Ciuitatem maximè Regiam occupauit, etiam post mortem resplendet sole clarius.] Paulus Orosius: [b] Exordio, *inquit*, Regni Claudij, Petrus Apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis fidem, fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbauit; atque exinde Christiani Romæ esse cœperunt.] Leo: [c] Cum Apostoli imbuendum Euangelio Mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperij.] Et ad Antiochenum Episcopum scribens ait; [d] Oportet te meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium Beatissimus Petrus, per totum Mundum quidem vniformi prædicatione, sed speciali Magisterio, in Antiochena, & Romana Vrbe fundauit.] Theodoretus: [e] Primus, *inquit*, eis (*hoc est Romanis*) Magnus
B Petrus doctrinam Euangelicam præbuit.] Theodosius Imperator: [f] Cunctos, *inquit*, populos quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus Religione versari, quam Beatum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio vsque adhuc insinuata declarat.] Ex his omnibus satis euidens relinqui videtur, Petrum fuisse Romanæ Vrbis Episcopum, & fundatorem, Romæque tandem celebri martyrio vita functum.

a *Chrysost. in Psal. 48.*
b *Oros. Iustor. l. 6. c. 6.*
c *Leo serm. 1. de Natal. Apost. Pet. & Paul.*
d *Leo ep. 66.*
e *Theodor. in cap. 1. ad Rom.*
f *C. de sum. trin. & fid. Cath. l. Cunctos populos.*

VIII.

Nihilominus his omnibus adhuc stantibus, & nil obstantibus, illud est firmiter asserendum, Petrum ita fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum, vt tamen nulla alia peculiari ratione in ea Vrbe Episcopatum tenuerit, nisi ratione sui Apostolatus. Docui enim libro primo, [g] & Petrum, & vnumquenque aliorum Apostolorum, ex vi Apostolatus, fuisse Episcopum, in habitu, totius orbis; in actu verò, & Petrum, & Apostolorum quemlibet, fuisse Episcopum illius tantum loci fidelium, in quo quisque eorum, actu Apostolicum munus exercuerit. Quandiu ergo Petrus Antiochiæ prædicauit (si tamen ibi prædicauit) fuit actu
C Antiochenus Episcopus; & quandiu Romæ Euangelizauit, fuit actu Romanus Episcopus. Propterea etiam Paulus, quandiu Romæ prædicauit, fuit & ipse Episcopus Romanus, nihil minus quam Petrus; quia vterque erat æquè plene Apostolus, & consequenter æque plene Episcopus. Et si vterque Romæ residebat, & Romæ vterque martyr effectus est, vterque procul dubio æque dicetur Cathedram Episcopalem Romæ habuisse, & in Episcopatu Romano esse defunctus. Idem dico de Ioanne, qui, si & ipse aliquandiu Romanis prædicauit, vt refert [h] Tertullianus, etiam ipse eo tempore fuit actu Episcopus Romanus. Sane Petrus, & quicunque Apostolus tunc dicitur Cathedram aliquam collocare, seu alicubi instituere, cum non modo alicubi prædicauerit actu, sed etiam ibi constituerit vnum aliquem pastorem, cum Apostolica autoritate esse deputandum; quem Episcopum appellamus. Quinimo etiamsi Apostolus alicubi non prædicauerit, nec ipsemet eo fidem detulerit, nec eo sedem ibi fixurus accesserit, sed aliquem ex discipulis, cum dicta Apostolica autoritate miserit, tunc ille Apostolus sedem ibi, seu Cathedram Episcopalem erexisse erit dicendus. Sed maximè propriè Apostolica illa sedes vocabitur, in qua Apostolus ipse diutius, vt docui libro præcedenti, sederit. Potuit igitur contingere, & ita de facto contigisse mihi non est dubium, vt Petrus, qui poterat Apostolicum munus per totum orbem, vbicunque ei placuisset, suo accessu exercere, viso fructu magno, qui ex cultura Ecclesiæ Romanæ sperabatur, sese eidem Ecclesiæ sponte tandem, occasione debellandi Simonis Magi, vt inferiùs patebit, manciparit; ita vt voluerit, Apostolicam exercendo autoritatem, in illa Ecclesia exactius & diutius laborare. Idem prorsus puto etiam Paulo Romam similiter à Deo destinato contigisse. Idem Ioanni, qui sese pari ratione Ecclesiæ Ephesinæ applicauerit; cum tamen & ipse, non minus quam Petrus, esset in habitu totius orbis Episcopus. Sic cæteros Apostolos inter se Prouincias diuisisse asserunt
D [i] multi, & merito; Mundus enim magnus est, & vnus non potest vbique supplere; ideo-
E que non vnus, sed duodecim fuerunt à Christo Apostoli electi. Et quia omnibus dictum est à Christo, [k] Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ; ideo quilibet eorum erat in habitu Episcopus vniuersi mundi; actu verò non nisi illius loci in quo prædicabat, & Ecclesiastica administrabat.

g *Sup. l. 1. c. 8. n. 5. & c. 10. n. 21.*
h *Tertull. de præscript.*
i *Baron. tom. 1. an. 44. n. 20. & seqq.*
k *Mar. 16.*

IX.

Si itaque fundatio Romanæ Ecclesiæ spectetur, eam aut magis, aut non minus Paulo deberi, quam Petro affirmamus: Par enim fuit, vt Ciuitas, quæ erat caput Gentium, à Doctore gentium primum institueretur. Et de Paulo habemus, quam anxius fuerit de Romanorum conuersione: Audi; [l] His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaia, ire Hierosolymam dicens: Quoniam postquam fuero ibi, o-

l *Act. 19.*

portet me & Romam videre.] Cur vero tam solicitus est de videnda Roma, si iam Romæ erat Petrus, vt nostri volunt? Et certa est illa reuelatio Christi: [a] Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.] Quod & præstitit, Iudæis ac Gentibus [b] Romæ euangelizans. De Petro nihil Scriptura dicit quod spectet ad Romanorum conuersionem; & tamen diligentissime de ipso loquuntur & Euangelia, & Acta Apostolorum. At vero Paulus scribens ad Romanos, sic ait: [c] Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum; ita quod in me promptum est & vobis, qui Romæ estis, euangelizare. [d] Vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiscum.] Et certe fidem Romanorum ac Euangelium à Paulo accepta esse, ipsemet testatur dicens: [e] Ei autem, qui potens est confirmare, iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij &c.] Non quod ipse personaliter id tunc iam præstiterit quando hæc scribebat; sed quia id per suos discipulos primum præstiterit; nam & nouit multos de nomine, & eos salutat, præsertim Priscam & Aquilam; quos adiutores suos in Christo Iesu vocat. Et [f] Andronicum & Iuniam salutat cognatos suos, & nobiles in Apostolis. Et præstiturus erat, vt perficeret quod per discipulos inchoauerat. Scribens vero postea secundam ad Timotheum epistolam, vt videtur, Româ, sic loquitur: [g] In prima mea defensione, nemo mihi affuit; sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio compleatur; & audiant omnes gentes; & liberatus sum de ore Leonis.] Vbi secundum Chrysostomum & alios, per Leonem intelligit Neronem; à quo tantisper liberatus, [h] Romanæ Ecclesiæ fundandæ egregiam nauauit operam. Et hæc est illa prædicatio, vt audiant, *inquit*, omnes gentes.] Quia cum Roma esset caput omnium gentium, inde facile fides in omnes gentes erat penetratura. Vnde Ambrosius de Paulo hæc ait: [i] Scribit Romanis (hi enim caput sunt omnium gentium, vt in his discant cæteri) arguens &c.] Et postea idem Ambrosius: [k] Præterea, *inquit*, maius gaudium est si potentes mundi conuertantur ad Deum; quia quanto inimici graues sunt, tanto magis reconciliant necessarij.] Et multo plura (vt videbimus infra cap. 3.) in hoc genere conliderat idem Ambrosius, seu quis alius eorum commentariorum Autor, certe antiquus.

a *Act. 23.*
b *Act. vlt.*
c *Rom. 1.*
d *Rom. 15.*
e *Rom. 16.*
f *Rom. vlt.*
g *2. Tim. 4.*
h *Act. 28.*
i *Amb. in præm in epist ad Rom.*
k *Idem in ep. ad Rom. c. 1.*

X.

Irenæus conuersionem Romanorum æque Paulo ac Petro tribuit. Ait enim, [l] Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Euangelii, cum Petrus & Paulus Romæ euangelizarent; & fundarent Ecclesiam.] *Item*: [m] Maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ.] Caius, vir Ecclesiasticus, qui tempore Zepherini Papæ Romani vixit, [n] Ego, *inquit*, Apostolorum trophæa perspicue possum ostendere: nam si lubet in Vaticanum proficisci: (*vbi est Petri sepulchrum*;) aut in viam, quæ Ostiensis dicitur (*vbi Pauli Templum est & Sepulchrum*) te conferre; trophæa eorum, qui istam Ecclesiam (*Romanam*) sermone & virtute stabilierunt, inuenies.] Et Dionysius Corinthiorum Episcopus, sic ad Romanos scribit: Petrum & Paulum, qui Romanos & Corinthios primum in Ecclesiam Christi inseruerunt, prudenti quadam admonitione impulsi, in suum locum concluisistis. Nam ambo, cum & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent, & eiusdem doctrinæ præceptis, tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter martyrium subierunt.] Lucius Papa: [p] Hæc sancta, *inquit*, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit; sed vt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit, ab Autoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus, manet.] Tertullianus & ipse Paulum in fundatione Rom. Ecclesiæ Petro adiungens; [q] Videamus, *inquit*, quod lac à Paulo Corinthij hauserint: ad quam Regulam Galatæ sint recorrecti; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent; quibus Euangelium & Petrus & Paulus, sanguine quoque suo signatum, reliquerunt.] Idem Tertullianus de Romana Ecclesia hæc quoque protulit: [r] Fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt: Vbi Petrus passioni Dominicæ adequatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur.] A tribus ergo magnis Apostolis Romanam Ecclesiam fundatam esse miratur Tertullianus. Cyrillus Hierosolymitanus; [s] Eodem Spiritu Sancto, *inquit*, repletus erat Paulus, postquam vocatus est à Domino. Qui ab

l *Irenæus adu. hær. l. 3. c. 1. & apud Euseb. l. 5. c. 6.*
m *Idem Iren. l. 3. c. 3*
n *Apud Euseb. l. 2. c. 24.*
o *Apud Euseb. ibid.*
p *Lucius epist. vnica.*
q *Tertull. adu. Marcion. l. 4.*
r *Idem de præscript.*
s *Cyrill. Catech. 17.*

A —Qui ab Hierosolymis vsque ad Illyricum dissemnauit Euangelium; qui Regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam vsque promptitudinem prædicationis extendit] Chrysostomus; [a] Cúmque vinctus, *inquit*, per tam vastum pelagus duceretur (*Paulus*) ita gaudebat tamen, tanquam in maximum duceretur imperium. Etenim non paruum illi præmium Vrbis Romæ conuersio proponebatur.] Nescio tamen cur idem Chrysostomus [b] Petrum Romæ prædicasse asserat tunc quando ad Romanos Paulus scribebat; si enim conuersio Romæ Paulum expectabat, Petrus certè inibi esse non poterat. Secutus itaque est Chrysostomus vulgarem opinionem; si enim rem excutere voluisset, aliud certè inuenisset. Gregorius 7. dum excommunicat Henricum, beatos Apostolos Petrum, & Paulum alloquens, ait; [c] Valdè inuitus cum multo dolore, & gemitu, ac planctu in throno vestro valdè indignus sum collocatus.] Et Bernardus; [d] Successorem Pauli, & hæredem Petri vocat Eugenium.] Innocentius tertius etiam Paulum agnoscit æquè cum Petro Romanæ Ecclesiæ fundatorem: ait enim; [e] Licet autem huiusmodi falsitas aliquandiu possit cum operibus tenebrarum abscondi, tamen quia per eam beatis Apostolis specialiter infertur iniuria, ille à quo in persona eorum Romana Ecclesia autoritatem super Ecclesias vniuersas accipit, vnde & bulla nostra per quam totius negotia Christianitatis aguntur, capitum ipsorum charactere præsignatur, perniciem tanti sceleris non patitur, in tantum præiudicium eorum diutius occultari.] [f] Hispaniæ à Petro, & Paulo Apostolis, primos septem ad se Roma missos Episcopos gloriantur. Addamus testimonium ex impio autore, vt melius adhuc appareat Romanorum conuersionem Paulo maximè acceptam terri. Triepho enim quidam Christianus Romæ agens, dum Critiam instruit, & Catechumenum facit, hæc inter alia de se, & alijs Christianis Romanis refert; [g] Quando autem me Galilæus ille conuenit, recaluaster, naso aquilo, qui in tertium vsque cœlum per aërem ingressus est, quæ optima & pulcherrima sunt inde didicit, per aquam nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos reduxit.] Quis non videt hic Paulum describi? Fatetur id [h] Baronius.

Propterea igitur passim resolutio Romanorum Pontificum ad suum principium, terminatur tandem ad Petrum, & Paulùm simul. Audi Irenæum; [i] Fundantes igitur, & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt, Succedit Anacletus; post eum Clemens, &c.] Idem quoque [k] Higinum dicit, Romæ nouum locum Episcopatus, per successionem ab Apostolis habuisse.] Epiphanius verò; [l] Romæ, *inquit*, fuerunt primi Petrus, & Paulus, Apostoli ijdem ac Episcopi: Deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, &c.] Et Eusebius; [m] Alexander, *inquit*, quintus successione à Petro, & Paulo ducta Pontificatum obtinet.] Quid verò quod primi Episcopi post Apostolos Romæ Linus, & Clemens, fuit vterque [n] Discipulus Pauli? Non ne hoc indicat plus Paulum, quam Petrum Romanam fundasse Ecclesiam?

Hinc etiam est, quod plurimi Romani Episcopi, se autoritatem accepisse ab Apostolorum Principibus Petro & Paulo, & eorundem autoritate se multa agere, sæpè testantur. Hodieq; autoritate B. Apostolorum Petri & Pauli fiunt absolutiones, & interminationes: Imo non minus etiam Pauli Vicarij dicuntur Romani Pontifices; vt in quadam Synodo sub Ioanne octauo: ibi enim Episcopi illius Sýnodi ita loquuntur ad Carolum secundum Imperatorem: [o] Iam quia diuina pietas vos beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli interuentione, per Vicarium ipsorum, Dominum videlicet Ioannem, summum Pontificem, & vniuersalem Papam, specialemque Patrem nostrum, ad perfectum sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium inuitauit, &c.] Luitprandus etiam Episcopus Cremonensis, in suæ Legationis relatione hæc habet; [p] Sane quicquid in Italia, sed in Saxonia, Bauaria, omnibusque Domini mei regnis est, quod ad Apostolorum beatorum Ecclesiam respicit, sanctissimorum Apostolorum Vicario contulit.] Quinimo adhuc Romæ in plumbeo sigillo Paulus Petro ad dextram collocatur. Et in altari S. Petri, in Missis solemnibus Papalibus, statuæ tredecim Apostolorum ita disponuntur, vt ad dexteram crucis, quæ est in medio primus sit Paulus, & primus post crucem thurificetur, (nisi nuper hoc etiam sit immutatum) à sinistris verò eiusdem crucis primus ponitur Petrus, & statim post Paulum thurificatur. Et nunquam fit Officium de altero, quin alterius quoque fiat commemoratio.

Non placet Baronio hæc Pauli cum Petro, in fundanda & regenda Romana Ecclesia, societas; quia plurimum supremæ illi Monarchiæ Petri, & successorum derogat. Ideo lectis illis Irenæi verbis, Euangelium nimirum à Matthæo tunc editum, cum Petrus & Paulus Romæ Euangelizarent, & fundarent Ecclesiam: [q] Commuui, *inquit*, potius tum

a *Chrysost. de laud. Paul hom. 7.*

b *Idem in Ep. ad Rom. hom. 2.*

c *Greg. 7. l. 7. Epist. Ep. 14.*

d *Bernar. Ep. 237.*

e *Innoc. 3. l. 1. Ep. 235.*

f *Ambr. moral. Scho. in Imperium Tom. in Bibl. S. PP. tom. 4.*

g *Lucian. in Philopat.*

h *Baron. tom. 1. an. 68. nu. 2.*

XI.

i *Iren. l. 3. c. 3.*

k *Idem l. 1. c. 28*

l *Epiph. haber. 27.*

m *Euseb. l. 4. c. 1.*

n *2. Tim. 4. & Philip. 4. & Euseb. l. 4.*

XII.

o *Apud Baron. tom. 10. an. 876 nu. 16.*

p *Ibid. an. 968. nu. 21.*

XIII.

q *Baron. tom. 1. an. 41. nu. 15*

tum ipsius, tum cæterorum Patrum, vsu loquendi (*Irenæum*) cum de Romana Ecclesia fit mentio, Paulum æque ac Petrum nominasse: non quod Paulus eodem tempore, quo Petrus, Romam venerit, ac simul cum Petro primum fundamentum iecerit; sed quod desuper ædificauerit; ac denique eandem Ecclesiam, vna cum Petro, sanguine consecrauerit.] Hæc Baronius: Immemor, vt puto, moris Pauli [a] sic prædicantis Euangelium, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificaret, sed sicut scriptum est, [b] Quibus non est annunciatum, de eo videbunt; &, qui non audierunt, intelligent. [c] Propter quod (*inquit idem Paulus*) & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc. Nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis iam præcedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci cæpero, spero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.] Præmiserat quidem suos discipulos, non sine magno fructu; sed ipse rem perfecturus suum quoque aduentum Romam maturabat.

a Rom. 15.
b Isai 52.
c Rom. 15.

XIV.

Erat igitur Paulus Romæ prædicaturus Euangelium, vbi nondum fuerat per vllum Apostolorum prædicatum. Is verò tantopere non laborasset vt peruenire Romam, si Petrus iam ibi esset: neque imperfectionem fidei iam susceptæ à Romanis argueret; si à Petro illi edocti fuissent. [d] Desidero videre vos, *inquit*, vt gratiam spiritualem vobis administrem.] [e] Carnales illos sensus assecutus significat, *inquit Ambrosius*, quia sub nomine Christi, non illa quæ Christus docuerat, fuerant assecuti; sed ea quæ fuerant à Iudæis tradita.] [f] Constat enim (*inquit idem Ambrosius*) temporibus Apostolorum, Iudæos præterea quod sub Regno Romano agerent, Romæ habitasse; ex quibus *ij*, qui crediderant, tradiderunt Romanis, vt Christum profitentes, legem seruarent. Romani autem audita forma virtutum Christi, faciles ad credendum fuerunt; sed male inducti, statim se correxerunt; vtpote prudentes, & manserunt in eo. Igitur ex Iudæis credentes, & improbe sentientes de Christo, legem seruandam dicebant; quasi non esset in Christo salus plena. Ideo negat Apostolus illos spiritalem gratiam consecutos.] *Et postea*; [g] Romanos igitur, *inquit*, quia in lege inducti fuerant, interim per Epistolam corrigit.] Quæ verò isthæc arrogantia, vt Paulus correctioni Romanorum, & institutioni tantopere instet; si Petrus Romæ adesset; & si Romani Petri doctrinam hauserunt?

d Rom. 1.
e *Ambr. in ep. ad Rom. c. 1.*
f *Idem in prooem. in ep. ad Rom.*
g *Idem Ambr. ibid. in c. 15.*

XV.

Et tamen, [h] Fidem Romanorum, *inquies*, idem Paulus plurimum commendat, & Deo gratias agit; [i] quia fides eorum annunciatur in vniuerso Mundo. Respondet Ambrosius hoc pacto: [k] Romanis irasci non debuit; sed laudare fidem illorum; quia nulla virtutum videntes insignia, susceperant fidem Christi; quamuis corrupto sensu; non enim plene audierant mysterium crucis Christi.] Hosne igitur Petrus iam instruxerat? Hi ne Petro magistro vtebantur? Inter istosne Petrus versabantur? Cur verò Petrum in eadem sua Epistola ad Romanos Paulus non salutat, vbi plurimos longe inferioris ordinis [l] salutat nominatim? Respondet Baronius; [m] Eam potissimum huius rei causam credi, quod Petrus, edicto Claudij iam semel Roma cum Iudæis pulsus, in Occidentem, ad extremas orbis oras, prædicationem Euangelij conuerterit; ibique tunc occupatus fuerit.] [n] Bellarminus contra Petrum in Orientem hoc tempore reducit; dicit enim tunc illum Roma in Syria fuisse reuersum. Sed nulli Apostolo mos fuit Ecclesias à se fundatas ita deserere, etiam occasione vlterioris prædicationis, quin saltem in ijs Episcopos, & rerum Ecclesiasticarum moderatores idoneos substituerent; quod tamen Roma factum non apparet. Et si imperfectam, ac male fundatam, vt patet ex Epistola Pauli ad Romanos, reliquerat; cur statim, mortuo Claudio, ad tam insignem Ecclesiam, ipsi iam dedicatus proprius Episcopus, non redijt, illam perfecturus, ad quam Aquila, & Priscilla, & alij ex Iudæis fideles, eodem Claudij edicto Roma pulsi, vt fatetur & docet ipsemet [o] Baronius, Corintho iam redierant? [p] Potuit, *inquit rursus Baronius*, & illud perfacile accidisse (etiam si dixerimus his temporibus Petrum Romæ egisse) vt familiares alias ad ipsum Paulus, eidem tabellario dederit literas; adeo vt non opus esset per alios salutari, cui ipse suis priuatis literis monens salutem plurimam impartitus esset. Hæc enim humanitatis officia inter Apostolos intercessisse, quis tam ab humanitate alienus negare præsumpserit?] Hæc Baronius. Si hoc pacto historicas difficultates licet soluere, sola arbitraria diuinatione, absque vllo prorsus iudicio aut fundamento, nihil erit in historijs, præsertim sacris & diuinis, tam difficile, quod, confictis pro libito nouis Epistolis perpetuo inauditis, non possit quisque facillimo negotio, paucissimis absoluere; & in quocunque sensu, etiam historiæ aduerso, confirmare. Itane diuinæ Scripturæ difficultates enodantur? Quid verò sibi volunt illa Iudæorum

h *Baron. tom. 1. an. 58. num. 48.*
i Rom. 1.
k *Amb in prob. vbi sup.*
l Rom. c. vlt.
m *Baron. to. 1. an. 58. n. 51.*
n *Bellar. de RR. Pont. l. 2. c. 7.*
o *Baron. tom. 1. an. 58. n. 55.*
p *Ibid. n. 52.*

Romæ

A Romæ habitantium verba ad Paulum? [a] Nos neque literas accepimus de te à Iudæâ, neque aduenies aliquis fratrum nuntiauit, aut loquutus est quid de te malum. Rogamus autem te audire quæ sentis; nam de secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur.] Si Petrum habuissent præsentem, & eius prædicationes audissent, non essent adeò noui & rudes, neque opus haberent vt Paulus aliquam eis pleniorem sectæ ipsis nouæ notitiam traderet. Sciant verò etiam ipsorũ esse inania somnia, dum Petrum Roma pulsum faciunt edicto Claudij, quod edictũ ex cõmuni scriptorũ consensu contigit anno 9. vt inferius ostendam. Anno ergo 8. Claudij, secundum ipsos, Petrus omnino Romæ erat. Atqui secundum veram scripturalem Chronologiã infra ponendam, Hierosolymitanum [b] Conciliũ incidit in annum Claudij octauũ, cui tamen Petrus interfuit. Erat ergo simul Petrus eodem anno & Romę, & Hierosolymis, scilicet per sui quandã transubstantiationem corporis eiusdem in pluribus locis replicatiuam. Sane etiam Caietanus [c] affirmat clarè haB beri, Petrum fuisse adhuc Hierosolymis circa Claudij annum sextum, vel septimum.

[a] Act. 28.

[b] Act. 15.

[c] Cajet. in ep. ad Galat. 2.

XVI.

Video plurimis scriptores vrgeri perplexitatibus eos, qui Romanæ Ecclesiæ fundationem, aut soli, aut potissimum, Petro acceptam ferunt; Illum enim sæpius adducunt Romam, sæpius Roma abducunt, & denuò reducunt; neque inter eos satis constat quot annis Romæ sederit Episcopus, quot annis Antiochiæ; & vter prius Romam venerit, Petrusne an Paulus? Nodus sane vix solubilis: mihi tamen omnino conandum est, vt ipsum soluam; remque ex ipsis sacræ Scripturæ fontibus, quam maximè fieri possit, elucidem, tanto sane grauiori labore, quanto non solum sine alio manuductore per has salebras, sed etiam contra torrentem scriptorum mihi, Regia tamen via, sit incedendum. Præuiderat profecto, vt mihi videtur, Spiritus Sanctus, ex Petri nomine, ac laboribus eiusdem, si qui fuerunt, Romæ exantlatis occasionem aliquando arreptum iri, vt Romana Ecclesia ad indebitam consurgere Monarchiam, & alias sibi Ecclesias, grauissimo cum scandalo, & schismate intolerabili, subdere niteretur; ac propterea noluit vt Canonica Scriptura quicquam C de Petri Romam aduentu commemoraret; sed profundo silentio eius posteriores peregrinationes obuoluit, adeoque de Romana Cathedra ne verbum quidem: cum tamen, si fide diuina, vt nostri volunt, credendum sit eundem ibi sedem fixisse, imprimis necessarium fuerit, vt diuinis oraculis dogma huiusmodi primarium fundaretur: nihilominus elatio Romana conata est vndequaque Petri Romana facta ex omni coniecturarum leuissimarum vmbrâ corradere, imò ex quauis lacuna expiscari; adeo vt Petrum omnino velit, vel inuitum Romæ Ecclesiasticam, imò, quod longè est intolerabilius, etiam temporalem collocasse Monarchiam; quæ illi, ne in mentem quidem vnquam venire potuit; vt diuina fauente gratia paulatim confirmabo.

XVII.

Petrum sane, antequam ab Herode Hierosolymis in vincula sit coniectus, extra Iudæam nemo, quod viderim, eduxit; ac propterea Romanum accessum neque debemus, neD que possumus Petro, ante dicta vincula, tribuere. Multa enim Petri acta in Iudæa, vsque ad necem Stephani, continuata historia, totis quinque prioribus Actorum capitibus, Lucas describit. In persecutione verò, quæ facta est Stephani necis tempore, omnes quidem discipuli, qui erant Hierosolymis, dispersi sunt per regiones Iudæę & Samariæ, præter Apostolos: & tunc Samaria recepit verbum Dei. Qua occasione [d] Petrus cum Ioanne, ad Samaritanos missus fuit, vbi cum Simone Mago primam habuit contentionem. Statim secuta est Pauli [e] conuersio, altero post Christi passionem anno; vt bene probat [f] Baronius. Post triennium suæ conuersionis [g] Paulus venit Hierosolymam videre Petrum: illumque, ac Iacobum fratrem Domini, solos ex Apostolis, inuenit Hierosolymis. In hoc sane triennio, quo Paulus & [h] Damasci, & in Arabia, & iterum Damasci Euangelium prædicauit, quid Petrus, alijque Apostoli & discipuli fecerint, nihil habemus. Petrum tamen nemo hoc triennio facit extra Iudæam, & Samariam peregrinantem. Transacto porro E hoc, à Pauli conuersione, triennio, Petrus erat, vt dictum est, Hierosolymis, quando primum Paulus iam Christianus, & Apostolus, Hierosolymam venit. Paulo verò statim ferme inde, [i] iussu Domini, elapso; quia Ecclesia per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam pacem habebat, & per Apostolos ædificabatur; Petrus quoque easdem regiones [k] circuibat: in qua circuitione, seu pertransitione, Lyddæ Aeneam paralyticum curauit: in Ioppe Tabitham à mortuis excitauit: & viso linteo, [l] Centurionem Cornelium ad fidem conuertit. Reuersusque in [m] Hierusalem, de Cornelij ethnici hominis congressu rationem reddit; initium que conuersionis gentium, in Cornelio, Petri opera, in Scriptura [n] expressum habemus. Nondum ergo Antiochena Ecclesia, quæ erat in Syria, fuerat fundata; & tamen

[d] Act. 8.

[e] Act. 9.

[f] Tom. 1. an. 36. n. 1. 2. 3.

[g] Gal. 1. & Act. 9. & 22.

[h] Ibid.

[i] Act. 11.

[k] Act. 9.

[l] Act. 10.

[m] Act. 11.

[n] Ibid.

tamen Petrus, ex sua illa pertransitione, iam redierat Hierosolymam; postquam in Ioppe A
potissimum, quæ est Ciuitas [a] Palæstinæ, substitisset. Et plurimum fallitur Bellarminus,
[b] dum facta Petri cum Cornelio, Aenea, & Tabitha, ponit primo quadriennio antequam
Paulus prima vice post conuersionem venisset Hierosolymam: Hæc enim omnia post dis-
cessum Pauli Hierosolymis ponit sacra historia.

a Ioseph. apud Baron. tom. 1. an. 8 nu. 15.
b Bellarm. de Rom. Pont. l. 2. c. 6

XVIII.

Antiochenæ ciuitatis primam conuersionem, seu initium conuersionis, Lucas, per viros
Christianos Cyprios, & Cyrenæos factam scribit; qui in persecutione, quæ fuerat sub Ste-
phano, ex Hierusalem dispersi Christum prædicantes, regiones perambulabant. Atque
hæc prima Antiochiæ conuersio Hierosolymis [c] nunciata est Apostolis; postquam iam
Petrus ex illa sua pertransitione Hierosolymam redierat. Vana est ergo eorum [d] assertio,
qui Petrum Antiochenam Ecclesiam fundasse dicunt, in illa peregrinatione, seu Visitatio-
ne, de qua Lucas ait; [e] Factum est autem vt Petrus, dum pertransiret vniuersos &c.] B
[f] Quinto nimirum anno post passionem. Pax enim illa Ecclesiæ erat in Iudæa, Galilæa, &
Samaria: & hac pace vsus Petrus, pertransiuit omnes; neq; videtur vltra Ioppē progressus;
quia inde conuerso Cornelio, Hierosolymā rediit; & tunc primum de prima Antiochena
conuersione audiuit: qua audita, missus est ex Hierusalem [g] Barnabas, vt ipse Ecclesiæ
Antiochenæ fundationem promoueret: ille socium sibi asciuit Paulum; & simul vterque
Antiochenam Ecclesiam plene fundarunt; atque interim de Petri accessu Antiochiam, ne
verbum quidem habemus; & vt dixi, de Antiochiæ prima conuersione non est auditum,
nisi post reditum Petri Hierosolymam, ex ciuitate Ioppe: nec ipse, sed Barnabas, ad perfi-
ciendam illam Ecclesiam est missus. Quid ergo ait [h] Baronius: Aequum esse credere Pe-
trum eo fuisse missum, cum ex Scriptura contrarium constet? Vana igitur erit tota illa cre-
dulitas, & consequenter imperite Ecclesiastica historia stabilitur, ex sola inani Baroniana
credulitate, seu quam ipse obtrudit nobis credibilitate. C

c Act. 11.
d Baron. tom. 1. an. 39. nu. 15.
e Act. 9.
f Bellarm. de Rom. Pont. l. 2. c. 6
g Act. 11.
h Baron. tom. 1 an. 39. num. 10.

XIX.

Facta sane Antiochiæ maxima hominum ad fidem, per Paulum & Barnabam, conuer-
sione; tunc demum, occasione famis, quæ fuit sub Claudio Imperatore, ijdem Paulus &
Barnabas, factis egregijs [i] collectis pro sanctis, qui erant Hierosolymis, vt ijs succurre-
rent, ac simul vt ea occasione Paulus conferret cum Apostolis Euangelium quod prædica-
bat in Gentibus, ne in vacuum curreret, aut cucurrisset; venerunt Hierosolymam, iam
quatuordecim annis post Pauli conuersionē. Hunc enim esse illum aduentū, de quo scribit
Paulus ad Galatas, mihi non est dubium. Primus enim ipsius aduentus fuit post [k] trienni-
um suæ conuersionis, quando venit videre Petrum: Secundus fuit post annos quatuorde-
cim, nempe à conuersione, quando venit cum collectis; & hic ponitur in fine vndecimi
cap. Act. Tertius vero fuit, quando pro controuersia [l] legalii accessit Hierosolymam: Quar-
tus demum, ac postremus, quando in [m] vincula est coniectus; ac postea Romam missus. D

i Act. 11. & Gal. 2.
k Gal. 1. & Act. 9.
l Act. 15.
m Act. 21.

XX.

Quartusdecimus porro à conuersione Pauli est, quadragesimus nonus Christi annus;
qui est sextus Claudij; nam quintodecimo Tiberij anno [n] Christus agebat trigesimum tuæ
ætatis annum: [o] Tiberius autem imperauit annis 23. Caius 4. Claudius 13. Igitur con-
uersio Pauli incidit in annum Tiberij 20. qui erat Christi 35. His adde 14. annos à conuer-
sione Pauli, ad secundum ipsius Hierosolymam aduentum, erunt 49. anni Christi comple-
ti, hoc est 4. Tiberij, 4 Caij, & 6. Claudij. Quo anno Claudii 6. oportet fuisse famem il-
lam, cuius occasione factæ sunt collectæ Antiochenæ; & per [p] Paulum, ac Barnabam Hie-
rosolymam transmissæ; qui erat Paulo teste, [q] 14. ab ipsius conuersione annus. Si histo-
rici profani conuenirent omnes in anno quo fames hæc sub Claudio inualuit, laborandum
esset, vt cum sacra externæ historiæ conuenirent; sed Orosius ponit decimum Claudii
annum: Dio Cassius secundum; quem sequitur [r] Baronius: [s] Eusebius in sua historia no-
luit præcisè annum assignare, sed sub Claudio famem ponit, anno certo nullo annota-
to. In Chronico famem in Græcia ponit anno Claudii nono; Romæ vero decimo.
Hæc varietas incertitudinem innuit satis clarè: ex sacra tamen historia Canonica, sex-
tus is Claudii annus fuisse conuincitur; Christi vero 49. quo toto tempore constat,
vt vidimus, Petrum nunquam ex Iudæa fuisse egressum. Et hoc confirmo, quia tunc
Petrus, Iacobus, & Ioannes, alij quoque fortasse Apostoli cognouerunt, quod [t] Paulo
creditum est Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis; [u] Qui enim operatus est,
inquit Paulus, Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.] Et
[x] dexteras etiam dederunt, vt Petrus, Ioannes, Iacobus pergerent circumci ioni Euange-
lium prædicare: ipse verò & Barnabas irent inter gentes. Planum ergo est ab ipsa illa so-
cietate vsque ad hoc tempus, quod ad sextum circiter Claudij annum reduximus, Petrum E

n Luc. 3.
o Niceph. Chronol.
p Act. 11.
q Gal. 2.
r Baron. tom. 1. an. 44. num. 6. 2.
s Euseb. l. 2 c. 8.
t Galat. 2.
u Ibid.
x Ibid.

non

A non nisi circumcisioni prædicasse; certè ergo neque Romæ, neque Antiochiæ adhuc fuerat; imò neque extra Iudæam absolutè; quia prius debuit circumcisioni vnitæ prædicare in propria regione, cuius conuersio etiam dispersis profuisset: tum verò ad dispersos Iudæos se conferre; cùm præsertim Paulus è Iudæa egressus, esset semper dispersis Iudæis, & inter gentes degentibus, Euangelium antequam ipsis gentibus, annunciaturus. Id enim eum perpetuò præstitisse docent passim Acta Apostolorum. Has tamen dextras datas turbauit satis Herodis impietas, qui tunc statim, & [a] Iacobum occidit gladio, & Petrum carcere, vinclisque constrinxit. Vnde ille elapsus, perrexit [b] Antiochiam.

a Act. 12.

b Gal. 2.

Itaque non modò Romam non est adducendus Petrus vsque ad sextum Claudij annum, sed ne Antiochiam quidem: quia [c] eodem tempore, inquit Lucas, quo Paulus & Barnabas Hierosolymam occasione dictæ famis venerunt, Petrus erat in Hierusalem, & ab Herode fuit in carcerem coniectus. Vbi ergo sedis Antiochenæ per Petrum erectio ante secundum Claudij annum? eam non habet Baronius vnde probet, nisi quia ipsi videtur [d] æquum esse ita credere. Siccine antiquæ historiæ, præsertim sacræ firmantur? Vbi Petri Romam aduentus secundo Claudij anno? quod quia Eusebius in Chronico, certè inconsideratè, ac indiscussè protulit; inde & Hieronymus, & cæteri ferè omnes Scriptores posteriores errorem hauserunt. Omnes enim ex suppositione, & sola fide Eusebiani Chronici ducti, secundum Claudij annum Petri Romam primo aduentui tribuunt. Eusebij verò Chronicum, circa tempus vinculorum Petri errorem continere fatetur Bellarminus; [e] alij alios nec leues in illo Chronico inueniunt errores, & temporũ fallissimam assignationem. Eusebiani igitur Chronici errore [f] Onuphrius etiam delusus, priorem ponit Romanæ Ecclesiæ sedem a Petro erectam, Antiochenam verò posteriorem; quia antè vincula Herodis cernebat Petrum ex Iudæa nunquam egressum; & quia vincula hæc putauit in secundum Claudij annum incidisse; quo admittit Petri Romanam profectionẽ, non potuit ipsum Antiochiam prius deducere, septenniumq; Antiochenæ sedis ei tradere. Nos igitur fatemur ante vincula hæc Petrum nusquam ex Iudæa egressum; hoc enim iam probauimus; & vincula tamen in sextum Claudij annum conijcimus; quo anno Paulus & Barnabas venerunt Hierosolymam cum collectis; & [g] collato Euangelio cum Petro, & Apostolis, ipsi quidem [h] Antiochiam sunt reuersi, expleto ministerio, & assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus: Petrus verò è carcere liberatus, Hierosolymis [i] egressus, *inquit Lucas*, abijt in alium locum.]

B

d Baron. tom. 1. an. 39. nu. 10.

e Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 6

f Onuphr. in Petrum Platin.

C

g Gal. 2.

h Act. 12.

i Ibid.

Primus itaque cardo nostræ Chronologiæ est, Christum passum trigesimo tertio suæ ætatis anno; & consequenter decimo octauo Tiberij; quod cum plurimis suppono [k] probatissimum. Secundus cardo est post elapsum ab Ascensione annum, Pauli conuersionem contigisse, anno nimirum Christi trigesimo quarto elapso, currente trigesimo quinto; & hoc vt concessum passim accipio. Tertius cardo est, quartodecimo post conuersionem Pauli anno, hoc est Christi 49. Secundum Pauli aduentum Hierosolymam contigisse, sexto nimirum Claudij anno, quod iam probaui: sed & [l] Onuphrius mihi adstipulatur, licet æquiuocauerit cum communi, & tertium Pauli aduentum sumpserit pro secundo. Eadem enim calculatione vsum fuisse oportet, qua ego vtor; quæque nos ad sextum Claudij annum conducit. Quartus cardo est eo anno, quo Iudæi sunt à Claudio Roma pulsi, Paulum post multam peregrinationem, [m] Corinthi prædicasse. Et quia expulsio hæc Roma Iudæorum, iuxta communem Scriptorum sententiam, fuit anno Claudij [n] nono, tres annos intercessisse necesse est, qui contineant Acta Apostolorum contenta quinque capitibus, nimirum 13. 14. 15. 16. 17. Quoniam igitur statim fermè post vincula Petri, Prophetæ, & Doctores Antiocheni miserunt [o] Paulum, & Barnabam in opus ad quod eos Spiritus sanctus vocabat; illi, peragrata Cypro, Pamphilia, Pisidia, Lycaonia, constitutisque multis Ecclesijs, iisque suis datis Episcopis, reuersi sunt Antiochiam: in qua peregrinatione saltem vnum annum insumpserunt. Quo toto tempore Petrus fuit Antiochiæ. Reuerso vero Paulo, circa quinquagesimum Christi annum, hoc est septimum Claudij, factum est scandalum Antiochiæ ab ijs fratribus, qui [p] de Iudæa descendentes docebant, nouis illis Christianis ex Gentibus conuersis, legalium obseruationem, & præsertim circumcisionem esse necessariam.

D

k Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 6.

l Onuph. in Fasti.

m Act. 18.

n Ex Ioseph. Orosius l. 7. c. 6.

E

o Act. 13, 14.

p Act. 15.

Inter eos porrò qui Antiochiæ hoc scandalum excitârunt, proculdubio suo exemplo fuit etiam Petrus, quem Paulus affirmat Antiochiam venisse post secundum illum ipsius Pauli Hierosolymam accessum, in quo dextras dederant, [q] vt Iacobus, & Cephas, & Ioannes in circumcisionem irent, Paulus verò & Barnabas in Gentes: Post hæc enim cum venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, *inquit Paulus*. Hic porro aduentus Petri Antio-

q Act. 15. Gal. 2.

a Act. 15. Antiochiam, sicuti primus est, neq; enim alius præcedere potuit, vt probaui; ita ante [a] Concilium Apostolicum Hierosolymitanum illum, & totam inter ipsos Apostolorum Principes [b] dissensionem contigisse necesse est. Elapsus enim Angeli beneficio Petrus è carcere Hierosolymitano, & egressus Hierosolymis, quando dicitur à Luca [c] abijsse in alium locum, certe extra Palestinam; Herodis, qui illum Cæsaream vsque est persecutus, iram fugiens, in Syriam Antiochiam esse profectum videtur certissimum: dicente Paulo, hoc ipso tempore, Cepham venisse Antiochiam. Neque longius progressum esse dici potest; quia paulo post in [d] Concilio Hierosolymitano affuit. Itaque cum non possimus reluctari iam confirmatissimæ assertioni, sedem Antiochenam Petro ante Romanam tribuenti, hoc ipso anno, septimo nimirum Claudij, & Christi 51. Antiochiæ Petrum sibi sedem delegisse, vt ibi ab Herodis persecutione tutus aliquandiu conquiesceret, admitti posse videtur. Non profecto quod Petrus Antiochiæ fidei iecerit fundamenta; quia Antiochena conuersio facta est plene à Barnaba & Paulo, sub quibus Discipuli sunt primum [e] Christiani appellati; sed quod per eos iam fundata Ecclesia, in ea Petrus voluerit tantisper, dum persecutio Herodis remitteret, residere. Cum tamen in regenda ipsa Ecclesia, inter se Petrus & Paulus dissiderent; & controuersia esset ad reliquos Apostolos & Presbyteros Hierosolymam, vt decideretur, deferenda; eoque & Paulus & Barnabas essent profecti; etiam Petrum, extincto iam præsertim Herode, Hierosolymam se recepisse, compertum habemus; vt nimirum etiam ipse a Paulo acrius correptus, & in veritatem Euangelij illa correptione adductus, in Communi Concilio, rem ex sententia, vt optima, Pauli definiendam adiuuaret. Est porro, meo iudicio, demonstratio, dissentionem illam ante hoc Concilium contigisse, quia nimirum si iam definitio hæc præcessisset, non erat cur inter se dissiderent; sed vterque definitioni steterisset; & ita nulla fuisset occasio contendendi; aut si peruicacius, contra definitionem iam factam Petrus contendisset; certe Paulus ei Conciliare Decretum obiecisset; in quo sane Decreto, iam Petrus, Pauli obiurgatione melior factus, contra seipsum aliter prius sentientem, aut saltem operantem, dixit sententiam; à qua sententia postea illum discessisse quis stultus censeat? Quare & epistolam illam ad Galatas, ex ipsa Antiochia a Paulo scriptam fuisse, post Petri obiurgationem, & antequam Concilium illud fuisset celebratum, mihi certum videtur; quandoquidem in ea nihil dicitur de Conciliari decreto, quod tamen erat Galatis opportunissimum. His adde Paulum, in secundo illo suo Hierosolymam aduentu, post 14. nimirum annos à sua conuersione, contulisse [f] Euangelium, quod prædicabat, cum Iacobo, Cepha, & Ioanne, vt videret num, quæ de Christo ille docebat reuelatione instructus, essent eadem, quæ etiam illi testes oculati prædicabant. De legalibus verò seruandis, cur conferat cum Petro, si ab illo iam dissentiebat, & illum grauius obiurgabat, in faciemque ei reluctebat? Quis etiam adeo Diuinæ Scripturæ cognitionis expers asserat, post Concilium iam peractum, & quæstionem de Legalibus definitam, Petrum Antiochiam venisse, & ibi Paulum sua Iudaizatione turbasse? Et tamen post illum aduentum, qui fuit 14. à conuersione anno, [g] Petrus venit Antiochiam, & cum Paulo dissensit. Non ergo hic fuit aduentus ad Concilium, sed ille prior, de quo Act. 11. in fine. Et hic ad Concilium fuit tertius, vt iam explicaui.

b Gal. 2.
c Act. 12.
d Act. 15.
e Act. 11.
f Gal. 2.
g Gal. 2.

A B C D E

XXIV.

Concilium itaque Hierosolymitanum, de quo Lucas Act. 15. celebratum fuisse oportet circa octauum Claudij annum: Quo Concilio absoluto, Paulus quidem reuersus est Antiochiam; & post aliquos dies nouam sumpsit peregrinationem; [h] Reuertentes, *inquit*, visitemus fratres, per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini.] Atq; hic cerno multo magis Paulum factum vniuersalem suarum Ecclesiarum Visitatorem, quam Baronius faciat [i] Petrum in illis verbis: [k] Et factum est cum pertransiret vniuersos.] Si ergo pertransitio hæc dat Monarchiam Petro, multo magis visitatio illa eam dabit Paulo. Is itaq; peragrauit [l] Syriam, Ciliciam, [m] Lycaoniam, Macedoniam, Græciam. [n] Egressus verò Athenis venit Corinthum, quo tempore Claudius Iudæos ejecerat Roma. A Concilio igitur Hierosolymitano, vsque ad hunc Pauli aduentum Corinthum, annus circiter intercessit. Expulsio enim hæc Iudæorum contigit, vt supra posui, Claudij anno nono, Christi verò 52. & sedit Corinthi [o] annum, & sex menses: Inde profectus est Ephesum, vbi fuit per [p] biennium & in [q] Græcia menses tres substitit: inde venit [r] Hierosolymam, quarta vice post conuersionem: & ferme statim vinculis est constrictus, atque ita vinctus partim Hierosolymis; partim, & multo plus, Cesareæ, [s] biennium insumpsit: Cum tandem Romam vinctus est abductus: quos annos si colligamus, & incertum tempus itinerum, ac nauigationis addamus, septem circiter conficiemus annos, post pul-

h Act. 15.
i Baron. to. 1. an. 30. n. 26.
k Act. 9.
l Act. 15.
m Act. 17.
n Act. 18.
o Ibidem.
p Act. 19.
q Act. 20.
r Act. 21.
s Act. 28.

sos

A sos Roma Iudæos. Itaque Pauli Romam aduentus contigit circa tertium Neronis annum. In quo iam nostra supputatio cum [a] Baroniana, & communi, optime conuenit. Quid verò Petrus?

a Baron.tom.1. an.59.nu.4.

De Petro in sacris literis, post peractum Concilium Hierosolymitanum de legalibus non seruandis, mirum silentium. Scriptores verò inter se plurimum discordant; adeo vt vix quicquam certi possimus adferre. Sane quod spectat ad sedem Petri Antiochenam, illud duntaxat mihi, non sine vi, persuaderi permitto, Antiochiæ Petrum, antequam Romam proficisceretur, sedem aliquo modo habuisse; nam Antiochiæ illum fuisse Paulus [b] testatur: & ibi eum sedisse scriptores etiam antiqui cum plurimi consentiant, & asserant, vt & ipse assentiar, licet ægrè, efficiunt: festo verò Cathedræ Antiochenæ, quod nostri in Ecclesia antiquum esse [c] perhibent, nihil moueor; id enim festum fuit festum Cathedræ Petri in genere; sic enim vocabatur, videlicet, Festum Cathedræ Petri; nulla appolita certa Ciuitate, vt patet ex sermone illo [d] Augustini, cuius titulus est, De Cathedra S. Petri: &, In festo Cathedræ S. Petri. In ipso verò sermone de Antiochena sede ne verbum quidem. Sicut igitur re vera Petrus primus ex Apostolis cœpit officium Episcopale exercere, ita Ecclesia voluit ei Cathedræ festum dedicare, non sanè Cathedræ vllius particularis, quia nulli particulari Cathedræ se aut ipse, aut vllus Apostolus alligauit, sed Cathedræ Ecclesiasticæ in genere. Ideoque Augustinus in illo sermone vbi festi Cathedræ Petri institutionem explicat, solum Petri Episcopale munus à Christo ei traditum in genere commemorat. Quod officium eo die nimirum 22. Februarij à Petro exerceri cœptum putant, quando (arbitror) post vincula è Iudæa [e] egressus, ad gentes Antiochiam se contulit. Quamuis verò in Iudæa non parum prædicauerit Petrus, & suum munus Episcopale exercuerit, Cathedram tamen non videtur habuisse in Iudæa, quia Hierosolymis totius Iudææ Moysis Cathedra diutiùs perseuerauit, & sensim in Cathedram Christi est immutata; vt dies quo illa Hierosolymis immutata sit, nullus certus possit assignari. Cum primum verò Petrus è Iudæa egressus, inter Gentes cœpit Episcopale munus exercere, quod putatur fuisse primum Antiochiæ (vbi tamen iam Paulus & Barnabas laborabant) tunc primùm Cathedram habuisse putandus est; non quidem solus, sed simul cum Paulo & Barnaba. Ac propterea Martyrologiorum scriptores huic primo Cathedræ festo Antiochiæ nomen postea addiderunt: quæ fuit occasio vt, ne Romana Ecclesia Antiochenæ aut inuideret, aut cederet, Paulus 4. vt affirmat [f] Bellarminus, Festum Romanæ Cathedræ nostris ferme diebus seorsim instituerit. Quod si ex veteri more festum Cathedræ in genere fuisset celebratum, in memoriam primi egressus Petri in Gentes, non erat cur illud duplicaretur, & alterum Antiochenæ, alterum Romanæ sedi tribueretur. Nam neque Antiochiæ, neque Romæ Petrus propriè sedit, qui non vt sederet, sed vt excurreret Apostolatum accepit; & quocunq; pergebat, semper suam Cathedram, hoc est Episcopalem potestatem, secum deferebat, quam nulli certo loco alligatam habebat: licet inter Gentes fortasse primùm, vt dixi, extra Iudæam, Antiochiæ cœperit hanc potestatem exercere, & non Romæ; vt propterea sine causa Cathedra Romana celebretur.

b Gal.2.

c Bellar. de Ro. Pont. l.2.c.14.

d Aug. de sanctis se. n.15.

e Act.12.

f Bellar. de Ro. Pont.l.2 c.6.

XXV.

Antiochenam tamen Ecclesiam Petrum fundasse, aut septem annis illam sedem tenuisse, ego profecto constanter Sacræ Scripturæ innixus nego. Iam enim plane videmus, Antiochenam Ecclesiam perfecte fundatam à Paulo, & Barnaba; &, si vis, etiam à Legatis Apostolicis, [g] Sila & Iuda; & quando primum Petrus venit Antiochiam, iam Ecclesia illa erat fundata; Cum igitur, ait Leo, [h] in Antiochena Ecclesia primum, prædicante B. Apostolo Petro, Christianum nomen esse exortum; aut lapsum memoriæ, aut errorem præ se fert manifestum. Quod verò in Ignatij, quæ circumferuntur, Epistolis, legitur, nimirum; [i] Antiochiæ primum discipuli appellati sunt Christiani, cum Petrus & Paulus fundarent Ecclesiam.] Cum falsitatem id apertam de Petro contra sacram Scripturam contineat, impostura non caret. Ideoque, quia cernebat Baronius, ex capite fundationis Ecclesiæ, Petro non deberi sedem Antiochenam; diuerticulo planè ridendo vsus est, vt diceret; [k] Petrum etiam absentem, sedem suam fecisse Antiochiam; quia illam Ecclesiam ipse fecit, suo Decreto, Patriarchalem. Ego verò Patriarchalium sedium erectionem non ad ea tempora, sed posteriora; nec ad Petrum, sed ad Ecclesiasticam consuetudinem, & ciuitatum potentiam, iam reduxi lib.3. cap.10. Et sedes Ecclesiasticæ sedes alicuius sunt per actualem sessionem, non per solam mentalem applicationem. Et si Antiochena sedes iam erat sedes Pauli, & Barnabæ, quo iure poterat Petrus suam illam sedem facere quæ iam erat alterius Apostoli, seu Apostolorum? De septem verò annis sedis Antiochenæ Petro datis,

g Act.15.

h Leo ep.56. & 60.

i Ignat.ep.3.

k Baron.tom.1. an.39.nu.16.

XXVI.

est mera

est mera fabula, vt ex hactenus à me disputatis, compertum habemus : non potuit enim nisi ad summum vnico anno Antiochiæ sedere ; & ne tunc quidem vt solus Episcopus, sed vt Apostolus, salua ibidem sua sede Paulo & Barnabæ. Vt merito [a] Euodius dicatur primus Antiochiæ Episcopus post Apostolos, non post Petrum. Nullum vero Apostolum, vllam peculiarem sedem habuisse, & primos cuiuscunque Ecclesiæ Episcopos proprie dictos ostendi non fuisse Apostolos, sed alios ab ipsis institutos, & peculiaribus sedibus alligatos ; vt posui libro 2. cap. 1. & 7. A

a Ignat. ep. 12.

XXVII. Quod si quis Petrum velit Antiochiam ad residendum, post factum Concilium Hierosolymitanum, deducere; ipsemet Petrus nullo modo consentiet ; iam enim illum alio charitas, eximiusque feruor prædicandi Euangelij euocabat. Et si illum per septennium, aut sexennium, Antiochiæ alligabis, vix fortasse superierit ei tempus Romam adeundi ; ne dum 25. annis Romanam Cathedram gubernandi. Iam enim Petrum habemus in Iudæa perpetuo detentum, vsque ad septimum Claudij annum ; nisi quod vix semel potuerit Antiochiam vsque, Herodem fugiens, excurrere. Hinc iam facto libero, & derelicta Iudæa, eaque Iacobo fratri Domini, cum Ecclesia Hierosolymitana commendata, magna pars orbis fuit ei peragranda, & innumerabiles Ecclesiæ fundandæ, in Oriente prius, deinde etiam in Occidente. Ille [b] Euangelium Domini, *inquit Dorotheus*, in Ponto, in Galatia, Cappadocia, Bithynia, & tandem Romæ prædicauit. Ille [c] occasione perfidiæ Simonis Magi, *ait Sophronius*, Syriam discurrit, adhuc autem & Pontum, Asiam & Galatiam ; & vbique, seminando verbum vitæ, Romam peruenit.] Ille, [d] Hebræorum stirpe oriundis, *inquit Eusebius*, qui dispersè, & vage Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam incoluerunt, Christi Euangelium prædicauit.] Quam vero multas Ecclesias in Oriente ipso, antequam Romam se conferret, fundarit, ex iam dicto Sophronio habes supra, lib. 3. cap. 10. nu. 4. Hieronymus quoque Petrum, [e] post Episcopatum Antiochenis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, Romam, ait perrexisse. Idem fatetur [f] Leo, & alij. Iam ergo dicant mihi, qui statim post vincula Herodis Petrum Romam conuehunt, quomodo potuit has regiones obire, & tot Ecclesias in Oriente fundare, ante Romanam profectionem ? Hic sane fuit plurium annorum labor. Vt quo tempore Paulus suas faciebat visitationes, & insuper Corinthijs, Ephesijs, Athenienſibus, Macedonibus, & similibus, Euangelii gratiam impertiebatur, & Hierosolymis, ac Cæsareæ captiuus detinebatur, Romamque amandabatur, eodem Petrus Christum in illis regionibus annunciarit. Mihi ergo Antiochena Petri sedes vndequaq; redditur suspectissima, cui sacra Scriptura vix assentitur : & qui Antiochiam sedem Petri faciunt (sunt autem plurimi) nulli profecto docent, cur, quando, & quomodo Petrus eam sibi sedem fixerit ; Iam de Romana. B C

b Dorath. in Synops.
c Sophron. Presb. Hieros. de certam. Pet.
d Euseb. l. 3. c. 4.
e Hieron. de script. Eccles. Petr.
f Leo serm. 1. in Natal. Apost.

XXVIII. Paulus certe, vt iam ex multis coniecturis videor manifestasse, prius Romam venit, quam Petrus ; supra num. 13, 14, 15. & Romanam Ecclesiam fundauit, in eaque ipse prior Cathedram Episcopalem collocauit, hoc est Apostolicam actualem potestatem exercuit, & vsque ad mortem ibidem laborauit. Quomodo ergo Romana Ecclesia Petri Ecclesia potest asseri ? Est quidem probabile Petrum quoque tandem Romam venisse. Negandum tamen omnino est eo venisse, vt Ecclesiam illã fundaret ; quam iam egregie reperit fundatam : negandum etiam in ea diu consedisse : negandum illum prius Romanis, quam Paulum prædicasse. Occasio profecto Romam veniendi Petro communiter ab illis, qui Romam adducunt Petrum, illa proponitur. Vt Simoni Mago resisteret Romæ, sicut ipse ante omnes hæresim ipsius in [g] Samaria redarguit. Audiuimus paulo ante ex Sophronio Presbytero Hierosolymitano, occasione perfidiæ Simonis Magi, Petrum per Syriam, & alias regiones discurrisse ; & tandem Romam etiam peruenisse : audiuimus Eusebium ; is descriptis Simonis Magi varijs itineribus, eoque iam Romam conducto, hæc habet : [h] Cæterum ista non ad longinquum temporis spacium ex sententia illa processerunt. Nam è vestigio sub ipso Claudij Imperio, benignè & propitia Dei totius huius Vniuersitatis Rectoris erga humanum genus prouidentia, fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum, propter virtutis amplitudinem, facile Principem Petrum Romam versus, ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelæ delendam, quasi manu deduxit. Qui quidem, vtpote generosus, & strenuus Dei dux, diuinis armis obsessus, munitusque, eximiam, & pretiosam, tanquam mercaturam veri luminis, mente sola comprehensi, ab Oriente ad occasum vsque deportauit ; ipsamque regni cœlorum prædicationem, cœlestem scilicet lucem, & salutarem animarum doctrinam, palam diuulgauit.] D E

g Act. 8.
h Euseb. lib. 2. cap. 12, 13.

Hæc

A Hæc Eusebius; in quo illud maximè obserua, Petrum [illegible]
Magum Simonem Romæ fuisse; & eiusdem Magi occasione [illegible]
Quod verò ex Eusebio refert Bellarminus; [a] Salutarem [illegible]
mum in Vrbe Romæ Euangelij sui cluibus ianuam [illegible]
se esse falsum, & Scripturæ valdè repugnans iam conuicimus; [illegible]
hæc ego non reperio: quanuis tamen Eusebius in ijs verbis quæ [illegible]
videtur, Euangelij lucem per Petrum in Occidentem primum [illegible]
ronymus Petri aduentum Romam potuit; vt cum Mago confligeret; [illegible]
inquit, Simonem Magum Romam pergit.] Idem scribunt de Petro: [illegible]
sidorus. Sanè Eusebius in Chronico, & eum secuti [c] Hieronymus, [d] [illegible]
tota turba cæterorum, secundo Claudij anno, siue ad initia Imperij Claudij [illegible]
B mam deducunt; & sanè occasione Magi: Petri tamen aduentum Romam [illegible]
non potuisse, à me, vt puto, est demonstratum. Certè Iustinus Martyr, [e] Simonem [illegible]
præstigiatorem, Claudij Cæsaris temporibus Romæ fuisse, & ibi pro Deo [illegible]
bit; eique statuam erectam. Idem quoque affirmat [h] Irenæus, & [i] Tertullianus. [illegible]
men Lucas Paulum ad initia Neroniani Imperij Romam aduehat; & integrè [illegible]
res Pauli Romæ gestas [k] narret; ipseque Paulus de suis rebus Romanis præcipua [illegible]
memoret; & de Simonis Magi, quem præcipuum aduersarium ipsum habere fuit necesse, [illegible]
ille Romæ fuisset, ne minimam quidem fecerunt mentionem; hinc euidens mihi videtur hæ- [illegible]
beri coniectura, primis Neronis annis Magum Romæ non fuisse. Cuius tamen cum Apo- [illegible]
stolis congressus, & extinctio ad finem Imperij Neronis, ponit consensus communis Scrip- [illegible]
torum, vno excepto Onuphrio; [m] qui sub Claudio cernens Magum Romæ, ex Iustino, & [illegible]
Irenæo reperiri, sub Claudio etiam extinctum putat: sed non aduertit, sub Claudio Petrum
C & Paulum Romæ esse non potuisse: & tamen vtrumque Apostolum extinctioni Magi ad-
fuisse, volunt [n] Cyrillus Hierosolymitanus, [o] Seuerus Sulpitius, [p] Gregorius Turonensis,
& alii. Hinc itaque Baronius, & ante illum alii, Petrum sæpè Romam adducunt, & redu-
cunt. Similiter Magum sub Claudio, anno illius secundo Romæ collocant; & à Petro
[q] tunc Romæ ipsum eiici faciunt & expelli, seu elabi: posteà verò iterum sub Nerone, ad
finem illius Imperij, cum Romam reuersum esse volunt; & ab Apostolis etiam ipsis denuo
Romam reuersis, extinctum. Cùm tamen Autores nullos ex antiquis habeamus, qui alium
aduentum Petri Romam habeant, nisi vnicum; & hunc occasione Magi persequendi; alter
verò ille Petri aduentus nullo proponatur Autore, aliter mihi videtur hæc historia ex sup-
positione explicanda. Certè exitus Petri Roma post primum ipsius aduentum, quem exi-
tum nostri tribuunt Edicto Claudij, quo Iudæos Roma expellebat, stare non potest. Quia
D Petrus septimo Claudij anno, vt vidimus, in Concilio affuit Hierosolymitano. Inde ve-
rò Pontum, Cappadociam, Galatiam, Asiam, Bithiniamque peragrauit, antequam Romam
viderit. Quo tempore igitur Claudius Iudæos pellebat, hoc est anno nono, Petrus in Ori-
ente, Paulus verò Corinthi, vt iam ostendi, prædicabant.

Negare profectò neque possumus, neque debemus, Simonem Magum sub Claudio Ro- XXX.
mæ fuisse; Iustinus enim, & Irenæus proximi Apostolorum temporibus in hoc non potue-
runt decipi. Qui cum nullam de ipsius extinctione per Petrum Romæ facta, mentionem
habeant, valdè suspectum reddunt totam historiam de hac eadem Magi Romæ per Apo-
stolos extinctione; & consequenter de Petri Romam aduentu, occasione Magi persequen-
di: qui enim de Mago alia non habuerunt, cuius memoriam recentem suorum facilè die-
rum habebant, cur tanti momenti factum silentio suo obuoluissent? Si tamen vera sit hæc
extinctio, certè negare neque possumus, neque debemus, in primo Petri Romam aduentu,
præsente etiam Paulo, Magum hunc Romæ fuisse debellatū, & extinctum: præcipitio ne
E illo quod boni [r] Autores ponunt sui volatus, an alio modo nihil refert. Icarium volatum
sub Nerone quendam non præstigijs, sed arte quadam tentasse, & cùm ars non succederet,
præcipitio collisum, scribit etiam Suetonius in Nerone. Magum tamen Simonem statim à
Petro victum, & profligatum, Eusebius docet apertissimè; nam postquam adduxit Romā
primo Petrum, occasione Magi confundendi addit; [t] Sic ergo cùm diuinus sermo iam ad
Romanos peruasisset, vesana Simonis potentia extincta est; & homo ipse actutum vna pe-
nitus profligatus.] Hæc Onuphrium deceperunt, vt sub Claudio Magi casum posuerit.
Quid mirum, si etiam ipsum Eusebium hæc ipsa deceperint, vt sub Claudio Petrum Ro-
mam adduxerit, sub quo Magum à Iustino, & Irenæo Romæ poni cernebat? Euasio mira
Baronij est, [u] hunc fuisse priorem Petri Romam aduentum sub Claudio; & tunc ab eo Si-

[a] Hegesipp. de caud. Hierosol. l. 3. c. 2. & Cyril. Hieros. Catech. 6. & Ambr. l. 4. Hexamer. c. 8. & Theodor. l. 1. hæret. fab. [f] Euseb. l. 2. c. 14.

[u] Baron. tom. 1. an. 44. nu. 54.

monem fuisse duntaxat fugatum, non extinctum, nisi in altero aduentu sub Nerone. Sed quicunque de Mago scripserunt, cum Apostolis Romæ congrediente, vnicum ponunt congressum; & eum sane quo Magus est penitus extinctus: & verba Eusebij non eiectionem, sed totalem extinctionem continent: Vesana, *inquit*, potentia Simonis actutum extincta est.] Quomodo potentia Simonis extincta, si postea sit adhuc volaturus? A

XXXI. Cum igitur & sub Claudio Simon Magus fuerit Romę; & ab Apostolis paulo ante ipsorũ necem extinctus, quæ duodecimo [a] Neronis anno contigit; necesse est affirmare Simonem assecutum Romæ sub Claudio gloriam, & simulachrũ, ad alias quoq; Vrbes suis præstigijs seducendas, fuisse aliquandiu peruagatum; & sub Nerone iterum Romam reuertum. Qua ipsius reuertione à Petro cognita in Oriente, Romam tunc primum eum contẽdisse, & cum Mago non sine Paul o conflictatum, ad coronam Martyrij ea occasione etiam peruenisse. Occasionem enim Neroni contra Apostolos tæuiendi, fuisse casum amici Magi, coniectura est, & probatio apud [b] Baron. Quare primus Petri Romam aduentus omnino ponendus est circa duodecimum Neronis annum: quo enim tempore, & non prius Baronius ponit secũdum Petri aduentum; id, vt probaui, plane tempus deberet esse primi aduentus. Paulus itaq; integro ferme decennio prius Romam venit quam Petrus; & sane primo [d] biennio vinctus Ecclesiam illam ædificabat: postea vero eundẽ à Nerone [e] liberatum, mihi non videtur improbabile, alias occidentis regiones peragrasse; Romamq; iterum, duodecimo Neronis anno, fortasse & ipsum occasione Magi in Vrbe iterum debacchantis, vt suppetias suæ Ecclesiæ ferret, peruenisse; exiguoq; vix paucorum mẽsium tempore, simul cum Petro in illa Ecclesia vsq; ad mortem laborasse. Atq; hoc tantũ Neronis anno, nempe duodecimo, Romana sedes cœpit etiam Petrum habere Rectorẽ, etiam cum alijs vt ostendi supra l. 2. c. 3. n. 60. Vbinam igitur vbi 25 anni sedis Petri in Romana Ecclesia? Qui vix ad paucos menses in ea potuit residere? Neq; solus, sed cum Collega Paulo, vero & proprio Romanę Ecclesiæ fundatore, imo etiã cum alijs. Vt quid ergo Ecclesia Ro. se totam in Petrum gloriabunda reducit; quem vix ad breue tempus hospitem habuit, qui ad suos Rom. nunquã scripsit, nisi per eum fortè tabellariũ, cui Paulus literas (ita nos docuit Bar.) dedit ad Petrum cõmendatitias. B C

[a] *Epiph. hær. 27*
[b] *Baron. tom. 1. an. 68. n. 23.*
[c] *Ibid. n. 10.*
[d] *Act. 28.*
[e] *2. Tim. 4.*

XXXII. Demus verò etiam id, quod vix videtur credibile, Magum statim, post solutum & liberatum à Nerone Paulum, Romam redijsse; confestimq; ad eum debellandum Petrum ex oriente aduolasse; circa 5. nimirum Neronis annum; neq; illum statim potuisse expugnare, nisi ad 12. eiusdem Neronis annum; quamuis actutum à Petro fuisse illum extinctum narret Euseb. sic Petrus poterit ad summum in Romana Ecclesia, & in occidente per septennium laborare. Si quis etiam velit Simonem à Petro statim tunc, & à Paulo extinctum, sed ea occasione Neronem tunc in Apostolos non insurrexisse, nisi iam post septennium, etiamsi hoc quoq; vix vllam in se continere videatur credibilitatem, repugnantibus ijs omnibus, qui occasionem carceris, & necis Apostolorum, ex Simonis interitu à Nerone sumptam scribunt; ipse ne in hoc quidem nimium repugnabo. Sed tamen, vt dixi, actum est de Petri in cathedra Romana per 25. annorum spacium sessione. Quod quidem ex nostris supputationum fundamentis, & historicorum optimorum narrationibus, reuera non nisi ad paucos menses poterit extendi: aut si quæ ex historicis manifestè deduximus, peruertãtur; non tamen vltra vnicum, vt supra posui, septennium Romana Petri sessio porrigetur. Et sane Volaterranus toti [f] Petri Episcopatui 25. annos assignat. Sed ex his 7. tribuit Antiochenæ sedi, reliquos verò tantum decem & octo sedi Romanæ. Et hæc dicit se ex superiorum, qui magis recepti fuerunt, scriptis coegisse. Inuenerat itaq; Autor hic Romanæ Petri sedis annos, à Concil. Hierosol. peracto numerandos: sunt enim, vt supra posuimus, omnino 18. nempe sex vltimi Claudij; & 12. Neronis: sed ab his Petri orientalis prædicatio omissa est. Cesset ergo Romana Ecclesia se peculiarem, & propriam Petri sedem esse iactare; ac inde se eiusdem exasse hæredem venditare. Nos certè, quemadmodum sedem Romanam sedem fatemur esse Apostolicam, quia eam (vt iam probauimus, ex professo; fatetur Bellar.) duo Apostoli Petrus & Paulus [g] fundarunt, & gubernarunt, imo tertius quoq; [h] Ioannes sua perpessione, ac certè prædicatione decorauit, ita hodiernos Romæ Episcopos inde sua omnia Apostolici nominis titulo deaurare, Apostolicas epistolas, Apostolica præcepta, Apostolicas Bullas, Apostolicas concessiones, Apostolicas dispensationes, Apostolicos Legatos, Apostolicam Curiam, Cameram, forte mensam, mulum & quid non Apostolicum vocare, prorsus intolerabile iudicamus: cum Romanus Episcopus certè quidem non sit Apostolus, licet sit Episcopus sedis vt dixi Apostolicæ: & sedes illa est Apostolica, quia ab Apostolis fundata: ipsa tamen neq; est Apostolus, neque eum, qui in ea sedet facit Apostolum. D E

[f] *Volater. l. 12.*
[g] *Bellarm. de Rom. Pont. l. 1. c. 17.*
[h] *Tertull. de præscript.*

Tabvla

TABVLA CHRONOLOGIÆ
hoc primo Cap. explicatæ.

ANNI IMPERATORVM	ANNI CHRISTI.		SCRIPTURA.
Tiberij. 15.	30.	Christus in Iordane à Ioanne baptizatus.	Luc. 3.
18.	33.	Christus passus.	
19.	34.	Stephanus lapidatus. Persecutio sub Stephano. Discipuli dispersi, præter Apostolos. Petrus & Ioannes in Samariam Legati.	Act. 7. 8.
20. 21. 22.	35. 36. 37.	Pauli conuersio: & prædicatio ipsius in Arabia, & Damasco.	Act. 9. Gal. 1.
23. Caij.	38.	Pauli primus Hierosolymam aduentus, post tres annos à sua conuersione, vt videret Petrum; vbi mansit diebus 15. inde iussu Domini elabitur Tarsum.	Act. 9. & 22. Gal. 1.
1. 2. 3. 4. Claudij. 1. 2. 3. 4. 5.	39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47.	Pax in Iudæa, Galilæa, & Samaria. Ecclesia in his locis crescit: Petrus in Palæstina sanat Aeneam: suscitat Tabitham: ad Cornelium accedit, reditque Hierosolymam. Interim Paulus in Syria & Cilicia, præsertim in sua patria Tarsi, subsistit.	Act. 9. 10. 11. Gal. 1,
6.	48.	Conuersio prima Antiochiæ; missio Barnabæ eò, qui sibi adiunxit Paulum Tarso abductum. Tunc secundus Pauli Hierosolymam aduentus cum Barnaba, post annos 14. à conuersione: qui eò tum collectas attulerunt occasione famis, quæ sæuijt sub Claudio. Contulit Paulus suam prædicationem cum Apostolis. Occisus est Iacobus ab Herode. Petrus in carcerem coniectus: inde liberatus pergit Antiochiam.	Act. 11. 12. Gal. 2.
7.	49.	Paulus reuersus Antiochiam, proficiscitur Cyprum: peragrat alias regiones, & reuertitur Antiochiam. Ibi reprehendit Petrum.	Act. 13. & 14. & 15. Gal. 2.
8.	50.	Pauli tertius aduentus Hierosolymam, pro controuersia legalium: fitque Concilium Hierosolymitanum, cui interest Petrus.	Act. 15.
8. 9.	50. 51.	Paulus reuertitur Antiochiam, inde spargit Euangelij semina in Macedonia, Thessalonicæ, Athenis, &c. peruenitque Corinthum; quo tempore à Claudio Iudæi Italia pulsi.	Act. 15. 16. 17. 18.
10. 11.	52. 53.	Paulus manet Corinthi sesquiannum: Et fortasse hoc tempore ex voto visitauit Hierosolymam.	Act. 18.
12. 13.	54. 55.	Paulus denuò Ephesi: ibique moratur per biennium; in Græcia per tres Menses.	Act. 19. 20.
Neronis 1. 2.	56. 57. 58.	Pauli quartus, (& fortasse quintus) Hierosolymam aduentus: ipsiusque vincula Hierosolymis, & Cæsareæ, per biennium.	Act. 21.
3. 4. 5.	59. 60. 61.	Paulus vinctus Romam abducitur; ibique in vinculis biennio prædicat.	Act. 28.
6. 7. 8. 9. 10. 11.	62. 63. 64. 65. 66. 67.	Paulus solutus prædicat Romæ, & in Occidente. Petrus verò post Concilium Hierosolymitanum in Oriente prædicat, in Ponto, Cappadocia, Asia, Bythinia, &c.	2. Tim. 4.
12.	68.	Simon Magus Romæ iterum debacchatur. Accurrunt Petrus & Paulus; prosternunt Magum; & martyrio coronantur.	

CAP. II.

Romanam Ecclesiam esse Ecclesiam particularem tantum, vnam ex cæteris.

Summa Capitis.

Romana Ecclesia vna particularis est, & pro tali cognoscitur, intra propriam restrictã Diœcesim, sub debitis limitationibus, & restrictionibus vniuersalitati repugnantibus, num. 1. 2. 3.

Huiusce particularitatis probationes, primùm ex confessione Romanorum Pontificum num. 4. 5. Deinde ex Patribus Irenæo num. 6. Nicænis, & Eusebio num. 7. Athanasio num. 8. Hieronymo, num. 9. Augustino, num. 10. & ex Imperatore Constantino Iuniore, num. 11.

Romana Ecclesia quatenus est Metropolitana proprijs propria prouinciæ limitibus restringitur: fatetur id primum Anacletus num. 12. Concilium Nicænum, cuius Canon 6. fusius explicatur, à num. 13. ad num. 24.

Eadem restrictio Metropolitici iuris Romanæ Ecclesiæ alijs autoritatibus & exemplis confirmatur, num. 25. 26. 27.

Eadem particularitas & limitatio Romanæ Ecclesiæ probatur ex æqualitate inter omnes Episcopos cum Romano num. 30.

Item ex laudibus Romanæ Ecclesiæ ei à Patribus datis, in quibus illius primatus nullus apparet, num. 31.

Item ex concertatione pro Bulgaria inter Romanam & Constantinopolitanam Ecclesias, num. 32.

Obiectiones ex Cypriano soluuntur, num. 33. 34. 35.

Corollarium num. 36. 37.

I. VNam esse Christi Ecclesiam vniuersalem militantem & visibilem toto orbe diffusam; omnes in Christum credentes, Christiq; baptismate ablutos in se complectentem, iam ostendi, lib. 3 cap. 1. eiusque partes integrantes, & homogeneas esse Ecclesias particulares, maiores quidem aut minores, sola mole seu multitudine, prout maior aut minor fidelium numerus assumatur, qui simul vno eodemque loco; seu vna eademque ciuitate; aut vna eademque Diœcesi, in fide, synaxi, verbo Dei, & Sacramentis participet. Cum itaque Romana Ecclesia, dum fidem Christi retinet, ex peculiari ac certo populo, nimirum Romano confletur; neque in se omnes Christi fideles, quotquot sunt in Mundo mortales, contineat; quis non videt Ecclesiam Romanam esse vnam Ecclesiam partialem, per se seorsim existentem; sicut alia particularis est Mediolanensis, alia Neapolitana, alia Moguntina, alia Lugdunensis, & sic de cæteris? Est ergo ante omnia, Ecclesia Romana vna particularis Ecclesia Episcopalis, cum propria sua, & limitata Diœcesi; quod Monarchici non negant. Et si dicas omnes Christi fideles, quotquot sunt in toto Mundo, Romanam Christianam fidem complecti, indeque eam fieri vniuersalem; quæram ego, num hæc Romana fides, sit quædam fides peculiaris, solius Romanæ Ecclesiæ propria; an fides Christi Catholica, illa, quam Ecclesia Catholica, hoc est quam tota, totius Mundi Christiani Ecclesia, talem, qualem Christus, & sancti Apostoli, mundo tradiderunt, tenet? Si est propria ipsius tantum; pereat talis Ecclesia, & talis fides; quia vera fides Christi Catholica est, & per totum Mundum sparsa; at vero in fide Catholica, non minus vere & propriè dici possunt omnes & singulæ Ecclesiæ cum Romana, in omnibus articulis veræ fidei consentire; quam etiam Romana cum omnibus & singulis alijs. Ita etiam omnes consentiunt cum Mediolanensi, Viennensi, Hispalensi, & reliquis; quarum nulla propterea est vniuersalis; sed omnes inter se fidei, & charitatis glutino, vt loquitur Cyprianus, colligatæ. De ijs porro quæ ab hac vnitate schismate sunt separatæ, agam postea lib. 7.

In

A In hoc capite labor meus eò tendit, vt ostendam per multa multorum sæculorum testi monia, Ecclesiam Romanam aut considerari, & commemorari tanquam Ecclesiam vnam singularem, particularem, sub suo singulari, & particulari Episcopo, sicut cæterarum quæcunque. Aut si quid vlterius ei additur, hoc esse vel ius Metropoliticum in suam particularem Prouinciam; vel ad summum ius Patriarchale, pro suo proprio & ab aliis distincto Patriarchatu. Vniuersalitatem verò illam supremam Papatus nunquam tuisse aut agnitam puræ Ecclesiæ, aut in ea commemoratam. Imò ostendam hanc ipsam Papatus vniuersalitatem directè pugnare cum ijs, quæ de Romana siue Ecclesia, siue Metropoli, siue Patriarchatu proferuntur. De limitatione quidem in ipsa Romana Ecclesia tum suæ propriæ Diœcesis, tum suæ Metropoliticæ iurisdictionis, multa affero, quæ limitatio excludat omnes alias Ecclesias quæ non sint in Romana Prouincia, ab ipsius Romanæ Ecclesiæ potestate, & iurisdictione; atque ita excludat, vt nullo pacto vniuersalitatem illam, quam ipsa prætendit, limitatio dicta toleret aut admittat. De Patriarchali verò ipsius dignitate nequaquam vniuersali, egi pluribus lib 3. cap. 10. agam & in sequentibus huius Libri capitibus, ac præsertim 9. II.

B

Fatentur Hieromonarchici, neque diffiteri possunt, Ecclesiam Romanam & esse vnam particularem, cum suo particulari Episcopatu, & esse vnam Metropolitanam cum propria Prouincia ab aliis distincta: aliqui etiam fortasse admittent illam esse vnam Patriarchalem ab alijs diuersam; sed interim esse etiam vniuersalem, & Papalem, cum iurisdictione in vniuersam Christi Ecclesiam. Quam Papalem iurisdictionem aliqui volunt in ipsomet Patriarchatu Romano consistere. Huic tamen Papatui restrictiones illas Metropoliticæ, & Patriarchalis potestatis, plurimum obesse optimè norunt, ideoque, vt paulò post videbimus, tantopere laborant vt restrictionem iuris Metropolitici præscriptam in vno Canone Nicæno, euitent. Non enim dicunt restrictionem illam competere Romanæ Ecclesiæ, quatenus est suæ propriæ Prouinciæ Metropolitanæ; cæterum illam adhuc habere aliam maiorem iurisdictionem, nimirum Papatus; sed conantur excludere ipsam Romanam ab illis limitationibus, & restrictionibus. Sciunt enim illas cum Papatu stare non posse; & Papatum nullas omninò pati restrictiones, quando ille superadditur Episcopatui ordinario, Metropolitico, & Patriarchali. Vt si Centurio alicuius exercitus statim euehatur in supremum Ducem, & totius exercitus Imperatorem; illeque velit adhuc tanquam Centurio suos centum milites sub se, tanquam sub peculiari Centurione retinere; proculdubio hos centum milites Imperiali autoritate, non Centurionali gubernabit; & consequenter nullis restrictionibus, quibus alij Centuriones obligantur, ille tenebitur; absorbet enim Imperialis autoritas illam Centurionalem autoritatem; & potest omnia in illam suam peculiarem cohortem, cuius ille & Centurio est & Imperator, quæ alij non possunt Centuriones in suas proprias cohortes. Quod si Imperator hic, retento officio Centurionis, legibus impediretur, ne in alios milites, qui non sint sub illius Centuria, ius vllum exerceat, profectò is Centurio tantùm esset, non Imperator; ac propterea limitatio omnis & restrictio, pugnaret penitus cum ipsius potestate Imperiali. Cum itaque Romana Ecclesia subsistet limitationibus omnibus, & restrictionibus, tam Episcopatuum simplicium in propria Diœcesi, quam Metropolis in propria Prouincia, & Patriarchæ in suo Patriarchatu, nec liceat ei proprios limites excedere; proculdubio Papalis esse non poterit. Et si semper Papatum habet adnexum, cùm Papatus absorbere ponatur in se omnes Episcopales, Metropoliticas, & Patriarchales potestates, profectò Romana Ecclesia iam non esset amplius obliganda restrictionibus illis, & consequenter neque vlla ratione esset vnquam reponenda, aut recensenda inter meras Episcopales, meras Metropoliticas, & meras Patriarchales Ecclesias; eam tamen reponi, & agnosci verè particularem, iam demonstro. III.

C

D

E

Romanam Ecclesiam & esse, & cognosci, & dici vnam particularem Ecclesiam cum suo proprio suæ particularis Diœcesis Episcopo, inde maximè habemus quod Romani Pontifices prisci, illi, qui nondum Papatum hunc sibi effinxerant, nondum Monarchiam arripuerant, se nudè ac simpliciter Romæ Episcopos nominârint. Et Patres similiter atque Concilia Rom. Episcopos non nisi Rom. Ecclesiæ Episcopos agnouerint, & vocârint. Ex innumerabilibus locis aliquot desumamus. Liberius suũ Episcopatũ vocat Episcopatum [a] vrbis Romæ. Quamuis ratione sui Patriarchatus se Episcopum etiam Italiæ inscribat. Quæ quidem inscriptiones cum Papatu summoopere pugnant. De Damaso sic scribit Theodoretus. [b] Hic Damasus Episcopus Romanus fuit, in illius Ecclesiæ administratione successor Liberij.] Audimus Romanæ Ecclesiæ administratione Episcopi Romani curam comprehendi. IV.

a *Apud Baron. tom 3. an. 354. num. 3.*

b *Apud Socr. l. 4. c. 11.*

Quod si totam Ecclesiam vniuersalem gubernaret ille, dixisset Eusebius Damasum in Ecclesiæ administratione successisse, non arctasset ipsius gubernationem ad illius Ecclesiæ administrationem; hæc enim esset pars minima gregis Oecumenici: & à maiori ac potiori, non à minori attributo fit semper iusta denominatio. Neque dicat quispiam suspecta esse in hoc genere Græcorum dicta; Nondum enim ortum erat schisma inter Græcam Ecclesiam & Latinam. A

V.

Gregorius non potuit in quadam sua Synodo publicè non fateri, suam curam Episcopalem, in ipsa Romana Ecclesia particulari, esse defixam: dum ait; [a] In S. Romana Ecclesia, cui diuina dispensatio præesse me voluit, &c.] Agit ibi de reformatione aliqua Cantorum illius Ecclesiæ: Itaq; se à Domino huic Ecclesiæ particulari præfectū agnoscit; curamq; suam, certe maximam, & cui primario vacare deberet, eidem particulari Ecclesiæ applicatam affirmat. Et in respon. ad interrogata August. 1^a. respon. tali titulo prænotatur; Responsio Beatissimi Gregorij Papæ vrbis Romæ.] Sic etiam Anastasium Paulinus vocauerat [b] Papam vrbis. Et Honorius Imperator Bonifacium similiter vocauit [c] Papam vrbis Romæ: Nec turbemur nomine Papæ, quia vt alias ostendi, nomen hoc cuiuis Episcopo diu competit, & hodie inter Græcos etiam Presbytero cuilibet tribuitur. Martinus Papa suam quandam Conciliarem epistolam encyclicam sic exorditur, [d] Martinus seruus seruorum Dei, atque per gratiam eius Episcopus sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ vrbis Romæ, &c.] Hic certè suum Episcopatum restringit ad ipsam Ecclesiam particularem vrbis Romæ, quam Catholicam vocat, vel quia erat vna ex Catholicis, hoc est fidem Catholicam amplectentib^s ac docentibus, vel quod totius Catholicæ Ecclesiæ vniuersalis membrū esset. Neq; quis putet solam Romanam aliquando solitam vocari [e] Catholicam; quia eodem pacto etiam Alexandrina absolutè vocatur Catholica ab Imperatore Constantio: & in quinta Synodo generali habemus multos Episcopos, qui se suiæ particularis Ecclesiæ Catholicæ Episcopos subscribunt. In quo sensu Gregorius [f] Omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopos astra esse dixit. Episcopos vniuersalis Ecclesiæ omnes vocat Episcopos, qui in ipsa tota Ecclesia vniuersali reperiuntur. Alias quoque epistolas idem Martinus eodem modo exorditur, seque Catholicæ & Apostolicæ [g] Romanorum Ecclesiæ vocat Episcopum. Si Martini Ecclesia est Romanorum Ecclesia, & Romanorum Ecclesia est particularis, Martini certè Ecclesia erit particularis, non totius mundi vniuersalis. Leo 4. in Synodo se [h] Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ scribit Episcopum. [i] Ioannes decimus quintus se non sanctæ vniuersalis Ecclesiæ indefinitè, sed sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papam inscribit. Alexander secundus se [k] Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ subscribit Episcopum. B C

a *Greg. l. 4 indic. 13. ep. 44.*
b *Paulin. ep. 16.*
c *Baron. to. 5. an. 419. n. 22.*
d *Martin. ep. 1.*
e *Apud Socr. l. 2 c. 18.*
f *Greg. l. 4. indic. 13. ep. 38.*
g *Martin. ep. 5. 6.*
h *Apud Baron. tom 9 an 853. num. 58.*
i *Apud Baron. to 10. an. 990. n. 1. & an. 993. num. 3.*
k *Apud eundē to 11. an. 1070. num. 21.*

VI.

Irenæus probans Catholicæ doctrinæ veritatem ex Apostolica traditione in certis Ecclesijs per manus & successiones ab Apostolis illarum fundatoribus accepta, longum futurum ait, si vellet omnium Ecclesiarum enumerare successiones: ex omnibus tamen Ecclesijs sane particularibus, sumit tres duntaxat; [l] Maximam, *inquit*, & antiquissimam, & omnibus cognitam, illam quæ à duobus Apostolis Petro & Paulo fuit fundata Romæ.] Deinde sumit Smyrnensem & Ephesinam. Itaque Romanam sic facit particularem, sicut Smyrnensem, & Ephesinam, neque in laudibus quas maximas recensēt Ecclesiæ Romanæ, posuit eam esse vniuersalem, cum potestate in omnes alias mundi Ecclesias. D

l *Iren. contra hæres.*

VII.

Concilium Nicænum Romanum Pontificem, non alio titulo insigniuit nisi [m] vel Romæ vel in Roma Episcopo, modo quo Alexandrinum vocauit Episcopum qui est Alexandriæ: Eusebius quoque in suo Chronico, Romanos Pontifices perpetuo non nisi Romanæ Ecclesiæ regimini præfecit; Sic enim loquitur, Post Petrum, 1. Romanam Ecclesiam tenuit Linus. Anacletus 2. Romanæ Ecclesiæ constituitur Episcopus. Clemens 3. Romanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit. Euaristus 4. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscepit. Alexander 5. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum tenet. Telesphorus 7. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscepit. Vrbanus 16. Romanæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus. Dionysius 24. Romanæ Ecclesiæ Episcopus constituitur.] Et sic de alijs. Easdemque loquendi formas sequuti sunt etiam Hieronymus, & Prosper in Chronicis. Talem videlicet Romanæ Ecclesiæ præesse, vel præfici, vel ordinari, &c. Nunquam verò vniuersalis Ecclesiæ mentionem fecerunt. E

m *Conc. Nicen. ca. 6.*

VIII.

Athanasius Ecclesias omnes, quæ Nicænam fidem tunc temporis tuebantur, sub suarum regionum titulis comprehendens, hæc habet. [n] Huic fidei omnes vbique Ecclesiæ assensæ sunt; vt Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, totius Dalmatiæ, &c.] Romanam tamen

n *Apud Theodoret. l. 4. c. 3. hist.*

A men seorsim oblitus est nominare, sed eam vno fasce cum cæteris Ecclesijs Italicis, vt ex illis vnam, generali Italiæ nomine eâ complexus. Imò verò (quod nunc dierum non sine hæresis suspicione lueret) Italiam ipsam in prima acie non collocauit, sed in locum quartum detrusit. Quod si Athanasio Romana Ecclesia fuisset Papalis, certè se huiusmodi piaculo non obstrinxisset. Idem ferme fecit Constantinus Imperator in suo [a] Decreto de festo Paschæ eodem die vbique celebrando. Idem Athanasius [b] Liberium vocat Episcopum Romæ. Et duos [c] Dionysios commemorat, ac vtrunque vocat Præsulem, alterum Alexandriæ, alterum Romæ: & Damasum vocat suum [d] comministrum, & magnæ Romæ Episcopum.

a *Apud Theodoret. l.1.c.10.*
b *Apud Theodoret l.2.c.15.*
c *Athanas. de Synod.*
d *Athan. ep. ad Africanos.*

Hieronymus quoties de Papa loquitur, semper illum Romanæ Ecclesiæ vocat Episcopum; nunquam autem illum aut vocat, aut agnoscit totius Ecclesiæ vniuersalis summum Pontificem. [e] Septima, *aut ille*, Dionysij Corinthij Epistola est ad Romanos; quam scripsit ad Sotherem Episcopum eorum.] Et de Victore ait. Victor tertius decimus Romæ Vrbis Episcopus.] Et Fabianum Romanæ Vrbis Episcopum dicit in persecutione Decij occubuisse. Et Caium sub Zepherino Romanæ Vrbis Episcopo ponit; & Cornelium Romanæ Vrbis Episcopum, ita & Dionysium, & Liberium, & Damasum Romanæ Vrbis Episcopos vocat. Et aduersus Ruffinum: [f] Veniam, *inquit*, ad Apologiam eius, qua sancto Anastasio Romanæ Vrbis Episcopo satisfacere nititur.] Et de eodem Rufino paulò pòst: Mittit, *inquit*, Epistolam, id est robustissimum baculum, quo Romanæ Vrbis armetur Episcopus.] Et in alia apologia aduersus eundem: Quid de Papa, *inquit*, Anastasio, de quo nulli, vt ais, verum videtur, vt tantæ Vrbis Sacerdos, vel innocenti tibi iniuriam facere potuerit, vel absenti?] Ad exaggerandam Anastasij dignitatem nihil plus habuit quod diceret, nisi tantæ Vrbis Sacerdos. Si illum vniuersalem Episcopum agnouisset, dixisset, non tantæ Vrbis, sed totius Orbis Episcopus supremus: totam tamen ipsius dignitatem, Vrbis Romanæ tantum amplitudine Ruffinus decorauit. Sic Hieronymus, vbi ait: [g] Clementem post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam; cur non dixit potius vniuersalem Christi Ecclesiam; sed curam Episcopalem Romani Pontificis ad Romanam coarctauit Ecclesiam particularem? Omitto plurima alia eiusdem eximij Patris loca; qui perpetuo, quoties occasio ei adest nominandi Romanum Episcopum, semper illum Romanæ Vrbis Episcopum vocat, aut Pontificem, aut Sacerdotem; neque reperio eum plus ipsi tribuere in ipsius titulis, quam vt sit Romanæ Vrbis Episcopus. Ac sanè idem Hieronymus vnam ex Orbis Ecclesijs voluit esse Romanam, & non vnam per se eminentem, quasi seorsim ab vniuersali diuersam, & ipsi vniuersali præpositam. Vt propterea, ex sensu Hieronymi, illa debeat se vniuersali Ecclesiæ, & non teneatur vniuersalis totius Orbis Ecclesia se ei, in ijs in quibus ab vniuersali discrepat, conformare: [h] Si autoritas, *inquit*, quæritur, Orbis maior est Vrbe. — Quid mihi præfers vnius vrbis consuetudinem?] Expressè satis, libereque Hieronymus etiam audaculè, dicent forte Monarchici. Et loquitur de rebus Ecclesiasticis; neque vult Ecclesiam Romanam plus autoritatis habere, aut vniuersalitatis complecti, quàm Eugubinam, &c. vt consideraui lib. 2. cap. 6. num. 6. Quod si Hieronymo illa fuisset Ecclesia vniuersalis, non potuisset ipsius exemplum fugere, & vitare; sed tenebatur ei adhærere. Vniuersalis enim Ecclesia singulis suis partibus leges præscribere posset, & illæ eam sequi tenerentur. Aut saltem malè Hieronymus opponeret Orbem vrbi, & Romam faceret vnam vnius vrbis duntaxat Ecclesiam.

e *Hieron. de script. Eccl. in Dionys. &c.*
f *Idem aduer. Ruff. apol. 2.*
g *Hieron. in Isa. c 52.*
h *Hieron ep 85. habetur dist. 93 c. legimus.*

IX.

Augustinus quoque Romanam Ecclesiam fecit particularem tantum, & (quod obiter hic notandum) errori obnoxiam, sicut quælibet alia particularis est obnoxia; potiusque eam teneri pluribus alijs, quam plures alias ei soli conformari. Vbi enim de ieiunio Sabbati disputat, ait; [i] Quod si respondetur hoc docuisse Iacobum Hierosolymis, Ephesi Ioannem, cæteroque alijs locis, quod docuit Romæ Petrus, id est vt Sabbato ieiunetur; sed ab hac doctrina terras cæteras deuiasse; atque in ea Romam stetisse: & è contrario refertur, Occidentis potius aliqua loca in quibus Roma est, non seruasse quod Apostoli tradiderunt; Orientis verò terras, vnde cœpit ipsum Euangelium prædicari, in eo quod ab omnibus simul cum ipso Petro Apostolis traditum est, ne Sabbato ieiunetur, sine aliqua varietate mansisse.] Hic expressè eam, quam moderni fingunt, vniuersalitatem, tollit Augustinus; cum Romanam Ecclesiam & à cæteris terris distinguit, & Orienti opponit, & inter reliqua Occidentis loca numerat.

i *Aug. ep. 86.*

X.

Imperator Constantinus, vnus è posterioribus, vt Agapetum Papam maximis, splendidissimis, aptissimisque titulis, tunc Romani Pontificis propriis, decoraret, ita eundem affa-

XI.

tur.

a Iustr epist. Agapeti.

tur, [a] Agapeto sanctissimo, ac beatissimo Archiepiscopo Almæ Vrbis Romæ, & Patriarchiæ &c.] Nostri tamen iam Monarchico spiritu toti inflati Pontifices, Romam in suis inscriptionibus nominare amplius noluerunt; sed vel se Catholicæ Ecclesiæ Episcopos inscripserunt; vel demum posteriores (adeoque semper deteriores) miro cum artificio, nec minoris superbiæ typho, sub simplicioris & humilioris tituli specie se tantùm Episcopos vocauerunt; vt iam ordinaria Paparum inscriptio sit; PAVLVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Episcopus nimirùm absolutè totius Mundi, & non soli Romanæ sedi alligatus; cui tamen pritici se alligatos esse & sciebant, & profitebantur: totaque vt vidimus, antiquitas vniuersalitatem hanc penitus ignorauit. A

XII. Hæc ipsa Ecclesia Romana, quam in se vnam ex particularibus iam fecimus, & manifestauimus, vt sit peculiaris Romanæ vrbis, & Diœcesis fortassis satis exiguæ, Ecclesia, habuit tamen & habet adhuc, vt sit Metropolitana, aliarum similiter Metropolitanarum tum priuilegijs ornata, tum etiam restrictionibus, limitationibus, & legibus constricta, arctata, & obligata; & hoc iam probandum assumo. Ac in primis occurrit mihi dictum, quod à nostris antiquissimo tribuitur Anacleto, & in Synodo Romana sub Zacharia statutum est & stabilitum; Quod tale est; [b] Iuxta sanctorum Patrum, & Canonũ instituta, omnes Episcopi qui huius Apostolicæ sedis ordinationi subiacent, & propinqui sunt, annuè circa Idus Maij sanctorum Principum Apostolorum Petri & Pauli liminibus præsententur.] Adhuc igitur sub Anacleto Romana Ecclesia habebat proprios Episcopos, qui ad eius spectarent ordinationes. Qui etiam solent omnes interdum Romani Pontifices vocari; hoc est Romanæ Diœcesis, seu Metropolis, aut ordinationis; vt inferius videbimus. At si Romana sedes est etiam vniuersalis, cur restrictiuè hic ac distinctiuè Episcopi huiusce sedis ordinationi subiacentes, vt à reliquis non subiacentibus diuersi reputentur? B

b Dist. 92. c. 4. & Glos. in c. 3. & N. de iureiur. & in c. Vt super. de reb. Eccl. non alien.

XIII. Nihil vero magis rem nostram confirmat, quam Nicæni magni Concilii canon sextus. Is enim [c] legatur, prout publice expositus omnibus patet, ex eo quod Romanus Patriarcha propriis limitibus propriæ Prouinciæ, ex antiqua consuetudine se contineret; nec extra illam consecrationes faceret; Alexandrino quoque suos præscribit limites; vt ipse etiam, sicut & Antiochenus, ac cæteri cuiusque Prouinciæ Metropolitani, qui tunc propriam habebant Prouinciam, similiter vt Romanus, intra suæ Prouinciæ proprios limites se continerent. Si vero Canonis eiusdem non tam verba, quam perfecta sententia, prout ab antiquis Patribus & Autoribus fuit acceptus, & intellectus, proferatur; manifestum fiet in eo Concilio, illo Canone, reducta ad legem expressam antiqua Ecclesiarum communissima consuetudine; tribus Patriarchis, Romano, Alexandrino, Antiocheno, sicut & cæteris Metropolitanis, præscriptum fuisse; vt quisque suæ tantum Prouinciæ propriæ curam gereret; maxime in Episcopis ordinandis; & nemo eorum ad alienam Prouinciam ordinandam se extenderet. Quæ sententia à verbis vt passim proponuntur, aut parum, aut ferme nihil discrepat. C D

XIV. Ita Canonem hunc intellexit ex antiquis, Ruffinus à Concilii Nicæni temporibus, vix quadraginta annis remotus. Sic enim hunc Canonem in compendium redactum refert: vt [c] apud Alexandriam, & in Vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur; vt vel ille Aegypti, vel hic suburbicarium Ecclesiarum solicitudinem gerat.] Paraphrasis hæc Baronio non placuit; & post conuicia Christiano scriptore indigna, in verbis ipsis grammaticalem sensum desiderari [d] obijcit: quod si thesaurum linguæ Latinæ aspexisset; vidisset particulam, vel non semper esse disiunctiuam, seu alternatiuam, sed confirmatiuam etiam, seu affirmatiuam: & sensus est, Vt hic quidem Aegypti, ille vero suburbicarium &c. Deinde suburbicarias ciuitates conatur explicare, vt sint non suburbanæ, sed illæ quæ Vrbicariæ dicuntur in Principum rescriptis; quales sunt multæ, *inquit*, etiam extra Italiam constitutæ. Sed Baronius suo se confodit gladio; fatetur enim Aegyptum quoque Vrbicarium Canonem vrbi debuisse; & consequenter tenetur fateri, Aegyptum quoque fuisse Regionem vrbicariam; siue secundum ipsum, suburbicariam: mihi tamen longe diuersa esse videntur vrbicarium, & suburbicarium: Igitur iuxta Ruffinum Aegyptus quoque ad Romanum pertinuit Patriarcham. Atqui Canon Nicænus expresse Aegyptum totam dat Alexandrino; & ita, vt nullus ex Patriarchis possit illum turbare, nec ille alios. E

c Ruffin. Hist. l. 1. c. 6.

d Baron. tom 3. an. 325. num. 133. & seq.

XV. Sed nondum fortasse Baronius aduerterat, quod postea aduertit; & immemor horum, nobis etiam publicauit; videlicet, in rescriptis Imperatorum, suburbicarias ciuitates esse suburbanas; hoc est circa Romam; non quidem admodum angusto, sed lato spacio consistentes. Valentinianus enim, qui Vrsicinum Antipapam in Galliis exulare iusserat, eidem

indulgentiam

A indulgentiam impartiens, ita rescripsit ad Ampellium: [a] Dudum Vrsicini inquietudine prouocati, tauentes concordiæ populi Christiani, quieti etiam Vrbis sacratissimæ prouidentes, vno interim loco, intra Gallias duntaxat, perturbatorem tranquillitatis publicæ, statueramus iure cohiberi; scilicet ne applicatione motum latæ dissensionis incommodum spargeretur. Verum naturæ nostræ mansuetudine leuigati, ita memorato abscedendi copiam dedimus, ne ad Vrbem Romam, vel certè suburbicarias regiones pedem inferat; neque nequitiæ suæ contagionem conetur infundere.] Et ad Maximinum Vicarium vrbis Romæ, de eodem; [b] Discedendi copiam ei fecimus, sub ea conditione, ne vagandi arbitrium præberemus; neue ad vrbem Romam, vel regiones suburbicarias valeat commanere.] Scandalum ab Vrbe propulsaturus Valentinianus, vrbis, circumuicinarumque regionum, quæ ad eiusdem vrbis Diœcesim, & Prouinciam pertinent, accessum Vrsicino prohibet; tametsi ei B Gallicanum relaxet exilium. Atque has suburbicarias, saltem primas regiones, idem Imperator postea clarius explicauit, eas esse quæ intra centesimum vrbis milliare clauderentur; quo vrbana prætectura extendebatur. Nam & Vrsicinum prædictum Damasi Antipapam, & alios illius sectæ homines iam iusserat; [c] Vt vel ad centesimum Vrbis milliare pellerentur: cuius Decreti innouans executionem, scribit Vrbis Vicario Aquilino, in hæc verba; [d] Posthæc nisi omnes — vltra centesimum milliarium ab vrbe depuleris; atque earum ciuitatum finibus extorres esse præceperis; quarum plebem, vel Ecclesias, vel per se, vel per simile sui vulgus exercent; præter æstimationis iniuriam, cuius apud bonos non leuis iactura est, piaculum neglectæ sanctionis incurres.] Quanuis tres alias, quæ vrbanam cingunt prætecturam, vltra centesimum milliare regiones suburbicarias esse legerim; Campaniam, Picenũ, & Tusciã: quæ omnes ad Romanã immediatè pertinuerunt olim consecratiõnẽ; neque in his omnibus regionibus Archiepiscopatus vllus fuit; vt infra probabimus. C

Sed & in Arabicis, quos tanti faciunt Turrianus, & Pisanus, alique nostri Romanenses, primi Concilij Nicæni Canonibus; sextus hic, quem præ manibus habemus Canon, octauo inter illos loco positus, Ruffini paraphrasi optimè respondet. Sic enim ponitur; [e] Constitutum est, vt Episcopus Aegypti, id est, Patriarcha Alexandrinus præsideat, & habeat potestatem totius Aegypti, & omnium locorum ciuitatum, & castellorum, quæ sunt circum eam, quia sic conuenit. Siquidem similiter Episcopus Romæ, id est successor Petri Apostoli, potestatem habet omnium ciuitatum & locorum, quæ sunt circa eam. Ac similiter Episcopus Antiochiæ, id est, Patriarcha, potestatem habeat Prouinciæ illius totius, & eorum loco rum quæ circum eam sunt; & in alijs item locis seruari debet, quod in præterito constitutum est.] Suburbicariæ igitur Ecclesiæ Ruffini, in Nicænis Arabicis Canonibus, D sunt Ecclesiæ ciuitatum, & locorum, quæ sunt circa Romam; quæque consequenter Romanam propriam efficiunt Prouinciam. XVI.

Meminerimus verò, obtecro, tempore Concilij Nicæni, quando primum Ecclesia, quæ ad illud tempus perpetuo fermè sub ethnicis Imperatoribus, Christianæ fidei persecutoribus gemuerat, Dei benignitate nacta est pium, & fidelem Imperatorem; Christianam Religionem nondum fuisse vsqueadeò dilatatam extra Italiam, vt potuerit plures habere Prouincias benè ordinatas, cum suis Metropolitanis; quorum singuli plures haberent Suffraganeos. Itaque cum maxima cura esset Romani Metropolitani in sola Italia; quam totam si velis potes quasi meritò vocare pro eo tempore Romæ suburbicariam; ne miremur, si veteres Concilio Nicæno vicini Scriptores agnouerunt Romanum Pontificem solius Italiæ Episcoporum consecratorem, cùm vix vlli alij essent in Italia Metropolitani. Ecclesiæ verò quæcunque erant extra Italiam in partibus occidentis, puta in Gallijs, Hispaniis, & Africa, propter nimiam remotionem ab vrbe, statim atque tres duntaxat habuerunt regiones illæ Episcopos, vnum habuerunt Metropolitanum: & ita Episcoporum consecratio ad Romanum amplius non pertinebat; vt facilè colliges ab exemplis, ex Epistolis Gregorij, Zachariæ, Nicolai, & aliorum. E XVII.

Torsit semper, exercuitque nostros Monarchicos Canon hic sextus Concilij Nicæni; vtpote qui Romanam sedem facit vnam ex Patriarchalibus, suis limitibus circumclusam; extra quos ei egredi non liceret; æqualem in potestate duabus alijs tunc Patriarchalibus sedibus, Alexandrinæ, & Antiochenæ, & sic nullo pacto vniuersalem. Ideoque circa ipsum Canonem, varijs adinuentis subtilitatibus laborârunt: ita tamen vt tenacissimum hunc, quo implicantur nodum, fortius stringerent potius quàm dissoluerent. Sanè [f] Baronius, & [g] Bellarminus, mutilum in primis conqueruntur iam proferri: quia in Concilio Chalcedonensi lectus fuit hic Canon integer, cum huiusmodi principio: Quod Ecclesia Romana semper XVIII.

a Apud Bar. ann. tom 4. an. 371. num.

b Ibid. num. 3.

c Ibid. an. 381. num. 2.

d Ibid. num. 5.

e Tom. 1. Concil. edit. Binij.

f Baron. tom. 3. an. 325. n. 125.

g Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 13.

semper habuit primatum:] Scias tamen additionem illam, profecto impertinentem, & quæ nullum in canone sensum faciat, Romæ tantum fuisse inuentam; & à Romano Legato productam: statim tamen in eodem Concilio lectus est idem canon, prout communissime habebatur, & adhuc in omnibus Ecclesijs habetur absque illo assumento Romani Primatus; quod quidem [a] Gratianus non habet. At verò ego aliqua ex parte ijs gratificaturus, haud ægre illud etiam initium huic canoni apponi patiar: Quo concesso, nihilominus planum est, inde nihilo plus virium habere ipsum canonem, quam habeat in ea ipsa forma prout communissime in Ecclesia proponitur & legitur, absque illa additione. Sensus enim canonis ille duntaxat est, vt Alexandrinus non se extendat extra sibi assignatas regiones, similiter & Antiochenus, quia Romanus quoque suum primatum vltra propriam regionem non extendit. Adducitur ergo Romanus primatus in exemplum obedientiæ, & modestiæ; quasi dicant: Ne insolescant Alexandrinus ob Augustalem Præfecturam Laicam, quæ in illa vrbe residet; vt propterea velit in toto Oriente dominari; siquidem etiam Romanus, qui est in Vrbe totius Orbis dominatrice, suum primatum Ecclesiasticum nihilo plus vltra Italiam extendit: Insigne exemplum cæteris Patriarchis, dignitate ei inferioribus; vt & ipsi, simili modestia, & obedientia vsi, extra proprios limites non exundent. Fallitur verò, ne dicam fallit, Baronius, & alij Monarchici, dum Primatum illum Ecclesiæ Romanæ, quem Canoni addunt, intelligunt Primatum absolutum; & illimitatum in cæteras omnes totius Mundi Ecclesias: Sic enim Canon esset rediculus, si sensum huiusmodi faceret; Alexandrinus & Antiochenus suis se limitibus coerceant, quia Ecclesia Romana nullis est arctata limitibus, sed habet Primatum in omnes Ecclesias: siue hoc pacto; Alexandrinus, & Antiochenus intra suos limites assignatos se contineant, eodem pacto quo se non continens Romanus Primatus in omnes Orbis Christiani Ecclesias extensus similem morem seruat; hoc est prorsus dissimilem, planeque contrarium. Auditum admissi risum teneatis. Hic profecto hic similis mos est, quod suis regionibus contentus, in alienas non irrumpat; idem Alexandrino, & Antiocheno præscribebatur. Atqui hoc pugnat cum Primatu illo absoluto: quinimo ipsemet canon, prout in Concilio Chalcedonensi legitur, docet optime Primatum illum Ecclesiæ Romanæ, esse Primatum respectu suæ regionis, non vniuersalem; quia, *inquit*, [b] Et in cæteris Prouincijs Primatus habeant Ecclesiæ Ciuitatum ampliorum.] Sicut ergo canon idem vult, vt in omnibus Prouincijs suum primatum habeant ciuitates ampliores; ita in exemplum affert, Romam similiter, cum sit præcipua in Italia ciuitas, suum habere primatum; nimirum suæ Prouinciæ.

[a] *Dist. 65. cap. Mos antiquus.*

[b] *Conc. Chalced. act. 16.*

XIX. Sed videamus quid prosint Monarchicis illæ additiones, seu versiones; quas ego non inuitus, vt, quemadmodum monui, lis hac parte citius dissoluatur, admitto. Vna lectio habet, vt fuit in Chalcedonensi lectum, vbi Legati Romani ex eorum Archiuis eductum Canonem protulerunt, sic: Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum: tenuit autem & Aegyptus, vt Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem; quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo: similiter autem & qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris Prouincijs, Primatus habeant Ecclesiæ Ciuitatum ampliorum.] Altera lectio ex Dionysij exigui versione talis est: [c] Romana Ecclesia semper habuit Primatum: Mos autem antiquus perduret in Aegypto, vel Libia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem & Episcopo Romano paritis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam.] Communis vero lectio, vt ex Græco habetur, talis est: Antiqui mores qui sunt in Aegypto, Lybia, & Pentapoli obtineant, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quoniam & Romæ Episcopo hoc est consuetum. Similiter autem & in Antiochia, & in alijs Prouincijs, priuilegia seruentur Ecclesijs.]

[c] *Apud Baron. to. 3 an. 325. n. 126. & Alij. Cap. Dist. 1.*

XX. Ex priori quidem Lectione, *inquit Baronius*, illud significatum fuisse videtur, quod ex Romanæ Ecclesiæ Primatu subortum fuerit, vt Aegyptus sedem habeat, & Primatem Episcopum; ac inde euenisse, vt Episcopus Alexandriæ, omnium Ecclesiarum, quæ sunt in Aegypto, quæ continet Lybiam, & Pentapolim, habeat potestatem; quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo: redditur enim causa, vt Episcopus Alexandrinus, qui à Romano, nempe à Petro per Marcum Primatum obtinuit, habeat totius Prouinciæ Episcopos sibi subiectos; quoniam sic fuit moris Romano Episcopo illi concedere. In idipsum recidit Dionysij editio, vt demonstretur ex Romanæ Ecclesiæ Primatu, pendere ac firmari Primatum Episcopi Alexandrini.] Hæc Baronius; nec dissimiliter Bellarminus.

XXI. Verum, ac planum, eundemque quomodocunque legatur ex tribus modis supra positis,

A tis, hic textus, Canonis sensum iam expoſui; & ne vmbram quidem illum habere horum, quos Baronius imaginatur sensuum, quiuis Grammaticis mediocriter tinctus rudimentis facilè obseruabit. Et falsum est Patriarchales in Oriente sedes, a Romana Ecclesia ortum habuisse, vt pluribus probaui lib. 3. cap. 10. Sed demus obsecro Primatum Alexandrinum a Petro per Marcum fuisse institutum; quid sibi vult Canon dum ait; quod Romana Ecclesia semper Primatum habuit? Quomodo hæc verba significant Alexandrinam à Romana Primatum obtinuisse? & esto obtinuerit: quomodo ratio illa redditur; Alexandrinum debere potestatem habere Aegypti, Libyæ, & Pentapolis; quoniam etiam Romano Episcopo talis sit consuetudo? Glossat ista Baronius: Quoniam, *inquit*, Romano Episcopo sic fuit moris Alexandrino concedere.] Sed hic sensus est à verbis Canonis alienissimus; neque illum vlla ratione ferre possunt. Si hic sensus esset in Canone, dicendum fuisset, Alexandrinum debere illis se regionibus continere, quoniam sic ei à Romano Episcopo Petro fuit præscriptum, seu concessum; non quia id moris sit Episcopo Romano ei concedere. Morem enim esse aliquid fieri, significat vsus continuationem, non rei institutionem; & violenter Episcopi præsentis nomine Petrus intelligitur: Canon enim de Episcopis, qui tunc Ecclesias regebant, loquebatur.

B

Ac propterea Nicolaus primus, qui summopere ex Nicænis Canonibus cupiebat suum Primatum notum reddere; non vidit in illo Canone hunc Baronij sensum, sed agnouit planè eo Canone exemplum à Romano sumptum dari etiam Alexandrino, & Antiocheno: [a] Denique, *inquit*, si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, inuenietur profecto, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum; sed potius ex eius forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum.] Patriarchalium profectò sedium institutionem à Concilio Nicæno factam, ego quoque supra negaui lib. 3. cap. 2. num. 4. & eo sensu hunc Canonem paulò superius accepi, vt non quidem (quod vult Nicolaus) Alexandrina sedes priuilegio aliquo nouo decoretur; sed ne insolescat; & vltra quam ex sua prisca consuetudine debet, se extendat: atque ad hanc modestiam, & obedientiam, exemplo Romanæ permouetur. Si enim Romana Ecclesia in Vrbe Imperiali totius mundi dominatrice, proprios, & forsasse satis angustos terminos habebat, vltra quos potestatem Ecclesiasticam non protendebat, quia non poterat iustè, nec debebat; quanto magis (innuit Canon) debet Alexandrina & Antiochena, & aliæ Metropolitanæ suis quæque limitibus sese continere? Atque ita licet Concilium Nicænum non assignet tunc primum limites Ecclesijs Patriarchalibus; eos tamen replicat, iam consuetudine ipsa assignatos Alexandrino & Antiocheno, ne excedant: supponit verò etiam Romanum proprios ex eadem consuetudine habere limites; neque eos nominat, quia tunc Romanus omnium obseruantissimus in hoc nihil peccabat. Vtinam ne nunc quidem! Sed heu nimium excessit.

C

D

XXII.

a *Nicol. ep. 8.*

Eundem sextum Nicænum Canonem, Bellarminus quoque non parum aliunde exagitauit; rationemque illam Canonis: Quoniam talis Episcopo Romano est consuetudo; explicat eodem sensu, quo Baronius; nimirum Alexandrinum debere gubernare illas Prouincias, quia Romanus Episcopus ita consueuit: id est; [b] Quia, *inquit*, Romanus Episcopus, ante omnem Conciliorum definitionem, consueuit permittere Episcopo Alexandrino regimen Aegypti, Lybiæ, & Pentapolis.] Sed & addit: siue consueuit per Alexandrinum Episcopum, illas Prouincias gubernare.] Et sic Canonem hunc interpretatum esse asserit Nicolaum primum in Epistola ad Michaelem. Ad Petrum non se reducit vt Baronius. Concilium tamen non loquitur de præterito iam antiquato, quod talis fuerit olim consuetudo ante Conciliorum definitionem; sed de præsenti, & de consuetudine adhuc vigente, nec interrupta: quoniam, inquit, ea est Romano Episcopo consuetudo. Papam verò per alios, quali per suos Vicarios, & ministros, remotas Ecclesias regere, docui lib. 2. cap. 5. & 6. esse falsissimum: omnes enim Episcopi, iure Diuino, suam ipsorum propriam habent ex æquo potestatem; neque indigent concessione, aut permissione, aut delegatione Papali. Estque insulsa ratio, si dicas; Alexandrinus debet se tribus illis Prouincijs solis continere; quia Romanus Episcopus consueuit illas per Alexandrinum regere. Si enim Cyprum quoque, exempli gratia, arriperet Alexandrinus, semper se excusare posset, se etiam Cyprum nomine Romani Pontificis gubernare; & sic de alijs. De Nicolao iam satis dixi: & miror quomodo Bellarminus ausus sit illi eam affingere interpretationem, de permissiua, vel deputatiua Alexandrini gubernatione.

E

XXIII.

b *Bellar. de Ro. Pont. l. 1. c. 13.*

Obiectiones Bellarmini, quas facit expositionibus Rufini, & Balsamonis, quia nostræ etiam

XXIV.

etiam expositioni dicti sexti Canonis videntur obesse, soluendæ sunt. Eæ vero sunt huiusmodi. Prima: Quomodo credibile est Romano esse assignatam angustissimam regionem, nimirum suburbicanarum tantum sex Episcopalium viciniſſimarum Ecclesiarum; aliis vero Patriarchis ampliſſimam? Secunda: Neque est bona ratio vt Alexandrinus curam propterea gerat trium Prouinciarum, quia Romanus curam gerit suburbanarum. Tertia: Neque in vlla editione illius Canonis legitur suburbanas tantum Ecclesias Romano Episcopo datas. Quarta: Similiter bona ratio non est, si dicas, propterea Alexandrinus curam gerat trium tantum Prouinciarum, quia Papa habet curam totius Occidentis: sed bona esset si diceret totius Africæ potius, seu totius Aegypti: aut cur Alexandrinus, & non Carthaginensis, *inquit*, aut aliquis alius istam curam habebit?] Respondeo ad primam, Euangelium prius in partibus Orientalibus optime inualuisse, & postea in Occidentem peruenisse; ideoque plures regiones erant Christianæ in Oriente, tempore Canonis, quam in B Occidente. Quid mirum igitur si latius se extenderent Patriarchatus Orientales, quam Occidentales? Addo vt supra, suburbicarias regiones, non solis sex viciniſſimis Episcopatibus contineri, sed tribus Præfecturis, vltra quartam, quæ erat Vrbana; & facile posse totam Italiam dici suburbanam. Ad secundam: consecutio talis in eo Canone est ponenda: Romanus suis limitibus certis continetur, ergo & Alexandrinus, & Antiochenus debent certis suis limitibus coerceri, siue latioribus, siue angustioribus, nihil refert. Ad tertiam: explicatio semper continet id quod non est in textu; sed confert ad declarandum textum; nam si esset in textu, explicatio extra textum non esset quærenda. Ad quartam: Bona ratio est huiusmodi: Papa non excedit suos limites; etiamsi hi totum Occidentem comprehenderent: ergo neque Alexandrinus, neque Antiochenus suos, quanticunque illi sint, debent excedere. Ponitur autem Alexandrinus, & non Carthaginensis; quia iam consuetudo Alexandrino, & non Carthaginensi, aut alij, tribuerat illas, & non alias Prouincias. Et C Nicænum Concilium, lege data, firmat eas, quæ iam inoleuerant consuetudines, vt tradidi etiam lib. 3. cap. 2. Manet ergo optime confirmatum ex Nicæno sexto Canone, Romanam Ecclesiam non nisi particularem; & vnam ex Patriarchalibus, non supra Patriarchales numerari. Imo & perinde hoc Canone obligari Romanum Pontificem ne extra suos limites euagetur, atque obligatur Alexandrinus, & cæteri, & explicat, & præcipit [a] Octaua Synodus generalis: vt posui lib. 3. præcedenti cap. 10. num. 26. iam vlterius ostendo Romanam Ecclesiam esse duntaxat particularem.

a *Oct. Syn. gen. can. 14.*

XXV. Symmachus Pontifex Romanus, dum in suam sedem à qua deiectus fuerat restituitur; ius in [b] Ecclesias suæ sedi subiectas, à Synodo ipsum autoritate Regia restituente, recipit, vt habes infra cap. 8. num. 41. huius. Hadrianus Papa, restitutiones aliquas à Constantinopolitano Imperatore postulat: inter has; [c] Consecrationes, *inquit*, Episcoporum, siue Archiepiscoporum, sicut olitana constat traditio, nostræ Diœcesis existentes, penitus ca- D nonicè nostræ restituantur Ecclesiæ.] Et rursus de eadem restitutione ab Imperatore petita agens, hæc habet: [d] Si enim vbique Christianorum Ecclesiæ Canonicæ, intactas suas possident Diœceses; quanto amplius sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, sua Diœcesi, videlicet Archiepiscoporum & Episcoporum; imo & patrimonia pro luminarium concinnatione, atque alimonijs pauperum, irrefragabili iure, & tenere, & possidere modis omnibus, debet?] Ingenue igitur fatetur Hadrianus, se propriam & peculiarem habere Diœcesim, cuius solius Archiepiscopi & Episcopi, ad ipsius spectent consecrationem; irrefragabileque & intactum debere esse ius cuiuscunque Patriarchæ, & Metropolitani. Romanam vero Ecclesiam, etiam in Oriente, habuisse aliquando Ecclesias ad ipsius ordinationem pertinentes, iam supra innuebam cap. 11. num. 31. & ex his Hadriani dictis constat. Vt propterea non solis suburbicarijs regionibus Romana hæc propria Diœcesis sit perpetuo restringenda. Sed nihilominus, E certus fuit numerus certarum Ecclesiarum, ad Romanam Metropolim pertinentium; vt inferius videbimus. Non ergo prætendit Hadrianus ius consecrandi & ordinandi omnes Episcopos, sed eos tantum qui ad suam de iure & consuetudine spectent Diœcesim. Hoc est prouinciam.

b *Syn. 4. Rom. sub Sym.*

c *Hadr. ep. 1.*

d *Idem ep. 3. ad fin.*

XXVI. Igitur tempore Concilij Nicæni, par est credere, suburbicarijs tantum regionibus circa Romam, Romanam Prouinciam, vt explicat Rufinus, constitisse. Postea vero casu aliquo, alioue priuilegio, alias Ecclesias non suburbicarias, sed remotiores, etiam Orientis, fuisse Romano Pontifici ad consecrandum aggregatas, de quo infra cap. 12. num. 16. 17. Vidimus suprà inter Romanum & Constantinopolitanum Pontifices, diu certatum fuisse,

A fuisse: [a] ad vetus Diœcesim, & ordinationem spectaret Bulgaria; & Luitprandus à Polyeucto Patriarcha Constantinopolitano, [b] supra narrabat, Hydruntino Episcopo ab eo facto Archiepiscopo assignatos esse quosdam Suffraganeos, [c] qui ad consecrationem, *inquit*, Domini Apostolici pertinere videntur.] Adhuc igitur Dominus Apostolicus proprios habebat certos Episcopos (non verò omnes) qui ad eius pertinerent consecrationem. Et antea Florus, de Romanis Pontificibus, ait, [d] Qui etiam omnium regionum, & ciuitatum quæ illi (*Romanæ Ecclesiæ*) subiectæ sunt, iuxta antiquum morem, eadem libertate ordinant, atque constituunt Sacerdotes.] Et Gregorius 7. statuit; [e] Vt nulli Episcopi prædia Ecclesiæ in beneficium tribuant, sine consensu Papæ, si de sua sunt, *inquit*, consecratione: cæteri autē sine consensu Archiepiscopi sui, &c.] Ecce Papa fatetur ad suam consecrationem certos, suæ nimirum Prouinciæ, & non alios pertinere Episcopos.] Et Gregorius 9. [f] suos se

B habere peculiares Suffraganeos apertè profitetur. Innocentius etiam tertius, [g] Prouinciam propriam Romanam, inter Capuanam, & Pisanam ponit.

Quid plura? ex ipsa pharetra Vaticana habemus spicula, quibus abusus magnus Romani Pontificis, contra hæc tam clara Ecclesiarum iura, & priuilegia inolitus confligatur. Antiquus satis ante annos 550. Romanæ Ecclesiæ status, habetur ibi descriptus. In qua tunc erant Episcopi Cardinales collaterales Papæ septem: & insuper alii 62. qui nullum alium habebant supra se Archiepiscopum, aut Metropolitanum, nisi immediatè ipsum Romanum: erantque in his Prouinciis, videlicet, in Campania, in Marsis, in Tuscia, in Vmbria, & Marchia, sic enim scriptum reperitur. [h] Insuper præter septem collaterales Episcopos, erant alii Episcopi, qui dicuntur Suffraganei Romani Pontificis, nulli alii Primati, vel Archiepiscopo subiecti, qui frequenter ad Synodos vocarentur. In Campania Liburtinus, Anagninus, Signinus, Ferentinus, Alatrinus, Verulanus, Soranus, Fundanus, Caietanus,

C Terracinus. In Marsis sunt hi, Furconensis, Marsicanus, Valuensis, Teatinus, Pennensis, Aprutinus. In Thuscia sunt hi, Nepesinus, Sutrinus, Ciuitensis, Hortanus, Balneoregiensis, Vibenetanus, Viterbiensis, Castrensis, Suanensis, Clusinus, Perusinus, Castellanus, Aricinus, Grossetanus, Volaterranus, Senensis, Lucanus, Pistoriensis, Florentinus, Fesulanus, Lunensis. In Vmbria, & Marchia, Spoletum, Assisium, Fulginas, Nucerinus, Eugubinus, Reatinus, Tudertinus, Amerinus, Narniensis, Interamnensis, Esculanus, Firmanus, Camerinensis, Auximanus, Humanus, Anconitanus, Exinus, Senogallensis, Fanensis, Pisaurensis, Forosempronensis, Callensis, Vrbinas; Ariminensis, Ferentanus.] Hi omnes ad Romani Episcopi ordinationem immediatè spectabant: & Romana Metropolis has omnes Prouincias continebat. Vnde & in electione [i] Anacleti, cum Innocentio secundo concurrentis, numerantur tanquam ordinarij Papæ electores, etiam aliquot Epi-

D scopi, qui dicuntur esse Episcopi Romanæ Ecclesiæ Suffraganei. At si Romana Ecclesia est vniuersalis, cur non omnes Episcopi totius mundi, ad ipsius spectabunt ordinationes? cur ipsius potestas extra ipsius Prouinciam euagari non permittitur?

Athanasium tamen huic probatissimæ veritati obiiciunt nostri Monarchici, de Arianis dicentem; [k] Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt; nulla reuerentia ducti, quod sedes illa Apostolica esset; vel quod Roma Metropolis esset Romanæ ditionis.] Glossat hæc Baronius subdens; [l] nempe, Romanam Ecclesiam esse Metropolim totius Romani Imperij Ecclesiarum.] Sed si Athanasius hoc sensu loqueretur, ne ille imperitorum imperitissimus esset, qui ad pacem Ecclesiarum recens habebat Nicænum Statutum; in quo, non ad vnicum Ecclesiæ constituendum Dominum ac tyrannum, sed ad plures Patriarchas, & Metropolitanos corroborandos, diuisio facta, aut stabilita fuit Prouinciarum, Romani quoque Imperij sub suo vniuscuiusque proprio, & supremo præside. Itaque reuerentiam Romæ debitam, ex duplici capite innuit Athanasius: primum, quia ibi sedes est Apo-

E stolica; deinde quia vrbs ipsa sæculari dignitate caput, & suprema Metropolis est totius Romani Imperij. Ex qua sæculari dignitate Ecclesia quoque Romana, non quidem dominium in alias Ecclesias, sed magnam nihilominus assecuta est, vt ostendam inferius, dignitatem. Nec interea vidit Baronius hanc ipsius glossam Monarchiam Romanam Ecclesiasticam destruere. Si enim Romanę Ecclesię Ecclesiastica potestas extra Romanum Imperium, teste Athanasio, non extenditur; cur Papam facimus omnium Christi Ecclesiarum totius mundi Monarcham? Tunc profectò extra Romanum Imperium, fides Christi in multis vigebat regionibus. Nam, vt ait Prosper; [m] Gratia Christiana non fuit contenta eosdem limites habere quos Roma; multosque iam populorum sceptro Crucis Christi illa subdiderat, quos armis suis ista non domuit; quæ tamen per Apostolici Sacerdotij

[a] Ioan. 8 Ep. 78. 79 174. 192. 201. 251.
[b] Supra l. 3. c. 11. nu. 31.
[c] Apud Baron. tom. 10. an. 968. n. 60.
[d] Apud Baron. in append. tom. 12. ad an. 813.
[e] Greg. 7. l. 6. post Ep. 9.
[f] De maior. & obed. c. Dilecti fili.
[g] De off. Vicar. c. Sua nobis.

XXVII.

[h] Apud Baron. tom. 11. an. 1057. n. 24.

[i] Apud Baron. tom. 12. an. 1130.

XXVIII.

[k] Arian. ad solitar.

[l] Baron. tom. 3. an. 355. n. 21.

[m] Prosper de vocat. gent. l. 2. c. 6.

Principatum, amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.] Nunc verò Romanum Imperium, aut nullum, aut vix vllum est. Itaque Baronius fateri cogitur, ex sæculari potentia, Romanæ Ecclesiæ pendere dignitatem. His ad extremum adde ea, quæ ad probandum inter omnes Patriarchas, etiam Romano incluso, paritatem, fusius lib. 3. cap. 10. n. 32. & seq. disputaui. Romana enim Ecclesia, etiam vt Patriarchalis, vniuersalis non est, sed partialis, vt ibidem feci manifestum; imo quia Patriarchalis, est, ideo partialis. Scias verò etiam Theodorum [a] Studitam sæpius Romanum Pont. vocare Patriarcham Occidentis. Huiusmodi restrictiuæ vniuersalitati plurimum obsunt.

a *Apud Baron. to. 9. an 821. n. 77. & an 823 n. 14.*

XXIX.

Ambrosius, de die celebrandæ Paschæ scripturus; [b] Post Aegyptiorum, *inquit*, supputationes, & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ per literas pleriq; meam adhuc expectant sententiam, quid existimem scribere de die Paschæ.] Nunquid plures tunc Papæ in Ecclesia Romana sedebant? Certè Episcopos Ecclesiæ Romanæ intelligit aliquos qui illi Ecclesiæ subditi essent; nimirum iure Metropolitico. Et si illi duntaxat sunt Episcopi Romanæ Ecclesiæ, certe alij, & ipse Ambrosius, non sunt Episcopi Ecclesiæ Romanę: Ecclesia ergo Romana non habet sub se omnes Episcopos; Sed aliquos tantum. Et si illa propter Papatum omnes Episcopos haberet subiectos, iniuriam ei faceret Ambrosius, dum aliquos tantum Episcopos facit Romanæ Ecclesiæ Episcopos; nempe ei subiectos. Sic Gregorius in sua Synodo, [c] Episcopos Romanæ Ecclesiæ conuenisse asserit. Et Rauennati Episcopo committit curam Episcoporum, ad Romanum ipsum Pontificem pertinentium; [d] De Episcopis verò, *inquit*, ad nos pertinentibus, qui tamen huc pro interpositione hostium venire non possunt, curam vestra fraternitas gerat.] Martinus ad Orientales Synodaliter rescribens ait, [e] Nos verò, id est huius Apostolicæ sedis Pontifices, ad custodiam domus peruigiles, &c.] *Item*, Multorum religiosorum Sacerdotum — non vtique solum nostris, siue huius Catholicæ sedis Pontificum exhortationibus, & obtestationibus admoniti, &c. Intelligit suos Episcopos suffraganeos, quibuscum Synodum celebrarat. Et Leo 2, [f] De Concilijs, *inquit*, huic S. sedi subiacentibus, Archiepiscopi sunt à nobis destinati, &c.] Antiquissimis etiam temporibus, sub Imperatore Aureliano, Romana Ecclesia habebat proprios Episcopos suffraganeos. Aurelianus enim [g] domum quandam Ecclesiasticam, orta lite, ijs tribuendam esse decreuit, quibus Christiani Italiæ, & Vrbis Romæ Episcopi, per literas tribuendam esse perscriberent. Hi procul dubio sunt Romanæ Prouinciæ Episcopi; Et in accusationibus Ioannis 12. Papæ, Romanos Pontifices (hoc est Romanæ Metropolis suffraganeos & Cardinales, Presbyteros, ac Diaconos ponit [h] Luitprandus lib. 6. cap. 7. Romana igitur Ecclesia, certos ac determinatos habet Episcopos ei subiectos; & non omnes qui in toto sint Orbe.

b *Amb. ep. 83.*
c *Synod. Greg. sub Maurit.*
d *Greg. l. 2. Ind. 10. ep. 32.*
e *Martin. ep. 1.*
f *Leo 2. ep. 2.*
g *Euseb l. 7. c. 24.*
h *Apud Baron. to. 10. an. 963. num. 13. 21.*

XXX.

Aequalitas summa, quæ iure Diuino est inter omnes Episcopos, etiam Romano incluso, de qua egi lib. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 1. Romanam quoque Ecclesiam parem facit cum cæteris quibuscunque particularibus; & si quod habet supra alias priuilegium, id totum iure habet Ecclesiastico, non Diuino; vt iam est ostensum lib. 3. & in hoc ostendetur. Hinc sane est quod Cyprianus, patentissima æqualitate, & se Episcopum cum Cornelio Romano, & suam Carthaginensem Ecclesiam conferat cum Romana. [i] Nam cum, *inquit*, nobis & Ecclesia vna sit, & mens iuncta, & indiuidua concordia, quis non Sacerdos in consacerdotis sui laudibus, tanquam in suis proprijs gratuletur?] Et, Nouati scelera ex circunstantia loci grauiora reddens, qui nimirum Romæ grauiora patrare voluerit, vbi Episcopum, quam Carthagine, vbi Diaconum aduersus Ecclesiam facere voluerit, ait: Plane quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic maiora, & grauiora commisit; qui istic aduersus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit.] Si Romana Ecclesia præcederet, aliqua Ecclesiastica, de iure præsertim Diuino, prærogatiua Carthaginem, aliter quam ratione magnitudinis Romam cum Carthagine Cyprianus comparasset; contulit tamen in sola magnitudine, scilicet temporali, & eo respectu illam Carthagini prætulit. Atque eandem Carthaginensem Ecclesiam Augustinus quoque, contulit cum Romana à pari, vt habes supra lib. 2. cap. 6. num. 13. & lib. 3. cap. 1. num. 4. Gregorius quoque Carthaginensi Episcopo scribens, eandem paritatem plane confitetur; laudans enim charitatem: [k] Per hanc, *inquit*, vniuersalis Ecclesiæ vnitas, quæ est compago corporis Christi, exæquatione mentis gaudet in singulis; cum sit ei disparilitas in diuersitate membrorum. Per hanc eadem membra, & alieno gaudio in suis afflicta exiliunt; & alienis mæroribus etiam in suis læta contabescunt. Teste enim magistro gentium, dum, [l] Si quid patitur vnum membrorum, compatiuntur cætera membra: & si gloriatur vnum membrum

i *Cypr. l. 1. ep. 1.*
k *Greg. l. 2. Ind. 10. ep. 39.*
l *1. Cor 12.*

A membrum, congaudent omnia membra; vos non ambigo de nostra perturbatione ingemiscere, cum nos omnino certum sit de vestra pace gaudere. — Per charitatis quippe compagem, & tua sunt quæ de me loquor; & mea quæ te agere concupisco.] Quid aliud hic habemus, nisi Romanam æque ac Carthaginensem Ecclesiam esse vnicum partiale membrum totius corporis Ecclesiæ vniuersalis? Neque enim vnitatem ponit Gregorius in obedientia reliquarum Ecclesiarum ad suam Romanam, vt solent hodierni; sed in charitate, mutuoque amore, & studio inuicem congaudendi, & compatiendi, in quo magna apparet æqualitas. His adde Bedam, qui [a] Romanam Ecclesiam vocat primum in toto Orbe Pontificatum; si primus, ergo distinctus à secundo, tertio, quarto, &c. Et hæc primitas non est nisi dignitatis, & ordinis.

[a] Beda Hist. Anglic. l. 2. c. 1.

[b] Origenes scribit, se Romam propterea iter suscepisse, quod sibi admodum erat in optatis, Ecclesiam Romanam plane antiquissimam visere.] Maximum igitur Romanæ Ecclesiæ decus, Origenes in ipsius antiquitate situm esse censebat. Cur non dixit sibi in optatis esse, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum dominam visere? Sic Hieronymus Romanas laudes complexus ait: [c] Est quidem ibi sancta Ecclesia; sunt trophæa Apostolorum & Martyrum; est Christi vera confessio; est ab Apostolo prædicata fides, & Gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum: sed ipsa ambitio &c.] Et quis locus opportunior ad commemorandum primatum Romanæ Ecclesiæ quàm iste? cur non potissimum dixit; est ibi sedes supremi Christi Vicarij, & Vice Dei; est super totam Ecclesiam Christi principatus? Quia nil tale Hieronymus in Ecclesia Romana agnoscebat. Idem dico de Chrysostomo; qui & ipse multas colligit laudes [d] Romæ temporales; quibus opponit maiores Ecclesiasticas, & spirituales: de Primatu tamen ne verbum quidem.

XXXI.

B

[b] Apud Euseb. lib. 6. 12.

[c] Hieron. ep. 17. 18.

[d] Chrysost. hom. 32. in cap. 16. ad Rom.

C Ex concertatione inter Romanam & Constantinopolitanam Ecclesiam, pro subiectione Bulgariæ, (quam habes supra lib. 3. cap. 12. num. 13.) optime etiam confirmatur hæc Romanæ Ecclesiæ particularitas; vt sit vna ex Patriarchalibus, cum suo limitato Patriarchatu. Eodem sæculo inscriptum Stephano 6°. Epitaphium his versibus:

Hic tumulus Sexti sacratos continet artus
Præsulis eximij, Pontificis Stephani:
Bis ternis annis populum qui rexit, & vrbem,
Et gessit Domino quæ fuerant placita.

XXXII.

Nisi ære aut marmore insculpta sint illa carmina, credo hodiernos nouarum in libris, monumentisq; editionum fabros, facili mutatione, pro *Vrbem* posituros *Orbem*, ac antiquam lectionem Indicis expurgatorij verriculo abrasuros. Cum scilicet à Papa Oecumenico totius Ecclesiæ Pastore Vrbem vnicam gubernari exilis sit honor, planeque qui Sepulchro

D ostentetur, indignus. Mitto alia argumenta occasione Primatus Romani Pontificis inferius cap. 8. tractanda; & venio ad obiectiones.

Obijcient mihi in primis dicta Cypriani, quibus ille videtur Romanæ Ecclesiæ agnoscere Principatum. De Donatistis suis Africanis, ait; [e] Nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem; vnde vnitas Sacerdotalis exorta est; à schismaticis & profanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est; ad quos perfidia habere non potest accessum.] Quia tamen Cyprianus totus est nobiscum, vt iam vidimus, sibi ipsi contrarius nunquam erit. Considerauit igitur fidem Christianam ex Oriente in Occidentem primum Romam peruenisse; ibique Petri & Pauli Principum Apostolorum prædicationibus, egregiè fuisse firmatum; indeq; in reliquum Occidentem, atque etiam in Africam, disseminatam; adeo vt nulla esset tunc Ecclesia in Occidente, quæ si orthodoxa esset, cum Romana fide non conueniret; & pro-

E batio fidei cuiusque Ecclesiæ ad ipsam Romanam, tanquam ad Lydium lapidem examinanda perferretur; vt inde Ecclesiæ omnes fidem discerent, vnde primum suum ortum habuerant; & omnes pariter ideo in vnitatem conuenirent, quia omnes Romanæ æque consentirent, iuxta illud Geometriæ axioma: quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia: quod alij in Philosophia sic vertunt: quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

XXXIII.

[e] Cypr. l. 1. ep. 3.

Atque hinc Cyprianus Romanam Ecclesiam vocat principalem, quia prima est in Occidente, à maximis Apostolis fundata, & ab ea cæteræ: & vnitatem, ait, Sacerdotalem inde exortam, quia Episcopi omnes Occidentales, ea tanquam communi vinculo, & exemplari in vnitate fidei inter se conueniebant, quia cum Romana fide consentiebant. Ideoque, vt audiuimus, Romanæ tunc fidei puritatem, vel maximè extollit. Ista porrò

XXXIV.

Primatum Iurisdictionalem in Romana Ecclesia nullum ponunt; vt libro septimo adhuc pluribus persequemur. Imò verò Primatum hunc Romanum, à Cypriani mente tunc etiam quando illa scribebat, fuisse remotissimum, facilè quisque aduertit, dum in eadem Epistola, paulò pòst, illum videt in eos excandescere, qui externa vltra mare iudicia Romæ quærebant; quæ in propriis Ecclesijs quæri debuissent: ait enim; [a] Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum; & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, &c.] Principalis igitur illa Ecclesia, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, non nisi portionem suam propriam gregis sibi adscriptam habebat: & alij Episcopi non tenebantur vlli rationem reddere sui actus, in sua Ecclesia regenda, nisi soli Deo: non ergo Romana habebat supra illas Principatum. De his tamen adhuc agam, cap. 8. inferius. Afferunt nostri pro Ecclesia Romana, dicta etiam illa Cypriani, in quibus Ecclesiam quandam vocat fontem, radicem, matricem &c. Sed illa de vniuersali Ecclesia proferri, non de Romana, ostendi lib. 1. cap. 11. num. 17. & l. 3. c. 1. num. 12. 18.

a *Ibidem.*

A

B

XXXV. Obijciunt tamen rursus pro Romanæ Ecclesiæ vniuersalitate eundem Cyprianum dicentem: [b] Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super petram Domini voce fundatą: aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit spargit: adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcunque humano furore instruitur, vt dispositio diuina violetur.] Vnam Cathedram super petram fundatam intelligit Cyprianus Ecclesiam Christi vniuersalem toto orbe diffusam: non intra Romanæ vrbis mœnia coarctatam, vt probant illa quæ de vno altari, & de vno Sacerdotio ab eodem proferuntur, ad excludendas sectas hæreticorum & schismaticorum. Et quæ alibi dicit, nimirum: [c] Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Et Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur &c.] Omnia hæc iam in præcedentibus libris sunt explicata, videlicet lib. 1. cap. 10. num. 17. & lib. 3. cap. 1. num. 14. Quod vero ex Optato Mileuitano potest contra nos proferri, id habes positum & expositum lib. 1. huius operis, cap. 10. num. 18. Romanam porro Ecclesiam esse vnam inter alias, & non vniuersalem supra alias, adhuc melius infra cap. 7. & 8. confirmabo: vbi occasio dabitur iterum atque iterum hoc argumentum resumendi.

b *Cypr. l. 1. ep. 8*

c *Idem de Vnitate Eccles.*

C

XXXVI. Non possum, ex eo quod Ecclesia Romana sit Ecclesia particularis, hic ad finem huius capitis non commemorare, nullam Ecclesiam particularem à Christo esse institutam, quæ cæteris, hoc est toti Ecclesiæ vniuersali sit ex se dux, forma, & norma credendi ac operandi: sed è contra Christus ipsammet Ecclesiam vniuersalem caput, fontem, & radicem constituit singulis Ecclesijs particularibus; ita vt spiritus siue anima per totum corpus diffusa, det vitam, motum, & robur singulis membris; nullum enim reuera membrum vt membrum, & pars materialis est, toti corpori vitam dat, roburque & vires subministrat. Ita optimè Tertullianus, [d] Ecclesias omnes ab Apostolis fundatas, vnam illam Ecclesiam facit, & primam ex qua omnes, & vnde cæteræ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur vt Ecclesiæ fiant.] Cyprianus clarius exponit [e] formam Ecclesiæ vniuersalis, quæ in fide & spiritu Christi consistit, informare omnes Ecclesias quotquot sunt particulares, sicut radix dat vitam ramis omnibus eiusdem arboris: sicut fons dat omnibus riuis vt fluant; & sol dat omnibus suis radijs lucem. Christus enim suum spiritum promisit toti Ecclesiæ suæ, non vni singulari & particulari, ita vt quæcunque Ecclesia particularis vnita huic vniuersali, ab ea tanquam à radice, fonte, sole, haurit Christi spiritum, sanctam fidem, & alias instructiones ad salutem necessarias, illa vere viua sit, vere vnita, verè incorporata, verum membrum coniunctum & viuum, toti corpori adhærens. Quæcunque verò Ecclesia particularis ab hac vniuersali ita se separet, vt membrum ipsius nolit esse, neque commembrum cum aliis, (omnes enim Ecclesiæ particulares, vnius & eiusdem corporis membra sunt, & comembra inter se, cuius corporis solus Christus caput est, vt ostendi lib. 1. cap. 1.) illa Christi non sit, sed Antichristi. Ramus profecto auulsus, qui à radice nutrimentum non accipit, arescat necesse est: riuus qui cũ fonte non cohæret, statim & ipse exarescit, & fluere desinit; radius si a sole separetur, totus in tenebras euanescit. Talis est Ecclesia quæcunqi particularis, quæ ab vniuersali pendere non vult, nec ei tanquam membrum coniunctum adhærere. Hoc autem duobus fieri potest modis, vtrobique cum schismate certe turpissimo. Primum siqua Ecclesia se absolutè à tota separet vniuersali, neque velit vlla ratione ei copulari.

d *Tertull. de præscript.*

e *Cypr. de simpl. prælat. supra 63. c. 1. num. 13. & lib. 1. c. 1. num. 17.*

D

E

A ei copulari. Tales olim superbi Donatistæ: ac hodie fanatici Anabaptistæ: & de tali schismate agam lib. 7. Deinde si qua Ecclesia ita se separet à tota vniuersali, vt nolit in ea tanquam in corpore membrum esse, seu cum reliquis commembrum, neque ab ea petat, aut expectet vitam, robur, vitorem, & vigorem; sed velit ex ratione membri & commembri exire, seque supra totam Ecclesiam tanquam caput collocare, cogereque ipsam Ecclesiam vniuersalem vt ab ipsa illa in sua vita, suo robore, suoque vigore pendeat, & accipiat influxum, facit turpissimam, & intolerabilem inuersionem; vt radix fiat ramus, & ramus radix. Talis profectò iandiu est Romana Ecclesia, quæ membrum in corpore Ecclesiæ non vult esse, neque cum aliis commembrum; sed vult [a] radix esse, & caput. Cùm tamen ipsa neque radix sit, neque caput, sed sit duntaxat ramus vnus huius magnæ arboris, sed ramus qui radicem aliam, nisi se ipsum nolit habere, atque ita de vera radice nihil participet; cùm B sit riuus, qui tamen fontem deseruerit, vt se fontem faciat, aut compresserit; cùm radius sit, & à Sole pendere nolit, vt sibi Solis locum vanissimè vsurpet; ramus erit præcisus, aridus, ad comburendum; riuus sine fonte turbidus, siccus, & cœnosus; radius à Sole abscissus, totus tenebrosus, ac euanidus. Imò ipsam esse constat perfectissimè schismaticam, quæ se à corpore Ecclesiæ vniuersalis tunc abscidit, quando membrum ipsius esse recusauit: & quod peius est, & schismati addit tyrannidem verè Antichristianam, caput se contra Christum, qui solus, & verum suæ Ecclesiæ caput est, constituit. Verum inquam, & proprium caput se ipsa constituit, quia vult ipsa esse radix, fons, Sol, à qua tota Ecclesia sumat vitam, nutrimentum, vigorem, motum, splendorem, &c. ipsa verò omnino renuit ab Ecclesia vniuersali ista sumere; imò ipsam vniuersalem, hoc est, reliquas omnes Christi Ecclesias, vel à se abscondit, & abijcit, vel eas sibi subijcit, & sub pedibus conculcat. Caput sanè facta, sed caput assutum, caput personatum, caput adulterinum. Sicut si pes vellet à corpore abscindi, vt supra caput collocetur, & capiti, ac toti corpori dominetur. Sic miser periret, & putresceret. C

a Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 16. Supra l. 3. c. 1. n. 12. & 18.

[b] Duo mala fecit populus meus, *ait Dominus*, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ; ac foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.] Sic tot nostræ miseræ Ecclesiæ, ab Ecclesia schismatica, luciferiana, & Christi sanctam Ecclesiam, Antichristiana persecutione, opprimente, fidem, spiritum, veritatem, disciplinam expectant, petunt, accipiunt; cui Dominus suum spiritum, neque promisit, neque dedit, nisi quatenus ipsa à tota Ecclesia vniuersali illum vitali participatione hauriat, & accipiat; & ad cisternam dissipatam, lutulentam, totam putridam pro aqua confluunt: fontem verò aquæ viuæ, quem Christus in tota sua Ecclesia posuit, quenque patres perpetuò agnouerunt, & ad quem omnis Ecclesia sibi confluendum esse perpetuò putauit, derelinquunt, obliuioni tradunt, contemnunt: Vnde necessariò sequitur, eas pariter cum illa sine radice marcescere, sine Sole obscurari, & sine fonte exsiccari; fœdissimoque schismate à vera sancta Christi Ecclesia separari. Quicunque profectò vel mediocriter sapit, quandiu Romana Ecclesia membrum totius Ecclesiæ vniuersalis ab ea dependens penitus, & ab ea vitam, & nutrimentum, & formam sumens, recusat esse, abijcere eam debet tanquam membrum putridum, & ab ea se longissimè separare. Vnitas tenenda est, quis dubitat? Vnitas tamen cum illa Ecclesia, quæ est corpus Christi, non cum illa, quæ, cùm dedignetur esse membrum, & toti corpori velit præesse, eique formam dare, à quo solo ipsa & motum, & vitam, & formam debet sumere, in corpore Christi non est: & cùm in corpore Christi non sit, de Spiritu Christi participare non potest, vt docui cum Gregorio supra lib. 1. cap. 1. num. 6. atque hinc est quod misera Spiritu Christi destituta, ad sola temporalia tota sit conuersa. Consilijs merè humanis regatur, & fluxis ac transitorijs se ingurgitare satagat bonis. Cùm itaque ipsa Romana Ecclesia foris, non intus sit, quia membrum corporis Christi renuit esse, nec de illius, sed de proprio materiali spiritu viuat; qui ab ea recedunt, vt sint in corpore illo, extra quod ipsa est, foris non sunt, sed intus: imò quia foris cum ipsa erant, ab ea diffugiunt, vt sint intus: Illius tamen pestifero fumo oculi multi obducti, & perstricti hæc non cernunt. Adsit, oro, diuini splendoris radius mentibus iandiu occæcatis, vt ista cernant; & relictis cisternis dissipatis, fontem ipsum, vbi verè est, & vbi in Christo est collocatus, quærant; indeque limpidissimas hauriant, & potent aquas defœcatæ Veritatis. D E

XXXVII. b Hierem. 2.

CAP. III.

Ecclesiam Romanam legitimas aliquas habere prærogatiuas.

Summa Capitis.

Romana Ecclesia ex Apostolica cultura habuit primùm, vt esset mater multarum Ecclesiarum, num. 1. Et ad hoc ei plurimum inseruiuit Romani Imperij in ea Vrbe residentis potestas, & maiestas, à num. 2 ad num. 7. In hac tamen maternitate, Hierosolymitana Romanam superauit, num. 8. 9.

Deinde Ecclesiastica consuetudine ab Vrbis dignitate prærogatiuas adepta est, à n. 10. ad n. 15. Huic consuetudini accedit à Patribus etiam & Conciliis confirmatio, num. 16. 17. 18. 19. ac demum ab Imperatoribus autoritas collata, à n. 20. vsque ad 24.

Enumeratio priuilegiorum, num. 25.

Admonitio ad Ecclesiam Romanam de sua ruina, ex Prophetia Apocalyptica, à numero 26. ad finem.

I. DRimam & maximam Ecclesiæ Romanæ gloriam, illam ego facile asseruerim, quod in ea fundanda, docenda, instituenda, & perficienda, duo primi & maximi laborarunt Apostoli, Petrus & Paulus: addit vt vidimus [a] Tertullianus, & cum ipso Leo, etiam Ioannem; quem supra cæteros [b] diligebat Iesus. Et Clemens libro primo recognitionum Barnabam, ait, Romæ tempore Tiberij, primum prædicasse, quod tamen mihi non videtur probabile. Iidem verò Apostolorum Principes, Ecclesiam hanc sanguine suo, & reliquijs exornarunt. Hinc illa primum obtinuit & præcipuum priuilegium, vt sit sedes Apostolica; imo in toto Occidente fortasse sola; & consequenter mater, & magistra plurimarum Ecclesiarum; omnium (vt arbitror), quotquot sunt in toto occidente; hoc est in tota Europa, ab Illyrico vsque ad vltimas Britannias: in tota Africa; & in partibus Orientalibus, in tota Aegypto, [c] Marco Alexandriam à Petro Roma misso. Omnes enim harũ regionum Ecclesiæ, mihi videntur propagines Romanæ Ecclesiæ; ex qua, tanquã ex promptuario, & Seminario generali, illæ seminatæ sunt, & multiplicatæ; siue viuentibus adhuc Apostolis ipsis, illius primis fundatoribus, qui vel per se, propria excursione, vel per Discipulos ipsorum, salutarem Christi doctrinam per istas sparserint regiones; siue postea quoque, successu temporum, aut immediate ex Romana Ecclesia missi viri Apostolici, plures Ecclesias Christo peperierint; aut mediate, aliarum Ecclesiarum à Romana iam fundatarum opera, & labore, conuersio, & ad Christum reductio facta fuerit populorum.

a Tertull. de præscript. & Leo ep. 86.
b Io. 21.
c Leo ep. 7. & sup. l. 3. c. 12 n. 55.

II. Ad hanc porro Ecclesiarum disseminationem, & fidelium in his regionibus Imperij Romani propagationem, ipsa Romanæ Vrbis dignitas temporalis, & Imperij in ea residentis magnitudo, Diuina disponente prouidentia plurimum inseruiuit; effecitque vt ipsa Romana Ecclesia, tanto facilius, tantoque latius Christi fidem extenderet, & fœcundior prole, mater fieret magna, & magna Magistra filiorum. Magistra sane tuta ex peculiari Apostolico labore: mater verò numerosæ prolis, ex opportunitate Ciuitatis imperantis. Audiamus quæso Patres hac de re mirifice differentes.

III. Euseb. Pamphili: [d] Cæterũ, *inquit*, quis non obstupescat secũ cogitans, atq; animo versans, non humanum hoc fuisse opus, vel ex eo quod nunquam alias sub vno Ro. Imperio plurimæ orbis gentes esse potuerunt, nisi secundum Iesu tempora; nam simul ac ille admirabiliter ad homines venit, atque inter homines versatus est, etiam res humanas ad summum peruenisse contigit, quo primum tempore videlicet Augustus plurimarum gentium Dominus euasit: id verò fuit, cum & Cleopatra capta est, & Ptolomæorum successio Agypto dissoluta: atque ex illo in hunc vsque diem quod ab initio Orbis, & ab ipsa, vt ita dicam, hominum origine steterat, Aegypti regnum euersum est. Ex illo Iudæorum quoque natio à Romanis in seruitutem redacta: Syrorum item, & Cappadocum, & Macedonum, & Bythinorum, & Græcorum, ac denique reliquorum omnium, qui Romano Imperio cessérunt

d Euseb. de demonstrat. Euãg. l. 3. c. vlt.

A serunt. Hoc autem non sine Deo, vna cum doctrina, quæ de saluatore nostro ferretur, introijsse in orbem, quis non fateatur? reputans non facilem Iesu discipulis externarum regionum peragrationem futuram fuisse, si gentes inter se diuisæ discordesque fuissent, neque vllum prorsus, ob multiplices principatus, inter illas commercium: quibus sanè sublatis principatibus, intrepidè iam atque impunè negotium propositum compleuerunt: cum supremus Deus & iter illic expeditum, ac facile compararet: & superstitiosorum in ciuitatibus animos, terrore maioris Imperij cohiberet. Reputa enim tecum parumper, si nulla res impedimento fuisset ijs qui errore colendi multos Deos tenebantur, ne doctrinam Christi oppgnarent, quam multas antehac ciuiles seditiones, & in vrbibus & in agris vidisses, quot vexationes, quot bella non mediocria illa quidem, si superstitiosi illi suæ ipsorum potestatis fuissent, ac penes se ius imperij habuissent? nunc autem hoc quoque supremi Dei fuit opus, maiori quodam terrore supremæ alicuius potentiæ, proprij verbi inimi-

B cos habere iam domitos: id enim proficere in dies, & apud cunctos homines crescere volebat.] Hæc Eusebius; Ambrosij quoque, imo verius Prosperi hac de re luculentam habemus considerationem.

IV.

[a] Cum Apostoli, *inquit*, repleti Spiritu Sancto, linguis omnium gentium loquerentur; conueniebat, excita miraculo diuersi generis hominum multitudo, vt Euangelium Christi in eis qui aderant, totus mundus audiret. Confluxerant autem, sicut scriptum est [b] Parthi, & Medi &c. — audientes eorum linguis prædicari magnalia Dei; quorum testificatio etiam in eas gentes quæ remotiores sunt, longe lateque procurreret. Ad cuius rei effectum credimus, prouidentia Dei, Romani Regni latitudinem præparatam; vt nationes vocandæ ad vnitatem corporis Christi, prius iure vnius consociarentur impietatis: quamuis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma, multosque iam populorum sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit: Quæ tamen

C per Apostolici Sacerdotij Principatum; amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.] Roma itaque occasione sui magni Imperij facta est arx religionis; quia illa ad fidem conuersa, occasio fuit & commoditas, vt ei subiectæ nationes ad eandem fidem conuerterentur; imò etiam non subiectæ; & ab ea tanquam à præcipua arce, & fonte doctrinæ & fidei, tuto discerent id, quod ipsam Apostoli diligentiori cultura docuerant. Scitè autem oppositit Prosper Romæ, arcem religionis solio potestatis; & non solium potestatis Ecclesiasticæ, solio potestatis Imperialis; vt inde instrueremur religione, & non iurisdictione Romanam Ecclesiam eminere. Fuit sanè Imperium Romanum occasio magna dilatandæ, in suis initijs Ecclesiæ, vt Ambrosius verè & pulcherrimè disserit: [c] Tædio, *inquit*, bellorum ciuilium, Iulio Augusto Romanum defertur Imperium, & ita prælia intestina sedata sunt: Hoc autem eo profecit, vt rectè per totum orbem Apostoli mitterentur, dicente Domino Iesu; Euntes docete omnes gentes. Illis quidem etiam intercluſa barbaricis mon-

D tibus Regna patuerunt, vt Thomæ India, Matthæo Persia. Sed tamen quo plura obirent spacia terrarum in exortu Ecclesiæ, potestatem Romani Imperij toto orbe diffudit; & dissidentium mentes, terrarumque diuortia, donata pace composuit. Didicerunt omnes homines sub vno terrarum Imperio viuentes, vnius Dei omnipotentis Imperium, fideli eloquio confiteri.] Prosper verò cecinit:

[d] *Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris*
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet, &c.] Facta est Roma caput pastoralis honoris mundo: quia inde diffusi sunt Pastores in vniuersum pene mundum; vt Leo statim explicabit.

V.

Prosperum & Ambrosium imitatus Leo, eodemque imbutus sensu, dicebat: [e] Vt autem huius inenarrabilis gratiæ, per totum Mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum diuina prouidentia præparauit; — vt multa Regna vno confœderaretur Imperio; &

E citò pernios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis. — Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperij, vt lux veritatis quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite, per totum Mundi corpus effunderet.] Ita & Chrysostomus reddens rationem, cur verisimile sit, fidem Romanorum in totum Mundum fuisse, vt Paulus affirmabat, peruagatam; ait: [f] Neque enim obscura & ignobilis Vrbs erat; verum tanquam in fastigio quodam sita, vndequaque illustris.]

VI.

Sed ante hos, Optatus, eodem ferme respexit, quando Donatum, qui dixerat; Quid est Imperatori cum Ecclesia? obiurgauit, ita scribens; [g] Iam tunc meditabatur contra præcep

ta Apost-

b *Prosper de vocat. gent. l. 2. cap. 6.*
b *Act. 2.*
c *Ambr. in Ps. 45.*
d *Prosp. lib. de ingratis.*
e *Leo serm. 1. de natal. Pet. & Pau.*
f *Chrysost. in ep. ad Rom. hom. 2.*
g *Optat. l. 2. cont. Parm.*

ta Apostoli Pauli, potestatibus & Regibus iniuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. — Non enim Respub. est in Ecclesia ; sed Ecclesia in Respub. est ; id est in Imperio Romano, quod Libanum appellat Christus in Canticis Canticorum, cum dicit ; Veni de Libano sponsa mea, id est de Imperio Romano ; vbi & Sacerdotia sunt, & pudicitia, & virginitas, quæ Barbaris gentibus non sunt ; & si essent, tuta esse non possent.] Et paulo ante : Montem sanctum, qui est Ecclesia, dicit per omnem orbem Romanum caput sub toto cœlo extulisse. Imperatoris itaque, & consequenter Romanæ ciuitatis Imperantis pietatem & religionem, maximo adiumento esse censuit Optatus, ad religionis & pietatis, fideique in toto Imperio propagationem. Propterea Augustinus, in dignitate & amplitudine ciuitatis Carthaginensis, videns periculum totius Africanæ Ecclesiæ inficiendæ, si Carthagine scandalum fieret, de Secundo Tigilitano contra Cœcilianum pacem Ecclesiæ turbante ait, [a] Tanto magis enim timere debuit, ne pax vnitatis violaretur, quanto erat Carthago ciuitas ampla, & illustris, vnde se per totum Africæ corpus, malum, quod ibi esset exortum, tanquam à vertice, effunderet.]

a *Aug ep.* 162.

VII.

Et hinc serio maternitatem nostræ Romanæ Ecclesiæ omnes & extollere, & suspicere debemus, qui sumus ipsius filij : vanam vero, & commentitiam illam maternitatem respuamus, quam ei nostri Monarchici tribuunt ; videlicet ideo eam esse [b] Matrem omnium Ecclesiarum, quia ab eo omnes Episcopi suam habeant ordinationem, & dignitatem : quatenus nimirum à Petro qui fuit primus Romanus Episcopus, Apostoli omnes Episcopalem habuerint ordinationem : & sic omnes Episcopi quotquot non modo à Petro, sed etiam ab alijs Apostolis fuerint per orbem instituti, & consequenter omnes illorum primorum successores, à Romana Ecclesia tanquam prima Matre, hoc est à Petro suam agnoscant ordinationem. Hoc enim esse vanum commentum satis iam probaui in præcedentibus ; Neq; enim Petrus Apostolos ordinauit ; & illi ei fuerunt in toto Apostolatu, toraque quacunque Ecclesiastica potestate penitus æquales : Neque Petrus quicquam tribuit Romanæ Ecclesiæ, quod non multis alijs & ipse, & alij Apostoli tribuerant. Et de hoc plura in sequentibus : Neque Petrus fuit specialis Romanæ Ecclesiæ Episcopus, vt iam probaui. Ex ijs vero, quæ nunc posui, habet ipsa Romana Ecclesia, vt merito vocetur [c] Mater cunctarum Ecclesiarum, seu parens vniuersalis, & altrix ; nimirum earum omnium, quas ego sum paulo ante complexus.

b *Bellarm. de Rom. Pont. l.1. c.23.*

c *Concil. Tribur c.30. & Dist.19.c.in memoriam.*

VIII.

In hoc tamen Maternitatis priuilegio Romanam Ecclesiam Hierosolymitana debet longe anteire. Hæc enim, sicut re vera est, ita & passim vocatur, Mater omnium Christi Ecclesiarum, quia ex ea emissi sunt omnes Apostoli : Atque hoc sensu, ipsa quoque Romana ; imo & omnes quantumuis Apostolicæ, filiæ erunt Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Eam propterea Matrem vocant Patres Concilij primi Constantinopolitani generalis : [d] Ecclesiæ, *inquiunt*, Hierosolymitanæ, quæ est omnium aliarum mater, Cyrillum esse Episcopum ordinatum &c.] Hieronymus : [e] In Hierusalem, *inquit*, primum fundata Ecclesia, totius orbis Ecclesias seminauit.] [f] Matrem Christiani nominis eam vocauit Imperator Iustinus : vt nemo audeat, *inquit*, ab ea sese discernere.] Augustinus vero initium Christi Ecclesiæ ponit Hierosolymis : & applicat illud Psalmi ; Virgam virtuti suæ emittit Dominus ex Sion : hoc est ; [g] Regnum, *inquit*, potentiæ tuæ, incipit à Hierusalem.] Quia [h] Apostoli, *inquit Iustinus Martyr*, Hierosolymis egressi vbique prædicauerunt.] Et rursus Augustinus : [i] Remissio peccatorum, *inquit*, in Christi nomine prædicatur : vbi prædicatur ? per omnes gentes : vnde ? incipit ab Hierusalem : communica huic Ecclesiæ, quare litigamus ? Cæpit enim hæc Ecclesia ab Hierusalem ista terrena, vt gaudeat de Deo in illa Hierusalem cœlesti : ab hac enim incipit, in illa terminat : in illa tota Ecclesia erit, ab ista exordium fidei sumpsit.] Quinimo Paulus ipse, Ecclesias inter gentes collectas, ab Ecclesia Hierosolymitana, ex Hebræis ad fidem Christi conuersis, congregata, initia sumpsisse aperte testatur ; dum charitatem Macedonum, & Achæorum narrat, à quibus eleemosynas collegerat pro Ecclesia, quæ erat in Hierusalem, iuxta conuentionem factam cum Petro ; vt hic in circumcisione, ille vero inter gentes Euangelium prædicaret ; ita tamen vt [k] pauperum memor esset : [l] Probauerunt enim, *inquit*, Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt eorum : nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles ; debent & in carnalibus ministrare illis.] Quia ergo Gentiles Macedoniæ, & Achaiæ, fidem susceperunt ex Hierusalem ad eos delatam ; ideirco, inquit Paulus, debuerunt spiritualia carnalibus compensare. Pauperas porrò fidelium Hierosolymitanorum, inde erat, quod Hebræi cum

d *Apud Theodoret 5.c.9.*
e *Hieron. in Isai. c.2.*
f *Iustin. ad Hormisd. inter Epistolas Hormisd. post ep.71.*
g *August in ps.109.*
h *Iustin. apolog 2.*
i *August. in ps.147.*

k Gal.2.
l Rom.15.

A cum essent, à Magistratibus Hebræis bonis omnibus spoliabantur; vt cum Chrysostomo docui, lib. 1. cap. 12. nu. 40.

IX.

Merito itaque Villelmus etiam Tyrius Episcopus, dum narrat de Synodo quadam facta Hierosolymis; [a] Eam dicit celebratam fuisse in primitiua, & Ecclesiarum matre. [sancta Syon.] Quantum verò ex hoc capite Hierosolyma præcedat Romam, habes fusiorem apud Hieronymum disputationem, in ea Epistola quam scripsit ad Marcellam; in qua latis ostendit Hierosolymam suo adhuc tempore fuisse, veræ fidei, & disciplinæ ecclesiasticę magistram celeberrimam; [b] Longum est, *inquit*, nunc ab ascensu Domini, vsque ad præsentem diem, per singulas ætates currere; qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam; putantes minus te religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in
B illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.] Et in hac comparatione Romæ cum Hierosolymis, ne verbum quidem de Primatu Ecclesiæ Romanæ, in qua resideat Monarcha Ecclesiæ vniuersalis, attigit; profectò tantam eius dignitatem silentio non præteriturus, si eam aliquam agnouisset. Est itaque dignitas non exigua, nec leuis gloria Ecclesijs, à quibus aliæ & fidem accipiant, & disciplinæ Ecclesiasticæ institutionem: iurisdictionem tamen, & imperium nullũ super alias inde consequuntur. Ac certè si hoc nomine mater Ecclesiarũ audiat Roma, iure optimo omniũ auia dicetur Hierosolyma. Prærogatiua itaq; hæc pariendi filias, & eas docẽdi, atque instruendi, non est solius Romanæ Ecclesiæ propria, sed in omnibus est sedibus Apostolicis; & propterea licut prærogatiua hæc cæteris, ac præsertim Hierosolymitanæ, primatũ potestatis nullum tribuit, ita neque Romanæ tribuere potest. Sit igitur magistra quandiu recta docet; quandiu Apostolicá doctrinam puram seruat; nec eam mistione imputorũ interturbat liquorum, certè
C domina non erit, neque sola omnium Ecclesiarum despotico dominatu gubernatrix. Instruxit Romana multas Ecclesias, ijsque & fidem tradidit, & disciplinam; sed prima documenta regendæ Ecclesiasticæ vniuersalis disciplinæ, toti Christiano orbi Ecclesia tradidit Hierosolymitana: cuius prima [c] Decreta fuerunt, antequam etiam Euangelia fuissent conscripta, communissima materia Apostolicarum prædicationum; quibuscum initio sancti Apostoli, & Discipuli Domini fidelium cœtus colligebant. [d] Paulus enim perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum. Et; [e] Cùm pertransissent Paulus, & Silas ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus qui erant Hierosolymis.] Et nihilominus Hierosolymitana Ecclesia nullum habuit Primatum; sed subiecta fuit [f] Cæsarienſi: vt toties vidimus in præcedentibus.

a Tyr. de bello sac. l. 15. c. 18.

b Hier. Ep. 17.

c Act. 15.

d Act. 15.

e Act. 16.

f Hier. Ep. 16.

X.

A Petro tamen, imò ab ipso Christo Romanam Ecclesiam Primatum habuisse supra cæteras omnes Christi Ecclesias, contendunt nostri Monarchici, & hoc iure diuino. Sed nos
D iam Petrum æqualem fecimus reliquis sanctis Apostolis, nostro primo libro; neque in eo Primatum hunc inuenire potuimus, qui ei nunc appingitur. Et præterea, Romanam sedem capite primo huius libri ostendimus non esse peculiarem Petri sedem. Et lib. 2. cap. 1. iam probauimus, Petro non dari peculiarem successorem: & in sequentibus vlterius probabo cap. 6. Romanos Pontifices nulla peculiari ratione posse Petro succedere. Ex his igitur, & similibus, quæ deinceps tractabuntur, liquidò constat, & constabit, iure diuino nihil habere Romanam Ecclesiam, quod non habeant singulæ quæque Ecclesiæ; ac præsertim Patriarchales, ex sola tamen consuetudine, & iure humano positiuo, tam Ecclesiastico Conciliorum, quam laico Imperatorum, propter Romanæ Vrbis singularem, sed sæcularem potentiam. Huc enim referendum est, quicquid Romana Ecclesia habet priuilegij supra cæteras, atque hoc ipsum, in hoc capite, potissimùm assumo demonstrandum.

XI.

E Satis profectò ad hoc esse deberent ea, quæ de sexto Canone Nicæno, supra proximè præcedenti capite disputaui, quæque attuli lib. 3. cap. 2. num. 9. & sequentibus, & cap. 10. num. 12. & seqq. Ostendi enim consuetudine primum introductum, vt Episcopi vrbium celebriorum, in suæ Prouinciæ Episcopis ordinandis, & corrigendis, nomine totius Prouincialis Synodi potestatem haberent: quæ vocata fuit potestas Metropolitica. Quam consuetudinem, Nicænum Concilium primum, mox etiam alia Concilia, lege sanxerunt vniuersali. Docui etiam Patriarchales sedes, quia primæ fuerunt Metropolitanæ, propter trium primarum Vrbium, totius Romani Imperij dignitatem sæcularem, quædam priuilegia supra cæteras etiam Metropolitanas habuisse; propterea Romana Ecclesia Patriarchalis, quia erat in prima totius Imperij Romani Ciuitate, primam etiam inter alias Patriarchales obti-

les obtinuit dignitatem. Sed hoc ipsum validissimis testimonijs & rationibus vlterius confirmo. A

XII. Ecclesiam Romanam supra cæteras effetri solitam, aduerterant Eusebiani Episcopi, Athanasij persecutores; ægreque ferebant Iulium Papam quoddam Imperium exercere; ideoque ei opponebant, [a] omnes Episcopos iure Diuino esse pares; neque ex magnitudine Ciuitatum, honorem crescere Episcoporum. Atque hanc oppositionem Iulius vt veram admisit; indeque eos reprehendit quod nihilominus illi facilè suas mutabant sedes, vt à minori ad maiorem transuolarent Ciuitatem. Iidem quoque Orientales in Iulium commoti, rursus ei obijciunt; [b] Sola vrbis magnitudine se ab eo separari: cæterum Orientales Ecclesias, & antiquitate, & doctrinæ fonte, & morum probitate, Romanam superare.

a *Iulius ep. 1.*

b *Sozom. l. 3. c. 7. inf. c. 8. n. 16*

XIII. Augustinus elationem Romanorum Leuitarum in Vrbis magnificentia fundatam reprehendit; nam [c] Falcidium quendam elationis illius promotorem, Diaconos Presbyteris, duce stultitia, & Ciuitatis Romanæ iactantia, asserit coequasse: & addit; Sed quia Romanæ Ecclesiæ ministri sunt, iccirco honorabiliores putantur, quam apud cæteras Ecclesias, propter magnificentiam Vrbis Romanæ, quæ caput esse videtur omnium Ciuitatum.] Illo igitur adhuc tempore Clerus Romanus aliunde se supra alios efferre non potuit, nisi ex eo quod esset clerus Imperatricis ciuitatis. Sed immemores, inquit Autor illarum quæstionum, elatione mentis; eo quod videant Romanæ Ecclesiæ se esse ministros, non considerant quid illis à Deo decretum sit, & quid debebant custodire.] Alibi verò Aug. [d] ipse, ex ciuitatis amplitudine, Episcopi etiam autoritatem crescere fatetur; hæc enim de Carthagine, & Cæciliano habet: Erat transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis; vnde non mediocris vtique autoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum.] B C

c *Aug. in 99. vit. & non sest. q. 101.*

d *Aug. ep. 162.*

XIV. Concilium Chalcedonense aperte fatetur, [e] Propter Imperium Vrbis, Romanam Ecclesiam sua priuilegia habuisse; & propter idem Imperium Constantinopolitanam quoque eadem debere habere priuilegia: quin etiam idem statuerat [f] formam regiminis Ecclesiastici debere sequi ciuiles dispositiones ciuitatum, si qua, potestate Imperiali nouaretur. Quæ verò huic decreto de priuilegijs Constantinopolitanæ Ecclesiæ a Legatis Romanis fuerunt opposita, & quæ nostri opponunt, discutiam capite sequenti; vbi de Constantinopolitano agam Patriarchatu seorsim. Nam quod ad præsens negotium spectat, nemo quicquam opposuit ijs quæ dicta sunt, propter Imperium Vrbis priuilegia Romanæ Ecclesiæ fuisse à Patribus data. Nam & Hugo Aetherianus totus Monarchicus [g] hoc decretum assumit, absque vlla oppositione. Sicut & planum est ex eadem Vrbis Constantinopolitanæ sæculari dignitate, Patres 2. & 4. Concilij Oecumenici, Constantinopolitanam quoque Ecclesiam paribus exaltasse priuilegijs. D

e *Conc. Chalced. act. 15. c. 28.*

f *Ibid. c. 17.*

g *Hugo Aether. de hares. c. 16.*

XV. Baronius profecto, qui ferre alios non potuit [h] tribuentes Romanæ Ecclesiæ dignitatem ex sola Vrbis præcellentia; oblitus erat, se fortasse vel inuitum, in duabus alijs Patriarchalibus Alexandrina, & Antiochena, totam earum præeminentiam, ad solam sæcularem illarum Ciuitatum dignitatem reduxisse. Cum enim non posset causam assignare, cur Alexandrina sit prælata Antiochenæ; cum tamen Antiochena à Petro fundata sit, idque prius; Alexandrina verò à Discipulo Petri Marco, & posterius? [i] Quoniam *inquit*, præfectura Alexandrina, Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissime præ cæteris ab eodem fuerat nobilitata, longe præstabat Syriæ Præfecturæ, ea de causa, &c.] Atque ex eadem causa pergit ostendere, Hierosolymitanam Ecclesiam fuisse Cæsarienſi subiectam, quia Cæsarea fuerat à Romanis instituta totius Palæstinæ Metropolis. Si hæc ratio in his tribus, Alexandrina, Antiochena, & Cæsarienſi, sola, & maximè militat, vt hæ suos haberent Primatus; cur eadem obsecro etiam in Romana non militabit, tot præsertim testimonijs id confirmantibus? Et certe Alexandrina Ecclesia fuit filia, vt vidimus Ecclesiæ Romanæ, quæ Ecclesia Romana ius Patriarchij in omnes suas filias obtinuit; & tamen ipsa Alexandrina, licet esset Romanæ filia, seorsim facta est prima, post Romanam, Patriarchalis; in omnibus priuilegijs, excepto solo dignitatis loco, Romanæ æqualis; & plus in hac potuit dignitas illa temporalis Vrbis Alexandrinæ, quam spiritualis maternitas, quam à Romana Ecclesia agnoscebat. Hac igitur de causa Romana Ecclesia prima omnium habita fuit, quia Vrbs Roma in Romano Imperio, super omnes alias Vrbes eminebat. Hierarchicam porrò totam inter Episcopos dignitatem, & pariter inter Ecclesias, iure solo humano Ecclesiastico esse inductam, satis probaui *lib. 3. cap. 2.* cum alioquin E

h *Baron. to. 6. an. 451. n. 133.*

i *Idem tom. 1. an. 59. n. 10. 11.*

A hoquin iure diuino, summa sit inter Episcopos omnes, etiam cum Romano æqualitas, vt est à me demonstratum lib. 2. cap. 6. & lib. 3, cap. 1. Atque hoc ipsum satis confirmant testimonia, quæ iam adduxi, tum præsenti capite, tum lib. 3. cap. 2. & cap. 10.

Occasio itaque potissima, cur, & consuetudo inuexerit in Ecclesiam Metropolitanos, ac Patriarchas; & Patres Ecclesiæ Sanctæ Rectores, eos etiam legibus & Decretis firmarint; fuit, vt vidimus, partim Apostolorum peculiaris in quibusdam Ciuitatibus labor, cui merito reuerentia sit exhibenda; partim, & maximè Ciuitatum dignitas sæcularis, quæ dignitas, cum Romanam Vrbem supra omnes conspicuam fecerit, dum Romanum viguit Imperium, viguit autem vel maximè quando Ecclesia Christiana primum ortum habuit, & sua incrementa; inde Romana Ecclesia facta quoque est supra omnes alias conspicua. Hinc est quod Romanæ Ecclesiæ omnem quam habet præeminentiam, sæpe Patribus, sacris Canonibus, atque Concilijs acceptam esse ferendam testentur multi XVI.

B Zosimus ad Africanos Episcopos scribens ait; [a] His accedit Apostolicæ sedis autoritas, cui in honorem Beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem quandam sanxere reuerentiam.] Item ad eosdem: [b] Quamuis, *inquit*, Patrum traditio, Apostolicæ sedi autoritatem tantam tribuerit, vt de eius iudicio disceptare nullus auderet; idque per Canones semper regulasque seruauerit &c.] Magnum est hoc testimonium: non Christus, non Petrus, sed postea successu temporum Patres, in honorem Petri, Romanæ Ecclesiæ sanxere, non obedientiam omnium Ecclesiarum, sed quandam peculiarem reuerentiam, vt nimirum honoretur, quia Apostolica sedes est, quam Petrus sua prædicatione, & tandem morte decorauit. Sed non obstante hac quam Veritas elicuit confessione, postea idem Zosimus, [c] iure etiam diuino videtur sibi quendam attribuere in Ecclesia Principatum; de quo postea inferius, cap. 10. n. 25. Imperator Valentinianus his consentiens, [d] sedis Apo- XVII.

a *Apud Baron. tom. 5. an. 417. num. 19.*

b *Ibid. an. 418. num 4.*

c *Ibid.*

C stolicæ Primatum Sancti Petri meritò, & sacræ Synodi firmatum esse autoritate fatetur, vt mox apparebit.

d *Apud Baron. tom. 6. an 445. num. 9.*

Gelasius, [e] Constantinopolitanam Ecclesiam, ait, per Canones, inter sedes nullum nomen accepisse. Quæ ergo sedes nomen habent, & sunt celebriores, per Canones id habent: vnde & paulò post subdit idem Gelasius: Apostolicæ sedi, iuxta Canones, debetur summa iudicij totius.] Et ad Anastasium Augustum scribens illud protulit: [f] Apostolicæ verò sedis autoritas, quod cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ sit prælata Vniuersę, & Canonum seriè paternorum, & multiplici traditione firmatur.] Et Ioannes secundus ad Iustinianum scribens, ait; [g] Quam Romanam Ecclesiam esse omnium verè Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant.] XVIII.

e *Gelas. in commonitorio ad Faust.*

f *Idem ep 10.*

g *C. de sum trin. l. inter clar.*

Nicolaus primus suæ Ecclesiæ totum Primatum, ad Conciliaria tandem reduxit Decreta; nam Zosimum secutus, occasione meritorum Petri Apostolorum Principis, de Romana Ecclesia optimè meriti, Concilia Primatum eidem Ecclesiæ detulisse, illis verbis commemorat: [h] Scientes quia eius (*hoc est Romani Episcopi Symmachi*) sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde secuta iussionem Domini Conciliorum venerandorum autoritas, ei singularem in Ecclesijs tradidit potestatem.] Audis Conciliorum autoritate, non declaratione, datam esse Romanæ Ecclesiæ potestatem. Et quod ait, iussione Domini, cum de hac iussione nihil constet, intelligendum est Concilia, diuino spiritu gubernata, & inspirata, sua facere Decreta: & hoc non facit vt talia Decreta sint iuris diuini Decreta: quamuis Nicolaus libenter ad ius diuinum illa, si posset reuocáret; vt fecit paulò post, dum Michaelem Imperatorem, Romanæ Ecclesiæ detrahentem, sic instruit: [i] Priuilegia istius sedis, vel Ecclesiæ perpetua sunt, diuinitus radicata, atque plantata sunt, — à Christo Domino donata, à Synodis non donata, sed iam solummodo celebrata, & venerata.] Hæc tamen sola verba sunt: & Zosimus aliter sensit & scripsit vt vidimus: Ideo vbi Nicolaus ipse Originem Romanorum priuilegiorum inquirit, nihil aliud habet quod dicat, nisi autoritate Conciliorum Romanam Ecclesiam potestatem habuisse: & paulò ante quam hæc vltima verba protulisset, Michaeli Romanam Ecclesiam deprimenti, nihil fortius habuit quod obijceret, nisi ista: fateor non vos studiosè sacras regulas, non venerandarum Synodorum actiones, non piorum Imperatorum leges, non veraces probabilium virorum historias, lectitasse.] Qui itaque vult firmitatem priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ penitus inspicere, regulas sacras, hoc est Canones Ecclesiasticos, & Conciliorum decreta, & Imperiales leges, & humanas Ecclesiasticas historias euoluat necesse est; nec habuit aliud Nicolaus, quo Michaelem pro instructione dirigeret ad Romanæ Eccle.iæ priuilegia cognoscenda. Propterea Hugo Primatum Romanum ad Concilia refert; XIX.

h *Nicol. ep. 8.*

i *Ibid.*

refert; [a] Postquam, *inquit*, Nicæna Synodus Romano Pontifici hoc contulit priuilegium, vt sicut Augustus præ Regibus, ita ipse præ omnibus Episcopis haberetur, & Papa, & Pater Patrum vocaretur.] Non hæc quidem omnia ad Synodum Nicænam sunt referenda; sed certe Hugo diuinum ius, quo se reciperet, non habebat. A

XX. Sed & Imperatores hæc omnia respicientes, suæ quoque dignitatis esse rati, si Romæ Episcopus, quam maxime fieri posset, supra omnes Episcopos emineret in spiritualibus, sicut ipsi supra omnes terrenos Principes in temporalibus eminebant, suis Romanam Ecclesiam priuilegijs firmare, & augere sategerunt. Constantinum profecto, dubium non est, Romanam Ecclesiam, & donis, & ædificiis, & diuitijs, & splendore etiam non exiguo, decorasse, ac priuilegijs muniuisse: ea vero, si [a] donatio illa Constantini quæ circumfertur vera est, & authentica (de qua agam lib. 6.) multa sunt & insignia; & vnum ex præcipuis est; vt sit prima Ecclesia Patriarchalis. Nam & Theodorus [b] Balsamon, vbi explicat quænam priuilegia antiquæ Romæ fuerint Constantinopolitanæ Ecclesiæ, in primo Concilio Constantinopolitano concessa, ea dicit esse, quæcunque in donatione Constantini continentur; eamque totam refert. Ita Hadrianus primus in suis ad Constantinum & Irenem literis, hæc habet: [c] Vos autem partem habebitis cum eo, qui nunc in diuina requie quieuit Constantino Imperatore, & Helena eius matre, qui orthodoxam fidem illustrarunt, & confirmarunt; adeoque sanctam matrem vestram Catholicam & spiritualem Romanam Ecclesiam exaltarunt.] Non absque miraculo factum, ait, vt occasionaliter Constantini monarchæ — curata — infirmitas, quandam quasi adiicient ipsi Ecclesiæ (*Romanæ*) firmitatem. —— decernens in ipsa vrbe vtriusque potestatis Monarchiam, Romanis Pontificibus.] Et Bonifacius 8. [d] Constantinum similiter facit Romanæ Ecclesiæ exaltatorem. B C

a *Dist. 96. c. Constantinus.*

b *Balsam. in Nomocan. Photij tit. 8. c. 3.*

c *Tom. 3. Concil. in 7. Syn. gen. act. 2.*

d *c. Fundamenta de elect. in 6.*

XXI. Valentinianus nobile dedit priuilegium Episcopo Romano, quod sic se habet: [e] Certum est nobis, & Imperio nostro, vnicum esse præsidium in supernæ diuinitatis fauore; ad quem promerendum præcipue Christiana fides & veneranda nobis religio suffragatur. Cum igitur sedis Apostolicæ Primatum Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ & Romanæ dignitas ciuitatis, sacra etiam Synodi firmarit autoritas; ne quid præter autoritatem sedis istius illicitum præsumptio attentare nitatur, tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si Rectorem suum agnoscat vniuersitas. — Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlterius — cuiquam — præceptis Romani Pontificis liceat obuiare. Ausibus enim talibus, fides, & reuerentia nostri violatur Imperij. Nec hoc solum, quod est maximi criminis, submouemus; verum ne leuis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum Prouinciarum, contra consuetudinem veterem liceat, sine viri Venerabilis Papæ Vrbis æternæ autoritate tentare: sed illis, omnibusque pro lege sit, quicquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis autoritas; ita vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiusdem Prouinciæ adesse cogatur; per omnia seruatis quæ Diui parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt, Aeti pater carissime Augusti.] D

e *Apud Baron. tom. 5. An. 445. nu. 9.*

XXII. Idem Valentinianus ita quoque ad Theodosium scripsit: [f] Cum aduenissem in Vrbem Romam, quæ cum sit conseruatrix omnium animarum, dicitur perturbata: quam nos à nostris maioribus traditam debemus cum omni competente deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare: quatenus beatissimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide ac Sacerdotibus iudicare:] Conati sunt itaque suum priuilegium Romani Pontifices, quod ex Ecclesiastica consuetudine ab antiquo habuerunt, vt res fidei, Romana potissimum consulta Ecclesia tractarentur, & vltima Episcoporum iudicia in ea interdum agitarentur, ab Imperatoribus corroborari: quę paulatim postea fuit maior causa, & commoditas nimię potestatis in hoc vsurpandę: & de his inferius plura suis locis. Obserua interim Principatum Sacerdotij Romano Pontifici antiquitatem, non Christum, non Euangelium contulisse: & licet videatur Valentinianus Romanum Ecclesiasticum Primatum ad Petrum quodammodo reducere, significat potius Petrum, qui fuit vertex Apostolorum, id huic Ecclesię meruisse, vt ex ipsius memoria illa digna sit veneratione, quàm Petrum huic sedi primatum vllum contulisse. Interim vero ipse Imperator Primatum eundem & Sanctæ tribuit Synodo, & Diuis ipsius parentibus Imperatoribus, & suę ipsius confirmationi, ac legi. Galla placidia ad Theodosium Augustum scribens; tametsi ipsa quoque asserat Petrum E

f *Ante Concil. Chalced.*

A trum in sede Apostolica Romana principatum Episcoparus ordinasse, hunc tamen Principatum conseruandum esse monet, propter Romanæ vrbis dignitatem, & ait: * Quando scilicet decet nos huic maxime ciuitati, quæ domina est omnium ciuitatum tuarum, in omnibus reuerentiam conseruare.] Neque ego puto hæc ex Imperatorum pietate in Romanam Ecclesiam priuilegia emanasse, sed ex solo superbiæ Typho; vt ipsorum Imperialis Ciuitas tanto esset splendidior, & inde ipsi quoque glorioſiores.

* Ante Concil. Chalced.

XXIII.

Iustinus Imperator initio sui Imperij [a] nuncios ad Pontificem Hormisdam mittit, *inquit Platina*, qui & sedis Apostolicæ autoritatem confirmarent, & pacem Ecclesijs omnibus exquirerent, &c.] Iustinianus quoque in Ecclesia Romana extollenda fuit solertissimus. Ad Ioannem Papam hæc scribit; [b] Reddentes honorem Apostolicæ sedi, & Vestræ Sanctitati, quod semper nobis — fuit magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ sedis, &
B statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire: quæ hactenus obtinet, & incommota permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire sedi Vestræ Sanctitatis properauimus. — Per omnia enim, vt dictum est, properamus honorem, & autoritatem crescere vestræ sedis.] Hinc illa eiusdem Iustiniani constitutio; [c] Sancimus secundum Ecclesiasticarum regularum definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum; beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopolcos nouæ Romæ secundum habere locum, post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem; alijs autem omnibus sedibus præponatur.] Sed Phocas maximè Romanam videtur extulisse Ecclesiam, Bonifacio tertio annitente; [d] Bonifacius enim ab eo, *inquit Platina*, magna tamen contentione obtinuit, vt sedes beati Petri Apostoli, quæ caput est omnium Ecclesiarum, ita & diceretur, & haberetur ab omnibus: quem quidem locum Ecclesia Constantinopolitana sibi vendicare conabatur, fauentibus interdum malis Principibus, affirmantibusque eo loci primam sedem esse debere,
C vbi Imperij caput esset, &c.] Hæc Platina ex Paulo Diacono, qui libro 8. rerum humanarum in vita Phocæ, ait; Phocas, rogante Papa Bonifacio, statuit, sedem Romanæ Ecclesiæ vt caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.] Ego tamen ostendam capite quarto sequenti, Constantinopolim nunquam prætendisse Primatum Ecclesiasticum absolutum, postposita Roma veteri; sed simul cum illa, & in solidum dictum Primatum prætendisse; & propterea œcumenici titulum voluisse, quem tamen Romano Pontifici non negabat; Phocam verò eum titulum soli Romano adiudicasse, & Constantinopolitano abstulisse, volunt historiæ.

a Platina in Hormis.
b Inter Epist. Io. 2. & C. de Summ. Trin. l. Reddentes.
c Nouel. 131.
d Platina in Bonif. 3.

XXIV.

Lambertus Imperator in quadam Synodo Rauennati, confirmans Romanæ Ecclesiæ sua priuilegia, præsente etiam in ea Synodo Ioanne quarto, eiusmodi Decretũ edidit; [e] Vt Priuilegiũ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod à priscis temporibus per pijssimos Imperatores stabilitũ est, atq; firmatum, ita nunc à nobis firmetur, & diebus nostris, sicut condecet, immutilatũ seruetur; & sancta Romana Ecclesia mater nostra exaltetur, protegatur, & defendatur,
D quoad Imperij nostri est.] Itaq; Primatus quencunq; legitimũ habere potest Romana Ecclesia, ex tribus effluxit fontibus: ex fundatorum Apostolorum veneratione; ex Patrum, & Conciliorũ Decretis; ac demum ex Imperatorum conatu, & statutis. Quartus verò fons cœnosus, & turbidus de illegitimo Primatu, qui est Vsurpatio, inferius considerabitur.

e Apud Baron. tom. 10. an. 904 num. 18.

XXV.

Exaltent nunc buccis concrepantibus quantum volunt Romani Pontifices, præsertim moderniores suam sedem; & in propria causa verbis tantùm illam extollant; nisi ipsius Primatum firmis documentis rem conuincentibus stabiliant, & quæ nos in contrarium protulimus euertant, ipsorum dicta ad inanem iactantiam potius, quàm ad veritatis demonstrationem pertinere asseuerabimus; vt infra cap. 10. fusius pertractabo. Valeant ergo hi omnes cum sua malè fundata ostentatione, ac falsos totique Ecclesiæ onerosos honores capta-
E re desinant; suis fruatur ac contenta sit Romana Ecclesia veris genuinisque priuilegijs: videlicet quod Apostolorum Principes sortita sit fundatores, ac excultores: quod fœcunda mater cùm fuerit, eo nomine filias multas viderit obsequio pio, ac deuotissima reuerentia sibi obstrictas, honoremque deferentes: quòd Ecclesia Vrbis illius cùm sit, quæ fuit totius penè terrarum orbis victrix, ac domina, ea occasione facta sit Metropolitana, Patriarchalis, adeoque inter Patriarchales prima: quòd Imperialibus fuerit corroborata legibus, ac ditata, vel potius exaltata priuilegijs. Quòd etiam (de quo capite nono huius) Episcopum habeat nobilissimis prærogatiuis exornatum. His etiam lubentissimè subiungo, quòd doctrinam Apostolicam sinceram ac puram per aliquot sæcula conseruârit: quòd verbo fidei, & exemplo plurimùm Ecclesiæ vniuersali profuerit: quòd olim diu tutissimus fuerit [f] por-

f Hieron. Ep. 16.

tus, & confugium Catholicæ communionis (vt loquitur Hieronymus) ijs, qui hæretico- A
rum persequutiones declinarent: quod hospitalitate quondam insignis, & ad protegendos afflictos obuia, Episcopos præsertim ob fidei Catholicæ professionem extorres. Quod denique posterioribus sæculis ex Imperatorum, Regum, Principum seu dono, siue permissione (ex zelo forte præpostero, ipsisque donatoribus tandem graui, ac pernicioso) Dominium ciuile non contemnendum sit assecuta, multarum scilicet vrbium, ac prouinciarum satis amplarum, imo regnorum principatum, ita vt per ditiones Ecclesiæ Romanæ proprias, à mari vsq; ad mare se iam dicat dominari.

XXVI. Ne verò propter expansas has plumas decoris ac maiestatis plenas superbiat Romana mater, cristasque tollat, sed potius spiritus iamdiu elatos deponat, non possum non ei in memoriam reuocare tremendum Dei iudicium quotidie imminens, ac semper expectandum, vt vel inde satis cognoscat, credibile non esse voluisse Christum Dominum il- B
lam cæteris suis Ecclesijs præferre, seu præficere, quæ, sicut Diuina benignitate ex Babylone Ethnica facta est olim Ecclesia Christiana nobilissima; ita postea iustissimo Dei iudicio, ex Ecclesia erat denuo in Babylonem conuertenda; & miserabili exitu, omni Diuina protectione destituenda; igneque non minus temporali, quam æterno concremanda. Nos Spiritum Sanctum in Ioannis Apocalypsi loqui non dubitamus; ibi vero de Romana Vrbe satis aperta habetur [a] prophetia, duobus capitibus comprehensa; De ea ibi, veritatis studiose lector, hîc pauca curlim, & summatim, prout à me intelligitur, subnecto: tu quæso eam sedulo considera. Et hanc prophetiam vere de ipsa Romana Vrbe, ipsiusque potentia, & dominatu proferri ad literam, sicut septem colles, & Regnum quod tempore Ioannis illa habebat, super Reges terræ, coguntur fateri; ita [b] Tertullianus aperte testatus est; neque negant communiter nostri [c] Theologi & Scriptores: Babylonem enim vocari contendunt Romam ethnicam, ex parte Ethnicorum in ea habitantium, & dominantium; quo eam nomine etiam Petrus [d] (vt ipsi volunt) designauit: Ecclesiam verò quæ est in Babylone, intelligi fideles Christianos Romanæ Vrbis. Fulcrum autem, vel potius bacillum qualequale ad hoc sustentandum mutuantur ab Hieronymo, Romam sic alloquente: [e] Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti.] Horrenda verò illa, quæ proferuntur in hac prophetia aduersus Romam, ad persecutionem Antichristi referunt, sub finem sæculi peruentura. C

a Apoc. 17 & 18.
b Tertull. aduer. Iud. & l. 3. cont. Marcion.
c Bellar. in Append. ad libros de Rom. Pont. c. 6. & Baron. an. 33. n. 44. & 46 & segg.
d 1. Pet. 5. & Papias apud Euseb. l. 2. c. 15. & Hieron. de script. Eccl. in Mar.
e Hier. aduer. Iouin. l. 2.

XXVII. Si tamen tota per partes hæc prophetia attentius consideretur, liquido apparebit & Babylonem à Ioanne vocari Romam iam totam Christianam; & propter ipsius immensa scelera, & tyrannicam nouam, post Imperialem potestatem, ad quam iam Christiana peruenerit, non ex iniusta vllius persecutione, sed ex iusto Dei iudicio, illius scelera iuste, quia ita placitum sit illi, per Reges fideles, & Deo pie ac religiose seruientes, punientis, atrocia illa omnia ei obuentura. Atque ita Romæ destructionem, tanquam impiæ, & Deo D
exosæ, ipsius Dei voluntate & iussione, ac inspiratione per Reges iam pios, & fideles esse euenturam; quæ Romæ Ethnicæ non contigerunt. Illa enim dum ethnica fuit, non est destructa: habuit quidem incursiones hostium, depopulati sunt illam, dum adhuc magna ex parte esset Ethnica, Gothi, & aliæ barbaræ Nationes; sed vltima exterminatio nunquam ei adhuc contigit; illa nimirum de qua hæc prophetia aiti, [f] Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur; & vox cytharœdorum, & musicorum, & tibia canentium non audietur in te amplius; & omnis artifex omnis artis, non inuenietur in te amplius; & vox molæ non audietur in te amplius; & lux lucernæ non lucebit in te amplius; & vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te, &c.] Roma verò post Barbarorum clades statim resurgens redintegrata est, & Imperium in ea satis florens, diu perdurauit; totaque Christiana facta est, & hodie vel maximè superfluit, ac diffluit deliciis omnibus. Nondum ergo impleta est prophetia Romanæ exterminationis; & tamen E
quando exterminabitur, tunc de illa dicetur: [g] Cecidit, cecidit Babylon. Roma igitur non ethnica, sed plene iam Christiana est, aut erit Babylon; est, aut erit [h] habitatio Dæmoniorum; & custodia omnis spiritus immundi; & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis: est, aut erit meretrix magna, quæ aureo poculo, & pleno abominationis, propinet omnē immūditiā & fornicationē: est, aut erit Bestia coccinea, plena nominibus blasphemię: est, aut erit adeo peruersa, & iniqua, vt Deus clamet, vel sit clamaturus suis seruis; accipiatis. Exite de illa populus meus; vt ne participes sitis delictorum eius; & de plagis eius non

f Apocal. 18.
g Apoc. 18.
h Apoc. 17.

XXVIII. Bestia quam vidisti, *inquit Ioannes*, fuit & non est; & ascensura est de abysso; & in interitum ibit.] Loquitur sane Ioannes pro tempore, non quo ille viuebat & prophetabat; sed

A sed quo Prophetia erat adimplenda: & conformatur cum Prophetia Pauli; vt finis Mundi non sit expectandus, nisi prius [a] discessio fieret, hoc est, iuxta communem interpretationem Sanctorum, nisi prius [b] Romanum Imperium dissoluatur; cuius Imperij dissolutio, & dissipatio, iam aperiat viam Antichristo ad omnem iniquitatem. Ita Ioannes ait; Bestia fuit, & non est: nempe Romanum Imperium non erit amplius; sed cadet & dissoluetur: ascensura tamen ex abysso est eadem bestia, quia succedet Romæ eadem Romana potestas sub alio titulo, quousque & ipsa exterminetur. Et decem Reges qui nondum erant quando Ioannes scribebat, sed ab eo futuri prædicuntur, ex Romani Imperij ruinis erant exorituri; eidem bestiæ, quæ est illa noua Romana potestas ex abysso de nouo ascensura, tradent potestatem; tamdiu enim potens erit, quamdiu Reges ex Romani Imperij dissolutione exorti, ei fauebunt; & de eius poculo fornicationum inebriati, ab ea quoque vice
B versa, nonnihil in eorum humanis consilijs adiuti; & abominationibus fallitatum, sub falso religionis nomine repleti; reuera tamen simul cum ipsa aduersus Agnum pugnantes, cum illa consentient. Sed hi ipsi decem Reges tandem agnoscent veritatem, vt iam nonnulli illorum eam agnouerunt, & ab agno victi, odient, inquit Propheta, fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, (quia terrenum ipsius Principatum sibi assument) & ipsam igni conremabunt; Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum est illi, vt dent Regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.] Permissio nempe diuina erit, vt hi Principes regnantem bestiam confirment, & sustentent, donec consummentur verba Dei prædicta; hoc est, donec Agnus illuminet illos, & vincat; ponatque in corda eorum, vt odio habeant fornicariam, eamque penitus excidant.

Quæret quispiam curiosus, quinam sint hi decem Reges? Respondere possem poni XXIX.
C hic, de more Scripturæ, numerum signatum ac certum, pro vago & incerto; vt significentur plures Principes terreni. Sed si præcisè vis videre numerum fermè denarium Regum, qui Romani Papatus tributarij, sua obedientia, suisque fauoribus illum extulerunt, lege præsertim varias Epistolas Papæ Hildebrandi, qui primus, aperto Marte, temporalem voluit exercere in Reges & Imperatores potestatem; ac inuenies eundem Regna hæc sua feuda esse profiteri: [c] Hispanias, Gallias, & Saxoniam, [d] Hungariam, [e] Russiam, [f] Dalmatiam, [g] Corsicam. Vtriusque Siciliæ Regnum, an prætendat esse sui iuris sedes Apostolica, declarat amplus tractatus Baronij de Sicula Monarchia tomo Annalium vndecimo, qui eo nomine ex vniuersis Regis Catholici ditionibus arcetur ac proscribitur. Imperatorem à Papa inuestituram accipere, hodie quoque volunt nostri Pontificij. Ad nutum Papæ [h] Venetos arma mouisse docet Baronius. Thusciam & Lyguriam [i] Mathildis dono dedisse Romanæ sedi perhibetur. [k] Maioricam & Minoricam atque [l] Sardiniam In-
D nocentius tertius ad ius Papæ pertinere affirmat. [m] Danorum Regem inuitat Hildebrandus, vt se, Regnumque suum ipsi committat. Magnam ergo cum illo habuit coniunctionem; & fortasse aliquis dicet, id eum etiam impetrasse, & obtinuisse. [n] Lusitaniæ duces Regium titulum à Papa Alexandro tertio habuere: Inde Regnum illud iam prætenditur esse Romanæ Ecclesiæ censuale. [o] Angliæ Regnum quidam faciunt feudum Sancti Petri. Quæ omnia adhuc clarius proponam lib. 6. cap. 11. ad finem. Iam igitur ex his collige Reges omnes, post lapsum Imperium natos, & Romano Pontifici addictissimos; prope denarium conficies numerum. 1. Hispaniarum. 2. Lusitaniæ. 3. Angliæ. 4. Daniæ. 5. Franciæ. 6. Germaniæ, cuius nunc Rex est Imperator. 7. Hungariæ. 8. Poloniç. 9. Vtriusque Siciliæ. 10. Principes & Potentatus Italiæ, qui pro vnico possunt Rege numerari. Ex his ab Agno iam aliqui victi, Prophetiæ explent prædictionem; & immortali, sed perfecto, & sancto odio iam Romam persequuntur. Sequentur etiam alij: Ver-
E bum Dei non fallit, neque fallitur. Et sciant interim Reges, & potentes, qui seruiunt bestiæ, eos tali seruitute contra Agnum pugnare.

Quomodo ergo sermo hic ad Romam Ethnicam potest pertingere? Fuit bestia, & non XXX.
est;] non igitur amplius erit gentilis, & Ethnica Roma, quando hæc illi contingent. Et quomodo decem Reges dant potestatem & Regnum Romæ Ethnicæ, quæ potius extinxit omnes [p] Reges terræ, vt habetur in Propheta Danielis sub ferri Symbolo? quomodo etiam de Roma prorsus Ethnica dicit Deus fidelibus, exite de illa populus meus? Roma ergo iam facta Christiana, post Romani dissipationem Imperij, quæ iam contigit, paulatim in Babylonem infamem, miserabili subuersione erat conuertenda. Et quia nouus hic ipsius Dominatus, Principum ope, & beneficio adiutus, erat tandem, vt nunc sit, non sine

1 2. Thess. 2.
b Chrysost. hom. 3. in ep. 2. ad Thessal.

c Greg. 7. l. 8. epist. vlt.
d Idem l. 2. ep. 13. 63. 70.
e Idem ibid. ep. 74.
f Idem l. 7. ep. 4.
g Idem l. 1. ep. 4. & l. 6 ep 12.
h Baron tom. 9. an. 726. n. 28.
i Leo Ostien. l. 3. c. 48.
k Innoc 3 l. 2. ep. 378.
l De præscrip. c. Si diligenti.
m Greg. 7. l. 2. ep. 52.
n Innoc. 3. l. 1. ep. 100 441. 448 449.
o Naucler. gen. 41. an. 12. 14.

p Dan. 2.

magna ingratitudine, contra ipsosmet Principes insurrecturus, arrogata sibi etiam potestate quotcunq; Principes sibi fideles pro arbitrio deponendi, & alios subrogandi; inde vel maxime verificatio prophetiæ contunget, vt odio habeant fornicariam; eamque faciant desolatam; eiusque carnes sint comesturi; & hoc potissimum in gratiam Agni. A

XXXI. Hos quoque Reges, qui Romanam bestiam sunt destituturi, & nudam relicturi, Anselmus de alijs Ecclesijs Romanæ subiectis est interpretatus: Futurum nimirum, vt propter magnas Romanas iniquitates ab ea se separent, sancta & necessaria separatione. Verba enim illa Pauli: [a] Qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: Primum interpretatur, vt qui tenet fidem teneat, & perseueret; donec exeat de medio mysterium iniquitatis. Deinde addit: [b] Vel Romanus Pontifex, qui tenet nunc Ecclesias, teneat illas, donec de medio fiat; id est, *inquit*, donec ab ipsa Romana Ecclesia, quæ est medium, & cor Ecclesiarũ, fiat iniquitas; ob quam ab ea multæ discedant Ecclesiæ.] Scribebat hæc Anselmus ante quingentos annos: & quãuis ipse in re Romana promouenda satis se in alijs præstaret strenuũ, videbat tamen iam aliquod huius prophetiæ effectus initium, ac inde coniecturam sumpsit futurũ id quod reuera postea secutũ est, & vlterius secuturum non dubito; vt multæ Ecclesiæ, propter iniquitates Ecclesiæ Romanæ, ab ea sint discessuræ. Quid enim separauit Ecclesias nobilissimas plurimas, Germanicas, Gallicanas, Britannicas, Polonicas, Hungaricas, Helueticas, Illyricas, nisi id quod in Canonica Spiritus Sancti prophetia continetur? Vox enim illa Dei est: [c] Exite de illa populus meus. Quis vero ei adhæreat, cui tot mala seuerissimo Dei iudicio imminere, & tempus diuinæ prophetiæ plene iam impletum cernit; cum præsertim eadẽ prophetia hanc nobis bestiam proponat ebriam quoq; de sanguine sanctorũ, & de sanguine Martyriũ Iesu. Cum vero iam manifestũ sit, hic sermonẽ non esse de Roma ethnica, olim fidem persequente, & martyres faciente; sed de Romana quadã noua bestia, post Romani Imperij extinctionẽ surrectura, ab ea sanctis omnibus Ecclesiæ verè Catholicæ filijs est longe refugiendum, etiam fuga locali & corporali, ijs potissimum qui ad martyriũ sanguinis à Deo non sunt vocati: Qui nempe probè norunt, se viuos posse confessione, laboribus, acadhortationibus suis magis Ecclesiæ prodesse, ac diuinam veritatem propalare, quam secretis dirorum tormentorum perpessionibus, mortem quodammodo mutam, vtcunque constantissimè subeuntes. Pergamus hic obseruare Romani Imperij occasum, poni à sacris prophetijs vt necessarium, ante quam possit bestia hęc exsurgere; quia Romani Imperatores Christiani, dum vires habuerunt, in officio egregie Romanos Pontifices detinuerunt; eosque subinde insolescentes vehementer compescuerunt, ne exorbitarent. Vbi vero elanguerãt Cęsares, vel vitio suo, vel rebus aduersis fracti, ac in Occidente pręsertim declinare cęperat Imperium, continuò abiectis frœnis, in dies magis, suam potentiam auxerunt, hodieque quantum possunt manibus pedibusque augent nostri Papæ; ac à nutu suo pendere faciunt nudum illud quod restat nomen ac vmbram Imperatoris. B C D

a 2. Thessal. 2.

b *Ansel. in ep. 2 ad Thessal. c. 2.*

c Apoc. 18.

XXXII. Ecclesiam profecto Romanam Hieronymus [d] Babylonem vocauit; & meretricem purpuratam; & [e] ollam, à facie Aquilonis ardentem: Ecclesiam inquam, non Vrbem; quia Babylonis Senatum, hoc est viros Ecclesiasticos, Senatum vocat Pharisæorum, & imperitorum, quæ aduersus ipsum coniurauerat; Coniurauerant autem Clerici, non Curia Cæsaris Capitolina. Et hanc ipsam factionem vocat ollam ardentem. Ex eadem Apocalypsis prophetia alibi idem Hieronymus miserandum eidem Romanæ Ecclesiæ interitum asserit imminere: [f] Lege, *inquit ad Marcellam*, Apocalypsim Ioannis; & quid de mulliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, inquit Dominus, de illa populus meus; & ne participes sitis delictorum eius; & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & saluate vnusquisque animam suam: cecidit enim, cecidit Babylon magna; & facta est habitatio dæmonum, & custodia omnis spiritus immundi] Et quamuis excipiat, separetq; ibidem Hieronymus sacra à profanis; in ipsis tamen rebus Ecclesiasticis & sacris, iam tum videbat, nescio quid Babylonicum redolere: [g] Est quidem ibi, *inquit*, Sancta Ecclesia; sunt trophæa Apostolorũ & martyrũ; est Christi vera cõfessio; est ab Apostolo prædicata fides; & gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens vocabulũ Christianum: sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo Vrbis; videri & videre; salutari & salutare; laudare, & detrahere, vel audire, vel proloqui, & tantam frequentiam hominum saltem muitum videre, à proposito Monachorum, & quiete aliena sunt.] Indicat mores Iœculares inter Christianos quoque & religiosos, iam tum inualuisse. Neque negat eidem Ciuitati, quantumuis

d *Hieron. præfat. in lib. Didymi de Sp. S.*

e Hierem. 1.

f *Hieron ep. 17*

g *Hieron. ibid. & ep. 18.*

A ciuitati, quantumuis tunc Christi confessione, & deuotione satis celebri, vltimum exitium ex Apocalypsis Prophetia imminere: & de illa audiendum esse ait, Cecidit, cecidit Babylon magna; futuramque Dæmonum habitationem, indeque lapsu irreparabili casuram. Quanuis pœnas hasce ei imminentes eam vitare posse asserat; si Niniuitarum instar ad pœnitentiam confugiat. [a] Maledictionem, *inquit*, quam tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum.] Vtinam.

a *Hieron. ad Iouin. l. 2 in fin.*

XXXIII.

Si Roma adhuc Imperatores haberet, quantumcunque Christianos, vt erant tempore Hieronymi, causam excidij Romani fortè tribueremus iniquitatibus ipsorum Imperatorum, & Curiæ, ac sæcularium prorsus mundanè viuentium, & regentium: ipsis enim, vt patet Hieronymus, excidii futuri causam putauit esse tribuendam: cùm tamen iam Roma non sit amplius Imperatorum, nec sæcularium; sed tota Ecclesiasticorum, & Curiæ Ec-
B clesiasticæ; quis non videt è sacrario ipso malum erumpere? & meretricium Romæ, non in regimine Imperiali, sed in Ecclesiastico exercendum? Paulinus quoque ruinam Romanam in Apocalypsi prædictam, ex Curia Imperiali, & sæcularibus orituram existimauit; ait enim; [b] Poteras Roma, intentas tibi illas in Apocalypsi minas non timere, si talia semper ederent munera Senatores tui.] Qualia videlicet Alithius Senator vir sanctus in operibus pijs, & valdè religiosis edebat. Interim tamen ipse quoque Paulinus, [c] filiam Babylonis vocat Romam; & eam filiæ Syon postponit, quanuis in aliqua parte, hoc est fidelium, & bonorum, Romam quoque faciat filiam Syon. Sciebat tamen ex illa prophetia, vt vidimus, tandem totam in Babylonem conuertendam, & populum Dei, si quis in ea sit, à Deo auditurum, Exite, exite de illa; minasque Apocalypsis persensuram.

b *Paulin. Ep. 31.*

c *Idem Ep. 10.*

Tu Roma, tu quæso, quoniam tua res agitur, lege, & relege Prophetiam, & considera; ac iustis, & legitimis prærogatiuis satis insignibus acquiesce; caue ne hic ipse Primatus, quem prætendis; quique totus totus superbia, ambitio, auaritia, te bestiam illam faciat, cui
C horribiles illæ minæ intentantur. Neque verò tibi blandiare, aut te decipi à tuis sinas adulatoribus asserentibus ruinam hanc, in excidio vniuersali totius mundi per Antichristum futuram. Enimuerò sacra Scriptura tuam specialem ruinam recenset fore, vt in te non audiatur amplius vox molæ, &c. Si verò loqueretur de excidio vniuersali non tuam specialem pœnam, sed vniuersalem totius mundi commemorasset consummationem. Tua itaque ruina erit ante excidium vniuersale.

XXXIV.

CAP. IV.

Constantinopolitanam Ecclesiam paribus eminere priuilegijs cum Romana.

D

Summa Capitis.

Quæ fuerint occasiones Constantinopolitanæ Ecclesiæ ad Primatum in primo Concilio Constantinopolitano euehendæ explicatur, & Canon dicti Concilij ponitur, & stabilitur, à calumniaque Baronij liberatur, num. 1 2. 3. 4.

Idem Primatus in Concilio Chalcedonensi statuitur, eiusdemque Concilij Canon de hoc primatu à pluribus calumnijs vindicatur à num. 5. ad num. 9.

Primatus hic Constantinopolitanus, & consuetudine, & vsu continuato imperialique decreto firmatur à num. 10. ad num. 13.

E *Idem ab impugnatione Leonis Papæ defenditur à nu. 14. ad nu. 20.*

Ab alijs obiectionibus liberatur, à num. 21. ad finem.

TRes duntaxat Patriarchales sedes in toto Romano Christiano orbe agnouit Antiquitas; quia tres duntaxat fuerunt in Romano Imperio, adolescente Ecclesia, Vrbes maxime insignes & dignitate sæculari celeleberrimæ: vt ostendi libro tertio capite decimo; Romana, Alexandrina, Antiochena cum nondum Byzantium, fuisset Imperij sedes, & noua Romana. Postquá verò Byzantium facta est Constantinopolis, & noua Roma, Imperijque Romani sedes; sicut æquum fuit, ita & placuit Patribus Concilij primi Constantinopolitani Oecumenici, Ecclesiam Constantinopolitanam erigere in Patriarchalem; & Patriarchalibus priuilegijs exornare; proximumque

mumque post Romanam dignitatis locum, supra alias duas, ei tribuere; & consequenter primum locum dignitatis, inter omnes Ecclesias Orientales illam habere voluerunt; idque huiusmodi dato canone sanxerunt: [a] Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum, habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma.] Prius enim Byzantinus Episcopus, si Gelasio credimus, ne Metropolitanus quidem erat; sed [b] Heracleensis Metropolis suffraganeus. Quanquam ipsa Byzantina Ecclesia Apostolicam sedem se habere soleat gloriari: Cui, siue Petrus primos dederit Episcopos, sicut Alexandrinæ, vt contendit [c] Baron. ex quadam Agapeti Epist. in 5. Synodo generali lecta, siue Andreas primus eam fundarit Ecclesiam, vt Græcorũ volunt historiæ, in Menologio, & vterq; Nicephorus Constantinopolitanus in suo Chronico, & Calistus in suæ historiæ libro octauo capite septimo. Vnde & Sergius Patriarcha, in ipsa sui promotione ad Constantinopolitanam sedem, preces Theodori Syceotæ postulabat, [d] Vt Diuina gratia Episcopatu, & Apostolica sede dignus efficeretur. Neque vero negare possumus Constantinopolim, postquam sedes Imperialis facta est, ad maximam celebritatem & potestatem deuenisse: &, Romana Vrbe iam depressa, supra illam plurimum caput extulisse. Nazianzenus sane de Byzantio ait: [e] Quæ nunc ciuitas in Europa præcellit vniuersa.] Et: [f] Ciuitatem Orienti præsidentem, vocat idem. Magnam Regiam Vrbem, primam Ciuitatum, vocant [g] Monachi Orientales ad Agapetum scribentes. In ea [h] totius orbis populi aderant: Ac proinde, sicut prius Romana, dum esset & nomine & re caput orbis, ipsum orbem totum instruebat in fide, vt supra considerauimus; sic postea fecit Ecclesia Constantinopolitana: [i] Magna reuera ciuitas, *inquit Chrysostomus*, ac totus orbis Metropolis: Quot Episcopi, quot Doctores huc venerunt, & à populo docti discedunt; ac legem illam non scriptam, sed cordibus insitam, hic discunt? [k] Iam enim, *inquit Sozomenus*, non modo hanc appellationem (nouæ Romæ) Vrbs ea adepta erat, Senatuque & ordinibus, ac Magistratibus consimiliter vtebatur; verum & insignia quoque eadem Romano ritu præferebat, & iura pariter, atque honores vtrinque in omnibus congruebant.] Hæc sane Patres illos permouerunt, vt Patriarchali & honore, & officio, in paritate cum ipsa Roma veteri ipsam Constantinopolim decorarent. Ea profecto vsi ratione, vt ipsimet innuunt in suo canone, & explicat in parte Sozomenus; nimirum quandoquidem Roma vetus propter dignitatem duntaxat imperialem in ea residentem, habuit suum Episcopum Patriarchali summa dignitate Ecclesiastica, cum tot priuilegijs, & prærogatiuis eminentem, cum iam Constantinopolis ad eandem imperialem peruenerit dignitatem, cum omnibus imperialis residentiæ ornamentis, par omnino est, vt ipsa quoque habeat suum Episcopum, Episcopo Romano in omnibus priuilegijs, & prærogatiuis æqualẽ. Et ita reuera magnum illud Concilium Oecumenicum totam Romani Pontificis præeminentiam ab ipsa sola imperialis Ciuitatis dignitate profectam, cognoscit, & profitetur. Indeque iam parem voluit esse Romano Constantinopolitanum, in dignitate, humanisque priuilegijs, & prærogatiuis.

II. Visa sunt hæc adeò iusta, adeoque rationabilia toti tunc Ecclesiæ vniuersali, vt nemo inuentus sit per octoginta fermè annos, cui Decretum hoc conciliare, in tantæ Ecclesiæ decus, & autoritatem factum, aut iniquum, aut indecens videretur; quiue illud non, vt optimum, & æquissimum amplecteretur. Quis enim ante Leonem ei obstitit? Et tamen aderant cum Alexandrinus Timotheus, tum Meletius Antiochenus, tum etiam Cyrillus Hierosolymitanus; vt ex subscriptionibus eiusdem Concilij Patrum est manifestum; qui quia id æquum esse animaduertebant, tametsi ageretur de eorum præiudicio, quibus ipse Constantinopolitanus præferebatur; nihilominus tamen plenè in ipsum Decretum consenserunt, eique subscripserunt.

III. Canonem nihilominus illum Constantinopolitanum de Primatu eiusdem Ecclesiæ, post mille & ducentos, ac vltra annos, primus Baronius suspicatus est esse commentitium, & suppositum. Suspicionem ei mouerunt hæ rationes: [l] Prima, quod Anatolius à Leone per Epistolam 56. exagitatus, nequaquam se autoritate alicuius Canonis, à Constantinopolitano Oecumenico constituti, purgarit. Secunda ratio, quod Episcopi, qui sequenti anno Constantinopoli conuenerunt, in Epistola ad Damasum, nullam mentionem huius Canonis habuerint. Tertia, quod Timotheum Alexandrinum Episcopum, in cuius præiudicium hic Canon editus fuerat, hoc æquo animo sustulisse non sit probabile; Quare cum is nihil contradixisse legatur, Canonem de fide suspectum esse oportet. Quarta, quod superiori, ac præcedenti Canoni aduersari videatur; adeoque fidem omnem excedat, eundem

a Conc. Constãt. I. c. 3.

b Gelas. ep. 11.

c Baron. tom. 1. an. 44. n. 12.

d Apud Surium die 22. Apr. in Theodor.

e Nazian. orat. in fun. Cæsarij.

f Idem orat. de laud. Basilij.

g In Syn. Constan. sub Mana. act. 1.

h Gesta Agapeti apud Baron. to. 7. an. 536. n. 66.

i Chrys. hom. 4. in verb. Isa. Vidi Dominum.

k Sozom. l. 7. c. 9.

l Baron. an. 381. n. 35. 36. & an 382. n. 16. Binius notis in can. 3. Conc. 1. Const. an.

A B C D E

A dem ab eodem Concilio editum fuisse; qua ratione quæso, *inquit Baronius*, ex præscripto Nicæni Concilij voluit sancta Synodus, quibuscunque Prouincijs iura sua integra esse seruata; si in præiudicium aliarum Ecclesiarum, vni Constantinopolitanæ tanta priuilegia contulit?]

Suspicio tamen leuissima est, & prudenti viro, ac in rebus Ecclesiasticis versato indigna. Canonem enim etiam historiæ, vt verum, agnouerunt; illius enim & [a] Socrates, & [b] Sozomenus meminerunt. Et in Concilio Oecumenico Chalcedonensi [c] eiusdem, vt Constantinopolitani Canonis, mentio est. Imò & legati Apostolici [d] fatentur, de hoc priuilegio Constantinopolitanæ Ecclesiæ, mentionem in Constantinopolitano Concilio factam perhiberi. Et quotquot ex Romanis Pontificibus, contra Constantinopolitanum Primatum insurrexerunt, omnes Canonem quidem vti verum & genuinum agnouerunt; & nemo vt impostura eum negauit; illum tantum, vt iniquum & indebitum ab eis reputatum repulerunt. Et cur, quæso, Ecclesia Romana [e] Canones Concilij Constantinopolitani primi non admisit, ijs solis exceptis, qui aduerlus Macedonium sunt definiti, nisi quia aderat Canon hic de Primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ? Leo verò, Gelasius, Gregorius, & Nicolaus, qui in Constantinopolitanum Primatum acriùs sunt inuecti, de impostura nunquam sunt suspicati; neque est vlla causa id suspicandi. Ad primam rationem respondeo, ex his Leonis Epistolis satis apparere, fundamentum totum Anatolij fuisse ante omnia Decretum Constantinopolitanum: Ait enim Leo ad eundem Anatolium scribens; [f] Persuasioni tuæ, in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, vt iactas, annos facta subscriptio.] Quis non videt hæc ad Concilium Constantinopolitanum referri? Imò vt infertius ponetur, vnus Episcopus, ad hoc missus, hoc idem Decretum Papæ ipsi Romæ intimauerat; qui illud etiam admiserat & approbarat. Ad secundam respondeo, de prærogatiua illa noua, Patres illi siluerunt, quia nihil intererat Romani Pontificis, quod Constantinopolitana facta fuisset secunda sedes: Ipsi enim Romano Pontifici suus ordine primus locus seruabatur. Id tamen factum fuit consentientibus illis, nempe Alexandrino, & Antiocheno, quorum intererat, & quibus fiebat aliquod præiudicium. Ea itaque sola Romano Pontifici significarunt; in quibus, ad vnionem, & communionem necessariam, ipsius & totius Occidentis requirebatur consensus; hoc verò priuilegium non erat tanti momenti, vt in eo esset necessarius totius Ecclesiæ assensus, modo Alexandrinus, & Antiochenus consentirent. Ad tertiam, non contradixit Timotheus, quia de ipsius quoque assensu factus est Canon; quem æquum & rationabilem, vt dictum est, plane cognoscebat. Ad quartam respondeo, Eo priuilegio nullum præiudicium Nicænis Canonibus esse generatum; qui inter sedes ipsas Patriarchales, nullum ordinem prioritatis, aut posteritatis posuerunt: sed vt quæque suis se limitibus coerceret statuerunt. Priuilegium porro hoc non nisi honoris primum locum Constantinopolitano Patriarchæ tribuit post Romanum. Et quamuis Prouincias aliquas, nimirum [g] Thraciæ, & Ponti, aliasque Barbaras, quæ extra Romanum erant Imperium, quæque iam de more & [h] consuetudine à Constantinopolitano ordinabantur, eripuerint Antiocheno, qui iuxta regulas Nicænas fuerat totius [i] Orientis declaratus Patriarcha; id tamen non est contra ipsas Nicænas regulas; quæ non vetuerunt, vt non liceat Ecclesiæ magnas Prouincias in minores partiri, & nouas erigere Ecclesias Metropolitanas; dummodo Metropolitanus quisque in alienam non irrumpat Prouinciam, sed intra suam se coerceat; & Patriarcha, iuribus Patriarchalibus contentus, sibi subditos non turbet Metropolitanos; sic enim Can. 2. idem Concilium Constantinopolitanum præmisit, vt Thracia à Thraciæ, Pontus à Ponti Metropolitano ordinetur; licet & Thracia, & Pontus, iure Patriarchali, iam Constantinopolitano subijcerentur: hoc est, vt ipsi Metropolitani tum Thraciæ, tum Ponti à Constantinopolitano ordinentur; quod secundo prædicto Canoni nihil repugnat.

IV.

a *Socrat. l. 5 c. 8*
b *Sozom l. 7. c. 9*
c *Concil. Chalced. c. 28. act. 15.*
d *Ibid. act. 16.*
e *Greg. l. 6. Ind. 15. ep. 31.*
f *Leo ep. 56.*

E In Concilio Chalcedonensi, (fortasse ita instante, & solicitante Anatolio, vt queritur [k] Leo; nimirum cupiente se à molestijs, quas à Romanis Pontificibus Constantinopolitani patiebantur, post hanc Constantinopolitanæ sedis euectionem, liberare) fuit idem Constantinopolitanus Canon de Primatu illius sedis confirmatus. Ac primum quidem iam introductam consuetudinem, vt causæ Ecclesiasticæ totius Orientis, quæ in proprijs Prouincijs terminari vix possent, ad sedem Constantinopolitanam deferrentur, Concilium hoc Chalcedonense bis confirmauit: [l] Vt si aduersus eiusdem Prouinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, vel de rusticis Parochijs lis oriatur; petat aut Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ Vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur.]

V.

k *Leo ep. 56.*
l *Concil. Chalced. c. 9 & 17.*

iudicetur.] Deinde vero, ad Primatum dictum, & confirmandum, & declarandum accedens; ita statuit ac definit: [a] Vbique sanctorum Patrum definitiones sequentes; & canonem, qui nuper lectus est centum & quinquaginta Deo amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore Theodosio Magno, in Regia ciuitate Constantinopoli noua Roma agnoscentes; eadem quoque & nos definimus, & statuimus de priuilegiis eiusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ nouæ Romæ. Etenim sedi senioris Romæ, quod Vrbs illa imperaret, Patres iure priuilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti, centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi, æqua priuilegia tribuerunt sanctissimæ sedi nouæ Romæ; recte iudicantes Vrbem quæ & Imperio, & Senatu honorata sit, & æqualibus priuilegiis cum seniore Regia Roma fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis; non secus ac illa, extolli, ac magnificri, secundam post illam existentem; vt & Ponticæ, & Asianæ, & Thracicæ Diœceseos Metropolitani soli; præterea & qui sunt in Barbarico Episcopi prædictarum Diœceseon, ordinentur in prædicto sanctissimo throno, sanctissimæ Constantinopolitanę Ecclesię; nimirum vnoquoque Metropolitaearum ipsarum Diœceseon, vna cum Episcopis Prouinciæ, ordinante Prouinciæ Episcopos; vt diuinis canonibus promulgatum est. Metropolitas vero earum Diœceseon ordinari à Constantinopolitano Archiepiscopo, electionibus conuenientibus secundum morem factis, & ad eum perlatis.]

VI. Paschasinus tamen, & Lucentius Episcopi, & Legati Romani, post peractum negotium de rebus fidei, [b] rogati à Patribus Concilij, vt communicarent etiam alijs gestis, quæ iuxta consuetudinem Conciliorum, post res fidei, etiam circa regimen Ecclesiasticum solent, Canonum editione, adijci; negarunt suam præsentiam: se alia suscepisse à Leone mandata afferentes. Idem quoque retulerunt ijdem Patres Iudicibus Concilij; qui nomine Imperatoris aderant; & hi tulerunt, vt Concilium illa quoq; inspiceret: atq; ita delicentia Iudicum Canones, inter quos est ille de Primatu Constantinopolitano, consentente sane toto Concilio, sunt formati; neque in occulto quidquam gestum est; vt habent acta, neque furtim; sed recto ordine, atque canonice. Paschasinus tamen & Lucentius Legati prædicti, conquesti sunt coram Iudicibus quædam gesta esse in Concilio, post ipsorum Legatorum, imo etiam iudicum abscessum: prædictusque peculiaris canon vt legeretur curauerunt: quo lecto, statim secuta est subscriptio totius ferme Concilij: cui subscriptioni statim Lucentius circumuentionem & coactionem obiecit. Sed omnes Episcopi clamauerunt; nemo coactus est. Tunc obiecit Lucentius, Canonem *hunc esse contrarium* Canonibus Nicænis: & in Concilio quidem Constantinopolitano primo, ante octoginta annos, mentionem factam esse huius priuilegii; sed in Synodicis Canonibus illud non haberi, atque sic arguit: si hoc priuilegio vsi sunt à tempore Concilii Constantinopolitani quid nunc requirunt? si nunquam vsi sunt, quare requirunt?] Tunc requisiti ipsi legati, an super hoc mandatum speciale haberent; protulerunt huiusmodi commissionem: Sanctorum Patrum constitutionem prolatam, nulla patiamini temeritate violari: seruantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem: ac si qui forte ciuitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentauerint vsurpare; hoc qua dignum est constantia retundatis]

VII. Tunc Iudices legi mandauerunt Nicænum canonem sextum; qui vno modo lectus est à Paschasino Legato Papæ, prout ex Archiuis Romanis fuerat delatus; alio modo ex codice Græco, à secretario Concilii est recitatus. Similiter etiam Canon Constantinopolitanus Nicæno conformis est recitatus, cum adiectione priuilegii Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Quibus perlectis, Iudices dixerunt: hi qui relecto tomo subscripserunt, Asiani, & Ponti sanctissimi Episcopi, dicant, si voluntate propria, vel imposita sibi aliqua necessitate coacti subscripserunt: & duodecim quidē ex ipsis singillatim se libere, & sponte subscripsisse sunt professi; rationes etiam varias adducentes, cur merito debeant Constantinopolitano subesse Patriarchæ; inter quos Eusebius Dorylei: [c] Sponte, *inquit*, subscripsi: quoniam & hanc regulā sanctissimo Papæ in Vrbe Roma ego relegi; præsentibus clericis Constantinopolitanis, eamq; suscepit.] Et Calogerus Claudiopolitanus: Secundū sententiam, *inquit*, Sanctorum Patrum 150. voluntate propria, non coactus, subscripsi.] Ita etiam Antiochus synopsis dixit: sponte subscripsi, sequens Metropolitanum meum, & regulam 150.] Et Eleutherius Chalcedonensis dixit: Sciens quia & per Canones, & per consuetudinem præcedentem, habet hæc iura Constantinopolitana sedes, cum voluntate subscripsi.] Cæteri Episcopi Asiæ & Ponti clamauerunt; sponte subscripsimus.] Inde Eusebius

a *Concil. Chalced act. 15. c. 28.*

b *Idem Concil. act. 16.*

c *Ibid. act. 16.*

A Eusebius Ancyranus, qui non subscripserat, interpellatus à Iudicibus, aliqua in sui excusationem dixit.

His omnibus sic peractis, & auditis; visaque voluntate eorum Episcoporum, de quorum videbatur agi præiudicio; Thraciæ nimirum, Ponti, & Asiæ, qui nouo Patriarchæ, prius consuetudine paulatim introducta, vt dicebat Eleutherius; deinde etiam Canone Concilij Constantinopolitani generalis, ac demum huius Concilij Chalcedonensis confirmatione, & declaratione libenter subijciebantur; Iudices Imperiales suam protulerunt sententiam, in hanc formam; [a] Ex his quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque depolita, perpendimus omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum, secundum Canones antiquæ Romæ, Deiamantissimo Episcopo conseruari. Oportere autem sanctissimum Archiepiscopum Regiæ Constantinopolis nouæ Romæ, eisdem primatibus honoris, & ipsum dignum esse, & potestatem habere ordinare Metropolitas, in Asiana, & Pontica, & Thracica Diœcesibus: secundum hunc modum, vt Decreto facto à Clericis vniuscuiusque Metropolis, & possessoribus, atque clarissimis; super hæc, & à reuerendissimis Episcopis Prouinciæ omnibus, aut plurimis eligi, quemcunque præfati Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopi dignum esse probauerunt. Referri autem ab omnibus eligentibus, sanctissimo Archiepiscopo Regiæ Constantinopolis, vt penes eum sit, si velit, hunc qui electus est, deductum hic ordinari; aut secundum eius permissionem in Prouincia Episcopatus mereri Decretum. Vniuscuiusque tamen Ciuitatis sanctissimos Episcopos; ab omnibus ordinari, aut plurimis Prouinciæ reuerendissimis Episcopis, potestatem habente Metropolitano, secundum Patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus sanctissimo Archiepiscopo Regiæ Constantinopolis. Hæc à nobis inspecta sunt. Quæ autem videntur sanctum, & vniuersale Concilium docere dignetur. Reuerendi Episcopi dixerunt: Hæc iusta sententia: hæc omnes dicimus: hæc omnibus placent: hæc omnes dicimus: hoc iustum Decretum, quæ constituta sunt valeant: hæc iusta sententia, omnia ordinatè decreta sunt.] Hic Lucentius suam interposuit contradictionem. Post illam Ioannes Sebastenus ad Iudices conuersus dixit: Omnes in sententia vestræ magnificentiæ permanemus. Viri illustrissimi Iudices dixerunt: quod interlocuti sumus, tota Synodus approbauit.] Hucusque acta Concilij Chalcedonensis, in quibus patet magna cum maturitate in confirmatione illius priuilegij processum esse; & obiectiones Legatorum Romanorum fuisse ventilatas; & ab ipso toto Concilio reiectas, vt planè fatetur etiam Liberatus [b] Diaconus, in suo Breuiario. Neque dubitari potest illud fuisse legitimum Conciliare Decretum; cuius plenam notitiam per [c] Synodicas suas, Concilium ipsum dedit Papæ Leoni; vt & ipse actis, ac decretis Conciliaribus, suum associaret assensum. Admisit verò omnia, & approbauit Leo, [d] quæcunque in fidei causa definita fuerant: Canones non admisit.

VIII.

a Concil. Chalcedon. act. 16.

b Liberat. Breuiar. c. 13.

c Concil. Chalced. act. 16.

d Leo Ep. 65.

Volui hic tibi, Lector, exactius acta Concilij Chalcedonensis referre; quia ea Baronius mutilata profert; vt liceat ei tandem concludere; [e] Actionem illam vltimam, in qua confirmatus est [f] Canon de Primatu Constantinopolitano, [g] spuriam, & clandestinam, fuisse ab Anatolio furtim adiectam. Cùm tamen, vt vidimus, actio illa tota iustificatissima fuerit, & maximè legitimis modis celebrata, præsentibus semper tribus Legatis Apostolicis, licet contradicentibus; & diligenti facto examine; cum legitimis, & liberis subscriptionibus; cum processu, examine, & sententia definitiua, Conciliarique plena approbatione. Falsum igitur est quod opponitur clam, & inscijs Romanis Legatis, Canones illos fuisse cusos. Nam facti sunt certiores ipsi Legati, & rogati vt gestis adessent, sed refugerunt. [h] Stropham in hoc, vafriciem, & proditionem ponit Baronius; cùm tamen ipsius sit stropha, vafricies, & proditio; in eo præsertim quod comminiscitur ipsum Concilium noluisse esse præsentes Aegyptios Episcopos, ne, inquit, reclamarent, dum in præiudicium sui Patriarchæ Alexandrini, Constantinopolitanus supra ipsum euehitur. Et tamen maximo conatu, ac fermè intolerabili importunitate, ipsi Episcopi Aegyptij [i] restiterunt, ne subscriberent, non Canonibus Chalcedonensibus, sed Epistolæ Leonis de Verbi incarnatione, donec ipsorum Primas Alexandrinus Patriarcha crearetur. Qui ergo nimia obstinatione restiterunt, ne subscriberent tam necessario dogmati contra Nestorianos, antequam haberent suum Patriarcham quem sequerentur; quomodo subscripsissent Canonibus Conciliaribus, circa Ecclesiastica externa regimina? Vt propterea vltimo canone, Patres Chalcedonenses, eis compati voluerint; & à seueriori censura liberare. Et non erubuit Baronius, contra tam manifesta acta asserere, Episcopos Orientis astu fecisse, vt Aegyptij non interessent? Qui tamen postquam noluerunt subscribere Epistolæ Leonis, actione quarta, ordinationem

IX.

e Baron. tom. 6. an. 451. n. 128. & seqq.

f Euagr. l. 2. c. vlt. in fin.

g Baron. ibid. num. 143.

h Baron. ibid. num. 135.

i Concil. Chalcedon. act. 4.

nem sui Archiepiscopi, in locum Dioscori depositi, expectantes, nulli amplius Actioni Concilari interfuerunt: sed Chalcedone, peneligati, & perpetuo de hæresi suspecti, priuatim subsistebant. Et tandem peracto Concilio, [a] damnato Eutychete & Dioscoro, factaque subscriptione Epistolæ Leonis, reuersi sunt Alexandriam; ibiq; Proterium, Dioscoro viuenti, sed damnato, substituerunt. A

a Liberat. Breuiar. c 14.

X. Primatus itaque Ecclesiæ Constantinopolitanæ non incepit à Canone, neque à Conciliis; sed sicut Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, consuetudo ante omnia parturijt, canones vero & Concilia ac leges pepererunt; ita dignitas Imperialis Vrbis Constantinopolitanæ occasio fuit, vt Episcopus illius, & ipse, dignitate & existimatione auctus, cœperit paulatim ordinare circumuicinarum Prouinciarum Metropolitanos; Imperatore præsertim & fauente, & [b] poscente. Nam & consuetudinem præcessisse canones, in primatu Constantinopolitano, supra testabatur Eleutherius Chalcedonensis. Et ipsimet Patres huius Concilij in literis ad Leonem Romanum Pontificem, aperte asserunt; [c] se consuetudinem, quæ iam ex longo tempore permanserat, decreto firmasse. Inde igitur Concilium Constantinopolitanum, & postea Chalcedonense, rem suis decretis confirmarunt. Et post Honorium (de quo inferius) eundem primatum, lege lata, sanxit Leo Imperator, in hæc Verba: [d] Sacrosanctam quoque Religiosissimæ huius ciuitatis Ecclesiam, & Matrem nostræ pietatis, & Christianorum Orthodoxæ religionis omnium, & eiusdem Regiæ Vrbis Sanctissimam sedem, priuilegia & honores omnes super Episcoporum creationibus, & iure ante alios residendi, & cætera omnia, quæ ante nostrum Imperium, vel nobis imperantibus, habuisse dignoscitur, habere in perpetuum firmiter, Regiæ Vrbis intuitu, iudicamus, & sancimus.] Et paulo post Basiliscus Imperator, priuilegia Ecclesiæ Constantinopolitanæ confirmans ait,: [e] Quin etiam prouincias, quarum Episcoporum creatio penes sedem huius Regiæ & illustris ciuitatis est, Reuerendissimo, & Sanctissimo Patriarchæ & Episcopo Acacio restitui, atq; Episcopos, qui illis etiam præsunt Prouincijs, proprias nihilominus sedes tenere; sic, vt post istorum mortem, nullum præiudicium, contra ordinationis ius, quod ad sanctam sedem huius Regiæ & eximiæ Vrbis pertinet, ex ea re fiat. Denique quod hoc Diuinum nostrum decretum vim habeat Diuini edicti, nemini dubium, & obscurum esse volumus.] Ac postea Iustinianus: [f] Sancimus, *inquit*, secundum Ecclesiasticorum canonum definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium Sacerdotum; Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos, nouæ Romæ, secundum habere locum post Sanctam Apostolicam sedem senioris Romæ; alijs autem omnibus sedibus præponatur.] Neque hanc legem reprobat, sed admittit [g] Leo nonus: At [h] Baronius eam contra ius, & fas editam clamat; sed imperite. B C D

b Simplic. ep. 14

c Conc. Chalced. act. 16.

d C. de Sacrosanct. Eccl. l. 16.

e Apud Euagr. l. 3. c. 7.

f Nouel. 131. c. 2.

g Leo 9. ep 1. c. 2[8].

h Baron. tom. 7. an. 451. n. 20.

XI. Leoni tamen magno Priuilegium hoc Constantinopolitanum visum est intolerabile; ipseque primus omnium, contra ipsum [i] insurrexit acerrime. Et tamen tempore Leonis erat iam sedes Constantinopolitana in pacifico possessu huius primatus, tum ex consuetudine vt ostendi, tum ex canone Constantinopolitani Concilij, imo ex legibus etiam Imperialibus, vt mox dicam. Et longe falluntur qui [k] negant, ante Concilium Chalcedonense sedem Constantinopolitanam vsam esse illo priuilegio; vt propterea Leo se acriter opposuerit. Erat enim profecto in vsu etiam ante Concilium Constantinopolitanum, vt dicebat Eleutherius Chalcedonensis: & ante Chalcedonense, post Constantinopolitanum, multo magis; vt mox ostendam. Cur enim Leo dat in mandatis suis legatis, quod supra vidimus numero sexto, vt opponant se conatibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, nisi quia videbat illam iam frui tali priuilegio; & conaturam, vt adhuc melius, occasione Concilij generalis confirmaretur? Ac propterea Legati Papæ in Concilio Chalcedonensi ita arguebant: [l] si his temporibus hoc beneficio vsi sunt, quid nunc requirunt? si nunquam vsi sunt, quare requirunt?] Vsi enim sunt, vt iam probabo; & tamen confirmationem postulant, vt vsus, etiam canone iam alterius Concilij generalis, confirmetur; & sic se melius à molestijs Romanorum Pontificum obsistentium liberent, & tueantur. E

i Leo. ep. 56. 57. 58.

k Leo. ep. 58.

l Conc. Chalced. act. 16.

XII. Vsum verò facilè probamus. Primum, quia Eleutherius Chalcedonensis, supra nu. 7 testabatur in Concilio Chalcedonensi, Ecclesiam Constantinopolitanam habere iura illa Primatus, etiam ex præcedenti consuetudine, antequam ille Canon fieret in Concilio Constantinopolitano. Et vbi singulis primatibus assignatur in eodem Concilio Constantinopolitano suæ Prouinciæ, quas iuxta Nicænos Canones regere debeant, [m] Constantinopolitano

m Socrat. l. 5. c. 8.

A nopolitano Episcopo assignatur Thracia, tanquam ipsius propria, quam iam haberet, Prouincia: sed in Concilio Chalcedonensi, ex confessione Episcoporum Ponti, & Asiæ apparet, post Concilium Constantinopolitanum etiam Asiam, & Pontum, sola consuetudine ad Constantinopolitanum accessisse; ideoque idem Concilium Chalcedonense Thraciam, Asiam, & Pontum ei assignat, vt earum Metropolitanos possit ordinare. Deinde verò idem vsus post Concilium Constantinopolitanum, & ante Concilium Chalcedonense, confirmatur etiam ex factis, quæ sequuntur.

XIII.

Ioannes [a] Chrysostomus, libellos accusationum aduersus Theophilum Alexandrinum à Monachis Aegyptijs accepit, & iudicium agitauit: Asianos Episcopos iudicat, & condemnat: Visitat Asiam & deponit [b] Episcopos, etiam Metropolitanos, vt Nicomediensem. [c] Atticus Constantinopolitanus Siluanum Philosophum, Philoppopolis donauit
B Episcopatu. [d] Proclus, Talassum Præfectum Prætorio facit Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopum. Honorius Imperator, iura Patriarchatus Constantinopolitani ad Illyricum extendi debere, promulgata sanctione constituit, quæ talis est: [e] Omni innouatione cessante vetustatem, & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui vsque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Prouincias teruari, præcipimus. Si quid dubietatis emerserit, id oporteat, non absque scientia viri Reuerendiss. sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ Constantinopolitanæ quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, conuentui Sacerdotali, sanctoque iudicio referuari.] Canonem verò Constantinopolitanum de Primatu illius Ecclesiæ Romano Pontifici fuisse delatum, & ab eo acceptum, sicut supra testabatur Eusebius Dorylæi, ita codex Canonum, quem sibi Romana collegerat Ecclesia, id confirmat; quia Canonem Constantinopolitanum cum adiectione illius priuilegij habet, & tamen Canonem Chalcedonensem, quia illum nondum acceptarat, non habet; vt videre est in dicto codice
C Canonum ex vetustissimis exemplaribus desumpto, & impresso Moguntiæ, anno 1525. quo vsa est Ecclesia Romana per multa sæcula, antequam immensa volumina iuris Canonici fuissent à Gratiano, Raymundo, & alijs centonum collectoribus consarcinata. Certè Nicolaus [f] Canonem illum, quem sextum vocat Constantinopolitanum, Romæ inueniri negare non potuit. Et nondum indictum fuerat Concilium Chalcedonense, cum [g] Eusebius Dorylæi, causam Eutychetis vehementius commendat Flauiano Constantinopolitano; qui & in ea coacta Synodo [h] plurimum laborat. Sic etiam causa [i] Ibæ Edesseni supplici libello eidem Flauiano offertur. Et Anatolius in Concilio Chalcedonensi, cum nondum in eo fuerat factum Decretum de Primatu Constantinopolitano post Legatos Romanos, in dicenda sententia primus est; vt patet potissimum in damnatione Dioscori. Act. 3.

a Palad. in Dial. de vit. Chrysost. & Baron. tom. 6. an. 402. & 403.
b Sozom. l. 8. c. 6.
c Socrat. l. 7. c. 36
d Ibid. c. vlt.
e De sacros. Eccles. l. 6.
f Nicol. ep. 8.
g Apud Concil. Chalced. act. 1.
h Inter Epistolas Leonis post. ep. 10.
i Apud Concil. Chalced. act. 10.

XIV.

Chalcedonense verò Decretum hoc de Primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ, omD nium acerrimè tunc Leo Pontifex Romanus est insectatus. Excanduit enim vehementissimè in Anatolium Constantinopolitanæ tunc sedis Antistitem, quem putauit fuisse huius Decreti conficiendi non sine dolosis artibus autorem. Audiamus ipsummet Leonem contra ipsum Anatolium in hac causa, & contra dictum Decretum rugientem; Ad Anatolium hæc vox eius; [k] Post illa ordinationis tuæ non inculpata principia — doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicænorum Canonum constitutiones conaueris infringere; tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit: vt his locis iuri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis, & nunquam ante tentatis, ita præueniris excessibus, vt Sanctam Synodum (*Chalcedonensem*) ad extinguendam solum hæresim, & confirmationem fidei Catholicæ, studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambE itus trahas; &, vt conniuentiam suam tibi det, impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo: & illa Nicænorum Canonum per Spiritum verè Sanctum ordinata conditio in aliqua vnquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur; neque trecentis illis decem atque octo Episcopis, quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre; cum tanto diuinitus priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus autoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt praua, quæ sacratissimis Canonibus inueniuntur esse contraria In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio; quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, vt fra-

k Leo ep. 56.

tres

tres in fidei tantummodo negocio conuocatos, & definitione eius causæ, quæ erat curanda perfunctos, ad consentiendum sibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri ab Apostolica sede directi, qui vice mea Synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt: aperte reclamantes, ne contra institutа Nicæni Concilij præsumptio reprobæ nouitatis assurgeret; nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in Epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obuiare. In quo eos quidem multum mihi hæc scribendo commendas: sed temetipsum quod eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas: superflue non concedēda appetens, & insalubriter tibi contraria concupiscens; quæ nullum vnquā poterunt nostrum obtinere consensum. Absit enim à conscientia mea, vt tam praua cupiditas meis studijs adiuuetur; ac non potius & meo, & omniū qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur. Sancti illi, & venerabiles Patres; qui in Vrbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum cōdiderint, & apud nos, & in toto orbe terrarum, in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam, aliter quam illi statuerunt præsumitur, sine cunctatione cassatur: vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur; nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa: & manentibus terminis, quos constituerunt Patres; nemo in ius tendat alienum; sed intra fines proprios, atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine se charitatis exerceat; cuius satis vberes fructus Constantinopolitanus potest Antistes requirere, si magis humilitatis virtute nitatur; quam si spiritu ambitionis infletur. Noli frater altum sapere sed time; & Christianissimorum Principum pijssimas aures, improbis petitionibus, inquietare desiste: quibus certum habeo, modestia te magis, quam elatione placiturum. Peruasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, vt iactas, annos facta subscriptio; nunquamque à prædecessoribus tuis, ab Apostolicæ sedis transmissa notitiam; cui ab initio sui, caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc, & inutilia subijcere fomenta voluisti; eliciendo à fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam iniuriam verecundia fatigata præberet. Memento quid Dominus ei, qui vnum de pusillis scandalizauerit, comminetur; & sapienter intellige, quale sit Dei iudicium subiturus, qui tot Ecclesijs, tot Sacerdotibus, scandalum inferre non metuit. Fateor enim, ita me dilectione vniuersæ fraternitatis obstringi, vt nemini prorsus, in his quæ contra se poscit, assentiam; possisq; euidenter agnoscere, me dilectioni tuæ beneuolo animo contraire, vt saniore consilio, ab vniuersalis te Ecclesiæ perturbatione contineas. Non conuellantur Prouincialium iura Primatum, nec priuilegijs antiquitus institutis, Metropolitani fraudentur Antistites. Nihil Alexandrinæ sedis eius, quam per sanctum Marcum Euangelistam B. Petri Discipulum meruit, pereat dignitatis: Nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ, tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum prædicante B. Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est; in paternæ constitutionis ordine perseueret: & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes; aliud præsidentes: & magnus vnicuique honor est integritas sua. Quæ cum in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quanto magis in Constantinopolitanæ Vrbis magnificentia potest esse glorioſa, si per obseruantiam tuam, & defensionem paterni canonis, & exemplum probitatis, multi habeant Sacerdotes.]

XV.

Et ad Martianū Augustū, de eodē Anatolio conquerens ait: [a] Qui etiamsi præcipuis meritis, optimoq; iudicio, legitime fuisset ac solenniter ordinatus; contra reuerentiā canonū paternorū, cōtra sancti spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragijs adiuuari. Apud Christianū, & vere religiosū, vereq; orthodoxū Principē loquor; multum Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augumento. Habeat sicut optamus Constantinopolitana ciuitas gloriam suam; ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum; nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio, propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit quod prædicto vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur Regiam Ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem; nec vllo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum, sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse

a Leo ep. 57.

A necesse est me perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me, quod absit, conniuente violentur; & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuersæ domus Domini communis vtilitas.] Et paulò post: Vnde, quia conuenit fidei vestræ, vel gloriæ, vt sicut hæresis, Deo per vos agente destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur; agite quod & Christianæ est probitatis, & Regiæ; vt prædictus Episcopus pareat Patribus; consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenum, sine vllo exemplo, contra statuta Canonum, Episcopum ordinare præsumpsit; quod amore reparandæ fidei, & pacis studio retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum, & illicitos declinet excessus; ne se ab vniuersali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat.]

XVI.

B Et Pulcheriæ Augustæ; [a] Confirmato autem, *inquit*, in vnitate Euangelij vniuerso mundo, & in eodem spiritu sensus directis cordibus omnium Sacerdotum, optimum fuerat tupra illa, propter quæ sancta est Synodus congregata, & quæ secundum pietatis vestræ studium, probabili sunt fine conclusa; nihil quod tanto bono contrarium esset inferri, nec per occasionem Episcopalis Concilij, id in commune appeti, quod non licuit concupisci. Frater enim & Coepiscopus meus Anatolius, parùm considerans quanto pietatis vestræ beneficio, & mei fauoris assensu, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium fuerit consecutus; non tam de adeptis gauisus, quam de immodicis appetendis, supra mensuram sui honoris accensus est, credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quod ei quorundam consensum præbuisse dicitur extorta subscriptio; cum tam destruendis mox conatibus, contradictio fratrum, & Coepiscoporum meorum vicem meam agentium, fideliter & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra statuta paternorum Canonum, quæ antè longissimæ ætatis annos, in vrbe Nicæna, spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur? ita vt, si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quàm illa corrumpat; quæ si, vt oportet, à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax; & firma concordia; nullæ de mensuris harum dissensiones; nullæ de ordinationibus lites; nullæ de priuilegijs ambiguitates; nulla erunt de aliena vsurpatione certamina; sed ea quæ iure charitatis rationabilis est, & morum, & officiorum seruabitur vnanimitas. Et ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino; Quicunque voluerit inter vos maior fieri, &c. — Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis in summa transire. Constantinopolitanæ verò præsuli Ecclesiæ, quia amplius quàm assecutus est concupiscit, quid illi satisfaciet, si tantæ vrbis magnificentia, & claritudo non sufficit? Superbum nimis est, & immoderatum vltra fines proprios tendere; & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere; atque vt vnius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus; quietisque Prouincijs, & olim sanctæ Synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre; atque vt venerabilium Patrum Decreta soluantur, quorundam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius iactantiæ esse iactatur, qua se prædictus Episcopus æstimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiamsi quisquam ausus est velle; nullus tamen potuit obtinere. Agnoscat cui successit viro, & repulso omni spiritu elationis, Flauiani modestiam, Flauiani humilitatem, quæ illum vsque ad confessionis gloriam prouexit, imitetur. Cuius si velit splendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimum dilectionis acquiret; non ambiendo humana, sed promerendo diuina. Hæc autem obseruantia eum quoque illi animum spondet copulandum, & Apostolicæ sedis dilectionem, quam Constantinopolitanæ

E Ecclesiæ semper impendimus, nulla mobilitate violandam. Quia si interdum immoderati præsules aliquas incidunt culpas; Ecclesiarum tamen Christi integra gratia perseuerat. Consensiones verò Episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus; & per autoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus; in omnibus Ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum, per trecentos decem & octo Antistites, Spiritus Sanctus instituit; ita vt etiamsi multò plures alij, quàm illi, statuere decernerent, in nulla reuerentia sit habendum, quicquid fuerit à prædictorum constitutione diuersum,] Hactenus Leo. Similia repetit, & inculcat in Epistolis quoque 63. 66. tom. 1. Epist. Decretal. Rom. Pont. Hæc autem integra, & si longiora afferre volui, & non mutilata, vt Leonis sensus totus appareat: & mihi ad alia quoque in sequentibus inseruiant.

a Idem Leo Ep. 58.

XVII. In his tamen ipsis nihil magis vrget Leo, quàm Nicænorum Canonum iniuriam, & violationem; atque hac prætensione armatus, Constantinopolitano priuilegio resistebat. Reuera tamen se solum totius vniuersalis Ecclesiæ Monarcham esse cupiebat; neque facile patiebatur socium, & æmulum in Ecclesiastico Imperio, licet vno dignitatis gradu, inferiorem; [a] Non capit regnum duos. [b] Habeat, *inquit*, sicut optamus Constantinopolitana ciuitas gloriam suam — Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum; nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio: propria perdit qui indebita concupiscit.] Hæc profectò ad præiudicium sedis Romanæ pertinere quisque nouit. Ideoque Legatis suis ad Concilium Chalcedonense missis mandat idem Leo, vt personæ suæ seruent dignitatem, Constantinopolitano Primatui resistendo; vt habemus supra, num. 6. Hinc igitur illæ lachrymæ. Non potest pati nouum Primatum Constantinopolitanum, quia ille Romanum Primatum videbatur deprimere, dum nuper Patriarcha Constantinopolitanus assurgit ad omnimodam æqualitatem cum Romano. Atque hoc absolutam Romanam Ecclesiasticam Monarchiam conuellebat, quam sibi ex diuina per Petrum institutione iam effingebat.

a Socrat. in Theophil.
b Leo ep. 57.

XVIII. Nicænorum porro canonum iniuriam, in hac Constantinopolitana euectione nullam ego obseruo: Nam, vt supra etiam mouui, Nicæni Canones nihil de ordine inter Patriarchales Ecclesias statuunt; sed potius supponunt æqualitatem inter illas; & illud duntaxat præcipiunt, vt suis se quisque detineat limitibus; nec in alienam irrumpat Prouinciam; dum scilicet aliena est; finesque circunscribunt Alexandrino, & Antiocheno, sicut iam Romano, ex ipsa consuetudine præscriptos esse cernebant; vltra quos extendi eis non liceret: sed non prohibent quo minus possint fines eorum retrahi, & decurtari, nouarum Metropolum legitima erectione. Eam enim legem ponunt vniuersalē, vt cuiq; Metropolitano sua iura illæsa seruentur; non modo videlicet ijs, qui tunc tēporis erant Metropolitani; sed etiam reliquis omnibus, qui successu temporum exurgerent. Quemadmodum igitur consuetudo Ecclesiastica occasionem dedit Nicæno canoni, fines Patriarchis & Metropolitanis præscribendi; ita quid obstat quominus vlterior consuetudo, alios siue Patriarchas, siue Metropolitanos instituat; eaque consuetudo Conciliaribus Oecumenicis firmetur decretis; sicut Nicænis anterior consuetudo firmata fuit? Et hoc Costantinopolitanæ Ecclesiæ contigisse iam ostendi. Nihil ergo contra Nicænum canonem faciunt Constantinopolitani & Chalcedonensis Concilij Decreta; licet Antiocheno Patriarchæ, pars aliqua magni sui Patriarchatus, eo præsertim consentiente, per Concilia generalia abscindatur; (nam Alexandrino nihil ereptum est suarum Prouinciarum) dummodo Constantinopolitanus suis finibus iam sibi legitime assignatis contentus, non inuadat in fines alienos: quod potissimum Nicæni canones prohibuerunt; & in hac parte omnibus sunt seruandi; neque vllus Episcoporum numerus licet maior, vt vult [c] Leo, post eos conuellere, ac licitum facere, vt Patriarcha quicunque, seu Primas, aut Metropolitanus, possit in alienam Prouinciam, extra proprios fines sibi legitime præscriptos, se extendere; præsertim in ordinationibus Episcoporum, seu Metropolitanorum faciendis. Nam aliquod priuilegium, & consuetudo, & Canones, & leges Patriarchis, Ciuitatum præsertim Imperialium, sup a reliquos Patriarchatus etiam indulsisse ostendam cap. 9. Non erat ergo Leoni occasio tantopere resistendi magnorum Conciliorum decretis: Ac certe anno vix dum post Concilium Chalcedonense tricesimo, Fœlicem tertium Papam video in Constantinopolitanum hunc Primatum sponte consentire; [d] fatetur enim Acacium Constantinopolitanum habere sub se Episcopos ei subiectos: ideoque miror cur Gelasius proximus Felicis successor eundem primatum [e] riserit, & impugnarit; quem etiam postea Innocentius tertius solenni [f] constitutione stabiliuit; & Concilium Florentinum [g] confirmauit.

c Leo ep. 56. 58. 66.
d Felix 3. ep. 8.
e Gelas. ep. 11.
f Antiqua de priuil.
g Conc. Floren. sess. vlt. in litteris vnionis

XIX. Conatus quidem est Leo Chalchedonense illud statutum infringere, & quantum in ipso erat cassare, & abolere, illis verbis ad Pulcheriam Augustam scriptis, videlicet; [h] Consensiones verò Episcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus: & per a utoritatem Beati Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus.] Sed cassatio hæc in Romana duntaxat Ecclesia tantisper obtinuit, quandiu Primatui Constantinopolitano illa restitit; neque in suo Codice Canonum, vt dixi, voluit decretum illud retinere. Orientalis tamen Ecclesia conciliare Decretum legitimè factum, præcedentis tum Synodici decreti Constantinopolitani, tum antiquioris etiam consuetudinis confirmatiuum,

h Leo ep. 58.

A uum, & firmum retinuit, & vsu ipso stabiliuit, atque ampliauit. Video enim [a] Ioannem Constantinopolitanum suam Ecclesiam Romanæ coæquare; & vnam ac eandem facere: & in hoc cernio ei Hormisdam [b] assentiri; imò & expresè [c] paritatem cum Constantinopolitano profiteri. Video [d] Epiphanium similiter Constantinopolitanum se Patriarcham Patriarchæ Romano exæquare; [e] suspendereque communionem aliquorum Episcoporum, quos Romanus iam in communionem receperat. Video [f] Acacium suum priuilegium mordicus retinentem. Quinimo Episcopi Asiæ, pro sui restitutione, [g] libellum supplicem eidem porrigunt Acacio, non tanquam Legato Papæ (quo [h] Baronius de more confugit) sed vt Patriarchæ supremo Orientis, vt pluribus explico infra capite 12. nu. 18. Video in [i] Synodo Quinisexta, Constantinopolitano Episcopo post Romanum, suum confirmari Primatum. Video alium Ioannem Constantinopolitanum [k] Concilium indicere, & causam Gregorij Antiocheni in eo agitare. Video coram [l] Patriarcha Constantinopolitano aliam etiam de Diœcesi litem inter Antiochenum, & Salaminensem definiri. Video Ignatium Constantinopolitanum ad [m] Gregorij Syracusani Episcopi depositionem deuenisse: & pro Bulgaria suo Patriarchatui retinenda acerrimè cum Romano Pontifice eandem ad se attrahente [n] decertasse. Video [o] Photium literas etiam Decretales scribentem, & vniuerso Orienti in Ecclesiastico regimine leges dantem. Video à [p] Michaele Constantinopolitano Patriarcha Antiochenum, & Alexandrinum subiugari. Video [q] Metropolitanum Corcyræ, cum suis Episcopis, qui erant in Italia, in magna Græcia dicta, exactissimam obedientiam Constantinopolitano Patriarchæ profiteri. Omitto recentiora; Priuilegium ergo Primatus Constantinopolitani fuit exactissimè perpetuò in Orientalibus Ecclesijs obseruatum.

B

C Quod autem ait Leo, [r] Aliam esse rationem rerum sæcularium, aliam diuinarum; vt gloria ciuitatis Constantinopolitanæ cum Primatu Ecclesiastico nihil coniunctionis habeat; neque stabilis sit vlla constructio, præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit.] Respondeo Hierarchiam Ecclesiasticam inter Episcopos, esse de solo iure humano: & nego Primatus hosce ad res diuinas pertinere, vt iam ostendi: multo magis nego ex iure diuino Romanam Ecclesiam, aut vllam aliam particularem, vllam præeminentiam supra cæteras vnquam habuisse. Hoc itaque quod opinabatur Leo, subsistere non potest, qui facilè sibi etiam Scripturæ contraria solet in gratiam huius Primatus persuadere: vt quando dixit; [t] Antiochiæ, prædicante Petro, primùm Christianum nomen exortum esse. Non enim Petro, sed [t] Paulo & Barnaba prædicantibus illud factum est. Falluntur itaque quicunque volunt Romanam Ecclesiam suum habere Primatum ex ipsa Christi institutione, & à Petro Principe Apostolorum: ac multo plus falluntur dum contendunt non potuisse Concilia, quantumuis generalia, vllam aliam Ecclesiam ad eiusmodi Primatum euehere; idque tunc maximè verum esse sibi persuadent, quando Romanus Pontifex in ea parte talia Concilia non approbarit, sed eis restiterit, & eorum decreta cassauerit, & abolcuerit: falluntur, inquam; quia Christus nunquam Romam nominauit, neque de Romana Ecclesia speciali vnquam verba fecit: mera est igitur vanitas facere Christum Romanæ Ecclesiæ specialem fundatorem. Nam Christus duodecim fecit Apostolos, cum æquali potestate, vt docui lib. 1. neque vllum eorum fecit vllius certæ ciuitatis proprium Episcopum, quos omnes voluit per vniuersum mundum excurrere, prædicare, & Ecclesias fundare. Itaque neque Petrus fuit vllius ciuitatis proprius Episcopus, neque successorem vllum habuit peculiarem, vt iam ostendi, & vlterius cap. 6. huius confirmabo. Itaque totus Romanus Primatus sola Ecclesiæ consuetudine, & Conciliorum decretis, Imperialibusque priuilegijs constitit. Cur igitur similiter consuetudo, & Conciliaria decreta, & leges Imperiales, non potuerunt aliam Ecclesiam ad similem Primatum attollere? Renitentia verò Romani Pontificis contra vniuersalia Concilia nihil officit, vt iam ostendi, & suo loco plenius pertractabo. Et quamuis plures occasiones concurrerint in Romana Ecclesia, quam in Constantinopolitana extollenda, humanæ profectò omnes; & temporales, vt in sequentibus patebit; tamen præcipuæ ex ijsdem, etsi non omnes, vt Constantinopolitana efferretur concurrerunt; vt sequentibus capitibus explicabitur.

D

E

Contra prædictum priuilegium Constantinopolitanum, Obijcies præterea, post Concilium primum Constantinopolitanum, & ante Concilium Chalcedonense, Sisinium Constantinopolitanum tentasse, vt Cyzici Episcopum Proclum faceret; sed resistentibus Cyzicenis, qui Dalmatiũ iam ordinari fecerant, nihil effecisse: Cur autem Proclus sedem non obtinuerit, Socrates hanc reddit rationem: [u] Hoc, *inquit*, à Cyzicenis factum est, neglecta illa

a *Inter ep. Hormisd. ep. 34.*
b *Hormisd. ep. 39.*
c *Idem ep. 72.*
d *Inter ep. Hormisd. post ep. 69. ep. 3.*
e *Hormisd. ep. 69.*
f *Simplicij epistolæ.*
g *Euag. l. 3. c. 8. & 9.*
h *Baron. tom. 6. an. 477. nu. 14.*
i *Syn. Quinisex. c. 36.*
k *Apud Baron. tom. 7. an. 587. num. 2.*
l *Apud Surium die 11. Iunij, in vita Barnabæ.*
m *Nicol. ep. 9.*
n *Ioan. 8. ep. 78. & Baron. to. 10. an. 878. nu. 44. & seqq.*
o *Baron. to. 10. an. 867. nu. 75.*
p *Leo ep. 6.*
q *Apud Baron. to. 12 an. 1180.*

XX.

r *Leo ep. 57.*

s *Leo ep. 56.*
t *Act. 11.*

XXI.

u *Socrat. lib. 7. c. 28.*

illa lege, quæ iubet, ne quis Episcopus designetur, absque sententia & autoritate Episcopi Constantinopolis: legem autem propterea neglexerunt, quod Attico soli, vt illi putabant, nominatim autoritatem illam concederet.] [a] Vides igitur, *inquit Baronius*, neque in ipso Hellesponto ius aliquod, ex aliqua Synodo Oecumenica, vendicasse sibi Episcopos Constantinopolitanos; sed Attico id tantum fuisse concessum, nescio cuius legis autoritate.] Ego vero hinc colligo libidinem dominandi, vt solet, facile potuisse mouere Patriarchas Constantinopolitanos, vt plus semper vellent, & conarentur, quàm eis vel consuetudo, vel canones tribuerent. Primatus enim erat duntaxat, in Metropolitanis certatum Prouinciarum ordinandis; non autem in ordinandis Episcopis, qui non essent Metropolitani; quorum ordinatio semper ad Metropolitanos spectat, etiam ex canonibus Nicænis, qui violari non debent; neque vllum concilium eos tentauit conuellere. Ac propterea Concilium Chalcedonense ita quidem Constantinopolitano Episcopo firmauit priuilegia Patriarchatus, vt tamen expresse prohibuerit ne in Episcoporum ordinationes se ingereret; sed contentus sola Metropolitanorum ordinatione, Episcoporum ordinationes suis relinqueret Metropolitanis. Itaque Atticus extorserat fortasse legem aliquam personalem ab Imperatore, vt liceret ei etiam Episcopos ordinare; cui Episcopi, & populi, ob reuerentiam Imperialem, refragari non sint ausi: sed, extincto Attico, lex quoque illa, seu priuilegium extinctum est; Vnde merito Cyziceni Sisinio Patriarchæ, rem indebitam, & inconcessam attentanti, restiterunt.

a Baron. tom. 5. an. 426. num. 4.

A

B

XXII.

Obijcit tertio Baronius, quod Alexandrinus Theophilus ius sibi vendicaret ordinandi Patriarcham Constantinopolitanum: [b] Ex quo probe si attendas, *inquit*, intelliges primam sedem post Romanam, Alexandrinam Ecclesiam tenuisse in Oriente, spretosque fuisse Canones, si qui Constantinopoli in Synodo facti sunt, quibus derogaretur Alexandrinæ Ecclesiæ priuilegijs.] Obiectio hæc exilis est. Quid enim obstat Primatui Constantinopolitano, si Alexandrinus, qui iam erat post illum proximus, prætenderet, vacante sede prima Constantinopolitana, ipsius iuris esse Constantinopolitanum Episcopum ordinare? Sed hæc quoque prætentio ex spiritu ambitionis erumpebat. Heracleensis enim hoc ius habebat, sed non propterea Constantinopolitano Primatui oberat. Sicut neque concesserit Baronius obesse Primatui Romano, quod ab Ostiensi soleat Romanus Episcopus ordinari.

b Baron. tom. 5. an. 397. in fine.

C

XXIII.

Obijcit 4. idem Baronius, [c] Anatolium commotum magni Leonis rugitu cessisse illi Primatui, quem à Concilio Chalcedonensi extorserat; paruisseque Leoni, qui solus, *inquit*, irritum reddiderat, quod Concilium sexcentorum Patrum sententijs comprobasset: & Ecclesiam Constantinopolitanam regebat, perinde ac si in Romanæ Vrbis suburbijs esset constituta.] Atque hæc colligit ex epistola Leonis ad Anatolium scripta; in qua & approbat Leo [d] priuationem Archidiaconi; & quid de alijs delinquentibus, partemque in nece Flauiani habentibus faciendum ei sit, præscribit; & excusationem Anatolij redarguit, qua ille à se culpam facti Decreti Chalcedonensis amouebat.] Sed neque illud erat proprie regere Ecclesiam Constantinopolitanam; vbi ex ordinaria mutua charitate solerent inuicem sese mutuo Ecclesiæ magnæ, & Patriarchales, ac Primatiales consulere; & acta regiminis communicare; vt sese inter se iuuarent; & grauioris momenti causarum tractationes perficerent: quod in epistolis Cypriani clarissime apparet; vt posuimus supra lib. 2. cap. 7. & infra cap. 9. explicabitur. Neque vlla apparet Anatolij cessio, aut Primatus abiectio; sed in eo firma stabilitas. cum prudentia tamen, & religiosa charitate: qui ferens Leonis impatientiam, nihil vnquam voluit ad eum de suo Primatu, de quo fuerat acriter per [e] literas a Leone reprehensus, rescribere: [f] Ad quas, *inquit Leo*, cum non rescriberes, ipse te à colloquij mei consortio separasti.] Vbi tamen Leo [g] Imperatorem rogauit, vt Flauiani persecutionis rei Clerici, sui sceleris pœnas darent; idque Anatolius, vt par erat, fuisset executus; vt in pace & communione cum Leone perseueraret, per suas literas illum hac de re fecit certiorem; & hac occasione, non quod culpam vllam agnosceret, sed vt moneret, non ipsius solius, sed Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clericorum motum fuisse, vt in Concilio Chalcedonensi de illo Primatu ageretur: hoc non debuerit ei tantopere Leo succensere. Non tamen propterea vllam fecit sui Primatus abiectionem in quo etiam post has literas solertissimus perseuerauit, vt patet, quia clerus Alexandrinus, & Episcopi Aegypti, in literis suis ad Leonem Imperatorem aduersus Timotheum, inuasorem

c Baron. tom. 6. an. 454. nu. 13. & seqq.

d Leo epist. 77.

e Idem ep. 56.

f Idem ep 77.

g Ibid.

D

E

A cheum inuasorem scriptis; [a] Anatolium ponunt statim post Romanum; & reliquis Patriarchis orientalibus anteponunt; imo & prius ipsum suis literis conueniunt, quam Romanum: & Leo Imperator grauissimam Ecclesiæ Alexandrinæ turbationem, totam Anatolio ipsi committit, vt ipse prouideat; quid verò respondeat Imperatori Anatolius, audi, & vide, num Primatum suum abiecerat. Ait enim;

[a] Tom. Concil. Chalced.

[b] Orationi siquidem nostræ, opus est, Christianissime, & fidelissime Imperator, vt non circa meditationem a Diabolo peruenientium rerum, contra communem Ecclesiarum pacem occupemur. Quia verò sicut apparet aduersarius non sinit præsentem sine fluctuatione nauigare nos vitam; necesse est supernæ gratiæ gubernaculo vsos, oportere nos omnes, qui Deo autore sumus in Sacerdotio constituti, illius certaminibus obuiare; vnde etiam nunc in his quæ sunt præsumpta in Alexandrinorum Ecclesia non quieui, sed sequens vestræ Christianæ tranquillitatis intentionem, volentem, & sanctorum Patrum regulas non sperni, & ciuilia iura seruari; quod me facere congruebat, scilicet sedem gubernantem huius Regiæ ciuitatis, egi; & hæc manifesta vestræ pietati fient, per ea quæ scripsi; tam Romano sanctissimo, & venerando Leoni Pontifici, quam omnibus vniuscuiusque Diœcesis venerabilibus Metropolitanis Episcopis, apud quos ingemui petulantiam contra sanctorum Patrum regulas perpetratam; & facta scelesta Timothei, sicut accusationes aduersus eum vestræ pietati, & nobis scriptæ testantur; qui conculcauit Ecclesiasticas sanctiones, legesque ciuiles; quique secundum quod scriptum est, malam potius partem libenter elegit; & quæ illis quæ in rebus decentibus deficiunt commodatur: ait enim; [c] Impius dum ceciderit in profundum malorum, spernit. Significaui nihilominus eis, & de sancto beatoque nostro Concilio Chalcedonensi, quæ digna sunt. Ergo quoniam alijs hæc conuenienter exposui, promptior nunc extiti, vt cum fiducia clarius, de rebus præsentibus, meam possim publicare sententiam. Notum igitur facio vestræ tranquillitati, quod pijssimis vestris syllabis à nobis fieri præcepistis; quia constituo Timotheum quidem, quantum ad integritatem sanctorum Canonum, aduersum quos semper, ea quæ gessit, & gerit hactenus irritauit, in ordinatione Sacerdotij nullatenus esse dignum, &c.] Hic certè Anatolius, cum magna procedit autoritate erga Patriarcham Alexandrinum. Quomodo ergo primatum abiecerat?

XXIV.

[b] Ibid.

[c] Prou. 18.

Obijcies quinto cum Gelasio ridente, quod Acacio vellent prærogatiuam comparare, quia Episcopus fuerit Regiæ ciuitatis, ac dices; [d] Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquidnam harum vrbium Sacerdotes, vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurpârunt? — Si certè de dignitate agitur ciuitatum, secundæ sedis, & tertiæ maior est dignitas Sacerdotum, quam eius ciuitatis, quæ non solum inter sedes minimè numeratur, sed nec inter Metropolitanorum iura censetur; nam quod dictis Regiæ ciuitatis; alia potestas est regni sæcularis; alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum; sicut enim parua ciuitas prærogatiuam præsentis Regis non minuit; sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara vrbs illa potestate præsentis Imperij; Religio tunc sub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta consistit, si potius, hoc præsente, propriam teneat sine vlla perturbatione mensuram. Postremo si sibi de Imperatoris præsentia blandiuntur; & inde putant Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopi potiorem fieri posse personam, audiant Martianum eiusdem Principem ciuitatis, posteaquam pro augmento vrbis ipsius Sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ Papam Leonem summis [e] laudibus prosecutum: quod Canonum regulas violari, nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium eiusdem sedis antistitem, Clerum potius Constantinopolitanum, quàm se tentasse talia confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum beatum Papam Leonem sedis Apostolicæ Præsulem, cuius Synodus Chalcedonensis autoritate firmata est, quicquid vltra quam ab eodem, pro fide, & communione Catholica, atque Apostolica, illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos Canones, noua videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. Eaque nihilominus etiam sub sanctæ memoriæ Papa Simplicio, Legato sedis Apostolicæ, sanctæ memoriæ Probum Canusinæ vrbis Episcopum, Leone Principe tunc petente præsente docuisse nullatenus posse tentari; neque his prorsus præbuisse consensum: atque ideo, non ad ciuitatis cuiuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis Ecclesiasticæ paterna traditione firmatum, conuenienter obseruent.] Hæc Gelasius.

XXV.

[d] Gelas. Ep. 11. & Bellar.

[e] Leo Ep. 63.

XXVI. Vt Ciuitas sit Imperialis, non satis est si Imperator in ea, pro commoditate Imperij, iuxta opportunitates rerum & negotiorum, degat tantisper; imo etiam ad longum tempus: sed ea est ciuitas Imperialis, in qua Curia, in qua Senatus fixa sunt permanenter; in qua Consules, in qua reliqui Imperij Magistratus adsunt; nec talem ciuitatem quis in toto Romano Imperio, vltra Romanam, & Constantinopolitanam vnquam inuenit, obseruauit, aut nominauit; sed neque nos dicimus præsentiam solam Imperialem statum facere, vt Ecclesia illius ciuitatis habeat prærogatiuas; sed postquam occasio Imperatoris & Curiæ, consuetudinem introduxit, vt negotia quoque Ecclesiastica, ac præsertim Episcoporum ordinationes, ad eam sedem deferantur; talemque consuetudinem Concilia postea generalia approbent, & confirment; & hoc nihil præiudicat religioni; neque inde religio vllam admittit mutationem; sed in sola externa Ecclesiastica disciplina aliqua fit mutatio in melius semper; & non in deterius, propter Ecclesiarum commoditatem, & Imperatoris res Ecclesiasticas adiuuantis, autoritatem & opportunitatem. Quod verò asserit de Martiano, id conatus est aliquo modo ex Leonis literis ad Martianum datis colligere: certe Martiani literas non vidit; non enim extant, quod sciam; Leo verò, postquam certiorem reddidit Martianum, se in literis ad Anatolium datis, ea quæ de fide in Concilio Chalcedonensi definita fuerant, approbasse; addit, [a] Sed quia in eisdem literis, ea quæ per occasionem Synodi male sunt attentata, reprehenderam; maluit prædictus Antistes meam gratulationem tacere, quàm suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est; quod probasse vos obseruantiam meam de custodia canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicastis. Et merito geminatur gaudium meum: cum vobis religiosissime placere cognosco, vt & fides Nicæna suam teneat firmitatem; & priuilegia Ecclesiarum illibata permaneant.]

a Leo ep. 63.

XXVII. Quidni laudaret Martianus Papæ zelum illum generalem, quem circa canonum custodiam præ se ferebat? Num propterea coegit Martianus Anatolium vt Primatum deponeret? Num Decretum Chalcedonense eradi fecit? Nihil tale: quia optime sciebat primatu hoc Ecclesiæ Constantinopolitanæ, nihil sacris Canonibus Nicænis derogari. Occasio igitur Martiano laudandi zelum hunc Papæ, non fuit repulsa, quam imaginatur Gelasius, circa intercessionem pro Vrbis augmento; nam de hac repulsa, in litens Leonis nihil apparet; sed feruentioribus Leonis literis, quibus Primatum Constantinopolitanū, iam in Concilio firmatum, ad eundem Martianum scribens, diuexarat; fuit respondendum. Laudauit igitur zelum illum, nolens eum in re minimi momenti contristari; quo zelo ille se etiam [b] excusarat, cur Canones Chalcedonenses non approbaret: nam siue eos approbaret, siue reijceret; siue reclamaret, siue acquiesceret; suus nihilominus Constantinopolitanæ Ecclesiæ primatus, vt res ipsa postea probauit, consistebat. [c] Si enim autoritas quæritur, inquit Hieronymus, Orbis maior est Vrbe; ex quo probat Almaynus [d] merito Concilium Chalcedonense Leoni resistenti præualuisse. Et contra [e] Vigilium præualuit quinta Synodus generalis: De Anatolij vero pœnitentia iam dixi. De Leone autem Imperatore, apud Simplicium, confirmationem Constantinopolitanæ Ecclesiæ priuilegij obtinere frustra nitente, nihil habeo quod respondeam; quia neque Leonis petitio, neque Simplicij extat responsio: Sicut autem Gelasius errorem cepit in Martiano, ita in Leone quoque falli potuit.

b Leo ep. 65.

c Dist. 93. c. Legimus.

d Almayn. de autor. Eccl. c. 7.

e Acta quinta Synod. generalis.

XXVIII. Obijcies sexto Gregorium dicentem: [f] Quis dubitat Constantinopolitanam Ecclesiam sedi Apostolicæ esse subiectam?] Respondeo id ita fortasse Gregorium sensisse; opinio hæc Romanorum Pontificum est satis propria, Constantinopolitanum primatum nullum esse: Ego tamen puto Gregorium loqui de subiectione in ordine dignitatis; quia Romana prima est; secunda Constantinopolitana.

f Greg. l. 7. ind. 2. ep. 63.

XXIX. Obijcies septimo Primatum hunc tot tyrannos Ecclesiæ Constantinopolitanos Patriarchas peperisse; qui, contemptis Canonibus, alios deponerent Episcopos, alios subrogarent; alios transferrent; hos deprimendo; illos attollendo, &c. vt potissimum de [g] Photio narrat Nicetas.] Respondeo Primatum Romanum quoque longe peiora, & immaniora nobis monstra peperisse. Neque id primatui legitimo & modesto, aut decretis Primatum confirmantibus, est tribuendum: sed ipsis Primatibus, male Primatu abutentibus; & Principibus, eosdem Primates in suis abusibus fouentibus; nec, vt par est, eos compescentibus, & in officio retinentibus. Contra eundem quoque Photium Nicolaus primus excanduerat, & inter cætera ei, ac Græcis obiecerat ista: [h] sed quid mirum si hoc isti præ-

g Apud Baron. to. 10. an. 878. n. 51. 52.

h Nicol. ep. 70. apud Baron. tom. 10. an. 867. num. 54.

tendunt,

A tendunt, cum etiam glorientur, atque prohibeant, quando de Romana Vrbe Imperatores Constantinopolim suos transtulerunt, tunc, & Primatum Romanæ sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse; & cum dignitatibus Regijs, etiam Ecclesiæ Romanæ priuilegia translata fuisse, ita vt eiusdem inuasor Ecclesiæ Photius, etiam ipse, se in scriptis suis Archiepiscopum, atque Vniuersalem Patriarcham appellet.] Hæc de Photio; aduersus quæ insurgit ipse Nicolaus ex communibus, & ordinarijs locis fundationis Romanæ Ecclesiæ, à Petro habitæ, & Patrum testimonijs. An verò Græci prætenderint, aut prætendant ita Primatum Ecclesiasticum a Romana ad Constantinopolitanam Ecclesiam transijsse, cum translatione Imperij, vt Romana suum perdiderit Primatum; dicam inferius cap. 7. Certè Canones illi relinquunt Romanæ Ecclesiæ primum locum, quem habebat; ideo id Græci prætendere nullo modo debuerunt: sicut neque verum est quod Baronius asserit, in altero extremo constitutus; videlicet, ita datum secundum locum Constan-

B tinopolitanæ post Romanam, cui primus suus locus mansit, [a] vt ipsi Romanæ se subiectam esse Constantinopolitana semper sit professa; contenta, quod reliquis Patriarchalibus fuerit prælata: At inter Patriarchales Ecclesias nulla est prælatio, nulla propriè dicta subiectio, vt probaui lib. 3. cap. 10. sed ipsæ inter se sunt æquales, hoc est, vnaquæque suæ regionis prima & suprema; solo ordine dignitatis inter se subordinatæ; vt primo loco sit Romana; secundo Constantinopolitana ex priuilegio; tertio Alexandrina; quarto Antiochena; quinto & vltimo Hierosolymitana, & ipsa ex priuilegio. Itaque secunda non subijcitur primæ, neque tertia secundæ: & sic deinceps; hoc enim expressè & principaliter declarat Canon 6. Nicænus, vt nullus horum Primatum, seu Patriarcharum, aut Metropolitanorum, quicquam iuris habeat in alterius Prouinciam, aut potestatis, exceptis tantum quibusdam prærogatiuis; de quibus iam egi lib. 3. cap. 10. & agam inferius cap. 9. Priuilegium itaque Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ita eam prætulit reliquis duabus Patriarchalibus,

C Alexandrinæ, & Antiochenæ, vt tamen Romanæ non subijceretur, sed neque præferretur; sed ei penitus in omnibus prærogatiuis æquaretur, & solo ordine dignitatis postponeretur; vt in sequentibus explicabitur.

a Baron. tom 8. an. 680. n. 41.

Obijcies octauo, Constantinopolitanam Ecclesiam, licet Patriarchalem, subiectam esse Romanæ, eo quod Romana eam regat & dirigat, & rescriptis regulet. Extra, de elect. c. scriptum: & c. Vt præteritæ: & de maior. & obed. c. Inter quatuor. Respondeo tunc Latinos, [b] Francos nimirum & Venetos, erepta Græcis Constantinopoli, Ecclesiam illam Græcis similiter ereptam tenuisse: ideoque Romanus Pontifex in ea suam exercuit, Græcis tamen gementibus, & frementibus, potestatem; sed breue fuit Latinorum in ea Regia vrbe dominium; imo & Christianorum, quod est profusis lachrymis deplorandum.

XXX.

b Naucler. Gener. 41.

D

CAP.

E

A

CAP. V.

Romanum Clerum, hoc est Cardinales, nullam habere aut dignitatis, aut potestatis supra alios Cleros vllo iure, vel diuino, vel Ecclesiastico, prærogatiuam.

Summa Capitis.

Cardinales quinam fuerint propriè olim in Ecclesijs ante Gregorij tempora explicatur, eorumque B
nomen, & etymologia declaratur à num. 1. ad num. 8.
Quinam essent Cardinales tempore Gregorij, ex eiusdem pluribus exemplis colligitur à num. 9. ad num. 17.
Idem colligitur ex alijs epistolis Decretalibus, & Inone num. 18. 19. 20.
Clerum proprium cuiusque Ecclesiæ esse Cardinales ostenditur num. 21.
Officium proprium Cardinalium inquiritur num. 22. 23. 24. 25. ex quo ad residentiam obligantur, num. 26. Et de se Cardinalatus nihil est, si ab Ecclesiæ titulo & officio separaretur, num. 27. 28.
Cardinalitia dignitas vnde elata sit supra Episcopos ostenditur num. 29. 30. 31. 32. Quomodo illa defendatur à Bellarmino, proponitur, & impugnatur à num. 33. ad num. 43. Alia modo defenditur à schola Parisiensi: & hæc defensio ponitur, & impugnatur, à num. 44. ad num. 54.
Purpura Cardinalitia obiter reprehenditur num. 55. 56. C
Obiectio ex priuilegio Constantini soluitur, num. 57.
Obiectio ex Bernardo similiter tollitur à num. 58. ad num. 62.
Quales esse debeant Cardinales ex eodem Bernardo explicatur, num. 63. Et quales nunc sint deploratur num. 64. 65.

I. OMnis cuiuscunque Ecclesiæ bene instructæ Clerus his gradibus expletur, Episcopo, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & ministris minoribus; vt plene docui lib. 2. cap. 4. Quare etiam in Ecclesia Romana totus ipsius Clerus ijsdem, & non alijs gradibus continebitur. Et quamuis postremis iam sæculis Cardinalitia dignitas nobilissimum in Ecclesiastica hierarchia locum occuparit; seq; supra Episcopos omnes, præter Romanum, extulerit; quicumque D
a Bellar. de Cler. l. 1. c. 16. tamen Cardinales [a] efferunt, non eis vllum nouum, & diuersum à prædictis, gradum tribuunt; sed alios faciunt Episcopos Cardinales; alios Presbyteros item Cardinales; & alios demum Diaconos Cardinales. Cardinalatus itaque non est gradus, aut dignitas, aut officium, aut ministerium Ecclesiasticum seorsim; sed iuxta nostros Monarchicos, addit aliquid Episcopo, Presbytero & Diacono; quo hi superent alios Episcopos item, Presbyteros, & Diaconos non Cardinales.

II. Negare certe non possumus in antiquitate reperiri Episcopos alios Cardinales, alios non Cardinales; ita Presbyteros & Diaconos; sed Episcopos Cardinales non esse, nisi sex illos Romanæ Vrbi circumiacentes; & Presbyteros & Diaconos non esse nisi in sola Ecclesia Romana; nec omnes, sed aliquos, in antiquitate omnino nego reperiri. Similiter non nego discrimen aliquod esse inter Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Cardinales; & Episcopum, Presbyterum, Diaconum, non Cardinales; huncq; ab illo in aliquo superari: sed nego prorsus in antiquiori Ecclesia Cardinalitium fulgorem tantum E
fuisse, quantus postremis temporibus iam obseruatur; ac præsertim nego Cardinalatum potuisse vnquam esse Episcopatu superiorem; hoc est Presbyteros, ac multo minus Diaconos Cardinales, fuisse Episcopo non Cardinali digniores. Et hæc paulatim iam reddo manifestissima.

III. Cardinalem explicat Onuphrius esse eum, qui cæteris [b] præsit: Vt in ea Ecclesia, in qua
b Panum. lib. de tit. Card. sunt plures Presbyteri, is qui inter eos eminet, & reliquis præest, sit Presbyter illius Ecclesiæ Cardinalis; sic Diaconus Cardinalis sit, qui aliorum eiusdem Ecclesiæ Diaconorum, sit præses. Hæc tamen explicatio est imperfecta: quia Episcopus Cardinalis, qui non sit

Metropolitanus,

A Metropolitanus, nullum habet Episcopum cui præsit; & mox parebit [illegible] rum in aliqua Ecclesia, qui nullum alium sub se habeat Presbyterum, [illegible] Presbyterum Cardinalem: imò etiam in eadem Ecclesia esse plures Presbyteros [illegible] les: ita Diaconi vt plurimum, qui nullum sub se haberent Diaconum, erant [illegible] Cardinales.

Bellarminus nomen Cardinalis primum impositum fuisse loco censet; & [illegible] uatum ad personas; [a] Dicebantur enim, *inquit*, tituli Cardinales quædam Ecclesiæ [illegible] pales, vbi baptisma conferebatur. — Inde autem Presbyter, qui eam Ecclesiam regebat, [illegible] cebatur Presbyter Cardinalis: pari ratione Diaconiæ Cardinales erant loca quædam prin- cipalia in vrbe distincta, iuxta numerum regionum; & qui in eis residebant Diaconi, di- cebantur Cardinales Diaconi; ab Ecclesia videlicet Cardinali quam tenebant. Sic etiam
B postmodum dicti sunt Episcopatus Cardinales, & inde Episcopi Cardinales sex illi, qui ad eligendum Pontificem conueniebant, & eidem Pontifici à consilijs erant, præter cæteros Christiani orbis Episcopos.] Sed hæc etiam est imperfecta explicatio; videbimus enim mul- tos Episcopos Cardinales, extra illos sex; & Diaconos Cardinales, & non Cardinales in eadem Diaconia residentes; & ostendere deberet alias Ecclesias fuisse cum titulis Cardina- litijs, alias verò cum titulis quidem, sed non Cardinalitijs. Ego enim omnes inuenio fuisse olim Ecclesias eodem modo titulatas; vnde & ordinationes debuerunt olim semper fieri ad [b] titulum Ecclesiæ, vt monui lib. 2. cap. 7. num. 26. & plenè probabo lib. 9. cap. 3. & cap. 10. Quicunque ergo ordinabantur, debuerunt esse Cardinales, secundum Bellarmi- num, quia omnes ad titulum Ecclesiæ titulatæ ordinabantur. Præterea in eadem Ecclesia, seu titulo, reperiemus Presbyteros Cardinales, & non Cardinales: non ergo locus facit aut denominat Cardinales. Verum itaque est nullum Cardinalem fuisse, qui titulatæ Ec-
C clesiæ non esset insitus, sed non omnes eiusdem Ecclesiæ Clerici erant Cardinales.

Cardinalis itaque, mea sententia, dictus est olim, siue Episcopus (imo etiam Metropoli- tanus) siue Presbyter, siue Diaconus, qui non per modum prouisionis, aut transcursim, ac ferè mutuato, & ad tempus; sed qui fixè, ac permanenter, vti proprius iam illius Ecclesiæ Minister, ad exercenda Ecclesiastica ministeria illius Ecclesiæ propria, in ea legitimè col- locaretur, & inthronizaretur: quæ collocatio, seu inthronizatio, etiam incardinatio, solet vocari, vt mox apparebit. Atque ita Cardinalis Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus etiam, (nam [c] Ioannem Subdiaconum Cardinalem inuenies à Ioanne Papa 12. reliquum am- putatione occisum) nunquam poterat esse in Ecclesia, quæ non esset re vera titulata; hoc est ad publica ministeria Ecclesiastica erecta, & deputata: nam erant etiam oratoria ad pri- uatas tantùm orationes, seu sepulturas fabricata. Quæcunque igitur Ecclesia facta esset ab Episcopo Parochialis, & publicis, vt dixi, ministerijs Sacramentorum deputata; illa dice- batur titulus Cardinalis. Et de his titulis Cardinalibus loquitur Concilium Meldense, dum
D præcipit; [d] Vt Episcopus titulos Cardinales in vrbibus vel suburbijs constitutos, Cano- nicè ordinet, & disponat.] Hoc est, illas Ecclesias deputet ad publica ministeria, faciatque Parochiales, quas ipse deputandas censeat; alias verò relinquat priuatas. Ita Ioannes Dia- conus scribit; [e] Gregorium Cardinales violenter in paræciis ordinatos forensibus, in pri- stinum cardinem reuocasse.] Hoc est, iam prius in vrbana Ecclesia incardinatos, postea in- uitos ad forensem translatos, ad suam pristinam vrbanam reuocasse. Ioannes quoq; 3. scri- bit, Dilectis filijs Cardinalibus, & Clericis Ecclesiæ SS. Apostolorum, se à Pelagio incæp- tam Ecclesiam dictam sanctorum Apostolorum in Vrbe absoluisse; [f] Hanc etiam, *inquit*, in natali Apostolorum Philippi, & Iacobi, quod est in Calendis Maij, ad honorem omnium Apostolorum decenter dedicatam, titulum Cardinalem illam constituimus; nec non & Pa-
E rochiam; sicut cæteri tituli vrbis habent.] Vt videas illam Ecclesiam fuisse Cardinalem, & titulum Cardinalem, cum pluribus in ea Cardinalibus, quæ ad publica exercitia fidelium spiritualia esset deputata. Atque hæc omnia ex iam producendis testimonijs, & ex multis quæ lib. 9. disputabo, fient manifestissima. Huiusmodi sanè Ministri Cardinales, quia ex of- ficio erant ligati tali curæ, & tenebantur illam, vt ordinarij, exercere, Cardinales dicebantur; quia sicut cardo fixus est, & immobilis, ac circa ipsum valuæ voluuntur; ita circa ipsos, tan- quam circa fixos [g] cardines, voluebantur illius curæ fideles, in regimine Ecclesiastico, & spirituali. Non sic erant cardines alij aduentitij, & vagi, ac mobiles; qui tantisper vel supplerent pro ordinario, vel ad sola capienda alimenta, in illam Ecclesiam admitterentur, absque cura ordinaria, & principali. Omitto itaque nunc; imò contemno, ety- mologiam Cardinalium, quam tibi ipsi nimium blandiens excogitauit Leo nonus; dum

V.

b Conc. Chalc. can. 6. Conc. Ant. Diff. 70. c. Sanctorum.

c Apud Baron. tom. 10. an. 963. num. 13.

d Concil. Meldens. 54.

e Ioan. Diac. in vit. Greg. l. 3. c. 10.

f Apud Baron. tom. 7. an. 559. num. 3.

g Gloss. in c. Ministerium de off. Archipr.

a Papam

[a] Papam facit cardinem totius Ecclesiæ; & inde Clericos ipsius ait vocari Cardinales, cardini vtique illi, *inquit*, quo cætera mouentur, vicinius adhærentes.] Cardinem enim illum ab Ecclesiæ valuis, & amoui, & amoueo, & amouebo; & meam etymologiam, vt verissimam, & propriam iam confirmo.

a *Leo 9. ep. 1. c. 32.*

VI.

Cautum est in Concilio Neocæsarienſi antiquissimo, [b] ne regionarij, seu rurales Presbyteri, in Ecclesia vrbana matrice, quam Dominicum vocat ciuitatis, offerant; neque sacra ministrent, præsente Episcopo, vel Presbyteris Ciuitatis.] Hos Presbyteros ciuitatis, canonem hunc tractans, vocat Zacharias Papa Presbyteros Cardinales, sic ad Pipinum scribens: [c] De Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Episcopis & Presbyteris Cardinalibus, ex Concilio Neocæsarienſi cap. 13. ita continetur: Presbyteri ruris in Ecclesia Ciuitatis, Episcopo præsente, vel Presbyteris vrbis ipsius, offerre non possunt, &c.] Merito Zacharias Presbyteros Vrbis vocauit Cardinales; ad distinctionem ruralium, qui in Vrbana Ecclesia erant aduentitij, & non cardinati; ideoque non debebant, præsentibus Cardinalibus, id est proprijs & fixis, sacra ministrare, vbi ipsi non essent Cardinales. Et Concilium, ac etiam Zacharias, loquitur in genere de quacunque ciuitate, non de Romana sola.

b *Conc. Neocæs. c. 13.*

c *Apud Baron. tom. 9. an. 744. n. 13.*

VII.

Concilium Romanum, quod dicitur sub Siluestro primum, decernit: Ne Presbyter Cardinalis, nisi quadraginta quatuor testibus; Diaconus verò Cardinalis constitutus Vrbis Romæ non nisi viginti sex damnetur. Et in altero sub eodem Siluestro Concilio Romano statuitur: [d] Vt Diaconi Cardinales Vrbis Romæ sint septem. Et, [e] vt à Subdiacono vsque ad Lectorem omnes Clerici subditi sint Diacono Cardinali Vrbis Romæ.] Et in actis expurgationis Sixti, & Polychronij, dico [f] Diaconi Cardinales Romani, & tres Presbyteri, subscripserunt. Testatur Volaterranus [g] se in antiquis tabulis, apud Ecclesiam Aretinam, instrumentum donationis cuiusdam Zenobij Senatoris Romani, eidem Ecclesiæ, vsque à tempore Damasi Papæ, factæ inuenisse; vbi est, *inquit*, huiusmodi subscriptio; Et ego Ioannes S. R. Ecclesiæ Diac. Cardinalis, ex parte Damasi Pontificis, laudo & confirmo.] Si hæc Concilia, acta, & instrumenta essent firmæ fidei, in his haberemus primam & vetustam Cardinalium mentionem: sed in eo profecto duntaxat sensu quem modo explicaui. Posteriora tamen tempora frequentiorem habere Cardinalium mentionem, & clariorem significationem.

d *Conc. Rom. 2. sub Silu. can. 6.*
e *Ibid. can. 7.*
f *Expurgat. Six. c. 8 to. 1. Concil.*
g *Volater. l. 22. Antropolog.*

VIII.

Gelasius (si Gratiano credimus) cuidam Cælestino Episcopo commisit, vt vacante Parochiali Ecclesia Stomensi, quendam Diaconum in ea electum ordinet ei Sacerdotem: & quoniam Ecclesia hæc Stomensis non erat in Diœcesi dicti Episcopi Cœlestini, sed in alia; ideo monet eum Gelasius, vt prædictam cum fecerit ordinationem, sciat se Visitatoris, hoc est commissione delegata, non Cardinalis Pontificis nomine, hoc est, non propria & ordinaria autoritate eam facturum. [h] Sciturus, *inquit*, cum Visitatoris te nomine, non Cardinalis creasse Pontificis.] Erat igitur hic Episcopus Cardinalis quidem Episcopus in sua propria Ecclesia & Diœcesi; in aliena autem Diœcesi non erat Episcopus Cardinalis; sed aduentitius & extraordinarius. Et depositio Constantino Papa, Concilium quoddam Romanum decreuit: [i] Ne vllus vnquam præsumat Laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus vel Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem possit promoueri.]

h *Dist. 24. c. Presbyteri.*
i *Supl. 3. c. 4. n. 16.*

IX.

Gregorius sæpe meminit Cardinalium, & semper in eo sensu quem ego posui. Ad Balbinum Episcopum Rosellanum scribit, eum debere ad Populoniensem Ecclesiam accedere Visitatorem; [k] Vt vnum, *inquit*, Cardinalem illic Presbyterum, & duos debeas Diaconos ordinare.] Martinum Tamitanæ Ecclesiæ in Corsica Episcopum, cum hostili feritate fuisset ipsa eius Ecclesia Tamitana occupata, & diruta; ad Ecclesiam eiusdem insulæ Solanensem, iamdiu vacantem, iuxta dicti Martini petitionem, transfert: [l] In Ecclesia, *inquit*, Solanensi, quæ iamdiu Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te secundum petitionis tuæ modum, hac autoritate constituimus sine dubio Sacerdotem.] Et Clero ac Nobilibus Corsicæ, hac de re scribens, ait: [m] Quoniam Ecclesia Solanensis Sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus Martinum fratrem, & Coepiscopum nostrum, ibidem Cardinalem constituere Sacerdotem.] Commiserat etiam Leoni Episcopo in Corsica [n] Visitationem Ecclesiæ Sagonensis, cum potestate in ea ordinandi Sacerdotes & ministros, vt posset quidem id præstare; & alia circa bonum regimen dictæ Ecclesiæ disponere, vti si esset ipsius Ecclesiæ proprius Pontifex; Cardinalem tamen voluit eum in hoc vocare Pontificem; quia ad tempus hæc ei cura, quasi Vicaria committebatur

k *Greg. l. 1. ep. 15.*
l *Ibid. ep. 77.*
m *Ibid. ep. 79.*
n *Ibid. ep. 76. & 79.*

batur. In his verò prouidet Gregorius, quia Corsicæ Ecclesiæ ad ipsius spectabant ordinationem; & Electores ordinarij negligebant prouidere: ad eos enim sic scribit: [a] Et si vos multo iam tempore sine Pontifice esse Dei Ecclesiam non doletis, nos tamen, &c.] a *Ibid. ep. 79.*

X.

De Liberato quodam, in Carallitana Sardiniæ Ecclesia Diacono, hæc scribit idem Gregorius ad Archiepiscopum Carallitanum: [b] Liberatus igitur, de quo nobis tua fraternitas indicauit, quia Diaconij fungi perhibetur officio; si à decessore tuo non factus est Cardinalis; ordinatis à te Diaconis nulla debet ratione præponi; ne eos quos consecrando probasse cognoscaris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia à sui prauitate compesce; & vltimum inter Diaconos stare constitue; ne dum si illicite præterri contendit, immeritus loco, in quo nunc situs est, iudicetur. Cuius tamen si obedientia fuetis inuitatus; & eum post hæc Cardinalem facere volueris; nisi Pontificis sui cessionem solenni more meruerit, abstinendum ab omni eius incardinatione memineris: quoniam æquitati conuenire non ambigis, vt alijs seruare non differas, quod ipse quoque tibi seruari desideras.] Hic mihi videtur, incardinare Diaconum, esse illum in numerum ordinariorum Diaconorum collocare, qui iam fixi sunt, & stabiles in ea Ecclesia, ac permanentes; & cum incardinati fuerint, tunc eos esse Diaconos Cardinales. Vnde sequitur etiam plures in eadem Ecclesia Diaconos fuisse Cardinales. b *Idem Greg. l. 1. ep. 81.*

XI.

Vacante Ecclesia Neapolitana, Paulus quidam aduena, alterius loci Episcopus, puto titularis, cuius nempe Ecclesia fuisset, vt supra de Tamitana vidimus, ab hostibus deuastata; ibidem Pontificialia vt hospes exercebat; eum Neopolitani poscebant, vt plene eorum esset Episcopus Cardinalis, hoc est proprius, fixus, ac permanens: [c] Quem quoniam, *inquit Gregorius*, ita estis in paucis diebus experti, vt eum Cardinalem habere desideretis Episcopum, gratulamur.] Vbi verò Gregorius non vult esse Presbyterum fixum, proprium & ordinarium; vt in quibusdam oratorijs, quæ ad priuatas preces, præsertim Monachorum; non ad publicas synaxes, & sacramentorum administrationes extruerentur; negat talibus oratorijs Sacerdotem Cardinalem; sed satis esse, si interdum ex matrice Ecclesia, aduentitij accedant Sacerdotes, incerti & vagi, prout quis certis occasionibus ab Episcopo missus, & pro illa vice datus fuerit: sic igitur Ariminensem Episcopum instruit. c *Idem Greg. l. 2. ind. 10. ep. 6*

XII.

[d] Timothea illustris fœmina, petitoria nobis insinuatione suggessit; — intra Ciuitatem Ariminensem, in loco iuris sui, Oratorium se pro sua deuotione fundasse; quod in honorem Sanctæ Crucis desiderat consecrari. Et ideo frater carissime, si in tuæ ciuitatis iure memorata constructio consistit; & nullum corpus ibidem constat humatum esse, percepta primitus donatione legitima, id est totius facultatis eius, accepta familia, prius mobilium vel immobilium, seque mouentium, vncijs octo; retento sibi vsu fructuario diebus vitæ suæ, gestisque municipalibus alligatam; prædictum Oratorium, absque missis publicis, solenniter consecrabis; ita vt in eodem loco nec futuris temporibus Baptisterium construatur, nec Presbyterum constituas Cardinalem. Et si missas fortè maluerit fieri, sibi à dilectione tua Presbyterum nouerit postulandum; quatenus nihil alias à quolibet Sacerdote alio, nullatenus præsumatur:] similem prorsus dat instructionem Episcopis [e] Firmano, & [f] Neapolitano. Vbi verò vult Gregorius vt Presbyter ponatur fixus, & Ecclesia dedicetur pro sacris vsibus, etiam populi; tunc iubet, vt in ea constituatur Presbyter Cardinalis. Ita scribit Passiuo Firmano: [g] Presbyterum quoque te illis constituere volumus Cardinalem.] quia, Videlicet non est Oratorium, sed Ecclesia titulata. Has instructiones sequutus postea Zacharias Papa, in solutionibus quæsitorum ad Pipinum, habet & illam; [h] Decimum quintum caput, pro eo quod interrogatum est de Laicis, qui Ecclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsas debeat regere, aut gubernare; A sanctis Patribus ita statutum est, & in præceptis Apostolicis sic continetur; Iuxta petitoris imploratum, vt si in quolibet fundo, cuiuscunque iuris Oratorium, siue basilica fuerit constructa, pro eius deuotione, in honorem cuiuscunque sancti, in cuius Episcopi Parochia fuerit fundatum Oratorium, percepta primitus donatione legitima — prædictum oratorium per missas publicas solenniter consecrabis; ita vt in eodem loco, nec futuris temporibus Baptisteria construantur; nec Presbyter constituatur Cardinalis, &c.] d *Idem ibid. ep. 9.*
e *Idem Greg. l. 7. ind. 2. ep. 71.*
f *Idem l. 8. ind. 3. ep. 3.*
g *Idem l. 10. ind. 5. ep. 12.*
h *Apud Baron. tom. 9. an. 744. num. 23.*

XIII.

Lisitanum quoque Episcopum, propria Ecclesia ab hostibus occupata destitutum, ad Squillatinam vacantem, transfert idem Gregorius his verbis: [i] Te Ioannem ab hostibus captiuatum, Lisitanæ ciuitatis Episcopum, in Squillatina Ecclesia Cardinalem duximus necesse constituere Sacerdotem. — Et licet à tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam i *Greg. lib. 2. ind. 10. ep. 25. habetur 7 q. 1. c. Pastoralis.*

liam quæ Pastore vacat Ecclesiam, debes gubernare; ita tamen vt si ciuitatem illam ab hostibus liberam effici; & Domino protegente, ad priorem statum contigerit reuocari, in eam, in qua prius ordinatus es, Ecclesiam reuertaris. Sin autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac in qua a nobis ordinatus es, vel incardinatus Ecclesia, debeas permanere.] Factus est itaque propriùs, & fixus Episcopus Squillatinus; cum ea tamen conditione, vt si libera fieret ipsius prior Ecclesia ad ipsam rediret. Quæ conditio non facit quominus sit proprius, & fixus, ac proinde Cardinalis Squillatinus; ita in hac Ecclesia incardinatus, vt, nisi Lisitana recuperetur, proprius sit, & perpetuus Episcopus Squillatinus.

XIV. Quemadmodum supra Neapolitani petierunt Paulum, alterius Ecclesiæ titularem Episcopum, sibi concedi Episcopum Cardinalem; ita Terracinenses Agnellum Fundanum popoſcerunt, quem eis idem Gregorius, facta vnione Ecclesiarum, duxit esse concedendum; scribitque ad ipsum Agnellum: [a] Relatio Cleri simul & populi Terracinensis gentis nos valde lætificat, ob hoc quod de tua fraternitate bona testatur; & quia defuncto Petro Pontifice suo, te sibi Cardinalem postulant constitui Sacerdotem; eorum vota necessario complenda præuidimus; quatenus, & illi se gaudeant impetrasse quod postulant, & nos concessisse quod expedit videamur. Quia igitur ob cladem hostilitatis, nec in ciuitate, nec in Ecclesia tua, est cuiquam habitandi licentia; ideo te, autoritate nostra, Terracinensi Ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotem. Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te prædictæ Terracinēsis Ecclesiæ Cardinalem esse constituimus Sacerdotem; vt & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, ne curam gubernationemque eius prætereas; quia ita fraternitatem tuam, sæpe dictæ Terracinensi Ecclesiæ, sicut prælati sumus, præesse præcipimus, vt ante dictæ Fundensis Ecclesiæ, tibi iura, potestatemque nullo modo subtrahamus.] Et ad Clerum plebemque Terracinæ: [b] Dilectionis vestræ delideria, insinuata nobis, quam obtulistis, petitio referauit; electionemq; vestram valde laudauimus; quia Agnellum fratrem, & Coepiscopum nostrum, probatum iam meritis, Cardinalem vobis constitui deprecamini Sacerdotem; — supradictum Agnellum, Ecclesiæ vestræ Cardinalem statuimus esse Sacerdotem.]

a Idem Greg. l. 2. Indic. 12. ep. 13; habetur 21. q. 1. c. 5. 6.

b Ibid. ep. 14.

XV. Idem Gregorius, admissum ad pœnitentiam Fœlicem Diaconum Histrienſem, commendat Episcopo Syracusano; vt ipsum suo incorporet clero, saltē ad effectum, vt inde habeat alimenta; & sic scribit: [c] Imbecillitati eius, atque necessitatibus consulentes, maximeque sustentationi eius pietatis intuitu prouidentes, in tua Ecclesia Syracusana eum præuidimus cardinandum; siue vt officium Diaconatus expleat; seu certe, vt sola eiusdem officij, pro sustentanda pauperrate tua commoda, consequatur; in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere iudicio.] Relinquit iudicio & voluntati ipsius Episcopi Syracusani, vt vel illum cardinet, tradendo ei & locum & officium ordinarium inter Diaconos: vel si nolit eum cardinare; saltem tribuat ei alimenta, & partem Diaconalem sustentationis, vt inde viuat; tametsi non fiat Diaconus in ea Ecclesia Cardinalis.

c Idem l. 3. Indic. 12. ep. 14.

XVI. De Gratiano Diacono ita scribit idem Gregorius ad Episcopum Neapolitanum: [d] Fraternitatem tuam à nobis petisse recolimus, vt Gratianum Ecclesiæ Beneſranæ Diaconum, tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum; & quoniam nec Episcopum, cui obsecundare; nec propriam habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non præuidimus differendam: idcirco scriptis tibi præsentibus, eum necessario duximus concedendum; habituro licentiam, Diaconum illum, nostra interueniente autoritate, Ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere Cardinalem.]

d Idem l. 5. Indic. 14. ep. 12. habetur. Dist. 71. c. fraternitatem.

XVII. Isauriæ Episcopus, hostibus imminentibus, confugium habuit in Insulam Corcyram, ad Ecclesiam Cassiopi castri; secumque corpus sancti Donati detulit ibi conseruandum: Ortaque lis est inter Episcopum dictæ Insulæ, & Isauricum; hic enim in Ecclesia Cassiopi Pontificalia volebat, suæ plebi, quæ eo cum ipso confugerat, exercere. Rescribit Gregorius Corcyrano hoc pacto: [e] Oportet ergo, vt Sacerdotes, vel clerus Isauriæ ciuitatis, ab antefati Cassiopi castri habitatione, nullatenus repellantur; sed & B. Donati, sanctum ac venerabile corpus, quod secum detulerunt, in vnam Ecclesiarum antedicti loci, quam elegerint, siue intus, siue foris, habeant recondendi, debita cum veneratione, licentiam. Sic tamen, vt dilectioni tuæ, in cuius Parochia castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione monitio; per quam promittat Episcopus Isauriæ, nullam sibi potestatem, nullum priuilegium fore, nullam iurisdictionem, nullam tanquam Cardinalis Episcopus, vlterius autoritatem, defendere; sed &, post pacem, Deo propitio, redditam, ablato venerabili

e Idē l. 12. ep. 2.

sancti

A sancti Donati corpore, ad propria modis omnibus reuersurus: vt huius promissionis persistente memoria, nec de cætero quicquam sibi illic principaliter quacunque occasione audeant vendicare; sed omni se tempore esse ibidem hospites recognoscant: & fraternitatis tuę Ecclesia, iuris vel priuilegij sui in qualibet parte prejudicium non incurrat.] Hic apertissimè constat Cardinalem esse eum, qui proprius est, fixus, & ordinarius; ad excludendos hospites aduentitios, & qui fixam ibi sedem non habent. Propterea & Ioannes Diaconus scribit; [a] Gregorium suæ Ecclesiæ Cardinales ad Episcopatus, si consentirent, prouexisse; inuitos tamen prouehere noluisse: & profert exemplum [b] Florentij Subdiaconi. Igitur Subdiaconos quoque fixos, & titulatos vocat Ioannes Cardinales. Nec mirum; nam ipse etiam Gregorius [c] Cosmam Subdiaconum ordinarium in Ecclesia Syracusana deputatum, & ab Episcopo suo postea in forensi factum Presbyterum, voluit propterea fieri in Syracusana Ecclesia Presbyterum Cardinalem, quia vbi fuerat Subdiaconus Cardinalis, factus postea Presbyter, par fuit, vt similiter esset Presbyter Cardinalis.

a Ioan. Diac. in vit. Greg. l. 3. c. 8
b Greg. l. 2. Ind. 11. Ep. 15.
c Idem l. 11. Ep. 34. habetur. Dist. 74. c. Quorundam.

B Hadrianus primus in sua Collectione, § Presbyteri. tom. 2. Concil. Presbyterum in cardine constitutum, non nisi in 44. testibus damnari asserit; & Diaconum Cardinarium Vrbis Romæ, in 26. sequutus priorem sub Sylvestro Romanam Synodum, de qua supra nu. 7. Et Hadrianus secundus Actardum à Clero, & plebe electum, constituit [d] Cardinalem Metropolitanum; & Archiepiscopum Turonicę Prouincię.

XVIII.

d Apud Baron. tom. 10. an. 871. an. 106.

Ioannes Papa 8. transfert Burdegalensem Archiepiscopum post illius Ecclesiæ vastationem à Normannis, in Bituricensem; [e] Episcopum, *inquit*, fratrem nostrum Frotharium in Bituricensem Ecclesiam Cardinalem fieri decernentes, Metropolitanæ dignitatis priuilegio iterato munire curauimus.] Item; [f] Necessarium duximus Frotharium alij Ecclesiæ præponendum, & incardinandum.] Item ad eundem Frotharium scribens, ait; [g] Necessariò præuidimus fraternitatem tuam in Ecclesia Bituricensi — præferre simul, & incardinatam præficere.] Idem Ioannes [h] Presbyteros sui cardinis vocat Presbyteros in Ecclesijs Romanis incardinatos. In Constantinopolitana quoque Ecclesia idem Papa Ioannes 8. Cardinales agnouit: præscribit enim, vt post mortem Photij [i] nullus de Laicis, vel Curialibus in Patriarchatus eligatur, vel consecretur honore; nisi de Cardinalibus Presbyteris, & Diaconibus Constantinopolitanæ sedis.] In Mediolanensi quoque Ecclesia Cardinales agnoscit idem Pontifex; ait enim ad Clerum Mediolanensem scribens; [k] Præsenti vobis statuto iubemus, vt omnes vno animo, vnoque voto conuenientes, atque conuocantes Pastores, vel populum ciuitatis de electione alterius, qui de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus dignior fuerit repertus, cum Christi solatio ad Archiepiscopatus honorem promoueatis.]

XIX.

e Ioan. 8. ep. 8.
f Idem Ep. 13.
g Idem Ep. 37.
h Idem Ep. 82. 83. 201.
i Idem Epi. 199
k Idem Ep. 220

D Paschalis 2. in Compostellana Ecclesia, & Presbyteros, & Diaconos nominat Cardinales: Episcopo enim Compostellano scribens, ait; [l] Cardinales in Ecclesia tua Presbyteros, seu Diaconos tales constitue; qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere.] Algisius quoque Mediolanensis Archiepiscopus, iussu Alexandri tertij, facta translatione sedis Cathedralis Aquensis, in Ecclesiam Alexandrinam Cisalpinam, ad Alexandrinos scribens, ait; [m] Sic itaque ipsum Episcopum Aquensem, Cardinalem vestræ ciuitatis constituimus Sacerdotem, &c.] Iuo Carnotensis [n] Presbyterum, iam plenè in locum alterius, qui Ecclesiam suam refutârat ordinatum, & affixum, dicit fuisse incardinatum.

XX.

l Apud Baron. tom. 12. an. 1104
m Illdem in Schol. ad an. 1180.
n Iuo Ep. 131.

Habemus itaque, quinam sint propriè Cardinales; Clerus nimirum proprius cuiuscunque Ecclesiæ in ea fixus, & titulatus, atque ordinarius: & quæcunque Ecclesia esset collegiata, illa plures etiam in se continebat Cardinales, siue Presbyteros, siue Diaconos, siue etiam Subdiaconos. Ita in [o] Concilio Romano primo sub Symmacho; adsunt Presbyteri tituli S. Sabinæ tres; S. Praxedis duo; S. Pudentis duo; S. Susannæ duo; S. Anastasiæ duo; sanctorum Apostolorum tres; S. Equitij tres; S. Crescentianæ tres; S. Aemylianæ duo; S. Laurentij in Lucina tres; S. Vestinæ tres; S. Clementis tres; S. Chrysogoni tres; S. Eusebij duo; S. Fasciolæ duo; S. Trigulæ duo; S. Gaij duo; S. Marcelli tres. Et primæ regionis Diaconi duo subscribuntur; singuli verò secundæ, quartæ, & septimæ: vt hinc appareat Diaconos Cardinales Vrbis Romæ non habuisse tunc titulos Ecclesiarum, sed regionum duntaxat Vrbis: quæ in septem fuerit distributa [p] regiones; in singulis verò regionibus vel plures, vel vnicum tunc fuisse Diaconum deputatum. Ita quoque in Synodo Romana quadam sub Gregorio, habentur subscriptiones Presbyterorum Cardinalium; & sub titulo S. Balbinæ sunt tres; S. Damasi duo; S. Siluestri duo; sanctorum Apostolorum tres. Atque ita Romæ oportuit fuisse magnum numerum Cardinalium, quia multæ erant Ecclesiæ Parochiales,

XXI.

o Tom. 2. Concil.
p Concil. Neocæs. c. 14. & Concil. Rom. 2. sub Silu. c. 6.

rochiales, & fortasse omnes collegiatæ. Certe Cornelius Papa, suo tempore, secundo post Christum sæculo, numerat [a] Romæ Presbyteros 46. Diaconos 7. Acoluthos 42. Exorcistas, & Lectores, cum Ostiarijs 52. Viduas & alios pauperes, qui ab Ecclesia sustentabantur 1500. Non solum clerum Cardinalē numerauit, sed & inferiores ministros; & viduas; & pauperes, quos ipsa Ecclesia nutriebat. Postea aucti sunt tituli, multiplicatæ Ecclesiæ, & consequenter etiam multiplicatus numerus Cardinalium; sed diminutº numerus Viduarū, ac pauperū; quorum tandem alimenta in luxum Cardinaliū & Curiæ transierunt: vt l. 9. deplorabo. Non potuit hisce vel inuitus, non assentiri Onuphrius, dū ait; [b] Hæc vox (*Cardinalis*) in eandem fere sententiam frequens est in Registro D. Gregorij, & Epistolis Pontificum Romanorum decretalibus: Quibus is Cardinalis dicitur Presbyter, vel Diaconus, qui certę alicui Ecclesiæ, vel Diaconiæ proprius, & ad certi alicuius tituli, siue Ecclesiæ ministerium ordinatus, insertus, annexus, & (vt ipse loquitur) incardinatus est. Nam S. Gregorio idem est Cardinalem constituere in aliquo titulo, vel Ecclesia, quod incardinare alicui Ecclesiæ, vel in aliqua Ecclesia Cardinare. Idem etiam de Episcopis dicit, quod de sua Ecclesia ad aliam necessitatis causa translatos, Episcopos quidem Ecclesiæ suæ, illius verò ad quam translati sunt, Sacerdotes, siue Pontifices Cardinales vocat: quæ vox non solum Romanæ, sed omnibus alijs Ecclesijs per prouincias communis est.] Hæc ille, & bene: Illud tamen male subdit, incardinationem hanc non fuisse, nisi eorum qui in Ecclesijs, seu titulis cæteris præessent, quod falsum esse iam vidimus; cardinalatus enim neque prælationem, neque dignitatem vllam de se importat, sed clericum ordinarium, fixum, & in sua Ecclesia, suoque titulo stabilitum, & insitum significat. Et longe à vera Cardinalis significatione aberrant, qui præcipuum aliquem, & principalem hoc nomine volunt in hac, quā tractamus materia, significari. Fixum enim per modum cardinis, & insitum, ac stabilitum significat; vt est à me iam plene explicatum.

XXII. Cum itaque Romani Cardinales sint ipsimet clerus proprius & ordinarius Ecclesiæ Romanæ; certe Cardinalium officium, & munus proprium fuit semper officium, & munus proprium Clericorum propriorum, ac præsertim Presbyterorum; vt singuli in suis titulis Sacramenta ministrarent, populum erudirent, ac expiarent, & propria alia Ecclesiastica obirent munera; essentque Romani Pontificis (vt in singulis quibusque Ecclesijs suorum Episcoporum proprij canonici) & consultores & adiutores, vt docui lib. 2. cap. 9. Merito itaque in suæ Romanæ Ecclesiæ reformatione Ioannes octauus, edita constitutione, ista inter alia præcipit Cardinalibus: [c] Itemque ex nostra præsenti constitutione, bis in mense, vel eo amplius; vel apud illum, vel illum titulum; siue apud illam, vel illam Diaconiam; siue apud alias quaslibet Ecclesias vos conuenire mandamus. Et ob vestram, & inferiorum Clericorum vitam, & mores, & qualitates, & habitus vestrum perscrutando, & qualiter quilibet præpositi se erga subditos habeant, vel quod subditi suis præpositis non obediant, & ad quæque illicita amputanda; Clericorum quoque, & Laicorum querimonias, quæ ad nostrum iudicium pertinent, quantum fieri potest, definiendas. Quippe cum, sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita & vestram fraternitatem, 70. seniorum, qui sub eodem causarum negocia dijudicabant, vicissitudinem gerere certum habeamus. Item Monasteria Abbatibus viduata, & Abbatum, nostra præcedente conscientia, substitutionem his qui sunt inter nos, vel fuerint Monasticæ professionis, disponenda committimus. Propter solicitudinem autem Ecclesiarum, & Clericorum earundem disciplinam, siue Laicorum querimonias, definiendam, bis in hebdomada ad Sacrosanctum Palatium, iuxta decreta prædecessoris nostri Leonis IV. vos conuenire mandamus. Item sancimus de Parochijs nostris, quantumque Pontifici competit, Pontificali beneficio vos in perpetuum possidere; & in principalibus Ecclesijs, iuxta primatum vestræ consecrationis, vicissim officia Diuina peragere; & earum oblationibus, salua semper Cardinalium Diaconorum prisca consuetudine, æqualiter participare; tam propter vsum vestrum, quam in Ecclesiarum vestrarum luminarium concinnatione.] Huc vsque Ioannes. Hæc verò sunt munera propria Canonicorum, & Parochorum: neque extra vrbem extenduntur.

XXIII. Leonis quoque nescio cuius Papæ illud statutum legimus: [d] Ministerium Archipresbyteri in eo constituitur, vt diligenti cura prouideat ministerium Sacerdotum Cardinalium, qui solenne debent agere officium, in communicatione corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, à sacrosancto die Dominico incipiendo per omnes horas Canonicas, indeclinabiliter perseuerent; vt opus Dei dignè & sancte perficiatur ab eo cui committitur. Et infra: Prouideat etiam Archipresbyter vitam Sacerdotum Cardinalium, præ-

cepris

a *Apud Euseb. l. 6. c. 35.*

b *Onuph. voce Eccles. ast. verbo Cardinalis.*

c *Apud Baron. to. 10. an. 882. n. 8.*

d *Extr. de off. Archipresb. c. 2.*

A ceptis sui obtemperando Episcopi, ne aliquando cedant, aut scutrilitate torpeant. &c.]

Ex his etiam habes, vbi Ecclesiæ essent collegiatæ, & plures haberent Presbyteros Cardinales Archipresbyterum eis præfuisse; eosque ex officio, in bene exercendis suis ministerijs, illum rexisse. Quod verò Cardinales interdum [a] inuenias, & hodie quoque cernas in suis titulis Episcopalia iurisdictionis gerere munera, Chorepiscopos potius antiquos Romani Episcopi, quàm Episcopos ex priuilegio Romani Episcopi agnoscas.

XXIV.

a Alexand. 3. apud Baron. to. 12. an. 1148. & Bellar. de Clerc. l. c. 16.

Ex iam allatis illud etiam habemus, Cardinalem vnius Ecclesiæ, si in alteram transferatur, & in ea incardinetur, cessare omnino ne sit amplius prioris Ecclesiæ Cardinalis. Ita Ioannes Diaconus dicebat, Gregorium non fuisse solitum suum quempiam Cardinalem, nisi de ipsius voluntate & consensu, ad aliarum Ecclesiarum extra Romanam, regimen promouere; [b] ne, *inquit*, sub huiusmodi occasione quenquam eliminando, deponere videretur.] Leo sane 4. in depositione Anastasij tituli S. Marcelli, Presbyteri Cardinalis, ait, B [c] Anastasium iam nuper excommunicatum, Presbyterum tituli S. Marcelli, qui propriam Parochiam relinquens in aliena per multa tempora nititur immorari, à Sacerdotali ministerio, modis omnibus remouemus; ita vt locum restitutionis nequaquam inueniat.] Gregorius quoque 7. Hugonem Cardinalem tit. S. Clementis, eo quod Cadaloo Antipapæ adhæserat, sub hæc verba Cardinalatu priuauit: [d] Ab omni Sacerdotali officio priuamus; & tam ab ingressu & honore prædictæ Ecclesiæ; quam omnium Ecclesiarum, sub perpetua & irreuocabili sententia submouemus; & vsque ad satisfactionem anathemate percutimus.] Videbat enim vterque Papa, ex depositione hominis ab officio Sacerdotali, Cardinalatum ipsius concidere; quia in tantum est Cardinalis Presbyter, in quantum Ecclesiam obtinet, in qua suum fixe exerceat Presbyteratum. Ac proinde in tantum erit quis S. R. E. Cardinalis, in quantum in ea & titulum habet, & in titulo curam ordinariam, per C seipsum exercet, illius tituli propriam. Meritò igitur Cardinalatum Romanum, habere necessariam residentiam fatetur [e] Dominicus Sotus; & lege cautum esse monet, ne Cardinales Romani ad aliarum Ecclesiarum Episcopatus promoueantur: neque Episcopi Ecclesiarum ad Romanum Cardinalatum, retinentes simul Episcopatum, assumantur. Incompatibile enim est vt incardinatus in vna Ecclesia, incardinetur etiam in alia ab illa diuersa, & remota.

b Io. Diac. in vit. Greg. l. 3. c. 8.

c Apud Baron. to. 10. an. 853. num. 57.

d Greg. 7. l. 5. epist. Epist. 14.

e Sot. de Iust. & in l. 3 q. 5. ar. 3. & l. 10. q. 3. ar. 4.

Meritò nostri Canonistæ fatentur, [f] Quod Episcopi vsque ad Clementem 5. & Ioannem 22. erant in dignitate supra Cardinales: & quod vsque ad Bonifacium 8. Episcopi non fiebant Cardinales, ad hoc ne viderentur descendere à maiori ad minorem gradum. Et Onuphrij obseruatio optima est, dum ait, [g] Antiquitus porrò mos fuit, qui etiam per mille annorum spacium seruatus est, vt Presbyter Cardinalis vrbis Romæ, neque Episcopus esset, vel Episcopatum administraret, vel ex Episcopo fieret Presbyter Cardinalis; D cum maior dignitas tunc fuerit esse Episcopum cuiuslibet Diœcesis, quam Cardinalem: quod ex Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, secus quàm nunc obseruatur, Episcopi diuersarum ciuitatum creati fuerint, ex Cardinalitatu enim gradus erat ad Episcopatum; sicut nunc ex Episcopatu ad Cardinalatum: Cardinalisque Presbyter Episcopus factus, esse Cardinalis desinebat: sicut nunc Episcopus Cardinalis factus amplius non appellatur Episcopus, sed Presbyter Cardinalis S. R. E. & Administrator perpetuus illius Episcopatus: quod se inuicem compati non possint esse Presbyterum Cardinalem vrbis Romæ, & Episcopum alterius Ecclesiæ: repugnat enim Presbyter & Episcopus; quod Antiquis Canonibus cautum fuerit, vnum hominem non nisi vno sacerdotio potiri posse.] Nunc tamen Episcopi potentiores, & nobiliores ambitione inflati, vt fiant Romani Cardinales, insano sumptu, & effusissima largitione impetrant: & malunt iam esse, vel nominari, Presbyteri Cardinales Romani, quam Episcopi reuera Cardinales suarum Ecclesiarum; E neque considerant se Romanos Presbyteros esse non posse Cardinales, nisi personalem residentiam in suo titulo Romæ faciant; & consequenter Episcopalem suam dimittant Ecclesiam. Non negabo cum eodem Soto, circunuicinos illos sex Episcopos, posse assumi ad Romanum Cardinalatum; quia & exigua cura est illorum propria, & facilè possunt, ob vicinitatem, suas Ecclesias administrare. Sic enim iam facta intelligitur quædam quasi vnio sex illarum Ecclesiarum cum Romana, & in ipsam incorporatio; seu potius videntur quasi Chorepiscopi Episcopi Romani, cuius vnica Diœcesis sit, quicquid sub illis sex Episcopatibus continetur: imo septem olim fuerunt; addita Ecclesia [h] Siluæ candidæ, seu, quod idem est, S. Ruffinæ; quæ tamen postea Portuensi est vnita: (vidi enim ego in quibusdam priuatis instrumentis, sub Alexandro 3. Episcopum Portuensem, se Portuensem, siue S.

XXV.

XXVI.

f Praxis Episc. v. Episcopus. § 19.

g Onuphr. de titul. Card.

h Infr. hoc cap. num. 61, 62.

A

CAP. V.

Romanum Clerum, hoc est Cardinales, nullam habere aut dignitatis, aut potestatis supra alios Cleros vllo iure, vel diuino, vel Ecclesiastico, prærogatiuam.

SVMMA CAPITIS.

Cardinales quinam fuerint propriè olim in Ecclesijs ante Gregorij tempora explicatur, eorumque B
nomen, & etymologia declaratur à num. 1. ad num. 8.
Quinam essent Cardinales tempore Gregorij, ex eiusdem pluribus exemplis colligitur à num. 9. ad num. 17.
Idem colligitur ex alijs epistolis Decretalibus, & Iuone num. 18. 19. 20.
Clerum proprium cuiusque Ecclesia esse Cardinales ostenditur num. 21.
Officium proprium Cardinalium inquiritur num. 22. 23. 24. 25. ex quo ad residentiam obligantur, num. 26. Et de se Cardinalatus nihil est, si ab Ecclesia titulo & officio separaretur, num. 27. 28.
Cardinalitia dignitas vnde elata sit supra Episcopos ostenditur num. 29. 30. 31. 32. Quomodo illa defendatur à Bellarmino, proponitur, & impugnatur à num. 33. ad num. 43. Alia modo defenditur à schola Parisiensi: & hæc defensio ponitur, & impugnatur, a num. 44. ad num. 54.
Purpura Cardinalitia obiter reprehenditur num. 55. 56. C
Obiectio ex priuilegio Constantini soluitur, num. 57.
Obiectio ex Bernardo similiter tollitur à num. 58. ad num. 62.
Quales esse debeant Cardinales ex eodem Bernardo explicatur, num. 63. Et quales nunc sint deploratur num. 64. 65.

I. OMnis cuiuscunque Ecclesiæ bene instructæ Clerus his gradibus expletur, Episcopo, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & ministris minoribus; vt plene docui lib. 2. cap. 4. Quare etiam in Ecclesia Romana totus ipsius Clerus ijsdem', & non alijs gradibus continebitur. Et quamuis postremis iam sæculis Cardinalitia dignitas nobilissimum in Ecclesiastica hierarchia locum occuparit; seq; supra Episcopos omnes, præter Romanum, extulerit; quicumque D
a Bellar. de Cler. l. 1. c. 16. tamen Cardinales [a] efferunt, non eis vllum nouum, & diuersum à prædictis, gradum tribuunt; sed alios faciunt Episcopos Cardinales; alios Presbyteros item Cardinales; & alios demum Diaconos Cardinales. Cardinalatus itaque non est gradus, aut dignitas, aut officium, aut ministerium Ecclesiasticum seorsim; sed iuxta nostros Monarchicos, addit aliquid Episcopo, Presbytero & Diacono; quo hi superent alios Episcopos item, Presbyteros, & Diaconos non Cardinales.

II. Negare certe non possumus in antiquitate reperiri Episcopos alios Cardinales, alios non Cardinales; ita Presbyteros & Diaconos; sed Episcopos Cardinales non esse, nisi sex illos Romanæ Vrbi circumiacentes; & Presbyteros & Diaconos non esse nisi in sola Ecclesia Romana; nec omnes, sed aliquos, in antiquitate omnino nego reperiri. Similiter non nego discrimen aliquod esse inter Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Cardinales; & Episcopum, Presbyterum, Diaconum, non Cardinales; huncq; ab illo in aliquo superari: sed nego prorsus in antiquiori Ecclesia Cardinalitium fulgorem tantum E
fuisse, quantus postremis temporibus iam obseruatur; ac præsertim nego Cardinalatum potuisse vnquam esse Episcopatu superiorem; hoc est Presbyteros, ac multo minus Diaconos Cardinales, fuisse Episcopo non Cardinali digniores. Et hæc paulatim iam reddo manifestissima.

III. Cardinalem explicat Onuphrius esse eum, qui cæteris [b] præsit: Vt in ea Ecclesia, in qua
b Panuin. lib. de sit Card. sunt plures Presbyteri, is qui inter eos eminet, & reliquis præest, sit Presbyter illius Ecclesiæ Cardinalis; sic Diaconus Cardinalis sit, qui aliorum eiusdem Ecclesiæ Diaconorum, sit præses. Hæc tamen explicatio est imperfecta: quia Episcopus Cardinalis, qui non sit

Metropolitanus,

A Metropolitanus, nullum habet Episcopum cui præsit; & mox patebit vnicum Presbyterum in aliqua Ecclesia, qui nullum alium sub se habeat Presbyterum, esse nihilominus Presbyterum Cardinalem: imò etiam in eadem Ecclesia esse plures Presbyteros Cardinales: ita Diaconi vt plurimum, qui nullum sub se haberent Diaconum, erant nihilominus Cardinales.

IV.

Bellarminus nomen Cardinalis primum impositum fuisse loco censet; & à loco deriuatum ad personas; [a] Dicebantur enim, *inquit*, tituli Cardinales quædam Ecclesiæ principales, vbi baptisma conferebatur. — Inde autem Presbyter, qui eam Ecclesiam regebat dicebatur Presbyter Cardinalis: pari ratione Diaconiæ Cardinales erant loca quædam principalia in vrbe distincta, iuxta numerum regionum; & qui in eis residebant Diaconi, dicebantur Cardinales Diaconi; ab Ecclesia videlicet Cardinali quam tenebant. Sic etiam
B postmodum dicti sunt Episcopatus Cardinales, & inde Episcopi Cardinales sex illi, qui ad eligendum Pontificem conueniebant, & eidem Pontifici à consilijs erant, præter cæteros Christiani orbis Episcopos.] Sed hæc etiam est imperfecta explicatio; videbimus enim multos Episcopos Cardinales, extra illos sex; & Diaconos Cardinales, & non Cardinales in eadem Diaconia residentes; & ostendere deberet alias Ecclesias fuisse cum titulis Cardinalitijs, alias verò cum titulis quidem, sed non Cardinalitijs. Ego enim omnes inuenio fuisse olim Ecclesias eodem modo titulatas; vnde & ordinationes debuerunt olim semper fieri ad [b] titulum Ecclesiæ, vt monui lib. 2. cap. 7. num. 26. & plenè probabo lib. 9. cap. 3. & cap. 10. Quicunque ergo ordinabantur, debuerunt esse Cardinales, secundum Bellarminum, quia omnes ad titulum Ecclesiæ titulatæ ordinabantur. Præterea in eadem Ecclesia, seu titulo, reperiemus Presbyteros Cardinales, & non Cardinales: non ergo locus facit aut denominat Cardinales. Verum itaque est nullum Cardinalem fuisse, qui titulatæ Ec-
C clesiæ non esset insitus, sed non omnes eiusdem Ecclesiæ Clerici erant Cardinales.

a Bellar. de Cler. l. 1. c. 16.

b Concil. Chalcedon. can. 6. & Dist. 70. c. Sanctorum.

V.

Cardinalis itaque, mea sententia, dictus est olim, siue Episcopus (imo etiam Metropolitanus) siue Presbyter, siue Diaconus, qui non per modum prouisionis, aut transcursim, ac ferè mutuato, & ad tempus; sed qui fixè, ac permanenter, vti proprius iam illius Ecclesiæ Minister, ad exercenda Ecclesiastica ministeria illius Ecclesiæ propria, in ea legitimè collocaretur, & inthronizaretur: quæ collocatio, seu inthronizatio, etiam incardinatio, solet vocari, vt mox apparebit. Atque ita Cardinalis Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus etiam, (nam [c] Ioannem Subdiaconum Cardinalem inuenies à Ioanne Papa 12. testium amputatione occisum) nunquam poterat esse in Ecclesia, quæ non esset re vera titulata; hoc est ad publica ministeria Ecclesiastica erecta, & deputata: nam erant etiam oratoria ad priuatas tantùm orationes, seu sepulturas fabricata. Quæcunque igitur Ecclesia facta esset ab Episcopo Parochialis, & publicis, vt dixi, ministerijs Sacramentorum deputata; illa dicebatur titulus Cardinalis. Et de his titulis Cardinalibus loquitur Concilium Meldense, dum
D præcipit; [d] Vt Episcopus titulos Cardinales in vrbibus vel suburbijs constitutos, Canonicè ordinet, & disponat.] Hoc est, illas Ecclesias deputet ad publica ministeria, faciatque Parochiales, quas ipse deputandas censeat; alias verò relinquat priuatas. Ita Ioannes Diaconus scribit; [e] Gregorium Cardinales violenter in præciis ordinatos forensibus, in pristinum cardinem reuocasse.] Hoc est, iam prius in vrbana Ecclesia incardinatos, postea inuitos ad forensem translatos, ad suam pristinam vrbanam reuocasse. Ioannes quoq; 3. scribit, Dilectis filijs Cardinalibus, & Clericis Ecclesiæ SS. Apostolorum, se à Pelagio incæptam Ecclesiam dictam sanctorum Apostolorum in Vrbe absoluisse; [f] Hanc etiam, *inquit*, in natali Apostolorum Philippi, & Iacobi, quod est in Calendis Maij, ad honorem omnium Apostolorum decenter dedicatam, titulum Cardinalem illam constituimus; nec non & Pa-
E rochiam; sicut cæteri tituli vrbis habent.] Vt videas illam Ecclesiam fuisse Cardinalem, & titulum Cardinalem, cum pluribus in ea Cardinalibus, quæ ad publica exercitia fidelium spiritualia esset deputata. Atque hæc omnia ex iam producendis testimonijs, & ex multis quæ lib. 9. disputabo, fient manifestissima. Huiusmodi sanè Ministri Cardinales, quia ex officio erant ligati tali curæ, & tenebantur illam, vt ordinarij, exercere, Cardinales dicebantur; quia sicut cardo fixus est, & immobilis, ac circa ipsum valuæ voluuntur; ita circa ipsos, tanquam circa fixos [g] cardines, voluebantur illius curæ fideles, in regimine Ecclesiastico, & spirituale. Non sic erant cardines alij aduentitij, & vagi, ac mobiles; qui tantisper vel supplerent pro ordinario, vel ad sola capienda alimenta, in illam Ecclesiam admitterentur, absque cura ordinaria, & principali. Omitto itaque nunc; imò contemno, etymologiam Cardinalium, quam sibi ipsi nimium blandiens excogitauit Leo nonus; dum

c Apud Baron. tom. 10. an. 963. num. 13.

d Concil. Meldens. 54.

e Ioan. Diac. in vit. Greg. l. 3. c. 10.

f Apud Baron. tom. 7. an. 559. num. 3.

g Gloss. in c. Ministerium de off. Archipr.

a Papam

a Leo 9. ep. 1. c. 32.

[a] Papam facit cardinem totius Ecclesiæ; & inde Clericos ipsius ait vocari Cardinales, cardini vtique illi, *inquit*, quo cætera mouentur, vicinius adhærentes.] Cardinem enim illum ab Ecclesiæ valuis, & amoui, & amoueo, & amouebo; & meam etymologiam, vt verisimam, & propriam iam confirmo.

VI.

b Conc. Neocæs. c. 13.

Cautum est in Concilio Neocæsariensi antiquissimo, [b] ne regionarij, seu rurales Presbyteri, in Ecclesia vrbana matrice, quam Dominicum vocat ciuitatis, offerant; neque sacra ministrent, præsente Episcopo, vel Presbyteris Ciuitatis.] Hos Presbyteros ciuitatis, canonem hunc tractans, vocat Zacharias Papa Presbyteros Cardinales, sic ad Pipinum scribens:

c Apud Baron. tom. 9. an. 744. n. 13.

[c] De Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Episcopis & Presbyteris Cardinalibus, ex Concilio Neocæsariensi cap. 13. ita continetur: Presbyteri ruris in Ecclesia Ciuitatis, Episcopo præsente, vel Presbyteris vrbis ipsius, offerre non possunt, &c.] Merito Zacharias Presbyteros Vrbis vocauit Cardinales; ad distinctionem ruralium, qui in Vrbana Ecclesia erant aduentitij, & non cardinati; ideoque non debebant, præsentibus Cardinalibus, id est proprijs & fixis, sacra ministrare, vbi ipsi non essent Cardinales. Et Concilium, ac etiam Zacharias, loquitur in genere de quacunque ciuitate, non de Romana sola.

VII.

Concilium Romanum, quod dicitur sub Siluestro primum, decernit: Ne Presbyter Cardinalis, nisi quadraginta quatuor testibus; Diaconus verò Cardinalis constitutus Vrbis Romæ non nisi viginti sex damnetur. Et in altero sub eodem Siluestro Concilio Romano statuitur:

d Conc. Rom. 2. sub Silu. can. 6.
e Ibid. can. 7.

[d] Vt Diaconi Cardinales Vrbis Romæ sint septem. Et, [e] vt à Subdiacono vsque ad Lectorem omnes Clerici subditi sint Diacono Cardinali Vrbis Romæ.] Et in actis expurgationis Sixti, & Polychronij, dico

f Expurgat. Six. c. 8. to. 1. Concil.

[f] Diaconi Cardinales Romani, & tres Presbyteri, subscripserunt. Testatur Volaterranus

g Volater. l. 22. Antropolog.

[g] se in antiquis tabulis, apud Ecclesiam Aretinam, instrumentum donationis cuiusdam Zenobij Senatoris Romani, eidem Ecclesiæ, vsque à tempore Damasi Papæ, factæ inuenisse; vbi est, *inquit*, huiusmodi subscriptio; Et ego Ioannes S. R. Ecclesiæ Diac. Cardinalis, ex parte Damasi Pontificis, laudo & confirmo.] Si hæc Concilia, acta, & instrumenta essent firmæ fidei, in his haberemus primam & vetustam Cardinalium mentionem: sed in eo profecto duntaxat sensu quem modo explicaui. Posteriora tamen tempora frequentiorem habere Cardinalium mentionem, & clariorem significationem.

VIII.

Gelasius (si Gratiano credimus) cuidam Cælestino Episcopo commisit, vt vacante Parochiali Ecclesia Stomensi, quendam Diaconum in ea electum ordinet ei Sacerdotem: & quoniam Ecclesia hæc Stomensis non erat in Diœcesi dicti Episcopi Cœlestini, sed in alia; ideo monet eum Gelasius, vt prædictam cum fecerit ordinationem, sciat se Visitatoris, hoc est commissione delegata, non Cardinalis Pontificis nomine, hoc est, non propria &

h Dist. 24. c. Presbyteri.

ordinaria autoritate eam facturum. [h] Sciturus, *inquit*, eum Visitatoris te nomine, non Cardinalis creasse Pontificis.] Erat igitur hic Episcopus Cardinalis quidem Episcopus in sua propria Ecclesia & Diœcesi; in aliena autem Diœcesi non erat Episcopus Cardinalis; sed aduentitius & extraordinarius. Et depositio Constantino Papa, Concilium quoddam Romanum decreuit:

i Sup. l. 3. c. 4. n. 16.

[i] Ne vllus vnquam præsumat Laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus vel Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem possit promoueri.]

IX.

Gregorius sæpe meminit Cardinalium, & semper in eo sensu quem ego posui. Ad Balbinum Episcopum Rosellanum scribit, eum debere ad Populoniensem Ecclesiam accedere Visitatorem;

k Greg. l. 1. ep. 15.

[k] Vt vnum, *inquit*, Cardinalem illic Presbyterum, & duos debeas Diaconos ordinare.] Martinum Tamitanæ Ecclesiæ in Corsica Episcopum, cum hostilitate fuisset ipsa eius Ecclesia Tamitana occupata, & diruta; ad Ecclesiam eiusdem insulæ Solanensem, iamdiu vacantem, iuxta dicti Martini petitionem, transfert:

l Ibid. ep. 77.

[l] In Ecclesia, *inquit*, Solanensi, quæ iamdiu Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te secundum petitionis tuæ modum, hac autoritate constituimus sine dubio Sacerdotem.] Et Clero ac Nobilibus Corsicæ, hac de re scribens, ait:

m Ibid. ep. 79.

[m] Quoniam Ecclesia Solanensis Sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus Martinum fratrem, & Coepiscopum nostrum, ibidem Cardinalem constituere Sacerdotem.] Commiserat etiam Leoni Episcopo in Corsica

n Ibid. ep. 76. & 79.

[n] Visitationem Ecclesiæ Sagonensis, cum potestate in ea ordinandi Sacerdotes & ministros, vt posset quidem id præstare; & alia circa bonum regimen dictæ Ecclesiæ disponere, vti si esset ipsius Ecclesiæ proprius Pontifex; Cardinalem tamen voluit eum in hoc vocare Pontificem; quia ad tempus hæc ei cura, quasi Vicaria committebatur

batur. In his verò prouidet Gregorius, quia Corsicæ Ecclesiæ ad ipsius spectabant ordinationem; & Electores ordinarij negligebant prouidere: ad eos enim sic scribit: [a] Et si vos multo iam tempore sine Pontifice esse Dei Ecclesiam non doletis, nos tamen, &c.]

a *Ibid. ep. 79.*

X.

De Liberato quodam, in Carallitana Sardiniæ Ecclesia Diacono, hæc scribit idem Gregorius ad Archiepiscopum Carallitanum: [b] Liberatus igitur, de quo nobis tua fraternitas indicauit, quia Diaconij fungi perhibetur officio; si à decessore tuo non factus est Cardinalis; ordinatis à te Diaconis nulla debet ratione præponi; ne eos quos consecrando probasse cognosceris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia à sui prauitate compesce; & vltimum inter Diaconos stare constitue; ne dum si illicite præterri contendit, immeritus loco, in quo nunc situs est, iudicetur. Cuius tamen si obedientia fueris inuitatus; & eum post hæc Cardinalem facere volueris; nisi Pontificis sui cessionem solenni more meruerit, abstinendum ab omni eius incardinatione memineris: quoniam æquitati conuenire non ambigis, vt alijs seruare non differas, quod ipse quoque tibi seruari desideras.] Hic mihi videtur, incardinare Diaconum, esse illum in numerum ordinariorum Diaconorum collocare, qui iam fixi sunt, & stabiles in ea Ecclesia, ac permanentes; & cum incardinati fuerint, tunc eos esse Diaconos Cardinales. Vnde sequitur etiam plures in eadem Ecclesia Diaconos fuisse Cardinales.

b *Idem Greg. l. 1. ep. 81.*

XI.

Vacante Ecclesia Neapolitana, Paulus quidam aduena, alterius loci Episcopus, puto titularis, cuius nempe Ecclesia fuisset, vt supra de Tamitana vidimus, ab hostibus deuastata; ibidem Pontificialia vt hospes exercebat; eum Neopolitani poscebant, vt plene eorum esset Episcopus Cardinalis, hoc est proprius, fixus, ac permanens: [c] Quem quoniam, *inquit Gregorius*, ita estis in paucis diebus experti, vt eum Cardinalem habere desideretis Episcopum, gratulamur.] Vbi verò Gregorius non vult esse Presbyterum fixum, proprium & ordinarium; vt in quibusdam oratorijs, quæ ad priuatas preces, præsertim Monachorum; non ad publicas synaxes, & sacramentorum administrationes extruerentur; negat talibus oratorijs Sacerdotem Cardinalem; sed satis esse, si interdum ex matrice Ecclesia, aduentitij accedant Sacerdotes, incerti & vagi, prout quis certis occasionibus ab Episcopo missus, & pro illa vice datus fuerit: sic igitur Ariminensem Episcopum instruit.

c *Idem Greg. l. 2. ind. 10. ep. 6*

XII.

[d] Timothea illustris fœmina, petitoria nobis insinuatione suggessit; — intra Ciuitatem Ariminensem, in loco iuris sui, Oratorium se pro sua deuotione fundasse; quod in honorem Sanctæ Crucis desiderat consecrari. Et ideo frater carissime, si in tuæ ciuitatis iure memorata constructio consistit; & nullum corpus ibidem constat humatum esse, percepta primitus donatione legitima, id est totius facultatis eius, accepta familia, prius mobilium vel immobilium, seque mouentium, vncijs octo; retento sibi vsu fructuario diebus vitæ suæ, gestisque municipalibus alligatam; prædictum Oratorium, absque missis publicis, solenniter consecrabis; ita vt in eodem loco nec futuris temporibus Baptisterium construatur, nec Presbyterum constituas Cardinalem. Et si missas fortè maluerit fieri, sibi à dilectione tua Presbyterum nouerit postulandum; quatenus nihil alias à quolibet Sacerdote alio, nullatenus præsumatur:] similem prorsus dat instructionem Episcopis [e] Firmano, & [f] Neapolitano. Vbi verò vult Gregorius vt Presbyter ponatur fixus, & Ecclesia dedicetur pro sacris vsibus, etiam populi; tunc iubet, vt in ea constituatur Presbyter Cardinalis. Ita scribit Pasino Firmano: [g] Presbyterum quoque te illis constituere volumus Cardinalem.] quia, Videlicet non est Oratorij, sed Ecclesia titulata. Has instructiones sequutus postea Zacharias Papa, in solutionibus quæsitorum ad Pipinum, habet & illam; [h] Decimum quintum caput, pro eo quod interrogatum est de Laicis, qui Ecclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsas debeat regere, aut gubernare; A sanctis Patribus ita statutum est, & in præceptis Apostolicis sic continetur; Iuxta petitoris imploratum, vt si in quolibet fundo, cuiuscunque iuris Oratorium, siue basilica fuerit constructa, pro eius deuotione, in honorem cuiuscunque sancti, in cuius Episcopi Parochia fuerit fundatum Oratorium, percepta primitus donatione legitima — prædictum oratorium per missas publicas solenniter consecrabis; ita vt in eodem loco, nec futuris temporibus Baptisteria construantur; nec Presbyter constituatur Cardinalis, &c.]

d *Idem ibid. ep. 9.*

e *Idem Greg. l. 7. ind. 2. ep. 71.*

f *Idem l. 8. ind. 3. ep. 3.*

g *Idem l. 10. ind. 5. ep. 12.*

h *Apud Baron. tom. 9. an. 744. num. 23.*

Lilitanum quoque Episcopum, propria Ecclesia ab hostibus occupata destitutum, ad Squillatinam vacantem, transfert idem Gregorius his verbis: [i] Te Ioannem ab hostibus captiuatum, Lilitanæ ciuitatis Episcopum, in Squillatina Ecclesia Cardinalem duximus necesse constituere Sacerdotem. — Et licet à tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam

XIII.

i *Greg. lib. 2. ind. 10. ep. 25. habetur 7 q. 1. c. Pastoralis.*

liam quæ Pastore vacat Ecclesiam, debes gubernare; ita tamen vt si ciuitatem illam ab hostibus liberam effici; & Domino protegente, ad priorem statum contigerit reuocari, in eam, in qua prius ordinatus es, Ecclesiam reuertaris. Sin autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac in qua a nobis ordinatus es, vel incardinatus Ecclesia, debeas permanere.] Factus est itaque propriis, & fixus Episcopus Squillatinus; cum ea tamen conditione, vt si libera fieret ipsius prior Ecclesia ad ipsam rediret. Quæ conditio non facit quominus sit proprius, & fixus, ac proinde Cardinalis Squillatinus; ita in hac Ecclesia incardinatus, vt, nulli Lisitana recuperetur, proprius sit, & perpetuus Episcopus Squillatinus.

XIV. Quemadmodum supra Neapolitani petierunt Paulum, alterius Ecclesiæ titularem Episcopum, sibi concedi Episcopum Cardinalem; ita Terracinenses Agnellum Fundanum poposcerunt, quem eis idem Gregorius, facta vnione Ecclesiarum, duxit esse concedendum; scribitque ad ipsum Agnellum: [a] Relatio Cleri simul & populi Terracinensis gentis nos valde lætificat, ob hoc quod de tua fraternitate bona testatur; & quia defuncto Petro Pontifice suo, te sibi Cardinalem postulant constitui Sacerdotem; eorum vota necessario complenda præuidimus; quatenus, & illi se gaudeant impetrasse quod postulant, & nos concessisse quod expedit videamur. Quia igitur ob cladem hostilitatis, nec in ciuitate, nec in Ecclesia tua, est cuiquam habitandi licentia; ideo te, autoritate nostra, Terracinensi Ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotem. Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te prædictæ Terracinēsis Ecclesiæ Cardinalem esse constituimus Sacerdotem; vt & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, ne curam gubernationemque eius prætereas; quia ita fraternitatem tuam, sæpe dictæ Terracinensi Ecclesiæ, sicut prætati sumus, præesse præcipimus, vt ante dictæ Fundensis Ecclesiæ, tibi iura, potestatemque nullo modo subtrahamus.] Et ad Clerum plebemque Terracinæ: [b] Dilectionis vestræ delideria, insinuata nobis, quam obtulistis, petitio reseruit; electionemq; vestram valde laudauimus; quia Agnellum fratrem, & Coepiscopum nostrum, probatum iam meritis, Cardinalem vobis constitui deprecamini Sacerdotem; — supradictum Agnellum, Ecclesiæ vestræ Cardinalem statuimus esse Sacerdotem.]

a Idem Greg. l. 2. Indic. 12. ep. 13. habetur 21. q. 1. c. 5. 6.

b Ibid. ep. 14.

XV. Idem Gregorius, admissum ad pœnitentiam Fœlicem Diaconum Histrienſem, commendat Episcopo Syracusano; vt ipsum suo incorporet clero, saltē ad effectum, vt inde habeat alimenta; & sic scribit: [c] Imbecillitati eius, atque necessitatibus consulentes, maximeque sustentationi eius pietatis intuitu prouidentes, in tua Ecclesia Syracusana eum præuidimus cardinandum; siue vt officium Diaconatus expleat; seu certe, vt sola eiusdem officij, pro sustentanda paupertate sua commoda, consequatur; in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere iudicio.] Relinquit iudicio & voluntati ipsius Episcopi Syracusani, vt vel illum cardinet, tradendo ei & locum & officium ordinarium inter Diaconos: vel si nolit eum cardinare; saltem tribuat ei alimenta, & partem Diaconalem sustentationis, vt inde viuat; tametsi non fiat Diaconus in ea Ecclesia Cardinalis.

c Idem l. 3. Indic. 12. ep. 14.

XVI. De Gratiano Diacono ita scribit idem Gregorius ad Episcopum Neapolitanum: [d] Fraternitatem tuam à nobis petisse recolimus, vt Gratianum Ecclesiæ Beneuentanæ Diaconum, tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum; & quoniam nec Episcopum, cui obsecundare; nec propriam habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non præuidimus differendam: idcirco scriptis tibi præsentibus, eum necessario duximus concedendum; habituro licentiam, Diaconum illum, nostra interueniente autoritate, Ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere Cardinalem.]

d Idem l. 5. Indic. 14. ep. 12. habetur. Dist. 71. c. fraternitatem.

XVII. Isauriæ Episcopus, hostibus imminentibus, confugium habuit in Insulam Corcyram, ad Ecclesiam Cassiopi castri; secumque corpus sancti Donati detulit ibi conseruandum: Ortaque lis est inter Episcopum dictæ Insulæ, & Isauricum; hic enim in Ecclesia Cassiopi Pontificalia volebat, suæ plebi, quæ eo cum ipso confugerat, exercere. Rescribit Gregorius Corcyrano hoc pacto: [e] Oportet ergo, vt Sacerdotes, vel clerus Isauriæ ciuitatis, ab antefati Cassiopi castri habitatione, nullatenus repellantur; sed & B. Donati, sanctum ac venerabile corpus, quod secum detulerunt, in vnam Ecclesiarum antedicti loci, quam elegerint, siue intus, siue foris, habeant recondendi, debita cum veneratione, licentiam. Sic tamen, vt dilectioni tuæ, in cuius Parochia castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione monitio; per quam promittat Episcopus Isauriæ, nullam sibi potestatem, nullum priuilegium fore, nullam iurisdictionem, nullam tanquam Cardinalis Episcopus, vltrius autoritatem, defendere; sed &, post pacem, Deo propitio, redditam, ablato venerabili sancti

e Idē l. 12. ep. 2.

A sancti Donati corpore, ad propria modis omnibus reuersurus: vt huius promissionis persistente memoria, nec de cætero quicquam sibi illic principaliter quacunque occasione audeant vendicare; sed omni se tempore esse ibidem hospites recognoscant: & fraternitatis tuę Ecclesia, iuris vel priuilegij sui in qualibet parte prejudicium non incurrat.] Hic apertissimè constat Cardinalem esse eum, qui proprius est, fixus, & ordinarius; ad excludendos hospites aduentitios, & qui fixam ibi sedem non habent. Propterea & Ioannes Diaconus scribit; [a] Gregorium suæ Ecclesiæ Cardinales ad Episcopatus, si consentirent, prouexisse; inuitos tamen prouehere noluisse: & profert exemplum [b] Florentij Subdiaconi. Igitur Subdiaconos quoque fixos, & titulatos vocat Ioannes Cardinales. Nec mirum; nam ipse etiam Gregorius [c] Cosmam Subdiaconum ordinarium in Ecclesia Syracusana deputatum, & ab Episcopo suo postea in forensi factum Presbyterum, voluit propterea fieri in Syracusana Ecclesia Presbyterum Cardinalem, quia vbi fuerat Subdiaconus Cardinalis, factus postea Presbyter, par fuit, vt similiter esset Presbyter Cardinalis.

B Hadrianus primus in sua Collectione. 5 Presbyteri. tom. 2. Concil. Presbyterum in cardine constitutum, non nisi in 44. testibus damnari asserit; & Diaconum Cardinarium Vrbis Romæ, in 26. sequutus priorem sub Syluestro Romanam Synodum, de qua supra nu. 7. Et Hadrianus secundus Actardum à Clero, & plebe electum, constituit [d] Cardinalem Metropolitanum; & Archiepiscopum Turonicę Prouincię.

Ioannes Papa 8. transfert Burdegalensem Archiepiscopum post illius Ecclesiæ vastationem à Normannis, in Bituricensem; [e] Episcopum, *inquit*, fratrem nostrum Frotharium in Bituricensem Ecclesiam Cardinalem fieri decernentes, Metropolitanæ dignitatis priuilegio iterato munire curauimus.] Item; [f] Necessarium duximus Frotharium alij Ecclesiæ præponendum, & incardinandum.] Item ad eundem Frotharium scribens, ait; [g] Necessa-

C riò præuidimus fraternitatem tuam in Ecclesia Bituricensi — præferre simul, & incardinatam præficere.] Idem Ioannes [h] Presbyteros sui cardinis vocat Presbyteros in Ecclesijs Romanis incardinatos. In Constantinopolitana quoque Ecclesia idem Papa Ioannes 8. Cardinales agnouit: præscribit enim, vt post mortem Photij [i] nullus de Laicis, vel Curialibus in Patriarchatus eligatur, vel consecretur honore; nisi de Cardinalibus Presbyteris, & Diaconibus Constantinopolitanæ sedis.] In Mediolanensi quoque Ecclesia Cardinales agnoscit idem Pontifex; ait enim ad Clerum Mediolanensem scribens; [k] Præsenti vobis statuto iubemus, vt omnes vno animo, vnoque voto conuenientes, atque conuocantes Pastores, vel populum ciuitatis de electione alterius, qui de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus dignior fuerit repertus, cum Christi solatio ad Archiepiscopatus honorem promoueatis.]

D Paschalis 2. in Compostellana Ecclesia, & Presbyteros, & Diaconos nominat Cardinales: Episcopo enim Compostellano scribens, ait; [l] Cardinales in Ecclesia tua Presbyteros, seu Diaconos tales constitue; qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere.] Algisius quoque Mediolanensis Archiepiscopus, iussu Alexandri tertij, facta translatione sedis Cathedralis Aquensis, in Ecclesiam Alexandrinam Cisalpinam, ad Alexandrinos scribens, ait; [m] Sic itaque ipsum Episcopum Aquensem, Cardinalem vestræ ciuitatis constituimus Sacerdotem, &c.] Iuo Carnotensis [n] Presbyterum, iam plenè in locum alterius, qui Ecclesiam suam refutârat ordinatum, & affixum, dicit fuisse incardinatum.

Habemus itaque, quinam sint propriè Cardinales; Clerus nimirum proprius cuiuscunque Ecclesiæ in ea fixus, & titulatus, atque ordinarius: & quæcunque Ecclesia esset collegiata, illa plures etiam in se continebat Cardinales, siue Presbyteros, siue Diaconos, siue etiam Subdiaconos. Ita in [o] Concilio Romano primo sub Symmacho; adsunt Presbyteri ti-

E tuli S. Sabinæ tres; S. Praxedis duo; S. Pudentis duo; S. Susannæ duo; S. Anastasiæ duo; sanctorum Apostolorum tres; S. Equitij tres; S. Crescentianæ tres; S. Aemylianæ duo; S. Laurentij in Lucina tres; S. Vestinæ tres; S. Clementis tres; S. Chrysogoni tres; S. Eusebij duo; S. Fasciolæ duo; S. Trigulæ duo; S. Gaij duo; S. Marcelli tres. Et primæ regionis Diaconi duo subscribuntur; singuli verò secundæ, quartæ, & septimæ: vt hinc appareat Diaconos Cardinales Vrbis Romæ non habuisse tunc titulos Ecclesiarum, sed regionum duntaxat Vrbis: quæ in septem fuerit distributa [p] regiones; in singulis verò regionibus vel plures, vel vnicum tunc fuisse Diaconum deputatum. Ita quoque in Synodo Romana quadam sub Gregorio, habentur subscriptiones Presbyterorum Cardinalium; & sub titulo S. Balbinæ sunt tres; S. Damasi duo; S. Siluestri duo; sanctorum Apostolorum tres. Atque ita Romæ oportuit fuisse magnum numerum Cardinalium, quia multæ erant Ecclesiæ Parochiales,

a *Ioan Diac. in vit. Greg. l. 3. c. 8*
b *Greg. l. 2. Ind. 11. Ep. 15.*
c *Idem l. 11. Ep. 34. habetur. Dist. 74. c. Quorundam.*

XVIII.

d *Apud Baron. tom. 10. an. 874. nu. 106.*

XIX.

e *Ioan. 8. Ep. 8.*
f *Idem Ep. 13.*
g *Idem Ep. 37.*
h *Idem Ep. 82. 83. 201.*
i *Idem Epi. 199*
k *Idem Ep. 220*

XX.

l *Apud Baron. tom. 12. an. 1104.*
m *Ildem in Schol. ad an. 1180.*
n *Iuo Ep. 131.*

XXI.

o *Tom. 2. Concil.*
p *Concil. Rocaf. c. 14. & Concil. Rom. 2. sub Silu. c. 6.*

rochiales, & fortasse omnes collegiatæ. Certe Cornelius Papa, suo tempore, secundo post Christum sæculo, numerat [a] Romæ Presbyteros 46. Diaconos 7. Acoluthos 42. Exorcistas, & Lectores, cum Ostiarijs 52. Viduas & alios pauperes, qui ab Ecclesia sustentabantur 1500. Non solum clerum Cardinalē numerauit, sed & inferiores ministros; & viduas; & pauperes, quos ipsa Ecclesia nutriebat. Postea aucti sunt tituli, multiplicatæ Ecclesiæ, & consequenter etiam multiplicatus numerus Cardinaliū; sed diminutus numerus Viduarū, ac pauperū; quorum tandem alimenta in luxum Cardinaliū & Curiæ transierunt: vt l. 9. deplorabo. Non potuit hisce vel inuitus, non assentiri Onuphrius, dū ait; [b] Hæc vox (*Cardinalis*) in eandem fere sententiam frequens est in Regestro D. Gregorij, & Epistolis Pontificum Romanorum decretalibus: Quibus is Cardinalis dicitur Presbyter, vel Diaconus, qui certę alicui Ecclesiæ, vel Diaconiæ proprius, & ad certi alicuius tituli, siue Ecclesiæ ministerium ordinatus, insertus, annexus, & (vt ipse loquitur) incardinatus est. Nam S. Gregorio idem est Cardinalem constituere in aliquo titulo, vel Ecclesia, quod incardinare alicui Ecclesiæ, vel in aliqua Ecclesia Cardinare. Idem etiam de Episcopis dicit, quod de sua Ecclesia ad aliam necessitatis causa translatos, Episcopos quidem Ecclesiæ suæ, illius verò ad quam translati sunt, Sacerdotes, siue Pontifices Cardinales vocat: quæ vox non solum Romanæ, sed omnibus alijs Ecclesijs per prouincias communis est.] Hæc ille, & bene: Illud tamen male subdit, incardinationem hanc non fuisse, nisi eorum qui in Ecclesijs, seu titulis cæteris præessent, quod falsum esse iam vidimus; cardinalatus enim neque prælationem, neque dignitatem vllam de se importat, sed clericum ordinarium, fixum, & in sua Ecclesia, suoque titulo stabilitum, & insitum significat. Et longe à vera Cardinalis significatione aberrant, qui præcipuum aliquem, & principalem hoc nomine volunt in hac, quā tractamus materia, significari. Fixum enim per modum cardinis, & insitum, ac stabilitum significat; vt est à me iam plene explicatum.

XXII. Cum itaque Romani Cardinales sint ipsimet clerus proprius & ordinarius Ecclesiæ Romanæ; certe Cardinalium officium, & munus proprium fuit semper officium, & munus proprium Clericorum propriorum, ac præsertim Presbyterorum; vt singuli in suis titulis Sacramenta ministrarent, populum erudirent, ac expiarent, & propria alia Ecclesiastica obirent munera; essentque Romani Pontificis (vt in singulis quibusque Ecclesijs suorum Episcoporum proprij canonici) & consultores & adiutores, vt docui lib. 2. cap. 9. Merito itaque in suæ Romanæ Ecclesiæ reformatione Ioannes octauus, edita constitutione, ista inter alia præcipit Cardinalibus: [c] Itemque ex nostra præsenti constitutione, bis in mense, vel eo amplius; vel apud illum, vel illum titulum; siue apud illam, vel illam Diaconiam; siue apud alias quaslibet Ecclesias vos conuenire mandamus. Et ob vestram, & inferiorum Clericorum vitam, & mores, & qualitates, & habitus vestrum perscrutando, & qualiter quilibet præpositi se erga subditos habeant, vel quod subditi suis præpositis non obediant, & ad quæque illicita amputanda; Cleticorum quoque, & Laicorum querimonias, quæ ad nostrum iudicium pertinent, quantum fieri potest, definiendas. Quippe cum, sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita & vestram fraternitatem, 70. seniorum, qui sub eodem causarum negocia dijudicabant, vicissitudinem gerere certum habeamus. Item Monasteria Abbatibus viduata, & Abbatum, nostra præcedente conscientia, substitutionem his qui sunt inter nos, vel fuerint Monasticæ professionis, disponenda committimus. Propter solicitudinem autem Ecclesiarum, & Clericorum earundem disciplinam, siue Laicorum querimonias, definiendam, bis in hebdomada ad Sacrosanctum Palatium, iuxta decreta prædecessoris nostri Leonis IV. vos conuenire mandamus. Item sancimus de Parochijs nostris, quantumque Pontifici competit, Pontificali beneficio vos in perpetuum possidere; & in principalibus Ecclesijs, iuxta primatum vestræ consecrationis, vicissim officia Diuina peragere; & earum oblationibus, salua semper Cardinalium Diaconorum prisca consuetudine, æqualiter participare; tam propter vsum vestrum, quam in Ecclesiarum vestrarum luminarium concinnatione.] Huc vsque Ioannes. Hæc verò sunt munera propria Canonicorum, & Parochorum: neque extra vrbem extenduntur.

XXIII. Leonis quoque nescio cuius Papæ illud statutum legimus: [d] Ministerium Archipresbyteri in eo constituitur, vt diligenti cura prouideat ministerium Sacerdotum Cardinalium, qui solenne debent agere officium, in communicatione corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, à sacrosancto die Dominico incipiendo per omnes horas Canonicas, indeclinabiliter perseuerent; vt opus Dei dignè & sancte perficiatur ab eo cui committitur. Et infra: Prouideat etiam Archipresbyter vitam Sacerdotum Cardinalium, præceptis

a *Apud Euseb. l. 6. c. 35.*

b *Onuph. vocli Ecclesiast. verbo Cardinalis.*

c *Apud Baron. to. 10. an. 882. n. 8.*

d *Extr. de off. Archipresb. c. 2.*

A ceptis sui obtemperando Episcopi, ne aliquando cedant, aut scurrilitate torpeant, &c.]

Ex his etiam habes, vbi Ecclesiæ essent collegiatæ, & plures haberent Presbyteros Cardinales Archipresbyterum eis præfuisse; eosque ex officio, in bene exercendis suis ministerijs, illum rexisse. Quod verò Cardinales interdum [a] inuenias, & hodie quoque cernas in suis titulis Episcopalia iurisdictionis gerere munera, Chorepiscopos potius antiquos Romani Episcopi, quàm Episcopos ex priuilegio Romani Episcopi agnoscas.

XXIV.

a Alexand. 3. apud Baron. to. 12 an. 1148. & Bellar. de Clerici. 16.

Ex iam allatis illud etiam habemus, Cardinalem vnius Ecclesiæ, si in alteram transferatur, & in ea incardinetur, cessare omnino ne sit amplius prioris Ecclesiæ Cardinalis. Ita Ioannes Diaconus dicebat, Gregorium non fuisse solitum suum quempiam Cardinalem, nisi de ipsius voluntate & consensu, ad aliarum Ecclesiarum extra Romanam, regimen promouere; [b] ne, *inquit*, sub huiusmodi occasione quenquam eliminando, deponere videretur.] Leo sane 4. in depositione Anastasij tituli S. Marcelli, Presbyteri Cardinalis, ait, B [c] Anastasium iam nuper excommunicatum, Presbyterum tituli S. Marcelli, qui propriam Parochiam relinquens in aliena per multa tempora nititur immorari, à Sacerdotali ministerio, modis omnibus remouemus; ita vt locum restitutionis nequaquam inueniat.] Gregorius quoque 7. Hugonem Cardinalem tit. S. Clementis, eo quod Cadaloo Antipapæ adhæserat, sub hæc verba Cardinalatu priuauit: [d] Ab omni Sacerdotali officio priuamus; & tam ab ingressu & honore prædictæ Ecclesiæ; quam omnium Ecclesiarum, sub perpetua & irreuocabili sententia submouemus; & vsque ad satisfactionem anathemate percutimus.] Videbat enim vterque Papa, ex depositione hominis ab officio Sacerdotali, Cardinalatum ipsius concidere; quia in tantum est Cardinalis Presbyter, in quantum Ecclesiam obtinet, in qua suum fixe exerceat Presbyteratum. Ac proinde in tantum erit quis S.R.E. Cardinalis, in quantum in ea & titulum habet, & in titulo curam ordinariam, per C seipsum exercet, illius tituli propriam. Meritò igitur Cardinalatum Romanum, habere necessariam residentiam fatetur [e] Dominicus Sotus; & lege cautum esse monet, ne Cardinales Romani ad aliarum Ecclesiarum Episcopatus promoueantur: neque Episcopi Ecclesiarum ad Romanum Cardinalatum, retinentes simul Episcopatum, assumantur. Incompatibile enim est vt incardinatus in vna Ecclesia, incardinetur etiam in alia ab illa diuersa, & remota.

b Io. Diac. in vit. Greg. l. 3. c. 8.

c Apud Baron. to. 10. an. 853. nu. 57.

d Greg. 7. l. 5. epist. Epist. 14.

e Sot. de Iust. & iur. l. 3 q. 5. ar. 3. & l. 10. q. 3. ar. 4.

Meritò nostri Canonistæ fatentur, [f] Quod Episcopi vsque ad Clementem 5. & Ioannem 22. erant in dignitate supra Cardinales: & quod vsque ad Bonifacium 8. Episcopi non fiebant Cardinales, ad hoc ne viderentur descendere à maiori ad minorem gradum. Et Onuphrij obseruatio optima est, dum ait, [g] Antiquitus porrò mos fuit, qui etiam per mille annorum spacium seruatus est, vt Presbyter Cardinalis vrbis Romæ, neque Episcopus esset, vel Episcopatum administraret, vel ex Episcopo fieret Presbyter Cardinalis; D cum maior dignitas tunc fuerit esse Episcopum cuiuslibet Diœcesis, quam Cardinalem: quod ex Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, secus quàm nunc obseruatur, Episcopi diuersarum ciuitatum creati fuerint, ex Cardinalitatu enim gradus erat ad Episcopatum; sicut nunc ex Episcopatu ad Cardinalatum: Cardinalisque Presbyter Episcopus factus, esse Cardinalis desinebat: sicut nunc Episcopus Cardinalis factus amplius non appellatur Episcopus, sed Presbyter Cardinalis S.R.E. & Administrator perpetuus illius Episcopatus: quod se inuicem compati non possint esse Presbyterum Cardinalem vrbis Romæ, & Episcopum alterius Ecclesiæ: repugnat enim Presbyter & Episcopus; quod Antiquis Canonibus cautum fuerit, vnum hominem non nisi vno sacerdotio potiri posse.] Nunc tamen Episcopi potentiores, & nobiliores ambitione inflati, vt fiant Romani Cardinales, insano sumptu, & effusissima largitione impetrant: & malunt iam esse, vel nominari, Presbyteri Cardinales Romani, quam Episcopi reuera Cardinales suarum Ecclesiarum; E neque considerant se Romanos Presbyteros esse non posse Cardinales, nisi personalem residentiam in suo titulo Romæ faciant; & consequenter Episcopalem suam dimittant Ecclesiam. Non negabo cum eodem Soto, circunuicinos illos sex Episcopos, posse assumi ad Romanum Cardinalatum; quia & exigua cura est illorum propria, & facilè possunt, ob vicinitatem, suas Ecclesias administrare. Sic enim iam facta intelligitur quædam quasi vnio sex illarum Ecclesiarum cum Romana, & in ipsam incorporatio; seu potius videntur quasi Chorepiscopi Episcopi Romani, cuius vnica Diœcesis sit, quicquid sub illis sex Episcopatibus continetur: imo septem olim fuerunt; addita Ecclesia [h] Siluæ candidæ, seu, quod idem est, S. Ruffinæ; quæ tamen postea Portuensi est vnita: (vidi enim ego in quibusdam priuatis instrumentis, sub Alexandro 3. Episcopum Portuensem, se Portuensem, siue S.

XXV.

XXVI.

f Panorm. Epist. in. Episcopus. § 15.

g Onuphr. de titul. Card.

h Infr. hoc cap. num. 61. 62.

Ruffinæ, subscribentem.) Vt propterea hi sint tituli Rom. Ecclesiæ Cardinales, sed Episcopales; sicut reliqui sunt tituli Presbyterales, & Diaconales: Remotos tamen Episcopos, & Romanæ nequaquam vnitos, nec incorporatos, fieri Romanos Cardinales ordinarios, est intolerabile; & Diuino iuri, simulque Ecclesiastico plurimum repugnans, vt ex lib. nostro 9. erit manifestissimum. Astutia tamen humana, & Romana, non sine fraude remedium excogitauit, vt qui Episcopi velint Romæ cum Cardinalatu residere, resignent Episcopatum, nomine tenus, nepotibus, vel amicis; ipsi vero redditus sibi vsurpent, quod etiam lib. 9. pluribus impugnabo; aut commendatis Ecclesijs sub nomine administrationis, licet non sibi titulatis, perfruantur; quod etiam Sotus reprehendit; & Cardinales Episcopos in suis Ecclesijs, non Romæ residere debere, si saluam velint conscientiam, optime confirmat: Ac consequenter, ex hactenus explicatis, hi non erunt Romani Cardinales nisi æquiuoce. Quare si electio Romani Episcopi legitima, à solis Romanis Cardinalibus (de quo postea) fieri debet; horum Cardinalium suffragia legitima esse non possunt; & electiones vitio non carebunt. A B

XXVII.

Video profecto Presbyteros Cardinales Romanos interdum, relicta Romana residentia, etiam Abbatias assumpsisse Regularium, & factos Monachos Abbates, ad Monachorum regimen se contulisse; retento tamen solo nomine Presbyteri Romani Cardinalis: Vt de [a] Richardo, & de [b] Desiderio, testatur registrum Gregorij septimi; altero Massilienſi Abbate, altero Casſinenſi. Non igitur in tanto precio erat iste Romanus Cardinalatus; quandoquidem ei Monachorum Abbatiæ præferrentur: & in subscriptionibus supra citatis sub Symmacho, & Gregorio, ne nominare quidem vllus se voluit hoc nomine Cardinalis; sicut neque Hadrianus secundus, suis legatis ad Synodum octauam generalem, dare curauit nomen Cardinalium; contentus solis titulis Ecclesiarum: Et [c] dilectos, *inquit ad Basilium Augustum*, fratres meos, Donatum S. Ecclesiæ Ostiensis; & Stephanum Ecclesiæ Nepesinæ Reuerendos Episcopos; atque filium meum Marinum Apostolicæ sedis Diaconum, Consiliarios nostros tuæ commendamus pietati.] Et perpetuo in actis dictæ Synodi, Stephanus Nepesinus præcedit Marinum: sicut in prædictis subscriptionibus, omnes Episcopi, etiam illi qui non erant Romani Cardinales ante omnes Presbyteros Romanos Cardinales & sedent, & sententiam dicunt, & subscribunt. Imo & in Romanis Synodis, tertia, & quinta, sub Symmacho, soli Episcopi multi, & nulli Presbyteri, aut Diaconi Cardinales Romani, subscribunt; & inter Episcopos Episcopi, qui nihilominus erant Episcopi Romani Cardinales, alijs non Cardinalibus Romanis, vt Ostiensis, Prænestinus, Albanus, postponuntur. Et Legati Leonis primi, ad designatum Concilium Ephesinum hoc ordine ponuntur; [d] Iulianus Episcopus Puteolanus: Renatus Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis; atque Hilarius S. R. E. Diaconus Cardinalis.] Et in [e] priuilegio quod Synodaliter concessit Gregorius, Monasterio S. Medardi Suessionensis, subscribuntur multi Episcopi; & sane eorum aliqui Cardinales post multos non Cardinales: Arelatensis enim primus est; & Ostiensis ante se plures habet. In [f] Synodo quadam sub Zacharia, Episcopi omnes tam Cardinales, quàm non Cardinales, præponuntur Presbyteris omnibus Cardinalibus: & inter Episcopos Nomentanus non Cardinalis præponitur Prænestino, & Portuensi Cardinalibus; & Gabiensis, Ostiensi. In alia sub Leone 4. in qua supradiximus num. 25. fuisse Anastasium Cardinalem S. Marcelli depositum, prius similiter subscribunt Episcopi omnes, etiam non Cardinales Romani; deinde post illos Presbyteri omnes Cardinales. Et ex Episcopis ante Ostiensem & Portuensem, qui erant Romani Cardinales, subscribunt multi qui non erant Romani Cardinales. Sed quod maximè obseruandum est, in altera Synodo Romana sub Syluestro, sane si illis actis fides est adhibenda, quæ in Ecclesijs Romanis nostris maxima adhibetur, ea prima fuit post Constantinum baptizatum, & facta est cum maxima solennitate; in ea verò affuerunt Episcopi ex Vrbe Roma, vel non longe ab illa, 139. Et Presbyteri vrbis Romæ, proculdubio Cardinales, 62. Episcopi quidem hi omnes sederunt in thermis Diocletiani, (nondum ergo Lateranum possidebat Syluester) Presbyteri verò Romani, Cardinales profectò illustrissimi [g] omnes; & Diaconi, cleruſque, vel gradus sequentes, ad terga Episcoporum steterunt.] Post terga Episcoporum, maxima certè ex parte non Cardinalium, Presbyteri Cardinales abiecti, ne sedere quidem audebant, sed standum ipsis erat. In Concilio quoque quodam Ioannis 12, pseudopapæ pessimi, per vim congregato, contra Leonem Papam optimum; eidem Ioanni merito depositio legitimè subrogatum, prius ponuntur [h] Episcopi omnes, etiam non Cardinales, deinde Presbyteri Cardinales, ac demum astant duntaxat, non sedent Diaconi C D E

a *Greg. 7. l. 7. ep. 7. 8. & l. 9. ep. 29. & 60.*
b *Ibidem l. 9. ep. 13.*
c *Oct. syn. init.*
d *Apud Baron. tom. 6. an. 449. num. 36.*
e *Greg. in fin. Regist.*
f *Apud Baron. tom. 9. an. 745. num. 23.*
g *Syn. 2. Rom. sub Syl. c. 1.*
h *Apud Baron. tom. 10. an. 964. num. 6.*

A coni Cardinales. Et in recensendis Episcopis, Episcopi non Cardinales præponuntur Cardinalibus, prout videlicet vetustas, vel tempus promotionis requirebat. Idem quoque apparet in alia [a] Synodo sub Ioanne XV.

a Lib. an. 993. n. 3.

XXVIII.

Quod ergo vrget [b] Baronius, in Concilio œcumenico Ephesino prius subscripsisse Philippum Presbyterum Cardinalem Romanum Legatum, quam duos reliquos Episcopos Legatos item, sed non Romanos Cardinales, nihil est; nam in actis eiusdem Concilij Ephesini sæpius [c] præcedunt illi Philippum: Vt ergo paritatem inter se profiterentur, cùm æquè essent Legati Romanæ sedis, nulla habita ratione suorum propriorum titulorum, indifferenter se habebant in hoc Concilio; prout commoditas, vel opportunitas ferebat: sed in octaua Synodo, vt vidimus, Episcopus non Cardinalis Legatus Romanus voluit præcedere Diaconum Legatum, & Cardinalem, quia in Legatione erant pares; in titulo tamen

b Baron. t. 5. an. 431. nu. 82.

c Acta Concil. Ephes. Edit. Pelsom. 2. f. 15. 16. 17.

B Episcopus quicunque præcedere debuit Diaconum quencunque. Qui igitur semper fuerint verè Cardinales in Ecclesia etiam Romana, iam habes satis explicatum: nunc Cardinalitiæ elationis occasiones indagemus.

XXIX.

Romanæ profectò Vrbis excellentia maxima temporalis, sicut Ecclesiæ ipsi Romanæ, ipsiusque Episcopo, ita Clero quoque eiusdem, fuit semper occasio se nimium efferendi. De nimia superbia, nimioque fastu Diaconorum Romanæ Ecclesiæ, adhuc temporibus Hieronymi, & Augustini, apud eosdem sanctos Doctores habes inuectiuas iustissimas; [d] Legimus in Esaia, *inquit Hieronymus*, fatuus fatua loquetur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, vt Diaconos Presbyteris, id est Episcopis, anteferret.] Et postquam probauit Presbyteros ab Episcopis nihil penè differre, occurrens illius morbi causæ, dum videlicet Diaconi Romani speciale priuilegium ex Vrbis nobilitate prætenderent, ait; Nec altera Romanæ Vrbis Ecclesia; altera totius orbis existimanda est. — Vbicunque fuerit Epi-

d Hieron. Ep. 85.

C scopus, Romæ siue Eugubij, — eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit.] Hæc profert Hieronymus, vt ostendat, sicut Episcopus Romanus ex Vrbis potentia, aut diuitijs, nihil habet supra alios Episcopos minorum Vrbium, & tenuiorum Ecclesiarum præeminentiæ; ita neque Diaconos eiusdem Vrbis, posse prærogatiuas prætendere. Et quia Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinabatur, respondet; Quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas? —— Diaconos paucitas honorabiles; Presbyteros turba contemptibiles facit.] Eo igitur tempore Diaconi Cardinales Romæ, supra Presbyteros Cardinales se efferebant; sed eorum fastum conatur Hieronymus comprimere. Totius tamen Romani Cleri, tam Diaconorum, quàm Presbyterorum fastum, alibi acrioribus insectatur verbis; eumque vocat [e] Ollam ardentem, Senatum Pharisæorum, & imperitiæ factionem, in quo nullus sit scriba (*hoc est Doctor*) vel fictus. De

e Hieron. in Proœm. in l. Didymum de Spir. Sancto.

D quo plura infra.

XXX.

Augustinus verò, seu alius Autor non ignobilis, eandem Romanorum Diaconorum superbiam, & arrogantiam reprehendit; & quod illi ab Vrbis potissimùm dignitate, vanè cristas attollerent, meritò stomachatur: [f] Quidam, *inquit*, qui nomen habet Falcidij, duce stultitia, & ciuitatis Romanæ iactantia, Leuitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris æquare contendit, non dicam præferre: ----- Sed quia Romanæ Ecclesiæ *Ministri* sunt, iccirco honorabiliores putantur, quam apud cæteras Ecclesias, propter magnificentiam Vrbis Romanæ, quæ caput videtur esse omnium ciuitatum.] Adhuc Bernardi tempore, hæc quam Augustinus suggillârat stultitia Diaconorum Romanorum perdurabat; seu fortasse innouabatur: contra quam Bernardus ad Eugenium scribens, sic insurgit; [g] *Ridiculè* Ministri vestri, vestris se compresbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non consentit autoritas. Et si de sua consuetudine calumnia struitur; *melius* profectò

f Aug. in qq. Vet. & Nou. Test. q. 101.

g Bern. de consid. l. 4. c. 5.

E illa, quam summus ordo contemnitur. Friuolum tamen satis, vnde maximè obtinere id volunt. Nos sumus, inquiunt, qui in omni celebritate Domino Papæ *coniunctiores* assistimus, sedenti propiores; priores sequimur procedentem. Hoc totum non dignitatis priuilegium, sed sedulitatis debitum est, Diaconi nomen solenni ipsa administratione interpretans. Denique Presbyteris, ordinata confessione ambientibus Maiestatem, vos ad pedes sedetis. Propiores assistitis, vt habeat paratiores. In Euangelijs legimus, quia facta est contentio inter Discipulos, quis eorum videretur esse maior. Beatus esses, si sic circa te cætera tenerentur.] Hi profectò erant Diaconi, & Diaconi Cardinales, & tamen ad pedes Papæ sedebant: tempore verò Hieronymi, & Augustini, ne sedere quidem coram Presbyteris audebant: astabant verò vt essent ad ministeria paratiores. Et in his Bernardus aliud officium non

agnoscit, nisi vt Papæ, in quibusdam officijs Ecclesiasticis, iuxta commune Diaconorum munus, ministrarent. Vbi ergo illi magnificentissimi Consiliarij, & Ecclesiæ vniuersalis cum Papa gubernatores? A

XXXI. Ex his habemus non esse rem nouam, vt Clerus Romanus sibi supra cæteros arroget magnam dignitatem, & præcellentiam, sed indebitam, quæ tantorum virorum in Ecclesia laudatissimorum bilem meritissime concitarit. Neque solum ex Vrbis maiestate Diaconi Romani facti sunt insolentes, & elati; sed etiam ex cura, quam illi tunc habebant penes Romanum Pontificem; vt essent quoddammodo id, quod nunc sunt Referendarij vtriusque signaturæ: [a] Vides, *inquit Augustinus*, quid pariat vana præsumptio? Immemores enim elationis mentis, eo quod videant Romanæ Ecclesiæ se esse ministros, non considerant quid illis à Deo decretum sit, & quid debeant custodire. Sed tollunt hæc de memoria assiduæ stationes domesticæ, & officialitas, quæ per suggestiones malas, seu bonas nunc plurimum potest; aut timetur enim ne male suggerant; aut emuntur vt præstent. Hi sunt qui faciunt eos ordinis sui non considerare rationem; dum enim per adulationem obsequuntur illis, illicite præcipites illos faciunt, vt plus sibi putent licere. Quippe cum videant non sic deferri Sacerdotibus, ac per hoc anteferri se putant.] Hæc porro cura erat; quia occasione Curiæ, & Imperatoris, omnes Ecclesiæ per orbem Romanum sæpe indigebant ope Romani Pontificis apud Imperatorem. Cura itaque Diaconorum erat suggerere Papæ huiusmodi negocia; in quibus suggerendis poterant eis, & obesse plurimum, & prodesse; & hac occasione clientes habebant multos; qui ipsis, & submissione elationis erant causæ, & largitione vtilitatis; eorumque & ambitioni & auaritiæ seruiebant; & tamen nondum eo tempore Pontificatus Romanus tanto fulgebat splendore, cum terreno etiam, neque exili Principatu; quanto postea, deleto Romano fullit Imperio, atque hodie vel maxime fulget. B

a Aug. vbi sup.

XXXII. Iam verò Romani nostri soli per Antonomasiam vocari volunt Cardinales; cum tamen, vt vidimus, in omni Ecclesia proprij adsint ministri Cardinales. Imo vero adeo deflexerunt à vera ratione & forma Cardinalium, vt iam nullo modo veri sint amplius Cardinales; non modo illi, qui propriarum sunt Episcopi Ecclesiarum, vt supra monui; sed ne reliqui quidem, etiam Romæ residentes: sunt enim omnes illi Ecclesiæ aduentitij, & assuti, non propriè incardinati. Titulos quidem ad speciem assumunt; sed in titulis nullum prorsus exercent officium, quod sit proprium Christi ministrorum Cardinalium: & plurimi tituli sunt priuatarum Ecclesiarum, siue oratoriorum, etiam Monachorum, & Regularium; in quibus publica nulla vigent, in plebe fideli regenda, & Ecclesiasticis ac spiritualibus fouenda, & nutrienda officijs exercitia: quæ Ecclesiæ propterea nulla ratione esse possunt, nisi æquiuoce Cardinales; etsi quæ sunt veræ Cardinales, illæ proprios habent ordinarios Parochos substitutos, satis viles, & abiectos; reuera tamen veros Cardinales; qui [b] pondus diei ferunt & æstus: titulum interea alij possident, qui nihil minus, quam munia Ecclesiastica curant. Nec verò tantum propria, quæ hoc nomine Cardinalitio eis incumbunt, munera Parochialia deserunt, sed mira metamorphosi in typhum secularem toti transeunt, Principum facti æmuli, imo ipsi potius Reguli, ita vt se summis audeant Regibus comparare; hoc est, galerum rubrum aureo diademati æquiparare. Prodijt è prælo recens quædam Bellarmini contra Serenissimi Britanniæ Regis præfationem Apologia: In qua dum lego quæ affert ad coæquandos regibus Cardinales, eius certè prudentiam desidero; mirorque quod non potius ex hac arena pedem retraxerit. Certè prorsus extra oleas eius longiuscula vagatur oratio laudatoria, dum ad dignitatem Cardinalitiam stabiliendam, Presbyteralis & Diaconalis potestatis munia communia in theatrum deducit, quæ quidem si quæstionem propositam attingerent, ipso Cardinali vix puto id concedente, triobolares quiuis Presbyteri, qui in foris quotidie prostant vt missificent venales, maximis Regibus prorsus æquarentur. Vbi verò Cardinalium exaltator Cardinalis ad propria ipsorum officia delabitur, electores Papæ, consultoresque nobis ostentat (de quibus iam à me dictum est) ac tandem de hac eorum cum Regibus æquiparatione distinguens, suæque conclusioni terminos figens, ait, [c] eam intelligendam de externo cultu & honore: quod vsus obtinuerit, vt quemadmodum Principes omnes Regibus cedunt, sic etiam cedant Cardinalibus. Et in hoc paritatem quandam ponit:] Quandam: sed quantulam? Reuera nullam: Primùm enim cultus ille siue honor externus sponte delatus ac voluntarius in honorante est, vt aiunt, non in honorato; nec dignitatem vllam veram inhærentemque ponit in Cardinalibus. Quin etiam veri Principes non soliti sunt se huic indignitati prostituere, C D E

b Matth. 20.

c Bellar. Apolog. cont. præfat. Reg. c. 4.

A tuere, quod si qui se adeo abiecte submiserint, vt Cardinalibus primas deferrent sponte, aliquo certe animi morbo laborarunt, vel leuitatis, vel ambitionis; vel in angustias detrusi, ac opis indigi Curiæ Romanæ abblanditi sunt; vel demum ex quadam non admodum prudenti reuerentiâ, Romanis Decretis ceremonialibus obtemperarunt. Sapientes interea Principes non defuerunt, qui Cardinales in locum satis humilem, vereque suum detruserunt, colque nimium insolescentes subinde repressérunt.

XXXIII. Vnde verò, obsecro, iam tantam prætendunt præcellentiam, inter omnes Ecclesiæ sanctæ ministros & Rectores, vt iam Episcopi mutum sponte facti pecus; & Presbyteris, & Diaconis etiam istis Cardinalibus, sordidissimo pene se subdant famulitio? Et illi supra Episcopos non Cardinales Romanos, & accipiant, & velint eminentiam? Imò etiam, extra Romanam Ecclesiam in toto orbe Christiano? Cum tamen Minister Ecclesiasticus, in sua propria Ecclesia incardinatus, in aliena omnino cesset esse Cardinalis, quia illa suos habet proprios Cardinales, alienæ Ecclesiæ Cardinalibus in ea aduentitijs superiores.

B XXXIV. [a] Tria sunt officia, *inquit Bellarminus*, Cardinalium Romanorum: Primum est commune cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis cæteris; omnes enim Cardinales aut Episcopale, aut Presbyterale, aut Diaconale officium habent: Alterum officium est summum Pontificem eligendi: Postremum eidem Pontifici perpetuo assistere, eumque in regenda vniuersa Ecclesia, consilio & industria adiuuare. — Si consideremus, *inquit*, ordinis potestatem, maior est Episcopus non Cardinalis, Presbytero vel Diacono Cardinali; nam Episcopus ordinat Presbyteros, confirmat baptizatos, aliaque id genus facit, quæ Cardinales Presbyteri, vel Diaconi facere non possunt. Qua ratione etiam summus Pontifex Episcopum se vocat, non Cardinalem; & Episcopos omnes appellat Venerabiles fratres, Cardinales autem dilectos filios; quomodo vocat etiam Laicos. Pari ratione si consideremus iurisdictionem in propriam Ecclesiam — Episcopus habet amplissimam iurisdictionem, tan-

C quam proprius, & ordinarius Pastor, ferendi leges, dispensandi, puniendi, indulgendi &c. Ac Cardinalis Presbyter, & Diaconus, cum in suo titulo sit veluti Parochus Episcopo subiectus, nihil potest, nisi quantum Episcopus ei permiserit.] Hæc Bellarminus. Hanc libenter huius veritatis confessionem admittimus. Cur ergo Dominus Papa fratres suos Episcopos ad pedum oscula abiectissimè prosternit; Cardinales verò filios erectos accipit? Cur ipsi Cardinales tam vili loco tenent Episcopos, vt eos in suorum famulorum numerum coniiciant? Cur non Romæ modo, sed etiam passim, vbicunque Episcopis præferri volunt? Audiamus eundem:

XXXV. At si consideremus, *inquit*, regimen Ecclesiæ vniuersalis, maior est Cardinalis Presbyter, vel Diaconus Episcopo non Cardinali; nam Episcopi simplices nunquam adhibentur ad regimen vniuersalis Ecclesiæ, nisi rarissimè; id est, cum ad generale Concilium conuocantur; at Cardinales fere quotidie præsto sunt Pontifici; neque vllum negotium maioris momenti, sine eorum consilio peragitur. Et quia hinc fit vt Episcopi à Cardinalibus, vt summi Pontificis cooperatoribus, iudicentur, creentur, deponantur; non autem contra Cardinales ab Episcopis: propterea absolute Cardinalis Episcopum non Cardinalem præcedit.] Quæro ego an perpetuo Romanus Pontifex habuerit, etiam priscis temporibus, consiliarios, & adiutores in hoc regimine, quod prætendit Ecclesiæ vniuersalis? Negare id non potest: semper enim Ecclesia omnis, ac præsertim Romana habuit suum Clerum proprium, hoc est Cardinalem: & hic Clerus constituit collegium quoddam, seu cœtum Presbyterorum, quem Hieronymus vocat [b] Senatum Ecclesiarum. Quod collegium Ignatius facit Episcopi consiliariorum, & tanc iure diuino institutorum, vt plene habes supra libro secundo cap. 9. Nec potuit Pamelius non apertè fateri, [c] clerum Ecclesiæ Romanæ, quem Cornelius vocat suum [d] Presbyterium, tunc idem collegium fuisse eiusdem officij, & autoritatis, quod est nunc Cardinalium; & tamen Episcopos quoscunque fuisse hoc

E Presbyterio superiores.] Cur igitur isti, qui olim fuerunt veri Cardinales, veri Papæ consiliarij, & in regimine adiutores præcellentiam hanc supra Episcopos non prætenderunt? Imò cur eam Diaconi Romani supra Romanos Presbyteros prætendentes, à Patribus sunt adeo reprehensi & correpti, vt tumori duntaxat, & typho superbiæ, fatuitatique, & stultitiæ, atque Pharisaico supercilio conatum illum, vt vidimus, tribuerint? Cur etiam omissis veris Cardinalibus, hoc est vero & proprio Romano Clero, nouum quendam ordinem Cardinalium externorum, Papæ in suam Ecclesiam inuexerunt? Nonne ipsius proprij Canonici, (reuera de iure Cardinales) Ecclesiæ Lateranensis, sunt maximè proprij ipsius consiliarij?

[a] *Bellar. de Clerd. l. c. 16.*

[b] *Hieron. in Isa. c. 3.*

[c] *Pamel. annot. in Cypr. ep. 46. num. 10.*

[d] *Apud Cypr. l. 3 ep. 11.*

Nouitatem

XXXVI. Nouitatem vrgemus, ac dolemus, veros S.R.E. Cardinales sua dignitate & autoritate priuatos esse, Canonicos Lateranenses, & aliarum Ecclesiarum titulatos, ac proprios ministros; & in ipsorum locum aduentitios fuisse assumptos. Fatetur Bellarminus ex officijs illis tribus supra memoratis, Cardinalium institutionem esse antiquissimam; & ab ipso tempore Apostolorum inchoatam. Quia videlicet Romana Ecclesia semper proprium Clerum habuit, qui & sacra ministeria in Vrbe perageret; & Episcopum suum eligeret, & ei consilijs assisteret. Nouum tamen est, vt in solo primo officio detento Clero vere Cardinali, maiori ipsius parti, reliqua duo officia sint subtracta; & externis, atque aduentitijs Clericis, imo etiam laicis data. Neque nouitatem tandem negare potuit Bellarminus: ait enim. Postea tamen mutatus est ordo, & cæpti sunt Cardinales Episcopis anteponi, & Episcopatus gradus esse ad Cardinalatum.] Gradus sane retrogradus, vt de Episcopatu quis descendat ad Presbyteratum. Sane Concilium Chalcedonense sacrilegium esse asserit, si quis Episcopus in pœnam ab Episcopali gradu detractus, ad Presbyteralem solum reducatur. Quanto maius sacrilegium erit, si quis, non in pœnam, & inuitus, sed ex propria voluntate, imò ex mera vanitate id sibi procuret? Cur igitur antiquitatem modernorum Cardinalium vrgebat Bellarminus, qui mutationem hanc postea factam ipse quoque fatetur? Nos enim veros Cardinales dicimus esse clerum proprium Romanum, neque negat ille, sed sponte fatetur. Aliud vero Cardinalium genus, quales nunc sunt; postea de nouo inuectum dolemus, perperam priori destructo: neque hoc negare potuit, sed fateri coactus est idem Bellarminus. Igitur Cardinalatus hic, prout nunc viget, nouus est, non ille antiquus, sed ab illo longe diuersus imo peruersus & deprauatus. Ita nouum etiam est, & ab antiquis Sanctæ Ecclesiæ sanctis moribus plurimum distans, vt Diaconi & Presbyteri Romani, Episcopis anteponantur. Quod ipsum quoque negare non potuit bonus Cardinalis, imò ore rotundo est confessus. Caussam vero reddidit hoc pacto.

XXXVII Sed huius mutationis, *inquit*, duplex ratio assignari potest; Vna quod ad solos Cardinales deuoluta sit electio summi Pontificis; nam quo tempore Pontifices eligebant Imperatores, vel Clerus & populus, non est mirum si non tanti fierent Cardinales. At postea quam cæperunt soli ipsi eligere, & etiam soli ipsi vt plurimum eligi; non sine causa cæpit dignitas Cardinalitiæ pluris fieri quam antea. Altera causa est, quod soli Cardinales cæperint adesse summo Pont. in consilijs; nam antea Cardinales neque soli, neque Primarij consiliarij Pontificis erant: siquidem primis sexcentis, vel octingentis annis, summi Pontifices, ad grauiora negotia Ecclesiæ dijudicanda, cogebant concilia Nationalia Episcoporum Italiæ: quibus conciliis intererant quidem Cardinales Presbyteri; sed tum, primus locus Episcoporum erat. Quoniam non erat ratio cur eo tempore Cardinales Presbyteri Episcopis anteponerentur; cum eo tempore non minus, imo magis, Pontificem iuuarent in Ecclesia vniuersali regenda Episcopi, quam Cardinales. At postea creuerunt negocia Ecclesiæ Romanæ, præsertim cum accessisset Principatus temporalis, tempore Pipini; & Caroli Magni; proinde egebat summus Pont. Consiliariorum ope, multo sæpius quam antea. Neque poterat tam sæpe conuocare Concilia Episcoporum, quam necesse erat. — Itaque vsu docente, & necessitate cogente, his postremis annis sexcentis, vel septingentis, cœperunt paulatim omitti concilia Episcopalia; & res tota redigi ad Senatum Cardinalium. Potuisse autem hoc fieri, & recte factum esse, in dubium reuocari non potest. Nam non tenetur Pontifex hos potius quam illos in consilium adhibere. Deinde hac ratione multa commoda consecuta sunt. Primum quod habeat nunc summus Pont. Senatum in promptu; ita vt possit etiam singulis diebus, si velit, de rebus grauissimis deliberare. Alterum quod hoc faciat sine detrimento Ecclesiarum particularium; nec enim possent Concilia Episcoporum sæpe cogi sine detrimento Ecclesiarum, quibus absentia pastorum perniciosa est. Tertium quod habeat consiliarios magis instructos & exercitatos, cum hæc sola, & assidue tractent: facta autem legitimè hac mutatione consilij Pontificij, ab Episcopis & Cardinalibus, ad solos Cardinales, mirum esse non debet si etiam facta est mutatio dignitatum.] Hucvsque Bellarminus.

XXXVIII. His tamen omnibus nihil efficit, nihil obtinet; sed potius suo se iugulat gladio. Inde, *inquit*, excreuit Cardinalitia dignitas, quod iam pauciores sint Papæ electores. Si iste electoratus dat dignitatem, profecto eandem dabit siue sint pauci, siue plures; neque creuit dignitas in se, vbi ad pauciores redigitur; neque in se minuitur, si in pluribus reperiatur; nisi in sola hominum opinione & æstimatione. Idemitaque asserendum nunc est de dignitate Cardinalitia, quod asserebat Hieronymus de Diaconis Romanis, tunc pluris factis

quam

A quam fierent Presbyteri; [a] Quia, *inquit*, omne quod rarum est plus appetitur: pulegium apud Indos pipere preciosius est, Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit.] Ita sanè, fatente Bellarmino illustrissimo Cardinali, & suum Cardinalatum quem postea habuit præclarè defendente; ex sola paucitate, non ex se, aut ex proprio gradu, nunc Cardinalatus Episcopatui præfertur; cum tamen reuera in se, & ex se, Episcopatus longè Cardinalatui præferatur. Sicut re vera tempore Hieronymi Presbyteratus Romanus, ex se, & de se, longè dignior esset Diaconatu, quare & tandem suam supra Diaconos obtinuit dignitatem. Ego sanè pluris merito facio piper, quàm pulegium; rametsi in India ob paucitatem pluris fiat pulegium. Sed de electoribus Papæ agam inferius suo capite peculiari; ostendamque contra ius, & contra fas, toti reliquo Clero Romano ereptam esse suam propriam, quam radicatissimam habet facultatem sui Episcopi eligendi, & ad paucos æquiuocè sic dictos Cardinales redactam.

B Sunt, *inquit*, Papæ Consiliarij Domini Cardinales.] Certè de iure, vt monui, ipsius Consiliarij sunt Canonici, potissimùm Lateranenses; [b] Quorum iudicio (vt loquitur Benno Cardinalis) ex priuilegio sanctæ sedis, totus subiacet mundus, & omnes titulati Presbyteri qui sint veri Ministri Ecclesiastici in Romana Vrbe; & non hi fictitij Cardinales. Sed sint quantumuis Consiliarij, non video cur ad tantam dignitatem etiam supra Episcopos sint euehendi. Consiliarius enim, cuius consilio solo, & non suffragio, fiat deliberatio, nunquam tantam assequitur dignitatem, vt inde duntaxat præferri possit ijs, qui aliqua dignitate cum potestate propria ordinaria emineant; præsertim verò quod Episcopus Romanus, vt Episcopus extra propriam Ecclesiam, nihil habeat potestatis, aut iurisdictionis; quare & ipsius Cardinales consiliarij ordinarij non sunt, nisi in solo regimine particularis Ecclesiæ. Aut si loquamur de iure ipsius Metropolitico, vel Patriarchali, Cardinales prout ipsius Consiliarij, vel pro sola Romana Prouincia, vel etiam ad summum pro toto, sed solo Romano Patriarchatu; & non nisi in ijs, quæ Metropoliticum, vel Patriarchale ius spectant. Ad vniuersale verò regimen neque Romanus Episcopus potest extendi, neque consequenter eius Consiliarij proprij, nimirum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales suis pertingunt consilijs. Episcopi verò omnes, & singuli sunt totius Ecclesiæ ordinarij consiliarij (quorum vnus & ipse Papa est) ad regimen vniuersale totius Ecclesiæ vniuersalis, in Concilijs generalibus, cum suffragio decisiuo etiam, vt ostendam libro septimo, non modo consultiuo. Quo nomine necesse est eos Cardinalibus Romanis, qui tali carent suffragio, longè antecellere. Et in veris officijs Cardinalium, supra numero 22. & 34. non fuit agnitum hoc officium, vt sint Consiliarij in regimine Ecclesiæ vniuersalis, quod regimen in Papa, vt diximus, nullum est.

XXXIX.

b *Apud Baron. tom. 11. an. 1078. nu. 11.*

C

Est verò illud maximè deplorandum, quod trophœi loco commemorat Bellarminus; suppressa iam esse consilia opera Romanorum Pontificum; & in eorum locum Cardinalium solum inductum esse Romæ Consistorium. In rebus sanè ad solam Ecclesiam Romanam vel Diœcesim pertinentibus, imò etiam publicis aliarum Ecclesiarū, sed minoris momenti, vbi requireretur ipsius consilium, vel assensus, consueuit olim Romanus Pontifex suum Clerum congregare, & simul cum illo deliberare; & hoc erat ipsum verum antiquum Consistorium, cuius mutatio mala est, & maximè reprehendenda, quia insignem continet iniuriam veri Cleri Romani Cardinalis: In grauioribus tamen negotijs fuit semper mos, vt Synodos maiores, vel minores cogeret ipse Papa suorum Episcoporum; & simul cum ipsis ad suffragia ipsorum decisiua rem definiret, & iudicia exerceret; in quibus, vt vidimus supra, & lib. octauo declarabo, etiam Cardinales ipsos Romanos Episcopi iudicabant. In quibus Synodis, vt fatetur Bellarminus, & nos supra ostendimus, intererant quidem Presbyteri Romani Cardinales, sed tamen primus locus Episcoporum erat; & vbi suffragijs negotium esset decidendum, soli Episcopi suffragium ferebant, vt ostendam libro septimo. Et propterea Innocentius secundus in damnatione quadam hæreticorum; [c] Communicato, *inquit*, fratrum nostrorum Episcoporum Cardinalium consilio, ---- damnauimus, &c.] In talibus igitur negotijs Episcoporum tantùm Cardinalium consilio vtendum fuit; & non totius Consistorij. Et quæ ratio est, vt quando multi erant consiliarij, & non soli Cardinales, sed etiam Episcopi; tunc cardinalitia dignitas esset inferioris ordinis: postea quando soli Cardinales facti sunt Consiliarij, illa creuerit, & Episcopos deiecerit? an paucitas? Sed paucitas, vt iam diximus, rem in se digniorem non facit. Synodorum tamen, & Episcopalium comentuum vsus Romæ abolitus est, & Cardinalium non Episcoporum Consistoriam à Papis est substitutum, vt iam soli omnia negotia tanquam absoluti Monarchæ,

XL.

D

E

c *Inter Epist. Bern. Ep. 194.*

chæ peragerent; & ad speciem tantùm, externamque solam Synodi formam, Consiliarijs, absque vllo decisiuo suffragio vterentur; & interim ipsi Pontifices, quod ipsis lubet, facerent: nam si Episcopos Synodaliter adhiberent, non quod voluntas, aut libido Papæ conatur, sed quod plura suffragia Episcoporum statuerent, id esset peragendum. Iam vero solus Papa cum Cardinalibus ipsius assentatoribus, non consiliarijs; si Deo placet, Catholica vocatur Ecclesia. O misera tempora! A

XLI. Quid verò tibi videtur, Lector, de illa Bellarmini causa, cur Cardinales sint maiores Episcopis; quia nimirum creuerunt negotia Ecclesiæ Romanæ; præsertim cum accessisset Principatus temporalis? Vere enim Cardinalitia dignitas, ex Dominio temporali Papæ plurimum aucta est; & principatus temporalis Papæ allicit etiam Regum, & Principum magnorum filios, vt fiant Cardinales; hoc est vnius magni Principis temporalis ferme socij, & eiusdem Principatus candidati. Cur ergo inter Ecclesiasticos viros, in ordine Ecclesiastico, illos reponimus? Cur Episcopis Ecclesiastica vera potestate, & primatu spirituali vero præcellentibus, propter Laicum, & temporalem primatum, Cardinales præferimus? Non est profecto cur hinc Ecclesiasticæ Hierarchiæ Cardinales annumeremus. Si Papa, vt vult Bellarminus, Synodos debuit vitare ob incommoda Episcoporum, & difficultates eos congregandi, & solos nihilominus voluit habere Consiliarios ad eorum consilia accipienda; habebat canonicos Lateranenses; habet præcipuos Romanarum Ecclesiarum titulatos; eos adhibeat in Consistorium. Lateranensis Ecclesiæ clerici sunt perpetui, antiquissimi, ac genuini ipsius Consiliarij, ex ipsis conficiat suum Senatum, qui vere sunt Senatus Ecclesiæ Ro. & licet clerus Romanus sit copiosus; quis vetat præcipuos tantum interdum assumere; & maiores sui cleri Dignitates aduocare; puta Archipresbyteros, Diaconos, & ipsa Collegiatarum Ecclesiarum capita, Archidiaconum, Primicerium, & similes Ecclesiæ Romanæ Dignitates; primosque singularum Ecclesiarum Cardinalium titulatos; veros tamen, & reuera sua officia exercentes? Sic enim non excederet numerum Cardinalium; & ex proprio clero haberet in promptu quos consulat, & quibuscum deliberet, quique vsu continuato, & idonei optime fierent, & instructissimi. Nunc vero, bone Deus, quota pars Cardinalium Ecclesiastico proprio muneri apta est? De nostris temporibus ego taceo: de suis temporibus loquatur Platina. [a] Nunc verò, *inquit*, adeo refrixit pietas & religio; non dico nudis pedibus, sed caligati, & cothurnati, vix supplicare dignantur; non flent inter eundum, vel dum sacrificatur, vt illi sancti Patres; sed rident; & quidem impudenter: De ijs etiam loquor, quos purpura insigniores facit; non hymnos canunt, id enim seruile videtur; sed iocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? Quo quis dicacior est, & petulantior; eo maiorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Seueros & graues viros reformidat hic noster clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt viuere, quam bene monenti, aut cogenti obtemperare; & ob eam rem Christiana religio quotidie in peius labitur. Et rursus idem, [b] Nostris, *inquit*, temporibus, in omnem luxum & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inspicieres, non homines, quod leue fortasse videretur, sed equos, & iumenta; præcedente, dū incedunt, magno adolescentum, & altero Presbyterorum agmine subsequente; non in asinis, vt Christus nostri dogmatis autor, & bene viuendi vnicum in terris exemplar; sed in equis præferocibus, & phaleratis, ac si ex hoste deuicto triumphum ducerent. De argenteis vasis, & egregia eorum supellectile, deque cibarijs, non attinet dicere; cum & Siculæ dapes; & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius precij dici possint. Quid vero ex hac intemperantia nascatur, prætermittam; ne os, (vt ipsi aiunt) in cœlum ponam.] Non opus est me dicere de Coccinatis nostris, qui, & quidem pauci, Ecclesiasticos redditus tantos in suas delicias insumunt soli, quantis mille credo, Episcopi, in Ecclesia Christi egregie laborantes, commodè alerentur. Quæ sane immensa pecunia in Cardinalium inutilium luxus, ex Christi patrimonio inutiliter impensa, tota alioquin posset in pauperes, vel in tyrannorum infidelium Christiani nominis oppressorum debellationem, fideique nostræ propagationem, cum fructu incredibili, & scandalorum maximorum amotione impendi; & nihilominus interim Senatus verus cleri Romani, iam suis firmis redditibus prouisi retineri. Quod verò ait Bellarminus Episcopos iudicari à Cardinalibus, verum non est, nisi per abusum; vt ostenderetur libro octauo: quod ait similiter Epjscopos à Cardinalibus fieri, falsum est: vt lib. 3. XLII. iam est declaratum: nisi per summam Romanæ Curiæ vsurpationem.

Vidit Ecclesia, vidit Cardinalitij fastus abusum intolerabilem; vidit Consistorium impertis

a *Platina in Steph. 3.*

b *Idem in Greg. 4.*

B C D E

A peritis interdum, & Ecclesiæ inutilibus, vtinam non vt plurimum, repleri Cardinalibus; & non sine conniuentia aliqua, vt in maxima corruptela fieri solet, Decreta huiusmodi, à Papis tamen postea reiecta; & penitus cum reliquis reformationis Ecclesiæ Decretis, contempta promulgauit: [a] Cum summo Pontifici S.R.E. Cardinales, in dirigenda Christiana Repub. collaterales assistant, necesse est; vt tales instituantur, qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sint; super quos ostia vniuersalis versentur, & sustententur Ecclesiæ. Statuit igitur sancta Synodus, vt deinceps eorum numerus adeo sit moderatus, quod nec sit grauis Ecclesiæ (quæ nunc ob temporum malitiam plerisque grauibus affligitur incommodis) neque superflua numerositate vilescat; qui de omnibus christianitatis regionibus, quantum commode fieri poterit assumantur; vt notitia rerum in Ecclesia emergentium faciliùs haberi, & super his maturius deliberari possit; sic tamen, quod numerum 24. inter hos qui nunc sunt, & assumendos non excedant; ita quod de vna natione, vltra tertiam partem, respectu Cardinalium pro tempore existentium; ac de vna ciuitate & Diœceli, vltra vnum inde oriundum; & de ea natione quæ nunc vltra tertiam partem habet, vsque ad ipsius tertiæ partis reductionem, esse nequeant. Sint viri in scientia moribusque, ac rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, Magistri, Doctores, seu Licentiati, cum rigore examinis, in iure diuino, vel humano; sit saltem tertia, vel quarta pars, de magistris aut licentiatis in Sacra Scriptura. Inter hos autem 24. esse aliqui poterunt admodum pauci, filij, fratres, aut nepotes Regum, seu magnorum Principum; in quibus cum circumspectione, & maturitate morum competens literatura sufficiat. Non fiant Cardinales nepotes ex fratre vel sorore Romani Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis; non illegitimè nati, non corpore vitiati, nec alicuius criminis aut infamiæ nota respersi. Prædicto autem numero 24. pro magna Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate, duo alij, in quibus vitæ sanctitas, vel eximiæ virtutes refulgeant; quanquam memoratos gradus non habeant; ac de Græcis cum Romanæ Ecclesiæ vniti fuerint; insignes aliqui viri adijci poterunt. Non fiat Cardinalium electio solum per auricularia vota; sed illi solum assumi possint, in quos, facto vero scrutinio, ac publicato, maiorem partem Cardinalium per subscriptionem manus propriæ, constiterit collegialiter consensisse. Desuper etiam Apostolicæ literæ, cum subscriptione Cardinalium conficiantur; decreto huius sacri Concilij in quarta sessione solenniter publicato, quod incipit; Item cum multiplicatio Cardinalium &c. in suo robore inuiolabiliter permansuro.] Ponitur statim ibidem iuramentum quod debent præstare Cardinales noui: postea pergit Concilium Cardinales reformare; eisque mores præscribere, circa Ecclesiarum titulorum conseruationem; circa visitationes suorum titulorum, & Cleri, in iisdem titulis seruientis: circa curam & vigilantiam contra hæreses, & superstitiones; & circa alia seruitia erga summum Pontificem præstanda; inter quæ illud habetur: si quando Papam, quod absit, negligentem, aut remissum, seu agentem quæ statum illius non decent, ipsi Cardinales inspexerint, filiali reuerentia, & caritate, tanquam patrem obsecrent; vt officio pastorali, honorique ac debito suo satisfaciat. Et primo quidem aliquis vel aliqui de per se; deinde, si se non corrigat, omnes collegialiter, accersitis quibusdam notabilibus Prælatis; prædicentes quod si non abstinuerit, proximo generali Concilio deferent: nec pro saluti ipsius summi Pontificis, & bono publico eius odium, vel quicquam aliud timeant; dum tamen reuerenter, & caritatiue id agant.] Ita etiam præscribit Papæ, vice versa, modum corripiendi & corrigendi Cardinales: Monet etiam Cardinales idem Concilium ibidem, vt Prælatos ad Curiam Romanam venientes, benignè, & honorificè, tam publicè, quam priuatim pertractent; & apud summum Pontificem eorum negocia gratis, ac liberaliter recommissa faciant: Vt affines suos, non ita opum, aut beneficiorum multitudine accumulent, vt alij inde scandalum patiantur; caueantque, ne bona ab Ecclesijs profecta; vltra quam necessitatis ratio postulat, in carnem & sanguinem effundant. Familia, *inquit*, mensa, supellex rerum & equorum, tam Papę, quam Cardinanalių, nec numerositate, nec fastu aut pompis, neque aliquo excessu, reprehensibilis sit, &c.]

[a] *Concil. Basilean sessione 23.*

Et in Concilio Lateranensi hæc habentur: [b] Cum S.R.E. Cardinales, cæteros omnes, in ipsa Ecclesia, post summum Pontificem, honore, ac dignitate, præcedant; conueniens, ac debitum est, vt vitæ munditia, ac virtutum splendore, cunctis præfulgeant. Quapropter non modo hortamur eos, ac monemus, verum etiam statuimus, & ordinamus, vt de cætero quilibet Cardinalium pro tempore existens, iuxta doctrinam Apostoli ita sobrie, caste, ac piè viuat; vt non solum à malo, sed ab omni specie etiam mali abstinens, coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac Diuinis of-

XLIII.

[b] *Concil. Lateran. sub Leon. 10. sess. 9.*

nis officijs, missarumque celebrationibus intenti — sitque eorum domus, familia mensa, supellexque, non fastu, aut pompa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis &c. — Prælatos ad Romanam Curiam venientes, benigne, honorificeque tam publice quam priuatim tractent; & apud nos & successores nostros gratiose, liberaliterque eorum negotia commendata suscipiant. Præterea ministerium indecorum Episcoporum, Prælatorumque in domibus non habeant; ne cæteris præesse instituti, & sacro charactere insigniti, in vilia descendant ministeria; passimque pastoralis officij contemptum inducant. Eos itaque quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri honorifice, vt fratres, ac iuxta eorum status condecentiam, tractent &c.] Repetit curam titulorum, & cleri in ijs constituti, prout in Concilio Basileensi; & de non ditandis suis. Monet vt Ecclesias commendatas bene cultas teneant; in familia impensas moderentur; fastum, luxum, & prodigalitatem fugiant; hospitalitatem sectentur; vestes quales esse debeant in Cardinalium familia, & parafrœnarijs præscribit. Statuit vt Cardinales legati à latere per se, & non per officiales negotia peragant, & definiant; ac demum statuit, ne funebres expensæ Cardinalium, mille quingentorum florenorum summam excedant. Hæc ad nouos Cardinales in officio aliquo modo continendos præscripta sunt; quos tamen à vera ratione antiquorum Cardinalium penitus excludendos esse iam confirmaui. Sed quamuis per abusum tam sint isti noui introducti; vtinam tamen non multo plus sibi arrogarent, quam ipsemet abusus qui eos induxit videtur tolerare.

A

B

XLIV. Sunt tamen qui, vt Cardinalitiam hanc tueantur dignitatem, non verentur eos ad Iuris diuini reducere institutionem; faciuntque Cardinales esse Apostolorum successores. Ita sane [a] Petrus de Alliaco Cameracensis; & [b] Ioannes de Turrecremata Cardinales amplissimi. De Apostolis enim triplicem comminiscuntur considerationem. Primum vt sint Christi assistentes ante eius in cœlum Ascensionem: [c] Vos estis qui permansistis mecum, &c. Secundo vt ante eorum diuisionem, & dispersionem Petri sint assessores, qui Christi Vicarius esset; illi vero ei in administratione Papalis officij assistentes. Tertio vt postea, autoritate Petri suffulti ad prædicandum, quisque in suam regionem orbis sit protectus. Quantum ergo ad primum & secundum statum, Cardinales solos faciunt Apostolorum successores; quantum vero ad tertium, Episcopos. Sed si hoc commentum alicuius esset momenti, aut probabilitatis, id Bellarminus non prætermisisset; cum tamen eo vti noluerit, liquet magnam hoc in se continere vanitatem. Ego sane iam in libris præcedentibus plene docui Apostolorum officium fuisse solum [d] ministeriale; & omnes Apostolos fuisse cum Petro [e] collegas, & cõministros; eidemq; in toto Apostolatu æquales; & [f] Episcopos plene Apostolis in toto Apostolico munere successisse. Ac profecto otiosi hominis est, & valde parũ in rebus Diuinis, sacrisq; Euangelijs versati, Apostolis dare sessiones; non enim ad sedendum, aut assidendũ sunt vocati; sed ad laborandum; & sicut Christus non venit [g] ministrari, sed ministrare; nec venit vt sederet, tanquam Rex & Princeps; & Assessores haberet pro tempore Ecclesiæ militantis; sed vt pro Ecclesia multum laboraret, & pateretur; ita neque pro præsenti vita, aut Petro, aut Apostolis aliquem reliquit Principatum ad sedendum, & assidendum; sed omnes fecit ministros, & in vinea operarios ac laboratores, vt plenius tradam lib. 5. Pro alio quidem statu & tempore; & ipse Christus constitutus est [h] Iudex viuorum ac mortuorum: & Apostolis promissæ sunt [i] sedes ad iudicandum, & sessiones atque assessiones. Et quando quæso Petrus in throno aliquo sedit vt Princeps, & Apostolos reliquos habuit assessores? Istæ sunt meræ ineptiæ, quas tamen propter Cardinalis Cameracensis autoritatem, sequutus est tunc etiam Ioannes Gersonius; qui in Hierarchia Ecclesiastica à Christo instituta, cum ipso Alliacensi posuit Cardinales cum Papa, quasi vnum corpus efficere; sicut vnum corpus faciebant Apostoli cum Christo; ideoque sic scripsit: [k] Status summi Pontificis, ac sacri collegij Dominorum Cardinalium sibi collateralium, fundatus est in Ecclesiastica Hierarchia sub Cœlesti immediate à Christo; nec humana institutione, seu præsumptione potest destitui. Cui statui qui pertinaciter derogat, censendus est iuxta sacros canones hæreticus, atque sacrilegus.] Hoc tamen loco bonus dormitauit Homerus; quod enim ad Clerum Ecclesiasticum iure Diuino, & Christi institutione pertinet, id ad solos coarctatur Cardinales; in quo ego vel imperitiam videor mihi obseruare, vel adulationem.

C

D

E

XLV. Schismata profecto horrenda, quæ vniuersalem Ecclesiam plurimum turbabant, dum Romanum Episcopatum & diuitijs opulentissimum, & Principatu terreno speciosissimum ambirent multi, & potentes; permouerunt aliquando scholam Theologicam Parisiensem,

a *Alliac. de Eccl. auctor. par. 1. c. 1. 3.*
b *Turrecrem. de Eccl. l. 1. c. 80*
c *Luc. 22.*
d *Sup. lib. 1. cap. 2.*
e *Ibid. cap. 3.*
f *Lib. 2. cap. 1.*
g *Matt. 20.*
h *Act. 10.*
i *Luc. 21.*
k *Gerson. de stat. huius Eccles. sum. 2.*

A sienſem, vt cùm non poſſet tam altum Papatum deprimere, (cuius depreſsio in temporalibus Procos auerteret, & ſchiſmata euitaret) illum ſaltem aliquo pacto moderaretur; noua quædam excogitauit remedia; vt Cardinales eueheret, & illos, tanquam fræna, Papis adijceret. Theologi itaque Pariſienſes, Gerſone magno eorum exiſtente Cancellario; & Concilij Conſtantienſis, in quo grauiſsimum trium Paparum ſchiſma eſt compreſſum, præcipuo moderatore; communiſsimum ſequentes errorem, Papam eſſe de iure diuino totius Chriſti Eccleſiæ vniuerſalem Monarcham; Cardinalibus illud noui, & ante illa tempora vix auditi muneris tribuerunt, vt eſſent, non tam Romanæ Eccleſiæ Clerici, & Miniſtri; quam totius vniuerſalis Eccleſiæ quaſi [a] Procuratores, & Commiſſarij; qui nomine totius Eccleſiæ vniuerſalis, Romani Pontificis, quatenus Papa eſt, & caput Eccleſiæ, eſſent Electores: æquum eſſe cenſentes, vt qui totius Eccleſiæ vniuerſalis caput eſt, non ab vna Ec-
B cleſia particulari, qualis eſt Romana; ſed à tota, & vniuerſali eligatur; cuius Eccleſiæ vniuerſalis locum tenere aiſerunt ipſos Cardinales, ne in omni Papatus vacatione Concilium cogatur generale.

a Gerſon. lib. de vita ſpirit. ani. Lect. 2. ad fin. & in 8 Conclu. ſion. ſom 4. & Aliac. de Eccl. autor par. 1. c. 3. & Almain. de auct. Eccl. c. 9.

XLVI.

Conſequenter verò de Cardinalium creatione legitima ſoliciti, nolunt in libertate ſolius Papæ eſſe, vt pro ſui libito, quos ipſe velit faciat Cardinales: ſed in ipſo Concilio Conſtantienſi decerni fecerunt Cardinalium nouorum promotionem illam fore legitimam, ad quam etiam Cardinales pro maiori parte concurrant expreſſo ſuffragio, & ſubſcriptione. Quod Decretum in Concilio Conſtantienſi factum eſſe, & à Martino quinto confirmatum, teſtatur Dominicus Venetus Epiſcopus Torcellanus in ſuo Tractatu de Cardinalibus. Propoſ. 11. quem ſub Caliſto tertio ſcripſit; & illum ego habeo manu ſcriptum, nunquam typis cuſum: quanuis in Actis Concilij Conſtantienſis, quæ nunc eduntur, id Decretum ego reperire non potuerim: vnde ſuſpicor fraude ſublatum. Certè Concilium
C poſtea Baſileenſe idem Decretum, vt ſupra vidimus nu. 42. ſatis amplum edidit. Exindè concludit Torcellanus. Propoſ. 12. (cuius tractatum de Cardinalibus ad finem huius libri nunc primum typis cudendum curabo) Cardinalem legitimum non eſſe, qui de conſenſu expreſſo, aut ſaltem tacito aliorum Cardinalium non ſit creatus; ac præſertim ſi reclamantibus ipſis, & expreſſè renitentibus, aliquis à Papa fieret Cardinalis, ac propterea talem Cardinalem nullum habere in Papæ electione legitimum ſuffragium; quod ſi feratur, nullum ſit; ac penitus contemnendum; in nulloque precio habendum: ipſius verò ratiocinatio eſt huiuſmodi; Papa vt Papa, prius eſt quàm Epiſcopus Romanus; ſicut Petrus prius fuit Papa vniuerſalis, quam Romanus Epiſcopus; prior igitur eſt electio Papæ, quam ſit electio Epiſcopi Romani. Electio verò Papæ, vt Papa eſt, ſpectat ad totam Eccleſiam vniuerſalem, quæ ſibi ſuum caput eligere debet; illa verò ſui loco ponit Cardinales electores:
D neque poteſt eſſe elector vice ipſius Eccleſiæ, quem ipſa Eccleſia nolit; Eccleſia verò in Concilio Conſtantienſi modum præſcripſit, quo debeant fieri Cardinales, qui ipſius vices gerant in Papæ electione: declaratque ſe in alios Cardinales non conſentire, niſi in eos, qui facti fuerint Cardinales à Papa, ſimul etiam ab alijs Cardinalibus. Quando ergo Cardinales in creatione Cardinalis non conſentiunt, ſaltem tacitè, ſed apertè repugnant; certè tunc in illum Cardinalem Eccleſia non conſentit. Et ita non erit legitimus Cardinalis neque poterit vice Eccleſiæ vniuerſalis Papam eligere.

XLVII.

Fatetur hic Autor ſemper etiam ante Concilium Conſtantienſe, Electores Papæ quicunque fuerint, ſiue Cardinales, ſiue Imperatores, ſiue totus Clerus, & populus Romanus, ſemper nomine totius Eccleſiæ, quæ tacitè in eos conſentiret, ſummorum Pontificum feciſſe electiones. Sed poſtquam Eccleſia vniuerſalis ſe declarauit, & ſuam voluntatem expreſsit; durante hac ipſius declaratione, quam ſemper mutare poteſt; electiones legiti-
E mas non eſſe, niſi per Cardinales eo modo factos, quo ipſa præſcribit. Cardinalis autem Cameracenſis, iam & ipſe conceſſerat, Cardinales quatenus ſunt Clerus Romanus, Papam eligere; ſed tamen nomine vniuerſalis Eccleſiæ illum eligere, quatenus eſt Papa vniuerſalis; & conſequenter Papam iam factum Papam, eſſe etiam Epiſcopum Romanum (de quo Papatu vniuerſali annexo Romano Epiſcopatui, agam exactiùs capite ſequenti.) Conſenſit igitur, [b] Eccleſiam vniuerſalem tacitè, & vſu iam confirmato, atque præſcripto, aſſentiri generaliter, vt Clerus Romanus, dum eligit ſuum Epiſcopum Romanum, ſimul etiam Elector ſit, nomine totius Eccleſiæ, Papæ vniuerſalis. Quare optimè Torcellanus colligit, electores Papæ eos tantum legitimos eſſe, in quos ipſa, vel tacite vel expreſſe conſenſit. Et quia iam ſe declarauit, ſequitur neceſſario Cardinales non eſſe legitimos, hoc eſt, legitimos Papæ electores, vt Papa eſt, niſi eos, qui facti ſint ex præſcripto ipſius Eccle-

b Aliac. de autor Eccl. par. 1 c. 2 ad fin. & c. 3.

siæ. Imo vlterius sequitur, vt idem Torcellanus colligit, propos. 9. Papam non posse auferre Ecclesiæ vniuersali potestatem Papam eligendi; quia ipsius Ecclesiæ est sibi caput constituere; vt probauit propos. 4. & 5. A

XLVIII. Hæc sane, supposito Papatu tanquam vero, Autor hic demonstratiue meo iudicio concludit; & necessario sequitur Cardinalatum quatenus dicit officium, & potestatem eligendi Papam, (hinc enim duntaxat tota eminet dignitas Cardinalitia, vt passim fatentur [a] Monarchici) totum esse ab Ecclesia, & solius iuris positiui; posseque hoc officium, & hanc dignitatem dari etiam Regi, Principibus, & alijs Laicis; & consequenter in Hierarchia Ecclesiastica locum non habere; neque numerandum esse hunc Cardinalatum inter Ecclesiasticas proprias dignitates. Eligere enim Episcopum, seu quencunque Ecclesiasticum ministrum, non est actus Hierarchicus spiritualis; sed est aliquid mere temporale; non item ordinare, vt probaui libro tertio capite tertio. Poterit profectò Papa, vt Episcopus Romanus, in suis titulis constituere Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Cardinales; & tales, qui de iure communi habeant etiam potestatem electiuam sui Episcopi Romani, sine vllo concursu Ecclesiæ vniuersalis; sed vt sint Cardinales Papæ, & consequenter electores Papæ, vt Papa est vniuersalis, (& hi sunt veri moderni Cardinales) Papa efficere non potest, nisi de consensu Ecclesiæ vniuersalis, tacito vel expresso. Et postquam Ecclesia expresit se non consentire, nisi fiant Cardinales modo ab ea præscripto, quis non videt, si maior pars Cardinalium expresse repugnet in creatione alicuius Cardinalis veri, hoc est electoris Papæ, hunc Cardinalem non esse, neque habere potestatem electiuam? Et huc tota Schola Parisiensis tempore Concilij Constantiensis collimauit. Atque hinc Cardinales habuerunt iam totam dignitatem, totamque præcedentiam supra omnes Episcopos; quia totam Ecclesiam vniuersalem repræsentant: suntque peculiares totius Ecclesiæ vniuersalis Legati, & Procuratores. B C

[a] Beller. de Cler. l. 1. c. 16.

XLIX. Hinc verò ipsi Cardinales se plurimum extulerunt; adeo vt tanti Papatus omnipotentatui, non mediocriter derogare sint conati. Sane sub Eugenio tertio Cardinales, facto ipso, exercebant eam autoritatem, quam eis postea Schola Parisiensis prima verbis explicauit. Cum enim Episcopi Gallicani, Bernardum Clareuallensem sequuti, aliqua in rebus fidei definiissent; [b] Ecclesiæ Gallic. factũ, *inquit Otto Frisingensis*, tam grauiter sacer Cardinalitũ Senatus accepit, vt cũ magna mentis indignatione curiam intraret, ac tanquã vnum corpus effecti, vna omnes voce Pontifici suo dicerent: *Scire debes, quod à nobis, per quos, tanquam per cardines vniuersalis Ecclesiæ voluitur axis; ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à priuato vniuersalis Pater effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potius esse oportere: nec priuatas & modernas amicitias antiquis, & communibus præponere, sed omnium vtilitati consulere, Romanæque Curiæ culmen, ex officij tui necessitudine, curare & obseruare debere. Sed quid fecit Abbas tuus; & cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte, quo ausu ceruicem contra Romanæ sedis primatum, & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit & nemo aperit; aperit & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens, à nullo etiam absens, in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis, quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam finitiuæ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis, fidem suam scribere præsumpserunt. Certe si in Oriente, vtpote Alexandriæ, vel Antiochiæ, coram omnibus Patriarchis huiusmodi tractaretur negocium, nihil firma stabilitate solidum, sine nostra definiri valeret autoritate. Quinimo iuxta antiquorum Patrum instituta, vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia vsurpare audent, quod etiam remotioribus, & maioribus nobis nõ licet? Volumus igitur huic tam temeratiæ nouitati celeriter assurgas; ipsorumque contumaciam punire non differas.]* Hic vides Cardinales, se simul cum Papa, vnicum efficere corpus, ad regimen Ecclesiæ vniuersalis compactum; quod postea suis commentationibus Cameracensis, & Turrecremata Cardinales, vt iam vidimus, confirmare sunt conati. D E

[b] Frising. de gest. Frid. l. 1. c. 57.

L. Prius tamen Henricus, & ipse Cardinalis, Ostiensis, qui profertur à Torcellano obiectione 2ª. negat Papam posse priuare Cardinalem sine consilio, & assensu Concilij generalis, quia Cardinalis loco Ecclesiæ vniuersalis suum habet officium; quod officium ille solus ei auferre potest, à quo, seu cuius nomine illud ille obtinuit. Et hanc Ostiensis opinionem Cardinales, vt sibi valde propitiam libenter sunt secuti, quamuis eam Torcellanus non sequatur; qui Papam implicitè vult habere ab Ecclesia vniuersali potestatem, priuandi

A uandi ex causa legitima Cardinales, in quo ait Papam exequi Ecclesiæ voluntatem; & nomine totius Ecclesiæ tales facere priuationes. Cameracensis verò iam dictus, vt ostenderet Ecclesiam debere de communibus bonis Cardinalibus abundanter prouidere; quædam præmittit de Cardinalium officio, dignitate & potestate: & quidem in titulo vnius capituli sic habet: [a] Concilium generale nihil habet iuris in dignitatem Pontificiam, quæ iuris est Diuini, sed in abusum dignitatis Pontificiæ; & iccirco status Monarchicus Ecclesiæ regimine Aristocratico, & Democratico temperatur.] Deinde capitulum ipsum tale subdit; Pro cuius declaratione vlterius dicendum est; quod licet Papalis dignitas à Deo sit, vnde ab homine nec maior nec minor fieri potest, tamen vsus plenitudinis potestatis, ad excludendum abusum, potest Concilij generalis autoritate restringi; Ideo antiquo iure institutum est, quod Papa professionem faceret &c. — Et huiusmodi professio
B per lapsum temporis ampliata est, vt patet ex professione Bonifacij octaui, quæ incipit: Ego Benedictus Caietanus, &c. similis quoque professio iuxta rerum exigentiam, in sacro Constantiensi Concilio rationabiliter poterit ampliari. Sed ad regulandum vsum plenitudinis potestatis, & excludendum abusum eiusdem, considerare conuenit; quod non expedit Ecclesiæ, (quæ habere dicitur Regale Sacerdotium) quod ipsa regatur regimine Regio puro, sed commixto Aristocratia generaliter pro Principatu populi; & non strictè, prout contrariatur politiæ, quæ est species quædam regiminis, vel Principatus secundum virtutem, vt habet Aristoteles in Politicis: Pro cuius declaratione sciendum est, quod licet regimen Regium, in quo vnus singulariter principatur multitudini secundum virtutem, sit melius quolibet alio regimine simplici; vt ostendit Philosophus 3. Polit. tamen si fiat mixtum cum Aristocratia, in qua plures dominantur secundum virtutem; & cum Democratia, in qua populus principatur; tale regimen melius est, in quantum in regimine mixto
C omnes aliquam partem habent in Principatu: & etiam quia licet regimen Regale sit optimum in se, si non corrumpatur, tamen propter magnam potestatem quæ Regi conceditur, de facili regimen degenerat in tyrannidem; nisi sit in Rege perfecta virtus, quæ raro, & in paucis reperitur. In cuius rei signum in populo Israel, cui succedit populus Christianus, Deus instituit quoddammodo Regem; licet non cum plena potestate; vt patet in Moyse & Iosue. — Sic etiam manifeste videtur quod esset optimum regimen Ecclesiæ, si sub vno Papa eligerentur plures de omni, & ab omni Prouincia, & tales deberent esse Cardinales qui cum Papa, & sub eo Ecclesiam regerent; & vsum plenitudinis potestatis temperarent, & hoc notari videtur in cap. Per venerabilem; extra, Qui filij sint legitimi. Ad idem facit quod Cardinales sunt pars corporis Papæ, & eius coadiutores, de elect. c. Fundamenta. lib. 6. Ex quo clare patet, quod status Cardinalium est in Ecclesia valde vtilis & necessarius, si debite suo fungantur officio, ad quod generale Concilium debet summopere labo-
D rare, &c.] Hucusque Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui vt audiuimus regimen Ecclesiæ vniuersalis in vsu negat esse Monarchicum purum, sed ipsum Aristocratia aliqua temperandum esse, & re ipsa temperari asserit, vt nimirum Papa non sine Cardinalibus, qui in vsu suæ potestatis eum moderentur, Ecclesiam regat vniuersalem. Atque ita Cardinalis iste non facit meros & puros consiliarios, aut Electores Papæ ipsos Cardinales, sed etiam suam in vniuersalis regimine Ecclesiæ partem eos habere contendit; Quem Turrecremata sequens ait; [b] Cardinales ita nominantur, quia sicut cardine ostium regitur, vnde dicitur Prouerb. 26. ostium vertitur in cardine, ita dominorum Cardinalium consilio & assensu summus Pontifex regit, disponit, atque gubernat vniuersalem Ecclesiam.] Audis Cardinalium assensum requiri in vniuersalis Ecclesiæ regimine, & non solum consilium? & Ecclesiam Aristocratice non Monarchice esse regendam?

Hæc tamen tanta Cardinalium potestas & excellentia, magnum Monarchiæ præiudi-
E cium faciens, ab ipsis Papis tolerari non potuit; sed eam statim pene atque exorta est, compressérunt. Nam & Decretum Concilij Constantiensis, huic doctrinæ innixum, ex actis dicti Concilj eradendum, vt suspicor, curârunt; & doctrinam hanc Parisiensem Monarchici moderniores artificioso silentio, ne commemorantes quidem illam supprimere, & obliuioni tradere sunt conati; ne aditus apertus cerneretur ad Papam ipsum, etiam per suum Consistorium coercendum. Atque vt hoc periculum adhuc longius à se propulsarent Romani Pontifices, Cardinalium creationem sibi liberam esse voluerunt; vt eam in Consistorio quidem faciant, sed non cum Consistorio: & quamuis Basileense quoque Concilium decretum illud habeat; id tamen contemnendum esse putarunt, quia eius Concilij acta omnia, negata eis Papali confirmatione, nullius momenti reputat sedes Apostolica.

[a] Alliac. de auct. Eccl. pot. c. 3.

[b] Turrecrem. de Eccl. l. 2. c. 89

LI.

lica. Constantiense vero Decretum, quia illud fuerat à Martino quinto legitimo, & vero Papa admissum, & confirmatum (vt testatur Torcellanus propositt. 11) cum id reijcere non possent, expunxerunt. Nihilominus tamen, si verum esset Papatum dari in Ecclesia, & illum a Christo fuisse in Petro institutum, cum successione in Papas transfundendum, tractatus Torcellani conuincit Cardinales illam habere autoritatem, quam consistorium sub Eugenio 3. quam Ostiensis; quam Alliacensis, & Turrecremata; imo & tota schola Parisiensis tribuunt veris Cardinalibus. Et si illam agnoscerent, possent si vellent, Papis fræna injicere. Facta enim suppositione, quæ nunc in Romana doctrina est certissima, imo de fide; videlicet Papatū esse in Ecclesia, Cardinales vt legitimi Ecclesiæ vniuersalis Ministri, & legati, vsū Papalis potestatis, imo abusū, sicut possent, ita & deberent moderari; ne cum tanto Ecclesiæ scandalo suam absolutā Monarchiam, cum tanta Cleri iniuria Papæ exercerent; & in hoc totam Ecclesiam vniuersalē ipsi Cardinales propriā haberēt. A B

LII. Quod si non audent totam hanc autoritatem exercere Cardinales, vtinam saltem debita cum charitate, & libertate nimios Papæ abusus pia & religiosa admonitione compescerent, illumque in deuia ruentem fraterna correptione retraherent, & non potius illum silentio, conniuentia, & quod peius est, pestifera assentatione in peiora impellerent. Fuerunt aliquando Cardinales in hoc genere laudatissimi; atque ex multis exemplis proferam vnum nostris Cardinalibus apprime imitandum, quod diligens piusque Monachus veridicus olim historicus literis consignauit. Scripserat literas Innocentius 4 ad Robertum Lincolniensem in Anglia, de more imperiosas, super prouisionibus tunc solitis, vt exteris, etiam indignissimis, pinguia primò vacatura beneficia darentur. Ad hæc mandata vir sanctus Robertus [a] iniustissimarum prouisionum osor acerrimus, respondet libere Pontifici, redarguit iniquas prouisiones, negat absolutè se contra Euangelicam & Apostolicam doctrinam pariturum. [b] Hæc cum ad Domini Papæ audientiam peruenissent, non se capiens præ ira & indignatione, toruo aspectu, & superbo animo ait; Quis est iste senex delirus, surdus, & absurdus, qui facta audax imò temerarius iudicat? Per Petrum & Paulum, nisi moueret nos innata ingenuitas, ipsum in tantam confusionem præcipitarem, vt toti mundo fabula foret, stupor, exemplum, & prodigium. Nonne Rex Anglorum noster est vasallus? vt plus dicam, mancipium, qui potest eum nutu nostro incarcerare, & ignominiæ mancipare? Et cum hæc inter fratres Cardinales recitarentur, vix compescentes impetum Papæ dixerunt ei, Non expediret, Domine, vt aliquid durum contra ipsum Episcopum statueremus: vt enim vera fateamur, vera sunt quæ dicit: Non possumus eum condemnare: Catholicus est, imò & sanctissimus, nobis religiosior, nobis & sanctior, excellentior, & excellentioris vitæ; ita vt non credatur inter omnes Prælatos maiorem, imò nec parem habere. Nouit hoc Gallicana & Anglicana cleri Vniuersitas, nostra non præualeret contradictio. Huiusmodi epistolæ veritas, quæ iam fortè multis innotuit, multos contra nos poterit commouere: Magnus enim habetur philosophus, Latinis & Græcis literis ad plenum eruditus, zelator iustitiæ, lector in Theologiæ scholis, prædicator in populo, castitatis amator, persecutor Simonialium. Hæc dixerunt Dominus Aegidius Hispanus Cardinalis, & alij, quos propria tangebat conscientia: Consilium dederunt Domino Papæ, vt omnia hæc conniuentibus oculis sub dissimulatione transire permitteret, ne super hoc tumultus excitaretur: Maximè propter hoc, quia scitur, quod quandoque discessio est ventura.] Hæc Paris; Dicerem hanc esse illorum bonorum Cardinalium prophetiam, dum discessionem Ecclesiæ Anglicanæ à Romana manifestè prædicunt; nisi cognoscerem illos, non secus atque [c] Anselmum, acri iudicio præditos, ex Romanæ sedis nimijs iniquitatibus meritò discessionem hanc probabili ratione coniecisse. Admisit tantisper Innocentius suorum Cardinalium consilium: vlcus tamen nimiæ superbiæ non multo post recruduit, ita vt mortuum quoque Robertum persequi statuerit: de ossibus enim ipsius ex Ecclesia proijciendis cogitabat; sed [d] eum Robertus in nocturno somnio acri obiurgatione terruit, cuspideque sui baculi pastoralis in latere percussit; indeque dolore concepto, non multo post animam Pontifex exhalauit. Discant, & timeant nostri; discant Cardinales, quid suadeant; discant, quid audiant, Papæ; à pijs Episcopis persequendis sedulò caueant: se corrigere, non alios perdere satagant, nisi ipsis cordi sit mortuorum pedo pastorali, etiam viuentium calamo Theologico excitari, imò sauciari. C D E

LIII. Totius Ecclesiæ vniuersalis procuratores magnos, & legatos faciebant aliqui Dominos Cardinales, supposito tamen summo Papatu in Ecclesia: sed quia revera Papatus hic in Ecclesia nullus est vniuersalis, vt satis iam constat, & constabit, cum Papa noster bono jure

a *Inf. cap. 8. n. 66.*

b *Matth. Par. f. hist. Angl. sub anno 1253.*

c *Supra cap. 3. huius. n. 31.*

d *Paris vbi supra, an. 1254.*

A iure non sit nisi Romanus Episcopus Metropolitanus, & vnus sed primus Patriarcha; hæc cardinalitia dignitas, quæ dicitur Ecclesiam vniuersalem repræsentare, tota concidit. Adhuc tamen etiam data eis, & non concessa hac vniuersalis Ecclesiæ legatione; non possunt, neque debent Episcopis præcedere; in solo enim actu electionis eorum fulgeret dignitas; extra actum verò electionis, qui totus est iuris positiui, maneret suus cuique locus clericalis: in gradibus porrò Ecclesiasticis, vt libro secundo plenissimè docui, Episcopi ponuntur primi, tum Presbyteri, tum verò Diaconi, & post hos alij inferiores administri. Et Ecclesiastica Hierarchia Patriarchas summos habet; inde Primates, ac Metropolitanos, & post hos reliquos Episcopos, Cardinalium nulla vsquam mentio, vti gradus ab his distincti: quinimo Episcopi etiam & Prsbyteri omnes sunt de iure diuino totius Ecclesiæ vniuersalis; &
B in officijs, ac muneribus grauissimis prædicationis verbi, & Sacramentorum ministrationis, vt docui libro secundo, cap. 7. Ministri proprij, & ordinarij. Estque accidentarium quippiam Episcopo, & Presbytero, quod sit certæ alligatus Ecclesiæ; qui de se, & essentialiter est in habitu totius Ecclesiæ Minister; in actu verò ibi vbi suum actu exercet officium: Non ergo potest ministrum vniuersalis Ecclesiæ ordinarium, & in maximè præcipuis Ministerijs præcedere alius vniuersalis Ecclesiæ Minister extraordinarius, & ad vnicum saris leuis momenti, & breuiculo tempore præstandum ministerium assumptus; nimirum ad solam vnius Ministri licèt principalis electionem; siquidem hoc ministerium potest etiam Laicis, etiam vilissimæ plebi committi. Sed tamen electionem hanc Cardinalibus, ab Ecclesia vniuersali non committi, patebit inferius; vbi de electione Papæ agam cap. 11.

Ita dato etiam, & non concesso, Cardinales succedere Apostolis in officio assidendi; LIV.
cùm hoc officium sit longè inferius officio prædicandi, & conuertendi mundum, ac sacris imbuendi, & animas expiandi; in quo officio Episcopi ijsdem succedunt Apostolis; neque
C id negant Cardinalium elatores; cur ergo Cardinales præcedant Episcopis? Ideo tandem fortasse ad [a] præscriptionem confugient: sed præscriptio in rebus diuinis, vt in humanis locum non habet, vbi præsertim vis iuuat præscriptionem. Et si præscriptione sola procedunt, ius verum non habent; quia vbi iura non suppetunt, præscriptionibus vtimur: & contra præscriptionem rursus præscribi potest. Sic olim Hieronymi tempore, imò etiam Bernardi, Diaconi Romani præcedebant Presbyteros Romanos, idque iam præscripserant; nunc verò contrarium fit: igitur contra præscriptionem alia inualuit præscriptio; imò ius & veritas. Sed & hoc mirabile est, si ius hoc eligendi Papam, eique assidendi, & eum consilijs, & opera iuuandi, tantam tribuit dignitatem, & excellentiam, vt vel Episcopos superet, vel etiam magnos Principes; cur excellentia hæc ignota fuit per tot sæcula in Ecclesia; in qua tamen potestas hæc, quæ Cardinalium iam propria vsurpatur, semper fuit? Tempore sanè [b] Benedicti octaui, post millesimum Christi annum, cœpit esse in precio, *inquit*
D *Genebrardus*, non in vsu, cardinalatus. Vt verò [c] pileo roseo vterentur, & equo vcherentur Cardinales, concessit Innocentius quartus, ait Volaterranus; qui & illud addit: sicut enim Vrbis Romæ Episcopus cæteris præstabat; sic etiam Clerus Romanus, cui titulos Euaristus primus omnium distribuit, ijdemque Pontifici de communibus fidelium rebus adsistebant: Cardinales deinde, id est, præcipui aut principales, posteris appellati.—Pompa his splendorque comitum, & ornatus defuere; quos Innocentius addidit, vti diximus. Nostra quoque ætate [d] Paulus (*secundus*) etiam capitis tegmenta russata.] Hæc ille.

a *Alliac. de Fest. cæter. par. 1. c. 2.*

b *Genebr. in Chron. an. 1050. &*
c *Volater. l. 22.*

d *Genebr. an. 1464.*

LV.

Proh dolor! [e] Vile palliolum flagrante iam clericali auaritia, adhuc tamen erat proprium Clericorum, hoc est Ecclesiasticorum virorum indumentum; nunc verò tandem ad purpuram deuentum est, quæ [f] Regij decoris est insigne, vt ait Hieronymus. Et Ambrosius Theodosium pœnitentem increpans, & à Presbyterio Ecclesiæ arcens, ait illi; [g] Purpura Regem, non Sacerdotem facit] Ideoque merito in Narbonensi quodam Concilio,
E primum Decretum huiusmodi positum est; [h] Vt nullus Clericorum vestimenta purpurea induat; quæ ad iactantiam pertinent mundialem; non ad religiosam dignitatem; vt sicut est deuotio in mente, ita & ostendatur in corpore; quæ purpura maximè Laicorum potestate prædictis debetur, non religiosis.] Momordit hoc Decretum Cardinalem purpuratum Baronium; eique hæc subdidit: Vsus quidem purpuræ fuisse scitur Dei præcepto in ornatu vestium summi [i] Sacerdotis veteris legis: cessit vero eadem vsui summi Pontificis Christianorum; qua carere non debuit; cum maiorem fore gloriam Christi Sacerdotij, quam Aaronici, pariter Prophetæ prædixerint. Porro quæ peculiaris vsus Romanæ Ecclesiæ essent, alijs vti illis vetitum erat, &c.] Debuit profecto Cardinalis hic, non minus in vultu, quam in vestimentis erubescere, quando ista scripsit; grauem enim irrogat iniuriam Euan-

e *Hieron. in præfat. l. 8. in Ezechiel.*
f *Idem in Isa. c. 61.*
g *Antonin. Chron. p. 2. tit. 9. c. 8. §. 3.*
h *Apud Baron. tom. 8 an. 598. n. 32.*

i *Exod. 39.*

gelio Christi; & Sacræ Scripturæ turpem vim inijcit; dum gloriam totam spiritualem Christi Sacerdotij à Prophetis prædictam, trahit ad inanem, & fatuosam gloriam mundanam & temporalem, etiam in indumentis. [a] Tunc sanè, & purpura, & aurum (vt loquar cum Hieronymo) probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant; & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum; quanquam hæc omnia præcellerint in figura: [b] Scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deuenerunt. Nunc verò cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias luxum putabimus, &c.] Vide quæ in hoc genere scribimus infra libro nono cap. 5. num. 34. 40. 41. Et Concilium Narbonense reprehendit vsum purpuræ in quocunque Sacerdote, etiam Romano; quamuis prohibitio illius Concilij extra illam Prouinciam non se extendat. Ludouicus Imperator pijssimus, egregius cleri reformator, in quadam Synodo, & ipse Narbonense Decretum secutus, constituit voluit; [c] Ne Episcopi & clerici cuiuslibet gradus pretiosas vestes sericas coccinei coloris ferrent.

a *Hieron. ep. 2.*

b *1. Cor. 10.*

c *Apud Platinam. in Greg. 4.*

A

B

LVI. Scias verò Hieronymo viro Sanctissimo iniuriam non leuem fieri; dum ille, qui vili palliolo fuit semper contentus, & vestimentorum fastum in Clericis tantopere reprehendit; purpura fulgens, ad modum nostrorum Cardinalium pingitur; qui ne Cardinalis quidem vnquam Romanus fuit; imo neque absolute fuit in vlla Ecclesia Presbyter Cardinalis; quia in nulla vnquam Ecclesia fuit incardinatus, aut fixus in ea minister ordinarius, & sub certo titulo collocatus. Ordinatus quidem Presbyter est Antiochiæ; sed ministerijs Presbyteralibus illius Ecclesiæ non est deputatus; & maluit abstinere ab officio Presbyterali exercendo, quam in vlla Ecclesia incardinari; Monachali professione, hoc est à clericali remotissima, contentus, perpetuo clericalem vitam fugit; vt docui libro secundo cap. 12. n. 52. 53. & quandiu [d] Damaso in scribendis literis inseruiuit, nullum titulum Ecclesiasticum habuit, cuius ministerio esset fixe deputatus. Qui igitur illum Cardinalem Romanum faciunt, errant plurimum: & quædam quæ dicitur Augustini [e] Epistola, est mera impostura: sicut & sermo 24. ad fratres in heremo; in quibus Hieronymus satis insulse, vocatur Presbyter Cardinalis.

d *Hieron. ep. 57*

e *Inter Hier. Epistolas ep. 97.*

C

LVII. Obijciet fortasse aliquis mihi priuilegium à magno Constantino datum Papæ Siluestro; & eius Clero, quem dicimus esse Cardinales; in quo hæc habentur: [f] Et viros religiosissimos diuersorum ordinum Clericos, S. R. Ecclesiæ seruientes, ornari decernimus; & illam habere amplitudinem & maiestatem, qua ornatus erat magnus noster Senatus, seu Patritij, & Consules, & reliquæ dignitates. Et sicut Imperialis exornata est militia; ita etiam S. R. Ecclesiæ Clerum exornari decernimus. Et quemadmodum Imperatoria potestas multis officijs exornata est, Cubiculariorum, Ostiariorum, excubitorum; ita etiam Sanctam Romanam Ecclesiam exornari volumus; & vt lumen Episcopale quam amplissime præfulgeat. Hoc quoque decernimus, vt Clerici Sancti Romanæ Ecclesiæ equitent equos albis linteis ornatos: & sicut noster Senatus fert calceos, seu Sandalia, cum linteis albis; ita etiam cælestia, sicut terrestria ad Dei laudem, &c.] Hoc tamen priuilegium, seu hanc Constantini donationem totam esse fictitiam, etiam nostri fatentur Monarchici præcipui, vt considerabo libro 6. cap. 11. num. 52. 53. Sed si etiam velint Domini Cardinales suam dignitatem, suaque priuilegia, Imperiali concessioni accepta ferre; non reluto: sint Patritij: sint Consulares, vt lubet; fulgeant Laica purpura; & sæculari potestate quam maxima velint; non repugno: In Ecclesiasticam tamen se non intrudant Hierarchiam: Episcopos si sub se tenent, sicut Reges, & Principes Mundani, & temporales, suadeo & mihi, & omnibus Episcopis, vt hisce Principibus Laicis humile obsequium exhibeamus: sed si vt Ecclesiæ ministri id faciunt; & illi errant, dum nos subijciunt, & nos adhuc magis erramus, qui indebite obsequimur.

f *Apud Balsã. in Nomocan. Photij tit. 8.*

D

LVIII. Reduximus igitur Illustrissimos D D. Cardinales ad suum verum statum & officium; eosque ab illa eximia sublimitate deiecimus: Quoniam tamen Bernardus vir Sanctus, in numero defensorum præsentis Cardinalatus reponitur à [g] nostris; id restat merito excutiendum: [h] Veniamus, *inquit*, ad collaterales, & coadiutores tuos, hi sedulitui, hi intimi tui.] Hæc ad Eugenium: Et infra; An non eligendi de toto Orbe Orbem iudicaturi?] *Item*: [i] Nulli dubium quin ad vos (*ait ad Cardinales*) specialiter spectet tollere scandalum de Regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas: — agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis &c.] Subdit Bellarminus hæc verba: Vbi apertissimè agnoscit S. Bernardus maiorem in Cardinalibus, quam in Episcopis potestatem.]

g *Bellar. de Cler. l. 1. c. 16.*

h *Bernard. de consid. l. 4. c. 4.*

i *Idem ep. 188.*

E

Si

A Si Bernardus in aliqua parte Monarchiæ Romanæ, & Curiæ condescenderet; id illis temporibus tribuendum esset; quibus iam Monarchia illa non parum sese extulerat: quare neque nimium nos in hoc mouere debet Bernardi autoritas. Sed ne Bernardus quidem reuera in Cardinalibus tantam agnoscit Ecclesiasticam dignitatem, vt eos adæquet nedum anteferat Episcopis. In tribus ille officijs videbat Cardinales occupari; videlicet in Papa eligendo, in eodem consilijs iuuando, & in Legationibus peragendis; quæ tamen in se nullam necessario includunt Ecclesiasticam propriam dignitatem; possunt enim in his omnibus officijs egregiè Laici quoque supplere: & bene dicit Torcellanus, Cardinalatum nunc potius esse potestatem iurisdictionis, quam ordinis. Cum ergo Papæ horum tam quam suorum Ministrorum, vtendum sit opera; vt eorum delectum habeat, monet pluribus Bernardus, vt non quoslibet obuios, & sese ei intrudentes, sed sapientiores quosque, ex vniuersis Mundi partibus assumat; vt ab ijs instrui possit in negocijs Ecclesiasticis, quæ B ex toto orbe ad eam sedem, consilij gratia deferri solebant definiendis. Et sane Cardinalatum a Bernardo non fuisse reputatum Ecclesiasticam propriam dignitatem, vt nunc reputatur, sed officium & ministerium quoddam amouibile, ad placitum Domini Papæ; inde collige, quod ait ipse Bernardus Eugenio: [a] Curæ tibi maximè sit introducere tales, quos postmodum introduxisse non pœniteat. Turpe est tibi sæpius retractare quod feceris; & iudicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proinde omne quod faciendum erit, tracta apud te, & cum ijs qui te diligunt. Tracta ante factum, quia post factum sera retractatio est: sapientis consilium est; omnia tac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Et hoc tibi persuade, qui admittendi sunt, difficilè in Curia posse probari; & ideo, si fieri potest, viros probatos oportere deligi, non probandos. Nos in Monasterijs omnes recipimus spe meliorandi: At Curia bonos facilius recipere, quam facere consueuit. Quod si plures in ea defecisse bonos, quam malos profecisse probauimus, quærendi C sanè quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur; vtpote iam perfectis. Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos & compelle intrare.] Hæ probationes, vt vides apud Bernardum, supponunt libertatem in Papa, vt possit si velit, quamuis non deceat Cardinales subinde mutare, si ad ea munera ad quæ eos assumit idoneos non repererit; eo modo quo Princeps quicunque liber est, in suis sibi eligendis, & dimittendis consiliarijs. Itaque Cardinales Bernardus, ne titulatos quidem ordinarios Ecclesiarum suarum Rectores agnoscit, sed externos consiliarios; qui cleri Romani pars nulla sint, quales reuera hodie quoque sunt. Quid verò quod Diaconos Cardinales ad pedes Papæ idem Bernardus facit sedere, vt supra vidimus num. 30. quos non dignitatis priuilegio, sed sedulitatis debito Diaconos vocari asserit; qui Papæ assistant propriores, vt habeat paratiores?]

LIX.

a Bernard. de consid. l. 4 c. 4.

Quia ergo Cardinalibus vtitur in consilio Papa, & in Ministerijs, ideo Bernardus Car- LX.
D dinales vocat Papæ collaterales, & coadiutores, & sedulos, & intimos, & orbem iudicaturos; hoc est, Papæ orbis negotia Ecclesiastica agitanti; & suum iudicium interponenti (de quo agam lib. 7 & 8.) suo consilio affuturos; & si Legati mittantur, etiam executuros. Atque in hoc eorum consistit dignitas & potestas, vt Papæ adiutores & ministri, non propria, sed ipsius autoritate multa peragant, quæ ad generalem superintendentiam omnium Ecclesiarum Papæ spectant, vt infra docebo. Imò ex hoc ipso quod Cardinales sunt meri Papæ adiutores, Vicarij, & Ministri, optimè colligimus eos esse Episcopis longe inferiores, qui propriam habent de iure diuino & primariam potestatem; & non sunt vllius adiutores, Vicarij, aut locum tenentes, nisi Christi, vt plene docui libro secundo capite quinto.

Ante Bernardum vno, aut altero sæculo veri collaterales, & intimi Papæ, non erant LXI.
omnes Cardinales, sed soli Episcopi Cardinales. Audi Petrum Damiani Cadaloum Anti-
E papam sic alloquentem: [b] Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis? qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt; & quibusdam alijs prærogatiuis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum atque Primatum iura transcendunt? Saluo quippe vniuersalis Ecclesiæ Sacramento, isti sunt oculi vnius lapidis, id est Romanæ Ecclesiæ, de quibus per Zachariam dicitur: [c] Ecce, inquit, lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt ipsi lucernæ vnius candelabri, de quibus ipse postmodum loquitur dicens: [d] Vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius; & septem lucernas super illud. Ipsi sunt & candelabra, in quorum medio Iesus iuxta B. Ioannis verba discurrit; & hunc sermonem qui illic præsto subiungitur: in te

b Apud Baron. to. 11. an. 1061. nu. 11.

c Zachar. 3.

d Ibid. 4.

a Apoc. 2.

in te quodammodo specialiter dirigit: [a] Memor esto, inquit, vnde excideris, & age pœnitentiam. Plane si pœnitentia iure plectendus est quisquis cuilibet iniuriam irrogat Sacerdoti, qua tu sententia dignus es, qui illud præiudicium Sacerdotibus intulisti, quorum consilio, & iudicio, status ac disciplina debet totius Ecclesiæ gubernari? & cum canonica decernat autoritas, vt vel humilis cuiusq; Ecclesiæ clero liceat liberum de illo qui sibi præferendus est habere iudicium, qua tumoris audacia tu præsumpsisti, te violenter illis ingerere, qui prætet communem Ecclesiæ regulam, super ipsos quoque Pontifices, autenticam præualent seruare censuram?] Hæc de solis Episcopis Cardinalibus exaggerat Petrus Cardinalis, Romanæ Monarchiæ & assertor, & defensor acerrimus; quos septenario includit numero. Erant enim circa eadem tempora Cardinales omnes Romani ad numerum 57. suis classibus diuisi, hoc pacto; vt in Bibliotheca Vaticana annotatum reperitur. A

LXII.

b Apud Baron. ibid. an. 1057. num. 16. & seq.

[b] Sunt in Ecclesia Romana quinque Ecclesiæ Patriarchales. Prima est Ecclesia Lateranensis; quæ & Constantiniana, & Basilica Saluatoris, diuerso nomine nuncupatur. Hæc habet septem Cardinales Episcopos, hosque dictos Episcopos Collaterales, itemque & hebdomadarios, eo quod singulis hebdomadibus per vices expleant munus Pontificis. Episcopi Cardinales erant hi, Ostiensis; Portuensis; S. Ruffinæ siue Syluæ candidæ; Albanensis; Sabinensis; Tusculanus; Prænestinus. Alia Patriarchalis est sanctæ Mariæ, Maior dicta; in qua habet septem Cardinales Presbyteros, scilicet, Cardinalem sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi; S. Syriaci in Thermis; S. Eusebij; S. Pudentianæ; S. Vitalis; SS. Petri & Marcellini; & S. Clementis. Alia Patriarchalis Ecclesia sancti Petri, in qua item septem sunt Presbyteri Cardinales, scilicet, S. Mariæ trans Tyberim; S. Chrysogoni; S. Cæciliæ; S. Anastasiæ; S. Laurentij in Damaso; S. Marci; SS. Martini & Syluestri. Alia Ecclesia Patriarchalis est Basilica S. Pauli; in qua sunt Cardinales S. Sabinæ; S. Priscæ; S. Balbinæ; SS. Nerei & Archilei; S. Sixti; S. Marcelli; S. Susannæ. Quinta Patriarchalis erat S. Laurentius extra muros; in qua sunt hi Cardinales, S. Praxedis; S. Petri ad vincula; S. Laurentij in lucina; SS. Ioannis & Pauli; SS. Quatuor Coronatorum; S. Stephani in monte cælio; S. Quirici. His autem Patriarchalibus Ecclesijs præfecti erant hi, Lateranensi primus Episcopus Collateralis; S. Mariæ Maiori, Archipresbyter Cardinalis; S. Petro, Archipresbyter Cardinalis; Ecclesiæ S. Pauli, Abbas Cardinalis; Ecclesiæ S. Laurentij, Abbas Cardinalis. Sunt præter titulos, Diaconiæ, ijsque præfecti Diaconi Cardinales dicti Regionarij, iidemque num. 12. Diaconiis Regionariis præfecti; Item Diaconi Palatini 6. Hi præsunt Diaconiis, quæ sunt; S. Maria in Dominica, cui præest Archidiaconus; S. Lucia ad septem solia; S. Maria noua; SS. Cosma & Damianus; S. Hadrianus; SS. Sergius & Bacchus; S. Theodorus; S. Georgius; S. Maria in schola Græca; S. Maria in porticu; S. Nicolaus in carcere, S. Angelus in foro piscario, S. Eustachius, S. Maria in Aquiro, S. Maria in via lata, S. Agatha in equo marmoreo, S. Lucia in capite Suburræ, S. Viti in Macello. Est munus Diaconorũ Regionariorũ cãtare Euangeliũ in stationibus: Palatini cantãt Euãgeliũ in Ecclesia Lateranẽsi.] Veri ergo Cardinales collaterales erant 7. illi Episcopi, in Lateranẽsi Patriarchio cõtenti: quibus si addas Presbyteros Cardinales in 4. aliis Patriarchiis septenos, erũt 35. Insuper duo sunt Archipresbyteri Cardinales, alter S. Mariæ maioris, alter S. Petri: duo item Abbates Cardinales, alter S. Pauli: alter. S. Laurentii extra muros: Diaconi Regionarii sunt 12. Palatini vero, hoc est Ecclesiæ in Palatio Lateranensi constructæ sex. Itaque completur omnium Cardinalium numerus 57. Et obserua Diaconos Cardinales illud potissimum tunc officium habuisse, vt Euangelia cantarent. Sed & Subdiaconi sunt inquit, omnes num. 21. Et inde numerat Abbatias 22. Ad extremum numerat etiam Episcopos suffraganeos Romanæ Metropolis, vltra illos septem collaterales ad numerum 62. Vt posuimus supra cap. 2. nu. 17. B C D

LXIII.

c Bernard. de consid. l. 4. c. 4.

Atque vt ad Bernardum reuertamur, quoniam egregia sunt ipsius circa Cardinalium delectum documenta, non debent vllo modo hoc loco prætermitti: [c] In talibus, *inquit*, vt opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati; qui præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi à Deo. Qui aduentantium non manus attendant, sed necessitates. Qui stent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mansuetis terræ. Qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subiecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio prouidi, in iubendo discreti, in disponendo industrij, in agendo strenui, E

A strenui, in loquendo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in zelo sobrij, in misericordia non remissi, in ocio non ociosi, in hospitio non dissoluti, in conuiuio non effusi, in cura rei familiaris non anxij, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, vbique & in omnibus circumspecti. Qui legatione pro Christo fungi, quotiens opus erit, nec iussi renuant, nec non iussi affectent. Qui quod verecundè excusant, obstinatiùs non recusent. Qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur. Qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui Regibus Ioannem exhibeant, Aegyptijs Moysen, fornicantibus Phinees, Heliam Idololatris, Helisæum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant; diuites non palpent, sed terreant; pauperes non grauent, sed foueant; minas Principum non paueant, sed contemnant; qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant:
B qui Ecclesias non spolient, sed emendent; qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant; famæ prouideant suæ, nec inuideant alienæ: qui orandi studium gerant, & vsum habeant; ac de omni re orationi plus fidant, quàm suæ industriæ, vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit: quorum sermo ædificatio, quorum vita iustitia, quorum præsentia gratia, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere: reuerendos exhibeant, sed actu, non fastu: qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes; duros durè redarguant, malignantes coerceant, reddant retributionẽ superbis. Qui nõ de dote viduę, & patrimonio crucifixi se vel suos ditare festinent; gratis dantes, quod gratis acceperunt; gratis facientes iudicium iniuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui de tuo denique spiritu, illorum instar septuaginta Moysi, accepisse cernantur; per quem siue absentes, siue præsentes, contendant placere tibi, placere Deo. Qui ad te redeant, fatigati quidem, sed non
C suffarcinati; simul & gloriantes, non quod curiosa, seu preciosa quæque terrarum attulerint; sed quod reliquerint pacem Regnis, legem barbaris, quietem Monasterijs, Ecclesijs ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.] Hæc omnia præclarè, vt solet, Bernardus. Digniſsima quæ hodie ab illustrissimis DD. Cardinalibus sæpius, & sæpius perlegantur.

Quinam verò his temporibus Cardinales plerunq; eligantur, magis lugendum est, quam describendum. Quot Prælati de Ecclesia Romana optimè meriti in doctrina, & rebus agendis consummatissimi contemnuntur, postergantur, abijciuntur? & vel benè nummati, qui ingenti precio vanissimum illum rubrum galerum coemunt, etiam alioquin ad regimina Ecclesiastica ineptissimi, illiterati, dissoluti, scandalosi (saluo suo bonis, quos ipse aliquos noui, & obseruo, honore) qui Cardinalatum, vti terrenum quendam Principatum, & ambiunt, & retinent, & tractant sola vanitate temporali: vel vilissimi, & nullius precij homines de stercore eriguntur; vt Papæ nepotes de eorum perpetuo famulitio securi, sua consilia
D humana in occasione Conclauis firmiora faciant; neque illi possint, neque audeant, imò neque sciant ab eorum se factione separare: vel Principum filij, aut fratres, Cardinalatu decorantur, qui sub Diaconorũ nomine, ac titulo, vt plurimum inter Cardinales reponuntur, reuera meri laici: & nullo sacro ordine initiati, & fortasse nunquam initiandi; & hi quoque meri Laici volunt Episcopis anteferri; nec erubescimus illos quoque inter Ecclesiæ Prælatos numerare. Iam Ecclesia Romana in Curiam versa est sæcularem. LXIV.

Et quia per summam iniuriam, & vim omnia iam fermè negotia Ecclesiarum, etiam ad Episcopos ipsos in suo ordinario regimine, aut ad Metropolitanos pertinentia, vt vidimus li. 3. præcedenti, ad Romanam sunt attracta Curiam; Papa verò, aut à molestijs liber Papatu suo vult quiete frui, aut in temporalibus totus occupatus, Cardinalium congregationibus illa committit. Cardinales verò plurimi nihil minus genio indulgere volentes, negotiorum
E que Ecclesiasticorum vt plurimum ignari; ad ipsorum Secretarios, & Auditores, vilissimas vt plurimum personas, & lucri auidissimas negocia ipsa deferunt, eorumque relatione decidunt: & vbi autum non fluit, negocium hæret, neq; vllum finem habere potest; atque ex ea parte iustitia, ex qua maius auri pondus, propendet. Et tamen nos Episcopi, atq; Metropolitani, non sine magna stultitia, nihilominus sponte etiam, nostra propria, & ordinaria negocia ad Romanam Curiã transmittimus; in qua non Papa, non Cardinales, sed Harpyiæ Secretarij mercenarij gubernant Ecclesiam vniuersalẽ: Papa enim cum Cardinalibus in rebus temporalibus, tanquam longè maioris momenti, occupantur; diuina, & Ecclesiastica parui pendunt. Sed puto tractatum hunc de Cardinalibus, sicut & ipsos magna ex parte Cardinales, iam tædio esse omnibus & fastidio, propterea de eo, ac de iis satis. LXV.

CAP.

CAP. VI.

Romanum Episcopum non esse proprie peculiarem Petri successorem.

Summa Capitis.

Cum Petrus nullius Ecclesiæ particularis fuerit Episcopus, neque in se quicquam habuerit ipsius proprium, in quo ei succedi posit in particulari, successor ei frustra datur, num. 1. 2.

Romanus itaque Episcopus in generalibus tantùm succedit Petro; qua ratione multos ille habet successores, num. 3. 4. 5. 6.

Si Petrus verè Papa fuisset, successio esset necessaria: sed non in vlla particulari Ecclesia num. 7.

Neque putari potest Romanum succedere Petro in Papatu: & probationes Baronij ac Bellarmini refelluntur à num. 8. ad num. 20.

Obiectio soluitur, num. 21.

I. DE prærogatiuis Ecclesiæ Romanæ, tum in se, aut prætensis, aut veris; tum in suo Clero prætensis, iam vidimus capitibus quinque præcedētibus: supereſt vt eas discutiamus, quas in suo Episcopo illa vel falsas iactat, vel veras habet: & in hoc capite quidem eam solam prærogatiuam, qua de suo Episcopo tanquam Petri successore gloriatur, paucis considerabo: In sequentibus vero alias.

II. Si Ecclesia Romana non fuit proprie, neque peculiaris Petri sedes, vt iam primo capite huius libri demonstraui; quomodo ipsius Episcopus Petri proprius successor esse potest? Si nulli Apostolo datur personaliter pro sua singularitate successio; vt abundè libro secundo capite primo toto; & capite quinto numero vigesimo sexto probaui; quomodo Romanus Episcopus potest esse Petri successor singularis? Omnes sane Episcopi sunt omnium Apostolorum, etiam Petri, in solidum successores; An non id Leo magnus fatetur; vbi [a] Ecclesiasticam potestatem quam Petrus habuit, ad omnes Ecclesiæ Principes, hoc est Episcopos, ait commeasse; atque à Petro & Apostolis in eos deriuatam? Omnes ergo Episcopi in potestate succedunt Petro, & omnibus Apostolis. Non enim Petrus habuit quicquam peculiare, in quo ei dari debeat, magis quam cæteris simul omnibus successio; habuit tantummodo communem Apostolatum; hoc est Episcopatum; vt probatum est à me primo libro. Si tempore Apostolorum nulla Ecclesia habebat vnum solum suum proprium & specialem defixum Episcopum, sed à pluribus præcipuæ quæque, tum Episcopis tum Presbyteris in solidum regebantur, ac præsertim Romana, vt plene docui libro secundo capite tertio; & Apostoli simul cum Episcopis & Presbyteris Ecclesias gubernabant; quomodo potest vnus Episcopus se vnius duntaxat specialis Apostoli successorem facere; cum nullus certus, & vnicus fuerit in vlla celebri Ecclesia ex Apostolis Episcopus proprius, vni particulari sedi alligatus?

[a] Leo serm. 3. de sua assump.

III. Sed iam fecimus, dicet aliquis, in primo huius libri capite Petrum Romæ Episcopum; cur ergo Romani reliqui Episcopi non erunt Petri successores? Eo sane modo quo Petrus fuit Romanus Episcopus, fuit etiam Antiochenus; & infinitarum Ecclesiarum, quas ipse fundauit; & in quibus ipse actu suum exercuit Apostolatum, siue Episcopatum: non minus igitur erunt Petri successores Antiochenus, & alij quam Romanus; Ideoque Gregorius Antiochenum, & Alexandrinum æque facit Petri successores, ita scribens ad Eulogium Alexandrinum: [b] Itaque, cum sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu, sola Apostolorum Principis sedes in autoritate conualuit; quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua Euangelistam Discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit. Cum ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex auctoritate Diuina tres nunc Episcopi præsident; quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo; si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate.] Et Nicolaus; [c] Per

[b] Greg. l. 6. Ind. ep. 37.

[c] Nicol. ep. 8.

has

A has tres, *inquit*, præcipuas Ecclesias, omnium Ecclesiarum solicitudo, Beatorum Apostolorum Principum Petri ac Pauli moderamen expectat.]

Si quid ergo gloriolæ accrescit Romano Episcopo, ex eo quod sedeat in ea sede, in qua initio nascentis Ecclesiæ Petrus sedit, de eodem prorsus gloriari etiam potest Antiochenus, qui sedit in simili sede; & alij omnes earum Ecclesiarum Episcopi, in quibus Petrus dum viueret, sedit, & prædicauit. Sunt autem pene innumerabiles; vt habes supra lib. 3. c. 10. nu. 4. Neque ad eripiendam his Ecclesijs a Petro fundatis gloriam, & totam in se transferendam, dicat Romanus cum [a] Innocentio & [b] Nicolao, Petrum in transitu in illis fuisse; Romæ verò tanquam in propria, & perpetua, vsque ad mortem sede consedisse: id enim non facit quominus illi quoque, eodem modo sint Petri successores; sicut & Romanus; quia æque Petri laboribus sunt initio honorati sicut & Romani: cum præsertim Petrus in B se nihil habuerit, quod non æque omnibus Ecclesijs in quibus ille fuit, successoribus communicauerit, & reliquerit; Apostolicam nimirum, hoc est Episcopalem potestatem. Papatum enim vniuersalem, & Monarchicum nullum habuit; vt probaui libro primo, & sequentibus capitulis vlterius confirmabo. Nihil ergo plus Romæ mihi moriendo Ecclesiasticæ potestatis Romano tribuit Episcopo, quam Antiochiæ Antiocheno, & alibi alijs viuus, & incolumis iam tribuisset: qui nihil proprium, & singulare tribuebat, sed commune, quod & ipse, & reliqui Apostoli, æque à Christo acceperant Episcopis omnibus successoribus tribuendum. IV.

a *Innoc. ep. 21.*
b *Nicol. ep. 8.*

Videant vero Romani Pontifices, ne dum ex successione à Petro suum Primatum Monarchicum conantur confirmare, ipsum Petrum ab vniuersali Apostolatu deijciant, & vnum priuatum Episcopum faciant. Non enim possunt Petro succedere nisi Petrum faciant specialem Episcopum Romanum, vt patet. Necesse est ergo dicant Petrum, vt esset C Romanus specialis Episcopus, suo Apostolatui vniuersali renumerasse; & sedi Romanæ se perpetuo alligasse; voluisseque vt illa sedes esset ipsius sedes propria, & peculiaris, & vsque ad mortem perpetua. Hoc tamen stultum est asserere, tum quia vt dixi, in Ecclesijs non statim erat institutus Episcopatus, vt vnicus duntaxat defixus esset in singulis Ecclesijs Episcopus, qui solus suæ Ecclesiæ præsideret; in communi enim suam Ecclesijs nanabant operam Apostoli, etiam cum suis adiutoribus: tum quia, etiamsi id iam fuisset institutum, vt vnus vni Ecclesiæ fixus præesset Episcopus, Apostolus tamen nullus, multo minùs Petrus vlli vnquam se loco certo fixe alligauit; aut vsque ad mortem obligare debuit; cuius esset per orbem excurrere, & Euangelium disseminare; & fundata vna Ecclesia ad alias fundandas properare, relictis interim in ijs quas fundabant suis Episcopis & Presbyteris; aut si vis, etiam vno supra omnes Presbyteros ab ipsis Apostolis Episcopo constituto. V.

Glorientur itaque Episcopi Romani, quod illius Ecclesiæ sint Episcopi in qua Petrus & D prædicauit, & sanguinem fudit, & suas reliquias suasque deposuit memorias; sed augeant adhuc hanc gloriationem, ex eo quod in eadem Ecclesia Paulus quoque prædicarit; imò eam fundarit, & similiter sanguine, & reliquijs suis decorarit: quodque præterea Ioannes Christi dilectus in eadem laborarit, & pro fide feruens oleum sit perpessus incolumis; sed specialem successionem à Petro, non est cur iactent: imò ab hac iactantia suadeo plurimum caueant; quia schismata in Ecclesiam Christi à Paulo adeo reprehensa inducunt; si enim Romani dicunt se esse [c] Cephæ, & habere Episcopum qui solius propriam Petri personam gerat, Petrique specialem Episcopatum teneat; alij quoque dicent se esse eadem ratione Pauli; alij Ioannis, alij Iacobi, alij Thomæ, alij aliorum. Et hæc schismata vt vitarentur, sancti Apostoli, sicut vnam & eandem in solidum curam fundandæ Christi Ecclesiæ vniuersalis gerebant; ita & collegas, & successores habere voluerunt, qui ipsis non singulis, sed vniuersis succederent in solidum, vt libro secundo explicaui, vbi probaui omnes E Episcopos, non minus Petri, quam reliquorum Apostolorum, & esse, & dici successores; etiam illos qui eas regunt Ecclesias, in quibus Petrus nihil sui contulit laboris. VI.

c 1. Cor. 1.

Si Petrus solus fuisset à Christo, Papa, hoc est caput, & Monarcha totius Ecclesiæ, vt nostri somniant, institutus; de successione speciali Petri esset diligentius inquirendum, sed tunc profecto, tametsi hoc verum esset, nullus vllius particularis Ecclesiæ Episcopus posset hanc prætendere successionem: de qua agam postea in sequentibus. Imò quia de hac successione nihil prouisum est à Christo, sed ea in incertum est relicta, & facta magnarum in Ecclesia dissensionum ac schismatum occasio; planum est Papatum hunc esse totum fictitium, commentum hominum, à Christi institutione remotissimum. Sane tempore Concilij Constantiensis in schismate trium Paparum grauissimo, acerrima est controuersia VII.

instituta,

instituta; num Cardinales Papam eligerent tanquam clerus Romanus specialis; an vero tanquam Ecclesiæ vniuersalis Procuratores, & Ministri. Et absolute loquendo, num Papa vt Papa ab ijs fieret, qui Episcopum Romanum de iure faciunt; an ab Ecclesia vniuersa, hoc est ab vniuersali Concilio illam repræsentante; siue ab ijs quos vniuersale Concilium ad id deputaret; & adhuc, apud nos sub iudice lis est. Certe si Papæ electio ad totam spectat Ecclesiam, vt tenet schola Parisiensis; de qua supra cap. 5. & infra cap. 11. posset illa Papam facere, etiam alium Episcopum qui non sit Romanus Episcopus; imo aliquem; qui, vt par est, nullius esset particularis sedis Episcopus; sed tantum vniuersalis totius Ecclesiæ Papa; & tunc successio Petri, vt Papæ, (si Petrus fuit Papa) esset longe magis propria & legitima, quam successio eiusdem in Romana sede; quia Romanæ sedis Episcopus proprius, Petrus non fuit; vt est ostensum.

VIII. Faciant Petrum nostri Monarchici, quantum volunt, Papam vnicum totius Ecclesiæ (quod tamen non esse verum, docet totus noster primus huius operis liber) inducant etiam, vt lubet, necessitatem (quæ tamen nulla est) successionis in Papatu Petri; adhuc tamen Romanum Pontificem Petro in Papatu succedere nunquam demonstrabunt; laborat enim quisque ipsorum, saxum voluit, & sudat, nec proficit hilum. Baronius sane postquam visus est sibi Petri Primatum egregie confirmasse (contra quem Primatum, & cum ipso Baronio, & Bellarmino, & alijs, pugnauimus; eosque, ni fallor, expugnauimus) vt hunc Primatum in Romanos Pontifices transmittat, hoc pacto conatur: [a] Est igitur Christi ouile vnum, eiusdemque pastor vnus, idemque Petrus electus à Domino, ac maxima omnium præfectura nobilitatus; quam, ne extinctam esse cum Petro, & vnius tantum hominis vita superstite, Christi Ecclesiam perdurasse; ac subinde gregem sine pastore, corpus sine capite, fundamentum sine structura, seu sine fundamento structuram, penitus remansisse; stulte nimis, æque ac impie, dicere cum ethnicis, cæteri sque Christianæ fidei hostibus compellamur fateri necesse est, eandem collatam à Domino in Petrum summam omnium potestatem, in posteros eius cathedræ successores esse deriuatam. Istud ipsum denique est quod Augustinus [b] sæpe testatur; Dei Ecclesiam in Petro claues accepisse; & in se Petrum totius Ecclesiæ figuram repræsentasse; ne videlicet tantum munus videretur in Petri personam solummodo esse collatum; ac cum illo pariter extinctum; sed potius in ipsum, tanquam in totius corporis caput mysticum, quod non extingueretur, sed semper viueret in successoribus. Vnde idem ipse Augustinus, ad cathedram Petri sæpe prouocat Donatistas; vt cum scribit ad Generosum, his verbis: [c] Si, inquit, ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est; quanto certius, & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Petro enim successit Linus &c. Post recensitos singulos Romanos Episcopos Petri successores vsque ad Anastasium, qui tunc sedebat; hæc subdit: In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiam si quispiam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens, ait, de Præpositis malis: Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite. Ex quibus liquet priuilegia sic à Christo fuisse Petro concessa, vt idem ipse, velut persona propria, exprimeretur in singulis successoribus, atque in Ecclesia viueret semper; nec eiusmodi verit ais signum posse, successoris alicuius criminibus vnquam, vel leuiter labefactati.] Hæc Baronius. Cui nunc ego, sicut & infra Bellarmino, tantisper donabo, necessarium esse vt Petro in Papatu detur successio. Probet tamen hanc successionem in Romanis Pontificibus conseruari. Augustinum ille ad hoc protulit.

[a] Baron. tom. 1. an. 34. nu. 208.

[b] Aug. in Ioan. tract. 50. & 124.

[c] Idem ep. 165.

IX. Sed Augustinus, dum Ecclesiam in Petro claues accepisse asserit, non dicet eas per successionem a Petro ad Ecclesiam Romanam transijsse; vt docui lib. 1. cap. 7. Sed intellexit tunc quando Petro dabantur claues, Petrum illas non proprio, sed Ecclesiæ nomine accepisse; & Petrum tunc totam Ecclesiam repræsentasse, cuius ille gestaret figuram non solam Romanam: quia tanquam Ecclesiæ totius procurator, nomine totius Ecclesiæ illas non sibi, sed Ecclesiæ toti accipiebat. Alioquin si sensus esset, quem intendit Baronius, non tota Ecclesia vniuersalis claues haberet, sed sola Romana; quia successio iam à Monarchicis non datur Petro in vlla alia Ecclesia, nisi in sola Romana. Neque dicant, Romanum deinde Pontificem claues etiam reliquis Ecclesijs communicare: quia hoc pacto Ecclesia vniuersa non haberet claues per successionem à Petro, quod intendit Baronius; sed per communicationem; & aliud est successio; aliud communicatio; & nos quærimus

nunc

A nunc successionem Petri in Papatu, non cleuium communicationem. Quod etiam addit Baronius ex Augustino, ordinem successionum à Petro commemorante, nihil ad rem facit; neque enim Augustinus quicquam dicit de successione Romanorum Pontificum in Papatu, seu vniuersali regimine Ecclesiarum; sed de doctrina Apostolica; eam enim per successionem à Petro in Ecclesia Romana perseuerare asserit; quia Petrus doctrinam Apostolicam tradidit Romanæ Ecclesiæ, ac potissimùm Lino, quem Romæ constituit Episcopum; Linus Cleto, Cletus Clementi, & sic deinceps; quemadmodum eadem doctrina Apostolica in alijs Ecclesijs Apostolicis, per successionem à Paulo, Ioanne, Iacobo, & alijs Apostolis tradita, per successiones Episcoporum illarum sedium est transmissa, & conseruata. Et in hoc ego magnam obseruo æquiuocationem nostrorum passim Monarchicorum, qui successionem doctrinæ, & fidei; pro successione Principatus, & Potestatis accipiunt;
B de qua doctrinæ per successionem propagatione agam lib. 7. & verba ipsa Augustini hic à Baronio producta, expresse de doctrina sunt & de fide; non de vllo primatu ac potestate, vt patet legenti. Et nos concedimus à quocunque Apostolorum, per successionem Episcoporum, ab illorum institutione incipientium, fidem & doctrinam Christi esse propagatam. Concedimus etiam ipsam Episcopalem potestatem, pari ratione ab ijsdem Apostolis, per Episcopos successores, ad nostra vsque tempora peruenisse; quia omnes Episcopi in Episcopatu sunt Apostolorum, modis iam lib. secundo explicatis, successores. Quare etiam Romanum Episcopum libenter admittimus, in Episcopali potestate, Petri & Pauli, imò & omnium Apostolorum in solidum successorem; peculiarem tamen Petro, aut vlli Apostolo vt singularis est, non damus successionem. Adde verò non solos Episcopos Romanos per suas successiones reduci ad Petrum; sed etiam Antiochenos, & omnium aliarum Ecclesiarum, quarum Petrus fundator fuit, Episcopos.

C Plus in hac Papatus successione laborat Bellarminus, cui, licet & ipse breuitatis, & expeditionis causa, tantisper concesserim (quod sanæ mentis Theologus absolutè, & liberè nunquam ei concedet; & nos satis in præcedentibus impugnauimus) ex diuino iure, & ratione successionis, debere aliquem Petro in Papatu succedere; adhuc tamen nego Romanum Pontificem hunc fore successorem. Et antequam ad ipsius accedam probationes: moneo mihi illa verba Bellarmini non probari, in quibus ait; [a] Atqui Ecclesia non minus eget nunc vno Pastore, quàm tempore Apostolorum; imò verò etiam magis cùm nunc sint Christiani, & plures, & peiores.] Quasi verò aut multitudo maior vel minor Christianorum, aut eorundem bonitas vel malitia vnitatem Pastoris determinet, & non potius ipsamet Christi institutio, & natura ipsa Ecclesiastici regiminis: sicut enim verum est totam Ecclesiam non habere nisi vnicum verum caput qui est Christus; si ita verum esset eundem
D Christum noluisse nisi vnicum Vicarium sui loco in terris ad Ecclesiæ regimen vniuersale substituere, proculdubio siue pauci, siue multi sint fideles, siue boni, siue mali nihil interest, semper vnicus esse debebit qui toti Ecclesiæ præsit. Qui enim Christus semel iudicauit, & statuit vnum suum Vicarium dare toti Ecclesiæ, si is Petrus fuit, quandoquidem in gratiam Ecclesiæ vsque ad finem mundi in terris duraturę, summum vnum Pontificem præficiebat Petrum, is debet, cùm sit mortalis, perpetuos habere successores. Malè ergo, concesso Petro supremo Pontificatu, negatur eidem perpetua successio à Caluino, vt est apud Bellarminum: quia non propter paucitatem Apostolorum, & fidelium factus fuisset Petrus vnus omnium caput, sed ex Christi institutione, si voluit Ecclesiam Monarchico regimine in terris administrari.

X.

a Bellar. de Rom. Pont. l. 1. c. 12.

b Ibid.

XI.

Quomodo verò Bellarminus Papalem Romæ successionem probet audiamus. [b] Iam verò, *inquit*, quod iste Petri successor sit Romanus Pontifex, facilè probari potest. Nullus
E enim est, nec fuit vnquam, qui se Petri successorem vllo modo asseruerit; vel pro tali sit habitus; præter Romanum, & Antiochenum Episcopum: Atqui Antiochenus non successit Petro in Pontificatu Ecclesiæ totius; nam non succeditur nisi cedenti locum; vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, id est depositionem, vel renunciationem; Petrus autem adhuc viuens, & Pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit; & Romæ sedem suam fixit. Restat igitur vt Romanus Episcopus, qui Petro in Vrbe Roma morienti successit; eidem in tota ipsius dignitate, & potestate successerit. Præterea, si Antiochenus Episcopus Petro in summo Pontificatu successisset, primus Episcoporum fuisset. At Nicænum Concilij Can. 6. Antiochenum Episcopum 3. Patriarcham, non primũ, nec secundum esse declarauit; sicut fuerat semper, nec vnquã Antiocheni Episcopi aliorẽ locum quæsiuerunt. Vt autem res hæc tota melius intelligatur, obseruanda sunt quædam, *inquit*;

XII. Primo; Aliud esse successionem, aliud rationem successionis: nam successio Romani Pont. in Pontificatum Petri, ex instituto Christi est; ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius quam Antiochenus, vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit. Successio, inquam, ipsa ex Christi instituto, & iure Diuino est; quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum vsque ad finem Mundi; & proinde quicunque Petro succedit, à Christo accipit Pontificatum. At verò quod Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, sit Petri successor; ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi vnquam eligere; sicut fecit primis quinque annis; & tunc moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset; sed is, quem Ecclesia sibi elegisset; Potuisset quoque semper manere Antiochiæ; & tunc Antiochenus sine dubio successisset: quia verò Romæ sibi sedem fixit, & tenuit vsque ad mortem; inde factum est vt Romanus Pontifex ei succedat. Et quoniam Sanctus Marcellus Papa in Epistola ad Antiochenos scribit, Petrum Domino iubente venisse Romam; & Sanctus Ambrosius in oratione contra Auxentium; & Athanasius in Apologia pro fuga sua dicant, Petrum Christi iussu Romæ martyrium pertulisse; non est improbabile Dominum etiam aperte iussisse, vt sedem suam Petrus ita figeret Romæ, vt Romanus Episcopus absolute ei succederet. Sed quicquid de hoc sit; saltem ista ratio successionis non est ex prima institutione Pontificatus, quæ in Euangelio legitur. A B

XIII. Obseruandum est secundo, *inquit*, tametsi forte non sit de iure Diuino Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex est, Petro succedere in Præfecturam totius Ecclesiæ; tamen si quis absolute petat, an iure Diuino Romanus Pontifex Pastor sit, & caput totius Ecclesiæ, omnino esse id asserendum. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, quam vt ipsa successio sit de iure Diuino; hoc est, vt ordinarium officium Ecclesiam vniuersam, cum summa potestate gubernandi, non sit ab hominibus, sed à Deo immediate institutum; id autem esse supra demonstrauimus. C

XIV. Obseruandum est tertio, *inquit*, licet forte non sit de iure Diuino Romanum Pontificem vt Romanum Pontificem Petro succedere; tamen id ad fidem Catholicam pertinere; Non enim est idem aliquid esse de fide; & esse de iure Diuino; nec enim de iure Diuino fuit, vt Paulus haberet penulam; est tamen hoc ipsum de fide Paulum habuisse penulam. Et si autem Romanum Pontificem succedere Petro, non habeatur expresse in Scripturis; tamen succedere aliquem Petro deducitur euidenter ex Scripturis; illum autem esse Romanum Pontificem habetur ex traditione Apostolica Petri; quam traditionem Concilia generalia, Pontificum Decreta, & Patrum consensus declarauit; vt postea demonstrabitur.

XV. Obseruandum est, *ait*, postremo, Romanum Episcopatum, & Ecclesiæ vniuersæ Præfecturam, non esse duos Episcopatus, neque duas sedes, nisi in potentia. Nam Petrus Pontifex totius Ecclesiæ à Christo institutus, non adiunxit sibi Episcopatum Vrbis Romæ; quomodo Episcopus alicuius loci adiungit sibi alium Episcopatum, vel Canonicatum, aut Abbatiam, sed Romanæ Vrbis Episcopatum euexit ad summum Orbis terræ Pontificatum: quemadmodum cum Episcopatus simplex erigitur in Archiepiscopatum, vel Patriarchatum. Non enim Archiepiscopus, vel Patriarcha est bis, aut ter Episcopus; sed semel tantum, & in huius rei signum non datur Pontifici summo nisi vnum Pallium; etiamsi Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, & summus Pontifex sit. Hæc enim omnia sunt vnum actu, & tantum in potentia multa. Ex quo sequitur, vt qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso sit Pontifex summus Ecclesiæ totius, etiam si forte id non exprimant electores.] Hæc omnia Bellarminus, quæ sunt à me iam excutienda. D

XVI. Petri sane successores, alios etiam præter Romanum, agnouerunt Cyrillus Alexandrinus; Ephræm Syrus; Ioannes Chrysostomus; Gaudentius Brixiensis; Gildas Sapiens; Concilium Parisiense; & Petrus Blesensis, vt habes supra libro secundo capite primo numero duodecimo, non quidem in Primatu aut Papatu, quem nullum habebat; sed in potestate Apostolica; hoc est Episcopali: quam solam in alios transfundendam, cum omnibus Apostolis habebat Petrus. Et falsum est Petrum vsquam propriam fixisse sedem; nusquam enim suo vniuersali Apostolatui, aut ipse, aut vllus alius Apostolus derogauit; derogasset autem, si ex vniuersali Apostolo, ad vnicum se Episcopatum singularem restrinxisset; Et sedem sibi figere, est vni se alligare Ecclesiæ particulari. Non enim ea ambitione pestifera vrgebantur Apostoli, vt multas sibi sedes subiugarent; & Episcopos in propriam duntaxat clientelam multiplicarent; [a] Christo non sibi laborabant; & Ecclesias E

a *Sup. lib. 1. c. 2. n. 17.*

A sias fundabant; & vna plene fundata, eique proprio Episcopo in discessu remotiori assignato, cum plenissima Apostolica, hoc est Episcopali in illa Ecclesia potestate, ad aliam fundandam properabant, nulla sibi in iam fundatas reseruata vera iurisdictione, aut potestate; nisi tantum caritatis, & superintendentiæ; vt si opus esset meliori instructione, eam libenter per [a] Visitationem impertirent. Cum itaque Petrus nullam propriam & fixam habuerit sedem, nullus Episcopus potest ipsius prætendere successionem, aut æque omnes illarum omnium Ecclesiarum Episcopi, quæ Petrum habuerunt Doctorem, & fundatorem, quæ sunt plurimæ; non solæ duæ, Romana & Antiochena; inter quas præcedentia, non ex Petro fundatore, sed ex Ecclesiastica consuetudine, & lege, inspecta ipsarum Vrbium temporali potestate, tota petitur; vt lib. 3. c. 2. & 10. explicaui. a Act. 15.

Sed fixa, *inquit Bellarminus*, debuit esse Petri sedes, non amplius mutanda, neque alio XVII.
B transferenda; & talis, *inquit*, fuit Roma.] Vnde verò scis, optime Bellarmine, Petri mentem fuisse iam penitus se Romæ alligare? Cedere ergo volebat Apostolatui vniuersali, iam fessus in orbe peragrando, otio debuit torpere: Siquidem Chorepiscopos iam habebat tres insignes, Linum, Cletum, & Clementem, qui ad Romanam Ecclesiam regendam erant sufficientissimi, ac proinde statuerat genio indulgere, & officium susceptum conuertendi Mundi deserere. Apostolatus sane officium non erat sedere, & Episcopis per totum Mundum imperare, Ecclesiasque omnes solis Imperijs, & oraculis, ac per Legatos & adiutores regere. Sic enim potuisset initio Petrus, si Papa erat, vnam sedem sibi eligere, puta Hierosolymitanam, vel Antiochenam, vel Romanam, &c. & inde iura dicere; Hoc tamen cum toto suo Papatu non fecit, sed optimè agnouit Apostolatum suum ibi tantum in actum exire potuisse, & munus Apostolicum implere; vbi actu ipso prædicando, Euangelizando, instruendo, sacra impartiendo laboraret. Seclude actualem & personalem laborem,
C nemo est Apostolus, nemo Episcopus, vt probaui lib. 1. c. 2. & infra probabo lib. 9. cap. 10. vbi de residentia. Igitur ne dicatur Petrus à suo se vniuersali Apostolatu, siue Episcopatu abdicasse; neque dicendus est, vllo vnquam sibi in loco firmam, & perpetuam vsque ad mortem fixisse sedem; & consequenter, si Romæ non fuisset martyrio coronatus, sed liber extitisset, bene fundata & stabilita Romana Ecclesia, eaque Clementi & socijs commendata, ad conuersionem infidelium sine dubio properasset. Quod verò mortuus sit Romæ merum est accidens; potuit enim etiam in pago aliquo mori, non tamen propterea illius pagi parochum Papam Vniuersalem faceremus: Quare nec Bellarminus vult affirmari, [b] ideo Romæ esse sedem Papalem, quia Petrus mortuus sit Romæ, sed quia, inquit, Episcopus Romanus fuit, nec sedem vnquam ex Roma transtulit.] Nullam sedem quam Petrus constituit, vnquam alio transtulit, sedes manserunt Episcopis proprijs assignatæ; ipse se ipsum, non sedem transferebat; & se ipsum Roma etiam alio transtulisset, si vita & b *Bellar. vbi sup. ad arg. Caluini.*
D libertas comes fuisset. Neque est vlla ratio cogitandi Petrum, vt dixi, deposito Apostolatu vniuersali, se soli sedi Romanæ applicasse, ac penitus vsque ad mortem deuouisse. Factum itaque Petri quo voluit Romæ prædicare, non facit vt Roma quicquam sit amplius ex hoc facto assecuta, quod non aliæ quoque Ecclesiæ ab eo fundatæ fuerint assecutæ; siquidem mors, vt fatetur Bellarminus, nihil tribuit illi sedi, ad hoc vt dicatur propria sedes Petri. Dicant mihi obsecro, vt aliqua sedes ex multis quas habuit Petrus, dicatur & sit sedes vera Papalis, hoc est, firma & fixa Petri, ab eo non amplius mutanda, aut transferenda; quid necessario requiritur? Factum ne solum Petri, vt illa sit sedes Papalis, in qua Petrus sedens vitam suam finiat: an intentio, & voluntas sola Petri, vt illa sit Papalis, quam ipse sibi certam elegisset, vti ipsius propriam, & non amplius in sua intentione mutandam; siue adesset in ea præsens, siue abesset; & siue in ea moreretur, siue extra eam? An & factum, & intentio? Factum solum profecto nihil facit; nam etiam concedente Bellarmino,
E merum accidens fuit, quod hic mortuus sit, & non ibi. Si sola sufficit intentio, & electio; præsentia vero non sit necessaria; quomodo probabunt ex intentione Petri, Antiochenam sedem non fuisse ab eo electam in Papalem? & quid eidem sedi oberit, quod ab ea Petrus alio diuerterit? Nam ne Romæ quidem perpetuo fixus mansit, sed illum faciunt etiam Monarchici alio diuertere & excurrere; & satis esse volunt quod Romanam sedem sibi, vt propriam & fixam elegerit: Et tamen probabilius illis esse debet primam, hoc est, Antiochenam fuisse à Petro in Papalem electam, & inde alio excurrisse, etiam Romam vsque, ne inconstantem illum faciant, & propositi subinde mutatorem. Quod autem Concilium Nicænum inter Patriarchas vltimum locum dederit Antiocheno, signum est ipsum Concilium in Petro nullum Papatum agnouisse, nullumque ei singularem succes-

forem tribuisse ; & ex sola Vrbium sæculari dignitate, vt lib. 3. disputaui, Ecclesiarum aliquarum priuilegia admisisse. Si necessarium fuit vtrumque, hoc est & factum, & intento; sicut de facto possumus vtcunque admittere Petrum & Romæ fuisse, & Romæ mortuum; ita de intentione ipsius non possumus nisi diuinari ; imo, vt dixi superius, præsumere tenemur, & debemus, Petrum sua intentione, nulli se certo loco alligasse; sed vniuersum orbem, quod in ipso erat, fuisse complexum ; vt Euangelium in totum Mundum deferret: Casu tamen ei accidisse, vt Romæ vitam finiret ; licet in mente Diuina id summa fuerit prouidentia dispositum, & definitum, ob causas supra cap. 3. explicatas. Atque hæc contra Bellarmini prima argumenta, primamque ipsius obseruationem. A

XVIII. Secunda obseruatio Bellarmini continet, meo quidem iudicio, manifestam contradictionem, aut saltem falsitatem, Nam posito etiam, & admisso Papatu in Petro ; cum incertum sit, an de iure diuino Romanus Episcopus, quia Romanus Episcopus est, succedat Petro in Papatu vniuersali ; imo cum fortasse certum sit, nec renuit Bellarminus, de iure diuino Romanum Episcopum vt talem, in dicto Papatu Petro non succedere ; & aliunde nulla habeatur euidens certitudo, Petri Papatum in Romanos Pontifices vllo modo transijsse ; imo rationes ex Scriptura deductæ oppositum euincant ; quomodo potest Diuina fide asseri absolute, Romanum Pontificem esse caput & pastorem vniuersalem totius Ecclesiæ ? Concedam enim nunc liberaliter, de iure diuino succedi debere Petro in Papatu ; sed negabo Romanum Episcopum vllo modo esse hunc successorem : hoc enim erat probandum Bellarmino ; sed nunquam probauit ; & eius probationes demolimur, & à nobis probatum est contrarium. B

XIX. Similiter tertia obseruatio non caret absurditate. Ego quoque fateor, non omnia quæ sunt de fide, esse etiam de iure Diuino ; & consequenter non propterea nego Romano Pontifici, vt Romanus Pontifex est, à Petro successionem, ex hoc solo capite, quod hæc successio non ei competat iure Diuino ; sed absolute nego Romanum Pontificem esse Petri peculiarem, quocunque iure successorem : ex iure enim diuino colligimus Romanum Pontificem non posse vlla ratione peculiari Petro succedere ; quia iure Diuino Petrus fuit Apostolus tantum vniuersalis ; & non vllius particularis Ecclesiæ Episcopus particularis. Quare pugnat cum iure Diuino, vt ei detur in particulari vlla particularis successio. Nullo ergo modo successio hæc ad fidem Catholicam ex parte affirmante pertinebit; ex parte vero id negante omnino pertinet. Nego præterea hanc successionem esse de fide ; quia licet concederetur illam dari debere ; & re ipsa daretur ; sola tamen fide humana historica tota colligenda esset, & nullo modo ex Sacra Scriptura ; nam sola fides humana historica probat, si tamen probat, Petrum fuisse Romæ, & ibi docuisse, ibique Apostolico munere defunctum : Esto ergo habuerit à Domino Papatum, & per successiones in alios transfundendum, in illum videlicet Episcopum, qui illi præesset Ecclesiæ, quam ipse Petrus sibi vt propriam fixamq; delegisset ; Romanam verò Ecclesiam hanc fuisse necessarijs nixi rationibus omnino iam negauimus : sed si id aliquo modo constaret, certè nulla fide diuina, sed sola humana historica, & id quidem vix, imò & ne vix quidem persuaderi potest ; vt exprimo capite huius libri supra fit manifestum. Successionem tamen illam generalem, & insolidum omnibus Apostolis, in munere Episcopali alias à me explicatam, etiam ipsi Pontifici Romano non negabo : Nego autem & pernego, aut ex Scripturis, aut ex traditione Apostolica, aut ex Concilijs, aut ex Patribus haberi, etiam indefinite aliquem in singulari, succedere Petro. Siquidem omnes Episcopi in communi, & in solidum, tam Petro, quam alijs Apostolis succedunt ; vt libro secundo cap. primo pertractaui. Hanc enim solam in communi successionem, in sola potestate ordinaria Episcopali, colligimus ex Scripturis ; & eam ponunt atque explicant Concilia & Patres ; & omnes legitimæ traditiones, si quæ de hac aliquid tradunt successione. Pontificum vero Decreta, aut in bono sensu erunt infra cap. decimo explicanda ; aut viribus & autoritate destituta non admittentur. Quod vero in prima obseruatione ponit Bellarminus, de Marcello, & Patribus, Petrum Romam Diuina iussione aduehentibus ; dico Marcellum illum esse apocryphum ; & confictum : aut si ipsius dictum velimus admittere, tam ipsum Marcellum, quam alios Patres, si qui dicunt Petrum Diuino iussu Romæ martyrio coronatum, nequaquam significare ex Diuina Petrum reuelatione habuisse, vt Romam eligeret pro sua sede vsque ad mortem, quam esset in ea Vrbe passurus : sed Diuinam agnoscunt prouidentiam, post factum, Diuinamque dispositionem, vt Roma maximorum Apostolorum prædicatione, & sanguine illustraretur ; vt docui supra etiam cum Eusebio, Prospero, Ambrosio, & Leone cap. 3. huius C D E

A tinentes, quàm Romanam ab institutis Apostolicis discedentem. Et hæc regula generalis Ambrosij optima est; sed Romanum Papatum illa plane destruit, vt est per se notissimum. His adde, quod dum Hispanica Concilia pro cauendis Priscillianistis, æque expectant ab Ambrosio, [a] alijsque Episcopis, atque à Romano Papa instructionem; Papatus hic non agnoscitur. Dum similiter Concilium Taurinense in eadem Priscillianistarum causa, [b] literis Venerabilis memoriæ Ambrosij Episcopi, vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis, sese dirigit, nescio quem Papatum in Romano Pontifice agnoscat. Sed Baronius ista legationibus confictis obtegit, quas legationes tamen neque vllo probat documento, neque verba Conciliorum eas patiuntur.

a *Apud Baron. tom. 5. an. 405. nu. 52. 54.*

b *Concil. Taurin. c. 5.*

Augustinus in sua illa comparatione, quam facit, vt supra posuimus lib. 2. cap. 6. nu. 13. inter Stephanum Romanum, & Cyprianum Carthaginensem, nec non inter ipsas Ecclesias Romanam, & Carthaginensem, ne vllam quidem vmbram ponit Romani Papatus, sed XXVII.

B summam æqualitatem: Sæpissimè verò, vbi singulares Ecclesias commemorat, ex quibus vniuersalis Ecclesia conflatur, [c] Romanam facit vnam ex illis, & singulares omnes Ecclesias [d] membra tantum dicit esse vnius Ecclesiæ toto orbe diffusæ; nullam verò excipit è numero membrorum, vt eam faciat caput. Quare Augustino Romana Ecclesia membrum est vniuersalis Ecclesiæ, non caput, quod est iam à me probatum cap. 2. huius. Igitur etiam Episcopus ipsius vnus erit Augustino, inter alios, Episcopus, non solus, nec vniuersalis; qui sit vnius membri Ecclesiæ Episcopus, non totius corporis. Et, sicut Cyprianus egregiè differuit, vnus Episcopatus in solidum est vniuersa Ecclesia, sed vnus Episcopus non est, qui pro suo Episcopatu habeat hunc magnum Episcopatum; cuius inquit [e] partes à singulis Episcopis tenentur: & hæ partes sunt hæc, quæ Augustinus vocat membra.

c *Aug. contra Cresc. Gramm. l. 2. c. 37.*

d *Idem de vnit. Eccles. c. 11.*

e *Supr. lib. 3. cap. 1. nu. 14.*

Africana Ecclesia Romano Papatui vehementer restitit tempore Augustini; Augusti- XXVIII.

C no etiam ipso cum reliquis aduersus Papatum reclamante. Monui iam sæpius, propter maximam Romanæ Ecclesiæ ex multis capitibus existimationem, ipsius communionem plurimi semper factam fuisse, ac propterea si qui, vel Episcopi, à suis Prouincialibus Synodis, vel Metropolitanis, seu primatibus, à communione suæ Ecclesiæ vel Prouinciæ segregabantur; optimum remedium semper censuerunt, si in Romanæ Ecclesiæ vnione possent persistere; tales enim etiam in reliquis totius Imperij Romani Ecclesijs communionem facilè retinebant; quæ fuit magni abusus occasio, & Romano Primatui pullulaturo fomitem incrementumque subministrabat. Qui enim iustas pœnas dabant in suis Ecclesijs & Prouincijs, Romam confugiebant: Quod confugium vndequaque titillauit Romanos Pontifices, atque inde ansâ arreptâ, sæpius partim decepti, partim etiam hinc elati, vt se supra Episcopos collocarent, criminosis communionem suam non negabant; illi verò, obtentis literis communicatorijs, communionem per illas, etiam in proprijs Ecclesijs, ex-

D torquebant: non enim iam amplius negare, vt plurimum, audebant ei communionem, quem Romana semel Ecclesia foueret, & reciperet; ob quam rem vidimus paulo antè Cyprianum contra Cornelium excandescere. Hinc moti postea Patres Africani, adhuc sub Innocentio primo, Canonem huiusmodi, Honorio 7°. & Theodosio 11. Con. qui fuit annus Christi 407. Innocentij verò sextus, in Concilio ediderunt; [f] Quicunque non communicant in Africa, si in transmarinis ad communicandum obrepserint, iacturam Clericatus excipiant.] Per transmarinas autem planum est, potissimum Romanam Ecclesiam ab Africanis intelligi.

f *Concil. Afric. c. 72.*

Hunc Canonem, arbitror ego, & non solas Appiarij in Africa damnati querelas, Zo- XXIX.

simum non multo post permouisse, vt in Africam legationem expediret; cum commonitorio, in quo quatuor Canonum, vt ipse Zosimus dicebat, Nicænorum obseruationem mandabat: Inter quos primum posuit de appellationibus ad Romanam sedem, quas di-

E rectè in parte Canon ille Africanus tollebat. Congregato ad hoc Concilio 217. Episcoporum, Africani [g] responderunt Bonifacio Papæ, qui Zosimo successerat, se quatuor illos Canones seruaturos eo modo, quo à Zosimo fuerunt ad eos missi; quousque certiores fierent, an illi Canones verè essent Concilij primi Nicæni; quia tales Canones in Africa nondum ad illud tempus vnquam visi fuerunt. Interim in Orientem, ad Alexandrinum, & Constantinopolitanum scripserunt, vt Nicænos Canones omnes in Africam, fideliter transumptos illi mitterent, quod & [h] præstiterunt. Cumque eos quatuor inter Canones veros Nicænos non inuenissent, ad Cœlestinum Pontificem Synodaliter ita scripserunt.

g *In Concil. Afric. sub Bonif. & Cælest. c. 101*

h *Ibid. c. 102. 103.*

[a] Deprecа

XXX.

a Ibid. c. 105.

[a] Deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis; nec A
a nobis excommunicatos in communionem vltra velitis excipere; quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facile aduertet Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis, vel Laicis, videtur ibi præcaueri; quanto magis hoc de Episcopis voluit obseruari, ne in sua Prouincia communione suspensi, à tua sanctitate vel festinato, vel præpropere, vel indebite, videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia, sicuti te dignum est repellat sanctitas tua; quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ; & decreta Nicæna, siue inferioris gradus Clericos, siue ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim, iustissimeque prouiderunt, quæcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt finienda; nec vnicuique Prouinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissime teneatur. Maxime quia vnicui- B
que concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Prouinciæ, vel etiam vniuersale, prouocare. Nisi forte quisquam est qui credat vni cuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis alijs intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam vt aliqui, tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nullum inuenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem Coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilij, exinde transmissistis, in Concilijs verioribus, quæ accipiuntur Nicæna, à Sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à Venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex autentico missis; quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, Venerabilis memo- C
riæ Bonifacio Episcopo, prædecessori vestro, à nobis transmissa sunt; in quibus tale aliquid non potuimus repetire. Exequutores etiam Clericos vestros, quibusque petentibus nolite mittere; nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus, præfert, videamur inducere.]

XXXI.

b Bellarm. de Rom. Pont. l. 2. c. 25. §. Addo 4.

Hoc pacto ipsi suum Canonem corroborant; quem nullum extare, inconsidera te dixit [b] Bellarminus; docentque in tantum se parere ipsius Romani Pontificis mandatis, in quantum ea Ecclesiasticis Canonibus iam receptis, præsertim celeberrimæ Nicænæ Synodi, nituntur; & sicut proprios Canones subiiciunt Nicænis; ita eos præferunt mandatis Pontificiis: non ergo eum agnoscunt Papam vniuersalem. Neque Augustinus, qui præsens erat & Concilio subscripsit pro Romani Pontificis autoritate, protulit illa Christi verba: Tu es Petrus. Pasce oues &c. Sed ex solis Ecclesiæ Canonibus Romani Pontificis autori- D
tatem, Augustinus quoque curat indagandam. Ac ne inde mutua lædatur charitas, occasionesque nascantur simultatum; monent & rogant vt non præbeat aures refugis Africanis; neque vlla ratione excommunicatos recipiat; siquidem ita etiam Canonibus Nicænis cautum sit; quibus Romanum quoque Pontificem subiectum esse non dubitant; cui eorundem inculcant obseruantiam. Imo vero iam se declarant nolle amplius admittere Romanos à latere legatos; videlicet cum potestate & iurisdictione; quia negant se in sacris canonibus id inuenire constitutum. Si quid ergo potestatiue Papa potest, id Africani totum à sacris canonibus pendere profitentur; vt in aliena Prouincia nihil possit, nisi id quod ei concedunt Canones vniuersales. Illud quoque magni momenti est quod aiunt; imo quod intimant, ne ad petentium requisitionem mittat in Africam Clericos executores. Non enim agnoscunt in Ecclesia veram iurisdictionem coactiuam, ei similem, quam Curia habet temporalis. Hanc enim iurisdictionem ab Ecclesia, vt Ecclesia est, exercendam, ad ty-
phum sæcularem totam spectare cognoscunt; à quo remotissima debeat esse Ecclesiastica E
gubernatio: [c] Ecclesia enim, vt ait Hieronymus, volentibus tantum præest, non inuitis; & coactionem nullam habet, nisi per solas pœnas spirituales priuatiuas; quas si quis contemnat, Ecclesia nihil amplius habet, quod faciat: vt libro sequenti fuse explicabo.

c Hieron. ep. 1.

XXXII.

d Baron. tom. 5 an. 419. nu. 73. & Bellar. vbi sup. c. 25.

Quid ad hæc Baronius & Bellarminus? [d] Non iubent, inquiunt, neque putant propterea Africani derogare iuribus Ecclesiæ Romanæ, & appellationes impedire; sed submisso animo rogant Papam, vt maiori cautela, & non tam facile, aures appellantibus præbeat. Quocirca, *inquit Bellarminus*, in vtraque epistola, quam ad Pontifices Romanos, de hac causa miserunt; subiectionem suam ad Apostolicam sedem testantur; dum ad eam refe-

unt

A runtacta Concilij, & eius mandata accepisse se dicunt.] Sciebant profectò esse Ecclesiæ antiquam consuetudinem, in Concilio etiam Nicæno firmatam, vt Iulius supra testabatur, licere Episcopis, suspectum suæ Prouinciæ Episcoporum vitare iudicium; & apud alios exteros Episcopos, suam causam dicere, & innocentiam comprobare. Quod tamen Presbyteris, & Diaconis, inferioribusque Clericis non licuisse affirmat Augustinus; cuius verba de Cæciliano, & Collegis, ipsiusque Ordinatoribus, Donatistarum iudicia fugientibus, sunt hæc; [a] Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis; sed de Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum iudicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reseruare, &c.] Vbi ergo grauis, & notoria esset suspicio erga proprios, & primarios iudices, Episcopi rei poterant ad aliena iudicia, præsertim verò ad sedes Apostolicas recurrere. Quod inferioribus non licebat: quia in Prouincia habebant sufficiens remedium; ordinarius enim iudex Presbyterorum, & Diaconorum, & Clericorum est Episcopus; cuius iudicia poterant à Metropolitano, & Synodo corrigi. At verò Iudices Episcoporum in grauioribus causis sunt, non solùm Synodus Prouincialis, sed totius regionis generalis; quæ si suspecta sit, remedium est extra quærendum. Propterea Africani Patres, primum quoad excommunicatos, absolutè nolunt eos in communionem admitti ab vlla Ecclesia, etiam à Romana; neque hos vt cum cautela audiantur, intelligunt. Deinde quoad alios reos, si sint inferiores Episcopis, similiter nolunt absolutè eos audiri: quinimo ne Zozimus quidem in suo commonitorio id prætendebat; qui ex Concilio Sardicensi [b] Canonem hac de re seruandum [c] proposuerat; qui iudicia inferiorum in Prouincia absolui decernebat, iuxta veterem consuetudinem, quam fuisse tempore Cæciliani vidimus ex Augustino: si verò sint Episcopi, tunc rogant, vt non tam facilè audiantur; nisi videlicet notoria, & manifesta adsit suspicio in propriæ Prouinciæ Episcopis omnibus, aut maxima eorum parte. Quia tamen indifferenter Papa omnes audiebat; & Episcopos, & non Episcopos; & excommunicatos, & criminosos, ideo Africani ei resistunt. Imo quia etiam iam solus Romanus Papa ad se trahebat huiusmodi iudicia; ideo in hoc etiam illi succensent: Videbant enim hoc non esse ius proprium Episcopi Romani; sed commune omnium Episcoporum, ac præsertim omnium sedium Apostolicarum, ad quas aliquis Episcopus in propria prouincia grauatus, sua libera electione confugisset; ait enim Augustinus de eodem Cæciliano, & socijs; [d] Neque enim iudicium deseruerant, vbi nunquam omninò constiterant; nec in illis solis Episcopis Afris erat Ecclesia, vt omne iudicium Ecclesiasticum vitasse viderentur, qui se iudicio eorum præsentare noluissent. Millia quippe Collegarum transmarina restabant, vbi apparebat eos iudicari posse, qui videbantur Afros, vel Numidas collegas habere suspectos.] Exceptis igitur causis grauioribus Episcoporum, vbi suspecti sint proprij Episcopi, in quibus rogant vt cautiùs agat; in alijs omnibus absolutè monent Papam, vt omnes repellat: Tum quia alioquin Africanæ Ecclesiæ iuribus ipse derogabit; quibus Ecclesiæ definitionibus, non inuenitur derogatum: Tum quia expressè Canones Nicæni hanc ei facultatem auferunt, qui proprijs Metropolitanis talia iudicia committunt; iubentque causas in proprijs locis definiri. Quare in omnibus & per omnia auferunt Papæ iudicia quæcunque in alias Prouincias, nisi in casu supra explicato; eumque Nicænis Canonibus penitus subiectum faciunt; ac intelligunt Nicæno Canone, vt docui supra huius libri cap. 2. etiam Romanum Episcopum suis limitibus propriæ Diœcesis esse constrictum, & arctatum; extra quos, in alienam Prouinciam non possit potestatem vllam iurisdictionalem exercere. Subiectionem verò ad Apostolicam sedem, quam Bellarminus in literis Africanis conatur expiscari, ego nullam video; sed penitus obseruo contrarium: Referunt quidem acta Concilii, non vt ea subiiciant Papæ, sed notificent, & quid statuerint certiorem reddant, mandataque se accipere dicunt; sed sub conditione, si Nicæni Canones illud præcipiant; mandatis ergo Concilij Nicæni, non Romani Pontificis se stare profitentur.

a *Aug. Ep. 162.*

b *Concil. Sardic. c. 17.*

c *Concil. Carthag. 6. c. 6.*

d *Aug. Ep. 162.*

Et quoniam pro se Nicænos Canones stare viderunt, non modò monent Papam, vt posthac abstineat ab Africanis vel absoluendis, vel iudicandis; sed etiam intimant, vt vidimus, ne legatos à latere amplius mittat, aut Clericos executores. Hæc vt declinet Baronius ait; [e] Africanos Episcopos non refugisse Apostolicæ sedis iudicium.---Nec rursum executionem refugisse iudicij; sed questos esse de modo exequendi; exhorruisse nimirum mitti Clericos cum militibus, & Magistratuum apparitura.] Atqui hæc est pura Baronij imaginatio de milite, & apparitura: fumosum enim typhum sæculi agnoscunt illi Patres, in dandis Clericis executionibus; quia sæcularia iudicia per executores à Curia missos fiunt

XXXIII.

e *Baron. tom. 5. an. 419. n. 80.*

fiunt; non ita mere Ecclesiastica; quæ solius Episcopi proprij mandato peraguntur. Vere ergo Africana Ecclesia restituit Romanæ; neque ei voluit appellationes ex Africa permittere: quare neque Papatum illum vniuersalem in Romano Episcopo agnoscit. A

XXXIV. Neque dicas eam in hoc errasse, aut schismate laborasse; quia & Augustinus in hoc cum reliquis Africanis in Concilijs hisce præsens, consentiebat, & subscribebat; & communio inter Africam & Romam non est abrupta; vt optime probant [a] Baronius, & [b] Binius; Siquidem mera impostura est, vt ijdem probant [c] palinodia illa, quam Carthaginensem Ecclesiam ad Bonifacium secundum cecinisse quidam confinxit. Si vero eam errasse ex eo instes, quod licet Nicænum Concilium nihil statuat de appellationibus ad Romanam sedem; in Concilio tamen Sardicensi Canonem illum [d] sancitum fuisse; quem primum in suo commonitorio Zosimus ad Africanos posuerat, & Nicænum vocauerat; cui canoni Ecclesia deferre debeat vniuersa; Ego Zosimum, non absque artificio dedita opera, æquiuocare voluisse dicam; & canonem Sardicensem, nullius tunc autoritatis, pro Nicæno maxime autoritatis, nec illum fideliter, sed valde alteratum, conatum fuisse supponere; vt Africanam Ecclesiam, antidotum iam apparantem sibi plene subijceret. Dum vero & Baronius, & Bellarminus locis iam citatis Sardicenses Canones æquant Nicænis; eosque in vnicum ferme corpus redigunt; errant non parum. Sardicenses enim Canones ab Ecclesia vniuersali nunquam fuerunt admissi; vnde & in corpore antiquo canonum vniuersalis Ecclesiæ, quo oriens semper vsus est, nullus Sardicensis canon locum habuit: Quod sane corpus, vt optime ostendit Iustellus in editione codicis canonum Ecclesiæ vniuersalis, sequētes duntaxat canones comprehendebat; Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicænos, Constantinopolitanos, Ephæsinos, & Chalcedonenses. Atque hinc est, quod Patres Africani canoni illi Sardicensi nihil deferre voluerint; vbi enim cognouerunt canonem non esse Nicænum, illum contempserunt; quod si Sardicenses tunc canones fuissent alicuius autoritatis, Zosimus qui ad verbum Sardicensem Canonem posuerat in suo commonitorio, non eum dixisset esse Nicænum; sed id quod erat, aperte dixisset, esse canonem Sardicensem, & seruandum. Propterea etiam [e] Photius expresse negauit Nicolao Papæ, canonem 13. Sardicensem eius ordinationi obijcienti, se Sardicense Concilium, aut alia Pontificum decreta habere, vel recipere. Neque hoc tantopere miretur [f] Baronius; quia etiam Romana Ecclesia Chalcedonenses canones, diu noluit habere, aut recipere, prout ostendi capite quarto numero 13. huius libri; & tamen illi canones toti Mundo statim innotuerant; & Ecclesia vniuersalis Concilium Chalcedonense perpetuo admisit; & vnum ex Oecumenicis numerauit; Sardicense vero nunquam: Eam huius rei ego causam esse autumo; quia Sardicæ factum est [g] schisma; Orientales enim seorsim vel Sardicæ vt innuit Sozomenus; vel Philippopoli, vt aiunt Sacrates, & [h] Baronius, Concilium celebrarunt: seorsim vero Occidentales; & sane decretis omnino contrarijs: & probabilius mihi videtur vtrosque suos Conuentus Sardicę peregisse; nam etiam Orientales, inter quos erant Ariani, & Eusebiani, sua acta [i] Sardicensia inscripserunt; & suam Synodum dicunt Sardicæ, ex diuersis Orientalibus Prouincijs congregatam. Indeque [k] Augustinus aliquando Sardicense concilium nullum bonum agnouit; sed solum Arianum; quia nimirum propter dictum schisma, acta Catholicorum non obtinuerunt fidem; Concilum enim Oecumenicum iam esse non poterat; à quo se tam magna pars Episcoporum separauerat; Ariani vero sua acta libenter publicabant; sed ab Orthodoxis vt Ariana respuebantur. Aduerte vero in Concilio sexto Carthaginense [l] mendum esse; & ex margine in textum verba illa irrepsisse (*ex Sardicensi Concilio*) quia neque Zosimus Sardicensis Concilij mentionem fecit in suo commonitorio; sed Nicæni; neque Augustinus, & reliqui Patres Africani in alio sensu acceperunt commonitorium Zosimi; nisi quatenus Nicænis tantum Canonibus niteretur; vt bene obseruat Binius in suis notis. B C D E

XXXV. Quod si forte ijsdem quoque temporibus exempla tibi occurrant iudiciorum ad Romanam sedem ex Africa delatorum; cuiusmodi ex Augustino, & [m] Baronius, & [n] Bellarminus proferunt aliqua; scias Episcopos ipsos, ipsaque Concilia Prouincialia, vt reis interdum satisfacerent, & eorum recta fuisse iudicia patefacerent, ad Romanam cognitionem causam transmittere solitos fuisse; sed aliud est esse Iudicem ordinarium appellationis, & de iure; aliud esse Iudicem ex commissione, & delegatione tantum; cuiusmodi commissiones & voluntarias ad Romanam Ecclesiam delationes frequentes fuisse, ostendam postea libro octauo. Profecto [o] Cæciliani Carthaginensis causam, instantibus Donatistis, Melchiadi Romano nec soli, sed cum alijs quibusdam Gallis Episcopis coniuncto,

Con-

[a] *Baron. ibid. n. 91. 92.*
[b] *Binius notis in ep. Bonifac. 2. to. 1. Concil.*
[c] *Conc. tom. 2. in Bonif. 2.*
[d] *Conc. Sardic. c. 3.*
[e] *Apud Nicol. 1. ep. 6.*
[f] *Baron. tom. 3. an. 347. n. 52.*
[g] *Socr. l. 2. c. 16. & Sozom. l. 3. c. 10.*
[h] *Baron. tom. 3. an. 347. n. 16. & seqq.*
[i] *Hilar. l. de Synod.*
[k] *Augustin. cont. Cresc. Gram. l. 3. c. 34.*
[l] *Conc. Carthag. 6. c. 6.*
[m] *Baron. vbi sup. n. 75. & seqq.*
[n] *Bellar. de Rō. Pont. l. 2. c. 25.*
[o] *Infra lib. 6. c. 4. n. 53.*

A Constantinus Imperator aliquando delegerat. Si etiam exempla illa controuersiam hanc, inter Africam & Romam præcesserunt; dicas, ea quoque Africanam Ecclesiam, vt post nonullas vsurpationes Romanæ Ecclesiæ, oculos tandem aperiret, & sibi prospiceret coegisse. Scias vero etiam, hoc eodem tempore, inter Alexandrinam & Romanam Ecclesiam, non leue dissidium fuisse; ad quod componendum; Africana se Ecclesia interposuit; cuius canon ille est: [a] Placuit etiam, vt de dissensione Romanæ atq; Alexandrinæ Ecclesiæ ad Papam Innocentium scribatur; quo vtraque Ecclesia intra se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.] Hæc sane verba, Romanam magis, quam Alexandrinam accusant, & faciunt culpabilem; Sed quodnam fuerit hoc dissidium, mihi nunc est ignotum. Africana vero hæc resistentia, ne Episcopi Romam confugerent, Gregorij adhuc tempore perdurabat: Ille enim Exarcho Africæ scribit; vt, [b] Si qui desiderauerint ad Apo-

a *Concil. Afric. sub Bonif. c. 68.*

B stolicam sedem venire permittat, & obuiet impedientibus.

Theodoretus, dum de Nestoriana hæresi suspectus, & depositionem, & exilium immerito patitur, post voces querulas ad Romanæ Ecclesiæ opem implorandam confugit; vt ipsius innocentiam facto consilio cognoscat illa, & manifestet; cuius iudicium reliquæ etiam Ecclesiæ, & consequenter Imperator, sunt sequuturæ. Missaque in Occidentem legatione cum sua petitione; in literis, quas ad Leonem blandiusculè scripsit ante omnia in ipsarum exordio, encomium posuit Ecclesiæ Romanæ: nec non ipsius Leonis in ea residentis, quod tale est: [c] Si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi spiritus, ad magnũ Petrum cucurrit; vt ijs qui Antiochiæ comẽdebant, ab ipso afferret solutionem; multo magis nos, qui abiecti sumus & pusilli ad Apostolicam vestram sedem currimus. Vobis namque per omnia primos esse conuenit. Multis enim quibus superiores estis, ornatur vestra sedes. Alias siquidem Vrbes ornat vel magnitudo, vel pulchritudo, vel multitudo eorum qui inhabitant: nonnullas autem priuata dona quædam illustrant spiritalia: Vestræ vero redundantem bonorum copiam, dedit is qui est bonorum largitor, ea est enim omnium maxima & præclarissima, & quæ præest orbi terratum, & eorum, qui inhabitant, abundat multitudine. Accedit his hoc quoque, quod qui rerum potitus peperit Imperium, propria sua appellatione, eos, quibus imperat, impertijt. Præcipuè autem & insigniter eam exornat fides, & fide dignus testis Diuinus Apostolus qui clamat; Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Si autem diuinæ prædicationis, statim susceptis seminibus, mirabiles hos fructus, & tam vberes tulit; quænam ad eam, quæ nunc in ea versatur pietatem, laudibus celebrandam suffecerit oratio? Habet autem communium quoque Patrum, & veritatis Doctorum, Petri & Pauli sepulchra; quæ fidelium animas illuminant. Horum autem beatissimum par, & plane diuinum, exortum quidem est in Oriente, & radios omnem in partem emisit: In Occidente autem, prompto & alacri animo, vitæ suscepit occasum, & nunc illinc orbem terræ suis radijs illustrat. Hi vestram sedem effecere magis illustrem; ea est vestrorum bonorum colophon. Illorum autem Deus, nunc quoque sedem claram insignemque reddidit, cum vestram sanctitatem in ea collocauerit, quæ radios fidei orthodoxæ emittit.] In his Romanæ Vrbis & Ecclesiæ encomijs, nullum magni Papatus apparet iudicium; maximam enim eam laudem præter dignitatem sæcularem tribuit Romanæ Ecclesiæ Theodoretus, quod eam Petrus & Paulus sua prædicatione, suisque sepulchris illustrarint, aptamque reddiderint, quæ tutæ doctrinæ splendorem communicare posit Ecclesijs vniuersis.

b *Greg. lib. 1. ep. 72. ponitur 23. q. 4. c. Si Ecclesia.*

XXXVI.

c *Apud Baron. tom. 6. an. 449. num. 124.*

Et ad Renatum Presbyterum Romanum scribit: [d] Hac igitur de causa tuam oro sanctitatem, vt persuadeas sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo, vt Apostolica vtatur auctoritate, & præcipiat ad vestrum conuolare Concilium. Habet enim sanctissima illa sedes, omnium per orbem Ecclesiarum Ducatum, & Principatum, multis quidem de causis; præcipuè verò quod hæretica labe immunis permansit; & nullus, qui contraria sentit veritati, in illa vnquam sedit, sed Apostolicam gratiam, integram, & immaculatam seruauit. Quæ enim à vobis decernuntur, contenti his erimus, & illis acquiescemus, quæcunque illa fuerint, vestro iusto iudicio confisi. Et rogamus, vt ex ijs, quæ scripta sunt, iudicium proferatur.] Ducatum & Principatum per orbem Ecclesiarum, ponit Theodoretus in Romana sede, non iurisdictionis aut potestatis, aut Papatus absoluti; sed exempli duntaxat instructionis, & rectæ fidei explicationis; quatenus illa, quæ in fide incorrupta eousque manserat, Dux esset alijs, & Princeps in rectæ fidei professione & declaratione. Cum autem hanc dicat Theodoretus esse præcipuam causam Romani Primatus, & colophonem, aliam profecto hac maiorem non agnouit. Sed hæc causa Papatum non facit, vt constat. Si

XXXVII

d *Ibid. an. 114.*

enim

enim aliquando in fide nutabit, tota hæc ipsius laus peribit ; peribit & ducatus ; aliæ enim Ecclesiæ ipsam errantem amplius non sequentur Ducem, neque ad eam pro instructione confugient, & pro defensione veritatis. A

XXXVIII. Circa quinquagesimum Christi annum post Anastasij secundi mortem, inter [a] Symmachum & Laurentium pro Romano Episcopatu certatum est ; & vicit quidem Symmachus ; sed à Clero Romano, qui Laurentij partes sequutus fuerat, aliquandiu passus est persecutiones ; is enim crimina aliqua ei obiectabat, ob quæ Episcopatu indignum faciebat, eaque datis accusationibus vrgebat. Et ad hoc sæpius Romana Synodus est conuocata : & saue tertia Symmachum ab intentatis criminibus absoluit. Contra hanc Synodalem absolutionem clerus idem libellum edidit ; quem Aduersus Synodi absolutionem prænotauit. Libellus hic non extat ; nisi aliquot ipsius capita, quæ in eiusdem confutatione Ennodius Diaconus posuit. In hoc tamen libello, vt ex ijsdem capitibus constat, Papatus plurimum impugnatur ; adeo vt, vel ipse Romanus clerus vsurpationem agnoscat & profiteatur. Capita porro huius libelli ab Ennodio posita, & quæ ille conatur confutare, [b] Baronius & [c] Binius ad decem colligerunt ; ego vero 23. saltem inuenio ; & sunt ista. 1. Non omnes Sacerdotes fuisse ad illam Synodum à Rege Theodorico conuocatos : 2. Non omnes in absolutionem Symmachi consensisse. 3. Non fuisse accusatores Symmachi auditos. 4. Crimina illa cum non fuerint in Synodo reiecta, intelligi comprobata. 5. Perperam Episcopos illos negasse Regi potestatem Synodi conuocandæ. 6. Si detur Episcopo Romano Priuilegium, vt non possit iudicari ; certe hoc priuilegium dare ei licentiam peccandi. 7. Factum pugnare cum priuilegio prætenso, quia ad Principem accesserunt, vt iudicium fieret. 8. Symmachum fuisse similem Esau, qui ob cibum primogenituram perdiderit. 9. Factum similiter pugnare cum priuilegio, quia in Synodo districte perductus est Symmachus ad iudicium. 10. Accusatores fuisse iussos præsentari, quos sæpe Imperialis flagitasset autoritas. 11. Petrum, & Paulum, & Samuelem non refugisse iudicia, cur Symmachus refugiat ? 12. Nouum esse vt Papa, in propria causa, in qua reus sit, ipse connocet Synodum. 13. Falsum esse quod dicunt Episcopi, à Principe, ea quæ in præfato negotio scripta sunt, fuisse postulata. 14. Symmachum populo circumuallatum, iudicium præueniendo intrasse : postea quater euocatum venire renuisse. 15. Etiam mulierum turbam Symmachum ad iudicium comitatam. 16. Indicta causa, derelictis defensoribus, Papam discessisse. 17. Cum accusatoribus noluisse Papam, aperta pugna confligere. 18. Prius de causa in Synodo tractatum, quam Synodus haberet firmitatem. 19. Præsentiam Papæ non dare Synodis, quæ per Prouincias ex Canonum præscripto agitantur, valetudinem. 20. 21. Circa Visitatorem à Rege prius contra Symmachum datum. Et solitum contra alios etiam Episcopos à Principe dari. 22. Eulalij & Bonifacij tempora innouari. 23. Exemplis Euangelicis ipsam causam probari. B C D

[a] Synod. Rom. sub Symmacho. & Ennod. Apolog.

[b] Baron. tom. 6 an. 503. nu. 3.

[c] Binius in notis ad Apologeticum Ennodij.

XXXIX. Ad hæc capita Ennodius respondere conatur. Fatetur tamen fuisse etiam alia, ait enim : Reliqua obiectionum vestrarum capita non reuoluam ; præstat silentio damnanda sepeliri. Nobilitatem dat facinoribus, qui ventilationem ipsorum multiplici, ad aures posteras, relatione transmittit. Beati Pauli est sequenda sententia ; qui monet per Discipulum cunctos & clamat ; [d] Inanes quæstiones euita, Multa enim sunt in vestris propositionibus, quæ ita fæculentis vlnis peccandi amor amplectitur, vt fiant indigna memoratu. Plura leuitas dehonestat ; dum subductis euiscerantur verba vestra ponderibus ; & de religionis causis elocutio ventosa componitur ; auris congruenter sortita grauitatem, quæ in palearum abundantia nihil est horreis illatura de tritico ; dum infœcundam frugibus, culmorum parturit vbertatem ; & spem de herbæ luxuria mentitur agricolis ; de quibus nihil lucri ventilabra reperiunt igni debita, incendioque peritura. De his scriptum est : [e] Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt. E

[d] 1. Tim. 6.

[e] Psal. 75.

XL. Oportet ergo libellum illum fuisse valdè plenum argumentis Papatum destruentibus : quæ quia Ennodius soluere non poterat, fumosis hisce verbulis obtegere curauit ; nam etiam in confutationibus eorum capitum, quæ confutanda commemorat, præter inania verba, & conuicia immania, ego nihil inuenio. Certe capita 6. 7. 9. 11. 12. 19. directè Papatui, & supremo illi Primatui, quem iam tum Romani Pontifices in aliquot causis vsurpârant, derogant plurimùm ; & in his libellum fuisse vehementem, confirmant illa Ennodij verba, de ipso Papatu proculdubio aduersus libellantes Clericos Romanos prolata. Arcem qua fustis

A fuistis, *inquit*, conspicui, crebris labefactatam ictibus, nisi obsisterem, proposuistis subruere; & cœlo stabilitam machinam, quanta sit ostendere per ruinam. Nolite præstolari de clade vestra victoriam; nolite triumphum superando perdere, meis laboribus, meo sudore quæsitum. Quicquid ad triumphum ducit, obtinui: quicquid vos illustres faceret in sede congessi. Vobis tribuit claritatem fax ista, quam viperino liquore putatis extingui. In perniciem propriam accenditur, qui sic sæuit in gratiæ suæ germina, vt plantas abscindat.] *Item*; In his quæ secuta sunt, locum sermonibus non relinquam; quia hæc refero mundi caput Romam, per vestras intentiones esse prostratam; & nutricem Pontificii Cathedram, quasi vltimum videre sedile despectam.]

Sed ista, inquiunt, à schismaticis sunt dicta: qui postea Ennodii apologetico conuicti, ad [a] pacem redierunt; & Symmacho se humiliter subdiderunt. Ego sanè in hac litis parte iu- B dex nolo sedere; sed profectò cerno & Regem Theodoricum, & Patres illos, illarum quatuor, vel quinque Synodorum potius accusationes, & crimina suppressisse; & alta silentii scrobe suffodisse, quam ventilasse, aut iudicasse: Clericorumque obiectionibus, ne minima quidem ex parte fuisse ab Ennodii verbosissimo apologetico satisfactum: propterea que non tam facilè Clericos illos schismatis condemnabo. Sed fuerint sanè schismatici, erant tamen Clerici, & sanè Clerici Ecclesiæ Romanæ Cardinales; & hi Papatum oppugnant; eaque aduersus Papatum proferunt, quæ neque diluta sunt, neque dilui vnquam poterunt: vt adhuc melius libro octauo ostendam. Quod si pacis & concordiæ amore, ijdem prudenter acquieuerint potius, quàm scissionem magnam facerent; non propterea in Papatum consenserunt; sed Symmachum, vt Episcopum Romanum coluerunt; vt Papam vniuersalem tolerauerunt: alioquin quæ dixerunt in libello retractare debuissent; & veritate falsitatem exarmare: quorum tamen libellus non confutatione sufficienti, sed compressione, oc- C cultatione, obliuione delectus est. Et non nisi patentissimæ veritatis effectus fuit, quod eo tempore Clerus Romanus in Papatum sui Episcopi insurrexerit; & suprematum illum impugnârit; qui si verus fuisset, & à Christo institutus, perpetuoque ab Ecclesia agnitus, indubitatusque reputatus, nulla certè malitia, nullum odium, nullum ingenii acumen contra veritatem cœlitus delapsam rationes impugnatorias adeò validas, ac inconcussas suggerere potuisset. Sed quia Papalis hæc elatio erat recens; non odium, neque schisma, sed zelus, & ratio, veritatis elicuit in Clero professionem; quam veritatem nihil profectò aliud quàm ambitio, & assentatio Ennodii, solis vocibus, imò nugis comprimere satagebat. Sed & ipsamet Symmachi absolutio Papatum, vt mihi videtur, totum destruit. Synodi absolutoriæ verba sunt; [b] Vt Symmachus Papa, sedis Apostolicæ præsul, ab huiusmodi propositionibus impetitus — sit immunis, & liber; & Christianæ plebi, sine aliqua de obiectis oblatione in omnibus Ecclesiis suis, ad ius sedis suæ pertinentibus, tradat diuina mysteria. — Vnde secundum Principalia præcepta, quæ nostræ hoc tribuunt potestati, ei quicquid Ecclesiastici intra sacram vrbem Romam, vel foris iuris est, reformamus.] Depositus violenter fuerat, restituitur in integrum. Nunquid in Papatum vniuersalem totius Ecclesiæ vniuersalis? Minimè verò, sed quicquid depositione amiserat, explicatur per ius Ecclesiasticum in ea, quæ Romæ habebat, & extra in Ecclesias suæ sedi Metropolitico iure subiectas; & hoc ius ei restituitur. Obserua etiam obiter, quæso Lector, Synodum suam hanc potestatem ad hanc restitutionem faciendam, à præcepto Principali, hoc est Regio, se habuisse fateri.

XLI.

[a] *Baron. vbi supra nu. 10.*

[b] *Syn. 4 Rom. sub. Sym.*

Gregorium varijs occasionibus, iam vidimus, aliis modestiorem; & sola penè vniuersali quadam superintendentia, de qua agam cap. 9. excepta, ille videtur perspectissimum habuisse, in Ecclesia Christi Papatum non esse, vt vidimus cap. præcedenti: seq; supra alios E Episcopos, præsertim extra ipsius Prouinciam Romanam, non habere dominium vllum; sed Episcopos omnes, iure diuino, esse etiam cum Romano æquales. Atque vt adhuc melius hæc Gregorij modestia, & à Papatu remotio nobis innotescat; consideremus quæso inter alias in hoc genere ipsius Epistolas, eam, quam ad Carthaginensem scripsit Episcopum; qui tamen ad Romanum Patriarchatum pertinebat; in quo non obedientiam vt superior, sed charitatem duntaxat, vt in fratre, postulat, & requirit. [c] Per hanc, *inquit*, vniuersalis Ecclesiæ vnitas, quæ est compago corporis Christi, exæquatione mentis gaudet in singulis; cum sit ei disparitas in diuersitate membrorum. Per hanc eandem membra, & alieno gaudio in his afflicta exiliunt; & alienis mœroribus etiam in suis læta contabescunt.] Quærant, imo definiant nunc nostri Monarchici vnitatem Ecclesiæ, per obedientiam subiectionemque sub vno Capite visibili, Romano scilicet Pontifice: certe Gregorius

XLII.

[c] *Greg. l. 2. Ind. 10. Ep. 39.*

cum tota sana Ecclesia, vnitatem ponit in charitate; quia omnes Ecclesiæ inter se, tanquam membra communicant, & diligunt; & inter has omnes à Gregorio ponitur etiam Romana, tanquam vna alijs consors, ac commembris; & non tanquam caput, quod in membra influat; aut membris dominetur. Imo vidit vir sanctus vnitatem hanc rumpi, vel maxime, & impediri, si Romanus vellet sibi Ecclesias reliquas subiugare; quod iam à prædecessoribus suis actitatum, vel attentatum cernebat; ideoque subdit, Sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs sua iura seruamus; nec cuilibet, fauente gratia, vltra quam meretur impartior; nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu stimulante derogo; sed fratres meos per omnia honorare cupio.] Ambitionis stimulos prominentes in suis obseruarat prædecessoribus; quorum nonnulli sibi in omnes Ecclesias imperium, etiam diuino iure obtento arrogabant; ac inde iuribus proprijs singulorum Episcoporum derogabant: sed æqua huius Pontificis mens, & à Papatu superbissimo aliena, iam nobis maxime patuit cap. præcedenti; vbi Oecumenicum titulum tantopere exagitauit.

XLIII. Idem quoque Gregorius fraterna correptione perculerat Natalem Salonitanum antecessorem meum: ipse vero ægre ferens acrius per literas responderat, pupugeratque Gregorium; quod herilem forte quandam superioritatem in eum exercere videretur; & locum Pauli obiecerat: [a] Qui non manducat, manducantem non iudicet; Respondet Gregorius illud Pauli dictum incongrue à Natale obijci; [b] quia neque ego, *inquit*, non comedo; neque ad hoc à Paulo dictum est, vt membra Christi, quæ in eius corpore, id est in Ecclesia inuicem sibi charitatis compage connexa sunt; nullam de se vllo modo curam gerant.] Paritatem, fatetur qualis est inter omnia membra eiusdem corporis; sed tamen charitatis officio, non superioritatis, membra inter sese curam gerunt. Membrum Ecclesiæ Romanus; membrum Ecclesiæ Salonitanus Episcopus est. Hæc ergo Pauli sententia solummodo propter eos dicta est, (inquit Gregorius,) qui illos iudicare student, quorum sibi cura commissa non est; At postquam nos autore Deo, vnum sumus, si ea quæ nobis corrigenda sunt, taceamus, valde delinquimus. Ecce fraternitas tua ægre tulit de conuiuijs à me esse reprehensam; cum ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum.] Paritatem in omnibus Gregorius & agnouit, & confessus est cum Episcopo Salonitano; & solam in se curam mutuæ charitatis profitetur erga illam; ac tandem loco tantum, se illum transgredi affirmat; quod sit maximæ Vrbis Episcopus, ac iure Ecclesiastico ipsius Patriarcha; ille vero sub ipso Metropolitanus. Nam & alibi distinctionem hanc Hierarchicam Ecclesiastico iure introductam, appellat [c] locorum gradus, quos rationis ordo distinxit, & iudicia esse constituit.] & [d] Patriarchas ceteros loco suos fratres vocat. Et [e] Primatem in Africa non esse faciendum monet, ex ordine loci, postpositis vitæ meritis. Ita quoque Augustinus de Innocentio Papa ait: [f] Qui cum Irenæo, Cypriano, Hilario, Ambrosio considet; & si posterior tempore, prior loco.]

a Rom. 14.
b *Greg. l. 2. Ind. 10. ep 37.*
c *Idē l. 7. Ind. 1 ep 8.*
d *Idē l. 7. Ind. 2. ep 30.*
e *Idē l. 1. ep. 72.*
f *Aug. contra Iulian. Pelag. l. 1 c. 4*

XLIV. Rauennatis Ecclesiæ Episcopos non semel experti sunt Romani Pontifices aduersarios. [g] Maurus se nihil Papa Vitaliano inferiorem professus, ab eo Romam vocatus, vt se iudicio sisteret & causam diceret, non modo contempsit, sed etiam à Vitaliano excommunicatus, in eundem Vitalianum anathematis sententiam reciprocauit; quod olim fecerat Dioscorus quoque Alexandrinus in Papam Leonem. Quinimo annales Rauennatenses Ecclesiæ habent, eandem Ecclesiam se [h] Romanæ subiecisse, non nisi circa annum Domini 680. nec tamen de ipsius schismate præcedenti quicquam constat. Eandem ergo causam illam habuisse, & fouisse dicendum est; quam olim habuit & fouit, vt vidimus, Ecclesia Africana, & consequenter Papatum non agnouisse; sed vi tandem, & artibus Romanis cecidisse; cum tamen subinde suam libertatem recuperare, sed frustra tentârit. Quamuis enim ad ordinationem Romani Pontificis Rauennæ Archiepiscopus ab antiquo pertineret, tamen etiam in hoc aliquandiu Ecclesia illa noluit Romano subijci: nam scribit Anastasius Bibliothecarius, tempore Leonis 2. [i] per currentes diuales iussiones clementissimi Principis, restitutam fuisse Ecclesiam Rauennatem sub ordinatione sedis Apostolicæ; vt defuncto Archiepiscopo qui electus fuerit, iuxta antiquam consuetudinem, in ciuitatem Romanam veniat ordinandus.] Quia tamen in ipso ordinationis actu, vt supra monui, Romani Pontifices sibi professione & iuramento fidelitatis, ad modum Principum Laicorum, Episcopos subijciebant, [k] Felix non multo post Rauennas Archiepiscopus expressè negauit talem obedientiam & subiectionem; sed solam fidei suæ Catholicæ, de more antiquo Ecclesiæ, exarauit professionem, nulla subiectionis, aut homagij adiecta promissione. Sed & sua

g *Rubeus hist. Rauen. l. 4 & Baron tom. 8. an. 669. init.*
h *Apud. Baron. ibid. an. 680. n. 41.*
i *Anast. in Leone 2.*
k *Idem in Papa Constantino, & Baron to. 8. an 708. initio*

A & sua accepta sede, statum in pristinam libertatem se vindicare conatus est: At Imperatoris Iustiniani suo Papæ fauentis iram sensit & vindictam, vt tandem post exilium, & oculorum iacturam [a] sedem receperit; & chirographo suæ subiectionis Romanæ, Papæ morem gesserit. Quantum [b] Ioannes Archiepiscopus Rauennas aduersus Papam Nicolaum pugnarit, habent historiæ; Imperatore tamen Ludouico adnitente, vellet nollet, humiliatus est. De [c] Vuigberto, seu Guiberto Rauennatensi, non modo Ecclesiam illam denuo ad libertatem reuocante, sed etiam ipsam Romanam sedem aduersus Gregorium 7. occupante, nihil dico: sed illud addo, [d] Bremensem quoque Archiepiscopum eiusdem Gregorij 7. tempore, iugum Papatus Romani à ceruicibus suis excussisse. Quis verò nescit [e] Mediolanensem quoque Ecclesiam à Romana fuisse ducentis annis separatam? & [f] Aquilegiensem, cum alijs Veneticis, & Istrijs, pro tribus capitulis quintæ Synodi generalis, à Romano Pontifice descisse? Ac profectò huiusmodi aduersus Romani Pontificis supremitatem resistentiæ adeo frequentes, per singulas ferme ætates non contingerent, si ille supremates, iure præsertim diuino, esset in Ecclesia vniuersali cognitus, & vt legitimus admissus.

a Baron. ibid. an. 711. n. 14.
b Anast. in Nicol. & Baron. tom. 10. an. 861. num. 64.
c Greg. 7. l. 8. ep. 5. 12. 13.
d Greg. 7. l. 2. ep. 28.
e Platin. in Steph. 9.
f Pelag. 1. ep. 3.

B

XLV.

Hincmarus Remensis Archiepiscopus, in sua illa satis diffusa Apologia ad Nicolaum Papam, quia ius suum Metropoliticum tuetur; tametsi ex modestia, & prudentia verbis Papam leniat, primatumque ei tribuat; nihilominus etiam Primatum illum supremum non agnoscit, sed multis allegationibus nititur eum confutare, inter quas est & illa: [g] Summus Ecclesiæ Pastor docet; [h] si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus, [i] qui seruis suis commisit negotia sua, & vnicuique secundum propriam virtutem; sicut & de Spiritu Sancto scriptum est: [k] Quod dona diuidit singulis prout vult.] Et ex his optimè Hincmarus vult colligi, vnumquenq; Episcopum suam Ecclesiam administrare ex virtute diuina, & potestate ei à Deo tradita: & Christum vnicuique Episcopo commisisse suum negotium Ecclesiæ gubernandæ: omnesque Episcopos etiam cum Romano esse seruos Christi, & inter se conseruos, ad idem negotium à Christo positos; quorum vnusquisque à Spiritu Sancto habeat suam maiorem, minoremue institutionem, pro regenda sua Ecclesia necessariam.

g Apud Baron. tom. 10. an. 865. num. 46.
h 1. Pet. 4.
i Matth. 25.
k 1. Cor. 12.

C

XLVI.

Gerbertus Abbas, deinde Archiepiscopus & ipse Remensis, ac demum Papa Syluester secundus vocatus, edidit acta Synodi cuiusdam Remensis; in qua Arnulfo deposito, ipse factus est Archiepiscopus. Et quoniam qui Arnulfum defendebant, eo nitebantur argumento, Episcoporum nimirum, & alias maiores causas Ecclesiasticas ad Romanam sedem esse deferendas; quo etiam vt eadem causa deferretur, plurimum contendebant; aduersus hoc argumentum, quę Arnulfus alius, nempe Aurelianensis Episcopus sparim vel publicè, vel in priuatis congressibus protulerat, Gerbertus in vnum colligens, ad huiusmodi reduxit orationem.

D

XLVII.

[l] Nos, Patres Reuerendissimi, Romanam Ecclesiam propter B. Petri memoriam semper honorandam decreuimus, nec decretis Romanorum Pontificum obuiare contendimus: salua tamen autoritate Nicæni Concilij, quod eadem Romana Ecclesia semper venerata est; statuta etiam sacrorum Canonum, diuersis locis, diuersis temporibus, sub eodem Dei spiritu conditorum, in æternum valere præcipimus, & ab omnibus seruanda censemus. Duo autem sunt quæ magnopere à nobis præuideri debent; id est, si Romani Pontificis silentium, aut noua [1] constitutio, promulgatis legibus Canonum præiudicare potest. Si enim silentium præiudicat, omnes leges, omnia priorum decreta, eo silente silere necesse est: si autem noua constitutio, quid prosunt leges conditæ, cum ad vnius arbitrium omnia dirigantur? Videtis quia his duabus causis admissis, Ecclesiarum Dei status periclitatur. — Quid ergo? Num priuilegio Romani Pontificis derogabimus? Minimè. Sed si [2] Romanus Episcopus is est, quem scientia & vitæ meritum commendet; nec silentium, nec noua constitutio metuenda sunt. Quod si vel ignorantia, vel metu, vel cupiditate abalienatur, vel conditio inuidiam facit (quod fere sub hoc tempore vidimus Romæ tyrannide prævalente) tunc multo minus idem silentium, & noua constitutio formidanda sunt. Non enim is, qui quolibet modo contra leges est, legibus præiudicare potest. Sed ô lugenda Roma, quæ nostris maioribus clara Patrum lumina præbuisti, nostris temporibus monstruosas tenebras, futuro sæculo famosas offudisti. Olim accepimus claros Leones, magnos Gregorios, quid dicam de Gelasio, & Innocentio; qui omnem mundanam Philosophiam sua sapientia & eloquentia superant? longa series eorum est, qui sua doctrina mundum repleuerunt. Eorum itaque dispositioni, qui vitæ merito & scientia cun-

l Acta Syn. Rom. sub Arnol. an. 28.

1.

2.

ctos mortales anteirent, recte vniuersalis Ecclesia credita est; quamuis & in hac ipsa fælicitate, hoc priuilegium tibi ab [3] Africanis Episcopis contradictum sit; Has credo quas patimur miserias, magis quam typhum dominationis, formidantibus. Nam quid sub hæc tempora non vidimus? Vidimus Ioannem cognomento Octauianum, in volutabro libidinum, etiam contra eum Ottonem, quem Augustum creauerat coniurasse; quo fugato Leo Neophytus in Pontificem creatur; sed Ottone Cæsare Roma discedente Octauianus Romam redit, Leonem fugat, Ioannem Diaconum naso, dextrisque digitis, ac lingua mutilat; multaque cæde primorum in Vrbe debacchatus in breui moritur. Cui Benedictum Diaconum cognomento Grammaticum Romani substituunt. Eum quoque Leo Neophytus, cum suo Cæsare, non longe post aggreditur, oblidet, capit, deponit, perpetuoque exilio in Germaniam dirigit. Succedit Ottoni Cæsari Cæsar Otto; natura, ætate, cunctos Principes armis, consilio & scientia superans. Succedit Romæ in Pontificatu horrendum monstrum Malefacius, cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris Pontificis sanguine cruentus. Sed hic etiam fugatus & in magna Synodo damnatus est. Post obitum Diui Ottonis Romam redit, insignem virum Apostolicum Petrum, Papiensis Ecclesiæ prius Antistitem, data Sacramentorum fide, ab arce Vrbis deijcit, deponit, squallore carceris affectum perimit. Num talibus [4] monstris hominum, ignominia plenis, scientia humanarum & diuinarum rerum vacuis, innumeros Sacerdotes Dei per orbem terrarum scientiæ & vitæ merito conspicuos, subijci decretum est? Quid est hoc Reuerendissimi Patres, vel quonam vitio fieri credendum est; vt caput Ecclesiarum Dei, quod in sublime erectum, gloria & honore coronatum est, ita in infima deiectum, ignominia & dedecore deturpatum sit? Nostrum nostrum hoc est peccatum; nostra impietas; qui quærimus quæ nostra sunt, non quæ Iesu Christi. [5] Si enim in quouis ad Episcopatum electo, morũ grauitas, vitæ meritũ, Diuinarum ac humanarũ rerum scientia subtiliter inuestigatur; quid in eo qui omnium Episcoporum magister videri appetit, inuestigandum non est? Cur ergo in summa sede sic infimus constituitur, vt etiam in Clero nullum habere locum dignus inueniatur? [6] Quid hunc, Reuerendi Patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea & auro radiantem, quid hunc, inquam, esse censetis? nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in Templo Dei sedens; & se ostendens tanquam sit Deus: si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur, in Templo Dei, tanquam statua, tanquam Idolum est; à quo responsa petere, marmora consulere est. Quo ergo consultum ibimus? Euangelium docet quendam in ficulnea ter fructum quæsijsse; & quia non reperit, succidere voluisse; sed admonitum expectasse. Expectemus ergo Primates nostros quoad possumus; atque interim Diuini verbi pabula vbinam reperiri valeant inuestigemus. [7] Certe in Belgia & Germania, quæ vicinæ nobis sunt, summos Sacerdotes Dei, in religione admodum præstantes inueniri, in hoc sacro Conuentu testes quidam sunt. Proinde si Regum dissidentium animositas non prohibeat, inde magis Episcoporum iudicium petendum fore videtur, quam ab ea Vrbe, quæ nunc temporis venalis exposita, ad nummorum quantitatem iudicia trutinat. [8] Sed cum hoc tempore Romæ nullus pene sit, vt fama est, qui literas didicerit, sine quibus, vt scriptum est, vix ostiarius efficitur; qua fronte aliquis docere audebit, quod minime didicerit? Ad comparationem quippe Romani Pontificis in alijs Sacerdotibus ignorantia vtcunque tolerabilis est; in Romano autem, cui de fide, vita, moribus, disciplina Sacerdotum, deque vniuersali Ecclesia Catholica iudicandum est, intolerabilis videri potest. Is enim est, vt quibusdam placet, qui secundum Ezechielem [a] Prophetam, moratur in Gazophylacio, quod respicit viam meridianam, & excubat in custodiis templi. Cur autem loco prior, scientia inferior, non æquo animo ferat iudicium loco inferioris scientia prioris? Certe ipse Apostolorum Princeps non abnuit iudicium, quamuis loco minoris Pauli, scientia prioris, in faciem sibi resistentis; quoniam non sana videbatur doctrina magistri. Sed esto ponamus nunc Romæ esse Damasum; quid contra eius Decretum actum est? Nempe, si bene recordor, primũ capitulũ fuit; quod Episcoporũ & summorũ negotiorũ Ecclesiasticorũ causæ semper ad sedem Apostolicam sint referendæ. Vtiq; relatæ; non solum ab Episcopis; sed etiam à Principe nostro sereniſſimo Hugone scilicet Rege; liberaque potestas sedi data est Apostolicæ, & vera inuestigandi & cognoscendi & dijudicandi, per temporum interualla nimis prolixa. Nec prius ad causã accessimus quã desperatione iudicij eius protraheremur. Cõsultus est ergo Rom. Episcopus vt oportuit, & de huius Arnulfi depositione, & de eius qui domui Dei digne præesse posset substitutione. Sed cur [9] nihil respõderit, quorũ interest, ipsi viderint.

A B C D E

a Ezech. 40.

A viderint. — Quid ergo si Barbarorum gladiis circumsæuientibus, licentia commeandi Romam includatur; vel si Roma barbaro cuilibet seruiens, motu libidinis eius, in aliquod regnum auferatur; num interim aut [10] nulla Concilia erunt; aut orbis terrarum Episcopi, ad suorum regum damna, vel interitus; ab hostibus disponendarum rerum consilia, & Concilia expectabunt? Sed ô infælicia tempora, quibus patrocinio tantæ frustrantur Ecclesiæ. Ad quam deinceps Vrbium fugiemus, cùm omnium gentium dominam, humanis, & diuinis destitutam subsidiis videamus? Vt enim planius dicamus, palamque fateamur post Imperij occasum, hæc Vrbs Alexandrinam Ecclesiam perdidit, Antiochenam amisit, & vt de Africa taceamus, & Asia, ipsa iam Europa discedit. Nam Constantinopolitana Ecclesia se subduxit: Interiora Hispaniæ eius iudicia nescIunt: fit ergo discessio secundum [a] Apostolum, non solummodò Gentium, sed etiam Ecclesiarum: Quoniam cuius ministri Gallias B occupârant, nos quoque totis viribus premunt; Antichristus extare videtur, vt idem Apostolus ait; Iam mysterium operatur, tantum vt qui nunc tenet teneat; donec de medio fiat; vt ille perditionis filius reueletur, qui aduersatur, & extollitur supra Dei nomen, Deique culturam; quod iam in aperto fit, vt Romana potentia conquassata, religione profligata, nomen Dei frequentibus periuriis impunè humilietur, ipsius diuinæ religionis [11] cultus etiam à summis Sacerdotibus contemnatur. Ipsa insuper Roma, iam penè sola, à se ipsa discedit; dum neque sibi, neque aliis consulit.]

Interserit inter hæc suas Baronius confutationes; & in Gerbertum declamationes; in ea loca potissimùm, quæ nos numeris distinximus. Ad 1. [b] Opponit potestatem Papæ esse supra Canones, & supra Concilia: quod esse falsissimum, suis à me locis ostenditur.

Ad 2. sic opponit; [c] O fatua, ac deridenda potiùs, quàm confutanda inanis assertio; dum vult in vitæ moribus, & in scientia esse autoritatem Pontificis: quibus si careat, pariter cadat ab omni Pontificia autoritate; Et vbi illud Domini; [d] Facite quæ vobis dicunt, & C non quæ faciunt? quasi potestas sit ab homine, non à Deo. Et vbi illud Apostoli; Non qui plantat, &c?] Sciat tamen Baronius, non solùm potestatis defectum irrita facere quæ fiunt; sed etiam abusum, & excessum nimium potestatis. Episcopus enim qui vel ex imperitia, vel ex malitia, & animi impotentia, alijsque perturbationibus, in grauissimi momenti rebus, in quibus Ecclesiastici regiminis cardo vertitur, attentat aliquid, quod sit contra ius, contra fas, contra leges Ecclesiæ, (quibus Episcopus quisque etiam Romanus ligatur, vt ostendam ego libro octauo) is profectò nihil facit; ac ipsius acta nullius sunt roboris, atque momenti, ipsoque iure nulla. Et hoc Gerbertus considerabat.

Ad 3. Ea quæ de Africanis Episcopis commemorantur; remittit Baronius ad suos tractatus hac de re, qui nimirum habentur tomo 5. an. 419. contra quos ego paulò superius, in hoc ipso capite egi, nu. 28. & seqq. & quæ Gerbertus commemorat, confirmaui.

D Ad 4. [e] Vtique, *inquit*, Nam si prauos dixeris, Apostolus hoc indixit, dicens; [f] Obedite Præpositis vestris, etiam [g] discolis addit Petrus; Eo quod [h] omnis potestas à Domino Deo est: & vt doctus subiiciatur indoctis, ille qui dicit; [i] Discite à me quia mitis sum, & humilis corde; exemplo monstrauit, quippe qui cùm esset ipsa sapientia increata, & æterna, subditus [k] fabro erat. — De his breuiter velut transiens ago, cùm possem ipsum innumeris obruere sanctorum Patrum sententijs, hæc ipsa testantium.] Pessima est illa Baroniana coniunctio dicti Petri cum Pauli dicto; alter enim de spirituali Præposito loquitur, alter de Domino temporali: & Paulus non dicit; Obedite Præpositis vestris, etiam discolis; sed ijs qui inuigilant rationem reddituri pro animabus vestris. Si autem Præpositus talis non sit, qui ad hæc non inuigilat, sed stupris adulteriis, rapacitati, fastui, dominatui, & solis inhiet temporalibus, & pro scelesto ab Ecclesia dignoscatur; cùm tales non sint Pastores, sed lupi, & ad malum, non ad bonum inducant, eis parendum non est, neque sunt in E seriis cõsulendi, à quibus bonum, & rectum consiliũ non expectatur, vt docui lib. secundo, cap. quarto. Ecclesiasticis verò Præpositis parendum est, iuxta Dei præceptum. [l] Facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus; & docuerint te iuxta legem eius. Quasi dicat, si te docuerint aliquid, quod non sit iuxta legem, aut sit etiam contra legem, tunc non obedias; quia [m] oportet magis obedire Deo, quàm hominibus. Ita si Episcopus doceat secundum legem Domini, & iuxta sanctæ Ecclesiæ Canones; parendum est ei etiam discolo. Si autem ipsius pessimi mores eum à lege, & canonibus declinare fecerint (faciunt autem vt plurimum) stultum est eis in tali casu parere. Dum ergo Arnulfus, seu Gerbertus negant subijci bonos, & eruditos Episcopos illis monstris; intelligunt à talibus monstris non esse expectandum Pastorale, sed lupinum regimen; & ideo neque operæ-

[10] nulla Concilia erunt
[a] 2. Thessal. 2
[11] cultus
XLVIII. [b] *Baron. vbi supra nu. 14.*
XLIX. [c] *Ibid.* [d] Mat. 23.
L.
LI. [e] *Baron. vbi supra nu. 17.* [f] Heb. 13. [g] 1. Pet. 2. [h] Rom. 13. [i] Matth. 11. [k] Luc. 2.
[l] Deut. 17.
[m] Act. 5.

precium esse ad huiusmodi monstra, pro iudiciis, aut institutionibus fidei, bonæque disciplinæ recurrere. A

LII. Ad 5. [a] At quid, *inquit*, insultas in miseram? Perinde si ipsa esse velit, quod inuita interdum patitur omni ex parte lugubris; & non potius, ipsa reluctante, sit coacta ferre tyrannos Principes sæculi huius; qui eadem, quæ tu dicis, monstra in Romanam ipsam Ecclesiam intruserunt: Laude tamen etiam hac ex parte dignissima, quæ eiusmodi coniuncta monstris cum amatoribus non sit fornicata; nihil impium ex Hæreticorum doctrina suscipiens; sed vni viro, secundum [b] Apostolum, virgo castissima desponsata Christo, semper remanserit incorrupta.] Si Romana Ecclesia inuita cogitur in talia monstra consentire; cur quæ liberæ sunt, & suos habent optimos Pastores, sponte talibus se subijcient monstris? Concede ergo nobis Baroni; vbi vis absit, & tyrannis, Ecclesiam liberam, etiam Romanam, talibus se subdere monstris non debere: Et hoc sibi volunt Arnulfus, & Gerbertus. B

a Baron. ibid. n. 18.

b 2. Cor. 11.

LIII. Ad 6. [c] Quid facis, *ait*, ista definiens; vt dicendus non sit Episcopus, sed Antichristus; si destituitur charitate; & non Pastor sed idolum, cum & scientia caret? plane ista definiendo, tu definiris esse schismaticus, & hæreticus; teque ipsum in Donatistarum classem conijciens, atque intra Pelagianorum ergastula claudens; Orthodoxos omnes, tam Orientales, quam Occidentales Scriptores Ecclesiasticos, tibi constituis aduersarios; Concilia omnia, cunctaque decreta Pontificum, ipsam traditionem, vsum Ecclesiæ, ac denique (vt vna sententia perstringam) omnia quæ sunt, aut fuerant vnquam Ecclesiæ Catholicæ membra, in te concitas, quæ necesse est patiaris infesta, in omnibusque contraria; dum tam absurda proponis; vt defectu charitatis legitime ordinatus Episcopus mox transformetur in Antichristum; & scientia vacuus sit idolum; cum plane tu ipse ex his scientia vacuus dum appares, tua sententia esse conuincaris idolum; ex Sathana responsa depromens; & ipsissimus Antichristus; sentiens & prædicans contra Christum, qui [d] detestabiles Pharisæos, & scribas, quorum praua essent opera vitare admonens, vtpote mortifera, eorum tamen præceptis parere iussit: qui & suos elegit discipulos piscatores; humanis plane literis destitutos.] Sed ego quoque illiteratum & notorie ac insigniter scelestum ex Sanctorum Patrum dictis insinuaui [e] sacrum ordinem non suscipere; & sacrum ordinem posse amitti. Sed esto non amittat, Episcopus fiat lupus; cur non potest similitudine aliqua, si non vis reuera, merito dici Antichristus; qui Ecclesiam scandalizat, fœdat, & corrumpit? Et si vere illiteratus est; quid differt à statua? Nunquid Christus suum vult esse ministrum & operarium, qui ad operandum penitus sit ineptus? Pharisæis & scribis parendum; quatenus legem Dei docent, & iuxta legem Dei, vt modo dicebam instruunt. Interim bene habet, quod detestabilibus scribis & Pharisæis, Papam suosque assecias Baronius faciat parallelos. Sed quam legem explicabunt homines pessimi; nihil nisi humana sapientes, & præterea legis vndequaque ignari? Apostoli vero rudes quidem assumpti sunt; sed iussi sunt expectare in Ciuitate; quoadusque [f] induerentur virtute ex alto: Et non eos fore, qui loquantur, Christus dixit, sed [g] spiritum Patris in eis esse locuturum. O quam stulte comparatur Apostolorum ruditas naturalis, supernaturali tamen gratia illustratorum, cum ruditate eorum Pontificum, qui & naturali & supernaturali scientiarum dono destituti merito, nec ipso Baronio renuente, monstra appellantur? C D

c Sup. l. 2. c. 4. n. 6. 7. 9. 35.

d Matth. 23.

f Luc. 24.

g Matth. 10.

LIV. Ad 7. [h] Vnde tibi, *ait*, tanta facultas, homo inanis, vt pro arbitrio, quos velis Archiepiscoporum iudices deligas; & quis te docuit, pro ratione scientiæ iudicandi, potestatem in Ecclesia esse collatam; vt (secundum tuam sententiam) ille sit inter omnes Iudex habendus; qui scientia cæteros antecellit? O stoliditas, quæ omnem stultiam & amentiam superet; sui deformitate monstra omnia vincat; quæ vnquam portæ inferi parturierint.] Non verbis & conuicijs bone Baroni; sed Scripturis & argumentis esset agendum. Non ita insanijt Gerbertus, vt existimaret quemuis iurisperitum, qui sui ordinis alios legum scientia anteit, eo ipso iudicem fieri, & pro tribunali posse sedere; sed huiusmodi doctos, potius quàm bardos, & stupidos, qui Iurisconsulti nihil præter togam gestarent, nec ad responsa danda apti essent, adeundos & consulendos rectè censuit. Cum itaque cuilibet Ecclesiæ Catholicæ Episcopo optimè sciret illud, siue oneris incumbere, siue honoris deferendum, vt pro communi Episcopatus, cuius omnes ex æquo consortes sunt, compage ac vinculo, mutuis sibi inuicem, præsertim rogati, non desint consilijs, auxilijs, iudicijsque ac censuris, cum opportunum esset conferendis; ipse profectò Gerbertus meritò huic operi non splendidiores, non solo sedis honore inflatos, scientiaque destitutos, sed pruden- E

h Baron. ibid. n. 20.

A prudentiores, aptioresque adeundos iudicauit. Quod si hic furor est, aut stoliditas, certè cum Cypriano Carthaginis, imò totius orbis decore insaniuit: apud quem ea (quæ sæpius hoc in opere commemoro) sunt decantatissima. [a] Iccirco, frater charissime, (Romanum alloquitur Episcopum) copiosum corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque vnitatis vinculo copulatum; vt si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentauerit, subueniant cæteri.] Et [b] vna est Ecclesia à Christo per totum mundum in multa membra diuisa: Item Episcopatus vnus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.] Et, [c] Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.] Si ergo omnes Episcopi in solidum vnum Episcopatum, vniuersalem videlicet Ecclesiam regunt; & vbi vnus errat, aut consilio indiget, non ait, Romanus, sed cæteri subueniant; non fuit stolidus Gerbertus, vbi sensit ad circunuicinos Episcopos esse recurrendum; & ad eos præsertim qui doctiores sint, & disciplinæ Ecclesiasticæ tenaciores; nam ex hoc solo capite tutæ & incorruptæ doctrinæ, ab Apostolorum principibus acceptæ, Roma cæteras Ecclesias sæpe iuuit consilio. Si verò aut fidem corrumpat, aut abijciat disciplinam, cessat esse magistra, vt iam explicaui, num. 26. 37. & sequenti capite explicabo; & tunc ad alias puriores magistras est recurrendum. Non enim propter locum aut personam, sed propter doctrinam Romę fuit diu cæteris confugium. Iam vter ad Anticyras relegandus sit Gerbertus, an nostet Gerberti reprehensor, iudicet Lector.

B [d] Venalitatem vero Baronius in Crescentium conijcit, non in Papam. Ego venalitatem ab ipso Papa, & ipsius Curia Ecclesiastica, eiusdem culpa, & auaritia pependisse, pluribus docebo lib. 9. cap. 9. & Gerbertus iudicia Ecclesiastica queritur venalitate corrupta, quæ nihil ad Crescentium, qui seorsim potuit suam venalitatem in rebus ciuilibus exercere; seorsim verò illa in Ecclesiasticis regnabat. Et si Crescentius sua venalitate, etiam in rebus Ecclesiasticis se immiscebat; Pontificis sobrij erat reluctari, non cooperari: sicut enim in temporalibus poterat, ita in spiritualibus, & Ecclesiasticis, eum perferre non debebat.

C Ad 8. Pro diluenda obiectione de summa penuria literatorum, vnicum expiscatus est Baronius [e] Leonem, Abbatem Monasterij S^i. Bonifacij Apostolicæ sedis Legatum. At vnus nullus; imò cum ad Monachorum fuerit recurrendum Monasteria, facilè est colligere non modo tunc temporis Pontificem, sed & Clerum Romanum fuisse illiteratissimum. Neque verò de Papis hoc est adeò nouum, aut apud acerrimos Romanæ fidei ac Monarchiæ pugiles incredibile. Apertissima est Alphonsi Castrensis, in eo capite, vbi de Scripturarum interprete contra Lutherum, alioque disputat, de Papis concessio, vel potius contra Papas argumentatio. Verba ibi his oculis hæc lego. [f] Nam cum constet plures eorum adeo illiteratos esse, vt grammaticam penitus ignorent, qui fit vt sacras literas possint interpretari? Eam scilicet in summis Pontificibus, etiam pluribus agnouit Alphonsus insciti am, quæ in puerulo pudenda esset, verberibusque castiganda: parilem hic ex fama publica Ger-

D bertus in ipso summo tunc Pontifice meritò insectatur imperitiam, quæ in infima sacri chori cauda, nempe Ostiarijs, vix esset tolerabilis, ac ab extimo ostio ad intimam aram optimè exaggerat hanc Romani Cleri despicabilem ignorantiam; ex qua sedes illa certè prorsus inepta reddebatur, quæ se pro vnico totius Ecclesiæ oraculo, ac tribunali gereret, Ecclesiasticasque omnes ad se raperet controuersias terminandas.

Ad 9. [g] Sed quid inani, *ait*, tergiuersatione causaris, & in crimen adducis silentium Romani Pontificis? Non ne tua sunt verba recensita superius, non amplius quam triduo, responsionem expectare voluisse Legatos, cum in causa tam ardua tanti Archiepiscopi tantæ ciuitatis, ex Regio stemmate nati, per breuis videri debuisset mensium trium expectatio?] Sit verum quod dicitur de triduo, certè summam negligentiam, & oscitantiam Romanam in negotijs Ecclesiasticis suggillat Gerbertus. Si enim in eo triduo vidissent negotium iamdiu incœptum per literas, & nuncios resumi; spesque eis data fuisset futuræ ex-

E peditionis, legati non discessissent: sed viderunt alijs Papam præpediri negotijs, vt solebat, penitus terrenis; absque vlla spe iudicij consequendi; imò data opera silere: ideo cassa spe discesserunt. Gerbertus tamen per [h] decem & octo menses, ait expectatam fuisse Romanam sententiam.

Ad x. [i] fuerunt ista semper, *inquit Baronius*, in mundo prælia, hostes, tumultus; & Pontifices interdum exilio relegati; male mulctati, carceribus mancipati; sed nunquam legitur siluisse penitus ipsos, quod verbum Dei non est alligatum; nec ad longum temporis spacium eiusdem sedis Apostolicæ iudicia intercepta.] Et affert exempla sub Theodorico in Symmacho; & sub Longobardis in Gregorio. Argumentum tamen Gerberti adhuc hæret ac

a *Cypr. 3. ep. 13.*

b *Idem l. 4. ep. 2.*

c *Idem de simpl. Prael.*

d *Baron. vbi supr. nu. 21.*

LV.

e *Ibid. nu. 24.*

f *Alphons. à Cast. aduers. hæres. l. 1. c. 4. edit. Colon. an. 1543.*

LVI.

g *Ibid. nu. 26.*

h *Apud Baron. tom. 10. an. 995. num. 5.*

LVII.

i *Baron. ibid. an. 992. nu. 27.*

ret, ac responsum flagitat. Quia & contigit sæpe in persecutionibus sub Imperatoribus Ethnicis; & potest contingere sub aliis; vt Romana Ecclesia plurimum afflicta, vix sibi ipsi sufficiat, ne dum alijs. Ita sub Decio, & Valeriano, Carthaginensis opem ferebat Romanæ; & viceuersa, Romana subinde Carthaginensi; vt supra lib. 2. cap. 9. num. 11. Et eadem Carthaginensis Gallicanæ Ecclesiæ necessitatibus magis occurrit, quàm Romana; excitatque ipsam Romanam, vt simul insurgat: sup. lib. 2. cap. 6. num. 9. Polycarpus quoque Smyrnæ Episcopus; nec non Irenæus Lugdunensis, Romanæ Ecclesiæ opem ferunt; vt eodem lib. 2. habes cap. 7. num. 5. Et dum Romana sua pace fruitur in Oriente, aliæ laborant contra hæreses, & sudant, & Concilia congregant. Et quando Siluerius, quando Vigilius, quando Martinus, Roma in Orientem auocati, afflicti, deportati, exules, viduam penè Ecclesiam Romanam relinquebant, quid opis potuerunt in regimine & iudicijs, alijs exhibere Ecclesijs? Ita dormiente ac stertente sæpissime Romano Pontifice, nunquid propterea aliæ Ecclesiæ debent Ecclesiasticis negotijs supersedere, penitusque feriari? Theodoricus vero fuit Romanis Pontificibus valde obsequens; quorum opera coronam Imperij speraret. Longobardi autem temporalia quærebant; non impediebant spiritualia.

LVIII.

Ad xi. [a] Quid si etiam, *inquit*, (quod impossibile est) vel ad tempus defecissent ab ipsa illi omnes? Audi quid dicat Apostolus: [b] Quid enim, si quidam illorum non crediderunt nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Absit. Nunquid inanis euanescet promissio Dei, qua suam in Petro Ecclesiam stabiliuit dicens: [c] Tu es Petrus &c. Qui pereunt sibi pereunt; qui deficiunt sibi deficiunt; ipsa namque semper permanente, eadem subsistet Ecclesia; sicut luna non ita deliquium patitur vt deficiat, quæ eadem semper manet suo orbe perfecta.] Si deserere Romanam Ecclesiam, esset fidem Christi deserere; non male Baronius ita obijceret; sed ipsum Romanum Primatum, iam tunc etiam Ecclesiæ Christi tanquam tyrannicum, & scandalosum abijciebant; & à qua nullum amplius haberent rectum iudicium, nullam rectam institutionem; sed solo dominandi typho turgentem cernerent; necessarium imo pium esse putarunt, se ab eius communione diuellere. Vanaque est consolatio illa, ex Diuino Christi oraculo; Et portæ inferi non præualebunt &c. Hæc enim consolatio ad totam spectat Christi Ecclesiam vniuersalem; non ad vnam Romanam particularem; cuius exitium, etiam ante tempora Antichristi, à Spiritu Sancto prædictum vidimus ad finem tertij capitis huius libri. Et quæ sunt à me ibi, in hoc genere disputata; ea egregie vides hic à Gerberto confirmata. Quod vero profert vnicum [d] exemplum adhuc Romani confugij ex Anglia, sciat quando autumni tempore iam folia ex arboribus excutiuntur; etiamsi vnum aut alterum adhuc folium supersit, mox decisurum; verè dici tamẽ arbores suas comas deposuisse. Præterea negotiũ illud ciuile erat; vel potiùs merè charitatiuum, ad quod non requirebatur literatura vlla, præsertim sacra, nempe pacis conciliatio inter Regulum quendam & Marchionem. De quo sic Malmesburiensis, [e] Non passa sedes Apostolica duos Christianos digladiari, misit in Angliam Leonem Treuirensem Archiepiscopum, vt pacem componeret.] Dum verò hæc apud Malmesburiensem lego, miror ab eo hunc Ioannem 15. (eius legationis autorem) dici fuisse hunc de quo hic agimus Gerbertum: cum satis constet, Gerbertum se appellasse Syluestrum 2. qui Ioanni huic saltem tertius postea successit. Cur hæc non conciliauit Baronius? Nunc quoque profecto quando vel maxime Curia Romana frequentatur, Ecclesiastica vera negotia, hoc est merè spiritualia, perpetuum sustinere exilium norunt qui res vident Romanas: quia non nisi temporalia, & hæc ipsa per vim & vsurpationem, ad se traxit Papalis Curia: vt suis locis reddo manifestum. Quod ait de [f] Hispanijs, plus credo Gerberto asserenti, tunc iudicia Ecclesiastica ex interiori Hispania nulla Romam peruenisse, quam Baronio, ex vnico Decreto, in vltimo Hispaniæ litore, in ipsaque ipsius extremitate, nescio quo pacto, quod nihil ad iudicia spectat promulgato, contrarium euincere frustra enitenti.

a Baron. ibid. nu. 29.
b Rom. 3.
c Matth. 16.
d Ibid. nu. 29.
e Willelm. Malmes. de gestis Angl. l. 2.
f Ibid. nu. 30.

LIX.

In hac Gerberti, seu Arnulphi, seu vtriusque oratione, supponitur quidem Romæ Primatus aliquis Ecclesiasticus; non tamen iuris Diuini; sed Patriarchalis circa Primates, & Metropolitanos simplicis consuetudinis, & in solis iudicijs causisque interdum grauioribus; sed in his quoque ille ipse abijcitur ex causa & contemnitur. Quare hoc quoque testimonium magni viri in publica Synodo; qui paulo post ad summum ascendit Romanæ Ecclesiæ Pontificatum, ante sexingentos annos, Papatum nobis prodit potius vsurpatum, quam stabilitum. Cuius præterea alibi illa verba sunt contra illum Arnulfum, cui ipse fuerat subrogatus: [g] sed forte Apostolica sedes nobis opponitur, tanquam ea inconsulta, summum

g Apud Baron. tom. 10. an. 995. nu. 5.

A mum hoc negotium discussum sit, vel ignorantia, vel contumacia. Certè nihil actum est, vel agendum fuit, quod Apostolicæ sedi relatum non fuerit; eiusq, per decem & octo menses expectata sententia. Sed dum ab hominibus consilium non capitur; ad filij Dei supereminens eloquium recurritur: [a] Si oculus, inquit, tuus scandalizat te, erue, & proijce illum abs te. Et fratrem peccantem coram testibus, coram Ecclesia commonitum, & non obtemperantem, decernit habendum tanquam [b] ethnicum, & publicanum] Bonum itaque censuit esse, etiam Romani Pontificis supremi in occidente Patriarchæ sententiam, in grauioribus expetere, non tamen necessarium, si ille oscitanter abnuat, vel differat; regulamque innuit iudiciorum, ex Euangelio potius, quàm ex Romano Pontifice esse petendam, assumendam, & sequendam.

a Matth.5.

b Matth.18.

LX.

B Ioannis xix. auro corrupti à Fulcone Andegauensi comite, indignitas stomachum mouit Ecclesiæ toti Gallicanæ; cuius ea occasione explicatum sensum, his verbis narrat Glaber Rodulphus, Monachus Cluniacensis; [c] Quod vtique audientes Galliarum quique Præsules, præsumptionem sacrilegam cognouerunt, ex cæca cupiditate processisse; dum videlicet vnus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creauissent. Vniuersi etiam pariter detestantes, quoniam nimirum indecens videbatur, vt ijs, qui Apostolicam regebat sedem, Apostolicum primitus, ac Canonicum transgrediebatur tenorem; cùm insuper multiplici sit antiquitus autoritate roboratum, vt non quispiam Episcoporum in alterius Diœcesi istud præsumat exercere, nisi Præsule, cuius fuerit compellente, seu permittente.] Et paulo post ita caput concludit: Licet namque Pontifex Romanæ Ecclesiæ, ob dignitatem Apostolicæ sedis, cæteris in orbe constitutis, reuerentior habeatur; non tamen ei licet transgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem Sicut enim vnusquisque orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex, ac sponsus propriæ sedis, vniformiter speciem gerit Saluatoris; ita generaliter nulli cõuenit quippiam in alterius procaciter Episcopi Diœcesi.] Ita profectò Papatum illum maximum, & Episcopatum vniuersalem non admittunt: siquidem Romanum Pontificem, ab alterius Episcopi cura repellunt.

c Glaber. l. 2. c. 4.

C

LXI.

Leo nonus cùm esset in Ecclesia Vormatiensi, Moguntinæ Diœcesis, ipso S. Stephani die, velletque suum Papatum exercere; Moguntinum Archiepiscopum inuenit sibi egregiè obnitentem; & in propria Ecclesia suam potestatem, spreta Papæ prohibitione exercentem. Rem narrat Abbas Vrspergensis in hæc verba; [d] Apostolico, & Imperatore, Natalem Domini cum diuino, & regio cultu Vormatiæ agentibus, Missarum celebratione in sancta die peracta, vt oportuit ab Apostolico, in sequenti die Luitpoldum Moguntinæ sedis Archiepiscopum in sua Diœcesi præcipuum; huic subrogauit officio. Qui peracta processione, & vbi ad hoc ventum est dicta oratione, postquam se in sua sede locauit; quidam ex Diaconis suis, Hunibertus nomine (sicut multi ob illius festi venerationem solent) lectionem decantauit. Quod quidam ex Romanis Papæ assistentibus vituperantes; & contrà Papam, quia Romano more non ageretur, obiurgantes; persuaserunt ei, vt ad eundem Diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cùm ille iuuenili more contemneret, iterum mittendo Papa interdixit. Qui mox eadem vocis sonoritate, qua prius cantauit: legendo decenter lectionem vsque ad finem perduxit. Qua finita, Papa illum ad se vocauit; & quasi pro inobedientiæ contumacia degradauit. Archiepiscopus verò misit ad illum, vt suum sibi redderet ministrum. Quod vbi Papa abnuit, Pontifex, vt erat antiquæ disciplinæ, licet ægrè, patienter tamen interim tacendo sustinuit. Perlecto autem Euangelio, & decantato Offertorio; vbi sancti sacrificij tempus aduenit; Pontifex (*Moguntinus*) in sede sua resedit; verè contestans, nec se, nec alium quempiam completurum illud officium, nisi reciperet processionis suæ ministrum. Quod vbi Apostolicus intellexit, Pontifici cessit, reinductumque ministrum continuò remisit. Quo recepto, debito se Præsul iniunxit officio. Qua in re, & Pontificis autoritas, & Apostolici consideranda est humilitas; dum & ille officij sui dignitatem defendere contendebat; & iste, licèt maioris dignitatis, Metropolitano tandem in sua Diœcesi cedendum perpendebat.] Hucusque Vrspergensis. Et quia hæc Baronium Monarchiæ defensorem plurimùm offendebant; cùm nihil aliud posset, ad solita se conuertit conuicia, & ait; Hic tu primum Vrspergensis schismatici flatus graue olentes, ex bile in stomacho putrescente spirantes odium in Romanos Pontifices experire; cuius inferius erunt confutanda mendacia, & arguenda iactantia.] Mendacia? sed quænam? Quantum video, in hac historia nullum potuit vel hîc, vel postea Baronius mendacium deprehendere. Sed ô iactantiam! ô schismatici flatus fœtorem! Certè, vbi vlla vel tenuis spirat aura Romano turbini aduersa, flatus audit schismaticus, ac ipsum Auernum olet. Scilicet tam facile est

d *Apud Baron. tom. 11. an. 1052. an. 14.*

D

E

cilè est Baronio quemuis Catholicæ libertatis spiritum vna voce retundere, ac dissipare. A

LXII. Non omittam Clericum Bambergensem Gunibertum, qui in Concilio quodam [a] Quintilineburgensi, in fauorem Gregorij septimi congregato, & Papatum extollente, in medium prosiliens, asseruit Romanos Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse; non aliunde concessum hæreditasse.] Huic annecto [b] Capitulum Franciscanorum, tempore Ioannis 22. Perusiæ celebratum, quod contra ipsum Ioannem insurrexit, quia ille ordinem ipsum Franciscanum impietatis condemnauerat, eo quod dicti fratres docerent Christum & Apostolos in tetris nihil proprij habuisse; quos ipse stolidas pecudes, pernicioſas vulpeculas, quæ simulata religone Mundo imponant, populumque fallant, appellabat. Atque in hoc Capitulo, suffragantibus vniuersis Theologis, scelus grauissimum dicti Pontificis ante omnia aperiunt: Quod videlicet auri pondus ingens, quod ab Orbe Christiano sub specie expeditionis Asiaticæ emunxerat, Sarracenis, vt Christianis Armeniæ, B qui ab eo compilari, atque venire detrectarant, arma inferrent, distribuerit; hincque Antichristi præcursorem eum vocant: inde ab eo ad totius Orbis Concilium generale prouocant; quippe Pontificem Romanum subiectum Ecclesiæ vniuersali, & non supra vniuersalem Ecclesiam positum, & agnoscebant, & profitebantur.

a Baron. to. 11. an. 1085 n. 5.

b Decretū Ludouici Imp. apud Auent. Anal. Boio l. 7.

LXIII. In Concilio Basileensi Ludouicus Arelatensis Cardinalis, eiusdem, cui præsidebat, Concilij debitum erga Episcopos respectum asserens contra Panormitanum, in hanc prorumpit querimoniam. [c] Quid hodie erant Episcopi, nisi vmbræ quædam? Quid plus eis restabat, quàm baculus, & mitra? Nunquid Pastores sine ouibus dici poterant, cum nihil in subditos statuere possent? nempe cum esset in Ecclesia primitiua Episcoporum summa potestas, hodie ad id venerant, vt solo habitu & redditibus superarent Presbyteros. At nos eos in statu reposuimus pristino, nos beneficiorum collationem ad eos reduximus, C nos eis confirmationem electionum restituimus, nos causas subditorum eisdem reddidimus audiendas, nos eos, qui iam non erant Episcopi, fecimus Episcopos.] Totam hanc Episcoporum depressionem procul dubio Papali tribuit vsurpationi, cui Concilium illud occurrebat.

c Æneas Sylvius de gest. Con. Bas. l. 1.

LXIV. His addo obseruationem Ioannis Auentini, qui vbi notauit sortem abiectam sui temporis Episcoporum, se, contra quam solebant prisci, Apostolicæ sedis gratia Episcopos nominantium, vt Episcopatus donum fauori humano acceptum referrent, cum tamen sapientiores priores se sola miseratione diuina Episcopos appellarent; (quod etiam nos lib. 2. cap. 5. num. 14. attigimus) ita pergit, [d] Non licebat tum Romano Pontifici, absque illorum, vtpote venerabilium fratrum suorum consilio, in cuiusquam prouincia quicquam attentare; nempe illi melius sui gregis mores cognoscebant; à Deoque se non ab hominibus destinatos existimabant. Si quippiam peccatum, aut temere actum fuerat, quod coarguendum foret, id primum ad suum gregis Pastorem referebatur, ilque primum cognoscebat; Romanus duntaxat admonebat: cuncta iure, lege, bonorum virorum ex prouincia arbitratu, & more maiorum ex communis consilij popularium Sacerdotum decreto agebantur. Nihil tumultu, armis, vi, dolo malo, potentia, seditione; vnius, paucorumue, pessimorum etiam temeritate, atque libidine gerebatur. Hoc institutum tollere & antiquare, Episcoporum autoritatem labefactare, ad vnius cuncta potestatem redigere complacitum est.] Optimo quidem iure Auentinus, cùm antiquorum Episcoporum solidam potestatem aperit, tum Papatus omnia in massam suam compingentis insolentiam, posterioribus sæculis inuectam insectatur: Interim tamen, quod nos etiam libenter asserimus, Romano Pontifici, siue Patriarchæ, ex more maiorum, hoc est consuetudine, statutoue Ecclesiastico, liberam concedit potestatem Episcopos monendi, ac, vt canonice negotia Ecclesiastica peragerentur, prospectandi. D

d Auent. anal. Boio. l. 7.

LXV. His iam subdo nonnulla eorum exemplorum in quibus ab Episcopis, & Concilijs Catholicis Papa Romanus corripitur, arguitur, increpatur, & cum res postulat, contemnitur. Sicut enim Petri Primatui plurimum derogat, Pauli illa seuerior admonitio, vt docui lib. 1. cap. 11. num. 13. ita Papatui etiam similes derogabunt admonitiones. Sanè Cyprianus [e] Cornelium, quanquam modeste obiurgat, quod ab ipso Cypriano excommunicatos audiret; vt vidimus supra num. 4. 5. 6. & inde hæreses ac schismata oriri insinuat, quod ipse Rom. Pontifex aliorum Episcoporum iudicijs non adhæreat, sed ea turbet; monetque eum, vt nulla cum abiectis ex Africa commercia copulet; nulla cum malis conuiuia, vel colloquia misceat. Acrius in Stephanum idem Cyprianus insurrexit; vt ibidem consideraui, quem satis etiam familiariter, ne dicam contemptim, habet. De eo illa quoque ad E

e Cypr. l. 1. ep. 3.

Pom-

A Pompeium scribens: [a] Et præcipit nihil aliud innouari, nisi quod traditum est; quasi is innouet qui vnitatem tenens, vnum baptisma vni Ecclesiæ vindicat; & non ille vtique, qui vnitatis oblitus, mendacia, & contagia profana, & motiones vsurpat. Nihil innouetur, inquit, nisi quod traditum est: vnde est ista traditio, vtrum ne de dominica & Euangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis, atque Epistolis veniens? ea enim facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur &c.] Aperte satis obnititur Stephano, nec ei vllo modo parendum esse censet; quanquam in ea controuersia de hæreticorum Baptismo, longè melius sentiret Stephanus, quam Cyprianus: Hic tamen illum errare omnino putabat. Et quoniam Stephanus volebat Cyprianum, & sequaces à communione Romanę Ecclesiæ separare, & schisma facere, oppositus se in hoc plurimum Cyprianus, idque effecit, vt in tanta dissensione caritas nunquam scinderetur. De qua re sic Augustinus: [b] Iam illa, quæ in Stephanum iratus effudit, retractare nolo; quia & opus non est. Eadem quippe ipsa dicuntur, quæ iam satis discussa sunt, & ea præterire melius est, quæ periculum pernicioſæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem, & abstinendos putauerat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem conuellere conarentur: Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis caritatis visceribus largissime præditus, in vnitate eis manendum putauit, qui diuersa sentirent. Ita quamuis commotius, sed tamen fraterne indignetur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, vt in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.] Si Romanum Pontificem Cyprianus Papatu vniuersali fulgere sciuisset, nunquam abiecta reuerentia in eum adeo exarsisset; sed zelum suum quantumcunque, vt videbatur, iustum omnino temperasset. Augustinus quoque si eundem Papatum admisisset, in hac centura aliquid de reuerentia Papæ debita innuisset: Atqui in ipta iracundia Cypriani plus laudat pietatem ipsius à schismate abhorrentis; quam zelum Stephani ad schisma propendentis.

B

C

Cyrillus Alexandrinus in ipto ferme suæ sedis initio, cum de restituendo in sacra diptycha nomine Ioannis Chrysostomi tractaretur; zelo Canonum feruens, ne depositus ab officio Episcopali, inter Episcopos habeatur, obstitit plurimum, licet tandem acquieuerit. In sua tamen illa resistentia, quia Innocentij Romani acta cernebat Ioannis depositionem rescindentia, ipsiusque conatum perspiciebat, quo hanc nominis Ioannis iam mortui in diptycha restitutionem vrgebat; quapropter Theophilum Cyrilli ipsius prædecessorem, idem Innocentius sua priuauerat communione, in eum excandescens, tacito nomine oblique inuehitur; ita ad Atticum Constantinopolitanum iam in hoc, Romano, sed inuitum cedentem rescribens; [c] Ne contra te ipsum celebres, & illustres eos, qui aduersandi studio, in partes discessere, neque vnquam iustum de scriptis iudicium accipiunt.] Et post pauca vbi illum adhortatus est, vt à restitutione illa Ioannis abstineat, ait; [d] Sed pauci fortasse hoc ægrè ferunt (permitte autem mihi vt liberè quæ volo dicam) omnes equidem saluos fieri optem. Si quis verò imperitia sua ab Ecclesia secedit; & illius constitutionibus refragatur, quæ eiusmodi hominis est iactura? An non ipse quoque Saluator nos ad ipsum ducens, & formam in omnibus præponens, conducibilia quidem ad eos qui cum accesserunt locutus est; inobedientes autem, & renuentes, discedere permisit? Atque tantum abest vt aliquam talium hominum rationem habuerit, vt etiam ad ipsos dixerit discipulos, An & vos vultis abire? Obsequentibus sane multum nos impendere curam æquum est: aduersarius autem & inobediens maleuolentiam ipse suam accuset, medicinam odio habens. Audiet verò ille iustum iudicem dicentem; Quandoquidem loquutus sum, & non obediuistis mihi, & extendi sermones, & animum non aduertistis &c. Nos quidem qui docemus, quibusnam rebus quis laudem sibi apud Deum paret, studiosè admodum id facere, atque instituere decet; atque cum Paulo resistentibus dicere, obsecramus per Christum, reconciliamini Deo: Inobedientes verò potestati Dei condemnare, illud vsurpantes: [e] Curauimus Babylonem, & non est sanata, relinquamus eam, quoniam peruenit in cœlum iudicium eius. Consequens igitur non est, propter aduersos quorundam sermones, (siquidem prorsus aliqui sunt) funditus Ecclesiasticas sanctiones conuelli; vt Laicus Sacerdotali dignitate enitentibus adnumeretur, & honorem eundem consequatur; Neque enim communem orbis vniuersi pacem; sed concisionem potius quidam vocent. Ego quidem tum demum obtinere debere, & nomen & rem ipsam pacis censeo, cum Sanctorum sententijs non aduersemur, neque illorum decretis repugnemus.] Hæc in Innocentium dicta esse à Cyrillo non negat [f] Baronius. Tu, Catholice lector, vide quo loco sit apud Cyrillum Papatus Romanus, cuius autoritate non modo nil mouetur, sed etiam eam penitus abijcit, & contemnit:

LXVI.

D

E

[a] *Cyprian ad Pompe. ep 74. ed Pamel.*

[b] *Aug. contr. Donatist. l. 5. c. 25.*

[c] *Apud Nicepb. l. 14. c. 27. & Baron. tom. 5. an 412. nu 55. & seqq.*

[d] *Baron. ibid. nu. 56. 57.*

[e] *Hierem. 51.*

[f] *Baron. ibid. nu. 61.*

contemnit: & Romani Pontificis, si ille sponte recedat, communionem pro nihilo ducit; eumque inter schismaticos reponit. A

LXVII. Anastasius Antiochenus satis pungenti [a] aculeo, Gregorium magnum Papam, reprehendit; vt ipsemet Gregorius testatur; cuius ipse Gregorius reprehensionem, æquo, vt par est, suscepit animo. Et septimus Gregorius, non minori æquitate, ab vno Episcopo [b] acriorem accepit reprehensionem. Et Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha, vehementius etiam ipse [c] Hadrianum Papam de Simoniaca prauitate suspectum coarguit; vt habebis infra lib. 9. c. 9. nu. 67. Gallicana Synodus quædam, Paschalem II. his verbis alloquitur; [d] Illud etiam cum debita reuerentia, vestræ suggerimus pietati; quod si nobis cum in his steteritis, si hoc sicut rogamus confirmaueritis, si deinceps ab ipsius crudelissimi tyranni, & Nunciorum eius literis, locutione, muneribus, abstinueritis, vnanimiter nos, sicut decet, habebitis filios & fideles: si vero, quod minime credimus, aliam viam aggredi cæperitis, & nostræ Paternitatis assertiones prædictas roborare nolueritis; propitius sit nobis Deus; quia nos à vestra subiectione & obedientia repelletis.] B

a Greg. l. 6. Indict. 15. ep. 24.
b Greg. 7. l. 9. ep. 31.
c Apud Baron. tom. 9. an. 787. nu. 96 & 97.
d Apud Baron. to. 12. an. 1112.

LXVIII. Robertum quoque virum sanctum Lincolniensem, quem cap. 5. præcedenti alia occasione commemoraui, huc addo; cui Papa Innocentius 4. sua Papali autoritate præceperat super quadam prouisione in sua Ecclesia facienda: cum eam iniustam sciret, & à terminis iuris exorbitantem, apertè negauit se pariturum; & literas ad ipsum Papam dedit spiritu verè Apostolico plenas; ex quibus paucula dicta excerpere placet, [e] Nouerit, *inquit*, discretio vestra, quod mandatis Apostolicis affectione filiali deuotè & reuerenter obedio: ijs quoque, quæ mandatis Apostolicis aduersantur, paternum zelans honorem aduersor & obsto. Ad vtrumque enim teneor ex diuino mandato. Apostolica enim mandata non sunt, nec esse possunt alia, quàm Apostolorum doctrinæ, & ipsius Domini nostri Iesu Christi — consona & conformia — non est igitur prædictæ literæ tenor Apostolicæ sanctitati consonus, sed absonus plurimum & discors. Primum quia de illius litera, & ei consimilium longè lateque dispersarum superaccumulato NON OBSTANTE, nec ex legis natur alis obseruandæ necessitate inducto, scatet cataclysmus inconstantiæ, — Non potest igitur sanctissima sedes Apostolica, aliquid vrgens in huiusmodi peccatum — vel mandare vel præcipere, vel quoquo modo ad aliquid tale conari. Hoc enim esset suæ potestatis — abusio, vel à throno gloriæ Domini nostri Iesu Christi omnimoda elongatio, & in Cathedra pestilentiæ pœnarum gehennalium, duobus prædictis tenebrarum Principibus (*Lucifero & Antichristo*) proxima coassessio. Nec potest quis immaculata & sincera obedientia — mandatis, vel præceptis, vel quibuscunque conaminibus vndecunq; emanantibus — obtemperare; sed necesse habet totis viribus contradicere & rebellare. Propter hoc — his quæ in prædicta litera continentur — vnice, filialiter & obedienter non obedio, contradico, & rebello. Nec ob hoc potest inde vestra discretio quicquam durum contra me statuere, quia omnis mea in hac parte & contradictio, & actio, nec contradictio est, nec rebellio. — Breuiter autem recolligens dico, Apostolicæ sedis sanctitas non potest, nisi quæ in ædificationem sunt, & non destructionem. Hæ autem, quas vocant prouisiones, non sunt in ædificationem, sed in manifestissimam destructionem; non igitur eas potest beata sedes Apostolica acceptare; quia caro & sanguis, quæ regnum Dei non possidebunt, eas reuelauit; & non pater Domini nostri Iesu Christi, qui est in cœlis.] Hactenus ex literis Roberti; de quo illud quoque scribit Paris, [f] Improbos autem Romanos, præceptum habentes Papale, vt eis prouideretur, quasi venenum odiuit serpentinum. Dicebat enim quod si animarum custodiam ipsis traderet, Sathanizaret. Vnde sæpe proiectis literis Papalibus Bullatis, talibus mandatis præcisè contradixit.] In hac pia vereque Episcopali constantia & vixit & mortuus est bonus hic & venerandus senex: qui optime nouerat inter Papatus morbum, & veram viuamque Ecclesiæ Catholicæ sanitatem, vtcunque tali labe pressam & diminutam, distinguere. Huius generis plura non desunt testimonia, quæ tamen tacitè præterimus. C D E

e Apud Matt. Paris. in Henr. 3 ad an. 1253.
f Ibidem ad an. 1251.

LXIX. Primatum etiam Romanum illum supremum, Episcopi illi plurimum deijciunt, qui se collegas, & æquales Papæ, & vocant & faciunt. Multa in hoc genere produxi testimonia lib. 2. cap. 6. num. 5. 9. 10. 11. Quibus adde, adhuc ex Cypriano; vbi testimonium, ait Cornelio Papæ: [g] Cum nobis & Ecclesia vna sit; & mens iuncta & indiuidua concordia; quis non Sacerdos in Consacerdotis sui laudibus, tanquam in suis proprijs gratuletur?] Et ordinarie Papam Romanum suum vocat [h] collegam. Sed respondet Baronius [i] voce collegæ, non semper significari in ordine pares; sed in ministerio consortes: siquidem

& Episcopi

g Cyp. l. 1. ep. 1
h Idem l. 3. ep. 21.
i Baron. tom. 2. an. 253. nu. 27.

A & Episcopi Presbyteros; & Primates suos suffraganeos solent collegas vocare.] Ego vero propterea in ordine inuenio paritatem, quia video in ministerio consortium; ordo enim ad solum datur ministerium, vt iam sæpius docui, & lib. 5. docebo. Ac propterea lib. 3. c. 1. Episcopos Archiepiscopis & Primatibus ac Patriarchis feci pares. Et siqua inter hos est disparitas, ea tota iure solo humano Ecclesiastico est posita & instituta; vt eodem lib. 3. cap. 2. & 10. demonstraui. Et Presbyteros in ministerio erga fideles feci similiter Episcoporum collegas l. 2. c. 3. & c. 9. cum tamen in potestate ordinandi, & in regimine Ecclesiæ, Presbyteri sint Episcopis, iure etiam diuino, inferiores.

Sed in illa etiam vniuersalis Ecclesiæ parte, quæ Romano paret Monarchatui, quàm inutilis, quàm pestifer, quàm pernicios⁹us sit ipse Papatus, præterquam quod tot ipsius abusus in præcedentibus libris à me suis locis positi, & adhuc in sequentibus multo plures ponendi manifestant; ex ipsorum nostrorum Monarchicorum ore operæprecium est audire: Duos duntaxat nunc affero, Iuonem, & Bernardum. Iuo ad Paschalem secundum, hæc scribit. [a] Quoniam vterinum filium Romanæ Ecclesiæ, testante conscientia mea, me esse cognosco; cum scandalizatur, non possum non vri, cum tribulatur, tribulor; cum detractorum liuido dente laceratur, disrumpor. Vnde suggero dulcissimæ Paternitati vestræ, vt si quæ, de partibus nostris accusandorum, vel excusandorum Episcoporum, vel aliorum hominum, ad aures vestras causæ perlatæ fuerint; non statim petitionibus eorum, qui, quæ sua quærunt, & non quæ Iesu Christi, acquiescatis; sed indulto congruo, & prolixo spacio, religiosorum, qui in vicina religione rem liquidè nosse possunt, testimonia requiratis; & ita cognita veritate, prout vobis Deus inspirauerit, iustè, vel misericorditer quælibet negocia terminetis. Ita enim bonam famam vestram, quæ sedi Apostolicæ valdè necessaria est, conseruando, multorum saluti prouidebitis; & æmulorum linguas à maledicto reuocabitis. Alioquin, si qua pudenda patris (quod Deus auertat) reuelata fuerint, non ea vt filij auersionis deridebimus; sed tamen ab huiusmodi admonitionibus, quas infructuosas videbimus, stylum, & linguam cohibebimus. Nec indignetur Sanctitas Vestra, si vt filius, talia suggero Paternitati Vestræ, quia multos amatores iustitiæ iam vidi, propter remissa flagitia, vel multorum dissimulata facinora, ori suo silentium posuisse; & à spe corrigendorum malorum plurimum defecisse.] Item ad eundem.

LXX.

a *Ivo Ep. 89.*

[b] Vt Cypriani verbis vtar; Si aliqua falsitas de me ad Apostolicam sedem præcesit; oportet vt veritas subsequatur; quæ latrocinia noctis detegat, & ordinem gestatum rerum lucidè aperiat. Nuper enim literas accepi à quodam adolescente Canonico Ecclesiæ nostræ, Charactere Apostolico signatas, quas cùm aperuissem, & perlegissem, multis de causis suspectas habui; existimans eas aut esse furtiuas, aut aliqua suggestione fallaci subreptas. ---- Præterea consuetudinem Apostolicæ sedis hactenus fuisse nec legimus, nec audiuimus, vt ad delationem vnius personæ, quàmlibet splendidę, sententia daretur in absentem; præcipuè qui nec auditus fuerat, nec vocatus. Cùm ergo de huiusmodi iure possim conqueri, & plurimum disceptare; malui tamen seruare humilitatem obsequentis, quam mihi arrogare solertiam differentis. ---- Ne ergo de cætero Ecclesia hac vana occasione perturbetur, flexis genibus cordis paternæ pietati supplicamus; vt causam, quæ semel decisa est propter cupidorum, & maleuolorum delationem non iteretis; & pacem quam nunc habet Ecclesia, non tantùm non concutiatis, sed etiam debito paternitatis affectu collaudetis; & de cætero senectutem meam propter superfluam, & impunitam appellatorum licentiam, vexari non permittatis. Dum enim premit nos à prælata potestate illata aduersitas, regendi in nobis debilitatur autoritas, cùm Ecclesiasticam in eos non audemus exercere disciplinam, qui eam aduersum nos appellant; non confidentia iustitiæ, sed pro dilatione sententiæ. ---- Si ergo aliquod temperamentum aduersus hæc incommoda non procuraueritis, & inueteratis dierum malorum, & indisciplinatis iuuenibus, qui vix sunt digni habere quæ habent, ne dum ambire quæ non habent vexandum me exposueritis; vnum restat mihi tutum, & totum consilium, assumptis pennis columbæ, à molestijs inutilibus auolare: & in solitudine montis requiescere, vbi expectem eum, qui saluum me faciet à pusillanimitate mentis, & inquietudine. Cùm & ante Episcopatum, & in Episcopatu, semper voluntas mea fuerit, magis in loco humili saluari, quàm in alto periclitari: & in domo Dei magis abiectum esse, quàm illis præesse, quibus non possem prodesse.] Et rursus ad eundem.

LXXI.

b *Idem Ep. 219.*

[c] Quoniam pro gratia nobis collata decorem Ecclesiæ Dei diligimus; multa inordinatè in eadem fieri vehementer dolemus. Qui in quibusdam subditis, cùm quædam illicita corrigere, vel cùm quosdam ad meliora promouere studemus, ipsi in stercoribus suis com-

LXXII.

c *Idem Ep. 110.*

putrescere cupientes, literas à sede Apostolica, nescio quibus subreptionibus impetratas, nobis deferunt ad palliandam malitiam suam, vel defendēdam inobedientiam. Vnde fit in Ecclesia mirabilis contemptus mandatorum Dei, & ineffabilis morum corruptela; cùm ibi inuenit quorundam peruersitas incorrepta confugium, vbi innocentia sola deberet habere præsidium. Et quod mirabilius, & miserabilius est; isti vitæ suæ curiosi corruptores, ab ipsis columnis gratanter audiuntur, cùm vitam religiosorum aliquibus maculis respergere moliuntur; quibus non est credendum de aliena iniustitia, quandiu non discesserint à sua. Cum itaque tam pro nostra insufficientia, quam pro subditorum duritia, prædictæ causæ, de fructu laboris nostri pene desperare nos cogant, onus, quod pene infructuose portamus, deponere sæpe deliberamus; & pennas columbæ nobis dari flagitantes, auolare à molestijs inutilibus, & in mentis solitudine quiescere præoptamus.] Grauissimæ Papatus molestiæ, ad desperationem optimum virum adducebant; per quas scilicet ei suam Ecclesiam regere non licebat.

LXXII. Bernardus verò plurima numerat incommoda, & mala intolerabilia, quæ miseri patiuntur multi, ex [a] appellationibus, quas Romanus Papatus Romam trahit: Ea ego commodiori loco lib. 8. recensebo. Quæ tamen de multis alijs Papatus abusibus Bernardus commemorat; hic appono. Ad Innocentium Papam ista scribit: [b] Fideliter loquor; quia fideliter amo. Nec enim sincerus est amor, vbi dubietatis scrupulus suspicionis fœcem retinet. Querimonia Domini Treuerensis non est eius solius, sed communis multorum; eorumque præcipue, qui sinceriori affectu vos diligunt. Vox vna omnium, qui fideli apud nos cura populis præsunt, iustitiam in Ecclesia deperire; annullari Ecclesiæ claues; Episcopalem omnino vilescere autoritatem; dum nemo Episcoporum in promptu habeat vlcisci iniurias Dei; nulli liceat illicita quæuis, vel in propria quidem Parœcia castigare; Causam referunt in vos, Curiamque Romanam. Recte gesta ab ipsis, vt aiunt, destruitis, iuste destructa statuitis; quique flagitiosi, & contentiosi de populo, siue de Clero, aut etiam ex Monasterijs pulsati currunt ad vos; redeuntes iactant & gestiunt se obtinuisse tutores, quos magis vltores sensisse debuerant. An non gladius Phinees promptissime, atque iustissime eductus fuerat ad condemnandum incestuosum concubitum Drogonis, & Milis? Sed confusus atque retusus, abijt retrorsum; scuto nimirum Apostolicæ defensionis opposito. Proh pudor, quos cachinnos res ista mouit, & mouet Ecclesiæ inimicis; eisque etiam ipsis quorum fortasse metu, aut fauore à recto tramite abducti sumus? Amici confunduntur; fidelibus insultatur; Episcopi vbique in opprobrium veniunt, & contemptum; quorum dum recta iudicia contemnuntur, vestræ quoque plurimum derogatur autoritati. Ipsi sunt enim qui honorem vestrum zelant; qui vestra pro pace & exaltatione laborant; fideliter quidem; sed vereor ne inefficaciter. Quid vobis vires minuitis? quid robur vestrum deprimitis? quousque retunditis arma fidelia militantia vobis; humiliatis cornua erecta vestræ virtutis & salutis? Plorans plorat desolationem suam apud Tullum Ecclesia S. Gengulfi, nec est qui consoletur eam. Quis enim se opponat brachio excelso, torrentis impetui, summæ arbitrio potestatis? Eandem se sustinere B. Paulus violentiam apud Virdunum conqueritur; Archiepiscopo iam non valente eum defendere ab insania Monachorum; quippe Apostolicis sustentationibus amplius confortata, quasi non satis per se insanirent. Quid quæso nouæ rationis tandem inuentum est, vt quod semel bonæ famæ, & vitæ canonicis vestra fuerat prouida, & necessaria dispensatione concessum, secundo confirmatum, tertio, vt aiunt, roboratum; rursum veniat in ius, reuocetur in discussionem? Siquidem & duo illa supra memorata, per vos nihilominus sancita, per vos & conuulsa dicuntur. Talibus hostijs non promeretur Deus, heu non placatur ira; non consiliatur gratia; non prouocatur misericordia. Pro his, atque similibus necdum auertitur furor Domini; sed adhuc brachium eius extentum, & virga illa apud Hieremiam vigilans super peccata nostra. Et quidem iratus est Deus schismaticis; sed Catholicis nequaquam propitius. — Alioquin videte quid illis Episcopatibus faciatis, Metensi scilicet, atque Tullensi; quia vt verum fatear, videntur esse absque Episcopis; & vtinam absque tyrannis. Tales cum defensantur, sustentantur, honorantur, fouentur; mirantur nimirum, & scandalizantur multi, qui illa in moribus & vita eorum certissime sciunt, quæ magis essent, non dico in Episcopis, sed etiam in quibuslibet sæcularibus damnanda penitus, & execranda; quæ quidem, & me scribere puduit, nec vos decuisset audire. Esto quod, nemine accusante, non possint deponi; nunquid tamen quos passim accusat fama, Apostolicæ sedis essent familiaritate speciali donandi, vel amplius exaltandi?]

[a] *Bernar. de consid. l. 3. c. 2.*

[b] *Bern. ep. 178.*

Et

A Et de quodam intruso, ad totam Curiam Romanam idem Bernardus sic scribit: [a] Quis tribuat vt aduersus fornicationem hanc, Phinees cum pugione procedat; aut viuat in sede sua Petrus; qui spiritu labiorum suorum interficiat impios? Multi clamant ad vos in toto corde suo, vt sacrilegium hoc digna animaduersione vindicare studeatis. Alioquin, dico vobis, scandalum magnum nimis erit in Ecclesia Dei; & timeo, ne Romanæ sedis autoritas grauem admodum iacturam, & detrimentum grande suscipiat; nisi in eum, qui peruertit generalem eius sententiam, vindicta processerit; & taliter, vt cæteri metum habeant. Quid enim de eo dicam, quod occultas, & verè tenebrosas literas habuisse se gloriatur Wilhelmus ille, vtinam à Principibus tenebrarum, non à Principibus Apostolorum: Et ecce audierunt filij incircumcisorum, subsannant Romanam Curiam; à qua, post datam tam manifestam sententiam, furtim datas esse aiunt contrarias literas. Quid dicam vobis? Si non vos vrit scandalum graue, quo scandalizantur non pusilli, sed magni & perfecti viri; si non compatimini pauperibus Abbatibus, quos à finibus terræ vocatio Apostolica Romam traxit; si non miserimini magnis & religiosis Monasterijs, quibus omnino sub incubatore illo destructio imminet; si (quod primum dicere debui) zelus domus Dei non comedit vos, nunquid vsque adeo inimici hominis versutia prævalebit, vt proprium quoque contemptum & infamiam hanc pessimam, Ecclesiæ Principes æquanimiter ferant? Quid enim si sacrilegam homo ille consecrationem recepit? Profecto longe gloriosius erit iam eleuatum deijcere Simonem, quam prohibere conantem. Alioquin quid facietis religiosis viris, qui omnino non inueniunt salua conscientia, vel ipsa communia sacramenta de leprosa manu suscipere? Ante, ni fallor, eligent fugere, quam dare manus morti, & exulare prius, quàm vesci idolothytis. Quod si contra conscientias suas coegerit eos Romana Curia curuare genua ante Baal, videat Deus, & iudicet: videat Curia illa
B
C cœlestis, in qua nulla poterit ambitione subuerti iudicium.]

[a] Idem ep. 235.

Ecce quàm ferùidè, quam interim cautè, ac timidè hi ipsi, qui communi temporum æstu abrepti, Papatum & admittebant, & defendebant, teterrimam illius dominatus luem sibi, alijsque grauem Orbi propalant, ac exprobrant. Qui enim vastam hanc, feralemque, quæ totum Ecclesiæ hortum miserè obumbrauit, arborem nonnunquam fouebant, ac rigabant, æquum certè videtur, vt amaros eiusdem fructus & ipsi ad nauseam vsque gustarent, & alijs etiam commune malum esitantibus, dentes suos per sympathiam, vel potius antipathiam satis molestam sentirent obstupescere. Quid mirum igitur, si in Catholicorum, præsertim posteriorum scriptis, perplexas sæpe, & sibi obuias, repugnantesque repetiamus sententias, erga Papatum partim blandas reuerentiaque plenas, partim seueras, hostiles, & iustæ libertatis aut vindices, aut iudices? Lupum auribus tenere se viderant viri pij, durisque vtrinque laborarant angustijs: Papatum nec tolerare potuerunt, propter
D manifestam, quæ eundem necessario inseparabiliterque comitatur, tyrannidem, ac Ecclesiæ oppressionem; nec tamen tollere valuerunt propter popularem illum, longeque diffusum errorem, ex quo erga sedem illam Apostolicam nimia reuerentia, terrorque superstitiosus pauidas hominum mentes inuasit, adeoque Papatum stabiliuit, vt si quis contra mutire auderet, statim in schismatis, ac fortè hæresis suspicionem raperetur. Viri itaque pij & Ecclesiæ bono studentes plerique, cum impares essent monstro huic delendo, in amaritudine animæ dolentes consederunt, ac ciuitatem sanctam captiuam quæstibus sunt prosequuti. LXXIV.

Si omnia, quæ ex antiquitatis monumentis erui possunt contra hanc Hieromonarchiam exempla in medium adducerem, & hoc nostri libri caput paginis nimis crescceret, & nimium fortè quibusdam viderer cupere, vt Romanum caput vibicibus vndique intumescens, ac vulneribus scatens fastidiretur. In paucis his, quæ allata sunt, vidimus in tenera Ecclesiæ
E penè infantia scintillas quasdam typhi Romani subinde erumpentes, dein imperfectum, ac semiuiuum huiusce belluæ fœtum, ac postea ipsa ambitionis ac superbiæ cornua magis magisque se protrudentia. Vidimus per omnes ferè ætates duellum Papalis insolentiæ, & Ecclesiasticæ libertatis. Vidimus hinc Romanos Pontifices omnem nauantes operam, vt vniuersam Ecclesiam suæ subdant potestati, adeoque se supremos, ac solos Ecclesiæ Dominos, ac Monarchas constituant: illinc Ecclesiam ipsam vniuersalem modo in hac, modo in illa sua parte capiti huic monstroso se membris superimponere nitenti obsistentem, suamque, quam à capite Christo deriuat, potestatem, ac libertatem tueri satagentem; omnibus denique modis immanem hanc vnius potentiam à se amolientem. Si igitur ex vsucapione, & præscriptione (quo speciosiorem nullum habent prætextum) Hieromonar- LXXV.

chicis iam agendum esset, ne possessionem quidem pacificam possunt obtendere, vtpote quæ sæpe multumque interrupta est, & violata: idque feliciter, quoties ad ius etiam factum accessit, & debita in singulis prouincijs iurium Episcopalium exequutio. Vbi verò oppressa Ecclesia iugum hoc à ceruicibus suis repellere non potuit, misera sustinuit onus hoc Aetna grauius, ac frequentes emisit seruitutis suæ doloriſque testes, in ore scilicet calamoq; filiorum suorum, nunc acres iustasque criminationes, nunc planctus & eiulatus. Quibus ego certè me excitari fateor, ac in partem publicæ querimoniæ aduocari, adeoque non posse reliquis lugubrem Ecclesiæ cantilenam concinentibus, meam qualemcunque non adiungere. O cæcitatem populi! O seruitutem Cleri! O morbum Christianitatis grauem, Epidemicum, nimisque verè Capitalem! Qui longe latiùs, quàm infelix olim Arianismus, grassatus est, Christique Ecclesiam pestifera contagione infecit ac miseranda dilaceratione debilitauit. Vt iam sanctissimæ Christi sponsæ schisma per summam vim iniuriamque dominetur. Schismatis audito nomine assurgunt, insurguntque nostri Romani, se solos schismatis hostes ferunt, solum clamant Papatum vnitatis vinculum, vnicumque retinaculum, ne in partes & frusta Ecclesia tota dilabatur. Ego verò Papatum schisma merum esse asserо ac [a] probo, factionemque se à reliqua corporis compage auellentem: Quæ quia per vim nefasque iamdiu prævaluit, Ecclesiæ nomen titulosque sibi soli arrogat, reliquos omnes cœtus, qui se huic separationi non adiungunt, pro schismaticis habet. Scilicet, Vt insani se solos sapere, alios omnes insanire somniant. Quod si male-sanum hoc Ecclesiæ supercrescens caput nomine, reuera membrum, idque tumidum, in locum suum debitamq; mensuram redigeretur, non dubito quin vniuersum Christianitatis corpus, vt vt partibus nonnulla diuersa sentientibus, & sensu suo abundantibus, pacis fraternæque consociationis vinculo sit cohæsurum, eiusque greges particulares, sine fastu supercilioso, alterum alteri in rebus controuersis libertatem placidè suauiterque indulturos. Vt enim ex discrepantibus de re dogmatica sententijs oriuntur schismata, ita vicissim ex schismate per vim & tyrannidem prævalente, augetur & acuitur animorum in controuersijs vel leuioribus, vel in vtramque partem disputabilibus, dissensio, propositique tenacitas. Hinc illa Ecclesiæ Orientalis & antiqua, & hodierna ab Occidentali etiam in dogmate obfirmatior auersio. Hinc certe Ecclesiarum quarundam ex illis quæ reformationis studio omnem cum Romanâ communionem abiecerunt, feruor & vehementia. Quæ Papatus omen, nomenque abominatæ, non modo ritibus omnibus antiquis, quod Papatum redolere viderentur, se denudarunt, (quod lib. 3. cap. 10. num. 44. attigi, & pluribus lib. 7. persequar) sed etiam in placitis quibusdam Theologicis, quæ nec quoad materiam grauia sunt, nec quoad diuinam reuelationem clara, semitam ingredi cupiunt calcatissimæ Ecclesiarum omnium Latinarum viæ contrariam. Atque hoc facere mihi videntur, non tam ex præteritæ seruitutis odio, quam ex præsentis, & adhuc stantis Papatus metu, vt ab hoste adeo potente longissimè fugiant, nec vllam redintegrandæ subiectionis spem porrigant. Quod si in ipsa radice, hoc est sede, vel potius solio Romani Pontificis hæc abominationis lues purgaretur, & ex communi Ecclesiæ consilio, consensuque auferretur hic metus, depressâ scilicet hac petrâ scandali, ac ad normæ Canonicæ iustitiam complanatâ, haberemus Ecclesiæ atrium æquabile leuigatum, ac pulcherrimis sanctuarij gemmis splendidissimum. Omnesque mutuam amplecteremur vnitatem in necessarijs, in non necessarijs libertatem, in omnibus caritatem. Ita sentio, ita opto, ita plane spero, in eo, qui est spes nostra, & non confundemur.

[a] *Huius lib. c. 2. num. 36.*

CAP.

CAP. IX.

Romanum Pontificem suis priuilegijs eminere.

SVMMA CAPITIS.

Romanus Pontifex nullum priuilegium potest habere iure diuino supra alios Episcopos, nec in potestate ordinaria Episcopali: sed iure tantùm Ecclesiastico in certis causis, num. 1.

Cura quædam, & superintendentia generalis super vniuersam Ecclesiam, peculiari quadam ratione ex quatuor capitibus conuenit Episcopo Romano à num. 2. ad num. 8.

Sed hæc cura generalis (quod est primum priuilegium) non facit Papam Dominum Ecclesiæ, sed purum speculatorem, ministrum, ac operarium, num. 10. 11. Sed neque solius Papæ est propria, sed omnibus Episcopis communis à num. 12. ad num. 16.

Secundum priuilegium Papæ in iudicialibus, num. 17.

Tertium circa communionem Ecclesiasticam, num. 18.

Quartum circa causas graviores, num. 19.

Quintum in recipiendis afflictis, num. 20. 21.

Alia omnia priuilegia, quæ plurima, vt prætensa numerantur, falsa sunt, & suis locis confutanda, numer. 22. 23. 24.

EPiscopus quisque in sua Ecclesia, & Diœcesi tota, est verus, & proprius Minister Ecclesiasticus, ad omnia Episcopalia munera exercenda, cum plenissima potestate regiminis: tota enim, vt vidimus cum Cypriano, Ecclesia, est vnus Episcopatus in plures Episcopos diuisus: & ita est cuique sua portio assignata, vt vnus alterum turbare nulla ratione debeat, aut iure possit. Eatenus itaque Episcopus est Episcopus, quatenus est actu Episcopus: actu verò Episcopus non est, nisi in ordine ad eam Ecclesiam, quam actu ipso regit. Si quis ergo Episcopus potest legitimè potestatem aliquam in partes, à sua propria cura remotiores; & in Ecclesias alijs proprijs subiectas Episcopis exercere; ea non erit protectò potestas ordinaria Episcopalis; quia licèt quilibet Episcopus sit totius mundi, in habitu Episcopus, vt docui libro secundo, capite 7. actu tamen Episcopus esse non potest, nisi ibi vbi actu ipso Episcopale munus legitimè administrat. Et hoc munus ordinarium cuiusque Episcopi proprium in sua Ecclesia est verbum Dei prædicare, docere populum, Sacramenta ministrare, Clerum ordinare, & regere, Ecclesiarum suarum curam habere, eis Ministros prouidere, temporalia in Clerum, Ecclesias, & pauperes distribuere, & similia; & in his muneribus ac officijs, nemo potest proprium Episcopum turbare. Vnde etiam optimè colligitur in Ecclesia vniuersali Episcopum vniuersalem nullum dari; quia illa à particularibus Episcopis tota regitur sufficientissimè, qui à nemine turbari debent. Erit itaque potestas alia ab ordinaria, ac ab Episcopali diuersa, quæ ab vnoquoque Episcopo exerceri non possit, aut non debeat; quæque extra propriam Diœcesim se extendat ad commune bonum; vt est ordinare Episcopos, eosdem errantes corripere, eorum actiones ad censuram reducere; illis negligentibus pro ipsis supplere, & similia: atque hæc sunt quæ ad Metropolitanos, Primates, & Patriarchas docuimus pertinere. Igitur quæcunque priuilegia habent Metropolitani in suis Prouincijs, ex Ecclesiastica consuetudine, & Canonibus; habet Romanus quoque Pontifex in sua Prouincia propria Romana. Quia tamen Patriarchæ (vt differui libro tertio, cap. 10.) alia adhuc priuilegia habent, in quibus superant ordinarios Metropolitanos; habebit etiam Romanus Pontifex omnia Patriarchalia priuilegia; puta [a] Pallium sibi subiectis Metropolitanis illud petentibus concedere; in Primatum [b] Ordinationibus partem interdum habere; Metropolitanos ipsos, vbi talis sit consuetudo, & sanè propinquiores duntaxat, [c] consecrare; eosdem à lege diuina, vel sacris Canonibus deuiantes corripere, & in officio continere; [d] controuersias inter eosdem exortas componere; causasque eorundem interdum audire, & decidere; totius Patriarchatus [e] Concilia conuocare; in Concilijs sui Patriarchatus generalibus primas tenere; & similia: de quibus iam in superioribus egi, agamque in subsequentibus alijs locis. Romanum tamen Patriarcham adhuc in quibusdam, peculiari quadam ratione, supra omnes, etiam Patriarchas excellere, iam ostendo.

I.

a *Supra l. 3. c. 11. nu. 26.*
b *Sup. l. 3. c. 12. nn. 45.*
c *Sup. l. 3. c. 10. nn. 22.*
d *Ibid. nn. 26. 28.*
e *Infra lib. 6. & 7.*

II. Totam vniuersalem Ecclesiam, à Christo Apostolis omnibus, & singulis æque commissam fuisse, & commendatam, & consequenter omnibus, & singulis Episcopis, Apostolorum successoribus, eiusdem totius Ecclesiæ curam quandam genericam imminere, satis est à me ostensum in præcedentibus: præsertim libro primo capite tertio, & libro secundo capite sexto & septimo, & libro tertio capite primo. Vt proprium sit officium cuiuscunque Episcopi, quando necessitas vrget, & datur opportunitas, cuicunque parti Ecclesiæ sanctæ laboranti succurrere, & suppetias ferre. Omnes enim Episcopi, vt dixi, vnius & eiusdem Ecclesiæ vniuersalis in solidum Operarij sumus & Pastores; sed commoditatis gratia, quisque suæ certæ Ecclesiæ particulari est alligatus. Hæc tamen generalis cura, quam vocare possumus superintendentiam, licet peculiari ratione adhuc magis ad Patriarchas pertineat, in Romano tamen, vel maxime vt excellere deberet, fecerunt olim hæc quæ subnotabimus. Primò summa Rom. Ecclesiæ autoritas; quam ex eo, quod esset Ecclesia à maximis Apostolis fundata, acquisiuit; vt supra cap. 3. est explicatum. In ea enim, & fidei doctrina, & Ecclesiastica disciplina supra modum excelluerunt; quandiu tantorum Apostolorum labor in suo fructu perseuerauit. Atque hæc Episcopo Romano, & gloriam magnam pariebant; & vt haberetur ferme oraculum totius Ecclesiæ singulare efficiebant: Et hoc priuilegium erat, vt dixi, ipsiusmet Ecclesiæ Romanæ; non solius proprium Pontificis: nam & propterea ad ipsam Ecclesiam, & non ad solum Pontificem fiebat recursus: & ille non solus, sed cum sua Synodo responsa dabat: Et autoritas hæc ab Ecclesia in Episcopum, non ab Episcopo in Ecclesiam redundabat. Sed instructionem, quam prius charitatiue communicabant, imperiosè postea, ad modum Principum erga subditos, Romani Pontifices cœperunt Episcopis, etiam latis legibus imponere.

III. Secundo, vt idem Romanus Pontifex in generali cura excelleret, faciebat magna commoditas, quam ille florente Romano Imperio, habuit, cæteris omnibus Ecclesijs laborantibus succurrendi: Quod iam sæpius in præcedentibus obseruaui. Ille enim Imperatoris fultus potentia, longe facilius Ecclesiæ necessitatibus occurrebat; vbi præsertim hæreticorum excrescerent insolentiæ. Posper, [a] S. mem. *ait*, Papa Bonifacius contra inimicos gratiæ Dei, non solum Apostolicis, sed etiam Regijs vtebatur edictis.] Sic Gelasius Acacium reprehendit, [b] quod turbationes Orientales ad Sanctam sedem non retulerit; vt si solus ipse non poterat, iunctis, *inquit*, cum eadem consilijs, atque tractatibus, apud Imperatorem possent, quod religioni competeret, allegari;] Ex quibus constat fuisse ordinarium Romæ propter Imperatores confugium, religionisque optimum præsidium. Imperator enim Christianus, erat curator, & defensor totius Sanctæ Ecclesiæ generalis, vt libro sexto ostendetur; is in totius Ecclesiæ protectione, opera maxime Romani Pontificis, quem perpetuo ad manus habebat, tanquam in rebus Ecclesiasticis periti, vtebatur, quem & consiliarium in hoc perpetuum, & executorem præcipuum, ac ordinarium adhibebat: Inde Romani Pontificis in Ecclesia plurimum creuit autoritas. Si vis huius curæ Imperialis aliquod Exemplum, accipe vnum ex Martiano; cuius literæ ad Anatolium Constantinopolitanum sunt huiusmodi: [c] Imperator Cæsar pijssimus, Victor, Triumphator maximus, semper Augustus, Anatolio Regiæ Ciuitatis Episcopo. Fuit meæ pietati in optatis, vt tum omnes sanctissimæ, orthodoxæque Ecclesiæ; tum præterea Ciuitates Reip. Romanæ subiectæ, summa tranquillitate fruerentur, nihilque accideret, quod quietum earum statum perturbaret. Quæ autem turbæ nuper Alexandriæ contigerant, tuæ sanctitati minime iam obscurum arbitramur. Verum quo accuratius omnia intelligas; & quæ causæ tanti tumultus, tantæque perturbationis extiterint, vera cognoscens exemplaria supplicum libellorum, quos quidam etiam Alexandria à Timotheo ad nostra castra venientes, nostræ Clementiæ tradiderunt, ad tuam pietatem misimus: ad eum plane finem, vti quod factum sit à Timotheo, quem & populus Alexandrinus, & curiales viri, ac ciues, & naucleri, sibi proposuerunt Episcopum; deque alijs rebus, in ipso supplicum libellorum corpore comprehensis; & præterea de Chalcedonensi Concilio, cui minime assentiuntur; sicut libelli supplices infra positi declarant, tua Sanctitas prospicere & intelligere possit. Proinde tua pietas agat, vt omnes orthodoxi, & sanctissimi Episcopi, qui in hac Vrbe primaria in præsentia commorantur; quinetiam omnes sanctissimi Clerici confestim apud te conueniant, vt omnibus rebus (quippe Alexandria, quæ vti in statu tranquillo & pacato locetur, maximæ curæ est, iam vehementer turbata est) diligenter tractatis, disquisitisque quid de eo, de quo supra diximus Timotheo; quid etiam de Concilio Chalcedonensi, omni humano timore, gratia, & odio penitus depositi; soloque Dei omnipotentis timore ante oculos

a *Prosp. contellat. c. 41.*

b *Gelas. ep. 11.*

c *Pos. Concil. Chalced.*

A oculos statuto (nostis enim, vos de hac re sanctæ eius & sinceræ diuinitati rationem reddituros) quid inquam vobis videatur, plane significetis: quo nos de omnibus per vestras literas certiores facti, edictum quod apposite illis conueniat, promulgare possimus.] Quibus Anatolius respondet, vt habes supra cap. 4 nu. 24.

Sic Iustinianus ad Euphemium Constantinopolitanum similiter Patriarcham: [a] Omnem, *inquit*, semper adhibentes prouidentiam circa sanctissimas Ecclesias, per quas & nostrum Imperium sustineri; & communes res clementissimi Dei gratia muniri credidimus; nec non & nostras, & cæterorum omnium animas studentes saluari; & eam ob rem soliciti assidue, ne commoda sanctissimarum Ecclesiarum in quacunq; ciuitate sunt constitutæ, aliqua ratione minuantur; & quæ in ipsis sunt Diuinæ Liturgiæ, à Dei-amantissimorum Sacerdotum absentia impediantur, aut non conuenienter curentur: ac ne etiam sanctissimarum Ecclesiarum consumentur res, tam propter itinerum, quam etiam B commeantium huc Sacerdotum, & comitantium Clericorum impensas; vnde sæpe, & sub fœnore accipiendi necessitas emergit; & ex ea re onus ad ipsas sanctissimas Ecclesias venit: simul etiam ne Ecclesiasticarum rerum non conuenienter procedat administratio, per absentiæ Dei-amantissimorum Episcoporum tempus; his ad tuam Beatitudinem apicibus vti oportere existimauimus. Per quos ipsi iubemus fieri omnibus manifestum per singulas Metropoles, vniuscuiusque Prouinciæ sibi subiectis sanctissimis Sacerdotibus, quoniam non decet aliquem ipsorum, vel qui in alijs Prouinciarum Ciuitatibus sub Metropolitano ordinati sunt Episcoporum, secundum propriam voluntatem, absque diuina nostra speciali iussione, relinquere quidem gubernatam à se sanctissimam Ecclesiam, in hanc verò fœlicem commeare ciuitatem, qualiscunque emergat res, sed mittere huc oportere vnum, aut duos, ex sibi subiecto pio Clero, & facere manifesta nostræ pietati ea quibus opus habent, aut per seipsos, aut per intermediam tuam Beatitudinem; sicque perfrui iusta C & compendiaria nostra ope. — Hæc igitur ad singulorum notitiam, sub ipsa ordinatorum Dei-amantissimorum Metropolitanorum Episcoporum, perferre tua sanctitas studeat: & ab vnoquoque missas responsiones, tam per Metropolitas, quam per ipsarum reliquarum Prouinciæ Ciuitatum Dei-amantissimos Episcopos, de his quæ hac de re didicerint, ad nostram religionem referre.]

IV.

[a] *C. de Episc. & Clr. l. 43.*

Ac rursus ad eundem idem Iustinianus: [b] Cognoscere volentes tuam sanctitatem ea omnia, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, necessarium duximus hisce ad eam vti diuinis compendijs, ac per ea manifesta eidem facere, quæ iam moueri cœpta sunt, quanquam & illa eadem cognoscere sumus persuasi. Cum itaque comperissemus quosdam alienos à Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, impiorum Nestorij, & Eutychetis secutos deceptionem, diuinum ante hac promulgauimus edictum (quod & tua nouit sanctitas) per quod hæreticorum furores reprehendimus; ita vt nullo quouis omnino modo immutauerimus; immutemus, aut prætergressi simus, eum qui nunc vsque, coadiuuante Deo seruatus est Ecclesiasticum statum, quemadmodum & tua nouit sanctitas; sed in omnibus, seruato statu vnitatis sanctissimarum Ecclesiarum, cum ipso sanctissimo Papa veteris Romæ, ad quem similia hisce perscripsimus. Nec enim patimur, vt quicquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad eiusdem referatur Beatitudinem; cum ea sit caput omnium sanctissimorum Dei Sacerdotum; vel eo maximè quod quoties in his locis hæretici pullularunt, & sententia, & recto iudicio illius venerabilis sedis correcti sint. Ideoque ex præsentibus diuinis nostris Breuiculis, sciet tua Sanctitas, quæ à nobis proposita sunt; quam & quibus studio est pessimè interpretari, quæ à nobis statuta sunt comprehendetur. Pauci quidam infideles, & alieni à sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia contradicere Iudaice ausi sunt, aduersus ea, quæ ab omnibus Sacerdotibus rectè obseruantur, probantur, & annunciantur; negantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium Dei, & Deum nostrum incarnatum ex Spiritu Sancto, & sancta glorioſa semperque Virgine & Deipara hominem factum, & crucifixum; vnum esse Sanctæ, & consubstantialis Trinitatis, coadorandum, & conglorificandum Patri, & Sancto Spiritui, consubstantialem Patri secundum deitatem; consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem; passibilem carne eundem, impassibilem deitate. Recusantes enim Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium Dei, & Dominum nostrum fateri vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis; manifeste deprehenduntur impij Nestorij sequi prauam doctrinam; secundum gratiam eum dicentes filium Dei, & alium Deum Verbum, & alium Christum dicentes; quos anathemate damnamus, eorum etiam dogmata; eos etiam, qui eadem

V.

[b] *C. de sum. Trin. l. 7.*

eadem cum ipsis senserunt, vt alienos à Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia.] A
Quod igitur interdum vides ab Imperatoribus ipsorum curæ Ecclesiasticæ executiones Constantinopolitano committi; id intelligas ordinarie cum Romano Episcopo factitatum. Vnde eius autoritate magnam dicebamus factam esse accessionem: ex tanta vero autoritate acquisiuit ipse Romanus Pontifex in Ecclesia etiam magnam potentiam; initio quidem Ecclesiæ toti gratissimam & acceptissimam, quia ei etiam erat vtilissima: eaque causa erat cur ex toto orbe Christiano negotia grauiora Ecclesiastica, Ecclesia ipsa sic volẽte & annitente, ad Romanum Pontificẽ concurrerent: postea tamen potentia hæc versa est Ecclesiæ in perniciem: ea enim in Papatum paulatim degenerauit, tandemque in apertam prorupit tyrannidem.

VI. Tertio Romani Pontifices cura vniuersali maxime omnium Patriarcharum premebantur; Quia ex Romana Ecclesia, vt tradidi cap. 3. longe maior numerus Ecclesiarum est B
disseminatus, quam ex vlla alia sede Apostolica. Cum igitur mater esset plurimarum, decuit ipsius Episcopum, circa generalia quædam, ijsdem omnibus superintendere; in eisq; puram doctrinam, quam ipsa Romana Ecclesia à Petro & Paulo hausit, ipsisque communicauit, illæsam conseruare. Expressit curam hanc (perperam tamen omisso Paulo) Innocentius primus ad Decentium ista scribens: [a] Quis enim nesciat, aut non aduertat id quod
a *Innoc. 1. ep. 29* à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est; ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari; nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut autoritatem non habeat; aut aliunde videatur accipere exemplum? Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam & Siciliam, insulasque interiacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes? Aut legant si in his Prouincijs alius Apostolorum inuenitur aut legitur docuisse? Quod si non legunt, quia nusquam inuenitur; oportet eos hoc C
sequi, quod Ecclesia Romana custodit; à quo eos principium accepisse non est dubium: ne dum peregrinis assertionibus studeant, caput institutionum videantur omittere.] Et ad
b *Idem ep. 32.* Synodum Mileuitanam: [b] Scientes, *inquit*, quod per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent &c.] Et ante Innocentium Damasus ad Africanos ita scribit:

VII. [c] Licet fratres carissimi, vobis sint nota Patrum decreta; mirari tamen non possumus
c *Damas. ep. 5.* vestram solertiam circa instituta maiorum, vt cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem ad nos, quasi ad caput, vt semper fuit consuetudo, deferre non desinatis; vt inde capiatis responsa, vnde accepistis institutionem, & normam recte viuendi.] Africanas enim Ecclesias à Romana primum fidem accepisse, & Sacerdotium, ostendi lib. 3. cap. 2. in fine. Et Leo postea increpans Siculos Episcopos, quod circa Baptismum à Romanæ Eccle-
d *Leo ep. 5.* siæ ritu deuiarint, ait: [d] Quam culpam nullo modo potuisse incidere, si vnde consecrati- D
onem honoris accepistis, inde legem totius obseruantiæ sumeretis; & B. Petri Apostoli sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ magistra rationis.]
c *Greg. l. 7. Indic. 1. ep 32.* Gregorius quoque in eandem sententiam ad Episcopum Carthaginensem scribit ista: [c] Scientes præterea vnde in Africanis partibus sumpserit ordinatio Sacerdotalis exordium laudabiliter agitis, quod sedem Apostolicam diligendo ad officij vestri originem, prudenti recordatione recurritis; & probabili in eius affectu constantia permanetis. Certum quippe est quia vestro honori additis, quicquid reuerentiæ ac deuotionis ordini Sacerdotali exhibetis.] Et Synodalis trium Conciliorum Africanorum ad Theodorum Papam, hæc habet: [f] Magnum & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam sedem consistere fontem, nullus ambigere possit; de quo riuuli prodeunt affluenter,
f *In Concil. Lateran. sub Mart. Secret. 2.* vniuersum largissime irrigantes orbem Christianorum; cui etiam in honore Beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam, in requirendis Dei rebus; quæ omnino & solicite debent, maxime vero, iusteque ab ipso Præsulum examinari vertice E
Apostolico; cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquissimis regulis sancitum est, vt quicquid, quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur Prouincijs, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum; vt huius autoritate iusta quæ fuisset pronunciatio firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte prædicationis exordium; & per diuersas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta salutis.] Quia ergo omnium Apostolicarum sedium Romana fuit, in toto videlicet Occidente, fœcundissima, & in fide Christi dilatanda (vt ostendi etiam cap. 3. huius) fœlicissima;

A sima: propterea maximâ omnium solicitudine erga tot filias, vigilem se impigramque præstitit matrem, ac vicissim ab ijs Ecclesijs per quam reuerenter habita est, ac honorata.

Quarto eandem curam, & superintendentiam generalem, vt haberet Romanus Pontifex præ cæteris, fecit Ecclesiastica consuetudo. Iam enim docui libro 3. cap. 2. 7. & 10. ex diuina institutione vnumquemq; Episcopum posse corripere alium errantem, & ipsius negligentiam ac defectus supplere: circumvicinos similiter Episcopos simul iunctos, magnam habere in vicinum Episcopum errantem autoritatem: sed ad vitandam confusionem, Ecclesiastica consuetudine legibus postea firmata, hierarchiam inter Episcopos esse introductam; vt Episcopi Metropolitano, Metropolitani Primati, & Patriarchæ suo, in delictis, & negligentijs subessent. Quod si Patriarchæ errarent, docui eos inter se inuicem debere corripi, & moneri; ne semper Synodi debeant conuenire, nisi magna vrgeat necessitas. Hoc VIII.

B insuper tamen iam consuetudo induxit, vt Romanus tanquam omnium primus, ex causis pluribus aliàs consideratis, esset etiam ordinarius reliquorum Patriarcharum monitor, vbi sit opus, & correptor. Et hanc fuisse consuetudinem exempla plurima, quæ sequenti capite occurrent testabuntur; quibus Romani Pontifices, etiam Orientales Patriarchas, & Primates instituunt, monent, arguunt, docent, increpant pro munere suo; & increpati humiliter audiunt, vt plurimum parent, nec resistunt, aut reluctantur.

Hæc itaque vniuersalis superintendentia ex his quatuor causis orta, & firmata, fecit IX.

C Romanum Episcopum generalem duntaxat speculatorem ordinarium, & primarium; vt ipse potissimùm Ecclesiæ vniuersalis necessitatibus intendat; & ei curet subueniri. Speculator autem potestatem non habet vllam coactiuam, nec iurisdictionem: monere tantùm potest, & debet; & ad summum instruere, instigare, & hortari; ac pro sua virili, etiam cooperari. Sicut in arce vigiles, & qui excubias agunt in exercitu, nullum in alios milites imperium habent, cùm sint & ipsi æquè milites; sed simul cum reliquis militibus hosti resistunt, quem ipsi adesse vt primi senserunt, ita & reliquis commilitonibus significare debent. Damasus Papa mihi in hoc sponte consentit; nam & vocat se [a] speculatorem: & innuit socijs Africanis in quo debeant exsurgere, suique illos officij admonet; vt habes supra lib. 3. cap. 1. num. 15. Et Augustinus Bonifacium Romanum ait; [b] celsiori fastigio præeminere speculæ Pastoralis.

a *Damas. Ep 5*

b *August. cont. duas Epist. Pelag. l. 1. init.*

Hoc tamen generalis speculatoris officium, Papam non efficere Dominum, & Ecclesiæ totius Principem, & Monarcham, optimè declarant Episcopi Illyrici ad Symmachum Romanum Pontificem scribentes. Qui sanè ita asserunt; [c] Petri Cathedram esse ipsi Symmacho à Christo creditam; hoc est curam Ecclesiasticam vniuersalem; & ita oues ei totius mundi commissas, vt tamen eas non [d] vi, sed sponte pascat; nec dominetur eis in fide, sed cooperetur in gaudio.] Totum igitur Primatum Romani Pontificis, quem habuit à Christo, per successionem Petro; in eo esse situm isti intelligunt, & exprimunt, vt sit omnibus Episcopis totius Ecclesiæ cooperator, & adiutor; quandocunque ipsius ope indigeant; & ipse opportunitatem habeat eos adiuuandi. X.

c *Inter Epist. Symmachi Epist. 4.*

d *1. Pet. 5.*

D

Bernardus quoque multò melius rem explicat; Eugenium enim Papam instruens, ita loquitur: [e] Disce exemplo prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit. Disce sæculo tibi opus esse, non sceptro, vt opus facias Prophetæ. — Euigila ad curam, & non ocio torpeas; ne & tibi dicatur, quid hìc stas tota die ociosus? Multo minus inueniri oportet, aut delicijs resolutum, aut resupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ testatoris assignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus sis, curam potius hæreditabis, & operam, quàm gloriam, & diuitias. Blanditur Cathedra? spécula est: inde denique superintendis, sonans tibi Episcopi nomine, non dominium, sed officium. Quid ni loceris in eminenti, vnde prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? enimuero prospectus iste procinctum parit non ocium. Quando libet gloriari, vbi ociari non licet? nec locus est ocio, vbi sedula vrget solicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid illud? Vnum scio, non est aurum neque argentum; cùm ipse dicat argentum, & aurum non est mihi. — Nec enim ille tibi dare quod non habuit potuit; quod habuit, hoc dedit, solicitudinem, vt dixi, super Ecclesias.] XI.

e *Bern. de consid. l. 2. c. 6.*

E

Merito ergo facimus Romanum Pontificem primum & præcipuum Ecclesiæ vniuersalis speculatorem generalem: non tamen solum, quia eadem cura communis est, vt dixi, omnium Episcoporum, iuxta illud quod Apostolos inducit Clemens asserentes; videlicet, [f] se ad Episcopos doctrinam illam perscripsisse, ad eos confirmandos, quibus, *inquiunt,* XII.

f *Constitut. Apost. l. 6. c. 14.*

quiunt, vniuersalis Episcopatus creditus est, & commissus.] Vt mirum non sit si quilibet Episcopus se vniuersalis Ecclesiæ Episcopum possit vocare; vt concedit Gregorius; qui omnes fratres suos [a] Vniuersalis Ecclesiæ Episcopos, astra cœli vocat. Huius curæ generalis exempla in Cypriano, in Athanasio, in Basilio, in Eusebio Vercellensi, & alijs habes insignia a me posita libro secundo capite septimo. Addo nunc illud, quod Hispani Episcopi ob varia scelera & flagitia Basilidem & Martialem suos Coepiscopos deposuerant, & à sedibus eorum deturbarant, alioque in eorum locum subrogarant; Sed Basilides Romam profectus, à Stephano vrbis Episcopo communionem extorserat, & in suam sedem repositionem. Illi, quid facto opus sit, consulunt eundem Cyprianum, ipsius hac in re iudicio & definitioni stare parati, num debeant Basilidem in suam sedem reponere: an posthabitis Stephani mandatis, illum penitus repellere. Profecto Cyprianus, factus in hoc casu Hispanicarum Ecclesiarum iudex, doctor, & instructor, & Romani etiam Papæ censor; curam hanc ad se pertinere nil dubitans; sicut ad eum etiam recursum faciendum esse Hispani censuerant, ob egregiam doctrinæ & sanctitatis famam, quæ ipsum Cyprianum per omnes Ecclesias efferebat; statuit absolute & definit, Basilidem omnino reijciendum, & successorem quem iam ei substituerant, in sede illius esse confirmandum. Ac vt modeste Stephani acta reijceret, ait: [b] Neque rescindere ordinationem iure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum; & gestæ rei, ac veritatis ignarum, fefellit; vt ambiret reponi se iniuste in Episcopatum, de quo fuerat depositus. Hæc eo pertinent, vt Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta; vt ad superiora peccata, eius etiam fallaciæ, & circunuentionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum; quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest cum scriptum sit: Deus non irridetur.] Malitiam quidem, & iniustitiam amouit à Stephano Cyprianus; nec propter malam, & iniustam voluntatem eum arguendum esse censet: ob negligentiam tamen omnino culpandum esse agnoscit, & pronunciat: qui longe positus, & rei gestæ ignarus, negligenter obrepi sibi sit passus; Non est adeo, *inquit*, culpandus Stephanus ob negligentiam; sicut Basilides ob fraudem execrandus: culpandus tamen ipse Stephanus est. Ac interim actis ipsius contemptis decernit standum esse actis Prouincialibus. Sed & rursus Hispani à Simpliciano, & Taurinenses ab Ambrosio, Mediolanensibus Episcopis expectant in causa fidei definitiones; non minus, si non etiam magis, quàm à Pontifice Romano; vt supra vidimus cap. 8. præcedenti num. 26. Sicut itaque cura hæc generalis neque Carthaginensem, neque Mediolanensem, neque Alexandrinum, neque Antiochenum, neque vllum ex alijs facit Papam vniuersalem totius Ecclesiæ vniuersalis; ita neque facere potest Romanum: & de cura hac generali omnium, etiam Patriarcharum propria, imo communi, vide etiam supra lib. 3. cap. 10. n. 29.

a *Greg. l. 4. Ind. 13. ep. 38.*

b *Cyprian. l. 1. ep. 4.*

A B C D E

XIII.

Sed & Baronius, qui ex huiusmodi cura vniuersali Romanum Papatum innumeris locis nititur confirmare, negare tamen non potuit hanc vniuersalem curam ad priuatos etiam Episcopos pertinere. Ait enim; [c] Pro veritate enim atque iustitia vsque ad mortem certandum, omnibus fidem sectantibus est à Diuina [d] Scriptura mandatum. Nec ob eam causam confunditur ordo Hierarchicus à Christo, vt dictum est in Ecclesia iustitutus: nam sicut quodlibet corporis membrum suo fungens munere, pro toto corpore dicitur laborare; adeo vt hac ex parte totius corporis, non partis tantum (quod ad munus suum spectat) iure illi possit dici cura commissa, absque capitis, quod est præcipuum membrum, offensione, ita etiam Eleutherus merito iureque membris Ecclesiæ, ea ratione dixerit vniuersalis Ecclesiæ curam esse commissam. Reperitur ab Apostolo Paulo eadem fere vsurpata phrasis; nam cum vocasset maiores natu Ecclesiæ Ephesi constitutæ, sic allocutus est eos; [e] Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Hocque illud ipsum est, quod cum Sanctus Cyprianus primum dicit: [f] Vna est Ecclesia per totum Mundum in multa membra diuisa; Item Episcopatus vnus est; Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, post multa subdit hæc verba: Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur; vt Episcopatum vnum indiuisumque probemus. Nimirum (quod dictum est) cum quodlibet membrum pro toto corpore cuius vnum est caput, cuius est munere is cunctis prospicere intelligitur laborare. Quo etiam sensu hæc apud sanctum Clementem: [g] Scripsimus vobis omnibus hanc Catholicam doctrinam, ad confirmandum

c *Baron. tom. 2. an. 187 n. 2.*

d *Eccles. 4.*

e *Act. 20.*

f *Cypr. de simpl. Prælat.*

g *Const. Apost. l. 6. c. 14.*

A vos, quibus Episcopatus vniuersalis creditus est & commissus. Sic & Sanctus Ignatius, communis Ecclesiæ vocat Episcopum, qui Philadelphiæ tantum præfectus erat Antistes. Et in eundem plane modum Gregorius Nazianzenus, cum agit de S. Athanasio: [a] Creditur illi, *inquit*, populi Alexandrini præsidentia; quod perinde est ac si dicam totius orbis Præfectura. Cur ita? Quia scilicet præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ, vt Vniuersali prodesset. Idem & de Sancto Cypriano encomium texens, hæc in eandem plane sententiam: [b] Non enim Carthaginensium solum Ecclesiæ præfuit, aut Africæ; quæ merito eius, vsque in hodiernum diem, omnium sermone celebratur, sed vniuerso Occidenti; imò & Orienti fere ipsi, Meridiei, & Septentrioni, quocunque ille admiratione sui peruenit. Hæc ipse. Plura alia ad hæc exempla essent addenda, sed plus satis hæc esse videntur &c.] Ista Baronius: Quæ tamen subinde interseruit de capite, ad effugiendum argumentum hoc

B Papatus oppugnatiuum interseruit, sed frustra; non enim membris diuersa munera tribuuntur his exemplis, à muneribus quæ capiti conueniant, sed eadem prorsus; vt nulla suo illi capiti cura generalis conueniat, quæ non etiam tota, & similiter in his membris reperiatur.

[a] *Nazianz. in laud. Athan.*

[b] *Idem in laud. Cypr.*

Ex hac itaque generali Papæ superintendentia, à causis nunc commemoratis, ipsius orta sunt propria quædam Priuilegia, ac Primum sane fuit, vt ipse Rom. Pontifex cum esset hic, vt diximus speculator generalis & superintendens, qua Episcopus, multo magis ex loco sui primi Patriarchatus, Sacrorum Canonum primus haberetur, & præcipuus obseruator, custos, ac vindex: quos si alicubi violari cognosceret, acer monitor insurgeret; omnemque lapidem moueret, vt eorum obseruantia integra & perfecta restitueretur. Nunc verò (heu versas rerum vices!) ipse est primus & maximus Canonum contemptor, & conculcator: Qua de re agam lib. 8. XIV.

C Secundum priuilegium Romani Episcopi fuit, vt ad ipsum, quicunque Episcopi, cuiuscunque Prouinciæ & Regionis, qui se ab Episcopis propriæ Prouinciæ grauari in iudicijs Ecclesiasticis sentirent, tanquam ad sacram Ancoram confugerent, apud ipsum innocentiam suam probaturi. Et initio quidem consuetudo obtinuit, vt ab vna Synodo grauati, ad aliam maiorem recurrerent, quæ illis magis placuisset, vt in superioribus [c] vidimus. Et quia Romana Ecclesia erat maximæ autoritatis, ex causis iam recensitis, ideo ad eam vel maxime hic fiebat recursus. Sed quoniam Romani Pontifices, sibi nimium tribuentes, non modo ab his decepti, & rerum externarum, ac remotarum ignari, facile in communionem illos recipiebant, sed etiam de facto sedibus restituebant, & ab obiectis criminibus, tanquam si essent Iudices supremi, absoluebant; hinc sæpe Ecclesia ista cauit sibi, ac vehementiori obnisu restitit, vt vidimus in Cypriano, in Concilio Antiocheno, in Hispanis, & Africanis. Additum est, seu extortum decretum etiam quoddam cuiusdam Concilij [d] Sardicensis, in casu tamen singulari, ad Iulium tunc Romanum Pontificem, vt ille consuleretur, an iudicium esset in Prouincia innouandum: De quo plura dicenda sunt lib. 8. Ad huius decreti ferme similitudinem, in Concilio Chalcedonensi generali lege sancitum est, [e] licere Episcopis, qui se à Metropolitanis læsos esse putarent, & cuicunque, qui aduersus Metropolitanum causam haberet, aut ad Primatem Diœceseos, aut ad ipsum Constantinopolitanum Patriarcham immediate confugere. Ex quo Synodali priuilegio, longe magis legitimo, quàm esset Sardicense, etiam consequenter ad Romanum in his causis potuit fieri recursus. Siquidem in omnibus priuilegijs æquales esse Romanus & Constantinopolitanus sunt declarati: De his appellationibus agam, vt dixi, lib. 8. XV.

[c] *Supr. cap. 8. nu. 9. 10.*

[d] *Concil. Sardic. c. 3.*

[e] *Concil. Chalced. c. 9. 17.*

Tertium priuilegium fuit: Quod Romanus Pontifex, propter summam ipsius, quæ explicata est, existimationem, commune quasi vinculum, & nodus esset præcipuus Catholicæ communionis in tota Ecclesia. Quando enim hæresis aliqua grassabatur, & multas occupabat Ecclesias, vt fecit Ariana, summa inter Episcopos Catholicos erat perplexitas, cuinam ex Episcopis quisque communicare deberet, cui verò subtrahere communicationem. Cumque debitum examen, debitaque Episcoporum, vel approbatio, vel reprobatio, à singulis Episcopis Catholicis fieri, neque posset, neque deberet, id oneris & officij Ecclesiastica consuetudo Patriarchis potissimum, & magnis Primatibus commisit, & concredidit: vt quibus Patriarcha communicaret, iisdem reliqui omnes illius Patriarchatus Episcopi communicare censerentur: Et contra. Sic Theodosius Imperator, postquam in Concilio Constantinopolitano generali, illius loci primo, fuerunt præcipuæ sedes Orientis orthodoxis datæ Episcopis, lege data sanxit: [f] Vt pro orthodoxo Episcopo nullus posthac admitteretur; neque in vlla sede collocaretur; nisi ille in communionem reciperetur à Patriarcha, XVI.

[f] *C. Theolos. de fid. Cath. l. 3. & Sozom. l. 7. c. 9.*

Patriarcha vel Primate illius sedis: quos etiam nominatim lege illa expressit. Quia tamen inter omnes Ecclesias diu, vt dixi, Romana plurimum optima existimatione exactæ fidei excelluit, ideo Romanus ipse Pontifex maximus fuit Catholicæ communionis dux, & arbiter: vt cui ipse suam communionem, vel daret, vel adimeret; cæteræ quoque Ecclesiæ omnes ordinatiè darent pariter vel adimerent. Ideo Theodorus Studita Constantinopolitanum schisma auferre cupiens, ad Michaelem Imperatorem scribens, ait: [a] Vniamur nos vertici Ecclesiarum Dei Romæ; & per eam tribus Patriarchis: vt vnanimiter vno ore glorificemus Deum.] Verticem Ecclesiarum vocat Romanum suo more, qui quinque Patriarchas faciebat Ecclesiarum qninque [*] vertices; primum tamen in ordine verticem facit Romanum: cui si tunc Constantinopolitanus communicasset, reliqui 3. Patriarchæ eidem, à quo se omnes separauerant, suam communionem restituissent.

a *Apud Baron. tom. 9. an. 821. nu. 38.*

* *Sup. l. 3. c. 10. num. 15.*

XVII. Quartum fuit priuilegium, propter iam explicatam Romanæ Ecclesiæ ex causis assignatis autoritatem, vt nihil graue in Ecclesia vniuersali, nisi consulto prius Romano Pontifice statueretur, aut tractaretur, cuius etiam in his non modo consilium, sed consensus quoque enixe requireretur: ita tamen vt absolute necessarius non esset; neque si abesset, definitiones cassaret, aut impediret; sed duntaxat definitionibus & decretis maius robur, maioremque adderet autoritatem; vt lib 7. explicabo.

XVIII. Quintum priuilegium fuit, quod afflicti quique Episcopi, & persecutionem à tyrannis, vel hæreticis patientes, ad Romanæ Ecclesiæ sinum, tanquam ad tutissimum suæ communionis [b] portum, vt ait Hieronymus de Athanasio, confugerent; quos illa benigno hospitio excipiebat; & Romanus Pont. sua autoritate, sæpe etiam apud Imperatores, quantum poterat, adiuuabat, & opibus subleuabat. De Petro Alexandrino, proximo Athanasij successore, ab Arianis ejecto, & Romam confugiente hæc habet Gregorius Nazianzenus: [c] Nam pro cadaueribus cruentas vestes Ecclesiæ Romanæ protulit; & per tacitam accusationem, omnibus lachrymas mouit; vt calamitatis magnitudinem in oculis & aspectu defigeret; atque auxilium nanciscereturquemadmodum etiam nactum esse scimus. Fit enim fere, vt qui opibus & potentia præcellit, ad infirmi afflictique miseriam subleuandam maxime inflectatur; ac spontaneæ beneuolentiæ affectu ad eum, qui dignitate imminutus est, se adiungat.] Charitas itaque, & in magnis opibus liberalitas, miseros Romam inuitabat, & trahebat: ac præterea etiam potentia ad afflictos Episcopos in suas sedes restituendos. Huc tendunt illa Leonis noni: [d] Quisquis Romanæ Ecclesiæ autoritatem, vel priuilegia euacuare, seu imminuere nititur; non hic vnius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis subuersionem & interitum machinatur. Cuius enim compassione, vel sustentatione vlterius respirabunt filiæ à quouis oppressæ, vnica illa suffocata matre? Cuius refugium appellabunt? Ad quam confugium habebunt? Ipsa enim Athanasium; ipsa omnes Catholicos suscepit, fouit, defendit, & sedibus proprijs pulsos restituit.] Et hæc quidem, quamdiu in ea pura fides, sinceraque charitas viguit; quandiu non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi Romani Pontifices quæsierunt: quandiu Petri, Paulique similes imitatoresque fuerunt, de illis prædicari merito potuerunt. Hæc tamen dona, hæcque priuilegia non fuerunt sedis, neque à Christo sedi in perpetuum concessa; sed personarum aliquandiu Apostolicam doctrinam in ea Ecclesia, ab ipsis Apostolorum Principibus prædicatam, Apostolicosq; mores incorruptos retinentium. Nunc quoque Romam fit magnus vndequaque concursus: sed Apostolorum limina, vt ait Bernardus, [e] magis ambitio quam deuotio terit.

b *Hieron. ep. 16*

c *Nazian. orat. ad Heronem.*

d *Leo 9. ep. 1. c. 36.*

e *Bern. de consid. l. 3 c. 1.*

XIX. Non est profecto, non est cur Baronius ex illa charitate, quæ olim trahebat Romam afflictos; & autoritate quæ ex Imperiali gratia in Romanos Pontifices redundans, eosdem & inuitabat & subleuabat, quasi de perpetuo, & inamissibili priuilegio glorietur; & dicat: [f] Inter hæc autem, cum grauissimis fluctibus fides Catholica, opera Monothelitarum hæreticorum, præcipue vero Pauli Constantinopolitani Episcopi, quateretur (in Oriente) si qui illic erant orthodoxi Episcopi, vnum sibi illud tantum reliquum esse remedium cognoscentes in tanto naufragio, conscendere nauiculam Petri, quam scirent promissione Christi, inter fluctus sæculi huius, solam nauigare securam; nec vllis posse obrui vndis, neque vorticibus absorberi; Romam se conferunt ad Theodorum Apostolicæ sedis Episcopum; in tanta tempestate solicite vigilantem; clauumque summa prudentia moderantem.] Item: [g] Permisit hæc quidem Deus singulis quibusque sæculis exagitari; scilicet diuersarum Prouinciarum Episcopos, quo assiduis rerum gestarum exemplis innotesceret, nullum aliud esse confugium aduersus ingruentes hæreticos, quam ad Apostolicam sedem, seu diuinum asylum, sacram ancoram, Portum securum, in quo tantum quis in tempestate possit

f *Baron. tom. 8. an. 643. nu. 9.*

g *Ibid. nu. 17.*

A possit salutem sperare, & auxilium experiri.] Fuit aliquando plurimum (heu fuit) Romanis Pontificibus cordi, fides, religio, Christianorum pax, & tranquillitas, ac Prælatorum quies: & tunc Petri nauicula vortices non timebat; tunc sedes Apostolica erat asylum, ancora, & portus: postea tamen Romanus Pontificatus factus est merus terrenus Principatus: & Pontificum illa non dico maxima, sed fortasse sola cura est, vt ditentur, & dominentur. Obruta est nauicula aquis huius sæculi, facta est Roma id quod fuit in suis exordijs.

In his igitur potissimum priuilegijs; (adiectis, vt dixi, reliquis omnibus quæ præcedenti libro, cap. 10. communia omnibus fecimus Patriarchis) constitit suo tempore, quo horum priuilegiorum fundamenta à me modo explicata substiterunt Rom. Ecclesiæ, & consequenter Romani Pontificis non leuis præcellentia; habuitque vnde plurimum in Domino gloriaretur. Sed hæc priuilegia tandem Romanos Pontifices paulatim ad Monarchiam absolutam pellexerunt; eorum verò abusus, vt sequenti capite patebit, etiam perduxerunt. Iam enim Papalia priuilegia sunt ab his longè diuersa. Et quidem Canonistæ nostri non multò antè, illa non admodum multa numerârunt, hisque versibus comprehenderunt: XX.

B [a] *Restituit Papa solus, deponit & ipse,*
Articulos soluit, Synodumq; facit generalem:
Transfert, & mutat, appellat nullus ab ipso;
Diuidit, & vnit, eximit, atque probat.

a *Gloss. in c. Quod translationem. de off. leg.*

Multò plura commemorat Gregorius 7. in quibusdam suis quos vocat Dictatibus: ego penè dixeram dicterijs. Sic autem sonant.

[b] *Dictatus Papæ.*

b *Greg. 7. l. 2. post Ep. 55.*

Quòd Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.
Quòd solus Romanus Pontifex iure dicatur Vniuersalis.
C Quòd ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare.
Quòd Legatus eius omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus; & aduersus eos sententiam depositionis possit dare.
Quòd absentes Papa possit deponere.
Quòd cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eadem domo debemus manere.
Quòd illi soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere, nouas plebes congregare, de Canonia Abbatiam facere, & è contra, diuitem Episcopatum diuidere, & inopes vnire.
Quòd solus possit vti Imperialibus insignijs.
Quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.
Quòd illius solius nomen in Ecclesijs recitetur.
D Quòd vnicum est nomen in mundo.
Quòd illi liceat Imperatores deponere.
Quòd illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.
Quòd de omni Ecclesia, quocunque voluerit, Clericum valeat ordinare.
Quòd ab illo ordinatus alij Ecclesiæ præesse potest, sed non militare; & quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.
Quòd nulla Synodus, absque præcepto eius, debet generalis vocari.
Quòd nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur, absque illius autoritate.
Quòd sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit.
Quòd à nemine ipse iudicari debeat.
Quòd nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem.
Quòd maiores causæ cuiuscunque Ecclesiæ ad eam referri debeant.
E Quòd Romana Ecclesia nunquam errauit, nec in perpetuum (Scriptura testante) errabit.
Quòd Romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus meritis B. Petri, indubitanter efficitur sanctus; testante sancto Ennodio Papiensi Episcopo, ei multis sanctis Patribus fauentibus; sicut in decretis B. Symmachi Papæ continetur.
Quòd illius præcepto, & licentia subiectis liceat accusare.
Quòd absque Synodali conuentu possit Episcopos deponere, & reconciliare.
Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.
Quòd à fidelitate iniquorum subiectos potest absoluere.]

Aurei profecto, ingentesque priuilegiorum montes. Qui tamen adhuc amplius excreuerunt. Iamque tandem habet Romanus Pontifex tot priuilegia, quot cœlum stellas: Ea ego non omnia, (nec enim mortali fas) sed quæ mihi occurrunt præcipua, quæque exa- XXII.

gitanda proposui, hic percenseo. Primum; Hic scilicet vnicus est Christi, & Dei Vicarius, in terris vice-Deus, Petri successor, cum plenitudine Ecclesiasticæ Episcopalis potestatis, totiusque Christi Ecclesia Monarcha supremus. Secundum; Hic solus nouos Apostolos ad prædicandum infidelibus legitime mittit. Tertium; Solus est Cathedralium sedium de nouo erector. Quartum; Solus Diœcesum & Metropolum diuisor, & institutor. Quintum; Solus à residentia liberat Episcopos. Sextum; Solus Episcoporum Electo, confirmator, consecrator, translator, Episcopalisque potestatis fons, autor, & dator. Septimum; Solus dat Episcopis coadiutores cũ futura successione, eorumq; admittit resignationes. Octauum; Pallij etiam Patriarchis concessor. Nonum; Electionum Papæ moderator, cuius pedes sunt osculandi. 10. Legatos à Latere per vniuersum Orbem mittit, & Vicarios in omnibus Regnis vult habere. 11. Censurarum supremus inflictor, earumq; ac pecatorum reseruator, & absolutor. 12. Indulgentiarũ thesauri solus distributor. 13. Conciliorum generalium solus conuocator. 14. Regum supremus Iudex & depositor, regnorumq; distributor. 15. Suprema & vltima ipse Regula fidei ac infallibilis, à cuius confirmatione Concilia pendeant omnia. 16. Hæresum hæreticorumque iudex supremus, librorumque censor, approbator, & prohibitor. 17. Iudex vniuersalis Episcoporum, ipse à nemine iudicandus; & appellationum ex tota Ecclesia cognitor. 18. Solus Episcopos damnat, punit, deponit, restituit. 19. Degradatos solus restituit. 20. Supremus in Ecclesia legislator. 21. Dispensationum contra quoscunque canones concessor. 22. Votorum & iuramentorum solus supremus irritator, commutator, dispensator. 23. Ecclesiarum solus dedicator. 24. Sanctorum canonizator. 25. Diuinorum officiorum, Breuiariorũ, Missalium reformator, institutor, approbator. 26. Beneficiorũ collator vniuersalis. 27. Bonorum Ecclesiasticorum alienator. 28. Solus testamentorum condendorum Ecclesiasticis dat facultatem. 29. Solus hæres ordinarius omnium Ecclesiasticorum. 30. Pluralitatem quotuis beneficiorum solus permittit, absque residentiæ vllius obligatione. 31. Solus Religiones approbat, reprobat, & confirmat. 32. Supremus priuilegiorum, exemptionum, gratiarum, immunitatum, & libertatum largitor.

XXII. Omnia tamen hæc priuilegia esse falsa, ac partim ipso facto illegitima, partim alijs erepta, & vsurpata, toto hoc ego opere sparsim suis locis ostendo. De primo fuse egi libris 1. 2. 3. & ago toto hoc quarto. De 2. 3. & 4. egi libro 2. De 5. 6. 7. 8. egi libro 3. De 9. & 10. agam in hoc libro 4. De 11. & 12. agam. libro 5. De 13. & 14. agam libro 6. De 15. & 16. agam libro 7. De 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. tractabo libro 8. De 26. 27. 28. 29. 30. agam libro 9. De 31. & 32. agam libro. 10. & postremo huius operis. Bene vertat Deus.

CAP.

CAP. X.

Dicta, & facta veterum, Papatum præseferentia, eidem nil prodesse.

SVMMA CAPITIS.

Autoritates, & facta, ac exempla Papatum confirmantia, ex quadruplici capite petuntur; ex Concilijs: ex Romanis Pontificibus: ex Patribus Græcis: ex Patribus Latinis: & omnia explicantur, & soluuntur. De primo capite Conciliorum agitur ab initio vsque ad num. 11. Secundum caput de Romanorum Pontificum dictis ac factis, in tres classes distribuitur. Prima de antiquissimis vsque ad trecentesimum Christi annum, à num. 12. ad num. 18. De ijs qui à 300. ad 600. fuerunt, & ponuntur in tertia classe, agitur, à num. 19. ad num. 52. De Pontificibus post Gregorium ad nostra tempora, & ponuntur in secunda classe, agitur, nu. 53. De tertio capite, hoc est Patribus Græcis, agitur, à num. 54. ad num. 71. De quarto Capite, id est Patribus Latinis, agitur, à num. 72. ad num. 95. De apertis adulatoribus tractatur, num. 96. Reprehenduntur qui non modò Papatum astruunt, sed etiam illum esse de fide contendunt, à num. 97. ad finem.

IN natiua vultus deformitate solet magno labore, & precio exquiri fucus, quo non solum tegatur turpitudo, sed & pulchritudinis larua induatur. Fallitas, cum vera non habeat, quibus subsistere possit, fundamenta, apparentibus saltem delectatur. Nostri moderni Monarchici leuissima quæque iudicia anxiè, exacteque collegerunt, & ea in immensum multiplicarunt; vt quem firmarum rationum momentis non poterant; multitudine apparentium autoritatum, & exemplorum, attollerent, erigerentque Papatum. Sanderus profecto pro omnibus laborauit vnus; & non librum, sed volumen huiusmodi sophismatis [a] repleuit, ad ipsam Papatus arcem construendam: conglobauit enim numerum argumentorum, & exemplorum, vltra duorum millium. Sed nec Baronius pepercit labori; cuius duodecim magni tomi Annalium scopum illum vnicum omnes habere videntur, vt Romanus Papatus strenue, gnauiterque stabiliatur. Ac propterea non historiam Ecclesiasticam, vt par erat, & institutum poscebat, sed Apologiam perpetuam nobis edidit: imò & historicas veritates sæpissime corrupit, & labefactauit; vt vel Papatui prodessent, vel saltem non obessent. Atque huc tota illa sua scriptione collimasse, vel ipsius confessione redditur manifestum: ait enim; [b] Et ne quis putet nos ista dicentes, hyperboles loqui; legat digestos à nobis hactenus singulos annos; & vix eorum inueniet aliquem, in quo suprema Romanæ Ecclesiæ super omnes Ecclesias non eluceat vel dictis, vel factis autoritas.] Atque hoc ipsum eum conari, non modo in annis omnibus præcedentibus, sed etiam in subsequentibus, per totos Annales quos edidit, est verissimum. Bellarminus cautior selectiora posuit exempla, & dicta Papatum confirmantia; eaque ad quatuor capita reuocauit; [c] Ad Concilia; Ad Romanos Pontifices; Ad Patres Græcos; &, Ad Patres Latinos. Hos ego tres Papatus fabros insigniores (nam alios minorum gentium scriptores nō ita multum moror) [d] baculis arundineis confractis niti ostendam; quibus eorum manus perforentur. Nec omnia quæ illi proferunt, sed quæ digniora mihi visa fuerint consideratione, recensebo & explicabo. Plurima enim vt apocrypha, & nullius momenti, sunt contemnenda: plurima iam soluta sunt à me in præcedentibus; plurima in sequentes tractatus reijciuntur: plurima ad pauciss ima quædam solutionum capita, præcedenti capitulo exposita, reducentur. In his explicationibus magna pars occasionum eluceſcet, quæ Papatum hunc monstruosum pepererunt. Ac distinctionis gratiâ sequar argumenti Bellarminiani genus quadruplex. Primo igitur de Concilijs agendum.

I.

a *Sander. de 7 sib. Monarch. lib. 7.*

b *Baron. tom. 7 an. 534. nu. 35.*

c *Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 13. 14. 15. 16.*

d *Isai. 36. & Ezech. 29.*

Concilium primum generale, quod factum est in Ecclesia Nicænum, à Romano Pontifice, inquiunt, Siluestro, aut de ipsius assensu, fuit conuocatum. [e] Quia ad summi Pastoris curam pertinet, non solum agnos, sed etiam oues, quæ sunt agnorum Matres, id est Episcopos pascere.] Ego verò ostendam lib. 6. Constantinum Imperatorem præcipuè, imò & solum, illud Concilium conuocasse: & conuocare Concilium non esse rem simpliciter

II.

e *Sander. l. 7. nu. 90. 91.*

spiritualem: sed agere concilium, & conciliariter negotia Ecclesiæ tractare, ad potestatem solam Ecclesiasticam pertinere. Sed nec in hoc nimium laborandum; siquidem ipsemet Sanderus, qui hoc tractat argumentum, admittit ex Ruffino, Episcoporum consensu Concilium hoc fuisse conuocatum. Quid ergo hoc ad Papatum? Inter cæteros, *inquit*, Episcopos, etiam Romanus assensum præbuit, ex Theodoreto lib. 1. cap. 7.] Certe, quia videlicet ipse, vt vnus & primus ex tribus Patriarchis, suas in Concilio debuit habere partes. A

a Bellar. c. 13. Sander. nu. 94. 95. Sed de his aliâs. Ex Concilio Nicæno aliud colligunt argumentum ex Canone 6. [a] Romanam nimirum Ecclesiam, eo Canone, vniuersalem agnosci; quæ alios instituerit Patriarchatus. Hunc ego Canonem sup. cap. 2. plene explicaui, & ex illo potissimum Papatum destrui ostendi; satis interea mirari non possum nostrorum confidentiam, qui hic ab aperto hoste subsidia pulsi, repulsique audent mendicare.

III. Arelatense Concilium cap. 1. acta sua ad Syluestrum mittit, & petit, vt iuxta consuetudinem ipse cæteris Ecclesijs Decreta intimaret. [b] Erat igitur, *inquiunt*, vetus consuetudo, vt, quicquid esset omnibus fidelibus intimandum, per literas Romani Pontificis intimaretur; & vt acta omnium Conciliorum ad eum deferrentur approbanda: quia nimirum caput erat & principium totius Ecclesiæ.] Respondeo, communicationem, quæ inter Ecclesias est summe necessaria (quia, vt dixi cum Cypriano, tota Ecclesia est vnicus Episcopatus, concordi Episcoporum multitudine in solidum gubernatus) id exegisse semper, vt quicquid in bono regimine vna Ecclesia statueret, id staum alijs etiam significaret, ac notum faceret: & quia Roma erat caput Imperij, & ciuitas maximæ frequentiæ, ad quam ex omnibus mundi partibus concursus fieret; maxime inde opportunum censuerunt per Romanum Episcopum cæteris Ecclesijs ea, quæ commune spectarent bonum notificare. Imo ex hoc capite cum cernas Romanum Pontificem esse executorem eorum decretorum, quæ in alia Synodo, in qua ipse non adest, fiunt, aut publicatorem; vix vllum in eo primatum potes agnoscere. Sed potius famulare officium, quale præconum vel fœcialium esse solet. Longe aliud ergo est notificare, aliud subijcere: & aliud est publicare, aliud præcipere. B C

b Sander. nu. 98

c Ibid. l. 7. nu. 85 d Ibid. nu. 99. De [c] Sinuessana Synodo, & [d] Romana sub Syluestro; primam sedem non esse iudicandam asseuerante; & consequenter in Romano Pontifice Papatum agnoscente, dicam libro 8.

IV. Sardicensis Concilij conuocationem, à Papa Iulio, nec non Canonem 3. vel 4. de appellationibus ad Rom. Pontificem, [e] vrgent. Sed de Synodorum conuocatione agam lib. 6. & de appellationibus lib. 8. De autoritate vero Concilij Sardicensis egi supra cap. 8. num. 32. 34. huius.

e Ibid. nu. 112.

V. Secundum generale Concilium volunt à Damaso [f] conuocatum: Ego vero contrarium conuincam lib. 6. cap. 6. Sed præter conuocationem, alia Sanderus (cum alijs) colligit argumenta Papatus, ex literis dicti Concilij ad Damasum & Occidentales: [g] Nos, inquiunt, velut membra propria per Imperatoris sanctissimi literas accessiuistis.] Videntur igitur se tanquam membra referre ad suum caput; & innuunt modum quo solerent Episcopi Romani Concilia conuocare, per literas Imperiales.] Sed membra potius referuntur ad corpus, quod constituunt; quam ad caput, à quo regantur & accipiant influxum. Ecclesia enim suum caput in hoc sensu semper solum tenuit Christum; propria ergo membra intelligunt corporis Ecclesiæ; neque scribunt ad Damasum solum, sed ad totum illius Concilium; quod quia repræsentabat suo modo corpus Ecclesiæ, merito se in alia quoque Synodo membra propria talis corporis Ecclesiæ agnoscunt & profitentur. Neq; verum est illos fuisse autoritate vocatos, sed rogatos duntaxat; & amicabili ad hortatione per literas amicabiles non præceptiuas Imperatoris, Romam ad illud Concilium inuitatos. Verba eorum respondentium sunt ista: [h] Iam vero quoniam vos, quo fraternam vestram erga nos charitatem declararetis, Concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria, per Imperatoris sanctissimi literas accersiuistis; ne cum nos soli iam antea res acerbas subire coacti essemus; nunc Imperatoribus de pietate consentientibus, sine nobis vos regnaretis: sed potius, vti loquitur Apostolus, vt nos vobiscum conregnaremus. Est certe nobis in optatis, si posset fieri, Ecclesijs penitus relictis, vestro desiderio, aut necessario potius Ecclesiæ negotio inseruire.] Hic nulla Papæ superioritas. Nulla apparet autoritas: sed summa potius paritas inter sorores eidem Ecclesiæ vniuersali commembres, & concorpores; Ecclesias scilicet Orientalem & Occidentalem. Quæ vtinam hodie se, vt olim, mutua membra appellarent. Sed præterea ex Decreto huius Concilij, vt Constantinopolitanus post Romanus primus obtineret, colligit sic Sanderus: [i] quia ergo Romanus Pontifex D E

f Ibid. nu. 145. Bellar. vbi supra c. 13 & de Concil. l. 1. c. 13. & Baron. an. 381.

g Apud Theodor. l. 5. cap. 9.

h Epistola Oriental. apud Theod. vbi supra.

i Sander. lib. 7. nu. 149.

tifex omnium primus esset, nulla vnquam fuit dubitatio.] Primus dignitate, & cæteris priuilegiis iure humano introductis, & firmatis de quibus iam egi: non primus potestate, aut iurisdictione supra omnes: imo primus dicit tantum ordinem ad secundum, tertium, &c. non imperium.

In Ephesino Concilio, quod fuit tertium generale, Cœlestini autoritatem nostri [a] Monarchici exaggerant plurimum: Primum, quòd Cyrillus magnus Patriarcha [b] Vicarium se tamen Romani Papæ gesserit in hoc Concilio. 2. Quod Nestoriana hæresis autoritate [c] Cœlestini dicatur compressa: quia nimirum Cyrillus, & Concilium sequuti sunt Cœlestini mandata, ex ipsius præscripto, in Nestorij condemnatione. 3. Quòd Ioannis Antiocheni Patriarchæ causam Concilium hoc ausum non fuerit iudicare, sed eam iudicio Cœlestini reseruârit.] Ad 1. Respondeo de Legatione hac, & Vicariatu me lib. 7. disputaturum. Interim dico hanc neque fuisse veram legationem, neque hunc verum Vicariatum, sed adiectionem suffragij: quo pacto Canonicus absens solet suum votum capitulare alteri suo Concanonico committere. Admisit itaque Cyrillus potestatem suffragij Romani Pontificis tanquam maximè proficui, & opportuni. Iam enim in Concilijs generalibus prima autoritas erat Patriarcharum: & quia agebatur in hoc Concilio de magni vnius Patriarchæ condemnatione, Cyrillus Patriarcha eguit alterius, ac præsertim primi Patriarchæ, ope; Antiochenus verò Ioannes Nestorio plurimùm fauebat. Cùm ergo Cyrillus duplici, & vtroque sanè maximo posset suffragio, suo & Romano, suam duplicare autoritatem, quidni libenter commissionem illam, seu procurationem, & locum Romani etiam Pontificis sumeret?] Ad 2. Cœlestini quoque, sed non solius, autoritate damnatus est Nestorius: quia in talibus solennibus Hæresiarcharum damnationibus omnes Patriarchæ concurrebant, & præcipua inter eos semper habita est Romani sententia, quæ literis specialibus fuit Concilio Ephesino à Cœlestino significata: quæ literæ nullum mandatum (quod Bellarminus ex se, vnde nescio, exsuxit) continent. Patres sanè illius Concilii in ipsa Nestorianæ damnationis sententiâ sic loquuntur; [d] Quoniam à nobis accersitus obtemperare noluit, neq; sanctissimos, religiosissimosque Episcopos à nobis ad eum missos recipere, inducti necessitate ad impia eius dogmata excutienda aggressi sumus. Et cùm partim ex ipsius Epistolis, & libris à nobis perlectis, partim ex verbis nuper in hac vrbe primaria recitatis ab eo, & quasi testimonio confirmatis eum impiè sensisse, & prædicasse deprehenderimus, tum Ecclesiæ Canonibus, tum Epistola sanctissimi Patris nostri, & Collegæ Cœlestini Episcopi Ecclesiæ Romanæ, necessariò compulsi, idque non sine crebris lacrymis ad hanc seueram sententiam contra eum pronuntiandam venimus.] Vbi hic mandatum? vbi præceptum? nisi quis verba illa (*necessario compulsi*) trahat ad immediatè præcedentia, vt Canonibus, & literis Cœlestini coacti putentur Nestorium damnasse. Ineptè tamen hæc dicerentur: sensus enim est ex alijs præcedentibus accipiendus: vt ex peruersitate Nestorij, & obstinatione; nimiaque contumacia fateantur se necessitate inductos ad hoc iudicium deuenisse. Ad 3. vndenam habet Bellarminus Patres huius Concilij non fuisse ausos Antiocheni insolentias iudicare? [e] Indignitate, *inquiunt*, rei moti, volebamus quidem contra ipsum — proferre sententiam; — verum vt illius temeritatem animi lenitate vinceremus, — reseruauimus etiam pietatis tuæ iudicio.] Hi ne significant se non audere? Lenitati duntaxat propriæ hoc tribuunt: quippe qui directè à Ioanne, & grauiter læsi, malint abstinere ab eo iudicando, in propria fermè causa, quàm præproperè, & fortasse seuerius in eum animaduertere: neque absolutè causam ab se abdicant, sed potius differunt, vt interim de more iudicium etiam Cœlestini super excessibus Ioannis audiant. Etiam pietatis tuæ, inquiunt, iudicio reseruauimus. Itaque ne absolutè quidem causam hanc transmittunt ad Cœlestinum, nisi vt ipse quoque super ea suum interponat iudicium: vt deinde ipsi simul cum illo Ioannis peragant damnationem, sicuti fecerunt in causa Nestorij. Aut si absolutè transmiserunt, ea protectò fuit simplex delegatio, & commissio: Maior verò est is qui delegat, eo cui delegatur, in quantum delegatus non nisi delegantis iudicat autoritate. Non ergo suprema Romani Pontificis autoritas in hoc Concilio indicatur: sed expressè summa paritas asseritur, vbi Collegam illum, & comministrum vocant Patres Concilij huius Ephesini.

VI.

a *Sander. n. 261. & Bellar. de Rom. Pont. l. 2 c. 13.*
b *Euagr. l. 1. c. 4.*
c *Prosp. in Chron.*

d *Euag. l. 1. c. 4.*

e *Synodica Concil. Ephes. ad Cœlestinum in act. 1 in Concil. Ephes. in fine.*

Ex Concilio Chalcedonensi plura colligunt argumenta, videlicet; [f] Quod titulus œcumenici datus sit ibi Papæ Leoni: quod in literis ad Leonem Papam, Concilium asserat, [g] vineæ custodiam à Saluatore ei esse commissum, & ipsum Romanum Pontificem Sacerdotibus, sicut membris caput præesse; & ab eo confirmationem petat: quod audiente, nec repugnante Concilio, Paschasinus Legatus Romanus dixerit, Romam esse caput omnium Eccle-

VII.

f *Bellar. vbi supra c. 13. & Sander. n. 315.*
g *In Concil. Chalced. act. 3.*

um Ecclesiarum.] Alia leuiora omitto. Respondeo de titulo œcumenici me egisse satis supra cap. 7. & nego Concilium Chalcedonense titulum illum Leoni obtulisse: quanuis in eo Concilio priuatæ personæ ea compellatione vsæ sint, & titulum illum in [a] libellorum suorum ad Leonem exordijs posuerint. De titulo autem siue Catholici, id est vniuersalis, siue etiam Oecumenici; non est multum hic laborandum; cum illa appellatio Pontifici Romano non sit peculiaris. Nam & Patriarchis datur; vt in Concilio Constantinopolitano sub Menna, vbi non, vt hic à Presbyteris & Monachis, sed ab Episcopis appellatur idem Mennas, [b] Sanctissimus Dominus, beatissimus Patrum pater, vniuersalis Patriarcha. Et Iustinianus Imperator similiter eiusdem sedis Episcopum vocat [c] vniuersalem Patriarcham. Imo Romanus ipse Episcopus Tharasium [*] appellat generalem Patriarcham. Quo enim nomine Oecumenici Patriarchæ, vel Iudicis, hodie vtuntur Archiepiscopi, non modo Constantinopolitani, sed & alij: Quod vero aliqui vocentur vniuersalis, seu Catholicæ Ecclesiæ Episcopi, non est ratum, nec paucorum: id enim solis Patriarchis non conuenit, sed commune est quibusuis Episcopis, vt docui, exemplisque demonstraui capite secundo numero quinto huius libri: Quibus hic subnecto, quod Epiphanius Photinum dicit fuisse [d] Episcopum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ; & Sozomenus Callinicum nominat [e] Episcopum Catholicæ Ecclesiæ, quæ est in Pelusio. Sic in Canonibus Carthaginensibus Græcè editis Can. 94. Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit, &c. Et in collatione Carthaginensi per Massonium edita, Aurelius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ: Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, &c: & hoc, siue vt ab hæreticis schismaticisque distinguerentur, siue quod, vt optime monet Origenes, [f] Qui vocatur ad Episcopatum, vocatur ad seruitutem totius Ecclesiæ.] Certè Paschasinus præcipuus Romanus Legatus in hoc Concilio, suum Episcopum non nisi beatissimum, atque Apostolicum vniuersalis Ecclesiæ Vrbis Romæ Papam vocat, potissmum in sua [g] subscriptione, qua damnauit Dioscorum. Vineæ custodiam Concilium non dicit Papæ soli à Saluatore esse commissam, quia (vt iam abundè docui) illa æque & in solidum omnibus est commissa Episcopis. Quod si vere ac proprie solus Romanus Pontifex sit totius Christi vineæ custos à Deo constitutus, tunc quod sint alij Episcopi sub eo operarij, à sola voluntate & arbitrio Papæ penderet, ita vt posset, si vellet, vniuersum Episcoporum cœtum de medio tollere, aut in aliud operariorum genus transmutare, quod tamen passim nostri negant etiam [h] Monarchici. Custos itaque vineæ Romanus Pontifex ab hoc Concilio vocatur; quia illum primum & præcipuum generalem speculatorem agnoscit, qualem explicuimus capite præcedenti; cum præsertim Leo in negotio Eutychetis, sua illa celeberrima dogmatica epistola de Incarnatione ad Flauianum, Coryphæus fuerit in erroris Eutychetis damnatione: & Concilium hoc Chalcedonense eiusdem Leonis in eadem epistola ductum sequens, ne vnguem latum quidem in eo dogmate ab eo discedere voluerit. Ac propterea ipsum tanquam Caput, & Præsidem in hoc negotio perpetuo agnouit, eique in suis Legatis lubenter primas dedit: propter quam Præsidentiam in eo Concilio, Leo dicitur quasi caput præesse membris. Confirmationem verò petunt, hoc est approbationem, & expressum consensum: quæ approbatio & consensus nullum dat primatum autoritatiuum, vt ostendam lib. 7. sicut neque præsidentia in Concilijs, & in rebus tractandis Ducatus; qualem Ducatum Osius Cordubensis, & alij, in Concilijs etiam generalibus habuerunt. Romanam verò Ecclesiam caput aliarum vocari à Legato Romano, taciti permiserunt; quia verborum otiosorum iudicium in Concilio non instituebatur: vel etiam quia ratione primi Patriarchatus poterat sua ratione caput, siue apex cæterarum vocari; nimirum prima in ordine. Moneo hic demum inepte à Monarchicis ex hoc Chalcedonensi Concilio quæri argumenta Papatus; quod non modo sedium eminentiam ad Vrbium magnitudinem, tanquam ad verum fontem reduxit: sed etiam Constantinopolitanam Ecclesiam ad paria cum Romana euehit priuilegia, ac similiter in Ecclesiasticis negotijs statuit magnificandam.

VIII. In secundo Concilio Constantinopolitano, quod fuit sub Menna, contra Anthimum ante quintam Synodum generalem celebratum; ipsum [i] Concilium per Mennam suum Præsidem ita prolocutum inuenimus: [k] Nos Apostolicam sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.] Infert Bellarminus: Iam si totum Concilium Apostolicæ sedi obedire se profitetur; certe Apostolica sedes toti Ecclesiæ cum autoritate præest.] Egregiam verò consequentiam! Quasi non possit par pari, imo superior inferiori recta suadenti, ac bonis exemplis præeunti auscultare, obedire, ac calculum suum lubenter

a Ibid. Act. 3.

b Conc. Constan. sub Menna, act. 5 edit. Binij.

c Authent. Collat. 1. 3.

* Conc. Nic. 2. action. 2.

d Epiphan. hæres. 61.

e Sozom. l. 3. cap. 24.

f Orig. in Isa. hom. 6.

g In conc. Chalced. act. 3.

h Bellar. de Rō. Pont. l. 4. c. 22.

i Bellar. vbi sup.

k Conc. Constan. sub Menna. act. 4.

A benter adijcere. Si dixisset Bellarminus, Ergo Patriarchæ solebant communionem suam ex mutuo exemplo concedere vel denegare: aut si subdidisset, Ergo Apostolica sedes eo tempore apud reliquas Ecclesias magnam obtinuit reuerentiam, & iudicio suo in causa bona præuio viam sternere solita est, ad aliorum etiam assensum attrahendum, me certe hac in parte obsequentē habuisset Cardinalis, non minus quam hic Mennam Romana sedes: hoc est, rationis vi perductum, non imperij nutu impulsum. Si etiam Romani Pontificis hic insinuari dicat præeminentiam quandam in reliquas sedes Patriarchales, adeoque in reliquam vniuersam Ecclesiam; non repugno, modo eam tantummodo Prælationem velit, quam præcedenti cap. in priuilegio tertio explicaui: Cuius intuitu omnibus Episcopis Synodisque solenne erat de Ecclesia Romana loquentibus, reuerentiâ magnâ styloque vti perquam honorifico. Quod verò ad ipsum, qui hæc verba habet, & de quo habentur actinet, hæc loqui Mennam ex se, ac de se, non in Concilij persona, satis probabile est. De
B Pontifice autem Romano solo eundem non loqui est certissimum. Sedis enim Apostolicæ nomine complectitur Romanam Ecclesiam particularem, adeoque omnes Occidentales, qui in causa Anthimi suffragia contulerunt, Episcopos. Noster tamen Pontifex in se solo Papatum vult plene constitui, nec quenquam alium immensæ illius, atque intractabilis potestatis vlla ex parte consortem admittit. Ecclesiam ipsam Romanam, quæ est ipsa vera sedes Apostolica, iamdiu à se in regimine Ecclesiastico seperauit, non Episcopos sine discrimine, prout ipsorum dignitas postulat, adhibet in consilium: non, vt hic Agatho, Synodos rite ac frequenter ad huiusmodi negotia liberis suffragijs terminanda conuocat; sed Cardinales, etiam exteros, (in quibus non consistit Romana Ecclesia, multò minus sedes Apostolica) Cleri Romani Episcoporum suffraganeorum, adeoque omnium Synodorum loco per summam iniuriam substituit: Sed de his alias. Respondeo denique hunc ipsum sub Menna conuentum vel maxime Papatui derogare: Si enim penes Romanum Pontificem suprema ac intemerata esset potestas, quid opus erat, imò quomodo non erat audax sacrilegium, de Anthimi causâ per Agathonem prius iudicata hic denuo iudicium instaurare, summamque Papæ omnipotentiam noua dubitatione conquassare? Alia argumenta
C quæ ex hoc Concilio colligit [a] Sanderus, sunt leuissima; & aut ad sola priuilegia à nobis iam concessa & explicata cap. 9. spectant, aut ad potestatem iudicialem: De qua agam libro octauo.

a *Sander. num. 417. & segq.*

In sexta Synodo generali, ponitur Epistola Agathonis ad Constantinum; in qua sedes Apostolica plurimum extollitur: Sed in eo [b] encomio nihil aliud amplificatur, nisi fides ipsius pura, quam tota sequatur Ecclesia, quod nihil facit ad Papatum. Et actione 18. [c] Rom. Pontifex Petri successor asseritur, & Petrus in eo loqui affirmatur. Hoc tamen erat vulgare dictum; & successionem significat, quatenus in ea sede Romanus Episcopus sedet, in qua primum suo modo sedit Petrus: Et Petrus in eo loquitur, quatenus ipse Rom. Pontifex
D doctrinam Petri in ea Ecclesia traditam, tenet & docet.

IX.

b *Sander. nu. 581.*
c *Ibid. nu. 587.*

In septima Synodo, Hadriani Epistolam quandam considerat Bellarminus, ab eo Concilio admissam, & approbatam; in qua de Petro loquens Hadrianus, ait: [d] Cuius etiam sedes, per totum terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit. Vnde & ipse B. Petrus Apostolus, Dei iussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed vbique Principatum obtinuit, & obtinet: Cui etiam & nostræ Beatæ, & Apostolicæ sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei caput, velim &c.] Hanc sane Epistolam laudat & approbat, fateor, illa Synodus: sed in eo articulo, de quo erat controuersia, & pro quo Concilium conuenerat, & quem solum definiebat; hoc est imagines sacras esse retinendas, & venerandas. Nam & omnes subscriptiones in eodem articulo, Hadriani literas expressè admittunt; cum declaratione tamen Tarasij Patriarchæ Constantinopolitani illis apposita, in hæc verba: sed apertis verbis testamur nos duntaxat in vnum Deum
E verum latriam, & fidem nostram referre, & reponere.] Quod verò Romani Pontifices suum Papatum ea occasione paulatim, & quasi furtim obtrudant, ac extollant, nihil mirum, sed de Papatu nihil in eo Concilio deliberabatur. Denique Primatus quidam vniuersalis, vt sæpe dixi, iuxta priuilegia legitima non erat negandus, ex quibus Romana sedes, & prima erat, & legitimo quodam sensu caput.

X.

d *In 7 Syn. act. 2.*

Posteriora Concilia Occidentalia, vt Lateranense sub Innocentio tertio; Lugdunense sub Gregorio x. & Florentinum, quæ à Bellarmino proferuntur; in quibus ait Græcos quoque interfuisse; imò & alia omnia, si plus volunt, quam id quod priuilegia legitima iam concessa, & explicata à nobis, Romano tribuunt Pontifici, sub iugo Monarchiæ Romanæ Ecclesiasticæ

XI.

Ecclesiasticæ iam dominantis gemendo, applaudere tanto Monarchæ sunt coacta. Et si in schismate Ecclesiæ Occidentalis potuit esse legitimum Concilium, alterum Basileæ, alterum Florentium: Certè ipsum Primatum tunc conciliariter non discutiebant; neque ex fontibus sacræ Scripturæ, & alijs nostræ fidei fundamentis, & regulis legitimis ipsum ex professo confirmabant, & definiebant. Et sanè Græci in Concilio Florentino expressè sunt protestati, se à tota sua Ecclesia Orientali nullam habere commissionem, circa articulum Papatus. Cum enim absoluta tractatione de processione Spiritus Sancti, Papa proponeret alias quatuor quæstiones definiendas, vt vnio perfectior fieret: de purgatorio: de summi Pontificis Principatu: de Azymo & fermentato: de transubstantiatione. Responderunt Græci: [a] Nos, Pater Sanctissime, nullam ad hæc respondendi facultatem habemus.] Et quamuis priuatim responderint, non publico Orientis nomine; postea tamen etiam protestati sunt, se sine totius Orientalis Ecclesiæ autoritate, quæstionem aliam tractare non posse; cum pro illa tantum de Spiritus Sancti processione Synodus conuocata fuerit; nolleque vt in literis vnionis de alia quæstione vlla mentio fiat. His tamen non obstantibus, Imperator Græcus Latinorum ope maxime indigus, vtcunque voluit Papæ gratificari; & tractatus sine priuatos habēdos curauit, & literas vnionis, quales Papa voluit, accepit. In quibus literis etiam illarum quatuor quæstionum definitiones fuerunt insertæ; super quibus tamen Orientalis Ecclesia nullum assensum; nullam autoritatem suis legatis tribuerat. Ac propterea etiam tota illa vnio statim euanuit. Hæc de Concilijs: In quibus bene habet quod Bellarminus, inter alia, Constantiense se omittere dicat, quod nec factum sit præsentibus Græcis, nec à Lutheranis recipiatur. De Basileensi vero prorsus silet, sed alijs, præterquam Græcis aut Lutheranis hæc male olent Concilia. In horum vtroque scilicet alæ Papatus sunt præcisæ. Verus autem Papatus non nisi Lateranensi vltimo voce Conciliari est stabilitus, hoc est sæculo post Christum decimo sexto. Quod ipsum Concilium ad diligens examen à nobis lib. 6. reducetur.

[a] Concil. Flor. sess. vlt.

XII. In altero Papatus argumento, seu genere argumenti, ponit Bellarminus dicta & facta Romanorum Pontificum, Papatum ipsum aut asserentia, aut indicantia. Sed certum est vt mortalium nulli, ita ne Romanis quidem Pontificibus in propria causa facile credi. Veteres profecto Romani Pontifices, in doctrina & sanctitate excelluerunt plurimi; ita vt manifestæ & voluntariæ vsurpationis non sint culpandi, neque arguendi. Homines tamen fuerunt, & humanum quiddam aliquoties passi sunt. Illorum nonnullos, haud quidem aperta ambitio, sed tamen naturalis blandusque appetitus propriæ excellentiæ, ad eas opiniones reddidit propensiores, quæ saltem postea viderentur Papatum aliquo probabili argumento insinuare. Quos in hoc zelus etiam iustitiæ, æquitatis, puritatis fidei, & disciplinæ in tota Ecclesia conseruandæ, non parum ad apprehensam potestatem augendam acuebat: vt plusculum interdum, quam iure possent, aggrederentur. Adeo scilicet facile est bonis viris in causa bona nimis esse officiosis. In eo potissimum ego aliquos ex veteribus, sed post Leonem Pontifices, opinione quadam apparenti, sed non vera, delinitos, deflexisse circa Papatum cerno: quod priuilegia & autoritatem quam aliunde habebant, & sane legitimam: vt præcedenti capite pertractaui; ad ius diuinum, & Christi concessionem, Petriq; successionem reducendam esse, sibi facile sed immerito persuaserint. Cæterum illos, vltra quam vera ipsorum ferrent priuilegia, sibi re, & facto non tam frequenter arrogasse, neq; tanto cum excessu exorbitasse reperiemus. Et si interdum in eorundem vsu priuilegiorum tantillum metas transilierint, vt contra Cornelium & Stephanum supra Cyprianus, & aduersus Victorem, Asiani, Polycrates, & Irenæus; & aduersus Iulium Concilium Antiochenum; contra Zosimum, Bonifacium, & Cœlestinum, Africani conquerebantur) id tamen non fastui & ambitioni, vt dixi, sed zelo, ac bonæ causæ manibus pedibusque promouendæ desiderio, vel forte obreptioni, humanæque fragilitati fuit tribuendum; & excusandum potius quam stylo acerbiore insectandum. Sed iam in particulari præcipuos percurramus.

XIII. In tres classes Pontifices Papatum asserentes distribuit Bellarminus. [b] In prima veterrimos posuit illos, quorum Epistolæ circumferuntur, vsque ad annum Christi circiter trecentesimum. In secunda ponit recentiores; ab anno nimirum sexcentesimo, vsque ad nostra tempora: In tertia illos qui Epistolas scripserunt trecentis illis annis, qui inter trecentesimum, & sexcentesimum intercurrerunt. Easdem ipse quoque sequar classes. Ac primum quidem Epistolas Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri, Pij, Aniceti, Victoris, Zepherini, Callisti, Lucij, Marcelli, Eusebij, Melchiadis, Marci; & si quæ aliæ sunt, in quibus

[b] Bellarm. de Rom. Pont. l. 1. c. 14.

A quibus Paparus hic absolutus astruatur, aut exerceatur, ponunturque in prima parte primi tomi Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum; (quod spectat ad personarum scribentium autoritatem) eas omnes, vt apocryphas, in paruo admodum precio habendas esse contendo. Nam vt libro 3. cap. 2. num. 2. docui, etiam Baronius earum autoritati parum censuit esse deferendum. Ac Bellarminus ipse [a] errores aliquos in eas irrepsisse fatetur, nec audere se indubitatas affirmare. [b] Cusanus verò eaidem apertè reijcit. In ore trium testium Cardinalium stabit hoc verbum. Ex his Epistolis promiscuè aliquot dicta Papatui applaudentia iam recensebo, quorum tamen aliqua ad solum legitimum eminentiæ Primatum trahi possent, & per legitima Romana priuilegia explicari. Anacletus dixit; [c] Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro Primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias; ac

B totum Christiani populi gregem assecuta est.] Si quæras vnde id probet, dictum Christi, Tu es Petrus, &c. statim tibi proferet. Alexander verò ait; [d] Huic sanctæ, & Apostolicæ sedi summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput; ipso dicente principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, &c.] Callistus ait; [e] Apostolica Ecclesia mater est omnium Ecclesiarum, cuius caput Romana est Ecclesia.] Marcellus; [f] Caput, *inquit*, totius Ecclesiæ Petrus est, cui ait Dominus, Tu es Petrus, &c. eius enim sedes primitus fuit Antiochiæ; quæ postea, iubente Domino, Romam translata est: ad quam cuncta maiora Ecclesiastica negotia, diuina disponente gratia, iussa sunt referri.] Iulius, & ipse fictus, ait; Nemo respuat regulam, [g] quam beati Petri sedem, & sequi viderit, & docere; multum enim conuenit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quæ inde autoritatem habet, vbi Dominus Ecclesiæ totius possint principatum.] Hoc dictum tribuitur etiam [h] Gelasio. Iulio præterea, & aliud tribuitur, quod sic se habet: [i] Sancti Apostoli sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt; & sicut B. Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum; ita & hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino iubente, prima, & caput sit cæterarum.] Et hæc quidem, & multa alia de suo Papatu illi. Sed nec illi: quæ nos facile, vt ab illorum temporum stylo aliena, & antiquitati ignota reijcimus, adeoque vt ex posteriorum Papicolarum officina prodeuntia, eandemque protsus manum redolentia, fastidimus. Sed & factis etiam horum nonnulli Papatum, vt volunt nostri, exercuerunt.

Martialem vnum ex Discipulis Domini, & Gratianum eius [k] socium; primos Episcopos, alterum [l] Lemouicensium, alterum [m] Turonensium, ait Gregorius Turonensis fuisse ab Episcopis Romanis, missos in Gallias. Ex quo Sanderus sumit argumentum [n] Papatus: actum enim supremi Papatus esse putat dare gentibus Episcopos. Ita Clementem etiam adducit mittentem itidem in Gallias Dionysium. Et [o] Eleutherum alios in Britannias. Hoc tamen Papatum non arguit: quia & Metropolitani, & præsertim Patriarchæ; imò etiam

D simplices Episcopi potuerunt id præstare: vt docui lib. 2. cap. 8.

Clemens [p] Epistola fuit olim in Ecclesia magni nominis, magnæque autoritatis, quam ille ad Corinthios, dissensionibus non modicis turbatos scripsit. Ex quo argumentatur [q] Sanderus, Romanam Ecclesiam iam inde ab initio autoritatem suam interposuisse, in moderandis etiam Græcis, & transmarinis aliarum gentium Ecclesijs. Ideoque non modò hanc Clementis, sed etiam Sotheris [r] Epistolam in Ecclesijs orientalibus frequenter ad earum institutionem legi solitam, affirmat Dionysius [s] Corinthius.] Hoc faciebant ex charitate, & generali superintendentia, de qua capite præcedenti. Sed idem præstabant cæteri quoque; nam Ignatius ad plures scripsit Ecclesias. Et Cyprianus non semel vel ipsam [t] monuit Romanam, & instruxit, Ecclesiam.

E Episcoporum Asiæ [u] Romam aduentum, ac præsertim Polycarpi ponderat Sanderus; vt inferiores Pastores ad supremum Pastorem venirent, & necessariam sibi cum illo tenerent communionem.] Veniebant tamen vel amicitiæ, & communionis gratia, vel vt in rebus ecclesiasticis conformarentur: alij vt discerent, alij vt docerent. Quod commune est mutuumque Episcoporum omnium & officium, & subsidium.

Victorem adducit [x] Sanderus diem Paschatis toti Ecclesiæ, etiam in oriente præscribentem; & Asianos repugnantes excommunicantem, ac tandem in omnibus præualentem.] Sed ego contrarium probaui, cap. 8. nu. 2. 3. Et si Victoris opinio tandem in Ecclesia vniuersali præualuit, non est id Victoris potestati tribuendum; sed consensui Ecclesiarum, Nicænæque [y] Synodo, & Constantini [z] Imperio. Excommunicatio verò illa fuit separatio sui ab illis Ecclesijs, verè schisma, vt suis locis ostendo. De institutione [a] ieiuniorum

à Teles-

a Bellar. de Rom. l. 2. c. 14.
b Cusan. Concord. Cath. l. 3. c. 2.
c Dist. 22. c. 2.
d 11. q. 1. c. 14.
e Dist. 12. c. 1.
f 24. q. 1. c. 15.
g Dist. 11. 4. 3.
h De consecrat. dist. 2. c. 6.
i 3. q. 6. & 9.

XIV.

k Greg. Turon. lib. Franc. l. 1. c. 30.
l Idem l. de glor. Conf. c. 27.
m Ibid. c. 4.
n Lauden. l. 7. c. 3.
o Ibid. nu. 19.

XV.

p Irenæ. l. 3. c. 3. & Euseb. l. 3. c. 12.
q Sander. l. 7. nu. 4.
r Ibid. nu. 14.
s Apud Euseb. l. 4. c. 22.
t Cypr. l. 3. Ep. 9. 13. 21.

XVI.

u Sander. l. 7. nu. 9. 12.

XVII.

x Ibid. nu. 22. & seqq.
y Theodoret. l. 1. c. 9.
z Euseb. in vit. Constant. l. 3. c. 17. 18.
a Sander. l. 7. nu. 8. 34.

à Telesphoro, vel Callisto, vel alijs Romanis Pontificibus, differam libro octauo. A

XVIII

Dionysium Patriarcham Alexandrinum, apud Dionysium Romanum Pontificem accusatum fuisse à Pentapolitanis, & iudicatum, atque absolutum, narrat Athanasius in Commentario de sententia Dionysij, &c. [a] Quia omnium iudicem cognoscebant Episcopum Romanum, *ait Baronius*; & [b] accusationes apud superiorem iudicem fiunt, *ait Sanderus, & Bellarminus.*] De iudicijs Ecclesiasticis agam ipse libro 8. Interim respondeo accusationes has eo spectasse duntaxat, vt Romana Ecclesia suam communionem auferret reo: inde verò, ex mutuo Ecclesiarum fœdere, apud reliquas etiam Ecclesias reus haberetur; & earum communione priuaretur. In qua cõfœderatione quod sedes Romana præiret, vt ductor, siue choragus, erat certe priuilegium Ecclesiæ Romanæ, non Romani solius per se Pontificis. Ideoque etiam hic Dionysius, non à Papa solo, sed à Concilio Romæ ad hoc congregato, fuit de accusatione [c] monitus, & vt fidem suam declararet requisitus. De [d] Marcellini iudicio Sinuessæ habito, an & quo sensu verum sit primam sedem à nemine iudicari, id est Papam; videbimus lib. 8. Sicut & de Cæciliano à [e] Melchiade absoluto. Quamuis miretur Sanderum pro Papatu exemplum hoc attuliſſe, quod vel maximè Papatum oppugnat, vt docebo libro 6. & libro 8. Iudicium enim illud, vt ex ipsismet Augustini locis à Sandero citatis, constat, & alijs; fuit à Constantino delegatum aliquot Episcopis, inter quos fuit etiam Melchiades: qui licet inter illos ob dignitatem sedis præcederet; ipse tamen non nisi vnicum ferre poterat in tali iudicio suffragium. Et ab illa sententia, quam cum collegis Melchiades tulerat, fuit ad aliam Synodum appellatum; & in ea iudicium innouatum: quæ mihi videntur Papatui valde contraria. Hæc de prima classe satis. De secunda dicam inferius. B

a *Baron. to. 2. an. 263. n. 31.*
b *Sander. l. 7. n. 80. & Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 15.*
c *Baron. Ibid.*
d *Sander. n. 85.*
e *Sander. n. 86.*

XIX.

Tertiæ classis Pontifices tametsi, vt iam monui, ipsi quoque interdum aut inclinent in Papatum illum absolutum; & paulo plus, quam præcedentes; sæpiusque non nihil per actus obreptos, sua ordinaria excedant priuilegia; tamen eos vt plurimum intra iustos & legitimos suorum priuilegiorum terminos se continuisse, omnino mihi videtur affirmandum; siue eorum dicta spectes, siue facta. Considerandus enim est Romanus Pontifex primum & ante omnia ex iure Diuino, vt Episcopus; & sic in sua Diœcesi ordinariam de iure Diuino exercet Episcopalem potestatem. Deinde ex iure Ecclesiastico; isque vel vt Metropolita Prouinciæ satis magnæ lateque patentis, vt docui capite secundo; vnde multorum Episcoporum habet ordinationem; & in eos ordinariam exercet Metropoliticam potestatem; de qua fusè egi libro tertio: Vel insuper vt Patriarcha, cum ordinaria, quę multiplex est in suo Patriarchatu, Patriarchali iurisdictione: Vel demum vt primus Patriarcha, primæ sedis dominantisq; Vrbis, feracissimæque Ecclesiæ, & Episcopus; ex qua habet sua quædam in vniuersam Ecclesiam porrecta priuilegia iam explicata. Hic pes sistendus: Ac certe ex his omnibus, huius tertiæ classis Pontificum, & assertiones, & regiminis exempla, citra magnum illum Cœli ipsius æmulum Papatum, & Monarchiam absolutam, vt plurimum explicabo. Non quod negem aliquos interdum, se totius Ecclesiæ Episcopos vniuersales, per errorem, & asseruisse, & vt tales gessisse; sed vt eos à crimine voluntariæ vsurpationis, obstinatæque ambitionis liberem; erroremque ipsorum in hoc ostendam fuisse venialem; interimque doceam, à posterioribus Papis non posse istos sanctos, pro summo hoc Papatu, merito aduocari patronos. C D

XX.

Athanasij Alexandrini, Marcelli Ancyrani, & aliorum Episcoporum Orientalium Romæ quomodo fuerit causa indicata, differam libro octauo: & iam supra capite octauo ostendi, Concilium Antiochenum contra Iulium insurrexisse; & ipsius actis restitisse; Orientalesque Episcopos, etiam Catholicos, in his iudicijs Iulium esse expertum aduersarios. Ponderat tamen illa Iulij verba Bellarminus ad Orientales scribentis. [f] An ignari estis, hanc esse consuetudinem, vt primum nobis scribatur, vt hinc, quod iustum est, definiri possit? Quapropter si isthic eiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat; adhuc ad nostram Ecclesiam referri oportuit — quæ accepimus à Beato Petro Apostolo; ea vobis significo; non scripturus alioqui quæ nota apud vos esse arbitror; nisi facta ipsa nos conturbassent.] His subdit ista Bellarminus: His verbis S. Iulius affirmat ad se pertinere officium dijudicandi causas Episcoporum, etiam Orientaliũ, tametsi Patriarchę primarij essent (nam de causa S. Athanasij Alexandrini Patriarchæ agebatur) & hoc ius à Beato Petro se accepisse; atque id omnibus notum esse. Quid quæso responderi potest? Autor est Sanctus, & vetustissimus; epistola certa, & à Sancto Athanasio tota descripta; verba denique ipsius perspicua & diserta.] Ludit tamen illustrissimus Pater: qui si non dormitans verba Iulij le- E

f *Bellar. de Rõ. Pont. l. 2. c. 14.*

lij legebat; optime videbat Iulium, non de iure vllo Papali a Petro accepto, loqui; Sed solam institutionem, quam Ecclesia vniuersa, & à Paulo, & à Petro, & à Patribus acceperat, commemorare, ac in memoriam Orientalibus reducere; & hoc instruendo, & monendo, non præcipiendo, nec imperando. Cernebat enim in Oriente, contra Ecclesiasticam disciplinam ab Apostolis traditam, Episcopos innocentes, & bonos suis plebibus gratos, & acceptos, ab Arianis, sedibus pelli; & non modo deponi; sed etiam exilijs, & morte mulctari: Alios verò turbulentos, & inquietos, inuitis plebibus obtrudi: hoc igitur cum maximè pugnaret cum Pauli & Petri traditione (qui plebes voluerunt semper gratos, & acceptos habere, & retinere Episcopos) ex vniuersali superintendentia Romani Pontificis, iam à me explicata, Orientales in hoc errantes commonet Iulius. Ac primum consuetudinem commemorat, quæ ob magnam Romanæ Ecclesiæ existimationem iam obtinuerat, vt in grauioribus causis illa, ex toto Romano Imperio, consulereretur. Deinde ab Ecclesiasticis institutis Orientales deuiasse admonens, ait; Non ita se habent Pauli ordinationes; non ita Patres docuerunt; sed fastus iste, & nouum studium est: Obsecro vos, cum alacritate audite, pro publico bono ista scribo: quæ enim accepimus à B. Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror; nisi facta ipsa rus conturbassent. Episcopi arripiuntur, & suis è sedibus propelluntur: alij verò aliunde in eorum loca reponuntur; alij verò insidijs appetuntur, vt subditi, & de arreptis doleant; & à summissis vim patiantur; vt quos optant, frustra requirant; quos nolunt, inuiti recipiant. Obsecro, ne ista vlterius fiant, &c.] Non ait Iulius, Illud ius Papatus, quod à Petro accepi, nunc exerceo: sed, Illud documentum regendi Ecclesias, quod à Petro didici, quum Paulus docuit, quod Patres tradiderunt, vobis in memoriam reduco. Totidem verbis eosdem compellare, quicunque alius Episcopus, non solus Romanus, ex caritate potuisset: Quomodo vero Iulius suum Papatum astruere in hac Epistola est dicendus; qui ipsos Orientales Ecclesiasticam disciplinam plurimum turbantes soli Diuino iudicio reseruat; nihilque in eos iuris exercet, nihil minarum intentat? Vnusquisque, *inquit*, nostrum, eorum, quę hic turbauit, rationem reddet in die iudicij: optoque vt omnes secundum Deum sentiant; quo Ecclesiæ suis Episcopis receptis, perpetuo gaudeant in Christo Iesu Domino nostro.] Eundem verò Iulium in eadem Epistola, à Papatu se remotissimum agnoscere, & fateri, satis consideraui supra cap. 8. nu. 9. & seqq.

XXI. Sanderus verò illa Marcelli Ancyrani ad Romanum Pont. Iulium, apud Epiphanium, hær. 72. verba, vrget: [a] Necessarium duxi me conferre Romam, & commonefacere te, vt eos, qui contra me scripserunt accersas, quo præsentes ipsi &c.] Videat tamen totum hoc iudicium, quod quærebat Romæ Marcellus, eo tantum fuisse quæsitum, vt ab illius Ecclesiæ communione non separaretur. Subdit enim Epiphanius de illo; Per libellum ornauit suos sermones, quo occultet ea, quæ ab ipso dicta sunt; vt ne excidat per depositionem à communi Episcoporum collegio & regula.] Cur verò à communi Episcoporum collegio non excidebant illi, qui cum Romana Ecclesia communicarent, excidere verò, qui non communicarent, iam exposui cap. præcedenti. Sola ergo communionis causa sæpe Episcopos Romam compellebat; non vt directè ipsorum causa iudicaretur, tanquam apud suum proprium & supremum Iudicem; sed indirectè, vt defensa sua causa in Ecclesia Romana, in gratiam tantum communionis cum illa Ecclesia, consequenter in alijs etiam Ecclesijs communionem retinerent, & inde causam suam vbique tuerentur. Iudicabatur ergo Romæ causa, quatenus erat Romana propria, agitabatur enim quæstio an talis Episcopus esset retinendus in Romana communione, an amouendus.

a *Sander. l. 7. nu. 103.*

XXII. Id verò ex Augustino possumus egregiè explicare, is enim Cæcilianum defendens ait illum fuisse per [b] communicatorias literas, & Romanæ Ecclesiæ, (in qua semper, *inquit*, Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus) & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, coniunctum; vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.] Episcopus igitur quicunque, in quacunque Ecclesia potest, & debet suam causam competenti iudicio agitare; vbi quis conetur illum ab illa Ecclesia alienare; id est, vbi quis conatur, vt aliqua Ecclesia hunc Episcopum à sua expellat communione. Sicut itaque in quacunque Ecclesia potest quicunque Episcopus in tali casu suam causam agere; ita in Romana quoque ideo Episcopi causam suam agebant; quia ipsorum aduersarij conabantur, vt illa eos à sua excluderet communione. Et in hoc Romanus Papatus nihil subleuatur. In Romana verò sede Principatum Cathedræ Apostolicæ semper viguisse ait Augustinus, quia Romanam Cathedram ex iam explicatis à me

b *supra cap. 10.*

priuilegijs,

priuilegijs, agnoscebat esse principalem, ac primum in Ecclesia Patriarchatum: & ex Apostolicis Cathedris, seu sedibus, præcipuam & principalem. A

XXIII.

Damasus,[a] *inquiunt*, ad Orientales Episcopos scribens, eos [b]filios vocat, & laudat, quod debitam reuerentiam Apostolicæ sedi præstiterint.] Sed aliud est reuerentia, aliud obedientia siue subiectio. Reuerentia excellentiam quancunque supponit; obedientia verò superioritatem cum potestate. Damasus vt sedis primæ Patriarcha, filios vocauit Episcopos Orientales. Esto: Orientales vero aliâs Damasum ipsum non patrem, sed [*] fratrem, collegamq; nuncupãt, ac multos alios Episcopos eidẽ in eadẽ cohorte adiungunt, vt officio & potestate pares. Similiter innumeri alij Episcopos Romanos vocant fratres, collegas, & comministros; vt vidimus in præcedentibus: Filios etiam forte eos Damasus vocauit, vt magis sibi ipsi consentientes, obsecundantesque haberet. Atqui filij hi adeo morigeri, suo certe huic Patri non multum placuerant in [*]Nectario, Flauianoque ordinandis. Vel deniq; ita vocauit ex amore; quia plus amat pater filios, quam frater fratres. Interim tamen non video cur illinc plus valeat ad autoritatem patris relatio in eo, qui alios pro filijs suis habet, quam hinc ad paritatem fratris reciprocatio ab eisdem profecta. Imo vero in eadem Synodica Damasus, ex Petri successione (quam primus fortasse Stephanus Papa sibi persuasit, vt supra cap. 1. nu. 2. huius) non absolutum Papatum; sed doctrinæ à Petro habitæ securitatem insinuat. [c] Nam tametsi, *inquit*, in sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula quæ suscepimus tractanda sint, nobis primæ partes deferuntur; tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse.] In cura Ecclesiæ primas partes sibi deferri asserit; ideo quia in ea sit Ecclesia, in qua Petrus fidei doctrinam docuit & explicauit; & ita non solus, sed primus, ac præcipuus est in hac cura; in qua socios & collegas habet omnes Episcopos. Sed & illud pro Papatu vrgent, quod ad Episcopos Numidiæ scripsit idem Damasus, dicens: [d] Cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos tanquam ad caput, vt semper fuit consuetudo, deferre non deriuatis.] Esto: Fuerit caput: Id tamen non iure diuino, vt ipse fatetur, sed ex consuetudine; quia dignitate primus Patriarcha erat, cum priuilegio vt in grauissimis quibusque, præsertim fidei, negotijs, Romana primum Ecclesia suam diceret sententiam. Maiorẽ præ se fert idem Damasus autoritatem, vbi epistolã hanc concludens, ait: [e] Omnia hæc Decretalia, & cunctorum decessorum nostrorum constituta, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vobis & omnibus Episcopis, ac cuncta generaliter Sacerdotibus custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari; quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret. Et merito nos, qui summa Ecclesiæ tenere debemus gubernacula, causa respicit, si silentio faueamus erroti.] Patriarchatus sui autoritatem duntaxat exercet in Africanos, suo Patriarchatui subiectos. Et summa Ecclesiæ gubernacula intelligit primæ & supremæ in Occidente suæ sedis, ex consuetudine, ex Concilijs, ex humanis priuilegijs potestatem: Non sine quodam tamen tumore. Ac bene habet quod se iure diuino Christi solum & supremum Vicarium, cum summa Petri imaginaria Papali potestate nondum faciat. Nondum enim habemus Pontifices Romanos exortem potestatem suam, ad, Tu es Petrus; Quodcunque ligaueris; Pasce oues; Confirma fratres &c. reducentes. Sed [f] Hispani quoque quidam Episcopi, in Synodo [g] Cæsaraugustana damnati, ad Damasum recurrebant; quia cum illo communionem retinere cupiebant; eratque ipsorum proprius Patriarcha; ad quem in Occidente, ex consuetudine vltima interdum iudicia pertinuerunt, vt infra lib. 8. explicabo. Quod vero [h] Hieronymus [i] Damaso, hoc est Petri Cathedræ consociari velit; significat priuilegium illius Cathedræ adhuc Hieronymi tempore viuens, circa fidei puritatem: vt inferius pluribus explicabo. num. 88. B C D

XXIV.

Siricius in epistola ad Himmericum Tarraconensem [k] producitur; qui asserit se ex officio onera omnium qui grauantur portare; sibique incumbere Christianæ religionis zelum maiorem quam cunctis; seque respondere ad singulas causas, quæ ad ipsum, vtpote ad caput delatæ fuerant.] Sed hæc de zelo ac sedulitate intelligi possunt. Quod si etiam speciale officium innuant, certe nullum, nisi Patriarchale, & superintendentiam, maxime in eodem Patriarchatu, generalem. Ideoque ipsemet asserit maiorem esse suam curam, quam reliquorum; nam etiam ad reliquos Catholicæ Ecclesiæ Episcopos eadem cura pertinet, vt iam docui; sed principaliter ad Patriarcham, ex Ecclesiæ consuetudine & institutione. Vbi vero idem [l] Siricius leges sancit, easque Africanos sub anathemate seruare iubet, id libro octauo ponderabimus. E

a *Sander. num. 148. & Bellar. c. 14.*
b *Apud Theodoret. l. 5. c. 10.*
* *Ibid. c. 9.*
* *Baron. tom. 4. an. 381. nu. 51.*
c *Damas. ep. 2.*
d *Damas. ep. 5.*
e *Ibid.*
f *Sander. nu. 153.*
g *Sulpicius hist. l. 2.*
h *Sander. nu. 164.*
i *Hieron. ep. 57*
k *Bellar. c. 14.*
l *Siric. ep. 4. & Baron. tom. 5. an. 397. nu. 59.*

Zosimi

A Zosimus dictum [a] profertur ad Hesichium Salonitanum, quo iubet præcepta sua circa ordinandos, ad omnium illius Prouinciæ Episcoporum notitiam per ipsum Hesychium deduci debere; minaturque vindictam.] Sed ista quoque tanquam à proprio Patriarcha procedunt. Quanquam Zosimus in Papatum aliqua ex parte cum reliquis inclinârit; quando præsertim, nescio quo artificiolo, Sardicenses Canones in Ecclesia non acceptos, pro Nicænis, neque fideliter relatos, Ecclesiæ obtrudebat Africanæ, vt vidimus cap. 8. nu. 2934. Sed quoniam in hoc ipso magnam reuerentiam exhibuit sacris Ecclesiæ Canonibus, nihil propria autoritate præcipiens, sed Canonum Ecclesiasticorum inculcans obseruantiam (contra quos alibi præclarè dixit, ne Romanæ quidem sedis quicquam posse autoritatem, vt protuli libro tertio, cap. 12. num. 3.) à Papatu certè moderno Canonum vastatore illum abhorruisse non dubito. In potestate tamen iudiciaria Romani Pontifices, etiam vetustiores, multo plus quàm par esset sibi quandoque tribuerunt: Et Zozimus ipse hanc suam potestatem plurimùm extulit ad Africanos scribens. Apud me tamen non constat eundem profiteri se iure diuino sustinere Primatum Petri. In quadam nempe Epistola nuper nobis ex Vaticano producta, habet illa verba; [b] Quanuis Patrum traditio Apostolicæ sedi autoritatem tantam tribuerit, vt de eius iudicio disceptare nullus auderet; idque per Canones semper regulasque seruauerit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomine, à quo ipsa quoque descendit, reuerentiam quam debet exsoluat: tantam enim huic Apostolo Canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, vt & ligata solueret, & soluta vinciret: par potestatis data conditio in eos, qui sedis hæreditatem, ipso annuente meruissent. Habet enim ipse cùm omnium Ecclesiarum, tum huius maximè vbi sederat curam: nec patitur aliquid priuilegij, aut aliqua titubare aura sententiæ, cui ipsa sui nominis, firma & nullis hebetata motibus constituit fundamenta, & quæ sine periculo temerè nullus incessit. Cùm ergo tantæ autoritatis Petrus caput sit, & sequentia omnium maiorum studia firmauerit, vt tam humanis diuinisque legibus, & disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cuius locum nos regere, & potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, & quemadmodum Sacerdotes scire debetis, &c.] Hæc quæ nuper è latebra Vaticana irrepserunt (si suspicione non careant) primo quidem aspectu videntur Petri Primatum potestatis, & iurisdictionis, in Romanos Pontifices in Romana sede Petri successores, & hæredes, idque fortè iure diuino, transmittere. Quia tamen apertè ait sedi illi autoritatem esse traditione Patrum tributam, & ab alienis iudicijs absolutam, & hoc ob reuerentiam Petri; neque ait Petrum solius sedis Romanæ curam adhuc gerere, sed omnium, maximè tamen Romanæ, quia etiam in his verbis facile est obseruare agi de priuilegio ipsius Romanæ potius Ecclesiæ, quam de priuilegio Episcopi Romani: videlicet à Petri labore, & institutione Ecclesiam Romanam tutam fidem, doctrinam, & disciplinam accipisse, & conseruasse: vt inde Episcopus Romanus possit alios instruere, & docere; Vt ab ipsa Ecclesia Romana in Episcopum manet hæc autoritas; non ab Episcopo in Ecclesiam: Sitq; donum speciale ipsius Ecclesiæ, quandiu illum purum conseruauit, non successoris priuilegium, vt sicut locum, ita & potestatem aliquam peculiarem Petri teneat; iccirco Zozimum quoque non puto suum Papatum ad Petrum reduxisse; nec tam altum agnouisse.

XXV

a Bellar. c. 14.

B

b Apud Baron. to. 5. an. 418. num. 4.

C

D

Innocentius primus [c] pluribus videtur Papatum confirmare, præsertim quod sedem Apostolicam vocet caput, & fontem omnium Ecclesiarum: & suam dicit esse omnium Ecclesiarum solicitudinem: idque ex antiquæ regulæ forma, quæ toto orbe fuerit cum eo seruata.] Ego propterea sanè nolo illum Nocentium vocare, quia in eo nihil plus obseruo, nisi quod Romanæ Ecclesiæ legitima priuilegia ei magna ex parte concedunt, nimirum generalem superintendentiam; maximè erga illas Ecclesias, quarum Roma mater, & propagatrix fuit; & in suo potissimùm proprio occidentis Patriarchatu, ad quem tum pertinebat [d] Macedonia. Et nullum ipsius aut dictum, aut factum obseruo, quod non aliquo ex iam explicatis priuilegijs excusetur. Fons ergo erit ex eo quod sit propagatrix plurimarum Ecclesiarum, & doctrinæ tradux: caput verò quia prima Patriarchalis. Causam Ioannis Chrysostomi vrget [e] Sanderus; sed quod dictum est, & dicetur de Athanasio, & socijs: Innocentij etiam in hoc facta explicabit. Potius de Cœlstini aliqua vsurpatione nobis conquerendum, aditum aperit Socrates; hæc enim de illo scribit: [f] Hic Nouatianis qui erant Romæ Ecclesias abstulit; & Rusticulam illorum Episcopum, clàm in ædibus conuentus agere coegit. Nam ad illud tempus Nouatiani Romæ admodum floruerant, plurimasque ibi habuerant Ecclesias, & ingentem populi multitudinem coegerant. Verum grauis tum

XXVI.

c Bellar. c. 14. & Sander. nu. 189 & seqq.

E

d Sup. l. 3. c. 11. n. 32.

e Sander. num. 217. & seqq.

f Socrat. l. 7. c. 11.

iracundiæ flamma contra eos incensa fuit, cùm Episcopatus Romanus, non aliter atque Alexandrinus, quasi extra Sacerdotij fines egressus, ad sæcularem Principatum erat iam ante delapsus.] Fructus hic pessimus fuit opum à Constantino concessarum, à Socrate tunc temporis annotatus. Si posteriora præuidisset sæcula, de Roma degeneri longe grauius fuisset conquesturus. A

XXVII. Leonem videtur Hieromonarchia posse sibi magnum asciscere patronum; [a] Quod in pluribus suis Epistolis vel suum verbis extollat, factisque stabiliat Papatum. Quia tamen multa ipsius & dicta, & facta, eius duntaxat in Occidente Patriarchatum arguunt; appositè facit Bellarminus, dum ea loca considerat in Leone, quibus ipsius Papalis autoritatis, extra Occidentem extenditur; & sunt ista. Ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem: [b] Sicut, *inquit*, præcessores mei, præcessoribus tuis; ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui; vt curam, quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex Diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares; & longinquis ab Apostolica sede Prouincijs, præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes — Vices nostras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis — Et per Metropolitanos, ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vnquam à suo capite dissideret.] Ex his apparet, *inquit Bellarminus*, non solum Primatus sed etiam autoritas Leonis in Ecclesias Græciæ Alter locus est ad Anatolium: [c] Residentibus, *inquit*, vobis, quibus executionem nostræ dispositionis iniunximus, &c.] Tertius, vbi à [d] Maximo Antiocheno vult frequenter certior fieri de statu illarum Ecclesiarum; & se ab Alexandrino supplicatum fuisse docet, ne permitteret Iuuenali Hierosolymitano subijci Palæstinam. Quartus, ad Dioscorum Alexandrinum: [e] Quod, *inquit*, à Patribus nostris propensiore cura nouimus esse seruatum, à vobis quoque volumus custodiri. Quintus, ad Episcopos Africæ: [f] Quod, *inquit*, vtcunque patimur esse veniale, multum postmodum esse non poterit; si quisquam quod omnino interdicimus, vsurpare præsumserit, &c. Et cautam Lupicini illic iubet audiri. Sextus vbi Romam sic alloquitur: [g] Per sacram Beati Petri sedem caput Orbis effecta, latius præsides religione Diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra marique protuleris; minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.] Septimò, demum Leo ibi maxime videtur pro Papatu Romano stare, vbi & [h] Anatolio, & Concilio Chalcedonensi restitit, ne Constantinopolitana Ecclesia par fieret Romanæ. Vt enim vidimus cap. 4. n. 11. inde maxime Leo monebatur, quod in sola Romana primatum supra totam Ecclesiam defendere cupiebat. B C

a *Bellar. de Rõ. Pont. l. 2. c. 14. & Sand. n. 292. & seq.*

b *Leo ep. 88.*

c *Leo ep. 48.*

d *Idem ep. 66.*

e *Idem ep. 7.*

f *Idem ep. 91.*

g *Idem serm. 1. de Natal. Apost. PP.*

h *Idem ep. 56. 57. 58. 59. 63. 66*

XXVIII. His tamen omnibus nihil obstantibus, Leonem ego nunquam penitus exorbitasse dixerim, aut nimium extra limites sui legitimi primatus excessisse. Qui enim se sacrorum Ecclesiæ Canonum obseruantissimum profitetur; negatque absolute quenquam, & consequenter etiam Romanum Pontificem, posse ab illis deflectere; sed omnes omnino Episcopos, profecto etiam ipsum Romanum illis vel maximè ligari asseuerat, vt videre potes supra lib. 2. cap. 5. num. 27. & lib. 3 ad fin. cap. 10. & cap. 12. num. 5. & seqq. Is profecto à Monarchia Ecclesiastica absoluta satis abhorrebat. Nam & propterea sua Metropolitanis iura intacta relinquit sup. lib. 3. cap. 12. num. 78. eosque in alio Romanæ sedi non subijcit, nisi vt ab ea moneantur si canones non seruarint, & instruantur vbi maiori indigeant instructione. Circa Iudicialia vero, quatenus Metropolitanorum iudicia subsint Romanæ sedi, dicam libro octauo. D

XXIX. Ad primum, Respondeo non pauca extare indicia, ex quibus colligamus Macedoniam, cuius Metropolis Thessalonica, tunc fuisse Patriarchæ Romano subiectam. Quam Patriarchalem potestatem Anastasio Thessalonicensi Leo Romanus concrediderat. Idque solitos prædecessores suos Thessalonicensibus Episcopis præstare, aperte hic testatur. Quod si ad Patriarchatum Romanum nunquam Macedonia pertinuisset, potuit tamen Leo generalem suam superintendentiam, iuxta primum ipsius priuilegium capite præcedenti explicatum exercere. Atque hanc ipsam curam generalem præcipui, & generalis speculatoris, suis, in longinquis partibus, legatis committebat: & huic soli curæ & superintendentiæ generali Episcopos illos in suo legato supponebat. In primario tamen, & ordinario Episcopali, ac Metropolitico regimine, integram Episcopis & Metropolitanis, ac intactam potestatem relinquebat: & quia in hoc Anastasius excesserat, graui illum excepit reprehensione. Quod si quid Episcopi & Metropolitani contra Canones facerent, per legatum suum E

A suum sua illa generali cura eos corrigi & emendari satagebat: neque Episcopis illis ex autoritate imperare poterat, nisi quatenus hæc cura generalis speculationis, inspectionis, fraternæ correptionis, & charitatiuæ admonitionis requirebat, & concedebat.

XXX. Duo tantum in hac Epistola obseruo, quæ ad Papatum videntur pertinere: Alterum quod ex diuina institutione principaliter se debere asserit curam vniuersis Ecclesijs: Alterum quod in Episcopos quoscunque, etiam remotarum Prouinciarum, se & seueritate, & potestate animaduertere posse expresse supponit. Sed ne in his quidem se Leo agnoscit absolutum Ecclesiæ Monarcham: ex diuina enim institutione ego quoque ostendi vnumquenque Episcopum totius Ecclesiæ curam vniuersalem habere; ex consuetudine tamen & lege Ecclesiastica maior hæc cura data est Patriarchis, quam cæteris; maxima verò primo Patriarchæ qui est Romanus. Potest etiam Leo suæ potestatis exercitium ad diuinam quodammodo trahere institutionem, vel quod Canonibus fundetur, quos dicit [a] Spiritu Dei conditos, & consequenter largo sensu diuinos: vel quatenus ex lege diuina cuique incumbit ea exercere munia, ad quæ humanis etiam constitutionibus non malis, est vocatus. Sed neque negare possum Leoni iam fuisse familiare, vt se non solum in locum Petri, sed etiam in ipsam Petri potestatem succedere & putet, & asserat: Hunc enim primum videor obseruare, qui ex Euangelicis dictis ad Petrum à Christo prolatis, iam incipiat ad se Papatum magnum trahere; modeste tamen, & non sine insigni moderatione. Vt videlicet, quemadmodum Petrus non solus, sed [b] principalis fuit totius Ecclesiæ minister, & [c] Primas, cum cura quadam specialiori, vt vidimus lib. 1. cap. 3. nu. 24. 25. & cap. 10. n. 22. Ita se [d] speculatorem agnoscit in tota Ecclesia Principalem. Non igitur excludit alios ab vniuersali hac cura gerenda, sed includit. Potestatem verò puniendi quoscunque Episcopos contra Canones delinquentes, in se aliam non potuit agnoscere, nisi per ablationem suæ communionis. Sed de Iudiciaria potestate, in qua antiqui etiam Sancti Pontifices videntur nonnihil excessisse, agam, vt sæpius monui, lib. 8.

a Leo Ep. 88.
b Leo ep. 93.
c Idem serm. 2. de sua assump.
d Idem ep. 2.

XXXI. Secundo loco vim facit Bellarminus in verbo Iniunximus: & inde colligit Leonem Constantinopolitano Patriarchæ præcipere. In ijs quæ ad commune Ecclesiæ bonum spectant, potuit Romanus Episcopus suo priuilegio, alijs Patriarchis etiam præscribere multa agenda, iuxta doctrinam Apostolicam in Romana Ecclesia potissimum conseruatam. Sed ne verum quidem est verbum illud ad Patriarcham dirigi, aut vim habere præcepti: Cum Patriarcha enim ibidem locutus fuerat Leo semper in singulari; vbi verò ei adiunxit suos Legatos, statim in plurali ait; Quibus iniunximus: inclusis nimirum etiam Legatis: & iniungere hoc loco idem est quod instruere, & res agendas præscribere. Certè Gregorius [e] iubendi verbum in summo Pontifice, erga Patriarchas insolens iudicauit; & omnino arrogans, nec adhibendum.

e Gregor. l. 7. ind. 1. ep. 30.

XXXII. Tertio loco speculatorem tantum agit, & vniuersalem Canonum custodem: Et quamuis nonnulli Pontifices, excusabili quodam errore, ad se solos Petri curam peruenisse censerent; & se propterea inter omnes Episcopos præeminere, sicut Petrus inter Apostolos personalibus quibusdam prærogatiuis, de quibus egi lib. 1. cap. 5. præeminuit; hinc tamen solam curam vniuersalem, & superintendentiam generalem, tanquam præcipui speculatoris totius Ecclesiæ, ad summum assumpserunt; non exorbitantem illam Monarchiam sibi attribuerunt. Neque vero ad Leonem scribens Alexandrinus, oransque ne permitteret Palæstinam Iuuenali subijci, censuit penes Romanum fuisse Pontificem de Patriarchatuum Orientalium limitibus statuere, cum ea iurisdictio primùm consuetudine, dein expressis Canonibus distribueretur; sed illud à Leone petijt Cyrillus, ne Iuuenali Hierosolymitano Palæstinam ab Antiocheno Patriarchatu auellere conanti faueret, aut quouismodo animos daret: Vt enim petitiones mutuæ de auxilio ferendo, vel negando, inter Principes sæculares sunt frequentissimæ, nec tamen inter Reges vllam arguunt subordinationem; sed potius vicium ac dominiorum imparitatem; ita in Patriarcharum contentionibus (plerumque certè ambitiosis) magnum erat momentum, quam in partem alij, quorum res non tum agebatur, propenderent; potissimum verò Romanus, qui reliquos tunc obumbrauit, iamque quasi solus rerum potitur, ac dominatur.

XXXIII. Quartus locus aliquam videtur præferre auroritatem, dum ait, volumus; sed hoc loco tanquam custos generalis Canonum efficacem facit monitionem; & vt vnio, ac conformitas seruetur inter ipsas supremas Ecclesias Patriarchales: nam & habet ibidem: Vt autem in omnibus obseruantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, vt &c. cum præsertim Alexandrina Ecclesia esset per Marcum, à Petro Roma eo missum Romanæ filia.

Cum ergo iam nouiter factus Patriarcha suam fidei professionem Dioscorus ad Romanum mitteret, eiusque pro solito Ecclesiarum Patriarchalium fœdere, communionem peteret, hanc suæ communionis concedendæ legem, ac quasi conditionem adiunxit Leo: at si dixisset, Visne meam, nostræque Ecclesiæ Occidentalis communionem? Tum nos vicissim volumus, vt in Ordinationibus die Dominico celebrandis, cæterisque huiusmodi Apostolicis institutis, communem Ecclesiæ Occidentalis morem teneas. Atque hoc sensu Papatui non fauet hæc vox Volumus: A qua tamen Gregorius, pro sua prudentia, humilitateque credo abstinuisset. A

XXXIV. Quinto loco cum Africanis, vt eorum proprius Patriarcha potuit ex Patriarchali autoritate seuerius agere: Quanquam non valde acceptum iis erat, vt rebus eorum iudiciariis se Romanus Pontifex admisceret; præterquam quod, vt dixi, ex consuetudine Ecclesiastica, Romanus Pontifex assecutus sit priuilegium primum, vt sit Canonum custos & vindex. Ait enim, [a] inter omnia volumus Canonum statuta seruari: atque in eadem epistola correcturus prauas consuetudines, quæ in Africa nam, aduersus sacros canones, irrepserant Ecclesiam, se pietate moueri ait, vt pro solicitudine quam vniuersæ Ecclesiæ, ex diuina institutione dependebat, studeret &c.] Lupicini vero causam iubet audiri, qui ad eum prouocauerat vi Canonis Sardicensis, quo Romani Pontifices appellationes admittebant, & renouari iudicia committebant. De quo nos lib. 8. B

a Leo ep 91.

XXXV. Sexto loco nihil aliud vult Leo, nisi quod prius dixerat Prosper; nimirum [b] Romam per Apostolici Sacerdotij principatum, ampliorem factam esse arce religionis, quam solio potestatis] Principatu Apostolici Sacerdotij Romam factam esse arcem religionis asserit Prosper; quia Principes Apostolorum Petrus & Paulus, qui in Sacerdotio Apostolico primi fuerunt, hoc est eximij, & qui maxime omnium pro Euangelio laborarunt, inde in totum Romanum Imperium, vt explicatum est cap. 3. imo etiam extra Romanum Imperium fidem dilatarunt: & sic Roma arce religionis, & fidei dissemination amplior facta est, quam fuerit Imperio sæculari. Quod igitur ait Prosper, per Principatum Sacerdotij, Romam vlterius religione quam Imperium extendisse; hoc Leo dicit factum esse per Beati Petri sedem, vt Roma esset caput prædicatione, per Petrum nimirum, & Paulum, aliosque viros Apostolicos, quos Beati Apostoli in ea Ecclesia instituerunt; & latius fidem quam dominium extenderet; quod etiam supra in primo priuilegio capite præcedenti declaraui. C

b Prosper. de vocat. Gent. l. 2. c. 6.

XXXVI. Demum quoad septimum locum, Constantinopolitano Primatui se Leo opponebat acriter; quia suadente humanâ infirmitate, solus libenter voluisset esse Speculator ille generalis. Sæpe quidem recruduit hoc ambitionis vlcus, ex æmula ortum maiestate geminarum Vrbium Imperialium, Veteris ac Nouæ; ac inde Ecclesias inficiens, acuensque ad vtiusque prærogatiuas euehendas: hoc Patriarcha se fratri natu maiori subinde æquante; illo, non citra fastidium, iuniori se præponente, paullatimque toti Ecclesiæ grauiter superincumbente: D

—— Nec ferre potest noua Roma priorem,
Aut antiqua parem. —

Sed esto nævus hic in Magno Leone imperceptibilis, aut saltem venialis. Cum tamen cura hæc vniuersalissima, primum sit omnium & singulorum Episcoporum propria, vt iam probaui; deinde aliquanto specialior Patriarcharum; tum demum, vt ita dicam, specialissima Romani & Constantinopolitani, ita tamen vt Romanus aliquantulum in ea præcedat Constantinopolitanum, potuit Leo non tantopere commoueri; cum præsertim curæ huiusmodi in Ecclesia, non dominium, nec splendorem humanum; sed seruitutem importent; ac merum imponant ministerium, vt iam explicatum est, & vlterius libro quinto explicabitur. Hactenus de Leone.

XXXVII. [c] Fœlix tertius cum Synodo ad Monachos Orientales scribens, ait: [d] Vnde nunc causa Antiochenæ Ecclesiæ, apud Beatissimum Petrum Apostolum collectæ, rursus dilectioni vestræ, more, qui apud nos semper obtinuit, properauimus indicare, quotiens inter Italiam in Ecclesiasticas causas præcipuè fidei colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, vt successor Præsulum sedis Apostolicæ, ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta solicitudinem sibi Ecclesiarum omnibus competentem, cuncta constituat; qui caput est omnium, Domino ad Beatum Petrum Apostolum dicente, Tu es Petrus &c. Quam vocem sequentes trecenti decem & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque autoritatem S. R. Ecclesiæ detulerunt; quam vtramque, vsque ad ætatem nostram, successiones omnes, Christi gratia præstante, custodiunt.] Hic iam incipimus E

c Bellar. vbi supra, & Sander. nu 376.
d Fœl. 3. ep. 5.

incipimus audire Romanos Pontifices se absolute Petri, in quodam imaginario Primatu capitis, facere successores; cùm tamen in sensu Papali Petrus non fuerit caput; neq; ei in sua specialitate detur vlla successio. Et in Nicæna Synodo nullus huiusmodi vniuersalis Primatus est datus, aut confirmatus Romano Episcopo, vt fusè tractaui supra cap. 3. huius.

XXXVIII. Gelasius in suo primatu firmando non videtur fuisse suis prædecessoribus segnior: ait enim; 1. [a] Vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam; quæ & vnamquamque Synodum sua autoritate confirmat; & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet.] Item de Romana sede; 2. [b] Conueniens est, *inquit*, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit Principatum.] Item; 3. [c] Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorunlibet sententijs ligata Pontificum sedes B. Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpote quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi; neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint; ab illa autem nemo sit appellare permissus.] Item ad Anastasium Augustum; 4. [d] Et si cunctis generaliter Sacerdotibus, rectè diuina tractantibus, fidelium conuenit corda submitti; quanto potius sedis illius Præsuli consensus est adhibendus; quem cunctis Sacerdotibus, & Diuinitas summa voluit præeminere; & subsequens Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? Vbi pietas tua euidenter aduertit, nunquam quolibet penitus humano consilio eleuare se quenquam posse, illius priuilegio, vel confessioni, quem Christi vox prætulit vniuersis; quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet deuota primatem.] Et post nonnulla ibidem: Apostolicæ sedis autoritas, ait, quod cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit vniuersæ, & Canonum serie paternorum, & multiplici traditione firmatur.] Similia habet in Commentario ad Faustum. Item; 5. [e] Post Propheticas, Euangelicas, atque Apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus; quod quamuis vniuersæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia, nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est; sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri Primatum obtinuit; Tu es Petrus, inquientis, & super hanc Petram, &c. Cui data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli valis electionis; qui non diuerso, sicut hæretici garriunt; sed vno tempore, vno eodemque die glorioſa morte cum Petro, in Vrbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est; & pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrârunt; talemque omnibus Vrbibus, in vniuerso mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri Apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam, nec aliquid huiusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam, &c.] Item; 6. [f] Sicut enim ad sedis, *inquit*, Apostolicæ moderamina pertinet, cunctis solicitudinem debitam ministrare congruenter Ecclesiis; ita necesse est, vt in contumaces, & desides traditam sibi diuinitus non dissimulet potestatem.]

[a] *Gelas. Ep. 11.*

[b] *Idem Ep. 6.*

[c] *Idem Ep. 11.*

[d] *Idem Ep. 10.*

[e] *Post Epistolas Gelasij, & Dist. 22. c. 3.*

[f] *Idem Ep. 5.*

XXXIX. Si tamen illum vnicum, à Gelasio quoq; næuum abstergas, quem iam post Leonem Romani contraxerant Pontifices, videlicet iure diuino, quendam specialem ex Petro Romanę sedi adhærere Primatum; quem tamen aliqualem consuetudine, & iure solo Ecclesiastico ei non negamus; Gelasius ipse magnum illum omnipotentissimum Papatum ne somniauit quidem; solis ordinarijs iam expositis à me priuilegijs suæ sedis contentus, quam etiam Pauli sedem esse recognouit. Et sanè primo, & secundo loco se Canonum duntaxat generalem custodem facit, & præcipuum Ecclesiæ speculatorem. Imò verò cùm se primum, & potissimum Canonum obseruatorem præstet; & in exemplum exquisitissimæ Canonum obseruantiæ, & obedientiæ toti Ecclesiæ exhibeat; profectò à Papatu magno est remotissimus: similiterdum fatetur se Canonibus subijci, ac cupere sibi nihil temerè contra Canones licere. Tertio loco quid de iudiciali potestate sentiat explicabo libro octauo. Interim licet se subtrahat iudicio cuiuscunque Episcopi, ita vt omnium ipse Episcoporum, etiam Patriarcharum, acta possit dijudicare; ipsius verò acta à nullo Episcopo, etiam Patriarcha possint iudicari; à Synodorum tamen iudicio se non excipit. Et hoc est fortasse priuilegium cuiuscunque primæ sedis, hoc est Patriarcharum omnium, vt libro octauo disputabitur. Quarto, & quinto loco, cum se Gelasius Imperatori in temporalibus plenè in eadem Epistola subdat, eique se non nisi in solis spiritualibus anteferat, vt considerabo lib.

sexto, similiter à monstroso Papatu abhorrebat. Præeminentiam tamen solam, licet iure Diuino, in se agnoscit, & Petri prærogatiuam; sed hanc totam præeminentiam, totumque Primatum in generali illa superintendentia sola collocat; & in dignitate potius, quam iurisdictione; in illisque priuilegijs, quæ sunt iam à me declarata. Quanquam cum generali illa cura & solicitudine, etiam adiunctam se habere putarint puniendi potestatem, contra admonitionum contemptores, vt habet 6. loco Gelasius. Sed de his plura nos lib. 5. & 8. Hic possemus inter Episcopos Romanos interere etiam Ennodium Diaconum, Papatus Symmachi acerrimum defensorem. Quia tamen oppugnatores Papatus ille non potuit prosternere, vt vidimus cap. 8. relinquatur. A

XL.

Ioannem secundum adducit [a] Bellarminus: cum tamen nos contra Papatum adduximus capite tertio numero decimo octauo: & reuera totum suum primatum, ex regulis Patrum, & Principum statutis agnoscit; caputque Ecclesiarum Romanam Ecclesiam facit, quatenus ex iam explicatis priuilegijs prima erat. Sic etiam Papa [b] Anastasius eundem intelligit suæ Ecclesiæ, ex eisdem priuilegijs principatum. Et [c] Felix quartus Romanam suam sedem facit caput dignitate supra alias; & quatenus magistra erat communis: & mater plurimarum Ecclesiarum; vnde responsa essent petenda, & accipienda. Sic [d] Pelagius ex ijsdem priuilegijs caput omnium Ecclesiarum suam facit sedem. Et iam vidimus c. 3. n. 9. Antiochenam quoq; Ecclesiam dici matrem, & caput Ecclesiarū. B

a Bellar. ibid.
b Ibid.
c Ibid.
d Bellar. ibid. & Sand. n. 442.

XLI.

Gregorium magnum conantur [e] facere Papatus frequentem & feruentem assertorem, & exercitatorem. Ego tamen Gregorium Virum Sanctissimum, iam hactenus varijs occasionibus in præcedentibus sæpius singulare modestiæ exemplar protuli humilitatis, & obseruantiæ; ab hac Papali eximia Monarchia maxime abhorrentem. Ac vt videas quantopere à Papali fastu moderno fuerit remotus; audi præclarum ipsius summæ humilitatis exemplum à Sophronio narratum. [f] Perreximus, *inquit*, ad Abbatem Ioannem Persam: Narrauit nobis de Gregorio Beatissimo Romanæ Vrbis Episcopo, dicens: Cum iuissem Romam, vt adorarem ad sepulchrum Apostolorum Petri & Pauli; staremque die quadam in medio ciuitatis; audio Papam Gregorium per illum locum transiturum; cogitaui itaque adorare illum: Cum autem prope me esset Papa, videretque me progredi, vt adorarem illum (loquor teste Deo fratres) primus ipse prostrauit se humi coram me; neque ante surrexit, quam me primo surrexisse cerneret; & cum multa humilitate salutans me, manu sua mihi tria numismata tradidit; iubens mihi dari quæcunque erant necessaria. Glorificaui itaque Deum, quod tantam illi contulerat humilitatem, & misericordiam, & charitatem ad omnes.] Hæc summus Pont. cum vno vili Monacho, & abiecto. Quid nunc faciunt Papæ, quando in sublimi illo suggesto humeris hominum circumferuntur, vt adorentur? Ex hac summa modestia, & humilitate Gregorius tantopere sudauit, vt & ab Episcopo Constantinopolitano, & à seipso, titulum Oecumenici amoueret; Sacrorum canonum vidimus illum exactissimum obseruatorem: Erga Principes terrenos videbimus libro sexto obsequentissimum: Episcoporum potestatis [g] custodem inuenimus zelantissimum: In suo Episcopatu [h] ministerium & opus, non dignitatem & Imperium agnoscentem cernemus, & profitentem: Suorum tamen priuilegiorum, cum aliquo interdum veniali excessu, defensorem etiam obseruamus. Se enim Petri locum & Primatum tenere, communissimo suorum aliquot præcessorum errore imbutus, non dubitauit. Quid vero ille aut dixerit, aut fecerit, ex quo Papatus confirmetur, consideremus, & explicemus. C

e Bellar. de Rō. Pont. l. 2. c. 14. & Sand. n. 448. & seqq & Baron. tom. 8 ad an. 593.
f Prat. Spirit. c. 151.
g Sup. l. 3. c. 12. n. 11.
h Infra l. 9. c. 1. n. 13.

XLII.

1. Ad Gennadium patricium, & Exarchum Africæ, hæc scribit: [i] Ex Concilio Numidiæ, si qui desiderauerint ad Apostolicam sedem venire, permittite: & si quilibet eorum viæ contradicere voluerit, obuiate.] Ergo Iudicem se supremum Synodorum etiam Africanarum agnoscit, cum autoritate in Episcopos ipsos Africanos. 2. Ad Natalem Salonitanum, qui literis & Pelagij & Gregorij parere contempserat, ait: [k] Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset.] Ergo Patriarchæ quoque literis Apostolicis parere tenentur. 3. [l] Corinthio Episcopo pallium transmittit. Ita etiam [m] Ioanni primæ Iustinianæ. 4. Constantinopolitanam Ecclesiam [n] Romanæ subiectam, idque & Imperatorem, & Eusebium Constantinopolitanum Episcopum assiduè profiteri asserit. 5. De sede Apostolica, ait: [o] Si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit.] 6. Ad Ioannem Panormitanum: [p] Illud admonemus, vt Apostolicæ sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si D E

i Greg. l. 1. ep. 72
k Idem l. 2. Ind. 10. ep. 37.
l Idē l. 4. Ind. 10. ep. 55. 56.
m Iust. ep. 15.
n Idē l. 7. Ind. 2 ep. 63.
o Ibid. ep. 64.
p Idem l. 11. ep. 42.

caput

caput fidei nulla pulset iniuria.] Est ergo, secundum Gregorium, Romana sedes, caput fidei. 7. Africani dum petunt sibi per Papam conseruari [a] priscas consuetudines circa regimen Ecclesiasticum, ostendunt in potestate Papæ esse tales seruare illis, & non seruare consuetudines. 8. [b] Romana, *inquit*, sedes speculationem suam toti orbi indicit, & nouas consuetudines omnibus mittit, & omnium personarum seruitio caret.] 9. [c] Quanto Apostolica sedes, Deo autore, cunctis prælata constat Ecclesijs, tanto &c.] 10. In Regem Simoniacum ait: [d] In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet; & in Domina Gentium, terrenæ ius potestatis vsurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apostolo specialiter commisit, dicens; Tibi dabo Ecclesiam meam.] 11. In causa Ioannis Constantinopolitani Patriarchæ, cui nescio quid turbarum cum suis Presbyteris acciderat, ad Narsen Patricium hæc inter alia scribit Gregorius: [e] Caritati autem tuæ breuiter fateor, quia omni virtute, & omni pondere eandem causam, auxiliante omnipotente Deo, exigere paratus sum; in qua si videro sedis Apostolicæ Canones non seruari, dabit omnipotens Deus, quid contra contemptores eius faciam.] His illa subijcit Baronius: [f] Qui igitur Apostolica autoritate, vt vidimus, coercuit Constantinopolitanum Patriarcham, eadem quoque &c.] Plurima alia ex Gregorio loca conglobat Sanderus, quibus suum Primatum exerceat Gregorius in Episcopos, & Ecclesias [g] Italiæ, Siciliæ, Corsicæ, Sardiniæ, Africæ, Hispaniæ, Hyberniæ, Angliæ, Galliæ, & Dalmatiæ. Sed quia in his omnibus vel Metropolitico, vel Patriarchali, in suo Patriarchatu Occidentis iure vtitur; & multa ad iudiciariam potestatem pertinent; de qua mihi est lib. 8. seorsim disserendum, non est cur his immoremur. Vndecim tamen locis quæ adduximus, suas breues apponamus responsiones.

a *Gregor. l. 1. ep. 75.*

b *In priuil. S. Medardi in fine regist.*

c *Idem l. 2. ind. 11. ep. 30. ponitur dist. 63. cap. 10.*

d *Idem in Ps. 5. pœnit.*

e *Gregor. l. 2. ind. 11. ep. 63.*

f *Baron. tom. 8. an. 593. nu. 29.*

g *Sander. l. 7. n. 448. & seqq.*

XLIII.

Ad primum: Africa tota est sub Romano Patriarchatu: Iudicialia vero (saltem nonnulla) quoad vltima iudicia totius Patriarchatus ad se pertinere, Patriarchæ (quàm iustè posthac videbimus) semper prætenderunt. Sed tamen non minus Africa, quæ erat sub Romano Patriarcha; quam Orientales Ecclesiæ, quæ erant in diuersis à Romano Patriarchatibus, potestati huic iudiciariæ Romani Pontificis in appellationibus, vt vidimus cap. 8. restiterunt; semperque in hoc contra illum pugnauerunt; ac nihilominus ipsi Romani Pontifices mordicus omnes, consequenter etiam Gregorius, tanquam propria Romanæ sedis priuilegia retinere sunt conati. Et dum hoc loco postulat ab Exarcho opem, manifestum est Africanos in sua veteri sententia perstitisse, vt extra Africam ordinariè vltima iudicia à suis quæri non permitterent, omninoq; Romam appellantes impedirent. Et hanc libertatem iudiciorum, se ab ipsis Petri Apostoli initijs habere, vt loco 7. allato constat, profitentur: De his plura libro 8.

XLIV.

Libet tamen hic obseruare Baronij non leuem hallucinationem, qui, de more suo, modo quamcunque ansam Papatus Romani extollendi arriperet nihil pensi habet, siue locus aliquis quem ille captat, & arripit, ipsius ferat sententiam, sensum, & interpretationem, siue non ferat; siue prosit vere, siue potius obsit: Ita sane dum præ manibus habet hanc ipsam Gregorij Epistolam ad Gennadium [h] exclamat, ex negligentia Præsulum Africanorum eo tempore Donatistas Episcopos hæreticos ausos fuisse in Primatum Africanorum dignitatem inuolare; vt non mirum sit, si tradiderit postmodum Deus illam prouinciam Sarracenis.] Comminiscitur que nescio quem modum in Ecclesia perpetuo inauditum, ad Primatis Cathedram perueniendi, videlicet vt qui antiquitate ordinationis reliquos antecederet, is eo ipso Primas esset: quod ipse ex se somniat, neque vllum ad hoc adducit documentum. Gregorium verò sua Apostolica autoritate ne id fieret, & [i] Episcopis Africanis prohibuisse, & Gennadio [k] Hexarcho, vt id impediret præcepisse. Sed bonus senex non parum cum hæc scriberet dormitabat. Audi quæso, illustrissime Baroni, qui fieri potuit vt Donatistæ Episcopi hæretici, seu schismatici, ex antiquitate ordinationis Primatus dignitatem in se deuolutam prætenderent, si ordinaria Cleri electione ad eam dignitatem perueniebant? Quos prouehi, inquit Gregorius ad Episcopos Africanos Catholicos scribens, etiam cum ordo Clericorum eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus.] Quomodo etiam de hæreticis Episcopis locum Gregorij accipis Baroni, si Gregorius de ijsdem illud habet; Sufficiat illis commissæ sibi plebis tantummodo curam gerere?] Permittit ergo voluntariè Gregorius, vt Episcopi hæretici Ecclesiarum curam gerant? Scias itaque Gregorium loqui de illis Episcopis, qui Donatistæ cum fuerint, & ad Catholicam venerint, dignitate etiam Episcopali fruebantur. Hos ad Primatis Cathedram prouehi,

h *Baron. tom. 8. an. 591. nu. 29.*

i *Gregor. l. 1. ep. 75.*

k *Ibid. ep. 72.*

prouehi vetabat Gregorius, ne tales qui fuerunt Donatistæ, vt ipse loquitur, Antistites, quos Catholica fides in Ecclesiæ sinu & edocuit, & genuit, ad obtinendum culmen Primatus anteirent.] Hi ergo, quos excludit Gregorius, non erant in Ecclesiæ Catholicæ sinu geniti & educati; sed in Ecclesijs schismaticis; & ad Catholicam iam adulti peruenerant. Hortatur quidem Gregorius tum Episcopos, tum Gennadium, vt hæreticis resistant; sed hæc est adhortatio generica: alia vero est quæ circa Primatum illis Episcopis non dandum impenditur. Et quod spectat ad Primatum, non est ambigendum, vt in tota Ecclesia, ita etiã in Africa Primatus omnes fuisse certis sedibus allegatos, puta Carthaginẽsi, & alijs. Facile tamen concesserim tempore Gregorij moris fuisse in Africa, saltem in aliqua Africæ prouincia, vt vacante sede Primatiali, clerus illius sedis eligere soleret, & postulare illum Episcopum, qui in eo, qui dignitate post Primatialem primus esset, loco sederet. Et quia in tali loco potuit contingere, vt sederet Episcopus, qui ex Donatistis veniisset; ideo Gregorius ait ad Gennadium; Concilium vero Catholicorum Episcoporum admoneri præcipite, vt Primatem, non ex ordine loci, postpositis vitæ meritis faciat; quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur.] Obijcies mihi illa Gregorii ibidem dicta: Ipse vero Primas non passim (sicut moris est) per villas, sed in vna, iuxta eorum electionem ciuitate resideat, quatenus &c.] Ex quibus videtur colligi Primatum non fuisse certæ sedi alligatum. Resp. hinc colligi abusum fuisse, vt Primates in villis ad captandas delicias in ocio se detinerent: moneri vero eos à Gregorio, vt sibi eligant vnam quamcumque totius suæ Prouinciæ ciuitatem, ex qua cõmodius possint Donatistis resistere, & in ea resideant, potius quàm in villis: imo etiam potius quam in propria Primatiali sede, quando alia ciuitas commodior sit & opportunior ad resistendum Donatistis: quatenus, *inquit*, adeptæ dignitatis negotio resistendi Donatistis possibilitas disponatur.]

A B

XLV. Ad 2. sicut in Africa, ita etiam in Dalmatia mea, quæ tunc erat sub Romano Patriarchatu, priuilegium hoc potestatis vltimæ iudiciariæ fuit petra scandali: imo etiam in Gallia, vt suo loco de Hincmaro videbimus, & alijs locis hanc potestatem sibi Romanis Pontificibus vindicantibus; Episcopis tamen præsertim Metropolitanis resistentibus, seque acriter opponentibus. Ita Pelagius & Gregorius Salonitano mandata scripserunt, vt à molestijs quibusdam suo Archidiacono inferendis abstineret, qui se Romanorum Pontificum protectione, aduersus suum Episcopum muniebat: Ille tamen se Episcopum esse meminerat, ac Romana eiusmodi mandata nihili faciens ipsum Archidiaconum ab officio deposuerat. Hunc contemptum literarum sedis Apostolicæ, erga quam tota Ecclesia magnam conseruabat reuerentiam, ait Gregorius, etiam in Patriarchis futurum cum scandalo; ne dum in simplici Metropolitano, aut Primate, qui suo subest Patriarchæ Romano; cui tamen alij Patriarchæ non subsunt. Scandalum porro esset, non quod Patriarchæ parere teneantur, in vim præcepti, literis Romani Pontificis; sed quia ob reuerentiam illius sedis Patriarchæ primarij epistolæ à Compatriarcha contemni non debent. Nam vbi non censeant eis esse obsequendum, debent modeste rescribere; & tanto Episcopo, quantum fieri possit, satisfacere; non autem per summum contemptum eas flocci facere, & contra illos statim, quasi deditâ operâ procedere. In contemptu ergo, non in obedientia scandalum ponit Gregorius; quia etsi non ad obedientiam, ad reuerentiam tamen mutuam Patriarchæ tenentur; maximè erga Romanam, vt primam, & magnæ autoritatis sedem; vt explicatum est.

C D

XLVI. Ad 3. libro præcedenti cap. 6. num. 13. & cap. 11. num. 11. 31. 32. ostendi Romanam sedem etiam in Oriente habuisse aliquas proprias, iure Patriarchali, Prouincias: & Constantinopolitanam viceuersa in Italia. De quo etiam inferius cap. 12. Ad 4. supra cap. 4. num. 28. & cap. 7. num. 26. respondi subiectionem illam intelligendam largiori significatione, nempe quoad gradum, & locum dignitatis; non quoad potestatem & iurisdictionem. Ad Concilium enim Chalcedonense respexit Gregorius, in quo [a] primus locus inter Patriarchas datus est Romano: & ad Imperatoris Iustiniani Constitutionem, in qua [b] Sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum sanxit, secundum verò locum tribuit Constantinopolitano. Quod si cui hæc non placeat interpretatio nostra, in suæ incredulitatis pœnam teneatur ea, quæ ibi à Gregorio scribuntur, conciliare, ac tueri. Ego certè dum locum attentius considero, quid sentiam, ac an genuinum incorruptumque ducam, vix reperio. Neque enim vllum inuenio Eusebium Constantinopolitanum Gregorio Romano contemporaneum: neque potuit (si error irrepserit in nomine) vllus esse Constantinopolitanus Episcopus, qui plenam, & absolutam subiectionem Romanæ

E

[a] Concil. Chalced. sub. cap. 4. num. 5. huius.
[b] Nouel. 131.

Eccle-

A Ecclesiæ tempore Gregorij assiduè profiteretur. Quantum enim & Ioannes, & Cyriacus eidem restiterint, & vidimus in [a] præcedentibus; & notissimum est omnibus, ex ipsis præsertim & pluribus Gregorij literis. At vero Cyriacus Gregorio superuixit; nam & cum ipso Cyriaco Phocas Imperator simultates gessit, & in ipsius odium Bonifacio tertio titulum Oecumenici adiudicauit, Cyriacoque illum auferre conatus est; quod ex historicis clarum est, & colligit, ac confirmat [b] Baronius. Vbi ergo Eusebium hunc, viuente Gregorio, collocabimus? Et quæ probabilitas est Ecclesiam Constantinopolitanam subiectionem iurisdictionalem sub Gregorio esse professam, cùm iamdudum fuerit noua Roma ad priuilegiorum paritatem euecta, ac sui iuris dignitatisque satis tenax semper manserit, vt Ioannis, & Cyriaci cum Gregorio concertatio satis manifestat, in qua Imperatorem certè Mauritium, vt iam vidimus, illi sibi adstipulatorem habuerunt? Quis autem fuerit ille pijssimus

B Imperator, qui Ioanne, & Cyriaco perpetuò, & seriò resistentibus, subiectionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ sub Romana profiteri potuerit, ego non possum inuenire.

a *Supra c. 6. nu. 19. huius.*

b *Baron. tom. 8. an. 606.*

Ad 9. Responsionem habes, & loci explicationem supra lib. 3. cap. 7. n. 3. supponit enim Gregorius potestatem illam vltimam iudiciariam, priuilegio sedis ad eum spectare; de quo libro octauo. XLVII.

Ad 6. loquitur cum Panormitano Episcopo, cuius erat Gregorius proprius Patriarcha, imo fortasse etiam Metropolitanus; Siculos enim Episcopos ad ordinationem Romanam immediatè spectasse diu, facilè inuenies. Ecclesiam verò Romanam matrem multarum Ecclesiarum fuisse; & consequenter eis caput fidei, quatenus illæ ab ea fluxerint, & institutionem habuerint, quærereque debuerint, iam capite tertio satis ostendi. Siculas verò Ecclesias à sede Romana fuisse fundatas, profitetur Leo Epist. 5. Sed & si Romanam sedem faciamus caput fidei, in tota Ecclesia diu fuisse, modis iam cap. 9. præcedenti, & cap. 3. ex-

C plicatis, inde tamen Papatus non astruitur. XLVIII.

Ad 7. Africani iniustas vexationes à se deprecantur, non priuilegiorum petunt confirmationes: orant vt scandalorum, & schismatum occasiones præcidantur; ac ne in suis priuilegijs, quæ vel iure diuino habent in suis regendis Ecclesijs; vel Ecclesiastico, & communi turbentur, & molestijs afficiantur, orant; non vt prosit Papa, sed ne noceat. XLIX.

Ad 8. hoc loco, & multis aliis, speculatorem se tantum vniuersalem agnoscit, & profitetur. Nouas verò consuetudines intelligit priuilegia, & immunitates, de quibus agam lib. 10. Negatque sedem Apostolicam Romanam subiectam esse cuiquam personæ; hoc est, cuiquam vni Episcopo. Et hoc verum est de quocunque Patriarcha, vt ostendi lib. 3. cap. 10. Sacris tamen Canonibus, & Concilijs Gregorius sæpè se subiectum fatetur; vt habes à me suis locis positum. Ad 9. Hic est error iam ordinarius Pontificum Romanorum, dum opinantur à Christo fuisse Petro quendam Primatum iurisdictionalem in Ecclesiam vniuersalem traditum, & per Petrum in Romanos Pontifices propagatum. Sed hæc opinio non sub-

D sistit, vt iam suis locis fusè probaui. L

Ad 10. Matrem omnium Ecclesiarum intelligit in toto Occidente; & multarum etiam in Oriente, vt explicaui cap. 3. Et Dominam Gentium intelligit non Ecclesiam, sed ciuitatem; & de dominio temporali, ex quo Ecclesia ipsa Romana magnam quoque habuit, & dignitatem, & splendorem, vt eodem capite tertio est ostensum. Sed feruore etiam declamationis est excusandus si paululum excedat; quo feruore incensus Christi verba Euangelica immutauit: & quæ ipse Christus de tota Ecclesia in communi protulit; ea de singulari Romana Ecclesia Gregorius prolata esse asserit; qui est magnus sacræ Scripturæ abusus; excusabilis tamen, vt dixi, quia Gregorius hæc non sui Papatus gratia amplificat; sed vt indignitatem exaggeret, quam in tantæ, tamque nobilis, & eximiæ Ecclesiæ Simoniaca oppres-

E sione considerabat. LI.

Ad 11. Ex pio zelo tùm disciplinæ Ecclesiasticæ, tum suæ autoritatis, quâ iam diximus Patriarcham quemcunque ex illis primis magnis, præsertim Romanum, pollere in corripiendo sese inter se, in Ioannem illum, non sine minis excandescit Gregorius; qui solet in talibus non rarò esse minax: hæ tamen minæ post ista tonitrua aliud tandem fulmen eiaculari non poterant, nisi ad summum negationem communionis. Sed effectus hic huius loci minarum nusquam apparet. Quid ergo Baronius coercitum fuisse asserit apostolica autoritate Constantinopolitanum Patriarcham? Sed non est insolitum nostris Monarchicis, ac præsertim Baronio, minas intentatas pro factis ipsis, perinde ac si iam effectum habuerint, accipere. Alia Gregorij dicta & facta circa iudicia, & circa Concilia, alijs locis à me excutientur. Hactenus Pontifices tertiæ classis. LII.

Sequi

LIII. Sequi deberent autoritates & acta Romanorum Pontificum, qui ad secundam à Bellarmino positam classem pertinent: Sed ab his nos facile liberamus. Si quis enim plus aut dixit de suo Papatu, aut fecit, quam legitima concedant priuilegia, id vanæ persuasioni, & iam factæ ac stabilitæ vsurpationi tribuendum erit. Quare Agathonis, Hadrianorum, Nicolai vtriusque, Ioannis octaui, Leonis noni, Gregorij septimi, Paschalis secundi, Innocentij tertij, Bonifacij octaui, & reliquorum omnium, & dicta sunt suspectissima, & facta sunt mera attentata, vbicunque legitima illa prisca excedunt priuilegia; quamuis hi quoque & multa dixerint, & plura fecerint, quæ intra legitimam priuilegiorum facultatem se coercent. Postremi tamen postremarum ætatum Papæ, iam plane omni deposita modestia, cum multis, & apertis, voluntarijsque vsurpationibus, se ad hunc absolutum & maximum Papatum euexerunt; facti per fas & nefas totius Ecclesiæ Monarchæ absoluti; & de suo hoc exorbitanti Monarchatu, non modo encomia, sed etiam Decretales, & definitiones ediderunt; quibus Encomijs vanis, & definitionibus, Codices iuris noui canonici repleuerunt; vt quod nemo ex sacris literis, & sanctis Patribus, antiquisque Concilijs, & vsu ac praxi multorum sæculorum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ aut discere poterat, aut aduertere; ex his Romanorum Pontificum assertionibus, quæ imperitis Canonistis sunt oracula infallibilia, à rudioribus imbiberentur. Cum tamen quisque prudens facile animaduertat in his, Romanos Pontifices, in propria causa esse & testes, & simul iudices: At vero Christo dictum fuit: [a] Tu testimonium de te ipso perhibes; testimonium tuum non est verum: Ac propterea Christus ipsa Veritas, oppositionem hanc in puro homine legitimam esse sciens, testimonium addidit Patris, & operum: Vt bene considerauit [b] Cyprianus à nobis productus l. 1. ca. 3. n. 24. Sic Almaynus disputans contra Caietanum, qui pro potestate Papæ supra Concilium, inter alia argumenta, protulerat multa Romanorum Pontificum dicta; aptissimè & verissimè respondet: [c] Quod omnes autoritates quæ regulariter adducantur, sunt ipsorum summorum Pontificum; qui, vt plurimum fimbrias suas nimis extendentes sibi attribuunt, quod est Ecclesiæ proprium.] Ponit idem & illud aureis literis dignum Corollarium: [d] Quod determinatis per summos Pontifices, non est necessario credendum.] Quanto minus quando in propria causa determinant: Siquidem in re propria nullus esse debet iudex, neque testis, neque arbiter, vt cauent leges C. Ne quis in causa propria, &c. l. Nullus. de testam. l. penult. ff. de Arbit. Ancharan. in Repet. supra c. Canonum statuta, num. 7. &c. Sane Gelasius causam Acacij Constantinopolitani à Græcis, & apud Græcos iudicari, importunum censuit, & valde indecens; quos propterea iam inimicos sedis Romanæ esse profitebatur; quia illa Acacium excommunicarat. [e] Quæro, *inquit*, iudicium quod prætendunt, vbinam possit agitari; an apud ipsos, vt ijdem sint inimici, & testes, & iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi negotia, nedum Diuinæ legis integritas.] Hic vero solus in propria causa iudex est (& est quidem optimus) Romanus Pontifex. Nempe Gelasius pro se ac successoribus suis, imo contra se ac suos iam sententiam dixit. Ijs scilicet, qui in eadem causa & inimici sunt, & testes, simulque Iudices esse volunt, nec diuini quicquam, nec humani esse concredendum. Iterum dico competens est in sua causa Iudex, qui statuit neminem in sua causa Iudicem esse oportere. Atqui (quod nimis sensit, & luit Orbis Christianus) iamdiu, & hodie maxime sedes Romana, odio crudeli, excommunicationum fulmine, cruciatu, ac demum nece eos prosequitur, qui illi Primatum omnia subiugantem negant; quomodo ergo illius sedis Episcopi, harum negationum, imo disputationum inimici, in hac ipsa de Papatu controuersia & testes stare possunt, & sedere Iudices, ac sane iudices, & testes inimici? Ex hoc itaque solo capite corruunt dicta omnia Papalia, quæ tot Pontificum recensuimus; quæque multo plura recenseri ex modernis possunt; vbi præsertim agitur autoritate; nam si sua dicta bonis rationibus, aut Scripturis confirmarent, illæ essent discutiendæ: quæ tamen nullæ sunt in proposito. Accedamus ad Patres, & primum Græcos.

a Io. 8.

b Cypr. l. 4. ep. 9.

c Almayn. de auctor. Eccl. c. 8. ad 6.

d Ibid. c. 10.

e Gelas. in cõmonit. ad Faust.

LIV. Producunt [f] Monarchici, pro Monarchiæ definitione, ex Græcis Patribus, primum Ignatium; qui in suæ epistolæ ad Romanos inscriptione ait: [g] Ignatius Ecclesiæ sanctificatæ, quæ præsidet in regione Romanorum, &c.] Hinc infert Bellarminus, cur præsidere dicatur, nisi quod caput sit omnium aliarum? Ego autem contra verius; Si non simpliciter & vbique præsideat, sed restrictiuè, & specificè, in regione Romanorum, non ergo præsidet toti Ecclesiæ vniuersali. Secundo dico, scripta hæc esse ad Ecclesiasticos potissimum, hoc est Episcopum & Presbyteros; hi enim in vnaquaque Ecclesia præsident; Et hoc sensu dixit,

f Bellar. de Rp. Pont. l. 2. c. 15.

g Ignat. ep. 12.

A dixit Tertullianus, Apostolorum Cathedras suis locis præsident: Qua etiam passiua significatione Latinè reddi potest hæc vox Ignatij, nempe Ecclesia quæ præsidetur in loco regionis Romanorum: vel si volumus intelligi ipsam Ecclesiam alijs Ecclesijs præsidentem, satis est quod præsideat suis Ecclesijs in Occidente. Quanquam hoc nimis liberaliter concedimus; cum Ignatij sæculo nulla fuerit huiusmodi inter Ecclesias subordinatio, aut inter Episcopos Hierarchica præsidentia. Denique si hæc largiamur omnia, quid hinc boni erga Papatum, quem nolunt in Romanorum Ecclesia, sed Episcopo constistere?

LV.

Irenæus, inquiunt, fidei sinceritatem probat, ex eo quod illam Romana Ecclesia, à Petro & Paulo fundata, ita doceat: [a] Ad hanc enim, *inquit*, Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam; hoc est eos qui sunt vndique fideles; in qua semper ab his qui sunt vndique conseruata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio.] Hæc tamen nihil faciunt ad Papatum, primum quia considerat Irenæus prærogatiuam totius Ecclesiæ Romanæ, non solius eius Episcopi; Ecclesia verò ipsa Romana non est Papa, neque Papa est Ecclesia Romana, sed Episcopus Romanæ Ecclesiæ. Deinde quia potentior principalitas commodè intelligi potest de ciuili prærogatiua illius vrbis, nempe quod fuerit domina Gentium: neque certe illa, quam innuit Irenæus, potentia tam apte ad Ecclesiam, quam ad Vrbem referri posse videtur. Quod si de Ecclesiastica principalitate agatur, tum dico insinuari, primùm Ecclesiæ Romanæ priuilegium, quod ego consideraui, tum cap. 3. tum cap. 9. huius libri. Ex eo enim quod nulla sedes Apostolica, nullaque Ecclesia ab Apostolis fundata, meliùs, firmiùs, copiosiusque fuit instructa in fide, ipsa Romana, quam præcipui Apostoli, magno ac diligenti labore instruxerunt; hinc factum est, vt in securitate fidei, & doctrinæ, obtinuerit olim inter omnes principalitatem. Principalitatem, inquam, non peculiare donum, cum & aliæ Ecclesiæ Apostolicæ eodem veræ fidei thesauro diuites essent: quas tamen recensere, & hæreticis opponere, breuitatis causa noluit Irenæus; cum ait, [b] Longum valde esset omnium Ecclesiarum enumerare successiones.] Ideoque potissimum in Romanam se defigit, eiusq; pandit encomia. Sic illam [c] Cyprianus vocat Ecclesiam principalem. Sic Augustinus in eadem Ecclesia semper viguisse ait [d] Cathedræ principatum. Et quia in ea tunc temporis maxime puritas fidei vigebat, ideo quæcunque Ecclesia voluit esse, & haberi Catholica, illam, quia verum omne vero consonum, ex consequenti necesse erat in fide, cum ipsa conuenire. Sed hinc Papatum nihil iuuari iam docui cap. præced.

a *Irenæ. 3. c. 3.*

b *Irenæ. ibidem.*

c *Cyp. l. 1. ep. 3.*

d *Aug. ep. 162.*

LVI.

Epiphanius, & Athanasius scribunt, [e] Valentem & Vrsacium, pœnitentiam agentes, ad Iulium Romanum profectos, pro ratione reddenda de suo errore, & delicto.] Respondeo ex mente verbisque Epiphanij, hos Athanasij calumniatores ad Iulium Romæ Episcopum accedentes, se Papam Athanasium calumnijs impetijsse falsos, seque de erroribus suis purgantes vel excusantes, ad pœnitentiam & communionem admitti per supplices libellos obsecrasse.] Aequum scilicet erat hos Sycophantas in pœnitentiæ suæ testimonium, vt priùs Sardicensi Synodo Athanasium absoluenti subscripserant, ita iam non modo apud ipsum, quem læserant, Athanasio, sed & apud Romanum Episcopum (qui cum Athanasio communionem fouebat, eumque omni, qua poterat, ope subleuabat) culpam suam agnoscerent, veniamque, & reconciliationem peterent. Qui quidem pœnitentiam actus iusti, & hoc in casu necessarij, non arguunt in ijs, erga quos præstantur, iudiciariam vllam, multò minùs supremam, potestatem. De huiusmodi etiam libellis pœnitentialibus non soli Romano, sed & alijs Episcopis offerri solitis habemus apud [f] Sozomenum. Ac sane hi supplicantes non Episcopum Vniuersalem, sed ab Epiphanio, [g] Romæ Episcopum, ab Hilario [h] Romanæ plebis Episcopum dicuntur adijsse. His demum accedit, quod isti, qui diu hæresim Arianam fouerent, & ab Ecclesia Catholica deficientes orthodoxum Patriarcham turpissimè persequuti sunt, necesse habebant, quo generaliori Ecclesiarum orthodoxarum communione fruerentur, inprimis Ecclesiæ Occidentali, eiusque antesignano, ac Sancti Athanasij maximo fratri, ac Compatriarchæ per præuiam satisfactionem reconciliari; vt ita minorum Ecclesiarum communionem amplexumque faciliùs recuperarent. Sed de his satis.

e *Epiph. hær. 68. & Athan. Apolog. 2.*

f *Sozom. lib. 2. cap. 15.*

g *Epiph. vbi supr.*

h *Hilar. fragm. ante prior. epist. Valen. & Vrsac.*

LVII.

Athanasius rursus ad Fœlicem Papam scribens, ait; Ob id vos, decessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit; omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis, &c.] Respondeo hanc Epistolam, aliasque Athanasij nomine indutas pro suppositijs merito habendas. Sed vt hic eius autoritatem admittamus, sensu non malo summa arx fidei cur sit Romana Ecclesia, exposui cap. 3. ad initium,

itium. Et superius hoc ipso cap. 10. num. 35. & de cura vniuersali omnium Episcoporum erga vniuersam Ecclesiam, iure Diuino, egi in superioribus; ac de præcipua in hoc Romani Pont. cura egi sup. cap. 9. De Dionysio vero Alexandrino, apud Dionysium Rom. accusato, quem obiciunt nobis; non est nouum vt Patriarcha à fide deuius apud alium compatriarcham accusetur. Ac de his habes explicationem supra num. 15. huius cap.

LVIII. Basilius ad Athanasium: [a] Visum est, *inquit*, consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & iudicij sui decretum interponat. Vt quia difficile est aliquos inde de Concilij sententia mitti, ipse autoritatem rei tribuat delectis viris, qui laborem quidem itineris perferre possint, lenitate vero, ac facilitate morum, tum commoda & prudenti oratione eos, qui à recta via deflexerunt, monere, quique acta Ariminensis Consilii secum ferant, ad ea rescindenda quæ illiç violenter acta sunt.] Subdit Bellarminus: [b] Hic Basilius tribuit Romano Episcopo autoritatem visitandi Ecclesias Orientis; & ex autoritate Decreta faciendi; ac rescindendi Concilia generalia, quale erat Ariminense.] Quid Basilius sentiat de Papatu Romano, vidimus cap. 8. num. 21. 22. Et quod non minus aliorum Episcoporum hoc in casu opem imploret, constat ex aliis eius epistolis. Hic vero considerat magnum remedium, quod afferre poterant Occidentales Orienti, hæresibus laboranti, si per legatos totius Occidentis sanam doctrinam, & Ariminensis Concilii, quo Ariani in Oriente plurimum nitebantur, abolitionem perferentes, ab errore conarentur reducere deuiantes. Sic in necessitatibus Ecclesiæ valentiores opem ferre debent infirmioribus; & sic vnum membrum pro alio membro debet esse solicitum, quod charitatem arguit, & consensionem; non primatum, aut dominationem. Hoc itaque officium non erat Visitationis Episcopalis, vt apud nos sonat sensu quodam quasi forensi; sed fraternæ opitulationis, qualem ægrotis præstari visitationem iubet Euangelium. Illud vero iudicii sui decretum interponere, non sonat Iudicis edictum pro tribunali legem finientis, sed Prudentis responsum amico consulenti redditum: aptiusque ipsa Basilii verba explicantur, si dicamus, à Romæ Episcopo expectatum, vt consilium daret, vel suam hac de re sententiam explicaret. Et quoniam molestum erat Synodum conuocare, ipse negotium sibi commissum per se aggrederetur, viros idoneos eligendo &c. Nec decretorum Ariminiensium rescissio facienda erat per actum aliquem Pontificis Romani merè iudicialem; (tunc enim ipse solus sine missione vlla. Romæ poterat hoc facere per suum solitum Abrogamus) sed viri docti & mansueti mittendi erant, qui disputando, & suadendo, errantes in viam reducerent, obstinatosque conuincerent.

[a] Basil. ep. 52.

[b] Bellar. vbi sup. c. 15.

LIX. Nazianzenus ait: [c] Romanam Ecclesiam veram de Deo sententiam semper conseruasse; vt decet Vrbem, quæ toti Orbi præsidet.] His subdit ista Bellarminus: Nec loquitur de Imperio temporali, nam eo tempore Imperij Romani sedes Constantinopoli erat, non Romæ.] Atqui Nazianzenus expresse de Vrbis præsidentia loquitur, non de Ecclesia: Romani vero Imperij sedes ex æquo erat tunc & Romæ & Constantinopoli; nam tunc etiam Roma erat caput Imperij; sed in solidum simul cum ciuitate Constantinopolitana. Vnde ibidem Nazianzenus binas Romas vocat, easque binis Solibus comparat, ac apertissimè sedes Imperij veterem ac nouam distinguit in Occidente vnam, in Oriente alteram. Eo autem tempore, ac longe post etiam à Græcis, Romam Imperij caput, & Orbis Præsidem sensu ciuili dictam constat ex Socrate lib. 2. cap. 11. & Theodoreto Histor. lib. 4. cap. 8.

[c] Nazianz. in carm. de vita sua.

LX. Chrysostomus [d] ad Innocentium Papam confugit; petitque vt depositionem factam per Theophylum Alexandrinum, cum sua Synodo irritam faciat; ipsumque Theophilum puniat &c.] De hoc iudicio agam lib. 8. Interim dico Episcopum læsum, ac per nefas depositum, ad alium opis implorandæ caussâ confugere, non vt ad Orbis Iudicem, sed vt ad Coepiscopi fautorem, dignitatis Episcopalis propugnatorem, ac Canonum violatarum vindicem. Deinde Chrysostomum hæc ab Innocentio postulasse, non vt ipse solus, sed seruatis seruandis, hoc est, cum Synodo pleniore, acta illa rescindat; vt supra in Iulio consideraui. Beneuolentiam vero Romani Episcopi omnia in eius gratiam, vt vt frustra tentantis, quidni agnoscens paternam vocaret afflictus Episcopus, iam etiam Exepiscopus, extorris, excathedratus ad primam cathedram scribens? Excommunicationis denique pena meritissima, quam ab inimicis deprecabatur vir pius apud Romanum Episcopum, erat ab illius communione separatio. Sed hanc potest quicunque alius Episcopus, præsertim eminens, irrogare. Plus tamen nocere potuit à Romana Ecclesia separatio, quam ab aliis; vt in ipsius priuilegiis commonstraui.

[d] Bellar. ibid.

Cyrillus

A Cyrillus Alexandrinus [a] Cœlestini (*inquiunt*) præscriptum, & expectat, & exequitur aduersus Nestorium.] In hæreticorum damnatione, præsertim autoritate pollentium (qualis hic erat) omnes præcipuæ Ecclesiæ concurrebant, ne ab vno damnatus in alia reciperetur. Et quia inter præcipuas chorum ducebat Romana; quâcum in casu Nestorij, Alexandrina plenè consentiebat; ideò in communionis potissimum materia, Romanæ ductum, & exemplum præuium Alexandrina sequebatur. Hinc autem Patriarcham Alexandrinum in imum subsellium detrudere, ac (quod audet Bellarminus) nihil aliud, quam Romani exequutorem, & administrum se exhibuisse pronunciare magnæ est confidentiæ, ne dicam audaciæ. Certè Cœlestinus non solus, & ex se solo; sed cum [b] Synodo præscribebat. Is enim fuit perpetuus Ecclesiæ mos, vt aduersus Hæreses frequentes vndequaque Synodi conuenirent, & eas damnarent, damnationemque inter se communicarent. Vide in simili casu

B Synodicas [c] Damasi. Hæc igitur erat vnio, & consensio; non subiectio, nec prælatio. Quæ verò ex libro thesauri proferuntur impostura prorsus olent, vt etiam obseruaui libro primo, cap. 10. nu. 16. Et quicunque Cyrilli dictum de Primatu Petri; & Papæ proferunt, ij omnes ex Aquinate sumserunt; imò fortè ex Aquinatis nomine edito partu suppositicio. Thesauri enim libri Cyrilli omnes extant, in quibus nihil tale habetur. Et quanuis plures libri quam quatuordecim alicubi citentur, sunt tamen illi ipsi 14. Sed alia minutiori diuisione multiplicati; & nihil citatur in illis pluribus, quod non reperiatur in his 14. Cyrillum tamen vix in vllo precio Papatum Romanum habuisse, habes à nobis expolitum, supra cap. 8. num. 66.

LXI.

a Bellar. ibid.

b Cyril. Ep. 10.

c Apud Theodor. l. 5. c. 10. 11.

Quod profert Bellarminus de Theodoreto, eandem habet responsionem, quam causa Chrysostomi. Quod verò ex Sozomeno; id ego supra explicaui capite octauo. Acacius solicitudinem omnium Ecclesiarum tribuit Simplicio: sicut & Ioannes [d] Nicopolitanus;

C & [e] Possessor Afer Hormisdæ; propter curam, & superintendentiam vniuersalem, quam in primo priuilegio cap. præcedenti consideraui. Phrasis autem Acacij illa *secundum Apostolum* apertissimè ad Paulum Apostolum alludit; qui [f] omnium Ecclesiarum curam sibi incumbere professus est. Nec Paulum Apostolum facit Papam Bellarminus. Cur ergo hoc ex Acacio affert? De Iustiniani dicto suum Papam Romanum non modò ad culmen Ecclesiasticum, sed etiam ad splendorem laicum exaltante non sum admodum solicitus. Interim benè habet quod suam hanc Papa sublimitatem debeat Imperatoribus. Huiusce quidem præeminentiæ fontem ipse Iustinianus non altius reducit quam ad Canones, vt vidimus; & Sancimus, *inquit*, secundum Canonum definitiones, sanctissimum, &c. Patarensis autem ille Episcopus nobis à [h] Monarchicis obiectus, vnum Papam esse dixit super Ecclesiam mundi totius; vt hinc vehementius indignitatem exilij Siluerij Iustiniano exprobaret,

D quia considerabat priuilegium supremi Primatus, quo Romanus etiam Constantinopolitanum, ex Ecclesiæ consuetudine superaret. Quanquam Liberatus scriptor Latinus, potuerit facilè encomium illius Episcopi, quod proferunt Bellarminus, & Baronius, addito aliquo verbulo amplificare: ille enim modus loquendi ab opinione, stylo, & more Græcorum plurimum abhorret. Adde quod Pontiam Insulam exilio Siluerij datam scribunt, Anastasius, & Martyrologia: & de Patara mentionem nullam faciunt.

LXII.

d Inter Epist. Hormisd. post Ep. 6. Ep. 3.

e Ibid. post Ep. 66.

f 2. Cor. 11.

g Supra cap. 4. num. 10. Imus.

h Bellar. ibid. & Baron. tom. 7. an. 538. n. 13. Ex Liberati Brev. c. 22.

Possunt verò, præter hos, quos ex Græcia Papatus testes Bellarminus accersiuit, alij quoque nonnulli adduci. Episcopi Dardaniæ, omnimodam videntur [i] obedientiam Gelasio, & sedi Apostolicæ profiteri: nam & ipsius præcepta se suscepisse cum deuotione aiunt; & paratos se offerunt iussionibus ipsius obedire; & sedi Apostolicæ secundum diuina præcepta, & Patrum statuta inculpatè seruire.] Epistola sanè subiectionis plena est; sed tota tamen ad fidei respicit institutionem, & ad charitatiuam illam superintendentiam; qua

E Episcopum Romanum agnoscunt communem speculatorem, & admonitorem. Gratias referimus, *inquiunt*, quod nos pastorali admonitione, & Euangelica doctrina visitare dignatus es.] Obedientia itaque est in fide; & præcepta, ac iussiones, erant articuli fidei; qui quales in sede Apostolica tenebantur, tales etiam alijs præscribebantur: & in his parere sedi Apostolicæ Orthodoxi omnes erant parati; quia ibi fidei puritas, & integritas, vt toties monui, vigebat. Addo verò mihi verisimile esse Dardaniam, quæ nunc Bossina dicitur, ad Romanum pertinuisse tunc Patriarchatum; & illas Ecclesias Romanæ Ecclesiæ filias fuisse. Possunt verò præter hos, quos ex Græcia Papatus testes Bellarminus accersiuit, alij quoque nonnulli adduci.

LXIII.

i Inter Epist. Gelas. post Ep. 2.

Dorothei Episcopi Thessalonicensis Epistolam ad Hormisdam nobis producit Baronius; in qua inter alia, hæc habentur, non sine mendis: [k] Quid autem est ita animæ hominis

LXIV.

k Baron. tom. 6. an. 515. n. 8.

minis suaue; aut quid ita impinguat ossa, quam speciosо nuncio cognoscere veræ pacis nunciatorem; & rectæ nunquam errantes propugnatores fidei, ad Ecclesiarum Sanctarum transire gubernacula; & tanquam ex arce quadam ad consensum Dei congregare dispersa; & continuo quidem ad Principatum suæ sedis festinantes, venerandi fratris supplicationibus annuentes, membra Ecclesiæ, quæ vobis Christus & Deus noster credidit, contemnentia prius concordiam, ad vnitatem venire; & præcedentem diuisionem, atque inuidiam vestræ tantum ordinationis perimere calculo; & nunc in concordiam, atque societatem confluere omnem terminum sanctæ illius Ecclesiæ?] Dorotheus tamen respexit ad antoritatem Occidentalium Ecclesiarum, præsertim Romanæ, in comprimendis schismatibus, & vnione Ecclesiarum reparanda; & principatum curæ, ac superindentiæ principalis, in eadem Romana Ecclesia cognoscebat. Neque cum solo Papa loquitur, sed cum omnibus Occidentalibus Episcopis. Ita enim subscribit: Saluari me in Domino orate sanctissimi, & Beatissimi Patres.] Quorum omnium opem, pro vnione Ecclesiarum implorabat; & in ipsa Epistola se non subiectione, sed charitate facit Romanæ sedi deuinctum; cui venerationem debitam exhiberi cupit, non subiectionem. [a] Circa illam beatam sedem, *inquit*, charitate deuinctus, & omni die videre desiderans congruentem, atque debitam venerationem ei seruari.] Quæ verba Papatui nihil prosunt.

a *Ibid. n. 11.*

LXV.

b *Inter epist. Hormisd. ante ep. 21.*

Archimandritæ secundæ Syriæ ad Hormisdam scribentes; & eum [b] vniuersi Orbis terræ vocant Patriarcham; & eum sic alloquuntur: Deprecamur ergo Beatissime Pater, supplicantes, & rogantes, vt exsurgatis cum feruore & zelo; & condoleatis iuste pro corpore laniato (nam caput estis omnium) & vt vindicetis fidem, &c.] De vocabulo Oecumenici dixi satis cap. 7. ostendique Græcos libenter Primatum vniuersalem, sed quoad certa priuilegia, dedisse Romano; cui iam suum Constantinopolitanum exæquarant. Atque hinc etiam illum caput vocant omnium; quia inter omnes iure Ecclesiastico primus est, & speculator, & superintendens generalissimus.

LXVI.

c *Sand. l. 7. n. 528.*

d *Greg. l. 6. Ind. 15. ep. 37.*

Ponderat [c] Sanderus quandam Gregorij magni Epistolam; ex qua colligit Eulogium Patriarcham Alexandrinum ad ipsum Gregorium scripsisse: Quod Beatus Petrus Apostolorum Princeps in Cathedra sua Romæ nunc vsque in suis successoribus sederet. Verba Gregorij ad Eulogium sunt: [d] Suauissima mihi sanctitas vestra, multa in Epistolis suis de sancti Petri Apostolorum Principis Cathedra locuta est, dicens: Quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat.] Hæc Eulogius de imitatione Petri, similitudineque morum, & officij dicebat; vt qui Gregorius in ea Ecclesia sedebat, in qua Petrus prædicauit, & docuit; Petrum quoque, & vitæ sanctitate, & docendi solicitudine imitaretur. Et hanc imitationem Petri, in feruore præsertim prædicationis, cum multi Episcoporum Romanorum propriam olim fecerint, inde alijs, forte & sibi videntur Primatum Petri successione iurisdictionali in se transtulisse. Quod non est verum; quia Petro specialis, vt iam probaui, nulla datur successio. Ad imitationem vero Petri quamuis specialiter, non tamen solus Romanus, sed omnes Episcopi tenentur.

LXVII.

e *Baron. tom. 8. an. 643. n. 11. & Sand. n. 557.*

f *In Conc. Later. sub Martin. sect. 2.*

[e] Cyprij Episcopi, in necessitatibus Ecclesiæ Orientalis afflictæ, ad Romanum Pontificem Theodorum de more confugiunt per Synodicas literas; quas eorum Metropolitanus Sergius in hæc verba composuit: [f] Sanctissimo, & Beatissimo, à Deo honorabili Domino meo, Patri Patrum, Archiepiscopo, & vniuersali Patri Domino Theodoro, Sergius humilis in Domino salutem. Firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam sedem constituit (ô sacer vertex) Christus Deus noster. Tu enim es (sicut Diuinum veraciter pronunciat verbum) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt. Tibi & claues cœlorum commisit; atque ligare & soluere potestatiue quæ in terra, & in cœlis sunt, promulgauit. Tu profanarum hæresum depositor existis; vt princeps, & doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei. Igitur non despicias Patrum tuorum, Pater, fidem æstuantem; & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, nec non periclitantem. Resolue nebulam insipientium, lumine tuæ Diuinæ scientiæ, ô Sanctissime; abunde blasphemias, & iactantiam vaniloquorum nouiter emergentiū hæreticorum Doctorum. Nihil etenim minus est orthodoxæ, & Apostolicæ vestræ definitioni, atque traditioni, quatenus augmentum aliquod suscipiat à nobis fides.] De Oecumenici titulo nihil dico, quia iam sæpe dixi. In reliquis hi quoque Episcopi, vt dixi de Eulogio, locum in quo Petrus docuit, & ipsius imitationem considerarunt. Quia enim Romanus Episcopus in eo sedet loco,, in quo Petrus docuit, ei quoque quodammodo, vt ita dicam, materialiter succedere dicitur; & cum peculiari quadam obligatio-

obligatione ipsum imitandi: ideo hinc illum monent, vt contra hæreses ipse potissimum insurgat, cuius doctrinam à Principibus Apostolorum habitam sint facilius auditurti. Interim tamen scias Græcos interdum, vbi opem implorant, qua valde indigeant, non nihil applaudere Romano Pontifici, & assentari.

LXVIII.

Alia afferunt & Baronius, & Sanderus, & alij ex [a] Sophronio Patriarcha Hierosolymitano; ex [b] Constantino Imperatore quarto, & [c] Pogonato; ex [d] Theodoro Studita Monacho Constantinopolitano; ex [e] Tharasio, [f] Photio, [g] Ignatio, [h] Nicolao Patriarchis Constantinopolitanis, qui quidem (vt vno fasciculo inuoluam) omnes vel sedem Romanam asserunt esse summam & primam omnium; vel Petrum in Papa Romano recognoscunt, vel eum vniuersalem Pastorum Principem vocant, & Archipastorem Ecclesiæ, quæ sub cœlo est, ac Principatum habentem, & lumen magnum, & culmen Apostolicum, & veteris Romæ Primatem, ac Apostolorum ex Christi institutione succussorem: vel ad eum pro instructione, aut pro iudicio confugiunt. Quòd siqua vel facta vel dicta supra ordinaria legitima priuilegia in his reperiantur, inde omnia solui debent, quod vel priuilegia sedis Romanæ libenter augeant Græci, vt inde Constantinopolitanus quoque Patriarcha extollatur, vel nimium assententur, vel aliqui etiam simpliciores, & creduli sibi persuaderi passi sint, adeo vehementi sæpiusque inculcatâ tot Romanorum Pontificum asseueratione adducti, veram & propriam Petri in Romana sola Ecclesia esse successionem. Quanquam ea quoq; data, non inde faciant Papam nisi generalem Ecclesiæ totius vigilem & superintendentem, sed Canonibus & Concilijs subiectum, Episcoporumque collegam non dominum, &c. Veteres tamen Græci Patres nunquam in hoc consenserunt, qui de Petri Primatu & successione Euangelicam veritatem non ignorarunt, sed puram & sinceram retinuerunt: vt vidimus cap 8. præcedenti.

a *Sand. li. 507.*
b *Idem n. 577.*
c *Baron. tom. 8. an. 681. nu. 57.*
d *Baron. tom 9. sæpe & Sand.*
e *Sand. n. 612.*
f *Baron. to. 10. an. 859. n. 68.*
g *Ibid. an. 867. nu. 109.*
h *Baron. to. 11. in append. ad an. 1095.*

LXIX.

Adducent nobis tandem Monarchici Græciæ testimonium pro Papatu, ex eo quod nostris diebus viderimus, & Ecclesiam Alexandrinam, & Ruthenam se Ecclesiæ Romanæ subiecisse; ac Papatum in summo Pontifice Clemente 8. agnouisse, & confessos esse. Acta subiectionis Alexandrinorum ponit Baronius in Appendice tomi sexti; Ruthenorum vero, in fine tom. 7. suorum Annalium. His addere possunt subiectionem paulo ante, in Concilio Lateranensi, Ecclesiæ [i] Maronitarum, Leoni decimo factam.] Maronitæ profecto, & Alexandrini, sub miserrimo captiuitatis iugo gementes, & ope Romana indigi, adeo vt vel sacra indumenta Sacerdotalia Aegyptij sibi petant suppeditari; & vtrique à Romanis Pontificibus inuitati Romam accesserunt. Rutheni verò, eorum Rege pijssimo Sigismundo hortante, & impellente Romam confugerunt; vnionem cum Ecclesia Romana vehementer omnes expetiuere; eam potissimum vt obtinerent, & vt à sede Apostolica de more antiquo instructionem, in barbarie politi acciperent, elaborarunt. Et Maronitæ quidem in genere obedientiam præstant, & fidelitatem iurant; sed profecto intelligunt circa dogmata fidei: summa enim commissionis, qua instructi eorum legati Romam venerunt, his paucis verbis continetur: Nos verò, cum prælibato fratre Ioanne Francisco, quosdam ex nostris ad sanctitatem vestram destinamus; ea ducti opinione, vt Patrum instituta, ac S.R. Ecclesiæ dogmata addiscant; & cum edocti fuerint, ad nos docturi alios postmodum redeant.]

i *Concil. Lateranense sub Leon. X. sess. 11.*

LXX.

Alexandrinorum vero instructio, & commissio fuit expressior; illi enim vnionem solam, & cupiunt, & petunt; & sane vnionem [k] dilectionis, & in caritate, non in subiectione: [l] Vt efficiamur, *inquit*, Christi membra dilectionis, & caritatis ligamine colligati, sine schismate, &c.] Et infra: [m] Omnia quæ ipse vobis ore suo dixerit, tanquam ex ore Christi erunt prolata. Ideo ea suscipite, eisque obedite, & mandatis eius ne sitis repugnantes. Quicunque enim diuinis eius præceptis non obtemperauerit, Christo Domino, qui sua gratia ipsum erexit, minime obtemperat. Itaque omnia, quæ vobis dixerit Dominus Pater, circa sanam professionem, atque rectam in Catholica & Apostolica Romana Ecclesia fidem, nobis referetis; & ea exequemur vna cum gente nostra. Quamobrem eundem vobis repetimus sermonem, vt sitis auscultantes, & obedientes absque repugnantia: Omnia enim, quæ mandauerit Dominus Pater, nos exequemur; & quicquid Euangelium per os eius reprobauerit, si apud nos erit reprobabimus. Cumque redieritis ad nos & optima renunciaueritis mandata, non transgrediemur ea. Horum autem omnium fundamentum est, vt Ecclesia Romana & Alexandrina sit vna vinculo caritatis, sine diuisione colligata.] Et postea: [n] Voluntas autem in eo est, vt sint simul concordes in caritate spirituali; & sit Ecclesia vna Romana & Alexandrina; neque sit inter nos differentia vlla, in quacunq; re.]

k *Apud Baron. de orig. Eccl. Alexand. nu. 9.*
l *Ibid. nu. 12.*
m *Ibidem nu. 14. 15.*
n *Ibid. nu. 20.*

quis dicit hos subijci Romano Pontifici ; qui nullam voluit esse differentiam inter Romanam & Alexandrinam Ecclesiam ? Differentia enim non dissensionem, sed disparitatem significat. Sed nostri Romani inter fidei articulos in formula fidei illis præscripta posuerunt, tum in genere articulum Concilii Florentini, De Primatu summo Rom. Pontificis, (quem articulum non fuisse à Græcis, in eo Concilio admissum, supra ostendi) tum in specie etiam seorsim eundem explicatum his verbis sunt complexi : [a] Teneo & confiteor sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem, in vniuersum orbem tenere Primatum ; & ipsum Rom. Pont. successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ esse caput, & omnium Christianorum Patrem ac doctorem existere ; & ipsi, in B. Petro pascendi & gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse ; cuius Ecclesiæ vnitatem tanti faciendam esse affirmo, vt nullos extra eandem Ecclesiam Catholicam existentes, æternæ vitæ participes fieri posse confitear.] Hanc formulam illi quidem admiserunt & subscripserunt, secumque in Aegyptum abstulerunt ; sed quo effectu quoue fructu, quamque gratam & acceptam Ecclesiæ Alexandrinæ, & alijs illius Patriarchatus, inde collige ; quod vnio nulla appareat : & nihilo minus quam prius Romanus Pontifex suum titularem vult in Curia habere Patriarcham Alexandrinum, quem ipse eligat & faciat ; quod si vera sequuta fuisset vnio, cur aduersus verum Patriarcham a se iam admissum, alium constituat Antipatriarcham, vel potius Patriarchæ vmbram, aut laruam ? Oportuit igitur Aegyptios tot articulis, & sane etiam falsis, & Euangelio contrarijs oneratos, & stomachatos, formulam illam, propter vanitates interiectas, penitus respuisse.

[a] Ibid. nu. 49.

LXXI. Sic Ruteni in literis quidem suæ Prouinciæ Synodalibus habent, se cupere in Ecclesiarum [b] vnione persistere ; ac vnum summum Pastorem, primumque Antistitem in Ecclesia Dei hic in terris (prout ea de re Concilia & Canones manifesti habentur) & non quempiam alium, præter sanctissimum Papam Romanum profiteri. — Vt possint laudare, & glorificare venerandum & magnificum nomen Patris & Filij, & Spiritus Sancti, *inquiunt* ; cum fratribus nostris charissimis Dominis Romanis permanentes, sub eodem Pastore visibilis Ecclesiæ Dei, cui hæc præeminentia semper debebatur.] Sola ergo priuilegia legitima sedis Romanæ, quæ in Concilijs & Canonibus continentur & Primatum præeminentiæ tantum, non illam absolutam Monarchiam admittunt. Sed his quoque data est illa amplissima formula cum articulo huiusmodi : [c] Item sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere Primatum ; & ipsum Pont. Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum ; & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere ; & ipsi in B. Petro, pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo, plenam potestatem traditam esse ; quemadmodum etiam in actis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.] An vero tam amplam formulam in hoc articulo multo plus continentem, quàm Synodica ipsorum confitebatur, Ruteni ipsi in Prouincia admiserint, nihil certi habeo. Sicut neque scio an in vnione cum Ecclesia ipsa Romana perseuerent. Sed cum Dataria nihil inde habeat emolumenti, neque illi pro Bullis Romanam frequentent Curiam ; valde suspicor eorum vnionem à sede Romana facile contemni, ac nihili fieri. Iam ad Latinos accedamus.

[b] Baron. de Ruthenis a sede Apostol. recep. nu. 17. 18.

[c] Ibid. nu. 32.

LXXII. Tertullianum nobis ante omnes, obijcit [d] Baronius ; qui errore deceptus, cum bigamiam Christianorum terre non posset ; nec lapsorum incontinentium reconciliationem, edictum quoddam Romani, vt videtur, Pont. considerat & reprehendit ; atque : [e] Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium : Pontifex scilicet Maximus Episcopus Episcoporum dicit : Ego & Mœchiæ, & fornicationis sunes dimitto : siue vt alij legunt ; Ego & Mœchiæ, & fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto.] Ecce vel Papa illius temporis se summum Pont. vocauit, & Episcoporum Episcopum si ea verba sunt pars edicti : vel Tertullianus eundem Papam his titulis insigniuit, si verba sunt Tertulliani.] Respondeo verba plane esse Tertulliani, vt per se patet ; sed verba sane ironica, & non sine mordaci derisione prolata, ac in ipsum intorta Romanũ Episcopũ, vel forte alique ex Africæ primatibus ; & quidni forte Carthaginẽsẽ ? Iam enim ille tumor inuaserat & Rom. & alios sũmos Primates Ecclesiarũ vt se & summos vocari vellent, & maximos, & Episcoporum se facerent Episcopos ; sed probabilius est ad Romanum ea dirigi ; videtur enim alludere ad Pontificatum Maximum Gentilitium Vrbis Romæ. Sed verba sunt ironica & quasi scelus augentia ; quod Episcopus, qui vt in Vrbe sedet Victrice, ita in Ecclesia

[d] Baron. tom. 2. ann. 216. nu. 8.

[e] Tertul. de pudicit. c. 1.

[f] Concil. Carthag. 3. c. 26. & Nos supra lib. 3. c. 10. nu. 30. 31.

A clesia eximius est, ac sua ipsius opinione supremus quod hic primus doctor, summusq; doctor peccatoribus indulgeat, peccata foueat, & edictis publicis, impunitate proposita, delictis viam aperiat. Hoc inde constat, quia edictum ipsum totum deridet; quod in prostibulis appendendum esse dicit. Et quia Cyprianus, qui à Tertulliani [a] magistri sui perpetua lectione non desistebat, negat expresse quenquam esse [b] Episcoporum Episcopum; id ex Tertulliano etiam didicerat, ac vterque eam in quouis Episcopo appellationem abominatus est. Eandemq; Tertullianus suggulat in Romano Pontifice, vel se iam tum Episcoporum Episcopum perperam faciente, vel ab adulatoribus talem titulum libenter admittente, vel, quod potius reor, aliquo Romano Ecclesiæ Presbytero illud de lapsis recipiendis decretum ita acriter ac insolenter defendente, vt Episcopi sui maiestate potiùs, quàm rationibus Tertullianum retundere conaretur, adeoque de inscio fortè Romano Episcopo nomen illud superciliosè reduplicaret, ac Episcoporum Episcopum diceret. Quæ quidem geminatio ex se non innuit præposituram vllam iurisdictionalem, sed nudam tantùm eminentiam comparatiuam, vel ad summum superlatiuam. Quo sensu dicitur Sanctum Sanctorum, & Canticum Canticorum. Nec profectò nouum est Tertulliano Romani Cleri supra modum se efferentis insolentia contumelijsque pungi, ac inde in errorem secessionemque violentius protrudi. Quod ex Hieronymi loco iam citato conijci potest. Quod verò hinc Baronius infert solitum tunc temporis Pontificem Romanum Ecclesiastici regiminis leges vniuersæ Ecclesiæ præscribere; respondeo, edictum illud de lapsis ad pœnitentiam recipiendis fuisse pro sola Ecclesia Romana datum: & quia Ecclesiæ inter se plurimum communicabant; & erat tunc hac de re vniuersalis controuersia, pro veritate singulæ decertabant, & sua sensa inter se communicabant; vt sic vniti veritatem ipsam redderent firmiorem. In similibus autem controuersijs sententia Romanæ Ecclesiæ erat maximi momenti; ac ob sui iam tum magnam existimationem, quodammodo exemplaris.

a *Hieron. de Scriptor Eccl. in Tertul*

b *Cypr. in Concil. Carthag.*

B

C

Cornelius Papa Nouatianorum plurium, qui Nouatiano schismatico adhæserant ad Catholicam redeuntium voces huiusmodi narrat, & laudat; [c] Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ, electum à Deo omnipotenti; & Christo Domino nostro scimus, — nec enim ignoramus vnum Deum esse, vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritum Sanctum, vnum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.] Intelligebant ergo, dicet aliquis, illi Cornelium esse vnum Episcopum totius Ecclesiæ Catholicæ. Respondeo illos, cùm essent Romani, Romæ de sua Romana Ecclesia loqui, in qua, post mortem Fabiani, factum fuerat schisma; nam & Cornelius fuerat legitimè electus; & Nouatianus se similiter Romanum fecerat Episcopum. Illi ergo schisma abhorrentes, in vnaquaque Ecclesia Catholica, quæ videlicet sit vnita toti Ecclesiæ Catholicæ, & consequenter in sua Romana vnum debere esse Episcopum legitimum, quem iam Cornelium agnoscebant, vna voce exprimebant. Iam enim illi ipsi illud Cypriani consilium audierant; [d] Vt pernicioſa dissensione, & concertatione deposita, impietatem esse sciant, matrem deserere, & agnoscant, atque intelligant; Episcopo semel facto, & collegarum ac plebis testimonio, & iudicio comprobato, alium constitui nullo modo posse.] Hinc illi clamant, iam resipiscentes, vnum debere esse in illa Ecclesia Catholica Episcopum.

LXXIII.

c *Apud Cypr. L. 3 Ep. 11.*

D

d *Cypr. l. 2. Ep. 11.*

Similia pro Monarchia proferunt [e] nostri ex Cypriano, vt vbi ait; [f] Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, ac nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex, vice Christi cogitatur, &c.] Hæc de Romano Pontifice à Cypriano proferri omnes ferè contendunt Monarchici. Sed hæc velle ad Romanum Pontificem referre, summæ profectò est, aut insciliæ, aut audaciæ: cùm reuera telum contra Papatum suppeditet validissimum. Hoc enim idem prorsus est, quod supra & Nouatiani conuersi dicebant in Ecclesia vnum debere

LXXIV.

e *Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 16.*

f *Cypr. l. 1. Ep. 3.*

E esse Episcopum, nempe in Romana: & Cyprianus asserebat, facto vno Episcopo in sua Ecclesia non posse alium constitui. Nunc verò idem in communi asserit, in vnaquaque Ecclesia debere esse vnum Episcopum, cui reliquus Clerus pareat; alioquin, si quisque proprio Episcopo contempto, sibi velit Ecclesiæ illius regimen assumere, inde & schismata, & hæreses exoriri. Quæ quidem tametsi Cyprianus in communi proferat; ea tamen de se ipso, & de sua Ecclesia Carthaginensi in specie intelligi volebat; sibique, & suæ propriæ Ecclesiæ applicabat. Fœliciſsimus enim & Fortunatus ipsius Presbyteri, ob multa scelera, & quod pacem lapsis dare, contra ipsius Cypriani mandata, auderent: (insuper Fortunatus se etiam Episcopum fecerat aduersus Cyprianum ordinari) Romam se contulerant à Cypriano ex Ecclesia expulsi, & Cornelium iam vel precibus illexerant, vel minis impulerant,

impulerant, vt illos in suam acciperet communionem. Contra hos ergo directè insurgit Cyprianus; & eorum schisma inde vel maximè exaggerat, quod non cogitarint Cyprianum esse vnicum in sua Ecclesia Episcopum, cui soli tota fraternitas Clericorum parere debuisset; quique vice Christi Ecclesiam illam regeret; & Ecclesiastica negotia omnia, ac præsertim circa lapsorum reconciliationem, & incorrigibilium expulsionem iudicaret; cuius iudicio & definitioni stare debuissent. Et quia in genere suam expromebat propositionem, ait; Cui si secundum magisteria Diuina obtemperaret fraternitas, nemo aduersus Sacerdotum Collegium quicquam moueret.] hoc est si Clerici omnes, omnium Ecclesiarum, suo quisque plene pareret Episcopo, vt iure Diuino tenetur, collegium ipsum, id est, corpus vniuersum omnium Episcoporum totius Ecclesiæ vniuersalis, debito disciplinæ ordine, summaque tranquillitate frueretur: quia nemo ex suis Clericis quenquam ipsorum perturbaret, nemo (vt ipse ait ibidem) Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collideret;] nempe apud alios Episcopos (nominatim Romanum) restitutionem, si à proprio Episcopo merito abijceretur quærens; & sic nulla schismata essent, nullæ hæreses, hoc est sectæ separatæ. A B

LXXV. Ac vt melius videas vnum hunc Cypriani Sacerdotem de Romano Pontifice non intelligi, sed ad ipsum Cyprianum spectare, audi quæ paulo post subdit: Cæterum dico, dico enim prouocatus, dico dolens, dico compulsus; quando Episcopus in locum defuncti substituitur; quando populi vniuersi suffragio in pace deligitur; quando Dei auxilio in persecutione protegitur; collegis omnibus fideliter iunctis; plebi suæ in Episcopatu quadriennio iam probatus, in quiete seruiens disciplinæ; in tempestate proscriptus; applicato & adiuncto Episcopatus sui nomine, toties ad Leonem petitus, in circo, in amphitheatro Dominicę dignationis testimonio honoratus: his ipsis etiam diebus quibus has ad te literas feci, ob sacrificia, quæ de edicto proposito celebrare populus iubebatur, clamore popularium ad Leonem denuo postulatus in circo: cum talis frater à quibusdam desperatis & perditis, & extra Ecclesiam constitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet: non scilicet Christus, qui Sacerdotes aut constituit, aut protegit; sed ille, qui Christi aduersarius, & Ecclesiæ eius inimicus, ob hoc Ecclesiæ Præpositum sua infestatione persequitur, vt gubernatore sublato, atrocius, atque violentius, circa Ecclesiæ naufragia grassetur.] Nemini dubium est hæc Cyprianum, sed modestè, de se ipso loqui. Certe Pamelius ipse (qui Cypriano, licet repugnanti, Papatus defensionem passim conatur tribuere) in suis in illa verba: *Quadriennio iam probatus* commentarijs, hæc, quæ hic vltimo citaui, omnia fatetur Cyprianum de se humilitatis gratia in tertia persona loquutum; ac, vt probet eadem ad Cornelium non posse torqueri, inter alia argumenta, demonstrat Carthagini suum fuisse Circum, Amphitheatrum, Leones; ad quos se petitum innuit Cyprianus. Quibus etiam addi potest breuis Cornelij Episcopatus quadriennium neutiquam attingens, imo nec vltra biennium porrectus, vt constat apud [a] Platinam [b] ac Baronium. Cum ergo hæc ipsa, quæ de se verecunde, sed grauiter Cyprianus, ad nihil aliud adducta sint, nisi vt ostendat se esse Episcopum de voluntate Dei electum, & approbatum, quem tumidi illi schismatici Romam aduolantes, & hæresim nouam condentes, quasi Sacerdotem sine iudicio Dei factum contempserant, quis sanus ipsum Cyprianum excludere potest, quo minus sit in Ecclesia sua Carthaginensi ille vnus Dei Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi; cui quod non obtemperabatur hæreses obortæ sunt, & nata schismata? Pamelius tamen, qui simul sorbere, ac flare didicit, illa fassus de Cypriano ipso intelligenda, hæc tamen de vno Sacerdote vult dici à Cypriano [c] de Romano Episcopo solo] Mihi certe non licet esse tam ingenioso. Ille cum suis solus incomposibilia conciliet,

[c] *Atque idem iungat vulpes, ac mulgeat hircos.*

Sed in viam redeamus. Illi itaque, qui non cogitabant esse in Ecclesia vnum Episcopum, cui obtemperare tenebantur, & ex cuius contemptu schismata faciebant, & hæreses; sunt hi ipsi infœlices Fœliciſsimus, & Fortunatus, Diaboli ministri; qui suum Episcopum impugnabant; & sane Episcopum non qualemcunque, sed egregium confessorem, martyremq; mox futurum inclytum, adeoque, dū hæc scriberet, leoni in prædam destinatum. Cum ergo illi schismatici Cyprianum impugnarent, non Cornelium, quem potius fautorem quærebant, totum illud dictum de contemptu Episcopi vnius, ad Cyprianum dirigitur, non ad Cornelium. Ad Cornelium quidem hæc scribuntur, verùm non de Cornelio, sed potiùs ex obliquo contra Cornelium. His non absimilia ad Rogatianum Episcopum à suo Diacono contemptum scripsit Cyprianus; [d] Hæc sunt, *inquit*, initia hæreticorum, & ortus, atque

C D E

a *Plat. in vita Cornel.*
b *Bar. tom. 3. ad an. 255.*
c *Pamel. in tom. ea verba Cypr.*
d *Cypr. l. 3. ep. 9.*

A que conatus schismaticorum male cogitantium, vt sibi placeant, vt præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & ordinationem, atque vnitatem Dei rebellatur.] Hic certe non de contemptu Romani Pontificis, sed cuiuscunque Episcopi apertè loquitur Cyprianus. Ex contemptu enim Rogatiani Episcopi, vniuersaliter colligit tales contemptus propriorum Episcoporum & hæreses, & schismata parere. Priori verò Cypriani loco vel maximè Papatum Romanum indirectè, & obliquè impugnari, ostendi pluribus supra cap. 8. num. 4 & seqq. huius.

Ex eodem Cypriano illum quoque adducunt locum, vbi ait; [a] Deus vnus est, & Christus vnus, & Ecclesia & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata: aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest: Quisquis alibi collegerit, spargit.] De Ecclesia vna [b] numero, non specie; & vna B Cathedra numero, hoc est singulari; quæ totam doceat Ecclesiam, hæc dici contendit Bellarminus; & hanc esse Cathedram Petri Romanam, extra quàm, qui non colligit, spargat. Sed dicat mihi obsecro, si hæc de Romana Ecclesia protulit Cyprianus, ita vt ipsa Ecclesia tota Romana doceat alias, & in fidei vnitate colligat; quid hæc ad Papatum? Romanus Pont. solus non est hæc Ecclesia, quia ille est huius Ecclesiæ duntaxat Episcopus; neque in suo Papatu vllum socium, nedum totam Romanam Ecclesiam vult habere. Dicat mihi præterea quomodo explicabitur solam Romanam Ecclesiam à Christo super Petrum esse fundatam? Et si sola Romana Ecclesia super petram Petrum est ædificata, tunc quando voce Domini dictum est, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; cur & Petrus & Petri successores Romani Pontifices in vniuersam Ecclesiam suum extendunt Papatum? Si verò tunc vniuersa Ecclesia super Petrum ædificabatur, non ergo dictum hoc Cypriani de vna Ecclesia, & de vna Cathedra numero, & singulari proferebatur. Dicat mihi, quo- C modo solum Romanum altare, & quodnam ex innumerabilibus est vnum altare Ecclesiæ? Quomodo solum Romani Pontifices Sacerdotium est vnicum Ecclesiæ Sacerdotium? Nugæ sunt istæ, & veritatis fugæ; loquitur ergo Cyprianus de vna Ecclesia tota, & integra; quæ ex omnibus particularibus integratur, non in specie Metaphysica per vniuersale abstractum; sed in vno toto integrante quantitatiuo homogeneo, vt lib. 3. cap. 1. explicaui. Hæc enim est fundata voce Domini super petram, seu Petrum typice & figuraliter, vt exposui lib. 1. cap. 7. 8. 9. Et hæc est vna Cathedra, non lignea singularis, non marmorea, eburnea, aurea, &c. sed spiritualis; hoc est vnica illa potestas, quæ in omnibus Episcopis vna est in solidum, sicut vnus est Episcopatus in solidum modis iam explicatis in libris præcedentibus. Atque in hac tota Ecclesia vnicum est altare, quia vnica & eadem oblatio spiritualis, in eadem fide cum vnione perfecta caritatis; vnicum Sacerdotium, quod à Christo per Apostolos in eorum veros successores est diffusum. Itaque extra hanc D Ecclesiam vniuersalem, neque adest altare, in quo oblatio Deo accepta offeratur; neque est Cathedra, quæ veram habeat spiritualem potestatem; neque est Sacerdotium, quo quis possit dici verus & legitimus Christi Minister; neque demum extra illam colliguntur animæ in horreum Christi, sed sparguntur, & dissipantur; neque est vnio, sed dissolutio.

Eadem ratione ad eandem Ecclesiam totam & vniuersalem respexit idem Cyprianus, quando nauigantes hortabatur, [c] vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent, & tenerent.] Et plurimum falluntur, qui hæc quoque verba ad [d] Romanam Ecclesiam volunt omnino pertinere. Conquestus sane fuerat Cornelius de nouitate quadam, quod videlicet, vbi prius Episcopus ipse Hadrumentinus ad ipsum scribere erat solitus; mox post conuentum ibi à Cypriano, & Liberali celebratum, Clerus duntaxat, & non ad ipsum Cornelium, sed ad ipsius Clerum literas dirigere cœpisset. Tota igitur hæc Epistola hoc factum duntaxat excusat: Excusatio verò Cypriani in eo consistit, quod cum E factum schisma in Ecclesia Romana cognouissent, Nouatiano ipsi Cornelio superordinato; Cornelijque aduersarij [e] libellos contra illum famosos disseminarent; præsertim quod [f] pœnitentes apostatas recepisset, in quadam Synodo decreuerint, vt communio cum ipso Cornelio suspendatur, donec missis legatis duobus Episcopis, de toto schismatis negotio plane fierent certiores. Hoc verò Synodicum decretum in Hadrumentina Ecclesia, absente ab ea Episcopo Polycarpo, non fuisse notum, nisi postquam Cyprianus cum Liberio eo accesserint; & quid in reliquis Africæ Ecclesijs fieret, Hadrumentinis significarint; qui ne à reliquis discreparent suæ Prouinciæ Ecclesijs, & ipsi tantisper suspenderant cum Cornelio communionem; donec plena rei notitia per missos legatos [g] Caldonium & Fortunatum

LXXVI.

a *Cypr. l. 2. ep. 8.*

b *Bellar. l. 2. de Rom. Pont. cap. 16.*

LXXVII

c *Cypr. l. 4. ep. 8*

d *Bellar. vbi supr. & Pamel. in hunc locum.*

e *Cypr. lib. 2. ep. 10.*

f *Euseb. in Chron. sub an. 255.*

g *Cypr. l. 2. ep. 10. 11.*

tum haberetur. Quorum deinde & aliorum relationibus instructi ; & de Nouatiani iniquitate, Corneliique innocentia certi ; eidem plenissimam restituerunt postea communionem ; Nouatianum vero cum suis sectatoribus excommunicarunt. Interim vero, durante illa suspensione, eam fuisse datam nauigantibus ex Africa in Italiam instructionem, & adhortationem, asserit Cyprianus hoc loco, quem excutimus ; vt Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent ac tenerent.] Hoc est, vt quod viderent ab vniuersali Ecclesia in eo schismate fieri ; id ipsi quoque facerent & seruarent ; nimirum vt cum illo communicarent, cum quo Ecclesiam Catholicam communicare viderent ; & ab eo abstinerent, á quo illa abstineret, in qua, nempe vniuersali, radicem & matricem cuiuscunque Ecclesiæ, positam agnoscebat ; vt qui cum tali matrice & radice coniunctus sit ; ex illa viuat & foueatur : ab ea vero disiuncti pereant & arescant. Hæc vero de ipsa Romana non posse vllo modo intelligi planum est ; quia tunc Romana Ecclesia erat in se diuisa ; & schismate perturbata ; vtraque parte se bonam causam fouere prætendente. Et instructio atque adhortatio Cypriani data nauigantibus ; vt stante illo schismate sententiam Ecclesiæ Catholicæ quæ radix est, & matrix singularum sequerentur, esset instructio vana & ridicula ; si sensus esset huiusmodi : si vultis non errare in hoc schismate, & scire cui parti Romanæ Ecclesiæ iam diuulsæ debeatis adhærere, & cum ea communicare, facite quod Romanam Ecclesiam facere videritis. Romana vero Ecclesia scissa erat ; & ipsamet hoc morbo maxime laborabat ; vt esset incertum & dubium, vtri eius parti sit tuto adhærendum. Itaque Ecclesiam Catholicam, quæ radix erat & matrix, intelligit Cyprianus Ecclesiam vniuersalem ; id est corpus illud totum vnicum & integrum ; quod multorum membrorum vnione & compagine coniunctum, vnitate perfecta consisteret. A B

LXXVIII. Vnde & nihil æquiuocans, sed eodem sensu constanti Ecclesiam Catholicam, quam radicem fecerat, & matricem, statim Cyprianus iterum nominat in sensu apertissimo Ecclesiæ non Romanæ, sed vniuersalis. Ait enim in Africa, cognita iam rei veritate, & habita certitudine legitimæ ordinationis Cornelij, esse constitutum, vt omnes Episcopi ad eum darent communicatorias, per quas ipsius ordinationem comprobarent : id est illum pro vero & legitimo Rom. Ecclesiæ Episcopo agnoscerent & tenerent : [a] Vt te, *inquit*, vniuersi collegæ nostri, & communionem tuam, id est Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, pariter & charitatem probarent firmiter ac tenerent.] Vnitas vero Catholicæ Ecclesiæ in eo consistit, vt omnes Episcopi inter se vera charitate, veraque fidei consensione, sint colligati. Cum itaque tota hæc Epistola sit tantum excusatoria ; & de fide nulla sit controuersia in ea agitata vel nominata ; sed sola controuersia Romani schismatis, proferre Ecclesiam Romanam esse radicem & matricem, est omnino impertinens, neque ad rem vlla ex parte faciens : imo vero, vt dixi, vim & sententiam à Cypriano intentam omnino corrumpens ; cuius perpetuus ac constans mos est, vt matricem seu matrem, ipsam Ecclesiam vocet vniuersalem ; non vllam particularem ; sic enim eidem Cornelio significauit se ad Nouatianos ipsius aduersarios scripsisse ; [b] Vt ad matrem suam, id est, Ecclesiam Catholicam reuertantur.] Catholicam verò Ecclesiam, ad quam eos, vt reuertantur, inuitat, non intelligere Cyprianum ipsam Romanam, sed vniuersalem, constat ex ipsis literis illos inuitantibus, in quibus sic habet ; [c] Quod quæso, vt in vobis saltem illicitum istud fraternitatis nostræ diffidium, non perseueret ; sed & confessionis vestræ, & diuinæ traditionis memores, ad matrem reuertamini vnde prodijstis ; vnde ad confessionis gloriam, cum eiusdem matris exultatione veniatis. — Nam cum vnanimitas, & concordia nostra scindi omnino non debeat ; quia nos, Ecclesia derelicta foras exire, & ad vos venire non possumus ; vt vos magis ad Ecclesiam matrem & ad nostram fraternitatem reuertamini ; quibus possumus hortamentis petimus ac rogamus.] Diffidium fraternitatis nostræ non perseueret ; & ad nostram fraternitatem reuertamini ; Matrem ergo, propter quam erant isti cum Cypriano Africanisque Ecclesijs, fratres, est mater communis Ecclesia vniuersalis ; in qua communis hæc fraternitas inuenitur. Et separatio illa à matre non erat à sola matre Ecclesiâ Romanâ : (imo illi, ad quos scribit, se Ecclesiam Romanam esse profitebantur) sed à matre vniuersali, quia facta illa separatione, non modo se à Cornelio, ipsiusque grege fideli separarunt ; sed à reliqua tota Ecclesia Catholica, quæ cum Cypriano communicabat ; cum Nouatianis communicare nolebat : & ad hanc Ecclesiam matrem, & consequenter ad fraternitatem cum ipso Cypriano & Ecclesijs Africanis, vt reuertantur, inuitat eos Cyprianus. Vt videlicet facta coniunctione cum suo Episcopo legitimo Cornelio, cum reliquâ tota Ecclesia consequenter coniungantur. C D E

[a] *Cypr. l. 4. ep. 8*

[b] *Idem l. 2. ep. 2*

[c] *Idem l. 3. ep. 2*

Hanc

Hanc porrò matricem Ecclesiæ non Romanam, sed ipsam Ecclesiam vniuersalem esse Cypriano, alio quoque loco possumus obseruare; vbi vnitatem Ecclesiæ Christi explicans per vnitatem corporis integri, ex omnium particularium Ecclesiarum Orthodoxarum membris conflati, vniuersalem hanc vnam Ecclesiam constituentis, ait similiter; [a] Vnus Deus est, & Christus vnus, Ecclesia eius vna, fides vna, & plebs in solidum corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non potest, nec corpus vnum diuidio compaginis separari, diuulsis laceratione visceribus in fruſta discerpi. Quicquid à matrice discesserit, seorsum viuere, & spirare non poterit, substantiam salutis amittit.] Vides hic clarissime à Cypriano matricem vocari ipsam Ecclesiam totam, & vniuersalem, quam alibi, & radicem vocauit, & caput; [b] Nos autem, *inquit*, qui Ecclesiæ vnius caput, & radicem tenemus; pro certo scimus, & fidimus nihil illi extra Ecclesiam licere, & Baptismatis, quod est vnum, caput nos esse, vbi & ipse (*Nouatianus*) baptizatus prius fuerat; quando diuinæ vnitatis, & rationem, & vnitatem tenebat.] Quanuis verò Bellarminus hæc quoque verba, ad Romanam [c] trahat Ecclesiam; fallitur tamen; Ecclesia enim Romana non est illa vna Ecclesia, quam totam Cyprianus vnam absolutè intelligit; Nos, *inquit*, Ecclesiæ vnius caput & radicem tenemus.] Neque huius vnius, & vniuersalis Ecclesiæ caput, & radicem facit vel Romanam Ecclesiam, vel Romanum Pontificem; quia se cum omnibus eiusdem communionis fidelibus, totius mundi caput facit baptismatis; quod est vnum: Scimus, *inquit*, pro certo baptismatis, quod est vnum, nos caput esse.] Nos videlicet Catholicos à quibus se Nouatianus separauit, esse caput baptismi: id est, nostram Ecclesiam Catholicam esse solam, quæ à Christo sponso fœcundata, tanquam matrix dat vitam, & nutrimentum illis solis Ecclesijs quæ ei adhærent: Et Christi Spiritu animata, tanquam caput influat in eas, tanquam in sua viua, & ei adhærentia membra; per quam solam, tanquam per caput baptismus etiam suam vim communicet: qui cùm datus sit Ecclesiæ vniuersæ, extra illum non operetur; sicut caput non influit, nisi in membra sibi coniuncta. Contendebat Cyprianus baptismum nihil efficere, si ab hæretico, vel schismatico ministretur; sed in hoc, licèt pio zelo, tamen importuno prouectus errabat. Quo ergo sensu Ecclesiam ipsam vniuersalem facit caput baptismi, non Romanam; eodem sensu dicebat se matricem, & caput Ecclesiæ vnius tenere; ipsam intelligens Ecclesiam vniuersalem.

LXXIX.

a *Cypr. de simp. Prælat.*

b *Idem ad Iubaian.*

c *Bellar. de Rom. Pont. l. 1. c. 12. 25. & li. 2. c. 16.*

Mera itaque vanitas est velle in Cypriano verba hæc, Matricis, Radicis, & Capitis, eo inuito, & renitente ad Romanam Ecclesiam flectere: sicut & illa, quando Ecclesiam assimilabat [d] lumini vel soli, ex quo radij prodeunt: fonti ex quo riui fluunt: & radici, ex qua rami viuunt. Quæ miror summopere potuisse à Bellarmino ad [e] Petrum, siue ad Romanam distorqueri Ecclesiam; cum expressissimè Cyprianus ibi de vniuersali loquatur Ecclesia, non de Petro, non de Romana, vbi ait: Ecclesia vna est, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo Solis multi radij, sed lumen vnum, &c.] Quæ ad schismatum compressionem de Ecclesia ipsa vniuersali proferri explicaui pluribus libro tertio, capite primo, nu. 11. 12. & contra ipsum Romanum Primatum introrsi ad finem capitis secundi huius. A qua particularis quæque Ecclesia spiritum, & vitam sumit spiritualem; & in tantum quæcunque Ecclesia particularis Christi Ecclesia est, & de Spiritu Christi viuit, & vegetatur, in quantum est membrum viuum, & coniunctum toti corpori Ecclesiæ vniuersalis; à qua si separetur, intereat necesse est.

LXXX.

d *Cypr. de simpl. Prælat.*

e *Bellar. vbi supra.*

Huc similiter respexit idem Cyprianus, quando in eodem tractatu de Vnitate Ecclesiæ, seu de simplicitate Prælatorum, inquit: Hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur; neque caput quæritur, neque magistri cœlestis doctrina seruatur.] Origo enim vnde quælibet Ecclesia particularis, cum de nouo surgit, debet veram Ecclesiæ formam accipere, est Ecclesia tota vniuersalis, quam Apostoli per vniuersum mundum fundârunt; eadem caput est, radix, fons, & reliquarum omnium fundamentum. Hanc verò vnitatem huius Ecclesiæ Magistri cœlestis doctrinam egregiè explicasse, probat Cyprianus, quando cum vno Petro loquens Dominus, ait; Tu es Petrus, &c. Et hunc locum Cypriani habes plenè declaratum à me libro primo, capite septimo, nu. 18. Quare schismatici, contra quos hunc tractatum scribebat Cyprianus, errabant, quia doctrinam Christi de vnitate Ecclesiæ non seruabant, neque ad originem Ecclesiæ à Christo institutæ redibant; neque caput, cui, si viua membra esse volebant annecti eos necesse erat, quærebant; ipsam nimirum Ecclesiam vniuersalem, quam à Christo iam institutam cernebant; & illi se ab ea separabant.

LXXXI.

Proferunt adhuc Cyprianum, vbi de Nouatianis scribit ad Cornelium, in hæc verba: [f] Miseramus nuper collegas nostros — vt ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, scisso corporis

LXXXII

f *Cypr. l. 2. Ep. 10.*

poris membra componerent; & Christianæ charitatis vniculo copularent. Sed quoniam diuersæ partis obstinata, & inflexibilis pertinacia, non tantum radicis, & matris sinum, atque complexum recusauit; sed etiam glisceute, & in peius recrudescente discordia, Episcopum sibi constituit; & contra Sacramentum semel traditum, Diuinæ dispositionis, & Catholicæ vnitatis adulterum, & contrarium caput extra Ecclesiam fecit.] Quæ verba licet Bellarminus ad [a] Romanam, vt alia, trahat Monarchiam; & matricem, ac radicem Romanam Ecclesiam intelligat; Cyprianus tamen eodem modo matrem & radicem cuiuscunque orthodoxæ Ecclesiæ intelligit ipsam Ecclesiam vniuersalem. Sed vrget Bellarminus hoc modo. At dicit Cyprianus non tantum noluisse Nouatianos redire ad Ecclesiam, & agnoscere radicem, & matricem, seu caput huius Ecclesiæ; sed etiam adulterum, & contrarium caput sibi constituisse. Sicut etgo Nouatianus fuit caput omnium Nouatianorum; ita Cornelius fuit caput omnium Catholicorum.] Respondeo hoc loco Cyprianum non facere illam contrapositionem, quam imaginatur Bellarminus; neq; enim dixit Nouatianos nolle agnoscere Matricem, seu caput Catholicę Ecclesiæ; nam neque Matricem, neque caput nominauit, ex parte Catholicæ Ecclesiæ; sed matrem tantum, & radicem, sensu nimirum iam exposito. Atque huic sceleri Nouatianorum, ab vnitate Catholicæ Ecclesiæ separatorum non contraponit quicquam, sed auget adhuc ipsorum scelus, quod præterea sibi caput adulterum, extra Ecclesiam vniuersalem constituerint Episcopum Nouatianum. Alio itaque sensu hoc loco caput nominatur; alio superioribus locis; in quibus Ecclesiam vniuersalem caput aliarum, & radicem faciebat. Ibi enim caput significabat principium, ex quo in alias Ecclesias fieret spiritualis influxus: Hic vero caput significat ipsum Episcopum, imo Pseudoepiscopum, & sectæ huius particularis ministrum præcipuum, & quasi prædonum ducem, vel antesignanum. Vrget Sanderus: [b] Si Nouatianus extra Ecclesiam fecit se adulterum caput: erat ergo etiam verum & visibile caput intra Ecclesiam; ipse nimirum Cornelius.] Respondeo erat extra Ecclesiam vniuersalem, in Romana tamen Ecclesia, vel potius in secta eius particulari caput adulterinum ipse Nouatianus: ergo intra Ecclesiam vniuersalem, in eadem Ecclesia Romana particulari cum vniuersali coniuncta, ex parte Catholicorum Romanorum erat vnicum caput Cornelius; quia intra Ecclesiam Catholicam hic erat caput legitimum Romanæ Ecclesiæ. Iam satis de Cypriano, meo certe contra Hieromonarchicos magistro, ac instructore optimo: Cuius si quæ sint alia testimonia ab aduersarijs ad Papatum detorta, ea sunt à me alijs occasionibus aduersus Monarchiam explicata.

[a] *Bellar. de R. Pont. l. 2. c. 16.*

[b] *Sand. de visib. Monar. l. 7. n. 48.*

LXXXIII. Optati autoritatem de vna Cathedra, & de duobus Ecclesiæ, quam ponderat pro Monarchia Bellarminus, satis explicaui l. 1. c. 10. n. 18.

LXXXIV. Ambrosium adducunt illa verba proferentem: [c] Cum totus Mundus Dei sit; tamen domus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie rector est Damasus.] Sed illos commentarios Ambrosij non esse est pene certum: sunt tamen satis antiqui, & à nobis nonnunquam allegati. Quinetiam probabile est per impostoram adiecta fuisse ea verba (cuius hodie rector est Damasus;) quia vacant omnino, imo ipsum interrumpunt argumentationis illius curriculum, vt legenti apparet. Quod si ea verba sint genuina, respondemus, posse sensum ferre bonum, ac Hieromonarchiæ nihil fauentem; nempe si proùt debent, eodem modo intelligantur, quo Paulina locutio, ad quam explicandam adducuntur. Vt enim Timotheus erat vere rector in domo Dei, adeoque domus Dei pro parte sua gubernator; nec tamen, id satis cauentibus Monarchicis, Papa vniuersalis, sed quoad suam propriam Ecclesiam Ephesinam peculiaris Episcopus, & quoad vniuersalem etiam curator & speculator, vt alij ab Apostolis ordinati: Ita Damasus ille Romanus tum Episcopus, esto rector domus Dei, hoc est Ecclesiæ, primò particularis suæ Romanæ, dein totius etiam Vniuersalis Ecclesiæ, sed cum alijs eiusdem curæ ac regiminis solido iure consortibus; inspector denique primarius, sed non solus speculator, suæ vrbis magnificentia eximius, & primæ sedis prærogatiuis conspicuus; ideoque ab hoc autore speciatim nominatus. Sin eadem verba nolint à Papistica significatione abstrahi; tum dicemus autorem fuisse blanda quorundã de seipsis Romanorum Pontificum opinione imbutum, ad eos, scilicet per Petrum, totius Ecclesiæ regimen deuenisse. Vnus vero & incertus autor leuem in hoc facit fidem. Ipsum verò Ambrosium Papatum Romanum non agnouisse, ostendi satis supra cap. 8 nu. 26. Et quod ex eius oratione in fratrem Satyrum producit Bellarminus, nihil aliud probat, nisi eo tempore signum efficax fuisse, Episcopum aliquem esse Catholicum, si cum Romana Ecclesia conueniret. In ea enim puritas fidei maximè vigebat: & Ecclesiæ consuetudine Romana

[c] *Ambr. in ep. 1 ad Tim. c. 3.*

tum

A tum Ecclesia erat vinculum commodissimum, quo aliæ inter se Ecclesiæ communicarent; vt est iam à me explicatū capite præcedenti. Tertium Ambrosij locum à Bellarmino obiectum iam supra consideraui, & aduersus Papatum produxi. Considerat præterea Baronius Synodicam quandam ab Ambrosio, & Collegis datam ad Siricium, in qua hæc habentur: [a] Recognouimus literis Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serues; & pia solicitudine Christi ouile custodias; dignus, quem oues Domini audiant, & sequantur.] Mira de Papatu Baronius [b] conatur hinc expiscari. Sed hæc omnia ad solam suæ Ecclesiæ, suique peculiaris ouilis, quod pro sua portione assignatum sit Rom. Episcopo curam pertinent. Vnusquisq; enim Episcopus suam habet suæ Ecclesiæ ianuam; per quam & oues in ouile Christi, ipsamque Ecclesiam vniuersalem admittuntur, & lupi possunt irrepere, seu etiam irruere. Episcopus itaque quisque suam custodire debet ianuam; & portionem gregis, quæ ipsi contigit pascere, & tueri.

a *Inter epist. Siricij post ep. 2.*

b *Baron tom. 4. an. 390. nu. 44.*

B Hieronymi patrocinium sibi asciscunt, dicentes: [c] Cum in chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum; & Orientis, atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem.] Quis negat ex omnibus mundi partibus, in grauioribus, Romanam Ecclesiam fuisse olim consultam; quamdiu verbo potens fuit, & exemplo? Et planum est Damasi temporibus negotia Ecclesiastica, quæ Romæ tractarentur, fuisse Hieronymo à Damaso commissa, vt ille ea [d] dictaret, & scriptis conciperet. Sed neque dubium mihi est, ad ipsummet Hieronymum, & non ad Damasum, deferri solitas fuisse plurimas Scripturæ quæstiones; vt ipse, pro summa doctrinæ, quam assecutus fuerat, autoritate, earum ederet solutiones. Ac propterea quando, relicta post mortem Damasi Roma, Bethleemiticum tenuit domicilium, ad eum nihilominus vndequaque, etiam ex ipsa Romana Vrbe, pro similibus fiebat confugium. Testes sint [e] Epistolæ plures, inter Augustinum & Hieronymum perscriptæ: Et [f] Legationes etiam ab Augustino ad Hieronymum missæ, ad discendum. Testis sit [g] Apodemius, ab Hedimia & Algasia, ex vltimis Galliarum finibus ad eundem missus: Ex Germania, Sunia, & Fretella illum consuluerunt: Ex ipsa verò Roma [h] Pammachius, & Oceanus, & alij. Vnde ipsemet ad Paulinum ita scribit: [i] Et vt sanctæ menti tuæ simpliciter fatear, vno ad Occidentem nauigandi tempore, tantæ à me simul Epistolæ flagitantur; vt si cuncta ad singulos velim scribere, occurrere nequeam.]

LXXXV.

c *Hieron. ep. 11.*

d *Hieron. cont. Ruff. apol. 2.*

C

e *Hieron. ep. 86. 94. & August. ep 29.*

f *Ibid. & Oros. l. 7. c. vlt.*

g *Hieron. ep. 150 151 153.*

h *Ibid. ep. 64.*

i *Ibid. ep. 153.*

Multo verò magis Hieronymus Papatui videtur fauere, vbi sic ad Damasum scribit: [k] Quanquam tui me terreat magnitudo; inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis; à Pastore præsidium ouis flagito. Facessat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquar. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam, iuncto Barbariæ fine disterminat; nec possum sanctum Domini tot interiacentibus spacijs à sanctimonia tua semper expetere; Ideo hic collegas tuos Aegyptios confessores sequor, & sub onerarijs nauibus, parua nauicula delitesco. Non noui Vitalem; Meletium respuo; ignoro Paulinum: Quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est qui Christi non est, Antichristi est.] Quinque sunt in his verbis, quæ obseruat pro Papatu Bellarminus. [l] Primo Hieronymum, qui Presbyter erat Antiochenus, se ouem Episcopi Romani agnoscere. 2. Hieronymum confiteri Damasum esse Petri successorem. 3. Hieronymum primum Christo, deinde Christi Vicario adhærere; neminemque ipsi Damaso, nisi solum Christum præponere. 4. Ab Hieronymo Romani Pontificis fidem fieri fundamentum eius domus, & Nauis, quæ est Ecclesia vniuersalis: ac proinde Romanum Pontificem fieri caput totius Ecclesiæ. 5. Maluisse Hieronymum Romanæ sedis Pontifici adhærere, quam Episcopo suo proprio Paulino Patriarchæ Antiochenō. Obseruationes tamen hæ Papatui nequaquam prosunt. Non prima, quia Hieronymus in eadem Epistola fatetur se ouem esse Ecclesiæ Romanæ, in qua Christo renatus est: [m] Inde, *inquit*, nunc meæ animæ postulo cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi.] Quamuis igitur in Oriente habitaret, semper tamen pro Romano homine fuit agnitus; erat enim quidem gente compatriota meus Dalmata, sed Romæ tamen baptizatus, & in doctrina Christi altus & educatus est. Ideoque Episcopi Orientales, inter se, circa nomina consubstantialis, & hypostasis, discordes, certatim ipsum Hieronymum ad se trahere nitebantur, vt ex consensu Hieronymi, ita Occidentem, ac præsertim Romanam Ecclesiam sentire probarent; & inde suas opiniones confirmarent.

LXXXVI.

k *Idem Hieron. ep. 57. 58.*

D

l *Bellar. de Ro. Pont. l. 2. c. 16.*

E

m *Hieron. ep. 57.*

Ab Aria-

Ab Arianorum Præsule, (*inquit ibidem Hieronymus*) & Campensibus, nouellum à me homine Romano nomen exigitur.] Item: Campenses cum Tarsensibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quam vt autoritate communionis vestræ fulti, tres hypostases cum antiquo sensu prædicent.] Communionem vero Romanam se habere iactatient, si cum Hieronymo homine Romano communicassent. Hinc igitur se Hieronymus vocat ouem Damasi. A

LXXXVII. Non secunda, Quia successores piscatoris eo sensu accipit Hieronymus, quòd Damasus in illa Ecclesia sederet, in qua Petrus piscator laborauit: & imitationem potius humilitatis intendit his verbis Hieronymus, quam præcellentiam potestatis. Vt enim dignetur Damasus, deposita sua magnitudine, & illustri sedis dignitate, nimiaque illa ad quam iam excreuerant Romani Pontifices ambitione, vnius simplicis heremicolæ literis respondere, exhibet ei exemplum Petri ad imitandum; qui cum vilis piscator esset, eandem tamen tenuit sedem: Quinimo Christum quoque imitetur, qui humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis: & non typhum tenuit; nec vllum splendorem sæcularem. Tui me terret, *inquit*, magnitudo; faceslat inuidia; & Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris humilis, & abiecti loquor: & cum Discipulo Crucis.] Suggillat igitur nimiam Papatum ambitionem, qui splendorem iam sæcularem ambirent, & mundano fastu satis tumerent: Inde enim ortum fuisse schisma inter Damasum & Vrsicinum Ethnicus scriptor narrat [a] Marcellinus: Vt propterea viderentur quodammodo iam dedignari, ad functiones quasdam Episcopales ministrorum & seruorum Christi, non dominorum ac Principum proprias descendere. Quomodo autem citra Papatum, Romanus Episcopus sit Petri successor, satis habes à me explicatum supra lib. 2. cap. 1. & huius lib. 4. cap. 6. B

a *Ammianus l. 27. & infra l. 4. c. 5. n. 45.*

LXXXVIII. Non tertia, Quia, vt explicaui cap. præced. Priuilegio 1. tunc Romana doctrina erat tutissima, & maximæ in vniuersa Ecclesia autoritatis: nam & propterea, vt modò monui, Orientales nihil aliud, Hieronymo teste, ambibant, quàm vt autoritate communionis Romanæ fulti, suas stabilirent opiniones. Quoniam igitur Romana Ecclesia maxime omnium Christi doctrinæ puræ tenax esse comperiebatur, ideo ait Hieronymus, se quidem Christum solum in Ecclesia primum agnoscere; vt alluderet ad Pauli admonitionem; non esse dicendum: [b] Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ; propterea tamen in dissensionibus illis Ecclesiarum, velle Romanam Ecclesiam sequi; quia illa Christi doctrinam purissimam conseruabat; ait enim: [c] Vbicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ: profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas; ibi cespite terra fœcundo, dominici seminis puritatem centeno fructu refert: Hic obruta sulcis trumenta, in lolium, auenasque degenerant. Nunc in Occidente sol iustitiæ oritur; in Oriente autem Lucifer ille qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux Mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa & argentea: Hic testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum opperiuntur incendium.] Hic, vt audis, non loquitur cum solo Damaso; sed in plurali cum tota Romana Ecclesia, & cum Occidente toto, cuius seminarium ac Mater erat Romana Ecclesia; vt cap. 3. explicaui: sed subdit: Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior.] Quasi dicat, Ego in Ecclesia solum Christum primum agnosco caput certum, & infallibile, ac perpetuum; talem enim fidei ducem certum, infallibilem, ac perpetuum, nullum agnosco hominem in terris; non te, non vllum Episcopum, non Patriarcham. Quia tamen nunc in terris video Apostolicam doctrinam Romæ maxime puram conseruari, ideo in his dissensionibus omnino tibi, inquit, id est Cathedræ Petri, volo adhærere. Quia enim tu, vt tota tenet Ecclesia, nunc id doces, quod Petrus Romæ docuit; ideo tibi communione consocior; & consequenter illis solis Episcopis & Doctoribus, qui tecum communicant. Nunc enim Regula optima mihi sit, vt quod Romana Ecclesia tenet & docet, id tenere & docere habeam tutissimum. Non ergo Damasum sequitur Hieronymus, quia Petri ille locum, seu sedem teneat; quasi hoc sit perpetuum illius sedis, & firmum priuilegium; sed quia Damasus Cathedram Petri tenebat; hoc est, re ipsa docebat illam eandem doctrinam, quam Petrus ibidem docuit; quæque per manus ab Apostolis tradita, in Romana Ecclesia eatenus pura conseruabatur. [d] Vt qui Apostolos (inquit ad eundem Damasum) honore sequeris; sequaris & merito.] Hic, vt vides, Damasum Hieronymus facit plurium Apostolorum, non solius Petri successorem. Et hoc priuilegium puritatis fidei; ac inde petendi exemplaris, ab Hieronymo agnoscitur non esse solius Romanæ Ecclesiæ proprium C D E

b 1. Cor. 1.

c *Hier. ep. 57.*

d *Idem. ep. 58.*

A um, & perpetuum, sed contingens, & reciprocè amissibile: cùm subdit; Profligato ex Oriente patrimonio, hæreditatem in Occidentem peruenisse, & ibi tunc substitisse: Solemq; qui prius in Oriente oriebatur, tunc in Occidente suum ortum habuisse. Quemadmodum igitur patrimonium, & hæreditas, Solque iustitiæ; hoc est veritas, & puritas fidei in Oriente prius viguit, multo melius quàm in Occidente; & postea ab vnis transijt ad alios; ita ab his transire adhuc potest ad alios; & inde ad alios, &c. Vbi tamen Solis ortum esse contigerit, idque manifesto appareat; inde lucem expectare debent omnes. Vtinam vnde Hieronymi tempore lux oriebatur; nunc tenebræ crassissimæ, & palpabiles non offundantur. Sed neque Hieronymus solum sibi Damasum, vt exemplum præstituit suę fidei; quanquam illum præcipue sequendum putet; sed Petrum quoque Alexandrinum sibi Ducem sequendum, in illa ipsa Arianorum persecutione, æque proposuit. Ait enim: [a] Si eis placet, hæ-

a *Idem Ep. 77*

B reticum me cum Occidente, hæreticum cum Aegypto; hoc est cum Damaso, Petroque (*Alexandrino*) condemnent.

Non quarta; Quia iam loquitur Hieronymus de ipsa vniuersali Ecclesia, non de Romana singulari; & de ipsa fide, quam sanctus Petrus est confessus, & super quam tota Christi Ecclesia est ædificata; vt explicaui libro 1. capite 6. Sensus Hieronymi est, Ego Petri fidem in Ecclesia Romana puram cerno, cernit & Ecclesia reliqua Orthodoxa: Romanæ ergo Ecclesiæ adhæreo, quia supra eandem fidem Petri, scio, Christi veram Ecclesiam esse ædificatam, quæ est domus fidelium, & Arca Noe. Igitur per hanc fidem, quam nunc in Ecclesia Romana vigere cerno, ego sum in vera Christi Ecclesia, in vera fidelium domo, in vera Noe arca; extra quam (vt didicerat ex Cypriano) [b] nemo saluus sit. Hoc verò falsum est

LXXXIX.

b *Cypr. de simp. Prelat.*

de Ecclesia Romana, vt qui in ea non sit, pereat. Perit quidem, qui cum illa rectè sentiente in vera Orthodoxa fundamentali fide non consentit; non tamen propterea perit, quia in

C ipsa Ecclesia Romana non sit; sed quia in ipsa Ecclesia Catholica non sit, quæ est illa domus, & illa arca. Ideo neque Romana Ecclesia est fundamentum huius domus, & huius nauis, seu arcæ; sed est pars, & membrum huius domus, & huius arcæ; membrum tamen tunc benè sanum, cuius imitatione reliqua infirma possent sanari. Fundamentum verò totius domus, & totius nauis erat fides pura; cui fundamento niti debuit quæcunque Ecclesia particularis, quæ voluit subsistere, & non corruere, neque dissipari.

Non demum quinta; Quia in Antiochena Ecclesia, in qua tres illi Episcopi simul regebant, quisque per se diuisim, ac separatim; fidei puritas non consistebat, sicut illa Romæ florebat; imo in tanto schismate, fides quoque suspecta reddebatur. Cum Romana ergo Ecclesia, quæ indubitanter tunc maximè omnium erat orthodoxa, merito Hieronymus communicat; cum quo verò ex tribus Antiochenis Episcopis communicare debeat, ignorat:

XC.

D neque se vult facere iudicem, qui simplex Monachus erat, & non Ecclesiæ Prelatus; sed ad communem illius temporis regulam se reducit, oratque & obtestatur Damasum; [c] Vt mihi, *inquit*, literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes.] Falsum verò est tunc Paulinum fuisse proprium Hieronymi Episcopum; quia, vt vidimus, Hieronymus semper se Romanum hominem esse significauit, & in solitudine simplex Monachus degebat, & nondum fuerat à Paulino factus Presbyter, vt planè constat ex vita Hieronymi; quam ex ipsius scriptis collegit Marianus Victorius Episcopus Reatinus. Imo postquam etiam factus est Presbyter, nunquam voluit vlli Ecclesiæ adscribi, aut subiici vel incorporari; sed perpetuo Monachalem vitam à Clericatu remotam peregit; & ab omni presbyterali munere abstinuit; vt ostendi l. 2. cap. 12. nu. 54. 55.

c *Hier. Ep. 58.*

Quod verò afferunt ex eodem Hieronymo, vbi ait; [d] A summi Sacerdotis dignitate, salutem Ecclesiæ pendere; & si non detur in Ecclesia eminens potestas, tot fore schismata,

XCI.

d *Hier. aduers. Lucifer.*

E quot sunt Sacerdotes.] Nihil est ad rem: hæc enim ad Romanũ Pontificem non referuntur; quanuis nostri Monarchici ad ipsum hæc quoque trahant, & peruertant. Hieronymus enim de singulis singularum particularium Ecclesiarum Episcopis loquitur: & ostendit necessitatem, vt inter omnes Sacerdotes eiusdem Ecclesiæ vnus emineat, & sit Episcopus supra alios, alioquin schismata futura.

Ex Augustino illa afferunt; [e] In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.] Certè qua ratione Cyprianus Romanam Ecclesiam vocauit Ecclesiam principalem, eadem ratione eidem tribuit Augustinus Cathedræ Principatum; vt supra monui nu. 22. Item petit, *inquiunt*, Augustinus; [f] Vt Innocentius Romanus Pontifex suam adhibeat diligentiam pastoralem contra Pelagianos, tunc multas Ecclesias, etiam in Palæstina, & Africa inficientes. [g] Cur non scribit, *aiunt*, Augustinus Hierosolymitano Patriar-

XCII.

e *Aug. Ep. 162.*

f *Aug. Ep. 92.*

g *Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 16.*

chæ, aut Metropolitano Cæsarienſi, aut Primati Africæ Carthaginenſi, potius quàm Romano; niſi quia ſciebat maiorem eſſe Romani Pontificis in Palæſtina, & Africa autoritatem quam propriorum Epiſcoporum?] Reſpondeo primùm generaliter aduerſus hæreſes curam eſſe omnium Epiſcoporum decertare; etiamſi in alienis Eccleſijs illæ inſurgant: propter magnam tamen exiſtimationem Romanæ Eccleſiæ, ex fidei integritate in ea diu conſeruata, Rom. Pontificem potiſsimum aduerſus eas inſurgere debuiſſe. Ita ad Bonifacium ſcribens idem Auguſtinus, parem quidem ſe cum illo curam ſuſtinere aſſerit in reſiſtendo hæreſibus; vt [a] alias conſideraui: [b] præeminentiam tamen Bonifacio quamdam concedit celſiori faſtigio ſpeculæ paſtoralis: quia ſuperintendentiam generalem Eccleſiaſtica conſuetudo, Patriarcharum primo potiſsimum iam tribuerat; vt in primo priuilegio ſupra cap. 9. explicaui. Ita Cyprianus cum Stephano, communem hanc curam erga exteras Eccleſias [c] Gallicanas conatur exercere; Stephani tamen potiſsimum operam excitat, & requirit, propter iam dictam illius Eccleſiæ, ex optima exiſtimatione, ſummam autoritatem; vt alias [d] declaraui: Contra hæreticos tamen, quia poſt tempora Conſtantini Magni nemo fuit in Eccleſia vniuerſa ad eorum compreſsionem aptior, ipſo Epiſcopo Romano, propter Imperatoris gratiam, & præſentiam; cuius ope aduerſus eos inſoleſcentes maxime eſſet vtendum; iccirco Auguſtinus illum potiſsimum conatur contra Pelagianos excitare. Deinde quod ad ſpeciale hoc negotium attinet, cur quæſo, ſcriberet Auguſtinus ad Carthaginenſem, ſi in eadem cauſa Pelagiani furoris iam Carthagine [e] Aurelius vigilantiſsimus ſuum celebrarat Concilium, eundemque per ſuas Synodicas monuerat Innocentium, non minus, quàm Auguſtinus cum toto Concilio, cui intererat, [f] Mileuitano eundem monet? Sed neque de Hieroſolymitana Eccleſia Auguſtinus debuit eſſe ſolicitus, quia ibi [g] Hieronymus in eadem cauſa egregiè laborabat, & iam in Palæſtina Concilium [h] Dioſpolitanum Pelagium ipſum ad recantationem compulerat; quæ tamen ficta fuit, & deceptoria. Innocentius vero, quoniam ſolus fortaſſe in communi incendio ſterrebat, is potiſsimum fuit excitandus ne in tanto Eccleſiæ morbo ſpectator ocioſus conſideret; & vt à Pelagij captioſis ſubterfugijs, ac verborum laqueis fortaſſe iam [i] imminentibus caueret: quod in eadem Epiſtola Mileuitana non obſcure inſinuatur. Illud quoque ex eodem Auguſtino argumentum ſumunt, quod in cogendo Concilio Africæ, Zoſimi iuſsis obtemperarit. Si tamen iam ſpeculatorem generalem agnoſcit Auguſtinus Romanum eſſe Pontificem; cur ei recta monenti, & proponenti non morem gereret; optimumque conſilium acciperet & exequeretur? Iniuncta porro neceſsitas non ſignificat, vt vult Bellarminus, in ipſo Auguſtino parendi Innocentio neceſsitatem; ſed neceſsitatem quandam Eccleſiæ fuiſſe Epiſcopis Africanis, inter quos erat Auguſtinus, à Zoſimo iniunctam: hoc eſt fuiſſe à Zoſimo monitos & rogatos, vt ſimul conuenientes neceſſitati illi Eccleſiaſticæ occurrerent: [k] Quo nos, *inquit*, iniuncta nobis à venerabili Papa Zoſimo Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo, Eccleſiaſtica neceſsitas traxerat.] Iniungere vero non ſemper eſt præcipere, & imperare cum obſequendi & parendi neceſsitate: cum Epiſcopus etiam rogatus ad Epiſcopatum promouetur, tunc ei iniungi dicitur onus Epiſcopale; & tamen libere ille accipit id onus, & abſque obligatione vlla neceſſario parendi, quia poteſt etiam repugnare, & recuſare. Quod ſi iniunctionem hanc autoritatiuam fuiſſe concedamus, non tamen inde Papatus ſtabilietur. Pertinebat enim Africa ad Patriarcharum Occidentalem, ac ea ratione ſedi illi ſuberat. Libenter itaque Africani in conuocando Concilio Pontificis Romani directione vtebantur: Quo quidem in negotio ſuam habet Patriarcha quilibet in ſua Patriarchatu prærogatiuam, vt iam poſui in præcedentibus, & explicabo vlterius in libris conſequentibus. Denique locum Auguſtini de ſpeculæ paſtoralis celſiori faſtigio adducunt. Ad hunc reſpondeo; In largo Eccleſiæ campo ſuam cuique Epiſcopo figi ſpeculam, in qua poſitus gregi ſuo inuigilet: Inter has Romana celſiori eminet faſtigio. Quidni? Superſtruitur ſcilicet ſeptimontio. Atque hic ſpeculator celſiſsimo Imperij monte ſubrigitur, vt diximus, ac ex alta deſpicit Primæ ſedis Cathedra. Non tamen inter ſpeculas, turreſue magis, quàm inter arbores, aut homines procerior, ac celſior in demiſsiores dominium poterit vendicare. Imo hæc ipſa Auguſtini ſententia contra Papatum militat: Si enim ſpecula paſtoralis ſit omnibus Epiſcopis communis, quomodo ſoli Petro, Romaniſque poſt eum Epiſcopis dictum eſt; Paſce oues? Quomodo Papa erit ille vnius Ouilis Paſtor vnus?

a *Sup. l. 2. c. 6. n. 11.*
b *Aug. cont. duas epiſt. Pelag. l. 1. init.*
c *Cypr. l. 3. ep. 13.*
d *Sup. l. 2. c. 6. n. 9.*
e *Apud Aug. ep. 90. & 92.*
f *Ibid. ep. 92.*
g *Ibid.*
h *Hieron ep. 79. & Aug. l. 2. Retract. c. 47.*
i *Aug. de pecc. orig. l. 2. c. 8. 9.*
k *Aug. ep. 157.*

XCIII. De Proſpero & Ambroſio, habes ſupra cap. 3. num. 4. & ſeqq. De Victore, Romanam Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum appellante, idem dico quod de Proſpero, & Leone

A Leone dixi ibidem. Est enim caput Roma, quatenus ab ea diffusum est Euangelium in reliquas totius Occidentis Ecclesias; & in multas Orientis; atque in Barbaras etiam extra Romanum Imperium Nationes. Sed Vincentius Lyrinensis, vbi gesta Concilij Ephesini generalis recapitulans, ad definitiones concurrisse ait literas, & Romanorum Pontificum Felicis & Iulij; subditque; [a] Et vt non solum caput Orbis, verum etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent; adhibitus est à meridie Cyprianus; à septentrione S. Ambrosius, &c.] Non includit in hac capitis & laterum similitudine, ipsum Romanum Pontificem, vt vult Bellarminus: sed ad ipsas Vrbes aspexit, quæ definitioni fidei Ephesinæ ex se suppeditarunt magna illa adiumenta. Sane Roma caput Imperij suggessit literas, quas Felix & Iulius olim scripserant: latera verò huius capitis, puta Carthago à meridie ipsi Vrbi Romanæ collocata, suggessit literas sui Cypriani: Mediolanum verò à septentrione suggessit scripta Ambrosij. Hic nihil habes de capite Ecclesiæ, vt nec de lateribus

B Ecclesiæ: Sed potiùs de Imperij siue terrarum Orbis, quasi vnius hominis, corpore hæc per allegoriam dicuntur.

a Lyrinen. in comm. init.

Petrus Chrysologus Rauennæ Episcopus Eutychetem monet; vt ijs quæ à Romanæ ciuitatis Papa Leone, de fide incarnationis scripta sunt, diligenter attendat: [b] Quoniam, *inquit*, B. Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.] Hæc dicuntur, propterea quod doctrina quam Petrus Romæ tradidit, adhuc integra in illa Ecclesia perseuerabat; vnde tutò quæque & quærere posset, & accipere in fide instructionem. Quod fuit primum illius sedis priuilegium. Petrum igitur in sua sede viuere, est doctrinam Petri in illa Ecclesia perseuerare. Propter eandem sanam doctrinam in Romana Ecclesia, Episcopi quoque [c] Hispani, sub Hilaro Papa Vicarium Petri, Principatu eminere dixerunt. Eminentiam verò in eo constituerunt, quod inde instructio ab omnibus Ecclesijs tuta acciperetur. Et Fulgentius [d] Ecclesiam eandem Romanam caput Mundi appellauit per translationem: Vt sicut in temporalibus toti Mundo imperabat Roma,

C ita Romana Ecclesia in spiritualibus fidei speculum esset & exemplar; vnde suam quæque Ecclesia posset fidem probare, & experiri; perfectamque percipere instructionem. Ex Cassiodoro verò homine laico, & Curiali, non potest vllum, sicut neque ex ipsorum Imperatorum edictis, aut scriptis, argumentum solidum pro Papatu confici: quia planum est ipsos laicos ac multos Imperatores partim ex deuotione pia, magis verò ex ciuili quadam prudentia, Romanum Episcopum ad Monarchiam spiritualem euehere voluisse; vt eadem Vrbs vtroque gladio polleret: ac, vt diuina simul cum humanis ipsorum moderamini subessent, Vrbis suæ Regiæ Episcopo reliquas Ecclesias subiugare cupierunt. Quam temeritatem, iustissimo Dei iudicio; licet iniustissimâ Pontificum ingratitudine, luerunt postea Imperatores, mitram illam tricoronem à se adeo euectam, sæpe experti diademata sua deturbantem, ac conculcantem. Verùm hic Valentinianus à Bellarmino allegatus,

D quamuis Beato Apostolo Petro venerationem lubens defert, eum tamen, quem Romano Episcopo firmat principatum, ac de Sacerdotibus iudicandi facultatem, non videtur ad ius referre diuinum, sed ad antiquitatem: vt Iustinianus etiam ad sacros Canones.

b Ante Concil. Chalced.

c In Syn. Rom. sub Hilar. tom. 2. Concil.

d Apud Baron. tom. 7 an. 519. num. 117.

Beda ait Gregorium in toto Orbe [e] primum gessisse Pontificatum: & omnibus iamdudum ad Christum conuersis fuisse prælatum Ecclesijs. Sed Monarchiam Romanam illis sæculis cœpisse altas agere radices, & credi, ac defendi, non negamus; ac exinde scriptores vt plurimùm Romanizantes iam suspectos habemus. Atque ita & Bedam, & Anselmum, & Hugonem Victorinum, & Bernardum, inter Monarchicos, non quidem decipientes, sed potiùs deceptos reponimus. Successionem enim Petro specialem, & Papificam concessam putant; & hanc in Ecclesia ponunt Romana. Sed cum nec Bernardo datum sit videre omnia, quidni eos dixerim hac in parte falli? Illum tamen exorbitantem vastæ indomitæque potestatis primatum hodiernum Romanum, hi nondum agnoscunt. Alios verò

E posteriores, magna ex parte parasitos, & assentatores, malæque fidei deceptores, & contra propriam scientiam atque conscientiam, contentiosos, & verbosos disputatores, isthac in causa reijcimus penitus, ne dicam conteminimus, quod spectat ad hominum autoritatem: non enim amplius dicentium, sed dictorum rationem habemus; si quid neruosum dicant, & dignum consideratione à nostra tractatione non excludimus; sed discutimus, libramus, inuentoque leuipondio, proijcimus.

e Beda hist. Angl. l. 2. c. 1.

Atque vt pateat illos, qui magnum Romanum Papatum suis tuentur, & extollunt scriptis, contra conscientiam id facere. Nolo eorum exemplis immorari, qui cum prius dirissimè de Papatu sentirent, in ipsa tamen quàm libere loquentes suggillarunt, Cathedra,

XCIV.

XCV.

XCVI.

absque vlla illius, quam prius frænare voluerunt potestatis correctione, aut moderatione, plenì Papæ, vt alij sederunt. Et aliquis eorum etiam scriptis fœdam canere palinodiam aduersus propriam prius explicatam optimam sententiam, non erubuit. Talis fuit [a] Aeneas Syluius. Gerbertus, qui, vt [b] vidimus, aduersus Papatum seriò aliquando disputauit, ad Papatum tamen euectus, & factus Syluester secundus, Papatum plenum exercuit. Ita Guido Viennensis, qui in Concilio Viennensi Gallicano, vt supra [c] vidimus, Papæ minabatur, se ab obedientia ipsius discessurum, si contra quàm ipsi Galli statuissent, aliquid fecisset; iam factus Callistus, plenum & ipse Papatum voluit habere & exercere. Quâ hi hæc dicentes illa gesserint conscientiâ iudicent pij viri, imo Deus. Hic vnicum profero, sed magni momenti exemplum. Petrus Damiani vndecimi post Christum sæculi homo, alioquin pius, & à vanitatibus Ecclesiasticorum alienus, corruptorumque Curiæ Romanæ morum osor acerrimus; qui & propterea Cardinalatu (exemplum pium, paucisque imitabile) se abdicauit; vt pluribus persequar lib. 9. c. 9. vt homo tamen & ipse seductus, sæpius Papatum asserere, & tueri est conatus; ipsius hac de re assertiones habes apud Baronium tom 11. an. 1055. num. 7. an. 1057. num. 3. an. 1059. num. 39. 41. 42. an. 1061. num. 25. an. 1062. num. 15. & seqq. & in epistolis eius passim. Vbi tamen aliquando Alexander 2. & Hildebrandus ipsius Archidiaconus eum pupugerunt; omnia pene reuocauit: & quin apertam palinodiam caneret, parum admodum abfuit. Audiamus ipsum ad Alexandrum scribentem: [d] Quod Eugubina, *inquit*, Ecclesia quæ mihi dudum à vestris decessoribus est commissa, nunc proh dolor, est omnino confusa: & velut area, quæ pedibus conculcatur abiecta, peccatis meis id exigentibus deputo, non vitio, quod absit, vestræ prauitatis adscribo. Multitudo quippe meorum scelerum exigit, vt is etiam proprijs manibus meo pectori vulnus infligat, pro quo non eneruiter stans, aduersus totum mundum certamen assumpsi, meq; gladijs, ac sagittis totius fere humani generis, durus & insuperabilis colluctator obieci. Hoccine mihi, venerabilis Pater, meritum reddidisti, quod causæ tuæ perorator in sanctorum Pontificum Conciliis toties extiti: Quod in legationis tuæ curis, atq; negotijs frequenter in sæcularium, laicorumq; conuentu, quasi quidam causidicus declamaui? Hæccine, inquam, mihi munera redhibentur, quod in hostes tuos violenter inuectus, eos mordacissime loquendo & scribendo destruxi; teque per multimodæ scriptionis articulos extuli; tuamq; memoriam & egregiæ laudis, quantum in me fuit, etiam apud posteros propagaui? Quid itaq; fecerim, quidue pertulerim examinis vestri censura discutiat; ne coactus digna querela, compellar effluere quod adhuc silentio supprimens, vix possum silentio occultare. Hoc enim nec dum Roma me referentem vel scribentem cognouit; nec dum alijs per me resista, quæ Sanctitatis Vestræ famam laceraret, innotuit. Agat ergo qui læsit, sicut dignum est pœnitentiam; vt is qui læsus est, non compellatur dignam exaggerare querelam. Mitiget olei suauitas aceti mordentis acrorem; & tumefactis asperrima verberatione vibicibus, mitis ac blandus beneficiorum liquor influat lenitatem. alioquin necesse iam erit tot ictuum verbera perferenti, vt ipse quoque. Sed iam frænum libertati, procacitate linguæ repressa, adhibeo, labijs digitum superpono, & qui miseriam passus sum, misericordiam versa vice deposco.] Quid est hoc quod adhuc silentio supprimit; & vix potest occultare? Quid quod nondum ex eo Roma referri, aut scribi cognouit? Quid quod minatur per illam prægnantem reticentiam; Vt ipse quoque? Sed cur labijs digitum superponit? Nisi profecto vt sic aperte ferme significaret, se contrarium & sentire, & posse proloqui, quam de Papatu iam toties & loquutus fuerat & scripserat: & se adulatorem fuisse, aperta propemodum confessione fateretur? Nam & postea innumerabiles insurrexerunt adulatores, qui contra conscientiam & contra veritatem, ob humana consilia, Papatum extulerunt. Et hoc bene obseruauit Ioannes Maior Doctor Parisiensis, ait enim: [e] Extollere Papam cum depressione Ecclesiæ vniuersalis (quæ semper est sancta, & iudicium habet vltimatum, tam in materia fidei, quàm morum) non est bene actum. Quod vero plures Pontificem extollant, quam Concilium, non miraberis: Concilium raro congregatur; nec dat dignitates Ecclesiasticas; Papa dat eas; hinc ei homines blandiuntur dicentes, quod solus potest omnia quadrare rotunda, & rotundare quadrata; tam in spiritualibus, quàm in temporalibus.] Quàm aptè hic Doctor Theologici examinis libram tenens, conqueritur indignissimum esse, Papam plumis assutis adeo attolli, vt vniuersalis Ecclesia sub pedibus deprimatur. Rectissime autem ad ipsum adulationis fontem ac fomitem intendit digitum: Concilium raro fit; nihil dat: ergo friget. Papa conspicuus sedet, suisque pugilibus strenuè certantibus coronam porrigit.

Scilicet hinc rerũ facta est pulcherrima Roma.

Sed

[a] *Bulla retract. Pij 2. tom 4. Concil.*
[b] *Supra cap. 8. num 46. & seqq. huius.*
[c] *Ibid. num. 67.*
[d] *Apud Bar. to. 11. an. 1069. num. 4.*
[e] *Ioan. Maior. de autor. Eccl.*

Sed eo iam sunt hi Papatus assertores intolerabiliores, quod non modò falsitatem manifestam tueri conantur: sed etiam illam faciant esse [a] fidei articulum; pro quo falso articulo hinc defendendo, multorum temporibus seruientium conscientiæ torquentur, illinc oppugnando, innumerabilium simplicium miserorum sanguis funditur; & Ecclesia horribili schismate laceratur. In Petro Papatus peculiaris nullus fuit; vt plenissimè libro primo probaui. Et si fuisset, successoremque habere debuisset, hunc esse Romanum nullo modo probari potest, vt capite sexto huius libri probaui. Certum verò est, & fortasse de fide, Romanam Ecclesiam Paulum habuisse potissimum, & præcipuum fundatorem, & non minus Romanum Episcopum, quàm Petrum. Et si Petrus fuit Romæ, id non nisi humana fide historica probari potest, vt supra monui. Quomodo ergo apud Christianos de fide diuina semper fuit, semper erit Romanum Pontificem esse Papam?

XCVII.

a *Nicol. 2. dist. 21. c. 1.*

Quicunque igitur Pontifices Romani hunc articulum ad fidem Christianam reduxerunt, ab errore manifesto defendi non possunt. Quare Bonifacij octaui definitio, quam secutus est etiam Leo 10. qua declaratur; [b] De necessitate salutis esse, omni humanæ creaturæ, Romano Pontifici (*vt capiti puto in spiritualibus, & temporalibus vniuersali*) subesse: errorem continet intolerabilem. Quæro enim ex eo, an nouum hunc esse articulum fidei ipse constituit, qui prius articulus fidei non erat: an id iuris diuini esse declarat? Si nouum facit articulum, delirat; nouos enim fidei articulos ne tota quidem Ecclesia condere potest, vt est per se notissimum, & tractabo libro 7. Si verò est iuris diuini explicatio, eaque ad salutem adeò necessaria, cur primis Ecclesiæ sæculis hoc animarum pabulum, quo orbatas languere, ac media interire necesse sit, toti Christiano gregi non patuit? Cur ipsis pastoribus fuit prorsus ignotum? Cur Clemens quintus, ab hac Bonifaciana, Regem Franciæ filium Ecclesiæ Christianissimum, ac à salutis spe haud excludendum, subduxit definitione? Nam quæ iuris diuini sunt, & semper, & vbique apud omnes fideles talia sunt; & quæ dogmatica apud omnes fideles vim non habent, ad originem diuinam non pertinent, multo minus sub salutis necessitate obligant. Dum ergo in hoc articulo inter se pugnant duo Pontifices Romani, ex Cathedra rem definientes; planum est eos in re seria iocari, & non ius diuinum, nec verò Ecclesiasticum, sed suas explicare animi ægritudines, mundoque venditare quisquilias: nec minus facile quàm pueri par, impar ludunt, timidis conscientijs ligando, soluendo, credendi, & obtemperandi necessitatem imponendo, remittendo, illudere. Sed de hac Bonifacij definitione alijs in locis ago plenius.

XCVIII.

b *Extrauag. Vnam sanctam de maior. & obed. in com. & Concil. Later. sub Leone 10. sess. 11.*

Non sic Gregorius Magnus, qui Bonifacio longè sapientior, contra fidem esse docuit, hoc ipsum quod ad fidem reducere tentauit Bonifacius. Illum enim Episcopum fidem non tam prodere, quàm perdere asserit, qui se voluerit Episcopum totius Ecclesiæ facere vniuersalem. Ad Sabinianum enim suum Diaconum, & Legatum, qui ei postea in Pontificatu successit, scribens, monet illum; Vt Ioanni Constantinopolitano resistat, ne ille se œcumenicum vocet Patriarcham, & ait; [c] Postquam enim defendi ab inimicorum gladijs nullo modo possumus; postquam pro vtilitate Reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus; nimis ignominiosum est, vt per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere.] Contra fidem esse agnouit, si quis non modò se Episcopum faceret Vniuersalem, sed etiam si quis in hoc ei consenserit. Quia nimirum Catholica fides est, iure diuino esse Episcopos institutos à Christo, vt quisque sit per se verus, & plenus Episcopus; non verò vnius Episcopi vniuersalis adiutor, & minister, ac Vicepiscopus duntaxat, seu locum tenens: eum habere propriam, & non alienam solicitudinem, aut partem alienæ solicitudinis. Qui verò aut se facit Episcopum vniuersalem, & sibi soli totum mundum subijcit, aut facienti se Episcopum vniuersalem consentit; is contra ius diuinum, & consequenter contra fidem pugnat, & fidem perdit. Hæc est vera ratio Gregoriani dicti, de fide Papatum deprimens; non autem illa quam Baronius commentus est, Papatum erigens, & confirmans. Baronij explicatio est huiusmodi: sed quomodo id, inquies, ad fidem pertinet? Ea quidem ex parte, quod cùm à Christo vni Petro præfectura sit gregis vniuersalis credita, si quis à Christo Domino stabilitam Ecclesiasticam violat Hierarchiam, aliter sentire videtur, quam ipse Dominus sentiendum præcepit.] Sed Dominus nihil de hac Hierarchia Monarchica præcepit; neque Præfecturam vllam singularem Petro dedit; vt toties iam diximus; & Gregorius se fidem perditurum affirmat, si consentiret, vt aliquis quicunque ille sit, etiam ipse Romanus Pontifex, se Episcopum faciat, & vocet Vniuersalem. Si quis vero opponat in Concilio Constantiensi, fuisse Wicleffi & Husi articulum de Primatu Papæ ab eis negato condemnatum: præter ea,

XCIX.

c *Greg. l. 4. ind. 13. Ep. 39.*

ter ea, quæ diximus libro primo capite duodecimo numero quinto, respondemus, Patres Concilij Constantiensis Monarchiam Ecclesiasticam tenuisse: & communissimo iam errore fuisse infectos; vtcunque laboranti Ecclesiæ aliqua ex parte per restrictiones, & reformationes suas succurrere cupierint. A

C. Si itaque non modo de fide non est Pontificem Romanum in genere esse totius Ecclesiæ solum Monarcham; sed etiam id, vel ipso Romano Pontifice teste, contra fidem est; quanto minus de fide erit, hunc, vel illum in indiuiduo Pontificem Romanum esse totius Ecclesiæ Papam, cui subesse, ac parere sit absolute necessarium? Nam etiam admisso Romanæ Ecclesiæ Papatu in genere, certitudo nulla potest in indiuiduo haberi: plurima enim possunt esse, & sæpe sunt, non modo in Antipaparum schismatibus obstacula apertissima, sed & in personis ipsis impedimenta occulta, vtinam non etiam patentia, quæ, aut electionem vitiarint, aut consecrationem: posset esse, (haud ignota loquor) intrusus simoniacus, aut irregularis, quando ordinatus est; aut incapax sacri ordinis; ne illud quoque addam, forte nec baptizatus quidem, si, iuxta nostram communem doctrinam de Sacramentis, ministri illum baptizantis defuerit intentio. Hæc omnia, & alia quæ iam non persequor, multa in indiuiduo deberent esse Catholica fide notissima, si fide Catholica planeque diuina, cui subesse falsum nequit, hic homo singularis debet credi esse in Ecclesia verus Christi Vicarius, Ecclesiæ totius caput, credendi viuendique arbiter. Cogitent hæc, quæso, iterum cogitent, qui primarium fidei suæ fundamentum in Papatu collocant, qui eius omnipotentiam pro decimo tertio, imo primo Symboli Christiani articulo habent; statimque scient, se hæc non posse scire, aut ex principio vllo Theologico demonstrare, sed ad summum ex leui coniectura opinari, idque cum iusta alterius partis formidine. Quippe si inueterati erroris radices nou poterint euelli, prorsusque extingui; spero tamen mentes multorum cæcutientes, & obscuris carceribus diu mancipatas, lucem obortam, quasi per clathros esse contemplaturas; & ex pia iustaque suspicione agnituras quàm sint B C

Omnia Papicolis tenui pendentia filo.

D

CAP.

E

CAP. XI.

Electionem Romani Pontificis, Confirmationem, & Ordinationem, communibus electionum, confirmationum, & ordinationum Episcopalium legibus substare.

SVMMA CAPITIS.

Et lex diuinæ institutioni consona, & praxis Ecclesiæ, & testimonia priscorum, Romanum Pontificem à Clero & populo eligi debere confirmant; ab initio, ad num. 10.

Innocentius secundus fuit Pontificum Romanorum primus à solis Cardinalibus in schismate perperam electus: & inde Clerus, & populus malè exclusus, à num. 11. ad num. 15.

Neque Concilia, neque Papa potest ordinarijs electoribus, qui sunt Clerus & populus, potestatem hanc electiuam auferre: licet possint abusus in electionibus occurrentes corrigere, & modum duntaxat peragendarum electionum præscribere, ac variare, num. 16. 17. 18.

Sed & in electione, aut saltem confirmatione Electionis Romani Pontificis, Imperatores, & Reges Romæ dominantes, suum ius legitimum pluribus nominibus & causis habuerunt, à num. 19. ad num. 46.

Electio porrò sola nihil potestatis, aut iurisdictionis Papæ conferre potest: sed etiam Papa indiget & confirmatione Ecclesiastica, & consecratione, à num. 47. ad num. 55.

Imò etiam sine electione, vel Deo interdum personam designante, vel etiam sese aliquo, vi, vel arte intrudente, modo adsit capacitas, & legitima ordinatio, idem factus Papa legitimè potest sedere, num. 56. 57.

Ex falsitate porrò contrariarijs, quæ hucusque sunt de electione, confirmatione, & ordinatione explicata, secuta sunt hactenus triginta schismata in Ecclesia Romana, num 58. 59. 60. quorum schismatum & ortus, & perseueratio, ad easdem falsitates, ex quintuplici capite explicatè reducuntur, à num. 61. ad finem.

I. ELectionem personę ad quemcunque Episcopatum, siue simplicem, siue Metropoliticum, siue Primatialem, aut Patriarchalem promouendæ, satis ostendi lib. 3. cap. 3. ex ipsa Apostolica, imò & Euangelica (Cypriano[a] teste) traditione, ac diutina Ecclesiæ vniuersæ obseruatione, innumerabilibusque eiusdem regulis, & institutis, ad Clerum & populum maximè pertinere. Cum verò Romanus quoque Pontifex sit & ipse Episcopus, iure quidem Diuino vnus inter alios omnes, & par cuique; iure verò Ecclesiastico vnus ex Patriarchis, vt est à me iam probatum; nulla adest ratio cur ipsius quoque electio non debeat iuxta communissimas Ecclesiasticas regulas, eodem modo peragi, quo cæterorum Episcoporum omnium electiones sunt peragendæ: Quod ex ipsa etiam antiqua, & continuata Ecclesiæ praxi facile est demonstrare.

a *Cypr. l. 1. ep. 6.*

II. Cornelij electionem non semel Cyprianus commemorauit, & ipsius legitimos recensuit electores. [b] Factus est, *inquit*, Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio.] Dicit etiam de eodem; [c] Et factus est Episcopus à plurimis collegis nostris, qui tunc in Vrbe nostra aderant.] Ab Episcopis enim propriè factus est Episcopus, id est ordinatus: sed tamen præcedente electione Cleri, & plebis. Quamuis in ipsa quoque personæ electione Episcopi ordinatores suas partes haberent; vt simul cum Clero & populo de persona ordinanda deliberarent: & fuperetiam ipsi personam idoneam, ab ipsis bene cognitam, Clero & populo proponerent, ab ipso Clero & populo approbandam, ab ipsis voto met Episcopis ordinandam.

b *Cypr. l. 4. ep. 2. & l. 3. ep. 13.*

c *Ibid. l. 4. ep. 2.*

III. Bonifacij primi electionem, Presbyteri Romani ad Honorium Imperatorem scribentes sic explicant: [d] Ad Ecclesiam Lateranensem — habita omnium collatione properauimus: ibique participato cum Christiana plebe consilio, quem Deus iussit elegimus: — acclamatione totius populi ac consensu meliorum ciuitatis asseruimus, Diuinæ institutionis ordine consecratum.] Et Honorius legem, aduersus schismata præscribens, si duo competitores eligantur postmodum, vtrumque decernit fore excludendum & deponendum; & alium

d *Apud Baron. tom. 5. an. 419. num. 13.*

a inter epist. Innoc.

alium rite eligendum: [a] At si duo, *inquit*, contra fas temeritate certantes fuerint ordinati; nullum ex his futurum penitus Sacerdotem: sed illum solum in sede Apostolica permansurum quem ex numero Clericorum, noua ordinatione, diuinum iudicium & vniuersitatis consensus elegerit.] In vniuersitate quis dubitat & Clerum, & populum vniuersum includi? A

IV.

b Concil. Rom. 1 sub Symmac.

Ad schismatum Romanæ Ecclesiæ compressionem, Papa Symmachus in Romano Concilio priore ab eo celebrato legem ponit pœnalem: [b] Vt si quis Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus, Papa incolumi, & eo inconsulto, aut subscriptionem pro Rom. Pontificatu commodare, aut pitacia promittere, aut Sacramentum præbere tentauerit, aut aliquod certe suffragium poliicerí, vel hac de causa conuenticulis factis deliberare atque decernere; loci tui dignitate atque communione priuetur. — Pari seueritate feriendo eum, qui hoc (Viuo sicut dictum est Pontifice) quolibet modo fuerit ambisse conuictus, aut tentasse — si, quod absit, transitus Papæ inopinatus euenerit, vt de sui electione successoris (vt supra placuit) non possitante decernere; siquidem in vnum totius inclinauerit Ecclesiastica ordinis electio, consecretur electus Episcopus. Si autem (vt fieri solet) studia cæperint esse diuersa, eorum de quibus certamen emerserit, vincat sententia [c] plurimorum: sic tamen vt Sacerdotio careat, qui captus promissione, non recto iudicio de religione decreuerit.] In Episcopatu itaque etiam Romano licuit, vt in aliis licuisse ostendi lib. 3. cap. 3. nu. 61. & seqq. successorem, à viuente Episcopo deligi seu designari; à Clero tamen & populo approbandum, & ab Episcopis post mortem illius, qui viuens eum proposuit & designauit, ordinandum. Et quamuis his legibus solus Clerus ordinarius Papæ elector supponatur; ne putes tamen tunc plebem ab electione excludi; quam & prioribus & posterioribus temporibus inclusam cernimus: sed scias leges ambitus ijs dari, qui Papatum ambire soleant & possint; hi vero in Clero continentur; quia laicus, vt vidimus, lib. 3. cap. 4. non poterat promoueri: & quo Clerus propenderet, eo facile plebs quoque sequeretur; vt propterea corruptio in solo clero vel maxime timeretur. Legem eandem contra ambitum, ne viuente Papa (eo videlicet inscio & inconsulto) de successore tractaretur, repetijt postea Bonifacius tertius, in Synodo statuens: [d] Vt tertio die depositionis, adunato clero, & filijs Ecclesiæ, tunc electio fieret: & quem quisque voluerit, haberet licentiam eligendi sibi Sacerdotem.] B

c Concil. Nicæn. 6.

d Anast. in Bonif. 3 ponitur Dist. 79. c. Nullus. 2. C

V.

e Plat. in Benedicto. 3.

Constantinus Imperator huius nominis quartus ad Benedictum secundum nuper electum sanctionem misit: [e] Vt quem deinceps clerus, populus, exercitusque Romanus, in Pontificem delegisset, eundem statim verum Christi Vicarium esse omnes crederent &c.] Huius Benedicti successor, Ioannes quintus, à tota [f] generalitate in Ecclesia Lateranensi creatus est Episcopus: & qui huic Ioanni successit Conon, ita & Sergius primus, & Hadrianus secundus, & alij multi, populi Romani electione vel maxime concurrente, Pontifices sunt creati: vt habemus in Anastasio, & Platina. Et in Concilio Stephani tertij statutum fuit: [g] Vt in Episcopum Romanum vnus ex Presbyteris vel Diaconis Cardinalibus eligatur, & is sane qui gradatim per distinctos ordines, ad ipsum vel Presbyteratum vel Diaconatum Cardinalem ascenderit: & qui irruperit anathematizatur. Est enim, vt docui lib. 3. cap. 4. mos laudabilis constansque Ecclesiæ, vt Episcopus vniuscuiusque Ecclesiæ, ex proprio illius Ecclesiæ Clero assumatur.

f Anast. in Io. 5

g Dist. 79. c. 3. 4. 5. D

VI.

h Apud Baron. tom. 12. in Append. ad an. 813

Florus, qui nona post Christum ætate scribebat, vbi dixit, ex sacrorum canonum autoritate & consuetudine Ecclesiastica, iuxta dispositionem diuinæ legis, & traditionem Apostolicam obseruari: [h] Vt Pastore defuncto & sede vacante, vnus de Clero Ecclesiæ, quem communis & concors eiusdem Cleri, & totius plebis consensus elegerit — legitimo Episcoporum numero consecratus, locum obtineat decedentis;] Regulam hanc generalem etiam in Romana Ecclesia seruari docuit: sed & in Romana, *inquit*, Ecclesia vsque in præsentem diem cernimus, — solo dispositionis iudicio, & fidelium suffragio, legitime Pontifices consecrari.] Eadem ætate Benedictus tertius à Clero & populo electus est Episcopus. Scribit enim Platina, [i] Ludouicum Imperatorem legatos ad confirmandam Cleri & populi electionem, Romam misisse. Lotharius Ludouici filius, & locum tenens, in reformatione Romæ, circa Papæ electionem constituit: [k] Vt soli Romani, quos antiqua consuetudo firmarat Papam eligerent; non turba aduentitiorum. [l] Otto quoque Imperator, Clero & populo electionem reliquit: quando Leo 8. factus est Papa. E

i Plat. in Bened. 3.

k Apud Baron. tom. 9. an. 824. nu. 14.

l Plat. in Leo 8.

VII.

Leoni 9. Romam Pontificio in habitu petenti, quem Imperator elegerat, Monachi quidam obuiam facti persuasere, vt deposito Pontificali ornatu, Romam priuatus ingrederetur

retur, quod dicerent; [a] Imperatorem (*nimirum solum sine Clero*) nullam creandi Pontificis potestatem à Deo habere, sed ad Clerum, populumque Romanum id pertinere.] Nicolaus secundus in reformatione quam facit circa Romani Pontificis electionem, ab Ecclesiastica perpetua lege, & consuetudine nihil discedens, ait; [b] Quapropter instructi prædecessorum nostrorum, aliorumque SS. Patrum autoritate decernimus, atque statuimus, vt obeunte huius Romanæ Ecclesiæ vniuersalis Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes; mox ipsi Clericos Cardinales adhibeant; sicque reliquus Clerus, & populus ad consensum nouæ electionis accedat.] Et huc adducit Leonis autoritatem, de qua nos libro tertio, cap. 3. nu. 36. Ac pergit: Quod si prauorum atque iniquorum hominum ita peruersitas inualuerit, vt pura, sincera, atque gratuita fieri in Vrbe non possit electio, Cardinales Episcopi, cum religiosis Clericis, Catholicisque laicis, licèt paucis, ius potestatis obtineant eligere Apostolicæ sedis Pontificem, vbi congruere viderint.]

a *Platin. in Leo 9.*

b *Dist. 23. c. 1.*

Petrus Damiani de electione Papæ hæc habet; [c] Nimirum cùm electio illa per Episcoporum Cardinalium fieri debeat principale iudicium; secundo loco iure præbeat Clerus assensum; tertio popularis fauor attollat applausum, &c.] Electionem hoc triplici actu compleri asserit, iudicio Episcoporum Cardinalium, qui videlicet delectum personæ ante omnes habeant inter se, vt eam proponant Clero, & populo eligendam: assensu Cleri, & applausu populi: quem tamen assensum Cleri, & applausum populi, vt omnino necessarium ponit, sine quo electio nulla sit; ex his enim tribus actibus ipsam electionem substantialiter compleri censet, nec immeritò; licet Princeps pro suo populo possit, & alicubi soleat supplere.

VIII.

c *Apud Baron. to 11. an. 1061. num. 18.*

In electione Gregorij 7. Antiquissimus hic, & confirmatissimus Ecclesiæ mos est perfectè seruatus. Huius electionis acta sic se habent; [d] Anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo tertio, indictione vndecima: Regnante Domino nostro Iesu Christo; anno clementissimæ Incarnationis eius, 1073. Ind. & luna xi. Decimo Calen. Maij fer. 2. die sepulturæ Domini Alexandri bonæ mem. secundi Papæ. Ne sedes Apostolica diu lugeat proprio destituta pastore, congregati in Basilica B. Petri ad vincula, nos sanctæ Romanæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiacoui, Diaconi, Presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis, & Abbatibus, Clericis, & Monacis, consentientibus plurimis turbis vtriusque sexus, diuersique ordinis acclamantibus, eligimus nobis in Pastorem, & summum Pontificem, virum religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis, & iustitiæ præstantissimum amatorem, in aduersis fortem, in prosperis temperatum, & iuxta Apostoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, iustum, hospitalem, domum suam bene regentem, in gremio huius matris Ecclesiæ à pueritia satis nobiliter educatum, & doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatus honorem vsque hodiè sublimatum; Hildebrandum videlicet Archidiaconum, quem à modo, & vsque in sempiternum, & esse, & dici Gregorium Papam, & Apostolicum volumus, & approbamus. Placet vobis? placet. Vultis eum? volumus. Laudatis eum? laudamus. Acta Romæ decimo Cal. Maij Ind. xi.]

IX.

d *In Regist. Epistolarum Greg. 7. lib.*

Et in iuramento Roberti Calabriæ Ducis, &c. quod ab eo in ipsius inuestitura requisiuit idem Gregorius septimus, illud quoque appositum fuit; [e] Et si tu, vel tui successores, ante me ex hac vita migraueritis, secundum quod monitus fuero à melioribus Cardinalibus, Clericis Romanis, & Laicis, adiuuabo vt Papa eligatur, & ordinetur ad honorem Sancti Petri, &c.] Victor quoque tertius ipsius Gregorij proximus successor, à [f] Cardinalibus, Clero, & populo factus est Romanus Episcopus. Qui reprehendens Guiberti Antipapæ promotionem, ait; [g] Apostolicæ sedis inuasor effectus est, contra præcepta Euangelica, contra Prophetarum, Apostolorumque decreta; contra Canonum, & Romanorum Pontificum iura; nullo Cardinalium Episcoporum præcedente iudicio; nullo Romani Cleri approbante suffragio; nullo deuoti populi requisito consensu; in sanctæ Romanæ Ecclesiæ totius nequitiæ ac perditionis caput effectus est.] Vrbanus quoque secundus Victoris successor, electionem suam habuit à Cardinalibus Episcopis, Abbatibus, Clero, & populo: cuius acta in [h] Chronico Casinensi recensentur. Patriarchalis secundus similiter communi consensu [i] populi, Cleri, & Cardinalium, factus est Episcopus. Sic [k] Callistus secundus.

X.

e *Greg. 7. lib. 8. post Ep. 14.*

f *Leo Ostien. l. 3. c. 65. 66. 67.*

g *Ibid. c. 71.*

h *Chron. Cassin. l. 4. c. 2.*

i *Platin. in Paschali.*

k *Pandulphus apud Baron. to. 12. an. 1119.*

Vsque ad Innocentium secundum per vndecim integra Ecclesiæ Christi sæcula, sicut omnes Episcopi, ita Romanus quoque, Cleri, & populi electione, Episcoporum verò Comprouincialium ordinatione, Romanam sedem accepit gubernandam. Innocentius hic primus fuit, qui raptim à nonnullis tantùm Episcopis, & Presbyteris, ac Diaconis Cardinalibus,

XI.

dinalibus, absque reliqui Cleri, populique consensu factus est Episcopus: cuius electioni Portuensis Episcopus Cardinalis, qui Anacletum post aliam electionem aduersus Innocentium consecratat, ad alios Episcopos Cardinales partis aduersæ scribens, sic opponebat: [a] Quia igitur neglecto ordine, contempto canone, spreto etiam ipso à vobis condito anathemate, me inconsulto Priore vestro, inconsultis etiam fratribus, maioribus, & potioribus; nec etiam vocatis aut expectatis, cum essetis nouitij, & in numero breui pauciſsimi, facere præsumpsistis, pro infecto habendum esse; & nihil omnino existere, ex ipsa vestra æstimatione potestis aduertere. Cito autem nobis Dominus affuit; & viam, qua errori vestro contraire possemus, ostendit. Fratres siquidem vestri Cardinales, quorum præcipua in electione potestas, cum Clero vniuerso, expetente populo, cum honoratorum consensu, in luce, in manifesto, vnanimi voto, & desiderio delegerunt Dominum Petrum Cardinalem in Romanum Pontificem Anacletum.]

a *Malmesb. hist. nouel. lib. 1.*

XII.

Quod autem Innocentij electio, & si minus legitima obtinuerit tunc; Anacletus vero non omnino vicerit, tria mihi videntur id effeciſse. Primum [b] Lotharij fauor, & conatus; quem ex Rege idem Innocentius fecit Imperatorem. Deinde quia inde pios animos à se Anacletus auerterat, quod, vt suam electionem sustineret, [c] largitionibus se in sede firmare non destiterit; indeque vel Ecclesias ipsas (si credere dignum est) preciosioribus vasis expoliarit: quæ in eum magnam dicuntur concitasse inuidiam. Tertio demum quia inde potiſsimum Bernardus Clareuallensis, vir eo tempore summæ existimationis, [d] Innocentij partes totis viribus tuendas susceperit. Anacletus tamen vsque ad mortem in Pontificatu ipse quoque perseuerauit; & à multis, vt verior Papa, habitus fuit; cuius acta Papalia omnia in suo vigore permanserunt; neque in vlla parte, quod sciam, fuerunt vnquam reuocata. Inter quæ præcipuum locum mihi videtur tenere, quod Roggerium ex Duce Calabriæ, Apuliæ, & Siciliæ, [e] Regis titulo tunc primum decorarit: Inde vero hodieque Regio titulo Siciliæ Domini gaudent; quod ego lib. 6. cap. 8. pluribus considerabo: neque quisquam illegitimum esse hunc Regum Siciliæ titulum ausus est vnquam affirmare. Quia procul dubio, si electio sola plene facit Papam; vt est communis nostrorum Monarchicorum opinio; (de qua infra,) Anacleti electio Innocentij electionem superauit. Illa enim longe plures habuit veros electores, & facta est publice, & neminem ex electoribus legitimis exclusit, & plene sacris seruatis canonibus peracta est: Hæc vero clam, furtim, vt nunc dicebat Portuensis, morte prædecessoris nondum publicata, excluso populo & clero ab electione, & à solis, nec omnibus, Cardinalibus est celebrata. Conatus quidem est Bernardus electionem Innocentij, Anacleti electioni ex certis causis, nunquam tamen absolute ausus est, quoad numerum electorum, illam huic anteferre. [f] Funiculus triplex, *inquit Bernardus*; difficilè rumpitur, electio meliorum, approbatio plurium, & quod his efficacius est, morum attestatio Innocentium apud omnes commendant, summum confirmant Pontificem.] Item: [g] Merito, *inquit*, illum recipit Ecclesia, cuius & opinio clarior, & electio sanior inuenta est; nimirum eligentium, & numero vincens & merito.] Sed de solo numero Cardinalium id ipse intelligit; vt mox ipse se explicabit: tunc tamen electores erant legitimi etiam reliqui Clerici, & populus; vt hactenus est ostensum. Meritum vero ad stabiliendas & regulandas electiones iam factas nihil valet, vbi numerus eligentium præualet. Alioquin perpetuo schismata ebullirent, si minor numerus electorum posset meritum prætendere, quo maiorem queat superare; Ideo postea solo numero electiones sunt regulatæ, vt inferius patebit.

b *Otto Frising. apud Naucler. gener. 38. an. 1137. & Platina in Innoc. 2. & Baron. to. 12. an. 1130. & seqq.*

c *Bernard. Abbas in vita S. Bern. l. 2. mir.*

d *Bern ep. 124. 125 126.*

e *Pet. Diac. Chron. Cassin. l. 4 c 99 & Bernar. ep. 127.*

f *Bern. ep. 124.*

g *Idem ep. 125.*

XIII.

Quare ipse quoque Bernardus cum optime videret, inde Innocentij electionem se non posse plene tueri, ait: [h] Stat quippe sententia Ecclesiastica, & authentica, post primam electionem non esse secundam: celebrata proinde prima, quæ secundo præsumpta est, non est secunda, sed nulla. Nam, etsi quid minus forte solenniter, minusue ordinabiliter processit, in ea quæ præcessit, vt hostes vnitatis contendunt; nunquid tamen præsumi altera debuit, nisi sane priore prius discussa ratione, cassata iudicio? Eapropter qui se superingerere festinant, quique temeratio temere manus imponere nihilominus accelerauerunt, Apostolo prohibente, [i] nemini cito manum imponas, ipsi proculdubio maius peccatum habent; ipsi autores schismatis, ipsi grandis malitiæ huius Principes extitere. — Duo itaque sunt de quibus contenditur, quisnam eorum rectius videatur Papa. Quorum primo quidem si personas compares, vt neutri sane vel derogare videar, vel adulari; dicam, quod dici passim reperies, & neminem arbitror diffiteri; quia videlicet Innocentij nostri vita, vel fama, nec æmulum timet; cum alterius nec ab amico tuta sit. Dehinc si electiones

h *Idem ep. 126.*

i *1. Tim. 5.*

A nes discutias: nostri itidem mox occurrit & promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porro de tempore constat; reliqua duo, merita probant, & dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partē saniorem inuenies, tam Episcopos, quam Cardinales Diaconos, siue Presbyteros, & quorum maximè interest de electione summi Pontificis, & quanti in eligendo, iuxta Patrum scita sufficiant.] Defectus ergo in ipsa Innocentij electione agnoscit Bernardus, nec eos diffiteri, sed neque sanare potuit. Et aduersus Anacletum, cum electio esset legitima, ad electi demerita, & mores tantum se recepit: Sed hi electionem alioquin legitimam infringere iure non possunt. Sic enim Papas plurimos scelestissimos in numero legitimorum Paparum recensemus, quia eorum legitimæ electiones & ordinationes, ne intrusi essent effecerunt.

Hæc prima Innocentij valde illegitima electio, à solis Cardinalibus, nec omnibus, exclusō tunc primum penitus reliquo Clero & populo, cum Imperatoris fauore successerit, & obtinuerit, amplissimum aperuit aditum eidem Innocentio, vt electionem Papæ in posterum ad solos Cardinales reduceret. Iam enim eo tempore non totus Clerus omnium Ecclesiarum Romanarum, ac præsertim collegiatarum erat, sicut prius Cardinalis, hoc est titulus hic Cardinalium non omnibus Clericis in Ecclesijs Romanis incardinatis competebat, sed solis sex Episcopis circumuicinis, ad quos Romani Episcopi consecratio erat redacta; & Presbyteris illis, quorum erant tituli Ecclesiarum Cardinalium; qui tituli, si Ecclesiæ erant Collegiatæ, soli præpositō, seu Archipresbytero, seu primo, quocunque nomine vocaretur, conueniebant. In his enim ipsis, tum Innocentij, tum Anacleti electionibus plures numerantur [a] Cardinales: & sane non nisi singuli in singulis titulis; qui omnes, mortuo [b] Anacleto, & Victore, qui ei suffectus fuerat, ferme statim se abdicante, Innocentio plene adhæserunt. Et iam vidimus in electionibus hactenus recensitis Cardinales fuisse à Clero iam posterioribus ætatibus distinctos; non tamen sine Clero & populo electiones peregisse. Et quia populus Romanus iam per quinquaginta annos Papis restiterat ne in regimen Vrbis sese ingererent, conantes vt per Consules & Senatores Vrbs regeretur; inde quoque Innocentius in populum Romanum commotus, cum & [c] anathemate notauit, & tunc primum ab electione Pontificis penitus exclusit, & ad solos Cardinales, *inquit Onuphrius*, Pontificis electio paulatim, Cleri etiam primoribus omnino exclusis, vel in Cardinalium Collegium cooptatis, est redacta.] Atque ita post obitum Innocentij 2. primus, apertè sine vllo populi, Clerique reliqui interuentu, Papa à solis Cardinalibus creatus est Cœlestinus 2. & postea reliqui omnes.

XIV.

a *Apud Baron. to. 12. an. 1130. nu. 2. 16.*
b *Onuphr. in Chron. Pon. Rom.*
c *Idem annot. in Innoc. 2. Platina.*

Cum itaque manifeste constet, generalissimam, perpetuam, & constantem electionum Episcopalium totius Ecclesiæ vniuersalis regulam, ex ipsamet traditione [d] Apostolica profectam, & perpetuo seruatam, ac conseruatam, in Episcopi quoque Romani, vltra mille & centum à sua fundatione annos semper locum habuisse, vt Cleius & populus Romanus sibi suum Episcopum deligerent, & designarent: per summam verò iniuriam, cum vsurpatione, & attentatis, aliquos Cardinales, excluso Clero & populo, ac nonnullis alijs Cardinalibus furtim, ac perperam, & cum magna Ecclesiæ reclamatione Innocentium 2um. elegisse; electumque fauore Laicæ potestatis defendisse; quis non videt hanc primam electionis ad solos Cardinales deuolutionem, seu auocationem, seu quod verius est, vsurpationem, iniuriam in se magnam continere, & expressam iniquitatem? Cardinales itaque cum primum soli cœperunt esse Romani Pontificis electores, per vim & iniuriam, contempta iam firmatissima Apostolica regula, & totius Ecclesiæ consuetudinibus, ac statutis innumerabilibus conculcatis, iniqui fuerunt huius Electoratus vsurpatores; & adhuc sunt iniqui eiusdem detentores, ac malæ fidei possessores. Nam contra se habent Apostolicam traditionem, & totius vniuersalis Ecclesiæ decreta constantissima; contra quæ vis aperta non potest præscribere. Quare si sede vacante, Canonici Lateranenses cum reliquo Romanarum Ecclesiarum proprio Clero, & Senatu, populoque Romano coniuncti Pontificem Romanum eligerent, & eundem sic electum facerent ab Episcopis circumuicinis, etiam non Cardinalibus (si Episcopi Cardinales renuerent) consecrari; is verus & legitimus esset Rom. Pontifex, multo magis quam ille, quem in conclaui eligerent Cardinales, & consecrarent. Quod enim Parisienses supra cap. 5. Cardinales solos faciunt, totius Ecclesiæ vniuersalis nomine, Papæ electores, est mera vanitas; quia supponunt in Ecclesia vniuersali vnum Papam vniuersalem, qui toti præsit Ecclesiæ vniuersali tanquam Episcopus vniuersalis; & hoc sufficienter in præcedentibus iam improbaui. Episcopus enim Romanus non est nisi Episcopus Romanus, cui iure Ecclesiastico annexa est Archi-

XV.

d *Supra lib. 3. cap. 3. nu. 7.*

Episcopalis & Patriarchalis potestas; & consequenter electores alios non habet, nisi eos quos ex traditione, vt dixi, Apostolica, & vsu ac legibus totius Ecclesiæ quilibet Episcopus debet habere. Et ita vidimus per mille & centum annos omnes electiones Rom. Pontificis, sicut aliorum vbique Episcoporum à Clero & populo ordinariè factas. (Nam de Pontificum per Imperatores vt depositione, ita etiam electione videbimus infra.) Et nemo vnquam electores Rom. Pontificis agnouit esse electores à tota Ecclesia nomine ipsius Ecclesiæ vniuersalis deputatos, factosque ipsius in Papæ electione procuratores: sed agniti sunt vt veri & proprij, sui Episcopi, vt sunt cæteri omnium aliorum Episcoporum, electores. A

XVI. Dicet aliquis, Nonne Concilia potestatem hanc electiuam in solis Cardinalibus confirmarunt? Cur igitur iam non erit legitima? Supposito Papatu; concesso videlicet in Ecclesia esse vnicum caput vniuersale; cum summa & suprema potestate in vniuersam Ecclesiam; Concilia generalia ipsam totam repræsentantia possent electionem Papæ, quæ ipsius Ecclesiæ tunc esset propria, vt vidimus cap. 5. cui magis placuerit committere. Et ex hoc capite post Concilium Constantiense Cardinales essent legitimi Papæ electores; illi duntaxat qui facti sint à Papa, cum consensu omnium Cardinalium, aut saltem maiori eorum parte non contradicente; vt eodem cap. 5. explicaui. Sed quia Romæ Constantiense Concilium aut explosum est, aut corruptum, vt ibidem obseruaui; non video quomodo se Cardinales possint Ecclesiæ vniuersalis facere in eligendo Pontifice procuratores. Quod enim aiunt [a] aliqui in sexta Synodo datam esse potestatem electiuam Cardinalibus; illam nimirum, quam [b] Nicolaus 2. explicauit; nihil est ad rem; tum quia sexta Synodus nihil hac in re sanxit; tum quia Nicolaus, siue ipse ex se Papali autoritate, vt contendit Caietanus; siue autoritate Synodi Lateranensis, quam congregarat, de electione statuerit; ibi tamen solis Cardinalibus electio non tribuitur; sed principales quidem electores fiunt soli Episcopi Cardinales; Clerum tamen & populum adhibere tenebantur, vt legenti constat; illa enim in decreto habentur; mox Christi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum nouæ electionis accedat.] Quia tamen Papatus nullus est, vt iam reddidi manifestum, hæc omnia frustratoria sunt, & penitus respuenda. B

a Apud Calet. opusc. 2. c. 22.
b Dist. 23. c. 1.

XVII. Possunt profecto Concilia etiam Prouincialia abusus corrigere in electionibus Episcoporum, & modum præscribere illarum peragendarum; seruatis tamen electoribus, quos Apostolica traditio, & Ecclesiastica generalia statuta admiserunt & confirmarunt: electores tamen suo iure, quod ad ius etiam diuinum facile potest reduci, quia cuiusque communitatis est sibi suum Ducem statuere, & inuitis Episcopus non est dandus, vt lib. 3. cap. 3. à me est probatum, priuare non possunt. Propterea quod Alexander 3. in Concilio Lateranensi legem dedit: [c] Vt electio per scrutinium, à Cardinalium duabus tertijs sit legitima, & non à paucioribus, supposita iam reductione Electorum in solos Cardinales, bene se habet. Ipse enim Alexander, licet [d] viginti & duorum Cardinalium suffragijs fuerat electus; schisma tamen perpessus est, & Antipapam habuit Octauianum à tribus tantum Cardinalibus creatū. Sed non inde Cardinales possunt suum electorale ius sibi solis firmare: quia adhuc iniuria facta Clero & populo, perseuerat. Idem dico de Concilijs [e] Constantiensi & [f] Basileensi; quæ & ipsa electionem Papæ à Cardinalibus faciendam reformarunt. Nam vere correctio & reformatio circa abusus electionum semper in Concilijs facta est, vt vidimus supra sub Symmacho, sub Bonifacio quarto, Nicolao secundo, Alexandro tertio, Martino quinto, adde Gregorium decimum, qui & ipse in Concilio [g] Lugdunensi electiones Papæ reformauit. Semper enim in Ecclesia negocia omnia ad totam spectantia Ecclesiam vniuersalem, vel ad totam Prouinciam, in Synodis vel generalibus, vel Prouincialibus sunt definita. Et leges Ecclesiæ sunt, vt vidimus lib. 3. cap. 7. Vt nullus Episcopus, etiam Metropolitanus, aut Patriarcha quicquam conetur, quod ad alias se extendat Ecclesias; nisi cum reliquorum fratrum consilio & consensu. Electio vero Episcopi cuiuscunq; non est ita propria vnius Ecclesiæ, quin debeat esse conformis alijs electionibus ab Ecclesia iam regulatis, & ab eadem regulandis. C D E

c Concil. Lateran. sub Alex. 3. par. 1. c. 1.
d Platina in Alex. 3.
e Concil. Constant. sess. 41.
f Concil. Basilean. sess. 23. 37.
g c. Vbi periculū. de elect. in 6.

XVIII. Exortum est aliquando certamen inter Parisienses & Caietanum: Illis contendentibus [h] Papæ electionem ab Ecclesia vniuersali absolute, & in omnibus pendere, tam in deputandis electoribus, quam in modo electionum præscribendo, corrigendo, reformando: Hoc vero id totum ad solum [i] Papam reducente. Qua tamen ex parte controuersia hæc supponit Papatum vniuersalem, & de electione Papæ vniuersalis decertatur, tota vana est, & pen-

h Gerson. de auferib. Pap. consid. 16. & Almain de auct. Eccl. c. 9.
i Caiet. opusc. 2. c. 6. 13. & opusc. 2. c. 22. & Bellar. de Cler. l. 1. c. 9. 10.

A & penitus ociosum de lana caprina litigium, quia Papatus vniuersalis nullus est. Si tamen Papatus hic esset in Ecclesia, iam ostendi sup. cap. 5. argumenta Parisiensium esse demonstratiua, & probantia electionem absolute ad ipsam Ecclesiam vniuersam pertinere; & consequenter electorem Papæ neminem esse posse, nisi quem ipsa Ecclesia constituerit, quam Papa ipsius Ecclesiæ vniuersalis minister, ipsa Ecclesia inferior, tali iure priuare non potest; & consequenter neque statuere, neque mutare essentialia huius electionis. Qua verò ex parte potest controuersia hæc de Romani Episcopi electione, vt Romanus Episcopus est, agitari; dico Romanum Episcopum pariter nullam habere potestatem circa sui electionem in essentialibus disponendi. Electio enim ipsius ex Apostolica, & fortasse diuina traditione; & ex vniuersalis Ecclesiæ communissimis statutis ad Clerum spectat, & populum Romanum, Synodumque Prouinciæ Romanæ: non ergo potest eam his auferre, & in alios
B pro suo libito transferre. Circa modum tamen, & abusus, posse & [a] Romanum, & quemlibet Episcopum in sua Ecclesia aliquid statuere, quo ipsi abusus, & scandala tollantur, & electio fiat purior, ac Deo gratior, ipsique Ecclesiæ magis proficua non negârim. Sed multo melius, ac tutius, & firmius in Synodo id fiet; quandoquidem, vt supra monui, hæc est Ecclesiæ perpetua praxis, antequam Papatus ad electionum quoque, & Electorum potestatem se extendisset. Et sanè stulti sunt Papæ, qui doctrinam Caietanicam sequentes, non faciunt Papatum Ius patronatus suæ tantum domus, & suæ familiæ, ac suorum consanguineorum; siquidem domini sunt (Caietano iudice) vt possint potestatem electiuam auferre, & dare quibus volunt. Posset igitur quilibet Papa, si non successorum suorum omnium (quia hæc concessio ab alio Papa rescindi potest) ad minimum proximi successoris eligendi potestatem suo Nepoti concedere, aut amico, vel propinquis, imo etiam fœminis; quæ sicut Iuris patronatus, ita electionis quoque non sunt incapaces. Et huiusmodi nepos, quem penes e-
C rit eligendi potestas plenaria, poterit per subornatum, cui vices suas crediderit, procuratorem curare se eligendum, & ita successiuè alij nepotuli in infinitum, adeoque fiet Papatus hæreditarius. En quo, nos imo quo Papatum pessimi Paparum adulatores suâ stultitia perduxerunt!

a *Clem. Ne Romani de elect.*

XIX.

Iam verò si Electores ordinarij Romani Pontificis communissimo, & antiquissimo, & confirmatissimo iure, sunt Romanus populus, & Cardinalis Clerus Ecclesiæ Romanæ; hoc est totus eiusdem Clerus fixus, constans, & ordinarius; sumpto Cardinalium nomine in antiqua, & vera, non in moderna significatione; Quæret quispiam merito, quid iuris habeant, habuerintue in eadem electione Imperatores, Reges, & Principes, qui Romæ sint dominati? Respondeo me de iure Principum in electionibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum, in genere, seorsim, lib. 6. cap. 7. disputaturum. Quod tamen spectat ad specia-
D lem Romani Pontificis electionem; schismata Romana inter competitores solita exoriri, Imperatorum operam in electionibus oppportunam, & necessariam ante omnia poposcerunt. Tumultus enim, & seditiones, quæ in his electionibus erant frequentissimæ, adeo vt interdum plurimi etiam sanguinis fieret effusio, ab Imperatoribus comprimi debuerunt. Quare Imperator, aut per se, aut per suos Magistratus ex ipsius officio, & munere proprio interesse debuit, non quidem semper apparitoris instar, & satellitis, vt armata manu turbis occurreret; tumultuantem enim populum vix vlla vis potest cohibere: sed sæpe etiam, tanquam sui populi dux, & caput; cuius vice, & nomine personam eligeret, sua ipse autoritate; cui electæ populus propter sui Principis autoritatem facilius acquiesceret; & sic tumultibus occasio præcideretur. Et schismatibus quidem, vel maximè Imperatores sunt excitati, vt electionibus adessent, imo præessent. Sic [b] Valentinianus viso certamine in primo Romanæ Ecclesiæ, post diuitias comparatas, schismate inter Damasum, & Vrsicinum; iudex, & vl-
E tor insurrexit; Damasum in sede confirmauit, & Vrsicinum vrbe expulit. Sic [c] Honorius Imperator; Memor cædium quæ in schismate inter Damasum, & Vrsicinum contigerant; nouosque audiens tumultus vrbanos, ex nouo alio schismate, inter Eulalium, & Bonifacium exortos, ad primam relationem Symmachi Vrbis Præfecti, Eulalij electionem, electioni Bonifacij præferentis, Eulalium in Episcopatu per literas Rauenna missas confirmat; & Bonifacium iubet Vrbe pelli, ne tumultus cieret. Habita postea alia contraria relatione, ad eum à partis Bonifacianæ Clericis missa, iussit quidem ad se vtrunque venire; vt, congregata Synodo causa dijudicetur, suspensa interim Eulalij confirmatione. Et quia iudicium hoc in prima Synodo definiri non potuit ob rei difficultatem, & partium diuersas sententias, ad maiorem Synodum fuit deferendum, mandauitque interim Imperator, vt vterque quiesceret, & à Pontificalibus abstineret; dato ab eodem Imperatore Romanæ

b *Ammian. lib. 27. & Baron. tom. 4. an. 368. 381.*

c *Apud Baron. tom 5. an. 418. n 19.*

Ecclesiæ, pro tempore, ad Pontificalia exercenda Episcopo Spoletino. A

XX. Eulalius tamen, cuius proculdubio potiora iura fuissent; vt patet tam ex fideli relatione [a] Symmachi, quam ex [b] Synodi prioris perplexitate; ipsemet sua impatientia seipsum perdidit; nam & [c] inobediens factus iussionibus Imperialibus, & seditionibus intentus compulit Honorium, vt Bonifacium confirmaret; ipsum verò Eulalium ex vrbe profligandum mandaret. Confirmationem enim Episcopi Romani in casibus dissensionum, & schismatum, ad ipsum Imperatorem vltimam tandem spectare optimè dixerat Symmachus Præfectus; [d] Et quoniam, *inquit*, pietatis vestræ est de hac parte ferre iudicium,—quod de hac parte pietas vestra decernit, præcepto vestri numinis euidenter informet.] Et rationem quoque idem Symmachus considerat, cur Imperatoris sit hoc munus in similibus cautis Episcopos confirmare, aitque: [e] Expecto quod pietas vestra decernat, vt quies possit, quæ hactenus seruata est perdurare. Suscipientur quæ clementia vestra Diuino iudicio, & perseuerandæ religionis reuerentia decernenda credidit, & pro quiete Romani populi in perpetuum seruanda constituit.] In quibus omnibus Symmachi literis, & relationibus, nulla penitus apparet erga Eulalium indebita affectio, qua de re arguit eum inepte [f] Baronius; & audacter nimium etiam mendacem facit. Vbi enim vidit Symmachus Eulalium exorbitasse, statim fideliter omnia Imperatori, per Constantium [g] significanda curauit; & nullam amplius vel minimam excusationem pro Eulalio protulit; sed rigidus in eum fuit Imperialium mandatorum executor. B

a *Ibid. an. 418. n. 73*
b *Ibid. an. 419. n. 14.*
c *Ibid. n. 30.*
d *Apud Baron. to. 5. an. 418. n. 74.*
e *Ibid. an. 419. n. 6.*
f *Ibid. n. 1. & 6.*
g *Ibid. n. 26.*

XXI. Basilius Patricius Præfectus Prætorio, Odoacrisque Herulorum, & Italiæ Regis in Vrbe locum tenens, sede Episcopali Romana post mortem Simplicij vacante, in Synodo Patrum, nomine dicti Regis Odoacris, modeste ac humaniter illos admonuit, vt ad electionem noui Pontificis non deuenirent, nisi prius habita cum ipso super persona eligenda debita consultatione: siquidem & ratio ipsa id exposceret, propter Ecclesiæ Ciuitatisque quietem, ac tranquillitatem; et Simplicius id ipsis sub obtestatione mandauerit. Huius rei acta sic habent: [h] Cum in vnum apud Beatum Petrum Apostolum resedissent, sublimis & eminentissimus vir Præfectus Prætorio, atque Patricius, agens etiam vices præcellentissimi Regis Odoacris, Basilius dixit: Quanquam studij nostri, & religionis interfit, vt in Episcopatus electione concordia principaliter seruetur Ecclesiæ; ne per occasionem seditionis, status Ciuitatis vocetur in dubium; tamen admonitione Beatissimi Viri Papæ nostri Simplicij, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis (meministis) sub obtestatione fuisse mandatum, vt propter illum strepitum, & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cuiuslibet celebretur electio. C

h *Rom. Syn. 4. sub Sym. c. 2.*

XXII. Non placuit postea hæc admonitio Cresconio Episcopo Tudertino, dum legebatur in Romana Synodo quarta, sub Symmacho: Quia putauit in ea conatum laicorum latuisse, quo vellent electiones clero auferre, & ad Regem solum transferre. Verba tamen ipsa Basilij celebrationem electionis Clero ipsi relinquunt; solam consultationem postulant, quam Simplicius omnino necessariam iudicarat. Si enim fiat electio præuia consultatione, & consensu Principis, plebs tumultuare non potest; vbi videt in electum Episcopum iam Principem consentisse. Instatque propterea Basilius, non vt lex noua hac de re fiat, vt imaginatur Binius in suis notis in hanc Synodum quartam sub Symmacho; sed monet duntaxat amice: Vt incolumia omnia, *inquit*, quæ ad futuram electionem respiciant seruentur.] Supponit igitur vsum Ecclesiæ fortasse intermitti cœptum, vt sine Principis consultatione ad electionem non procedatur; & hoc pro pace Ecclesiæ & Ciuitatis. D

XXIII. Theodoricus Gothus Italiæ & ipse, post occisum Odoacrem Herulum, plenus Rex, ad eosdem tumultus quos præuiderat Basilius comprimendos & euitandos; in schismate post Simplicij mortem inter Symmachum, & Laurentium secuto; sui quoque officij memor, ac potestatis, quam iure Diuino habuissent ante illum Imperatores, in omnibus quæ publicam pacem concernerent; conuocata Synodo, causaque vtriusq; audita, [i] Symmacho Romanum Episcopatum confirmauit; Laurentium vero Nuceriæ Episcopum constituit. Quarto vero post anno, cum seditiosi Laurentium reuocassent, & rursum in Vrbe turbæ cierentur, idem Theodoricus [k] Petrum Altini Episcopum Romam mittit; qui pulso vtroque sedem teneret. Composita tamen in Synodo res est; & Symmacho rursus Episcopatus adiudicatus. Nec multo post, defuncto Ioanne huius nominis primo Rom. Pontifice, ab eodem Theodorico Ariano satis male habito, & carcere afflictato, idem ipse Rex Theodoricus, tumultus, seditiones, & cædes quas viderat in schismate inter Symmachum & E

i *Theod. lect. coll. c. 1. in l. 2. & Platin. in Symmacho.*
k *Platin. ibid.*

Lauren

A Laurentium præoccupans, [a] Fœlicem virum Catholicum, & in Romano Clero probatissimum Episcopum consecrandum Clero proposuit & obtinuit. Et Bonifacius secundus; [b] quia Vigilium Diaconum sibi successorem, inscio Rege Athalarico, delegerat, reum se læsæ Maiestatis agnouit; & statim electionem illam rescidit, atque aboleuit.

a Cassiod. l. 8. ep. 15.
b Nos supr. l. 3. cap. 3. num. 68.

Exclamat Baronius, primum à Rege Gotho Theodorico [c] vsurpatam fuisse Romani Pontificis electionem, seu nominationem; & sic factam Romanam Ecclesiam captiuam à sæuo barbaro, diro tyranno, & impio Ariano; cum prius, ne ethnici quidem Imperatores id ausi fuerint. Sed fallitur: id enim & Valentinianus, & Honorius, vt vidimus, in schismate fecerunt; & alij etiam ante Theodoricum aliis occasionibus, vt mox patebit, legitime factitarunt: & vsu iam id confirmatum esse Basilius Patricius admonuerat. Vnde Nauclerus de Theodato Rege Gotho, non multo post tempora Theodorici, vix anno decimo, Siluerium in sede collocante, hæc scribit: [d] Et cum antea non Regum, sed Imperatorum autoritas interueniret, Theodatus illata vi &c.] Nam & Anastatius meminit [e] Decreti Imperialis, quod ait fuisse in creatione Siluerij contemptum. Non ergo fuit hæc noua Gothorum vsurpatio; sed verus ius Imperiale Ecclesiæ maxime proficuum. Potius igitur Clerus tot mutationum Romani Imperij tunc valde afflicti, & à barbaris in Italia occupati, opportunitatibus vsus, iugum excutere, & Principem temporalem, qui illum in officio contineret ab electionibus excludere conatus est. Hoc verò, sicut Odoacer pati nolebat, vt vidimus in Basilij admonitione; ita Theodoricus omnino voluit impedire; & sibi iura Imperialia conseruare. Neque in hoc est vlla captiuitas Ecclesiæ, sed magna refocillatio, ac tutela; vt sine turbis & seditionibus electiones peragantur. Non enim electio sola facit Papam, vt infra probabo, sed personam tantum designat; Ecclesiastici vero soli eam, vel reijciunt, si sit indigna; vel admittunt & ordinant, si sit digna; & sic sua Ecclesiæ manet integra libertas; neque propterea Laicorum esse dicitur Episcopi ordinatio.

XXIV.

c Baron. tom. 7. an. 526. num. 25. & tom 8. an. 684. num. 3.
d Naucler. generat. 18.
e Anast. in Silver. & Aimoin. lib. 2. c. 16. de gestis Franc.

Nullam vsurpationem cognouerunt in Principe, Romani etiam Pontifices Baronio sapientiores; si illi ad tumultus iam dictos euitandos in electionibus primas haberent: sic enim Stephanus ait; [f] Quia sancta Romana Ecclesia, cui autore Deo præsidemus, à pluribus patitur violentias Pontifice obeunte; quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperiali notitia Pontificis fit consecratio, nec Canonico ritu & consuetudine, ab Imperatore directi intersunt Nuntij, qui scandala fieri vetent; volumus, vt cum instituendus est Pontifex, conuenientibus Episcopis, & vniuerso Clero, eligatur, præsente Senatu & populo, qui ordinandus est; & sic ab omnibus electus, præsentibus Legatis Imperialibus consecretur.] Cui decreto Gratianus ista præmittit: Principibus verò, atque Imperatoribus, electiones Romanorum Pontificum, atque aliorum Episcoporum referendas, vsus, & constitutio tradidit, pro schismaticorum atque hæreticorum dissensionibus, quibus nonnunquam Ecclesia Dei concussa periclitabatur: Contra quos legibus fidelissimorum Imperatorum frequenter Ecclesia munita legitur. Repræsentabatur ergo electio Pontificum Catholicorum Principibus, vt eorum autoritate roborata, nullus hæreticorum, vel schismaticorum auderet contraire; & vt ipsi Principes, tanquam deuotissimi filij in eum consentirent, quem sibi in Patrem eligi viderent, vt ei in omnibus suffragatores existerent, &c.] Bene dicit Gratianus id Principibus, & ex vsu, & ex constitutis conuenire. Quæ sane constituta non nouam concedunt potestatem, sed vsum, vt bonum admittunt, & confirmant. Alioquin, si Principes suam in electionibus non interponerent autoritatem, Clerus & populus eundem Papam modo amplecteretur, modo deprimeret, ejiceret, & proscriberet, vt toties euenisse narrant historiæ. Quid inter cæteros Ioanni 13. contigerit, legere quisque potest apud [g] Baronium: pro quo Papa in sede retinendo, Otto Imperator, & tribunos suspendio necauit, & præfectum virgis cæsum perpetuo carceri mancipauit. Similia verò exempla habemus in historijs plurima.

XXV.

f Dist. 63. c. 28.
g Baron. tom. 10. an. 963.

An verò debuerunt Imperatores, & Reges Vrbi dominantes in his electionibus semper expectare iam factum schisma; Vt ei suis viribus, post iam patratas cædes, & seditiones excitatas occurrerent? Minime verò: sed iuxta prudentiam & potestatem eis à Deo datam debuerunt scandala hæc præuenire; & antequam fierent occurrere. Ideo voluerunt in electionibus semper partem habere, & merito: non enim facile contra eum, cui Imperator suum præbuerit assensum, & consequenter quem ipse tueri teneretur, alius insurgere auderet. Et ita, vt dixi, Basilius Patricius supposuit id iam more esse stabilitum: Et Gratianus vsu & constituto id firmatum asserit. Praxis verò Ecclesiæ id ipsum optime confirmat:

XXVI.

mat: Quæ sponte & libenter Imperatorum electiones admisit; neque vnquam de vsurpatione est conquesta, vt videbimus. A

XXVII. Sed præter pericula schismatum & turbarum, Gothorum irruptio aliam non leuiorem dedit occasionem Romanis Imperatoribus, vt in Romani Pont. electione omnino partem merito habere vellent. Ea vero occasio fuit, quod [a] Siluerius, vere ne, an ficte, suspicionem mouit de Vrbe Barbaris tradenda. Cum enim Pontifices in Vrbe magnæ essent & autoritatis & potestatis, cauendum omnino fuit periculum, ne dignitas hæc & potestas in personas Romano Imperio non fidas conferretur. Hinc igitur Imperatores, cum præsertim ipsi etiam iura sui populi possent merito in se assumere, vt pluribus lib. 6. c. 7. obseruabo, electionibus se optimo iure immiscuerunt: nec Ecclesia potuit aut debuit in hoc rationabiliter reluctari. Obseruauit ista optime Onuphrius Panuinius ita scribens: [b] Gothis Italia omni per Narsem Patricium pulsis, eaque cum Vrbe Roma Orientalis Imperij parte facta, sub Iustiniano Imperatore, ex autoritate Papæ Vigilij, nouus quidam in Comitijs Pontificijs mos moleuit. Is fuit vt, mortuo Papa, noua quidem electio more Maiorum, statim à Clero S. P. Q. R. fieret; Verum electus Romanus Pont. non ante consecrari, atq; ab Episcopis ordinari posset, quàm eius electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata esset; ipseque literis suis patentibus licentiam electo Pontifici concederet, vt ordinari posset; atq; ita iurisdictionem Pontificatus tum obtineret: Pro qua licentia consequenda, electo necesse erat certam pecuniæ quantitatem Imperatori transmittere. Qua venia obtenta, ipse postea consecrabatur, & Romanum administrabat Pontificatum. Antea enim iidem dies comitiorum & consecrationis Pont. renunciati erant. Hoc autem ideo Iustinianum Imp. vel ex eius autoritate Vigilium Papam instituisse credendum est, vt Imperator certus esset de conditionibus noui Pontificis; cuius tum maxima esse autoritas cæperat; Imperatoribus præsertim Italia absentibus, ne aliquo Pontifice factioso, vel Imperatoris hoste ordinato, Vrbs & Italia eo autore, ab Orientali Imperio deficeret; seq; finitimis Barbaris traderet: quod Siluerium Papam aliquando quæsiisse sibi persuadebat. Qua ratione fiebat, vt in nouis Comitijs eum potissimũ Rom. Pont. crearent, quem Imperatori, à quo confirmandus erat amicum esse scirent; de quo ille confideret nihil in Italia contra Imperium moliturum; Barbaris præsertim Longobardis eam paulo post vexantibus.] Hæc Onuphrius. Neque vana fuit suspicio; inde enim Romani Pontifices & Italiam Francis; & Romã sibi vsurparunt; exclusis ex Occidente penitus Imperatoribus Græcis. B C

XXVIII. Vigilius Papa fuerat ab Imperatore Iustiniano in exilium actus, quia, facto schismate, quintam Synodum nolebat accipere. Cumque Romana Ecclesia non haberet apud se Episcopum, rogauit Iustinianum, vt ei Vigilium redderet. Ille verò sic respondit; [c] Vultis recipere Vigilium, vt fuit Papa vester? Gratias ago. Minusue? hic habetis Archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea vobiscum erit. Responderunt omnes: Imperet Deus pietati tuæ. Restitue nobis modo Vigilium, & quando voluerit eum Deus transire ab hoc sæculo, tunc vestra præceptione donetur nobis Pelagius Archidiaconus noster.] Hic Baronius immeritò ac immodestè exclamat in Iustinianum, tanquam sibi ius confirmandi Papæ arrogantem; & Romanam Ecclesiam captiuam ducentem; & Clerum abiecte se tali iuri submittentem. Sed neque illa erat vsurpatio, vt iam declaraui; sed ius satis antiquum: neque Cleri abiectio, sed æquitatis & iustitiæ plena cognitio. Si enim ibi affuisset vsurpatio, bene sciuisset Clerus Romanus sibi non præiudicare: qui tamen sua sponte se in hoc subiecit, & submittit; nec enim poterat merito reluctari. Sed Baronius ex corruptis præsentis temporis Ecclesiasticorum moribus metitur puriores, & non adeo corruptos priscorum. Nunc enim Baronio prisca obedientia & humilitas est iuxta præsentem superbiam, & elationem, abiectio. Cum potius ex legitimo illius Cleri facto, deberet corruptionẽ præsentis tẽporis agnoscere & reprehendere, ac conari vt ad illorũ exẽplũ mali mores præsentes corrigãtur. D

XXIX. Pelagius secundus sine Imperatoris concursu [d] creatus est: excusationem affert Onuphrius, [e] quòd extra obsessam ab hoste (*Longobardo*) vrbem mitti quispiam non posset.] Et addit: Nil enim tum à Clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi eius electionem Imperator approbasset.] Iustinus tamen Imperator non propterea quieuit; sed Gregorius ad eum placandum mittendus fuit, vt paulò post ostendemus. Sic Gregorius ipse cum primum fuit à Clero & populo electus, sciens se nondum esse Papam, nisi ab Imperatore confirmaretur, sperans hinc se ab hoc onere liberari, [f] scribit ad Imperatorem, vt ipsius electionem ratam non haberet. [g] Non enim licebat, *inquit Aimoinus*, tunc temporis ad Pontificatum promoueri absque iussione Principis Constantinopolitani.] Quare Gregorius E

a *Procop. de bello Goth. l. 1.*

b *Onuph. annot. in Pelag. 2. Platina.*

c *Anast. in Vigil. et Baron. tom. 7. an. 554. num.*

d *Paul. Diac. in vita Mauric. et Anastas. ac Platina in Pelag. 2.*

e *Platin. ibid. et Naucl. gener. 29.*

f *Ioan. Diac. in vita Greg. l. 1. c. 39 40.*

g *Aimoin. l. 3. c. 74.*

A gorius quoque confirmationem à Mauritio habuit: ex cuius etiam se iussione Episcopum esse affirmat; [a] Ecce, *inquit*, Serenissimus D. Imperator fieri Simiam Leonem iussit. Et quidem pro iussione illius vocari Leo potest, fieri autem Leo non potest. Vnde necesse est, vt omnes culpas, ac negligentias meas, non mihi, sed suæ pietati deputet; qui virtutis ministerium infirmo commisit.] Suspicantur nostri communiter Mauritium ita Gregorij electionem confirmasse, vt tamen de more iam introductum tributum ab eo pendi voluerit. Vt propterea acres illos fuderit Gregorius gemitus, in hoc Simoniacam deflens prauitatem, ac dicens;

a Greg. l. 11. Ep. 54.

[b] Cuius erroris (*Simonis Magi*) vesania, licet ea tunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulauit. Nostris verò maximè temporibus malitiæ suæ virus exercuit, & totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit. Concitauit enim aductus Ecclesiam Dei, non solum innumerabilem populi multitudinem, verumetiam Regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potius quàm regat Imperium; & quoscunque habere potest peruersitatis suæ socios, eos à consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captiuam cupit abducere, & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit euacuare. Ecclesiam quippe quàm sui sanguinis precio redemptam Saluator noster voluit esse liberam, hanc iste potestatis regiæ iura transcendens facere conatur ancillam. Quanto melius foret sibi dominam suam esse agnoscere, eique religiosorum Principum exemplo, deuotionis obsequium exhibere; nec contra Deum fastum extendere dominationis, à quo suæ dominium accepit potestatis? Ipse est enim qui ait; Per me Reges regnant. Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino, vt patet, ingratus beneficio; & contra Deum fastuosus terminos quos posuerunt Patres nostri, contempto diuino timore, transgreditur; & contra Catholicam veritatem, suæ furore tyrannidis efferatur. In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet; & in domina gentium, terrenæ ius potestatis vsurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro Apostolo specialiter commisit, dicens; Tibi dabo Ecclesiam meam.] Item; [c] Quid Nero? quid Diocletianus? quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? Nunquid non omnes porti inferi?] Hic verò quas non tragœdias excitant in miserum Mauritium [d] Baronius, & [e] Bellarminus?

XXX.

b Greg. in Ps. pœnit. 5. V. Tota die.

c Ibid. V. Initium Domine.

d Baron. tom. 8. an. 591.

e Bellar. contr. Barcl. c. 3. nu. 10. & in Apol. cont. R. Pam. lium Venetum.

Hæc tamen in Mauritium dicta esse, nullo modo possum assentiri, qui sicuti Gregorium quem Constantinopoli Pelagij Legatum cognouerat, & filio suo ad sacrum fontem [f] patrinum esse voluerat, promptissimo ac hilari animo suis ad hoc Romam missis [g] nuncijs, in Episcopatu, proculdubio gratis, condonatoque ei ordinario feudi canone, ac tributo, confirmârat; imo ad suscipienda gubernacula illius Ecclesiæ, in magna rerum perturbatione coegerat: ita vice versa Gregorius Mauritium est semper summa veneratione, (vt ostendam l. 6.) prosecutus. Sunt qui in Agilulphũ Longobardorũ Regẽ has Gregorij querelas dirigãt; sed absque vllo fundamento: Agilulphus enim non regebat Imperium, sed particulam Italiæ: neque ad Agilulphum Romani Pontifices pro sui confirmatione, tunc temporis, sed ad Græcum Imperatorem recurrebant, pecuniamque ei, vt mox ostendam, soluebant. Gregorius autem de Imperij non recto regimine, & de Pontificatus Romani pecuniaria redemptione conquerebatur. Nos itaque nodum hunc etiam pro nostra virili dissoluere conemur, & de quo Rege conqueratur Gregorius aperire. Suis temporibus quatuor Gregorius habuit Imperatores, Iustinum, Tiberium, Mauritium, & Phocam; neque constat sub quo horum scripserit in Psalmos pœnitentiales; imò nec id quidem, num ante Pontificatum, an in Pontificatu. Mihi sanè (vt paucis agam) hæ querelæ in Iustinum iuniorem à Gregorio videntur intentari, cuius tempore aliquid turbarum contigit inter Pelagium 2. & ipsum Iustinum: quod non expectato Iustini assensu Pelagius Pontificatum & acceperit, & administrârit. Qua de re ita scribit Nauclerus; [h] Considerans Pelagius Pontifex non paruum sibi periculum ab Imperatore imminere, si fortè copias mitteret in Italiam; eo quod se passus esset sine Principis decreto eligi, atque ordinari; statuit Gregorium Diaconem Cardinalem suo nomine mittere Constantinopolim; vt se à necessitate excusaret, & expurgaret, ac alia quædam ageret Ecclesiastica, & Romanæ rei præsidia, opemque implorare.] Hic mihi non videtur dubium, etiam solitam pecuniam ad Iustinum fuisse à Gregorio delatam; vt tanto melius ipsius turbatum sedaret animum! & ad! operi præstandam afflictis Italiæ rebus à Longobardis plurimum exagitatæ permoueret. Eo enim tempore, sicut libros [k] Moralium composuit; ita etiam in Psalmos pœnitentiales Commentarios illos

XXXI.

f Ioan. Diac. in vita Greg. l. 1. c. 40.

g Naucler. gener. 20.

h Nauclerus ibid.

i Pelagij Epist. ad Ioan. Diac. in vita Greg. l. 1. c. 32.

k Ibid. c. 27.

scripsisse, hinc redditur probabilissimum. Iustinum itaque tanquam Simoniacum, & ordinationem Romani Pontificis impedire conantem, nisi prius pecuniam ei numeraret; atque ita Romanæ Ecclesiæ persecutionem facientem, acrioribus verbis Gregorius insectatur. A

XXXII. Obserua vero non improbari à Gregorio in illa inuectiua, Imperatoris ad electionem concursum; seu electi confirmationem; quam legitimam & rationabilem optime cognoscebat: sed solam reprehendi ab eo pecuniæ stipulationem, & quasi emptitiam solutionem, cui Simoniæ maculam adhærere vir pius, ac Ecclesiæ zelans existimabat. Quamuis, propter Regalia, & temporalium [a] Dominium, potuerint iure optimo Principes tributum aliquod feudale petere, & exigere; de quo agam lib. 6. Quia tamen graue fuit hoc onus Romanis Pontificibus, tributa potius sibi quærentibus, quam alijs soluentibus, Agathonis postea tempore, absoluta sexta Synodo, Ioannes [b] Portuensis vnus ex Agathonis legatis à Constantino Pogonato Imperatore impetrauit, [c] vt precium quidem nullum solueretur; electus tamen omnino Imperatoris confirmationem expectaret. Narratio Anastasij Bibliothecarij, ex quo Gratianus descripsit, sic se habet: [d] Tanta autem gratia Diuina omnipotentis Dei concessa est missis sedis Apostolicæ, vt ad lætitiam populi, vel sancti Concilij, qui in Regia Vrbe erant, Ioannes Episcopus Portuensis, Dominicorum die octauarum Paschæ, in Ecclesia Beatæ Sophiæ missas publicas Latinè celebraret, coram Principe & Patriarcha; vt omnes vnanimiter in laudes, & victorias pijssimorum Imperatorum, eo die latinis vocibus acclamarent. Hic suscepit Diualem iussionem secundum suam postulationem, vt suggessit; per quam reuelata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen, vt si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in Regiam Vrbem, secundum antiquam consuetudinem; & cum eorum conscientia, & iussione debeat ordinatio prouenire.] Ioanni quoque Diacono Legato similiter Romanæ sedis (qui postea fuit Ioannes Papa quintus) tunc etiam concessit idem Imperator relaxationem [e] census Patrimonij Siciliæ & Calabriæ. Abstulit præterea grauamina quædam ab Ecclesia Romana in re frumentaria; & diuersa alia. Sublata est ergo per hunc Constantinum pecuniæ solutio: sed ius electiones Papæ confirmandi est ab eodem, vt antiquum, tempore Concilij sexti generalis stabilitum. Certe etiam [f] Seuerini Papæ electionem fuisse non multo ante ab Exarcho confirmatam, tradunt Historici. B C

XXXIII. Constantinus idem Imperator, dictus Pogonatus; tum ex pietate animi, ne ordinationes Romanorum Pontificum protelarentur cum tanto illius Ecclesiæ incommodo, & damno spirituali; dum electo nouo Episcopo, esset abusque Vrbe Constantinopolitana Imperatoris assensus expectandus: tum ex gratitudine, quia Occidentis Imperium pacatum acceperat, satis adiuuante [g] Vitaliano Rom. Pontifice, non contentus tempore sextæ Synodi generalis, vt vidimus, & tributum relaxasse, quod noui Pontifices erant soluturi; reseruato tamen iure confirmationis; & census Siciliæ ac Calabriæ, aliaque grauamina, Legatis Romanis id petentibus, abrogasse; tandem paulo ante obitum, ius etiam illud confirmandæ Romanorum Pontificum electionis, Benedicto 2. condonauit: De quo Benedicto hæc habet Bibliothecarius: [h] Hic suscepit Diuales iussiones clementissimi Constantini Magni Principis ad venerabilem Clerum, & populum, atque fœliciſsimum exercitum Romanæ Ciuitatis; per quas concessit, vt persona quæ electa fuerit in sedem Apostolicam, è vestigio absque tarditate Pontifex ordinaretur.]. Atque hîc iam nostri finem imponunt Imperialibus Romani Pontificis electionibus, ex Constantini libera cessione. D

XXXIV. Hæc tamen cessio sicut non debuit ad schismata & tumultus, aliaque publica pericula viam aperire; neque potuit successoribus præiudicare; ita prorsus ea intelligenda non est, nisi vt ad Imperatorem non sit Constantinopolim vsque pro confirmatione iter faciendum. Sed tamen ab Exarchi confirmatione Decretum hoc Constantini electores, & electum non liberabat. Quamuis enim proximus Benedicti successor Ioannes quintus dicatur ab Anastasio fuisse à tota generalitate, post multorum Pontificum tempora, vel annorum iuxta priscam consuetudinem, electus, (quod quid sibi velit ego non percipio: nam etiam omnes prædecessores fuerunt à Clero & populo electi; & hæc fuit ipsa antiquissima, consuetudo, vt probaui) Cononis tamen, qui proxime huic Ioanni successit electio, à Clero similiter & populo, imo & exercitu facta, antequã ille ordinaretur fuit ad [i] Theodorum Exarchum missa, vt eam confirmaret: Electores enim missos, *vt scribit Anastasius*, vna cum clericis, & ex populo, ad excellentissimum Theodorum Exarchum; vt E

mos

a *Gloss. in c. Agatho dist. 63.*

b *Sex. Synod. act. 1.*
c *Dist. 63. cap. Agatho.*
d *Vita Agatho. Constant. 3. Binij. Par. 1.*

e *Anast. in Ioanne v.*

f *Blond. l. 9. Dec. 1. & Platin. in Seuerino.*

g *Praeambula Lauti sex. gen. gener.*

Anastas. in Bened. 2.

Anast. in Conon.

A mos est direxerunt.] Obserue verba illa: Vt mos est, quæ cessioni illi Constantini plurimum derogant. Similiter post Cononis obitum; Si Imperatoris, aut ipsius Exarchi, quod idem est, non fuisset electiones vel confirmare, vel infirmare, [a] Paschalis Archidiaconus non properasset ad Exarchum, vt Sergij electionem reijceret; & ipsum in sede collocaret.

a *Anast. in Sergio. 1.*

XXXV.

Cæperunt paulatim his temporibus Romani Pontifices in Græcorum Imperatorum absentia (quorum vires indies magis, Francorum Regibus iam Imperium Occidentale dimembrantibus, concedebant) se in temporali etiam dominio in Vrbe, & aliqua parte Italiæ Vrbi adiacente erigere; hominesque ab Imperatoris obsequio ad se allicere; & factionem propriam contra Imperatorem excitare. Cum enim tempore Ioannis sexti, qui Sergio prædicto successit, Theophylactus exarchus à Tiberio Ablimaro missus in Italiam veniret; [b] Milites Itali veriti, ne quid mali eius aduentus portenderet, quod superioribus temB poribus fere magis cum Pontificibus, quam cum Imperatoribus sensissent; ingressurum in Vrbem interficere constituerunt.] Ecce iam Papæ militarem factionem suam aduersus Imperatores fouebant. [c] Ex hoc tempore, *inquit Baronius*, Exarchorum vires admodum tenues reddi cæpere: Contra verò Romanis Pontificibus, pro quibus milites starent, auctæ sunt.] Hic certe perniersam, & Christiano pudendam cernere est Viri grauis, senisque Cardinalis lætitiam, de augmento virium temporalium per rebelliones, in Episcopo Ministro Christi; cui sola Ecclesiæ spiritualia sunt commissa; cuius erat non seditiones in rem suam vel concitare, vel fouere, vel turbellis sponte ebullientibus frui, sed & verbo & exemplo docere omnes animas potestatibus supereminentibus, vt subessent, ac parerent. Sed vlteriùs etiamnum inualuit fœlix scelus. Quippe paulo post duo Gregorij, secundus & tertius rebellionem Italiæ aduersum Leonem Isaurum concitant; suntque autores, vt eidem Italica tributa denegentur; de quo agam lib. 6. Et ita paucis post hæc tempora demum C annis, Græcos ipsos Imperatores à toto Occidente Romani Pontifices præcipue, penitus excluserunt. Quid mirum igitur si eis ius quoque confirmandi Papales electiones abstulerint, Et hoc Cæsarum quasi interregno, sine vllo Imperatorum consensu Papæ sint creati?

b *Platin. in Io. 6.*

c *Baronius 8. an. 701. nu. 13.*

XXXVI.

Cum verò iam Carolus Magnus Francorum Rex, hinc Græco Imperatore iam exclu-so; hinc deuictis Longobardis, rerum in toto pene Occidente potiretur; Hadrianus primus optime cognoscens quàm necessarium esset, vt principalis potestas in electionibus Pontificum Romanorum, in suo iure, & antiqua consuetudine conseruetur, declarauit electionem ipsam iam ad ipsum Carolum, vti temporalem iam effectum dominum pertinere. [d] Hadrianus Papa, (*inquit historia Ecclesiastica*) cum vniuersa Synodo tradiderunt Carolo ius, & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem.] Hoc est transtulerunt hanc potestatem à Græco Imperatore, qui iam nihil poterat Romæ in ipsum Carolum, qui totius etiam Italiæ erat iam Rex & Dominus: Seu potius declararunt D hanc ad eum potestatem pertinere, & monuerunt eum, vt suo tempore illa vteretur. Sigebertum solum facit [e] Baronius huius historiæ autorem, imò confictorem. Ego tamen historiam hanc, vt legitimam, & ante Sigeberti tempora notissimam defendam lib. 6. cap. 7. ad finem. Et Onuphrius historiarum Iudex optimus nobiscum est; sic enim scribit: [f] Hadrianus primus, hoc ius, (*Electionis Romani Pontificis*) & paulo amplius Carolo Magno, Francorum Regi; & eius successoribus Regibus Francorum primum, deinde Imperatoribus Romanorum concessit.] Hanc tamen concessionem intellige fuisse declarationem; vt modo explicaui, & libro 6. explicabo.

d *Dist. 63. c. Hadrianus, & c. In Synodo.*

e *Baron. tom 9. an. 774. nu. 13. & seqq. & tom 10. an. 964 nu. 20 & seqq.*

f *Onuphr. annot. in Pelag. 2. Platinæ.*

XXXVII

Paschalis itaque primus, vt narrat Platina; qui, nulla interposita Imperatoris autoritate, Pontifex factus fuerat, [g] Vbi Pontificatum iniit, statim Legatos ad Ludouicum misit; qui eius rei culpam omnem in Clerum & populum reijcerent: quod ab his vi coactus esset Pontificium munus obire. Accepta hac satisfactione Ludouicus respondit populo, & E Clero; maiorum instituta, & pacta seruanda esse; cauerent, ne deinde maiestatem læderent.] Ecce Ludouicus Caroli Magni filius, & primus in Imperio successor ius electionis, seu confirmationis sibi illæsum omnino vult seruari. Ita Gregorius 4. [h] electus à Cleto populoque Romano non prius Pontificium munus obire voluit, quàm à Legatis Ludouici Imperatoris ob eam causam Romam missis, qui diligenter tantam electionem discussserant, confirmatus esset. Fecerat id Ludouicus, *inquit Platina*, non superbia motus, sed ne iura Imperij amitteret, quippe qui natura clemens, & humanissimus est habitus; quique iura Ecclesiæ, & dignitatem semper tutatus est.] Et eiusdem Ludouici Legati ad hoc Romam ab eo missi, Benedictum tertium in sede confirmarunt. [i] Decretum enim electionis, vt

g *Platin. in Paschali 1.*

h *Idem in Greg 4.*

i *Anast. in Bened. 3.*

nis, vt consuetudo prisca exposcit (*inquit Anastasius Bibliothecarius*) miserant Romani ad Ludouicum & Lotharium Augustos, vt eam confirmaret. A

XXXVIII. Ludouicum tamen electionem liberam Romanis cessisse, ex duplici colligit [a] Baronius historico argumento. Alterum est, [b] quod ipse Ludouicus in sua constitutione data ad Paschalem primum decernit, inter alia licere eum, quem diuina inspiratione & B. Petri intercessione Romani omnes elegerint, sine aliqua ambiguitate & contradictione, more Canonico consecrari. Et cum consecratus fuerit, Legati, *inquit*, ad nos, vel ad successores nostros, Reges Francorum dirigantur; qui inter nos & inter illum amicitiam & charitatem & pacem socient.] Alterum est quod in electione Hadriani secundi, Legari Ludouici fuerint omissi; & absque eorum concursu [c] Hadrianus in sede collocatus: indignantibusque illis, fuisse à Romanis responsum, id ab eis factum, non Augusti contemptu, sed futuri temporis prospectu; ne videlicet Legatos Principum, in electione Romanorum Præsulum, mos expectandi per huiusmodi fomitem inolesceret. Et hinc Legatos acquieuisse, Ludouicumque id per suas literas Imperiales collaudasse. B

a Baron. tom. 9. an. 774. nu. 21.
b Ibid. an. 817. nu. 16. ponitur. Dist. 63. c. Ego Ludouicus.
c Dist. 63. c. 29 ex Anast. in Hadr. 2.

XXXIX. Quoniam autem hæc (si eo sensu sumantur, quo ea accipit Baronius) cum actis Ludouici hactenus à nobis recensitis directe pugnant; propterea aut fabulosa sunt, aut alio sensu accipienda. Si Hadriani secundi vita fuisset ab Anastasio Bibliothecario conscripta; fide sua sane aliqua non careret: sed Onuphrius obseruauit, [d] Anastasium ipsum non nisi vsque ad Nicolaum primum vitas Pontificum conscripsisse. Quæ vero sequuntur (quarum prima est vita hæc Hadriani secundi) fuisse à Gulielmo quodam Bibliothecario concinnatas. Constitutio vero illa Ludouici, ex latentibus in sola bibliotheca [e] Vaticana qualibuscunque monimentis, à [f] Gratiano primum frustulatim edita est. His tamen admissis; quæ absolute nolo respuere; in ijs ego cessionem hanc Ludouici non possum obseruare. Non modo quia facta ipsius cum eodem Paschali, essent verbis contraria; sed quia verba ipsa alium sensum habere possunt. In illa enim constitutione, quod spectat ad electionem, simoniam tantum, & seditiones excludit: mandatque: [g] Eum quem diuina inspiratione, & B. Petri intercessione omnes Romani vno consilio, & vna concordia, sine aliqua promissione ad Pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate & contradictione, more Canonico, consecrari.] Non dicit sine expectatione decreti Imperialis; neque sine mora, aut similia: imo dum addit, more Canonico, includit necessarium Imperialem assensum; nam etiam is, vt iam vidimus, canonice requirebatur. Illa ergo est narratio totius modi electionis & consecrationis Romani Pontificis peragendæ; non vlla cessio, aut priuilegij vllius concessio. Et quod Legatos Papæ noui pacificos post consecrationem postulat, non propterea excludit necessitatē ad eum recurrendi etiam ante consecrationem; vt per priores legatos, seu missos, confirmatio necessaria habeatur; per posteriores pax, & amicitia concilietur. Quod vero attinet ad Hadrianum secundum, eximium in eo spectatæ probitatis & sanctitatis nomen permonit & Legatos Ludouici, & ipsum Ludouicum vt illam electionem & ordinationem ratam haberent; sed non propterea Imperator cessit iuri suo pro alijs electionibus sequuturis; in quibus partem suam perpetuo habere voluit, vt vidimus; Hanc vero ratam habuit, quia hac vice in mora fuisset periculum. Imo ex hac ipsa huius Hadriani historia saris clare colligitur, adhuc morem priscum, pecuniam seu tributum Imperatori confirmanti soluendi Ludouici primi temporibus perduraſſe; & Constantini Pogonati remissionem, non nisi ad vitam ipsius, aut paulo vlterius locum habuisse. Ait enim scriptor vitæ Hadriani de Ludouico, in Hadrianum optime propenso; [h] Et vt tantus Domini famulus, cunctisque gentibus; videlicet tam Romanis, quam diuersis aduenis, desideratus, & desiderabilis Christianæ plebi præficeretur medullitus exoptauit. Et mox Imperialem scribens epistolam cunctos Romanos, quod dignum tanto elegissent officio Præsulem collaudauit; per quam videlicet innotuit nulli quippiam præmij fore ex consecratione ipsius quoquo modo pollicendum; cum ipse hanc, non suorum suggestione, sed Romanorum potius vnanimitate commotus, ardentissime cuperet prouenire. Maxime cum reddi quæ ablata fuerant, non auferri ab Ecclesia Romana, vel deperire quippiam, se diceret anhelare.] Quando ergo Imperator ex suorum suggestione alicuius electionem promonebat, tunc ex consecratione illius præmium in curiam proueniebat; quod præmium ex Hadriani consecratione accipi vetuit Ludouicus; quia sine Imperiali concursu in sede fuit illa plene collocatus: quasi diceret, In reliquis vero electionibus succedentibus, quia ipse, siue eius successores sint eas promoturi, iam præmium fore accipiendum. Ex his ergo Ludouici dictis & factis, cessio Iuris Imperialis circa Romani Pontificis electiones, nulla C D E

d Onuph. annot. in Nicol. 1. Platina.
e Baron. tom. 9. an. 817. nu. 10. & seqq.
f Dist. 63. c. Ego Ludouicus.
g Apud Baron. vbi supra n. 16.
h Tom. 3. Concil. par. 2. init. edit. Bin.

apparet.

A apparet. Vnde & Onuphrius, qui summatim harum electionum Imperialium Romani Pontificis progressus perstrinxit, [a] interruptionem iuris Imperialis à Carolo Magno, vsq; ad Ottonem primum nullam potuit obseruare.

Hadrianus enim tertius [b] decreuit ille quidem, seu ad [c] S. P. Q. R. retulit, ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas expectaretur. Illectum credidit Platina hac opportunitate Hadrianum, quod Carolus tertius Imperator ab Italia cum exercitu discedens, in Normannos rebellantes mouerat. Libenter enim Romani Pontifices illo fræno, summopere tamen in Ecclesia necessario caruissent: & quoties se opportunitas dominij laici extenuati obtulit, semper Romani Electiones sui Pontificis liberas à mandatis Imperatorijs facere sunt conati: & in his decretis factum cernimus, ius tamen pro talibus decretis non videmus: nihilominus tamen non multo post Hadrianum hunc tertium, sub Ioanne 9. habita est Synodus

B Romæ; in qua scandalis electionum ob exclusionem Imperatoris oriri solitis, huiusmodi decreto cap. 10. prospicitur. [d] Quia sancta Romana Ecclesia, cui Deo autore præsidemus, plurimas patitur violentias Pontifice obeunte; quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia, & suorum Legatorum præsentia Pontificis fit consecratio; nec Canonico ritu, & consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntij, qui violentiam & scandala in eius consecratione non permittant fieri: Volumus id vt deinceps abdicetur, & constituendus Pontifex conuenientibus Episcopis, & vniuerso Clero eligatur, expetente Senatu, & populo, qui ordinandus est; sic in conspectu omnium, celeberrime electus ab omnibus, præsentibus legatis Imperialibus consecretur. Nullusque sine periculo iuramentum, vel promissiones aliquas, noua adinuentione ab eo audeat extorquere; nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne Ecclesia scandalizetur, vel Imperatoris honorificentia minuatur.] Ecce adhuc antiqua perseuerat consuetudo soluendi tributum quoddam Imperatori; & id

C necessarium iudicatur, ne ipsius honorificentia minuatur. Sed tamen his ipsis infæliciss imis temporibus, quibus Imperiales vires à Normannis nimium afflictabantur, res Romana Ecclesiastica in præceps deiecta, habuit monstra illa Stephanum 7. Sergium 3. Christophorum, Landum, Ioannem 10. & 12. ac similis farinæ Papas sceleratissimos, vsque ad Leonem 8. qui Ioanne 12. per Ottonem meritò à sede deiecto, fuit legitimè in Synodo subrogatus: quicquid Baronius in contrarium parum peritè, ne dicam minus piè, & sentiat, & scribat. Qui sanè Leo 8. ad exemplum Hadriani 1. [e] Ottoni Imperatori huius nominis primo Germanorum Regi, ius eligendi Romanum Pontificem restituit; seu potius id ad eum tanquam Imperatorem iure antiquo, & perpetua consuetudine pertinere declarauit: seu (quod aiunt Platina, & Nauclerus) [f] Romanorum inconstantiam pertæsus, autoritatem omnem eligendi Pontificis à Clero, populoque Romano ad Imperatorem transtulit.] Quanuis Clerum, & populum excludere absolutè, vt iam sæpius monui, non potuerit: Ad eos enim moderandos Principum operam requirebamus. Vnde & in sequentibus vsque

D ad Hildebrandum inclusiuè, Cleri, & populi electioni suam Imperator addidit autoritatem.

Sanè Luitprandus qui hæc proprijs oculis cernebat, vbi adduxit Romam Ottonem, ait; [g] Ciues verò sanctum Imperatorem cum suis omnibus in Vrbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt; hæc addentes & firmiter iurantes, Nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos præter consensum, atque electionem Domini Imperatoris Ottonis, Cæsaris Augusti, filijque ipsius Regis Ottonis.] Profectò hi nullum nouum ius concedunt Imperatori; sed iuri veteri, à quo perperam discesserant, se solenniter, sanctéque submittunt.

Mortuo paulò post Leone octauo; [h] Legati Romanorum, Azo videlicet Protoscriniarius, & Marinus Sutrienſis Ecclesiæ Episcopus, Imperatorem pro instituendo quem vellet Romano Pontifice in Saxoniam adeuntes, honorificè suscipiuntur, & remittuntur: &

E Otgerus Spirensis, & Lenzo Cremonensis Episcopus, cum ijsdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Ioannes Narniensis Episcopus eligitur, sedique Apostolicæ Pontifex inthronizatur.] [i] Gregorius quintus, & Syluester secundus, prius vocatus Gerbertus, ab Ottone tertio electi sunt in Romanos Pontifices, & Syluestri electionis decretum habes infra, lib. 6. cap. 10. num. 61. prout ponitur in fine Epistolarum Gerberti; & apud Baronium tom. 12. sub anno 1191. Post obitum Leonis 9. ad Imperatorem Henricum secundum [k] missi sunt Legati à Romanis, vt eis Episcopum daret; quod & fecit, deditque eis Episcopum Aistetensem, qui fuit Victor secundus. Damasum secundum, Leonem nonum, Victoremque secundum supradictum, & Stephanum 9. Henrici 3. autoritate creatos affirmat [l] Onuphrius quoque ex Historicis approbatis.

In Con-

XL.

a Onuphr. extat in 1 elog. 2. Platinæ.

b Vita Hadriani 3. tom. 3. Concil. par. 2. edit Binij

c Platin. in Hadr. 3.

d Apud Baron. tom 10. an. 904 num. 12.

e Dist 63 c. In Synodo & Onuphr. omnes in 1 elog 2. Platinæ.

f Platin. in Leo. 8 & Naucler. gener. 33.

XLI.

g Luitprand. l. 6 c. 6. & Baron. tom 10. an. 963. nu. 10.

XLII.

h Regino apud Baron. tom. 10. an 963. nu. 4.

i Glab. l. 1. c. 4

k Ostien. l. 2. c. 90.

l Onuph. autor. in Chron. 2. Platinæ.

XLIII.

In Concilio generali Lateranensi, sub Nicolao 2. factum est solenne Decretum; in quo occasione præcedentis schismatis, quo [a] Mincius se prius in sedem illam intruserat, de electione Romani Pontificis actum est. Quia enim schisma illud vel maxime sedi vacanti Imperiali, post mortem [b] Henrici 2. tribuendum esse Nicolaus agnoscebat, in suo dicto Decreto illa apposuit; [c] Saluo debito honore, & reuerentia dilecti filij nostri Henrici, qui impræsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur; sicut iam sibi concessimus, & successoribus illius, qui ab Apostolica sede personaliter hoc ius impetrauerint.] Stultitiæ in hoc arguit Nicolaum [d] Desiderius Monachus, Victor 3. qui tamen ab eodem Nicolao Cardinalatum habuerat. Lepidum interea est hoc Nicolai artificium, vt quod negare non poterat Regi ad Imperium iam destinato, dicat suam Sedem id ex priuilegio concedere; & non nisi eis qui personaliter hoc ius ab ipsa sede postularint. Sed siue ille alieni prodigus Papa id concederet, siue non concederet, siue etiam negaret, Imperatores tamen ipso iure in electionibus partem habent, vt est hactenus explicatum. Non sic loquitur Petrus Damiani in quodam Dialogo hac de re; in quo Aduocatum Regium, cum Defensore Romanæ Ecclesiæ sic adducit loquentem: [e] Veruntamen tu hoc negare non potes, quod Pater Domini mei Regis, piæ memoriæ Henricus Imperator factus est Patricius Romanorum; à quibus accepit in electione super ordinando Pontifice Principatum. Huc accedit quod præstantius est, quod Nicolaus Papa hoc Domino meo Regi priuilegium, quod ex paterno iam iure susceperat, præbuit; & per Synodalis insuper decreti paginam confirmauit, &c.] Audimus hîc priuilegium illud Henrico, ex paterno iure Imperiali competijsse, & à Nicolao fuisse tantum Synodaliter confirmatum; hoc est admissum, & declaratum. Et in inuectiua contra Cadaloum Antipapam, dum ostendit idem Petrus Damiani electionem ipsius esse illegitimam, & nullam; obijcit ei veras veræ electionis conditiones hoc pacto; [f] Discat tacere: Nimirum cum electio illa per Episcoporum Cardinalium fieri debeat principale iudicium: Secundo loco iure præbeat Clerus assensum: Tertio, popularis fauor attollat applausum: sicque suspendenda est causa vsquedum Regiæ Celsitudinis consulatur autoritas; nisi (sicut nuper contigit) periculum fortalsis immineat, quod rem quantocyus accelerare compellat.] Atque hæc omnia recensет Petrus, tanquam iuris communissimi. Sed obijcit Nicolao [g] Baronius iura antiqua laicos à similibus muneribus excludentia. Ego vero ostendo lib. 6. cap. 7. num. 33. 39. & seqq. ab electionibus nequaquam laicos excludi; sed à conferenda potestate spirituali; quæ electione sola nunquam confertur.

a Baron. tom. 11 an. 1059. n. 9. & 1059. n. 43.
b Ibid.
c Ibid. 23. & Baron. to. 11. an. 1059. n. 25.
d Chron. Casin. l. 3. c. 49.
e Apud Baron. to. 11. an. 1059. n. 22. & 1062. n. 25. 26.
f Ibid 1061. n. 18.
g Baron ibid. 1059. n. 29.

XLIV.

Imo vero illud ipsum schisma, quo Cadalous fuit Alexandro secundo superordinatus, ex contempto hoc ipso Rege [h] Henrico puero totum ortum est, culpa Hildebrandi Archidiaconi, iamdiu in plurium Pontificum electionibus primatis; & Imperatorum iuri, in rebus Ecclesiasticis strenui iam tum aduersarij. Quia enim Alexandrum inconsulta Imperatrice, Regijsque Ministris promoueri fecerat; illi hinc exacerbati Cadaloum Romanum Pont. creari fecerunt: Quem tamen contemptum excusat Petrus Damiani, [i] tum Regis pueri incapacitate, tum vrgentis necessitatis importunitate.

h Pet. Dam. ep. ad Minor. & Otton. l. 3. c. 20. et Baron. to. 11. an. 1061. 1062.
i Apud Baron. to. 11. an 1062. n. 20. & n. 21.

XLV.

Hildebrandus tandem mortuo Alexandro secundo, in Romanæ Ecclesiæ thronum ascendit; electione quidem totius Cleri, populique Romani; vt supra recitauimus; sed tamen à sui ordinatione abstinuit, donec Henricus Rex suum præberet assensum. Qui enim expertus fuerat, quantum in Ecclesiam mali inuexerat sui proximi præcessoris Alexandri, sine Regis adhuc pueri assensu, prouectio; imprudentissimus fuisset, si iam iuuenem, feruidiore ac elatiore plenum spiritu, contempsisset, & inde sibi Antipapam comparasset. Post duos ergo menses, & dies decem à sua electione elapsos, habita Regis [k] confirmatione, in Episcopum Romanum est consecratus: Quo toto tempore, à decimo die Calendarum Maiarum, quo electus est, ad tertium diem Calendarum Iuliarum se in suis Epistolis electum duntaxat in Romanum Pontificem, scribit: ipso vero 2. Cal. Julij eiusdem anni incipit se Episcopum seruum seruorum Dei vocare; vt in eiusdem Registro habemus tom. 3. Epistolarum Decret. Romanorum Pontificum. Acta igitur vitæ Gregorij Regiam confirmationem rectè ponunt paulo post electionem, & plenam Gregorij consecrationem, ipso die Natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, eiusdem anni, quo ante duos menses & dies x. electus fuerat. Male verò & Scafnaburgensis, & Platina, ponunt hanc Regiam confirmationem multo post. Atque hæc Regia seu Imperialis confirmatio fuit omnium postrema, quæ effectum habuerit: Imperatores enim in secutis disidijs suos Papas creabant; & Papis Romæ, absque ipsorum concursu, factis, Antipapas, vt inferius patebit

k Acta Greg. 7. et Scafnaburgē. apud Barō. to. 11 an. 1073. n. 23.

patebit opponebant. Inde itaque exorto sæuissimo inter Regnum & Papatum propter Inuestituras bello, ab ipso Hildebrando valde indiscrete & imprudenter, vt ostendam lib.6. cap.7. excitato, iamque florente Papatu, à Francorum Regibus, atque Imperatoribus in proprium damnum exaltato, ditato, & corroborato; ab electionibus Romanorum Pontificum tandem excluſi sunt Imperatores. Statim enim sedatis sexaginta circiter annorum tumultibus, quos Hildebrandus commouerat, secuta est electionum ad solos paucos Cardinales attractio. Quæ sicut fuit cum maxima (vt superius docui, num.15.) Cleri & populi iniuria, ita etiam Imperatorio iuri plurimum derogauit; sed grauiora etiam passi sunt hinc Imperatores detrimenta: nam inde omni etiam alio iure quod Romæ haberent, in temporalibus quoque sunt à Papa spoliati, factique ipsius Papæ clientes, subditi, & vasalli. Et de hoc erit nobis lib.6. sermo aliquis interserendus. In electionibus igitur,& confirmationibus Pontificum Romanorum, Imperatores, vt fusè probauimus,magnam, & iure perpetuo habuerunt autoritatem.

Addo verò his omnibus, quæ de iure Imperatorum in Romanorum Pontificum electionibus concessi, non fuisse Ecclesiam Christi adeo rigidam erga Christianos Principes, vt in Romanorum etiam Pontificum electionibus, si eas interdum illi soli facerent, modo viros aptos eligerent, vel minimum quid repugnandum esse censeret. Electio enim ipsa,vt dixi, & dicam, non facit Episcopum; neque de se est aliquid spirituale, sed mere temporale; in quo Principibus condescendere & obtemperare interdum operæprecium esse duxit; quasi Cleri & populorum consensum in vno Principis consensu includendo. Ita lib.3. cap.3. & infra lib.6.cap.7. multorum Episcoporum, etiam Patriarcharum, electionem à solis Principibus factam ponimus; & ab Ecclesia libentissimè approbatam. Et de Romano quidem Pont. hoc ipsum cernimus in [a] Fœlice, quem Constantius Imperator [b] Liberio in exilium misso subrogauit. Quam subrogationem quamuis Athanasius reprehendat, quia Ariani Episcopi illum ordinarant, Fœlix tamen pro legitimo & pleno Pontifice habitus est perpetuò, in sancta Catholica Ecclesia, etiam ab ipsomet Athanasio, vt habes supra cap.10. num.57. Nemo vero ex sanctis Patribus illum vnquam est tanquam Antipapam, aut schismaticum, abominatus. Hieronymus sane [c] Fœlicem in locum Liberij Romæ Episcopum constitutum fuisse scribit. [d] Successum est Liberio à Fœlice, ait Theodoretus. [e] Romanæ Ecclesiæ præficitur Fœlix: scribit Sozomenus. [f] Fœlix Liberio subrogatur,ait Athanasius supra, sic & Ruffinus. In Damasi verò Pontificali ita scribitur: Fœlix in locum Liberij substitutus à Concilio Sacerdotum.] Exilium enim ab Imperatore datum, secum indirectè saltem, priuationem, & depositionem quandam ferebat: propterea quocunque Episcopo, etiam Romano, etiam iniustè, & tyrannicè in exilium acto, ab Ecclesia ei successor subrogabatur, ne Ecclesia esset sine Rectore. Et hoc sibi volunt omnes nunc allati scriptores. Sic Ioannes Chrysostomus, cum se in exilium pelli vidèret, inter alia monita,quæ in suo discessu suis Diaconissis dabat, erat istud; [g] Quicunque non sponte fuerit ordinatus, neque id vllo quæsierit ambitu,de consensu omnium,ei caput vestrum inclinate, vt Ioanni per omnia: non enim esse Ecclesia sine Episcopo potest.] Nunc verò talem substitutum, lupum nostri dicerent, & intrusum; nec illum pro Episcopo,viuente alio, habendum proclamarent. Ab exilio tamen Liberius ab eodem Constantio reuocatus est: [h] Sed hoc vtrum quod acquieuerit, *inquit Ruffinus*, voluntati Constantij ad subscribendum; an ad populi Romani gratiam, à quo proficiscens fuerat exoratus indulserit, pro certo compertum non habeo.] [i] Mulieres Romanas restitutionem Liberij impetrasse, scribit Theodoretus; Ob seditiones verò Romanas restitutum, scribit [k] Seuerus. Quia nimirum populus Romanus Fœlicem initio suæ ordinationis facta seditione, Ecclesia illa ciecerat: vt scribunt [l] Socrates, & [m] Sozomenus. Ea vero conditione restitutum narrat Theodoretus,vt simul cum Fœlice regat Romanam Ecclesiam,idque fuisse à Romanis cum irrisione acceptum; & ideo, Fœlicem clam secessisse, & in aliam vrbem migrasse. Ad tempus fortasse; Nam Sozomenus, iuxtà id quod Imperator significarat, scribit Fœlicem, post reditum Liberij, simul cum ipso Ecclesiam illam pacifice administrasse. [n] Imperator, *inquit*, dat Liberio potestatem Romam reuertendi. Atque Episcopi Sirmij congregati, scribunt literas Fœlici tum Romanæ Ecclesiæ Antistiti, & Clero eiusdem Ecclesiæ, vti Liberium reciperet: & ambo pariter sedem Apostolicam administrent, communique consensu, & concordia, Sacerdotio illo fungantur: atque tum casum acerbum, qui in electione Fœlicis obtigisset; tum exilium Liberij obliuione deleant. Nam populus Romanus Liberium, tum quod in alijs rebus vir excellens, & spectatus erat; tum quod Imperatori animo adeo excelso,

XLVI.

a *Athan. ep. ad Solitar.*
b *Ammian. l.15. Sozom. l.4.c.10.*
c *Hieron. in Acacio Cæsarien.*
d *Theodor. l.2.c.17.*
e *Sozom.l.4. c.10.*
f *Ruff.l.1.c.22.*
g *Pallad. in Dial. de vita Chrysost.*
h *Ruffin.l.1. c.27.*
i *Theodor.l.2. c.17.*
k *Sulpit.l.2. sac. hist. an.355.*
l *Socrat.l.2. c.29.*
m *Sozom.l.4. c.14.*
n *Sozom. ibid.*

excello,& constanti in fide defendenda contradixerat,tum eximie charum habuit, vt seditionem plane maximam eius exilij causa conflaret; neque ad cædem prorumperet. Haud ita diu post morituru Fælix; solusque deinceps Liberius Ecclesiæ illi præest: quod quidem non sine diuina prouidentia factum est, ne sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata (quæ est plane nota diſsidij) & à Sacrosanctis Ecclesiæ legibus aliena, vlla infamiæ macula aspergeretur.] Hucusque Sozomenus qui duos hos quidem Episcopos simul in Romana Ecclesia ponit legitimos: ob periculum tamen schismatis prouidentiæ Diuinæ fuisse asserit,quod Fœlix breui, soli Liberio plenũ locum reliquerit. Sozomenum sequutus Nicephorus, ita scripsit: [a] Cùm reuersus esset Liberius Papa ab exilio, & esset Fœlix Ecclesiæ Romanæ Pontifex ordinatus; ambobus primum permissum est sacra curare, & munus Apostolicum administrare: sed paulo post Fœlix mortuus est, & solus Liberius Episcopatum administrauit.] Non ergo fuit Chorepiscopus Fœlix vt somniat frustra [b] Baronius; sed plene Episcopus; nam & in Romano Episcopatu plene Episcopus defunctus ponitur, sicut vere & proprie tot scriptoribus consentientibus fuit Liberio Episcopus subrogatus: & non amplius depositus, nec priuatus. Non itaque scrupulis circa electores,aut electiones, aut ordinatores; sed circa electum, vt Catholicus esset, & regimini Ecclesiastico idoneus, nostri prisci sancti Patres angebantur.

a Nicephor. lib. 9. c. 37.

b Baron. tom. 3. an. 355. nu. 53. 54.

XLVII. Nunc quæret quispiam, An sola electio faciat Papam; an verò præterea necessaria sit Ecclesiastica quoque & confirmatio, & consecratio, seu ordinatio. Si doctrinam omnes sequeremur communissimam, quam nobis & Euangelium, & sancti Patres, & Ecclesiastica decreta, circa electiones, & ordinationes Episcoporum tradiderunt; summæ esset impertinentiæ hoc dubium excitare. Est enim iam à nobis demonstratum, Episcopum sola ordinatione fieri: [c] Electionem verò & confirmationem, nihil Ecclesiasticæ potestatis cuiquam conferre, sed personam tantum designare; cui Ecclesiastica potestas sit ab ordinatoribus solis tradenda. Cum igitur Romanus quoque Pontifex nihil aliud sit, nisi Episcopus iure Diuino, vt explicatum est; & perinde atque quicunque alius Episcopus; proculdubio quod de omni alio Episcopo verum est, hoc Romano quoque conueniet: adeoque inter alia, hoc; nempe vt omnem, quancunque potest habere Ecclesiasticam propriam potestatem, sola legitima ordinatione consequatur; ab electione verò nihil aliud habeat, nisi quod ad Episcopatum persona ipsius designetur. Quæ designatio nihil ei conferat, sed aliquid futurum innuat; cum libertate tamen ordinantium, vt illum seruatis, seruandis, vel ordinent, vel repellant. Quoniam tamen nostri Monarchici pestiferam aliam contrariam doctrinam inuexerunt; ex qua, vt videbimus, innumerabilia scandala, & schismata solent oriri; nimirum solam electionem legitimam facere plene Papam in iurisdictionalibus; dubium præsens nobis nunc paucis est agitandum, & soluendum.

c Supra lib. 3. cap. 3. nu. 51.

XLVIII. Non modo imperitorum Canonistarum, sed etiam eorum, qui sibi docti esse videntur Theologi, Hieromonarchicorũ iam communis est sententia, Papam sola electione plenam acquirere Papalem iurisdictionem: & ex consecratione nihil aliud consequi, nisi vt possit etiam Pontificalia, hoc est quæ ad ordinem spectant Episcopalem exercere. Paremque in hoc Papam faciunt cum Imperatore, & Regibus; qui electione fiant; vt sicut illi, sola electione plene sunt Reges: ita Papa,&c. [d] Concordant, *inquit Almaynus*, Iuristæ,& Theologi; quod Papa postquam est electus, habet supremam administrationem in spiritualibus, & omnimodam iurisdictionem.] Et Abbas ait; [e] Papa facta electione,non est tantùm Papa electus,sed Papa; quia non indiget confirmatione alterius.] Videntur quidem aliqui nomine confirmationis, seu consecrationis, aut ordinationis post electionem, intelligere coronationem Papæ; hoc est ceremoniam illam quæ fit ei ad Altare Ecclesiæ Lateranensis, seu alibi; in imponenda ei illa Mitra, quæ dicitur Regnum: nomine verò electionis, omnes alios actus præcedentes: & hoc sensu verissimum est, illam coronationem esse merè mundanam ceremoniam, quæ Papatum nequaquam confert, sed ornat, seu collatum iam esse demonstrat: & ante illum Papa est iam plenissimè Episcopus Romanus, Metropolitanus, & Patriarcha, & suæ ditionis Princeps: vnde & subdit idem, qui supra Almaynus: Et per hoc quod coronatur ad altare sancti Ioannis Lateranensis, nihil potestatis de nouo accipit; cum nulla singularis persona potestatem spiritualem illi conferre possit.] Quare vbi prius dixit hic Autor Papam postquam est electus supremam consequi administrationem in spiritualibus, intelligit ille nomine electionis omnes actus qui præcedunt coronationem. In his verò includitur etiam consecratio, seu ordinatio; ordinatio verò supponit electionis confirmationem; vt explicaui lib. 3. cap. 3. & cap. 5.

d Almayn. de pot. Eccl. & Laic. q. 1. c. Vlt.

e Abbas de elect. c. Licet de cuit. eccl.

Est

A Est verò summa, & intolerabilis imperitia, imo scandalorum maximorum in Ecclesia, quæ Romana schismata pariunt, fons & origo, soli electioni tantam vim tribuere, sicut multi tribuunt: cùm electio nihil aliud efficiat, nisi tantummodo personam ordinandam designet, vt toties est explicatum. Et sicut fatentur omnes Papam electum, sed nondum consecratum Episcopum, ea quæ ordinis sunt non posse exercere; ita fateantur necesse est, neque in Iurisdictionalibus illum vllam potestatem habere. Nam potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæcunque potest esse in Episcopo, ea ab ipso Episcopali pendet ordine; vt plenè docebo libro sequenti: Ecclesiastica enim omnis potestas, quæ sit propriè Ecclesiastica, quam Christus suis tradidit Apostolis, & eorum successoribus Episcopis, ipsi Apostolatui, hoc est Episcopatui est adiuncta: neque cuiquam qui non esset Apostolus, seu Episcopus, est concessa: quia soli Apostoli, & eorum legitimi successores, sunt propriè Ministri Ecclesiastici: qui verò Ministri Christi legitimi non sunt, neque potestatem Ecclesiasticam, tali ministerio annexam, & alligatam habere possunt. Ideo enim iurisdictionem Ecclesiasticam quis exercet, quia Episcopus est, & Christi Minister. Et si Minister non sit, non modò ordinem non habet, sed ne iurisdictionem quidem vllam quæ ab ordine pendet, & cum ordine immediatè confertur: [a] Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? missio verò ipsa in ordinatione consistit, non in electione; vt ad finem libri secundi explicaui. Potestas verò laica sola electione confertur: vt proprijs locis explico. XLIX.

B

a Rom. 10.

Habent Episcopi, & præsertim Romanus, non à Christo, sed à Principibus, vt ostendo lib. 10. multas potestates temporales, quæ ordinem non supponunt, sed possunt etiam à meris laicis exerceri, vt sunt potissimum iudicia ciuilia, & criminalia in temporalibus; imò etiam dominia, & regna. Sed hæ quoque potestates, & iurisdictiones, licet ab ordine sacro non fluant immediatè, neque ordinem sacrum necessariò de se requirant; ex institutione tamen humana, & Principum ipsorum, tales potestates Ecclesiasticis concedentium, voluntate, ordinationem, aut saltem electi Ecclesiasticam confirmationem supponunt necessario; quia hæc non conceduntur nisi Episcopo, qui sit verus, & indubitatus, ac plenus Episcopus. Solus verò electus, & nondum confirmatus, non est actu, sed tantùm potentiâ Episcopus. Episcopus verò tunc est verè confirmatus, quando legitimi ordinatores in eum efficaciter expressèque consentiunt: quem consensum ordinatè, ac commodissimè per ritualem, solennemque explicant consecrationem: quanuis non in huiusmodi consecratione formaliter consistat ipsa ordinatio, sed in missione his sacris ceremoniis vestitâ; vt docui libro secundo, cap. 4. & lib. 3. cap. 3. & 5. Nam precatoria, personæque dedicatoria, quæ adhiberi solet consecratio, est potius ceremonia, & signum ordinationis, quam ipsa realis ordinatio; quia ordinatio quæ formaliter facit Episcopum, consistit in missione, & actuali per symbolum congruum expressâ deputatione personæ ad ministerium, siue hæc persona deputanda fuerit ab alijs prius electa ac destinata, siue ab ipso deputante ac mittente primò ac immediatè assumpta. L

C

D

Dices, sicut Episcopus iam ordinatus, potest & solet committere iurisdictionalia suis Officialibus, & Vicarijs, etiam laicis, aut sola prima tonsura, quæ sacrum ordinem nullum confert, insignitis; cur ita non potest Ecclesia Papæ electo, & nondum consecrato, seu ordinato committere iurisdictionem plenam Papalem? Respondeo: Episcopus iam plenè Episcopus potest, imò quantum commodè potest, debet Episcopalia Ecclesiastica ministeria per se obire; temporalia verò potest etiam per alios quoscunque exercere: illi verò Episcoporum Officiales, & Vicarij potestatem illam, licet ratione executionis, externique effectus temporalem, non vt propriam exercent, sed vt alienam, nec nomine proprio, sed nomine Episcopi; ac eius solùm, qui iam sit plenè Episcopus. Sed Papa electus, Papa non est, nisi sit Episcopus: Nec sufficit quòd antè sit Episcopus, puta Rauennas; quia Papa, vt successor Petri, vult, & debet esse Episcopus Romanus. Nondum ergo potest iurisdictionalia, etiam temporalia proprio nomine exercere, quæ ei non sunt commissa, nisi ratione Episcopatus, eiusque Romani. Alieno verò nomine, sede vacante, exercere eam nullo modo potest: cùm nemo sit, qui eum deputet Episcopus. Vel ad summum exercebit, vt Presbyteralis Collegij Romani iurisdictionum, sede vacante, custodis, Vicarius. Quod, credo, dedignabitur electus Pontifex. Nec eo titulo potest pontificalia exercere. Eadem ratione sola electio, quæ alios Principes temporales plenè facit Principes, Papam tamen non facit legitimum sui status temporalis Dominum, & Principem; quia status ille, & dominium non fuit concessum, nisi Episcopo Romano, qui nempe sit verus, & plenus Episcopus, & non alij. Sentit in parte mecum Gersonius, dum ait; [b] Supponitur itaque primò, quod licet LI.

E

b Gerson. de pot. Eccl. consid. 10.

aliquis possit eligi in Papam non Sacerdos; sicut eligitur aliquis in Episcopum; ipse nihilominus appellari non potest, aut debet summus Pontifex; nisi fuerit in Sacerdotem & Episcopum consecratus. Et quamuis ex electione posset aliquid iurisdictionis habere; non tamen habet ante consecrationem in Episcopum plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, tam ordinis, quam iurisdictionis vtriusque; quod perspicuum est ex terminis. Hic autem consurgit æquiuocatio non modica propter Dominos Iuristas; qui loquentes de plenitudine potestatis Papalis, solum loqui videntur de potestate iurisdictionis; ex qua locutione videtur hæc absurditas sequi; quod pure laicus, imo & fœmina posset esse Papa: & habere plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis.] Ego tamen ex sola electione nihil prorsus iurisdictionis haberi posse, vt puto demonstraui; nam in genere etiam probaui lib. 3. cap. 3. electionem solam nihil iuris tribuere electo; quod spectat ad Ecclesiæ Christi ministros. A

LII. Ideo qui priscas euoluere velit Romanorum Pontificum, sede vacante, substitutiones; B
plane inueniet nunquam fuisse pro Pontifice habitum quemquam electum, nisi post debitam ordinationem vel translationem. Accipe de hoc pauca exempli gratia documenta. Occurrit mihi in primis Bonifacij primi creatio, in schismate cum Eulalio, tempore Honorij Imperatoris. Et clerus quidem, qui Bonifacium elegerat, inter alia hæc ad eundem scribit Imperatorem: [a] Ad Ecclesiam Lateranensem properauimus, ibique participato cum Christiana plebe consilio, quem Deus iussit, elegimus: nam Venerabilem virum Bonifacium, veterem presbyterum, in lege doctissimum, ac bonis moribus comprobatum, & (quod eum magis ornabat) inuitum, acclamatione totius populi, ac consensu meliorum Ciuitatis asseruimus Diuinæ institutionis ordine consecratum. Nam subscribentibus plus minus septuaginta Presbyteris; astantibus nouem diuersarum Prouinciarum Episcopis; benedictionem competenti tempore constat fuisse celebratam; ac prius omnia quæ solennitas exigebat celebrata sunt.] Electio tam multorum, & subscriptio necessaria quidem C
fuit conditio, sine qua non fierit tunc Episcopus legitimus: Sed Episcopum absolute & proprie fecit illa Episcoporum benedictio, siue consecratoria deputatio; in qua vis missionis, & ordinationis consistit.

a Apud Baron. to. 5 an. 419. n. 8

LIII. Quandiu Imperatores & Reges Itali voluerunt, vt ipsorum consensus, & confirmatio, in promotione Romani Pontificis omnino expectaretur, electus profecto nunquam est habitus pro Romano Pontifice, neque exercuit Pontificatum in parte vlla potestatiue, sed instructiue tantum ad summum: Et ordinatio quæ verum sola facit Episcopum differebatur. Ita vidimus supra Gregorium Magnum, se pro Episcopo nunquam aut tenuisse, aut gessisse ante ordinationem, quam non habuit, nisi post Mauritij confirmationem. Non ita Gregorius 7. qui licet ante ordinationem se electum tantummodo in Romanum Pontificem vocat, iurisdictionalem tamen Papatus, hoc est Monarchię mundi, quã conceperat exercuit potestatem; vt patet ex eo inter alia, quod [c] partem quandam Hispaniæ cuidam Comiti concedit; & ad hoc legatos mittit; & Principibus inhibet, ne eam armis tentent. Nicolaus enim secundus iam declararat [b] Papam solummodo electum, & nondum consecratum, tanquam verum Papam, Romanam Ecclesiam regendi obtinere autoritatem; & disponendi omnes facultates illius: quod B. Gregorium, *inquit*, ante consecrationem suam fecisse cognouimus.] Sed fallitur; Nam tunc ex potestate nihil fecit Gregorius: ex charitate tamen potuit monere, hortari, docere, instruere, &c. Qui enim sperabat & expectabat a Mauritio se liberatum iri, & ad pontificatum non admittendum; quomodo potuit iam Pontificalia exercere, quę nullitati poterant subiacere? Quare tres illæ primæ Epistolæ initio Registri Gregoriani, non mihi videntur suo loco collocatæ; quia iurisdictionem ab ipso exercitam innuunt: quod eo tempore eum fecisse probabile non est. D

b Greg. 7. l. 1. ep. 6. 7.

c Dist. 23. c. 1.

LIV. Si sola electione Papa esset plene Papa; quid mouisset Constantinum Pogonatum Imperatorem, vt suo iuri cederet; & permitteret electum è vestigio absque tarditate ordinari? Quid Ludouicum, vt Hadriani secundi consecrationem præpropere, & raptim, non expectato illius consensu factam confirmaret? nihil profecto. Sed quia Papa non erat Papa sine consecratione, seu ordinatione; & consequenter, quia ex hoc Ecclesia Romana multa poterat pati incommoda; ideo & Constantinus, quoad ipsum, in perpetuum concessit, vt statim fieri ordinatio: Ludouicus vero, pro illa vice eam approbauit propter periculum, quod tunc in mora fuisset: Quod periculum nullum esse posset, si sola electione electus plenam haberet iurisdictionis potestatem. Et nullum prorsus grauamen Ecclesia habuisset ex reseruatione confirmationis Imperialis, si sola electione peracta, Papa esset Papa: Vnde talem reseruationem potuit etiam contemnere. Ac stultum est putare, tali E

reserua-

A reseruatione, Imperatores putasse se sola Pontificalia, siue potestatem solam ordinis suspendere; non autem potestatem Iurisdictionis, quia potestas sola Iurisdictionis per Papam exercendæ permouebat Imperatores; qui de sola ordinis potestate, sicut nec poterant, nec debebant, ita neque erant soliciti: Sed impedita ordinatione, optime sciebant se omnem potestatem, etiam iurisdictionalem in electo impedire.

Bernardus optime intelligens, non sola electione, sed ordinatione Episcopum Romanum sicut & cæteros fieri; Anacleti contra Innocentium 2. factam electionem nihili faciebat; neque eum Antipapam futurum fuisse putabat, nisi ordinatio ipsius, & manus impositio accessisset. Quantumuis enim, & à quantouis numero si fuisset electus, Bernardo tamen Antipapa non fuisset, neque scandala illius schismatis inualuissent, si ordinatio non accessisset. [a] Ea propter, *inquit*, qui se superingerere festinant, quiq; temerario temere manus imponere nihilominus accelerauerunt, Apostolo prohibente: [b] Nemini cito manus imponas: ipsi proculdubio maius peccatum habent, ipsi autores schismatis, ipsi grandis malitiæ huius Principes extitere.] Et Petrus Portuensis, qui Anacletum consecrarat, ad reliquos Episcopos Cardinales scribens, improperat eis; quod, quorum erat Papam duntaxat confirmare, & ordinare; ipsi tamen etiam electioni se immiscuerint. [c] Postremò, *inquit*, nec vestrum, sicut nec meum fuit eligere: sed potius electum à fratribus spernere, vel approbare.] Ecce electionis Papalis confirmationem habemus ab Episcopis Cardinalibus fieri solitam, qui possent etiam electum reprobare. Et infernus, Fratres siquidem vestri Cardinales, quorum præcipua in electione potestas cum Clero vniuerso, expetente populo, cum Honoratorum consensu, in luce, in manifesto vnanimi voto, & desiderio, delegerunt Dominum Petrum Cardinalem, in Romanum Pontificem Anacletum. Hanc ego electionem Canonice celebratam conspexi, & autore Deo confirmaui.] In actis etiam electionis Gelasij secundi de Episcopis Cardinalibus hæc scripta præcesserunt: [d] Nec mora, raptus ab omnibus, laudatur ab omnibus, approbatur ab omnibus; nec non etiam ab Episcopis, quorum nulla est prorsus alia in electione Præsulis Romani potestas, nisi approbandi, vel contra; & ad communem omnium Cardinalium primum, & aliorum petitionem, electo manus solummodo imponendi.] Nam sicut verum est, ita & merito (*aut Platina*) sex illos Episcopos Cardinales, aut saltem tres, Papam [e] confirmare & consecrare. Quæ est lex firma, constans, & perpetua, vt quilibet Episcopus à Clero & populo eligatur, ab Episcopis verò Prouinciæ electio confirmetur, & electus ordinetur; vt fusè probaui lib. 3. cap. 3. & cap. 5. & cap. 12. Quis ergo Romanum eximet, vt ipse quoque & confirmatione non egeat, & ordinatione? & hoc est quod supra vidimus, Episcopis Cardinalibus, qui non erant electores, sed consecratores, & ordinatores Romani Pontificis, eiusdem promotionem fuisse solis commendatam. Ac propterea nunquam schisma est plene Romæ conflatum, nisi post Antipapæ consecrationem; quam solam illi semper vrserunt: & ideo Episcopi Cardinales soli, aut data consecratione schismati fauerunt; aut illa negata, etiam schisma compresserunt. Hinc est quod schismatici contra [f] Benedictum 3. Episcopos Cardinales potissimum ad sua trahere conabantur, multitudinem eligentium penitus contemnentes.

LV.

a *Bernard. ep. 126*
b *1. Tim. 5.*

c *M. Paris, hist. maior. Lib. 1. & Ba. on. tom. 12. an. 1130.*

d *Baron. to. 12. an. 1118.*

e *Platin. in Paschal. 2.*

f *Anastas. in Bened. 3. & Baron. tom. 9. an. 855. nu. 55.*

Imò quia sola ordinatio vere & propriè ac proximè facit Episcopum, electio verò non ponitur, nisi ad bene esse; & vt Episcopus sit acceptior, qui fuit expetitus, quàm si aliunde ignotus obtrudatur; ideo dicebat Cyprianus, cum suo Clero & populo loquens: [g] In ordinandis Clericis, fratres carissimi, solemus vos ante consulere; & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt diuina suffragia.] Et hoc non minus verum est in Episcopi ordinatione, quam in alterius cuiuscunque Ministri. Vbi enim personam iam à Deo electam fuisse constiterit ordinatoribus, nulla opus est humana electione: & per solam ordinationem illa plenam à Deo accipit potestatem. Hinc est quod interdum, nulla præcedente electione, per solam tamen ordinationem Episcopi plurimi, etiam Romani sint instituti: imò verò etiam perperam, si electionem spectes, intrusi, aut nulla, aut corruptissima, aut violenta præcedente electione, legitimi tamen sint in Ecclesia habiti Episcopi, & legitime Episcopalem exercuerint potestatem post sui legitimam ordinationem. Sic Liberio violenter in exilium pulso (vt paulo ante vidimus, num. 46.) Fœlix, nulla præcedente legitima electione, sed solius Imperatoris voluntate, & Arianorum Episcoporum ordinatione, factus est Romanus Episcopus; & pro tali vsque ad mortem à Catholica Ecclesia est habitus. Sic [h] Vigilius, excluso perperam Siluerio, ipse quoque absque vlla legitima electione, sola ordinatione, pro

LVI.

g *Cyprian. l. 2. ep. 5.*

h *Liberat. Breuiar. cap. 22.*

vero & legitimo Papa, semper est habitus; non enim vllam vnquã aliã habuit sui, aut electionẽ, aut confirmationẽ, aut ordinationem, nisi illam solam, qua primũ viuẽte Siluerio perperam ordinatus est, & tali ordinatione se in illam sedem intrusit. An non prima eius epistola [a] Decretalis dogmatica, ab eo scripta est, viuente Siluerio? An non eodem patiter viuente, à Iustiniano Imperatore, & a Menna Constantinopolitano Patriarcha, idem [b] Vigilius, tanquam Patriarcha senioris Romæ, in publico fidei negotio assumitur & adhibetur? Et quis illum vnquam vllo, quo sedit tempore pro Antipapa habuit? A

a *Tom. 1. epist. decret. Rom. Pont. in Vigil.*
b *Apud Baron. tom. 7. an. 538. num. 76.*

LVII. Iusto profecto Dei iudicio tunc contigit, vt Siluerius adeo misere de sede deturbaretur, ac tyrannice deijceretur, & ab omnibus Catholicæ fidei sectatoribus & defensoribus, ipse [c] indefensus defereretur: Vt repensis vicibus id ab alijs ipse pateretur, quod prius præcessores Romani Pontifices, cum debuissent & possent alios tueri; eos tamen iniuste, iniusta pati toleràssent. Quando enim ex Constantinopolitana sede [d] Euphemius vir optimus tyrannice deiectus est, & ei Macedonius subrogatus; quando rursus Macedonius, & ipse doctrina, fide Catholica, & pietate insignis expulsus est, & in ipsius locum Timotheus suffectus; Gelasius & Symmachus ridebant Romæ; nec vlla ope eis subuenire voluerunt, ex eo tantum quod illi, iustissimis de causis, & pro bono Ecclesiæ Catholicæ, Acacio communicarent, eundemque damnare noluerant, quem Romani Pontifices, mortuum adhuc persequebantur; propterea quod Papatui Romano acriter ille semper restiterat; & Constantinopolitanæ Ecclesiæ priuilegia tueri fuerat conatus. Mennas ergo, qui Siluerium defendere poterat; (apud Imperatorem enim Iustinianum plurimum valebat) vt par pari referret, Vigilium intrusum pro vero Pontifice (ordinatus enim sufficienter fuerat) agnoscendum curauit: sicut Gelasius Macedonium intrusum contra Euphemium pro vero Patriarcha Constantinopolitano habuerat, & agnouerat: & sicut Symmachus Macedonio pulso opem ferre erat dedignatus, & hæreticum Timotheum in illa sede pacifice sedere passus fuerat: quia videlicet & Macedonius, & Euphemius, Acacianas partes adhuc defendebant. Quinimo Hormisda, vbi ad eundem Timotheum dedit literas, [e] hortatus est quidem illum, vt in fide recte sentiat: sed vt sedem inuasam Macedonio restituat, non contendit; illum enim, ex sola ordinatione, quanquam iniusta, rite sedere censuit; modo recte sentiret. Mitto hic infames illos Sergios, Ioannes, Benedictos, Christophoros, Constantinos, & similia portenta; qui præter ordinationem, nihil aliud quod Episcopum posset legitimum facere, dummodo ordinis capaces fuerint, habuerunt. Et tamen si illos neges fuisse vere Episcopos Romanos, non modo seriem interrumpes, sed etiam magnam in Ecclesia induces confusionem; quia eorum & ordinationes, & acta, & priuilegia, & statuta nutabunt. Sicut igitur legitimus Princeps est, qui dominatur actu, etiamsi ipsius ingressus in Principatum tyrannicus fuerit & violentus, vt ostendam libro sexto, & confirmat Christus, qui Tiberium Reipublicæ tyrannicè iam prius oppressæ Dominatorem, pro legitimo Domino temporali & agnoscit, & agnoscendum esse præcipit; sic in Episcopatum quencunque, etiam Romanum ingressus, quicunque sit, modo accedat legitima ordinatio, legitimum facit Episcopum; & consequenter electio sola nihil facit. Et quæcunque depositio Episcopi, etiam Romani, siue de iure, siue tantum de facto; per solam violentam expulsionem, & per exilium perpetuum (vt videre est innumeris exemplis, præter exemplum Fœlicis contra Liberium, & Vigilij contra Siluerium) facit, vt re ipsa sedes vacet, & careat Episcopo; vnde ad alterius substitutionem merito sit deuiendum. Non enim sunt naturalia dominia Episcoporum in suas Ecclesias; sed moralia; ac ferme manualia officia; quæ etiam facto solo ammitti possunt. B C D

c *Baron. ibid. an 539. num. 6. 7.*
d *Theod. lect. l. 2. Collectan.*
e *Hormisd. ep. 12*

LVIII. Quis ignorat, quis fando explicet quot mala, quot perturbationes, quot scandala Romana schismata duobus sæpissime, interdum tribus pro Papatu contendentibus in Ecclesiam vniuersam olim importarint? Ea tamen omnia vel vt exurgerent, vel ne facile comprimerentur, ex falsa electionum, confirmationum, & consecrationum, seu ordinationum Papalium doctrina, nostræ doctrinæ hactenus hoc capite expositæ contraria emanarunt. Quod vt melius & colligam, & confirmem, libet hic compendio omnia Romana schismata, quæ hactenus, post fundatam Christianam Ecclesiam, contigerunt, & quem finem singula habuerint commemorare. Ambitio certe sola, qui morbus est Ecclesiæ Romanæ antiquus & inueteratus, eas omnes Ecclesiæ concussiones peperit, ac enutriuit. E

LIX. Primum sanè schisma, quod Romæ exortum est anno Christi 252. fuit Nouatiani contra Cornelium; de quo Cornelio Cyprianus ait: Tum deinde Episcopatum ipsum non

postulauit

A postulauit nec voluit, nec vi vt cæteri, quos arrogantię & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit; sed quietus, & modestus, &c.] Hæc Cyprianus in Nouatianum, qui arrogantiæ, & superbiæ tumore schisma fecerat, & se Episcopum Romæ ordinandum curârat; vt hoc pacto magnum sibi nomen, vt nouæ sectæ caput, compararet. Quia tamen tunc Romana sedes, non erat portus quietis, & otij, diuitiarum, & deliciarum plenus, sed nauis iactata, persecutionum procellis obsessa, cuius nauta necem martyriumque subinde expectabat; hinc certè Episcopi eorum temporum Romani non ita obnixè de sua propria dignitate, & existimatione, ac pro suo eximio illo Papatu laborabant, vt pro eo acriter putarent esse decertandum, aut nimium angerentur, vt in solio soli sederent, nec haberent honoris socium, aut competitorem. Ideo pro fide Cornelius, quod veri Episcopi est, laborabat strenuè, & vt errores Nouatiani non inficerent suam plebem satagebat; ipsum tamen Nouatianum, vt
B à dignitate Episcopali, quam Romæ exercendam susceperat, deijceretur, non ita vehementer persecutus est; neque de illo, vt Cathedræ æmulo fuit multum solicitus. Imo vsque ad Cælestinum primum [a] Nouatiani Romæ floruerunt; & consequenter ibidem suos proprios Episcopos successores Nouatiani habuerunt. Causa in aperto est. Non tunc Papatus erat Regnum; ideoque duos capere poterat. Sed tamen schisma erat, idque graue, maximeque incommodum, vt populus Christianus in duas partes esset diuisus inter se non communicantes; & ita quantum in se erat, non vnum Christum haberent, non vnam fidem, non vnum baptisma, non vnam, sed duas penitus inter se diuisas, & separatas, nulloque vnitatis vinculo copulatas Ecclesias facerent. Sed hoc malum non erat nisi Romæ potissimum; & sicubi secta illa sequaces habuisset; vt habuit [b] Arelatæ, & [c] Constantinopoli. Reliquæ omnes Ecclesiæ, in quibus Nouatiani nulli essent, non propterea schismate laborabant, quia Romana, vel Constantinopolitana, aut alia particularis schisma in se paterentur.

a Socrat. l. 7. c. 11.

b Cypr. l. 3. Ep. 13.

c Socrat. l. 6. c. 9

C Alterum schisma anno Domini 355. fuit, Liberio in exilium pulso, & Fœlice ei (vt supradiximus, num. 46.) subrogato. Sed reuocato Liberio ab exilio, simul amice cum Fœlice Romanam ille rexit Ecclesiam.

Postquam verò Episcopatus Romanus ad pompam, & Papatum est sublatus, schismata facilius inualuerunt. Nam [d] Papatus, vt loquitur Bernardus, locus sanctus, non quia sanctus, sed quia summus affectari cœpit.] Hinc est quod iam triginta schismata Romana Ecclesia sit passa; sed priora Imperatorum potissimùm potentia, & autoritate sunt facilè compressa. LX.

d Bern. Ep. 126

Tertium igitur schisma anno 366. obortum inter Damasum, & Vrsicinum, [e] Valentinianus Imperator extinxit: is enim Vrsicinum vrbe eiecit, & in Gallias exulem amandauit; & sic Damasus pacifice sedit.

e Baron. tom. 4. an. 368. num. & 381. n. 3.

Quartum, anno 420. inter Bonifacium, & Eulalium exarsit; sed Eulalius ab Honorio pulsus est. Et quanuis (vt superius monui, num. 19.20.) Eulalius, in electione superior esset, sola tamen Imperatoris voluntas, & ipsius decretum, facto ipso (quod in huiusmodi schismatibus sufficit) alterum expulit, alterum confirmauit.
D

Quintum schisma inter Laurentium, & Symmachum, anno 498. [f] Theodoricus Rex Gothorum compressit.

f Synodi Rom. sub Symmach.

Sextum inter [g] Bonifacium secundum, & Dioscorum, anno 530. mors cita Dioscori diremit.

g Anast. in Bonif. 2.

Septimum anno 537. exilio, & deportatione Siluerij, legitimi Papæ, à Bellisario, & factum, & extinctum est, Vigilio in thronum erecto.

Octauum anno 586. vires non habuit; quia, [h] competentibus duobus, & electoribus dissentientibus, in tertium, hoc est Cononem omnes consenserunt. Sed quia nullus contendentium fuit ordinatus, schisma nihil inualuit.

h Anast. in Comm.

E Nonum, anno 687. similiter est sedatum; [i] Concertantibus enim duobus, Clerus, & populus, ijs contemptis, Sergium assumpserunt.

i Anast. in Serg.

Decimum, anno 757. fuit tentatum duntaxat à [k] Theophylacto Archidiacono, post obitum Stephani 3. cuius factio, viso communi consensu in Paulum, sponte dissipata est.

k Idem in Paulo.

Vndecimum anno 767. Christophorus Primicerius, armis Longobardorum Spoletinorum adiutus, compressit; Constantino intruso pessimè tractato, non sine ciuium intrusi fautorum cædibus, & Stephano 4. legitimè electo, & consecrato.

Duodecimum anno 824. inter Eugenium 2. & Zinzinum, fuit in sola electione; sed præualuit electio Eugenij; quanquam & ad rixas sedandas, oportuerit [l] Lotharium à Ludouico Imperatore, eiusdem Imperatoris filium Romam mitti.

l Baron. tom. 9. an. 824. n. 12.

Decimumtertium, firmitas Cleri, & populi, sed potissimum Episcoporum Cardinalium consecrationem dare schismatico * Anastasio, à Legatis etiam Ludouici Imperatoris protesto, anno 855. extinxit: & Benedictum tertium in sede confirmauit. A

Decimum quartum anno 897. inter [a] Formosum, & Sergium, fuit in sola competentia, dum fieret electio. Sed obtinuit Formosus; eo enim consecrato, Sergius non consecratus acquieuit.

Decimum quintum anno 903. tyrannicas [b] electiones & intrusiones Paparum habuit confusissimas, Leonis quarti, Christophori & Sergij 3.

Sextum decimum anno 964. contra Leonem 8. [c] arsit. Nam & Ioannes 12. ob scelera plurima merito depositus ab Ottone; velut Hydra sæpius insurrexit: & eo mortuo, datus est ei successor Benedictus. Sed Otto ipse Imperator, abducto in Germaniam Benedicto, Leoni pacificum fecit Pontificatum. Et tunc verum non erat illud, Vbi Papa, ibi Roma. B

Decimum septimum, Bonifacius 7. anno 974. & fecit, & simul extinxit; [d] Benedictum enim sextum vi de sede deturbauit, & in carcere strangulauit; seque ipsum Papam creari fecit.

Decimum octauum, anno 996. Crescentius Dux Romanus, contra Gregorium quintum ab Ottone tertio creatum excitauit: Sed Otto statim illud extinxit, [e] Antipapam enim Ioannem Episcopum Placentinum captum, truncatum manibus, & auribus, atque oculis priuatum, horribiliter deturpauit: Crescentium vero autorem schismatis, dira morte multauit. Sic præclare & commodissime schismata Romana, sine Theologis, sine Canonistis, sine Concilijs extinguuntur.

Decimum nonum, anno 1012. Abdicato Antipapa Gregorio ab [f] Imperatore Henrico, in sedeque Benedicto 8. firmato, est compressum.

Vigesimum, anno 1044. fuit plene voluntarium, tribus inuasoribus, [g] Benedicto nono, Syluestro, & Ioanne simul sedem Romanam occupantibus; diuisis simul redditibus, & Patriarchijs; vnus enim in Laterano sedit, alter apud sanctam Mariam Maiorem, tertius apud S. Petrum. Reuera ergo hoc schisma non fuit; quia pacifice simul & in solidum, Ecclesiam illam destruebant, & genio tantum indulgebant. Cesserunt tamen omnes, non inuiti, assignatis eis singulis suis bonis redditibus à Gregorio sexto, eorum successore; quem tamen intrusum adhuc multi putant; quod Simonia videatur cum intrusis pacisci; & assignata mercede eis sedem eripere. Ideoque ab Henrico 2. Imperatore, Gregorius [h] baculo priuatus fuit; & vt se abdicaret compulsus; eique Clemens 2. ab ipso Imperatore, cum alijs electoribus subrogatus. Cum tamen reuera Gregorius 6. legitime sederet; qui sedem illam non emerat, sed redemerat. Hæc tamen fuit semper potestas Imperatorum, vt quem ipsi siue iuste, siue iniuste sede deijcerent, is deiectus esset; & successor ei subrogatus, riteque consecratus, pro vero Episcopo semper in Ecclesia sit habitus. C D

Vigesimum primum, spontanea [i] Mincij abdicatione, anno 1059. euanuit; & Nicolaus 2. in sede mansit pacifica.

Vigesimum secundum, anno 1601. mors [k] Cadaloi dicti Honorij 2. qui contra Alexandrum 2. sedere est conatus, dissipauit.

Vigesimum tertium, in Ecclesia Romana schisma pessimum fuit anno 1080. contra Gregorium septimum, ab Imperatore Henrico 3. & 4. Regno & Sacerdotio dissidentibus, horribiliter excitatum, & per plures annos arsit miserrime. Nam [l] Guibertus 1. Antipapa, Gregorio, Victori, Vrbano, & Paschali se opposuit: Et mortuo Guiberto, successiue sunt ab Henrico tres alij subrogati Albertus, Theodoricus, & Maginulphus; quos Paschalis vi & armis tandem domuit.

Vigesimum quartum, anno 1118. Henricus 4. contra Gelasium secundum excitauit, cui [m] Mauritium Burdinum, Bracharensem Episcopum, Antipapam opposuit; propterea quod [n] ipso inconsulto Gelasius promotus fuerat. Hoc quoque schisma vi & armis Calisti Papæ [o] expugnatum est. E

Vigesimum quintum anno 1124. factio solita Frangipanum Romæ fecit: vbi electo iam [p] Cœlestino, non sine vi & tumultu, Honorius 2. est electus; cui Cœlestinus sponte cessit

Vigesimum sextum, anno 1130. contra Innocentium 2. furtim electum, Anacletus, meliori electione (vt supra monui num. 11. & seqq.) surrexit. Innocentius tamen fauore Lotharij, & Bernardi Clareuallensis obtinuit sedem; sed & Anacletus vsque ad mortem

in

* Anast. in Bened. 3.

a Luitprand. lib. 1. c. 7.

b Vita horum Pontificum.

c Luitprand. l. 6 & Baron. tom. 10. an. 964. 965.

d Baron. to. 10. an. 974.

e Glaber. l. 1. c. 4. & Ostien. in Chron. Casinensi l. 2. c. 18.

f Ditmar. l. 6.

g Frising. apud Baron. tom. 11. an. 1044. n. 2.

h Herm. apud Baron. tom. 11. an. 1046. n. 2.

i Ostien. l. 3. c. 12.

k Lamber. apud Baron. tom. 11. an. 1064. n. 30.

l Onuph. in chron. Rom. Pont.

m Baron. to. 11. an. 1118.

n Ibid. an. 1119 in epitaph. Gelas.

o Ibid. an. 1121

p Baron. to. 12. an. 1124.

A in suo Rom. Pontificatu, octennium perseuerauit, vt habemus supra num. 12. cui defuncto [a] substitutus in schismate est Victor 4. cuius terme statum voluntaria cessione Innocentius solus, & liber mansit.

[a] Baron. ad an. 1.3

Vigesimum septimum & maximum schisma, anno 1159. inter Alexandrum 3. & Octauianum, in discordia Cardinalium Electorum, excitatum est: & longe difficilius redditum, ex acerrimis inter [b] Alexandrum & Fridericum Imperatorem dissensionibus. Nam mortuo Octauiano, qui se vsque ad mortem pro Papa gessit, & ab Imperatore ac multis alijs pro tali semper habitus est, [c] Guido Crementis ei est suffectus, quem similiter Fridericus pro Papa habuit, & in Papatu confirmauit. Eoque mortuo, Ioannem Strumam ei substitutum, idem Imperator admisit & fouit. Neque schisma finem habuit, nisi postquam inter Alexandrum & Fridericum Venetijs [d] pax firmata est. Cessante enim discordia cessauit & schisma. Sed si Imperator pristcas vires habuisset, actum fuisset de Alexandro.

[b] Radeuic. in Frider.

[c] Baron. to. 12. an. 1164.

[d] Ibid. an. 1177

B Vigesimum octauum ann. 1327. rursus, dissidio graui exorto inter Papam Ioannem 22. & Ludouicum Bauarum Imperatorem, in odium Papæ à [e] Ludouico factum est; ei, Anti papam Corbarium, ordinari curante: sed derelictus Corbarius Pisis, remeante Imperatore in Germaniam, à Pisanis captus ad Papamque Auinionem adductus, in carcere Papatum & vitam finiuit.

[e] Platin in Io. 23.

Vigesimum nonum omnium pessimum, anno 1378 cæpit, & ad 40. annos durauit. Reducta enim Papali Curia Auinione Romam, à Gregorio xj. eoque mortuo, Itali Cardinales voluerunt suum Papam Vrbanum 6. Galli suum Clementem 7. Vrbanum Italia, Germania, Pannonia: Clementem Gallia, Hispania, Britannia sequebantur. Mortuo Vrbano, ei Bonifacius 9. est substitutus Romæ: & mortuo Clementi Petrus de Luna dictus Benedictus 13. successit in Gallia. Rursum mortuo Bonifacio datus est ei successor Innocentius 7. Innocentio mortuo, subrogatus est Gregorius 12. Venetus. In Gallia vero Benedictus 13. perseuerabat. Concilium postea Pisanum, vbi putauit schisma extinguere, illud auxit; depositis enim Benedicto & Gregorio, Alexandrum 5. in sede collocauit Romana. Sed illis duobus nequaquam cedentibus, iam tres Papæ fuerunt. Obijt Alexander, ei suffectus est Balthassar Cossa, Ioannes 23. nuncupatus. Tandem in Concilio Constantiensi, Sigismundo Imperatore, & omnibus Christianis Principibus adnitentibus, partim vi, partim sponte, tres Papæ exautorati sunt; & Martinus 5. solus Papa factus.

C

Vltimum schisma fuit in Concilio [f] Basileensi, quod Eugenium 4. deposuit, anno 1439. & Amadeum Sabaudiæ Ducem, Felicem 5. nominatum, ei substituit. Voluntaria tamen [g] cessione & abdicatione Amadei, res composita est.

[f] Concil. Basileen. session. 40.

[g] Nicol. 5. Bulla in fine Concilij Basileensis.

Omnia hæc schismata, ex quintuplici potissimum capite, aut orta sunt, aut vires & durationem habuerunt. Prima causa erat Principum, præsertim Cæsarum declinatio, ac impotentia. Quamdiu enim Imperatores Romani potentes fuerunt, Papas sibi subiectos

D detinuerunt; & sola ipsorum autoritate, soloque iacto, schismata facile, vt vidimus, compresserunt: Et lex Honorij supra num. 3. stabilita illam Bonifacio Papa, optima fuit. Vt vbi duo essent ad Romanum Episcopatum promoti; neuter illum haberet, sed vterque expelleretur, ac alius substitueretur. Hanc legem si perpetuo seruasset Ecclesia, schismata nulla fuissent. Vbi vero Imperium concidit, & Papatus factus est Principatus, etiam arrogata potestate supra omnes terrenos Christianos Principatus, ita patientibus, & dormientibus imò volentibus Principibus Christianis, non fuit amplius qui Papas compesceret, deponeret, abijceret, & pacem publicam turbantes coerceret. Imò quia Papæ iam cum Imperatoribus & Regibus à pari luctari, ac ipsa conculcare diademata cœperunt; inde sæuissima, quibus discerptus est Orbis Christianus, sunt exorta schismata, quale fuit 23. 27. 28.

LXI.

Secundò vana opinio, Prælatos Ecclesiasticos ipso electionis, vel etiam ordinationis

E iure veram, & propriè dictam proprietatem in suis Ecclesias acquirere schismatibus magnas addidit vires: Cum tamen deputatio ministrorum Ecclesiæ, ipsis de se verum in greges dominium, veramque tituli ciuilis proprietatem nullam tribuat. Est enim simplex deputatio hominis ad Ecclesiasticum seruitium, & ministerium; cum libertate tamen, tum deputati à tali munere hoc in loco exercendo se, pro maiori Ecclesiæ vtilitate, abdicandi; tum etiam Ecclesiæ deputantis, & huic loco alligantis talem deputatum, si ille non placeat, ex causâ summouendi: sunt enim Prælati & Ministri Ecclesiastici, potius similes subordinato magistratui, quem Rex aut Respub. pro suo libito conducat, vel ex solo iussu constituat, & ad suorum populorum regimen adhibeat; quam ipsi Principi & Regi suo iure obtinenti.

LXII.

tinenti. Episcopis enim Christus, & Ecclesia, tanquam meris ministris, & magistratibus manualibus, ac amobilibus vtitur: Quos, etiamsi sine causa allegata (quod tamen fieri non debet, nec nisi maioris boni intuitu) transferat, inhibeat, amoueat ipsa Ecclesia, nihil illis aufert quod vere ipsis peculiare sit; & in quod tanquam proprijs dicatum vsibus, verum ius illi habeant dominij & proprietatis. Gregem enim possident, non vt suum, sed vt Christi, nec vt rei vtilis domini, sed vt rei depositæ fideique commissæ custodes & curatores. Secus est in Principe laico supremo; is enim vere & propriè subditorum suorum Dominus est in temporalibus; vbi Prælatus non est nisi seruus & minister; vt suis locis fusius explico & confirmo. Tanto ergo facilius potest huiusmodi inter Pontifices schisma per vnius, vel vtriusque, vel plurium competentium, etiam (si id pax Ecclesiæ poscat) iam ordinatorum electionem comprimi, & sine tam exacta forensi & obstrepera iurium eorundem competentium discussione terminari; quanto minus relinquitur loci illis, qui proprietate ciuili non priuantur, iniuriarum litem contra huiusmodi electores intentare. Ac certe in omni tali, seu iusta seu iniusta reiectione, vel electione, vacatio Ecclesiæ necessario sequitur, quæ per alium ibidem ordinandum potest, ac ne quid detrimenti grex capiat, omnino debet suppleri.

LXIII. Hinc est quod facto solo, omnia ferme iam numerata schismata, vsq; ad tria vel quatuor sola postrema, sint compressa: & in nullo vnquam iurium decisio est quæsita, aut expectata. Celebre exemplum habes in Siluerio & Vigilio. Siluerius enim sola qualicunque, & sane violenta depositione de facto amisit Pontificatum; & illum noua ordinatione, ac certe valida acquisiuit pessimus Vigilius, qui viuente Siluerio, Pontificatum plene administrauit; neque vllam aliam amplius, mortuo Siluerio, habuit nouam electionem, aut ordinationem. Quam enim Baronius comminiscitur nouam ordinationem, est ipsius fabula, & somnium nulla autoritate stabilitum, dum ait [a] Vigilium, mortuo Siluerio se abdicasse, & sexto die legitime electum atque ordinatum.] Leuissimum porro huius commenti fundamentum fuerunt ei sola verba Bibliothecarij, quæ in fine vitæ Siluerij habuit; nimirum cessasse Episcopatum diebus sex. Quam cessationem intelligere non potest Baronius, nisi per abdicationem Vigilij; alioquin nulla fuit cessatio; siquidem Vigilius vltra annum sedit Pontifex, ante obitum Siluerij; ego vero non video tantam necessitatem tuendi Bibliothecarium, & veteres illas Romanorum Pontificum vitas, quin interdum etiam grauissimæ obrepserint hallucinationes, & in historia manifestæ falsitates, & contradictiones. Possunt etiam sex illi dies vacationis sedis intelligi à deportatione Siluerij. Vbi vero exaggerat Baronius Siluerium iam depositum in vinculis egisse plene Pontificem, & aduersus Vigilium sententiam anathematis pronunciasse, nititur apocryphis: epistola enim illa Siluerij ad Vigilium eiusdem farinæ est cum altera ad Amatorem; quam fictam expresse asserit & inscribit etiam [b] Binius: Et planum est in illa ad Vigilium, falsam esse notam Consularem; quia tempore Siluerij, neque Belisarius, neque Basilius Consulatum vllum gesserunt: sed Baronius libenter apocryphis, & impostoris vtitur; vbi ad ipsius rem facere videntur: Vera tamen & authentica scripta sæpius exagitat, & deprimit ac impostoræ arguit, vbi illa sibi aduersa esse cognoscit. Si itaque etiam legitime ordinatus solo facto, suo iure cadit; quanto minus ex sola electione potest, qui ejicitur, ius in Episcopatu prætendere?

a Baron. tom. 7. an. 540. num. 4. & 533.

b Concil. tom. 3. Binij.

LXIV. Tertio itaque schismata fouit falsa opinio, electionem solam Papæ ius plenum tribuere. Sane verò si perpetuo non electio, sed ordinatio sola, vt iuris est, faceret Papas; cum ad solos Episcopos Cardinales negotium reducatur, facile illi, cum pauci sint, possunt conuenire; & electorum dissidentium schismata euitare. Quem etiam ipsi Episcopi ordinatores approbant & confirmant, ac ordinant, ille solus est legitimus Episcopus iuxta Canones; vt explicatum est lib. 3. c. 3. & c. 5. Sola enim translatione Episcopus Romanus fieri non debet; vt videlicet Cardinalis, qui iam sit alicuius Ecclesiæ Episcopus fiat Papa. Nullus enim vsquam, vsque ad Formosum, trongentis integris annis, ex Episcopo factus est Papa Romanus. Imo in Synodo quadam Romana sub Ioanne 9. ita statutum fuit cap. 3. [c] Quia necessitatis causa, de Portuensi Ecclesia, Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam sedem prouectus est, statuimus & omnino decernimus, vt in exemplum nullus assumat; præsertim cum sacri Canones hoc penitus interdicant, & præsumentes tanta feriant vltione; vt etiam in fine laicam eis prohibeant communionem. Quippe quod necessitate aliquoties indultum est, necessitate cessante in autoritatem sumi non est permissum.] Et hoc est quod lib. 3. probauimus cap. 4. Episcopum semper ex proprio Clero esse sumendum;

c Apud Baron. tom. 10 an. 904 num. 5.

A dum; & huius libri cap. 5. abunde ostendimus, in numero Cleri Romani Cardinalis, nullo modo posse esse vllum Episcopum, qui propriam habeat Ecclesiam. Quod si interdum summa necessitas, aut vtilitas postulat, (quod vix potest contingere) vt Episcopus aliquis ad Romanam sedem transferatur, Episcoporum qui sunt Papæ ordinatores, est id expressè declarare; imò fortasse sine Synodo totius Prouinciæ Episcoporum translatio hæc fieri non potest. Alioquin facillimus ad schisma patet aditus, si diuisis studijs electorum, Episcopi in Papam eligantur. Hi enim cum ordinatione non indigeant, tanto facilius se, sola electione in schismate confirmant.

Quarto restrictio electionis ad solos Cardinales schismata iam parit facilius. Quis enim LXV.
sit legitimus Cardinalis ignoratur; & Antipapæ sibi suos creant Cardinales. Hi rursus, mortuo Antipapa, alium substituunt, &c. Hinc potissimum schisma illud pessimum, quod
B sub Vrbano sexto contigit, ortum habuit, & fomentum. Si enim Cardinales cum Clero Romano, & populo, vt iuris est, electores perseuerassent; quomodo Cardinales Galli, extra Romam constituti, potuissent Romanum creare Pontificem? Inde verò facillimè adhuc possunt schismatum scandala pullulare, si Cardinales inter se diuisi, electiones soli faciant. Quod periculum nullum est, si necessario requiratur totus Romanus Clerus, & populus. Certè extra Vrbem Papæ creatio nunquam erit.

Quinto demum opinio falsa, quod Episcopus Romanus sit Papa; hoc est Episcopus v- LXVI.
niuersalis totius Ecclesiæ, schismata louet, & mirabiliter, & miserabiliter. Vbicunque enim sit is qui se Papam esse prætendit, se Papatum exercere posse, & ille arbitratur, & fauent omnes Monarchici. Hæc tamen falsitas, quia in Ecclesia non vigebat olim; electo ex vrbe Episcopo, siue vero, siue intruso; cùm nullus Episcopus possit nisi in propria Ecclesia Episcopatum exercere, ille erat plenissimè abdicatus. Quo pacto, vt vidimus, sæpissimè schis-
C mata Romana sunt compressa; & sola electio fuit olim remedium opportunum. Nunc verò non modò electione non extinguitur schisma; sed etiam spontanea sæpè fuga, in loca tutiora, schismata egregiè defenduntur, & roborantur. Quid nunc prodesset Valentiniani [a] rescriptum illud singulare ad Prætextatum Vrbis Prætectum, post electionem Vrsicini? Dissensionis, *inquit*, autore sublato, omnis causa discordiæ sopienda est; ne aliqua remanente materia, nihil prosit è medio sustulisse fomitem iurgiorum, Prætextate parens carissime.] Et infra; Ea nobis innata est moderatio, vt publicam disciplinam, sine cuiusquam calamitate munire cupiamus. Itaque quoniam animarum aduersarum occasionibus non fauemus, Vrsicini socijs, & ministris, quos præcelsa sublimitas tua propter quietem vrbis æternæ, de medio putauit esse tollendos: Roma tantùm cuius tranquillitati studemus excepta; vbicunque voluerint absque religionis iniuria, vt peregrinari potius, quàm exulare videantur, proprio liceat iure versari. Neque enim interest nostra, quem habitationis eligant locum, dummodo incentiuis dissensionis ablatis, & firma sit rursus in plebe concordia.] Hoc in-
D quam rescriptum nostris temporibus à schismaticis penitus irrideretur; dicerent enim, Vbi Papa ibi Roma. Interim obiter colligo, quia olim fuit hoc remedium præsentaneum, inde quoque fieri manifestum, Papatum extra Vrbem Romanam nullum fuisse.

Sed præterea schismata Romana ex eadem falsa opinione Papatus vniuersalis difficilius LXVII.
curantur: quia tota vniuersalis Ecclesia, tanquam in propria causa nimium laborat; & inde plurimum turbatur. Quod si tota Ecclesia Christi, existente Romæ schismate, suam pacem haberet; & solam Romanam Ecclesiam sineret turbari, vt olim fiebat; breui illa schismata per se euanescerent, quia Romani sibi facilè prospicerent. Vbi verò se tota Ecclesia ingerit, & proprium facit hoc negotium, soli Romani nihil audent. Hæc igitur schismata Romana, à tota Ecclesia essent contemnenda; & ex charitate quidem, vt faciebat Cyprianus, quisque
E Episcopus solicitudinem ostendere deberet, vt in illa Ecclesia quæ principalis est, sit pax, & concordia: cæterũ cum nullo cõmunicare, vbi duo, aut plures, de Episcopatu Romæ contendunt: sed suspendere communionem cum vtroque. Alioquin si vni communicent cum vno; alij cum altero; hinc oportet ipsas Ecclesias etiam inter se scindi; & sic ex sola occasione schisma transit Roma ad omnes Ecclesias. Quod vt vitetur tempore schismatis, omnes Ecclesiæ deberent suspendere communionem cum Romana iam diuisa, & cum vtroq; competente; donec legitimus notoriè appareat. Sic enim Cyprianus, & Ecclesia Africana tempore Cornelij, & Nouatiani, vt iam [b] vidimus, faciebat: & vbi verus Episcopus, & legitimus clarè innotesceret, cum illo quidem deberent reliqui omnes Episcopi communicare; cum schismatico verò iam notorio, nullá habere communionẽ: aut si notoriè legitimus non constaret, expectare, vt ipsa Rom. Ecclesia sibi per se, siue per Synodum prouincialem consulat:

a *Apud Baron. tom. 4. an. 368. num. 2.*

b *Supra cap. 10. num. 77.*

sulat: Interim vero ab ea quisque abstineat. Nulla enim necessitas est, vt omnes Ecclesiæ vnicum Papam supra se habeant; vt est iam [a] probatum: dummodo vnaquæque suum habeat proprium Episcopum; & Episcopi inter se omnes in fide, & charitate conueniant. Negotia vero Patriarchalia iure Ecclesiastico ad vnum Patriarcham delata, non sunt eiusmodi, vt si vel nullus sit Patriarcha, vel incertus; Ecclesiæ reliquæ quicquam grauioris momenti patiantur: Et hæc omnia sunt à me in præcedentibus, præsertim libro tertio capite decimo explicata. A

a Supra l.3.c.10 n.41.

CAP. XII.

Legatos Romani Pontificis, extra Romanam Ecclesiam, vix vllam habere potestatem. B

Summa Capitis.

In triplici statu Romana Ecclesia legationes expediens, consideratur pro triplici tempore, numero 1.

Primis temporibus, sana, bonas, & vtiles expediebat legationes: ex triplici legitima causa; sine vllo Papatu, n.2.3.4.

Medijs temporibus, valetudinaria, bonas similiter & vtiles instituebat legationes; non tamen sine aliquo Papatu, & præcellentia, atque abusu: sed adhuc modestiores, à num. 5. ad num. 13. C

Artificia tamen aliqua Papatus incipiunt in ipsis legationibus apparere, à n. 14. ad n. 17. quamuis adulator Baronius, vbi nullæ erant legationes, legationes tamen pro Papatus confirmatione inepte ponat, n.18.19.

Postremis temporibus ægra penitus & decumbens, legationibus, etiam interdum confictis ad extollendum Papatum; Ecclesias subijciendas; Episcopos deprimendos, potestatemque vsurpandam; ad pompam, fastum, lucrum, & temporalia, vsa est, & vtitur, à num. 20. ad finem.

I. ROmanam Ecclesiam possumus considerare in triplici statu. Primum sanam: deinde valetudinariam: ac demum penitus ægram: Primis temporibus sana fuit & vegeta: medijs leuiori morbo laborauit: postremis prostrata decubuit & decumbit, vtinam non ad mortem. Sana legationes instituit vtiles, opportunas, & pene necessarias ad Ecclesiæ totius vtilitatem: Valetudinaria, proficuas quidem Ecclesiæ Catholicæ; sed tamen non sine alicuius Primatus ambitione expediuit: Aegra demum, legationibus ad fastum duntaxat, pompam, dominatum, & auaritiam, ac rapacitatem iamdiu vtitur. De Legatis itaque Romanis iuxta hunc triplicem statum paucis est hoc capite differendum: Vt videamus, an legitime Romani Pontifices suis in vniuersum Orbem legationibus, suum exerceant Papatum vniuersalem. D

II. Legationes primi temporis fuerunt, sicut opportunæ, & propemodum necessariæ; ita modestæ, & Ecclesiæ Christi proficuæ: etsi nomine legationis intelligamus quancunque missionem. Prima sane occasio mittendorum legatorum fuit ad prædicandum Euangelium: Sic Apostoli primi huiusmodi legationes susceperunt, dicente Paulo: [b] Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.] Et [c] Pro quo legatione fungor in cathena.] Et quia Roma maxime opportuna erat, vt inde tanquam ex Seminario in totum pene Romanum Imperium, vt docui cap. 3. Fides & Euangelium disseminaretur; iccirco ex Romana Ecclesia expeditæ sunt plurimæ legationes ad Christi Euangelium prædicandum. Sed hi proprie legati non sunt, vt dicam inferius. Vera itaque prima, & maxima occasio legationum, fuit necessitas perpurgandę fidei, vbi ab hæreli contaminatam esse contigisset. Et quia Oriens in hoc maximas sæpe clades est passus, Romanus Pontifex, non tam suo solius proprio nomine, quam totius Occidentis, qui in fide diu maxima concordia vnitus fuit, his occasionibus frequentibus Synodis, tanquam primus, & præcipuus Patriarcha, congregatis, legationes expediebat. Siquidem Legati Romani, autoritate

b 1.Cor.5.

c Ephes.6.

E

A ritate iam celebri, & Ecclesiæ Romanæ, & totius Occidentis, ad fidei sinceritatem retinendam plurimum poterant. Quos propterea in similibus occasionibus, Orientales Patres Catholicos vehementer expetijsse iam vidimus, & enixe postulasse. Ita tempore Liberij [a] factum est in Oriente: Ita Zosimus Ecclesiastica negotia Africæ, vt supra vidimus, [b] commisit Augustino: Ita [c] Cœlestinus per Legatos Britanniam à Pelagiana peste liberare conatus est: Leo quoque edita fidei sinceræ explicatione, quam Romana Ecclesia, & totus Occidens profitebatur, cum ea in Orientem [d] Legatos misit; vt in vnione fidei Oriens cum Occidente consentiret: Sic Hormisda, vt Orienti hæresibus infecto [e] succurreret, replicatas etiam instituit legationes. Sed in hac consuetudine legationes propter negotia fidei expediendi, non est cur putent Episcopi Romani id sibi, tanquam Papis, hoc est vniuersalibus Episcopis, competijsse: quia Synodi etiam id sæpissime præstiterunt; sic enim Episcopi Illyrici in Asiam suos [f] Legatos, pro expurganda fide miserunt; & Britanniæ à Pelagianis infectę, [g] Gallicana Synodus sua legatione occurrit; Præstiterunt idem sæpe aliæ. Cura enim totius Ecclesiæ vniuersalis est omnium Episcoporum, vt toties docui, communis: In Patriarchis tamen, ac præsertim in Romano eadem cura est suo modo magis peculiaris; vt cap. 9. explicaui.

a Socrat. l. 6. c. 12.
b Augustin. ep. 157.
c Prosp. in Chron.
d Leo ep. 93.
e Hormisd. ep. 9. 10. & Indicula post ep. 9.
f Theod. l. 4. cap. 8.
g Baron. tom. 5. an. 429. n. 11.

B

Altera occasio legationum est Conciliorum pleniorum, præsertim generalium congregatio. In his Patriarchæ, ex Ecclesiæ consuetudine, adesse primi debent; siue per se ipsos, siue saltem per suos Legatos. Et ita videmus in Orientalibus Concilijs Oecumenicis, Legatos Romanos sæpius interfuisse: Quid vero potestatis haberent in dictis Concilijs, & an præessent, differam lib. 7. Certè eorum opera eo potissimum semper inseruijt, vt Romanæ Ecclesiæ, & vtplurimum totius Occidentis sententiam explicarent: & eiusdem Ecclesiæ nomine assensum actis, & definitis adijcerent. III.

C

Tertia occasio fuit, necessitas vacantibus Ecclesijs Cathedralibus prouidendi. Itaque Romanus Pont. non vt Papa vniuersalis, sed vt Metropolitanus; aut ad summum, vt Patriarcha suos Legatos, quos Visitatores vocarunt, ad Ecclesias vacantes dirigebat; vt electiones Canonicè faciendas promouerent, & Ecclesiæ illius indemnitatem procurarent. Sed hoc erat munus cuiuscunque Metropolitani in sua Prouincia; vt ostendi lib. 3. cap. 3. num. 45. 57. Atque hæ fuerunt præcipuæ, & ferme solæ occasiones Legatos pro negotijs publicis Ecclesiæ transmittendi. Priuatæ vero etiam necessitates, vt Legati mitterentur, siue ad Imperatores, vt Dominos, siue ad Patriarchas Episcoposue, vt fratres, siue ad laicos, vt filios potuerunt, & solitæ sunt sæpius contingere. Quoties tamen primo illo tempore, Legati à latere Episcopi Romani sunt aliquo transmissi; muneribus Episcoporum, seu Metropolitanorum proprijs, nunquam se immiscuerunt; neque in regimine singularum Ecclesiarum, aut in Ecclesiasticis iudicijs partem vllam habuerunt; aut Episcopos, vel Metro- IV.

D

politanos, aut Patriarchas turbarunt, aut vllam ordinariam iurisdictionem exercuerunt.

Medio tempore, quo iam in iudicandis Episcopis totius mundi Romani Pontifices, Papatum sibi paulatim extruxerunt, cæperunt aut extraordinarios Legatos à latere suo in alienas Prouincias mittere; aut ordinarios in ipsis Prouincijs habere; alicui ex illius Prouinciæ Episcopis, suas vices committentes: & vtrosque cum potestate iudiciaria, & non sine iurisdictione. Eorum totum munus in hoc medio tempore fuit rebus fidei in illa Prouincia superintendere; & obseruare, ne quid ipsa fides detrimenti patiatur; Canonum obseruationi inuigilare; & corrigenda corrigere, & reformare; & iudicia quæ putabantur Romam esse deferenda, leuiora absoluere; grauiora Domino Papæ referre: Vt sic plenitudo potestatis semper in Papa maneret; In Legato verò, non nisi pars Papalis solicitudinis, quoad iudicia Episcoporum, ac Ecclesiarum reformationem remaneret; vt explicaui lib. 2. cap. 5. num. 31. similibus tamen Legatis expressè mandabatur, ne aut Epis- V.

E

coporum, aut Metropolitanorum propria iura inuaderent, & turbarent, vt etiam ostendi lib. 3. cap. 12. num. 8. & seqq. & infernus replicabo.

Et quia, vt dixi, hoc medio tempore morbus iam occupare cæperat Romanam Ecclesiam, quæ vertigine cuiusdam Primatus vniuersalis iam laborabat; ideo Romani Pontifices aliqui huius medij temporis in fidei quidem propagatione erant soliciti, sed quos illi ad prædicandum mittebant, eos legationes pro ipso Pontifice obire dicebant; & suos Legatos vocabant; significantes Romanorum Pontificum proprium munus esse, Euangelium in vniuersum mundum deferre; & quo ipsi per se non possent, seu potius nollent accedere; eo per suos ministros, & Legatos peruenirent. Ordinabant ergo Episcopos, & ad Gentes mittebant, sed eos legatione pro Romano Pontifice fungi asseuerabant; adeo vt VI.

illi

illi Episcopi, non proprio nomine, neque ex proprio officio Christum prædicare dicerentur; sed alieno, tanquam Ministri, officiales, & nuncij Romani Pontificis. Et hoc est, quod iam postremis temporibus aperte profitentur nostri Monarchici; solum Episcopum Romanum esse vniuersalem totius Ecclesiæ & proprium Episcopum; in quo solo, tanquam in proprio subiecto, residеat Ecclesiastica potestas fontaliter; & in ipsis alijs, non nisi deriuatiue ab illo; qui in partem Papalis solicitudinis sint admissi; non in plenitudinem potestatis; & sic Episcopos omnes faciunt Papæ legatos & administros. Quæ tamen est aperta, nulloque modo toleranda falsitas; quia, vt docui lib. 2. cap. 6. Episcopus quisque habet æquè plenam potestatem, iure diuino, atque Romanus. Et Apostoli sancti, sanctique primorum sæculorum Pontifices, nunquam suos legatos illos esse dixerunt, quos ad prædicandum mittebant; sed cooperarios, fratres, & collegas, imò nonnunquam coapostolos. Et cum primum quis factus est Episcopus, ille iam ex proprio suo munere & officio prædicat; vt immediatus solius Christi, non alterius Episcopi cuiuscunque minister. Quæ omnia sunt à me in præcedentibus demonstrata.

VII. Quando ergo audis [a] Gregorium 3. nec non [b] Zachariam, vices suas Bonifacio Germaniæ Apostolo, in prædicando Euangelio committere; ac perpetuo illum nomine legati sui vocare, quem potius Christi solius legatum deberent agnoscere; scias in hoc eos tuisse valetudinarios; & nonnihil iam, licet leuioris ægritudinis Papaticæ contraxisse. Ante illos ego sane non memini me quenquam alium Romanum Pontificem obseruasse, qui suos legatos eos vocarit, quos ad plantandam fidem destinarit. Post illos, in Gregorio tantum 7°. ista lego: [c] Apud antecessores nostros, iuris & consuetudinis erat, charitatiuis legationibus docere viam Domini vniuersas Nationes; corripere in ijs, quæ arguenda erant omnes Reges & Principes; & ad æternam beatitudinem cunctos inuitare legalibus disciplinis.] Sed hæc possunt vtcunque in bono sensu accipi; vt nomine legationis intelligat quancunque missionem; & non eam solam, quæ alterius nomine negotia peragenda accipiat. Quamuis Gregorius septimus, ad postrema potius longe deteriora, quam ad media tempora pertingat.

a Greg. 3. ep. 3. 4
b Zachar. ep. 7
c Greg. 7. l. 2. ep. 75.

VIII. Maior ægritudinis effectus fuit, his medijs temporibus, vbi Romani Pontifices non amplius charitatiuis, vt loquitur Gregorius 7. legationibus, sed potestatiuis, legatos suos vel à latere mittebant in alienas Prouincias; vel in ipsis Prouincijs creabant, & instituebant; qui iudicialiter & cum potestate, & Ecclesias reformarent; & Episcoporum causas criminales, sed leuiores, vice Apostolica iudicarent. Patriarcha sane quique in suo Patriarchatu Ecclesiæ consuetudine, vt docui in præcedentibus, illud muneris habuit, vt esset generalis in toto suo Patriarchatu custos canonum: ita vt licet quisque Episcopus possit pro bono communi totius Ecclesiæ malis occurrere, & errantes corripere; id tamen ex officio peculiari Ecclesiæ placuit, vt Patriarchæ facerent; ac potissimum Romanus, vt docui cap. 9. Quare potuit merito Romanus Pont. legatos in sui Patriarchatus Prouincias mittere; qui inquirerent si quid in Ecclesijs peccari contra canones animaduerterent; & vel ipsi charitatiua monitione corrigerent; vel si non possent, ad ipsum Pontificem referrent; qui pro sua qua pollebat reuerentiali autoritate, docendo, monendo, arguendo, obsecrando, increpando, & Imperatoris etiam subsidiariam potestatem adhibendo, errantes ad canonum obseruantiam reduceret.

IX. Ita Leo cum per suos legatos Episcoporum ordinationes in Africa perperam fieri cognouisset, Africanos Episcopos suis [d] literis & monet, & instituit: sic Symmachus vices suas Arelatensi committit: sed tamen modestiam non excedit; ait enim, se legationem ei confirmare; [e] sic tamen, vt cæterarum Ecclesiarum priuilegia temporibus acquisita non titubent; quia nec potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit iniuriam. Manentibus siquidem his, quæ Patrum constituta singulis Ecclesijs concesserunt; decernimus (inquit) vt circa hæc, quæ in Galliæ Prouincijs, de causa religionis emerserunt, solertia tuæ fraternitatis inuigilet. Et si ratio popoſcerit præsentiam Sacerdotum, seruata consuetudine, vnusquisque tuæ dilectionis admonitus autoritate conueniat: & si, Dei adiutorio, controuersia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus: alioquin existentis negotij qualitas, ad sedem Apostolicam te referente perueniat: vt cunctis ordine suo peractis, vnde inimicus bonitatis sibi blandiatur, locum inuenire non possit. Igitur quemadmodum supra diximus, per singulas Ecclesias, beneficia quæ sunt diu custodita seruentur.]

d Leo ep. 91.
e Apud Baron. tom. 6. an. 514. num. 4.

X. Sic etiam Simplicius, Zenonem Hispalensem Episcopum sedis Apostolicæ Vicarium instituit

A instituit in sua Prouincia, vt Canonum custodiam procuret. Audi Bullas huius legationis, & commissionis. [a] Plurimorum, *inquit*, relatu comperimus dilectionem tuam feruore Spiritus Sancti, ita te Ecclesiæ gubernatorem existere, vt naufragij detrimenta, Deo autore, non sentiat. Talibus idcirco gloriantes iudicijs, congruum duximus Vicaria sedis nostræ te autoritate fulciri, cuius vigore munitus Apostolicæ institutionis decreta, vel sanctorum terminos Patrum, nullo modo transcendi permittas; quoniam digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus diuinus crescere innotuit cultus. Deus te incolumem custodiat frater charissime.] Directionem in his charitatiuam video, & instructionem; potentiam, & Imperium non video.

a *Simpl. Ep. 1.*

Vt tamen Legati Romani ex potestate Prouincias gubernarent, ius dicerent, causas audirent, & definirent, inquirerent in Episcopos, eosque punirent, mandata sedis Apostolicæ publicarent, & personam Papæ repræsentarent, effectus fuit, vt dixi, Papatus iam in parte aliqua vsurpati; & primum quidem modestioris, postea verò semper amplioris. Sic Leo [b] Anastasium Thessalonicensem suum instituit Legatum, eique partem suæ commisit solicitudinis, non plenitudinem potestatis, vt declaraui libro secundo, capite quinto, nu. 27. & seqq. & lib. 3. cap. 12. num. 7. 8. Hormisda verò his verbis suum Legatum facit in Hispaniæ parte Ioannem Tarraconensem; [c] Quia per insinuationem dilectionis tuæ, huius nobis est viæ patefacta prouidentia; remuneramus solicitudinem tuam; & seruatis Priuilegijs Metropolitanorum, vices vobis Apostolicæ sedis eatenus delegamus; vt inspectis istis, siue ea quæ ad Canones pertinent; siue ea quæ à nobis sunt nuper mandata seruentur; siue ea, quæ de Ecclesiasticis causis tuæ reuelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studij, & solicitudinis tuæ, vt talem te in his quæ iniunguntur, exhibeas, vt fidem, integritatemque eius, cuius curam suscipis, imiteris.] Et in Bætica ac Lusitania, Salustium suum Vicarium instituens, ait; [d] Suffragantibus igitur tibi tot meritis, piæ solicitudinis, & laboris, certè iam delectat iniungere, quæ ad nostri curam constat officij pertinere; vt prouincijs tanta longinquitate diiunctis, & nostram postis exhibere personam, & Patrum regulis adhibere custodiam. Vices itaque nostras per Bæticam, Lusitaniamque Prouincias, saluis Priuilegijs quæ Metropolitanis Episcopis decreuit antiquitas, præsenti tibi autoritate committimus; augentes tuam huius participatione Ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, quem iam probauimus cautiùs vniuersa seruare; gratiùs tamen esse solet, si iterum trames ostendatur, & laboris iniunctio superius formata monstretur. Paternas igitur regulas, & decreta à sanctis definita Concilijs omnibus seruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis extendimus. His ea qua dignum est reuerentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum, nec sanctæ obseruationis obstaculum. Ibi fas nefasque præscriptum est, ibi prohibitum ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum quid debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties vniuersalis poscit religionis causa, ad Concilium te cuncti fratres euocantes conueniant: & siquos eorum specialis negotij pulsat contentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina. Quicquid autem illis pro fide, & veteribus constitutis, vel prouida dispositione præcipies, vel personæ nostræ autoritate formabis, totum ad scientiam nostram, instructæ relationis attestatione perueniat, vt noster animus officij charitate dati; & tuus, securitate perfruatur accepti.] Similia scribit [e] Vigilius ad Episcopos Galliæ, instituto suo Vicario Archiepiscopo Arelatensi. Modestiora inquam sunt hæc; quia Metropolitanorum iura seruat Hormisda illibata, & consequenter neque in electionibus, neque in confirmationibus, & ordinationibus Episcoporum, vult suum legatum se ingerere, neque in beneficiorum collationibus; neque in Prouinciæ gubernatione. Et se tanquam speculatorem generalem excubias facere profitetur; & Canonum perfectam obseruantiam plurimum commendat, à quorum obseruatione ipse alienus non erat. Sed tamen vniuersalitatem Papatus, nonnihil ista in reliquis redolent; dum personam suam Hormisda facit vniuersalem, quæ vbique adesse deberet; dum mandata sua, non sine Imperio seruanda inculcat; dum lites inter Episcopos definiri ipsius autoritate præcipit; dum ad se referri omma mandat; & non vt charitatiue tantùm, sed etiam potestatiue ille solus prospiciat.

B C D E

b *Leo Ep. 88.*

c *Hormis. Ep. 59.*

d *Idem Ep. 61.*

e *Apud Baron. to. 7. an. 545. nu. 9. 10.*

XI.

XII.

Gregorius quoque in hac generali charitatiua sanè vt plurimum, sed etiam interdum autoritatiua superintendentia super totam Ecclesiam voluit eminere: in potestate autem iudiciaria, Papatum & ipse non rarò exercuit; & in hoc legationes instituit. Maximo Syracusano huiusmodi dat commissionem: [f] Mandata cælestia efficacius gerimus si nostra cum

f *Greg. l. 2. Ind. 2. Ep. 4.*

fratribus onera partiamur. Proinde super cunctas Siciliæ Ecclesias, reuerendissimum te virum Maximianum fratrem, & Coepiscopum nostrum, vices sedis Apostolicæ ministrare decernimus; vt quisquis illic religionis habitu censetur, fraternitati tuæ ex nostra autoritate subiaceat; quatenus eis non sit necessarium post hæc, pro paruulis ad nos causis, tanta Maris spacia transmeando peruenire: sed si qua fortasse difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ iudicio nequaquam dirimi possint; hæc solummodo nostrum iudicium flagitent; vt subleuati de minimis in causis maioribus efficacius occupemur: Quas videlicet vices non loco, sed personæ tribuimus; quia ex transacta in te vita didicimus, quid etiam de subsequenti tua consecratione præsumamus.] Et de Vicariatu in Gallijs Arelatensi dato, ad Gallicanos Episcopos scribens, hæc habet. A

XIII. [a] Ad hoc Diuinæ dispensationis prouisio gradus diuersos, & ordines constituit esse distinctos; vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent; & potiores minoribus dilectionem impenderent; vna concordiæ fieret ex diuersitate contextio; & recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia vero quæque creatura in vna eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, Cælestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, sunt Archangeli; liquet quod non æquales sunt; sed in potestate & ordine sicut nostis, vnus differt ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt istam costat esse distinctionem, quis hominum abnuat huic se dispositioni libenter submittere, cui nouit etiam Angelos obedire? Hinc etenim Pax & Charitas, mutua se vice complectuntur; & manet firma concordiæ in alterna, & Deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur vnumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit vnus, ad quem possit recurri præpositus: idcirco opportunum esse perspeximus in Ecclesijs, quæ sub Regno præcellentissimi filij nostri Chidelberti Regis sunt, secundum antiquam consuetudinem, fratri nostro Vigilio Arelatensis ciuitatis Episcopo vices nostras tribuere: quatenus & Catholicæ fidei integritas, id est sanctarum quatuor Synodorum, Deo protegente, solicita deuotione seruetur: Et si inter fratres, consacerdotesque nostros aliqua euenerit forte contentio; autoritatis suæ vigore, vicibus nempe sedis Apostolicæ functus, discreta moderatione compescat. Cui etiam iniunximus, vt si quarundam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus, & Coepiscopis nostris; salubriter hoc, seruata æquitate, discutiat & Canonica integritate definiat. Si quam vero contentionem, (quod longe faciat Diuina potentia) de fidei causa euenire contigerit; aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio sedis Apostolicæ indigeat: examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem; quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.] Hæc eadem ad verbum repetit [b] Ioannes 8. Quod vero Gregorius differit de subordinatione Hierarchica ad vnum; non hierarchiam vllam Diuino iure in Ecclesia; sed solo humano & Ecclesiastico institutam, & instituendam considerat. Ac propterea ipse sua autoritate, in tota Sicilia ponit vnum legatum. Sed & illud obseruo, totum negotium Papale, quod suo legato committit, in ijs tantum consistere, vt fidei puritas conseruetur; & pax atque concordia inter Episcopos concilietur; minorisque momenti causæ decidantur in Prouincia; maiores ad sedem Apostolicam referantur. De his causis maioribus, & de iudiciaria potestate, quatenus illa ad sedem Apostolicam extra suam propriam prouinciam, per vniuersas Ecclesias pertinere possit; & dixi aliqua in superioribus; & dicam plura libris 7. & 8. sequentibus. Et exempla nunc posita non sunt extra proprium Episcopi Romani Patriarchatum. B C D

a Idem lib. 4. Ind. 13. ep. 52.

b Io. 8. ep. 95.

XIV. Legationes Gregorij 7. huc adijci possunt, ad quid enim illæ fierent apparebit. Ad Liemarum Bremensem ita scribit: [c] Legatis quippe nostris, Alberto Prænestinensi, & Giraldo Ostiensi Episcopis, quos ad partes illas ad id destinauimus; vt in vnum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, religiosisque Clericis conuocatis, vice, & autoritate nostra fulti; quæ corrigenda essent corrigerent; quæ religioni addenda adderent, pro viribus impedisti: Ad hæc, vt & Concilium fieret prohibuisti: Ab eisdem etiam Romam vocatus, ad institutum terminum, festiuitatem scilicet sancti Andreæ, non venisti.] Et ad Patriarcham Gradensem: [d] Quanquam ex consideratione, *inquit*, creditæ nobis dispensationis debitores simus vniuersis Ecclesijs; speciali tamen cura vobis, & vestris causis astringimur; cum propter singularem quandam cohærentiam, quam ad Sanctam Romanam & Apostolicam habetis Ecclesiam; tum propter vnitatem, quæ nunquam nos, vel quæ apud vos sunt diu E

c Greg. 7 lib. 2. ep. 28.

d Idem lib. 4. ep. 26.

ignorare

A ignorate; vel, quæ nos debemus, & possumus vestræ fraternitati denegare patitur. Quapropter misimus ad vos hunc dilectum filium nostrum Gregorium, & Diaconum Sanctæ Rom. Ecclesiæ, quatenus vna vobiscum de Ecclesiasticis causis, & Christianæ Religionis sacrosanctis institutionibus, quæ necessaria sunt, Deo adiuuante, pertractans; nostra vice, quæ corrigenda sunt corrigat, quæ statuenda constituat, & Ecclesiasticæ libertatis, atque iustitiæ diu, & in multis neglectas rationes, & studia, ad formam Canonicæ & Apostolicæ disciplinæ reducere, & per auxilium diuinæ gratiæ, efficaciter valeat confirmare.] Hæc ille iam Papatu non parum exaltato; sed tamen, sicut & Gregorius Magnus, & alij præcessores, Legatos suos, non solos, sed simul cum Episcopis Prouinciarum, & Synodis, vult negotia Ecclesiastica pertractare. Quanquam melius interdum sapiens ipse Gregorius Magnus, non per Legatos suos, quicquam egit, sed [a] Episcopos ipsos Prouinciæ, ad munus ipsorum proprium peragendum excitauit: & vt corrigenda in Prouincia, iuxta sacros Ca-

a *Greg. lib. 10. ind. 5. ep. 36.*

B nones, ipsi corrigerent admonuit. Quod itaque sana Ecclesia Metropolitanis tribuit, & Synodis Prouincialibus, vt corrigenda corrigant, & dissensiones componant, & iudicia absoluant; id paulatim, vt vides, Romani Pontifices sua esse putantes ad se traxerunt, & per legatos in remotis exercere voluerunt.

Primi temporis legationes illæ piæ, caritatiuæ, & zelo fidei plenæ, occasiones fuerunt medio tempore, ac multo magis postremo; vt & personas Legatorum sibi subijcerent Romani Pontifices, & Prouincias. Ex cura profecto illa, & superintendentia vniuersali, vbi audiebant Romani Pontifices, alicubi etiam in Oriente, Ecclesias turbari, & labefactari; alicui ex pijs & orthodoxis Episcopis illius Regionis, in qua mala inualescerent seriò commendabant negotium occurrendi. Et primi quidem temporis Pontifices, id muneris, ex caritate, sola admonitione, & hortatu præstabant: & sui officij, quo quisque Episcopus pro bono communi Ecclesiæ teneretur, admonebant. Postea verò, erecto Papatu aliquantulum, pias hasce admonitiones, & hortationes dixerunt interdum esse legationum institutiones, & Vicariorum deputationes; & quod illi moniti ex proprio officio præstare debuerunt, id iam illos voluerunt, tanquam sedis Apostolicæ Legatos, & Vicarios efficere; quibus ipsi Romani Pontifices suas vices committerent. Id egò insigniter in Pelagio 1. Primum obseruo, qui Bullas legationis, Episcopo Arelatensi Sepaudo, tales confecit: [b] Maiorum nostrorum, operante Dei misericordia, cupientes inhærere vestigijs; & eorum actus diuino iuuamine in omnibus imitari; caritati tuæ per vniuersam Galliam, S. sedis Apostolicæ, cui diuina gratia præsidemus, vices iniungimus: Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Ecclesiæ Romanæ testantur scrinia, à sanctis Patribus, & decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum; vt illius stabilis Petræ sempiterna soliditas, supra quam Dominus saluator noster propriam fundauit Ecclesiam, à solis ortu vsque ad occasum, primatus sui apicem, successorum suorum autoritate, tam per se, quam per Vicarios

C

b *Apud Baron. tom. 7. an. 556. num. 18.*

D suos firmiter obtineret. Nos autem, sicut dicit B. Apostolus; [c] Non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad nos: nec enim, quasi qui non pertingentes ad vos, superextendimus nos. Sic ergo participata solicitudine, sanctam Dei vniuersalem Ecclesiam nostri, per Dei gratiam rexere maiores. Hinc est quod & nos fraternitati tuæ huiusmodi curas iniungimus; vt sedis nostræ Vicarius institutus, ad instar nostrum in Galliarum partibus, primum Sacerdotis locum obtinens, & quicquid ad gubernationem, vel dispensationem Ecclesiastici status gerendum est, seruatis Patrum regulis, & sedis Apostolicæ constitutis, diuini iudicij consideratione dispenses, talemque te in custodiendis Canonibus sancta conuersatione demonstres, qualem tanti loci decet esse Vicarium.] Pelagius Papatum quidem prætendit

c *2. Cor. 10.*

E errore communi suorum præcessorum, sed modestiorem, dum Canonum inculcat obseruantiam; vt potius speculatoris & superintendentis generalis officium peragat, quam Papæ exorbitantis.

XV.

Deinde obseruo idem etiam, sed minori cum modestia in Martino: is enim, dum in partibus Orientis rem Ecclesiasticam cerneret afflictissimam, ad Ioannem Philadelphiensem per literas recurrit; &, vbi satis erat illum monere & hortari, vt pro suo etiam munere, tanquam Episcopus Catholicus, partium illarum curam susciperet, & Ecclesijs prouideret, legatione illum sua se corroborare & instruere asserit, ita scribens: [d] Caritatem tuam exhortamur, religiosissime frater, nostram isthic vicem implere; id est, in Orientis partibus, in omnibus Ecclesiasticis functionibus, atque officijs; vt in hoc maxime, sicut oportet suscitetes gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem Sacerdotalis dignitatis, & nostræ Apostolicæ

XVI.

d *Martinus ep. 5.*

licæ vicis. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ, ad tollendam omnem hæresim, quæ verbo fidei aduersatur ; & ad omne vitium expugnandum, quod virtuti Diuinæ contrarium sit : vt sic prosperans in Domino, ea quæ desunt corrigas & constituas per omnem ciuitatem earum, quæ sedi tum Hierosolymitanæ, tum Antiochenæ subsunt, Episcopos & Presbyteros & Diaconos : hoc tibi omnimodo facere præcipientibus nobis, ex Apostolica autoritate, quæ data est nobis à Domino per Petrum sanctissimum, & Principem Apostolorum.] Et inferius : Hoc & prius Apostolica hæc sedes fieri præcepit, per memoratum Stephanum, dilectum Coepiscopum nostrum — sed nota ei non fuerunt præcepta demandatæ vicis Apostolicæ huius cathedræ. — Quoniam igitur vt nosti, dilecte frater, in ædificationem magis, quam in destructionem à Domino potestatem accepimus ; studio tibi sit, ea quæ ædificationis sunt operari, dato tibi per nos eius discipulos, Apostolico præcepto & potestate &c.] Et ad Episcopos Hierosolymitanæ Prouinciæ, & Antiochenæ : [a] Secundum potestatem nobis à Domino in gratia datam per sanctum Petrum Apostolorum Principem, Ioanni dilecto fratri nostro Episcopo Philadelphieni. ciuitatis vt locum nostrum in omnibus Ecclesiasticis articulis, in partibus Orientis suppleat ; & creet in omnibus ciuitatibus quæ Antiocheni sedi, quæque Hierosolimitanæ sacerdotaliter subsunt, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos.] Sedes enim Hierosolymitana per obitum Sophronij [b] ab intrusis occupabatur. Antiochenam vero Macedonius Monothelita inuaserat. Inde ordinationes Episcoporum erant perturbatissimæ. Id tamen totum, quod Philadelphienſi committit, poterat ille, simul cum alijs vicinis Episcopis, etiam sine hac Pontificis Romani commissione adimplere, iuxta illud Cypriani : [c] Si quis ex Collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentauerit, subueniant cæteri.] Et cura hac vniuersali vrgeri omnes Episcopos, probaui in præcedentibus ; præsertim lib. 2. c. 7. Atque hoc artificium postremis temporibus extendendi Papatum per huiusmodi prætensas legationes, & Vicariorum institutiones ; maxime inualuisse, ostendam paulo post inferius.

a *Martinus ep. 11.*

b *Ibid.*

c *Cyp. l. 3. ep. 13*

XVII. Facto in hunc modum nomine, non re Vicario, seu legato in Prouincijs remotis ; statim & personam, & Prouinciam sibi subiecit sedes Apostolica. Sic idem Martinus Thessalonicensem Episcopum, cui iam [d] mos erat, vt huiusmodi legatio à Romanis Pontificibus committeretur, ex hoc capite quia legatus erat sedis Apostolicæ, eidem sedi penitus subiectum, & consequenter ad eiusdem sedis iudicium ipsius delicta pertinere, declarauit hoc pacto ad eum scribens : [e] Tuos lapsus per apocrisarios nostros notauimus : rigorem canonis per charitatem omittentes ; teque adhortantes (non tamen præcipientes omnino) tanquam subiecto huic Apostolicæ sedi ; vt huc venias ; teq; canonice expurges.] Et ad finem epistolæ : tantum cognosce iniquitatem tuam. — corrigas etiam quod in sacros canones peccasti : eos enim irritos facere ausus es, qui teipsum per proprias literas non confessus sis. vt subditum huius Apostolicæ sedi Vicarium.] Inter Episcopi Thessalonicensis delicta, illud graue ponit quod noluerit per literas suas, se subditum Apostolicæ sedis, tanquam ipsius Vicarium confiteri. Hinc ergo aliquem ex magnis Episcopis Orientalibus Vicarium suum non sine arte, nomine tenus faciebant Romani Pontifices : inde vero statim, hoc ipso nomine illum sibi subijciebant. Nicolaus vero, non personam solam eiusdem Thessalonicensis ; sed totas & plures Prouincias, quibus ille præerat vt Metropolitanus, sibi subiectas esse voluit ; rogat enim Michaelem Imperatorem, vt iura Ecclesiæ Romanę velit instaurare : [f] Quatenus, *inquit*, vicem, quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit ; videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque nouum, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam Riperensem, Daciamque Mediterraneam, Mysiam, Dardaniam & Preualim, Beato Petro Apostolorum Principi contradicere nullus præsumat.]

d *Leo ep. 88.*

e *Martin. ep. 12*

f *Nicol. ep. 2.*

XVIII. Atq; hoc fuit insigne artificium, quo sibi Romana Ecclesia, Ecclesias multas sensim subiecit. Quamuis etiam non paucæ, similiter ex Orientalibus, Romanæ se Ecclesiæ sponte subdiderint, hæresum occasione. Orthodoxi enim Episcopi qui commode potuerunt, à Constantinopolitano proprio Patriarcha hæretico desciuerunt ; & eo relicto, ipsius; Patriarchali iurisdictione à se excussa ; Romano se Patriarchæ subdiderunt. Nam de Dardania & Illyrico, tempore Hormisdæ, hoc est manifestum, vt vidimus l. 3. cap. 10. nu. 41. Atque hinc etiam non paucas Ecclesias Romana in Oriente est consequuta iure Patriarchali ei subiectas, vbi illę sui Patriarchę illicitam communionem fugientes, ab alio poscerent ordinationes. Quod enim de Dardania & Illyrico expresse fatebatur Hormisda, hoc idem de

alijs

A alijs etiam multis, est omnino asserendum. Vt mirum non sit, si Gregorius Pallium mittat Corinthio Metropolitæ: & alia iura, tum ipse, tum alij exerceant in Ecclesijs Orientis; de quo habes supra lib. 3. cap. 11. num. 31. 32.

Quod porro Martinus expressè legationem esse voluit, vbi re vera non erat nisi admonitio, & adhortatio, vt paulò ante explicabam; id iam nostri Monarchici passim solent sine dubio legationem interpretari; vt inde Papatum Romanum confirment. Accipe exempli gratia, Asianorum Episcoporum resipiscentiam, tempore Simplicij: illi profectò summ supplicem [a] libellum exhibent Acacio Constantinopolitano Patriarchæ, vt ab ipso recipiantur, & obtineant restitutionem. Quid nostri Monarchici? Sed [b] Acacio, *inquit Baronius*, ob rem benè gestam aduersus Basiliscum tyrannum, Simplicius vices suas legauerat.] Hoc est ipsius frequentissimum refugium, vt quæ alij Patriarchæ, aut Episcopi facerent propria B autoritate ordinaria, & nihilominus talia essent, quæ ipsi Monarchici ad solum Papam pertinere autumant; statim confingant in talibus eos tuisse Legatos, & Vicarios Papæ. Sanè quod spectat ad exemplum propositũ Acacij, fallitur, & somniat Baronius illum Papæ vices habuisse. Nam Fœlix paulò post cùm ipsum Acacium magnæ arguat negligentiæ; de ipsius legatione nihil obijcit. Et tamen illam vel maximè obijci debere, ferebat tum opportunitas; [c] Certe, *inquit*, si quod non credimus, dedignaris B. Apostoli victorijs reuerentiam tuis deferre fastuosis affectibus, memor saltem officij, pro fidei integritate Catholicæ, pro paternarum custodia sanctionum pro Synodi Chalcedonensis constitutione seruanda, quæ Nicæni conuentus penitus probat articulos, atque pro eis vbique hostibus comprimendis, sicut Orthodoxorum Vrbis illius imitator Antistitum, constanter exurgere debuisses.] Hic dicendum erat, pro munere legationis sedis Apostolicæ quod gerebas. Sed Gelasium profert Baronius de Acacio ita loquentem; [d] Cur tanto tempore, cum ita gererentur, vel gerenda cognosceret, non ad sedem Apostolicam, à qua sibi curam illarum regionum nouerat delegatam referre maturauit?] Delegatam curam vocat Gelasius, ex eo quod sæpè monitus fuerat Acacius à Romanis Pontificibus, vt quoties in Oriente aliquid turbarum in fide contingere persentisceret, non desisteret statim Romanam sedem facere certiorem; vt videlicet, si ipse per se non posset incommodis satis occurrere, ope sedis Apostolicæ adiutus, facilius remedium adhiberet. Vnde, & idem Gelasius, de eodem Acacio, paulò ante in eadem Epistola dixerat: cur ergo, vel cùm hæc fieri videret Acacius, non sicut sub Basilisco iam fecerat, ad Apostolicam sedem referre curauit; vt si solus ipse non poterat, iunctis cum eadem consilijs, atque tractatibus apud Imperatorem possent, quæ Religioni competerent allegari?] Non ergo autoritate Apostolica Acacius fultus, vt ipsius sedis legatus operabatur; qui non autoritatem, sed opem, & consilium ab ipsa sede Apostolica accipere debebat.

D Alterum quoque ex eodem Baronio exemplum consideremus, quo ipse [e] Hormisdam inducit Epiphanio Constantinopolitano suas vices delegantem. Sed magna est ibi Baronij hallucinatio: siquidem vt ex tota illa Hormisdæ Epistola constat, summa perpetuo ab ipso ponitur inter ipsum, & Epiphanium paritas; vt ex illis patet verbis: Similem enim iam fidei curam gerentes, &c. Et; Ergo par studium solicitudinis assumentes, &c.] Itaque quando postea subdit; Personam meam & in hoc oportet induere: non est sensus; Oportet vt meas vices geras, sed sensus est; Fac tu mecum id, quod tecum fieri velles, si meum locum teneres. Quod Itali dicunt; *Vestiteui delli miei panni.* Cupiebat enim Hormisda, vt qui ad communionem Catholicæ redierant, suis etiam Chirographis suam Catholicam professionem testatam facerent; & ipsa Chirographa, seu libellos, Epiphanius ab eis exigeret, & ad ipsum transmitteret. Et ad hoc nulla legatione opus est. Ridiculus enim sensus est, si diceret Hormisda Epiphanio: Oportet vt meas vices geras, in transmittendis ad me libellis, E professionem Catholicę fidei, eorum qui conuersi sunt, continentes. Optimus tamen sensus est, si dicat; Ne mireris si tibi id oneris iniungo, vt libellis ad me datis confirmes eos, quos in communionem, te autore, recepi. Si enim meam induas personam, id promptè mecum facies, quod tecum fieri summopere cuperes, si meum locum teneres.

Postremis demum temporibus Legationes Romanę, & Nunciaturæ ad auaritiam, ad ambitionem, & ad sola negotia terrena, & temporalia expeditæ sunt, & expediuntur. Legationes sanè ordinariæ Piceni, Romandiolæ, Bononiensis, Ferrariensis, Auinionensis, & si quæ sunt similes, sunt Præturæ prouinciales, vel Præfecturæ, & Proconsulatus; non Ecclesiasticæ pro rebus Ecclesiasticis legationes; vt omnibus reipsa notum est, & manifestum. Nuntij verò Papæ nunc dierum apud Imperatorem, Reges, & Potentatus Christianos, eo-

XIX.

[a] *Euagr. lib. 3 cap. 8. 9.*
[b] *Baron. tom. 6 an. 477. n. 13.*

[c] *Apud Baron. tom. 6. an. 483. num. 22.*

[d] *Gelas. Ep. 11.*

XX.

[e] *Baron. tom. 7. ad num. 30. an. 521. in marg.*

XXI.

dem penitus loco sunt, quo Regum Legati in Curijs Principum sæcularium, pro negocijs nimirum sæcularibus potissimùm tractandis, & indagandis, commorantes. Ac certè, si optimo eos nomine insigniamus, sunt Oratores, sin verò, Exploratores. Ecclesiasticæ verò causæ lucrosæ tantum, sed minores Papalibus Nuncijs relinquuntur; nec ipsæ definitiuè, & vltimate, sed vlterius Romam deferendæ: maiores vero & maioris lucri ipsi Romanæ curiæ reseruantur. Interim vero iura Episcoporum, ac præsertim Metropolitanorum plurimum turbantur; quæ à suis legatis intacta & illæsa vt seruarentur, prisci sancti Pontifices, vt vidimus seueriſsime præcipiebant. Causa enim Prouinciarum, quæ iuxta Sacratiſsimos canones ad Metropolitanum deferri deberent; omissis Metropolitanis, & penitus contemptis ad Legatos & Nuncios deferuntur; quæ est iniuria intolerabilis. A

XXII. De excessibus Romanorum legatorum, eorumque auaritia inexplebili, qua Ecclesias deglubere, & desolare fuerint soliti; tractabo inferius lib. 9. cap. 9. Qui eorum excessus, nimiaque super Ecclesias tyrannis, & aduersus Principes etiam temporales insolentia, vel magnas Prouincias à Romanæ Ecclesiæ subiectione abalianaueruntt; &, vt se illæ subtraherent effecerunt; vt de Bulgaria est manifestum; quam ad reditum dum hortatur Ioannes 8. reum confitentem agens, ait: [a] Et ecce parati sumus, vt vos lucrifaciamus, quicquid legatorum nostrorum offuscatione nuper offensum, ad purum corrigere, &c.] Imo etiam ipsos Principes Christianos induxerunt, vt Romanos legatos accessu ad ipsorum Regna & ditiones penitus aliquando prohibuerint. Testis sit Monarchia Sicula; quæ legatos Romanos non admittit; iuxta diploma Vrbani 2. Testis Gallia, quæ eos certis officij cancellis circumscribit. Testis Anglia, quæ quo à Romanæ Curiæ conspectu remotior, eo Romanæ Ecclesiæ olim addictior: eius tamen Reges legatos Romanos in suum Regnum admittere recusarunt: Sed de his ago pluribus lib. 6. cap. 8. B

[a] Io. 8. ep. 174.

XXIII. Quid hic faciet infelix astutia? Vbi prius sancti Pontifices Romani ex cura illa generali, & superintendentia charitatiua, quam eis merito iam tribuimus, sup. cap. 9. sui officij Episcopos remotiores, ac præsertim Metropolitanos admonebant; vt quæ ipsorum muneris essent, si interdum eos videret remissiores, promptius exequerentur; id iam postremi temporis nostri Papæ ad vim legationis conuerterunt; vt sic se Ecclesiæ vniuersalis facerent proprios gubernatores; & Episcopos haberent pro ministris tantum suis, & Vicarijs. Et hoc ita esse inter alios sæpius apertis verbis Innocentius 3. asseuerauit. In prima enim Epistola, quam ad vniuersitatem scripsit Episcoporum, suam promotionem manifestans, se solum vniuersalem Episcopum agnoscit, & alios Episcopos suos coadiutores: [b] Vniuersitatem, *inquit*, vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino quatenus insufficientiam nostram, vestris orationibus apud Dominum adiuuetis, & circa commissam nobis Dominici gregis custodiam, diligenter & vtiliter vigilantes, defectum nostrum humiliter supplere velitis; & iniunctam nobis Ecclesiastici oneris grauitatem vigilanti studio comportare.] *Item*: [c] Licet, *inquit*, commissa nobis à Domino potestatis Ecclesiasticæ plenitudo, vniuersis Christi fidelibus nos constituerit debitores; statum tamen & ordinem conditionis humanæ non possumus ampliare: quia iuxta Verbum Dominicum, ad staturam nostram nec cubitum vnum valemus adijcere, vel simul in diuersis locis existere: In vnius tamen corporis vnitate, vel ad remota quælibet in ictu oculi transuolare possumus; & cum Abacuch, exuli Danieli, depositio in lacu leonum per nos ipsos cibi consolationem afferre, ac messoribus nihilominus ministrare. Quia vero lex id humanæ conditionis non patitur; nec possumus in persona propria gerere solicitudines vniuersas, interdum per fratres nostros, qui sunt membra corporis nostri, ea cogimur exercere, quæ si commoditas Ecclesiæ sustineret, personaliter libentius impleremus.] *Item*: [d] Sic Apostolica sedes inter fratres, & Coepiscopos nostros pastoralis dispensauit oneris grauitatem; sic eos in creditæ sibi solicitudinis partem assumpsit, vt nihil sibi subtraheret de plenitudine potestatis.] *Item*: [e] Cum nobis, licet immeritis in specula sedis Apostolicæ constitutis, omniũ Ecclesiarum sit generalis cura commissa; nos attente conuenit, ac solicite prouidere, vt per studium nostræ solicitudinis in statu debito valeat conseruari. Et quoniam vbique præsentia corporali adesse non possumus, per fratres & Coepiscopos nostros, qui sunt in partem solicitudinis euocati, ad rectum ordinem reduci volumus, quæ in eis inordinate fuerint attentata, & in statum congruum reformari.] *Item*: [f] Potestatis Apostolicæ plenitudo longe lateque diffusa, licet vbique præsens potentialiter habeatur; tamen quia ea quæ ad tantum officium pertinent, per se, prout singulis expediret, non valet præsentialiter exercere; tam vos, quam alios Ministros Ecclesiarum in partem solicitudinis aduocauit; vt sic tanti onus officij per subsidiarias C D E

[b] Innoc. 3. l. 1. ep. 1.

[c] Ibid. ep. 345.

[d] Ibid. ep. 350.

[e] Ibid. ep. 445.

[f] Ibid. ep. 496.

A subsidiarias actiones commodius supportetur.]

Sic ille falsa opinione vel imbutus, vel alios imbuere satagens, non modo cum magna potestate Legatos à suo latere sæpe instituebat, qui ipsius Monarchiam supremam, in totam Ecclesiam, hinc, inde, subinde exercerent; [a] corrigenda (vt ipse loquitur) corrigerent; destruerent & euellerent superflua, & nociua; ædificarent, & plantarent; atque hoc ipsius nomine, ipsiusque sedis Apostolicæ autoritate: Sed etiam miro artificio Episcopis, ac præsertim Metropolitanis ea peragenda iniungebat, quæ ipsi ex proprio munere, propriaque autoritate peragere & poterant, & debebant; indeque eos suos Legatos, & Vicarios vocabat & faciebat; & ad hoc eis Apostolicam autoritatem se concedere asserebat: Vt hoc pacto ordinariam Episcoporum potestatem & propriam callide suffuraretur, ac eius loco quasi dono suo extraordinariam illis faceret, & à se delegatam. Insignem locum habes, vbi sic loquitur ad Episcopum Magdeburgensem, scribens: [b] Tibi solicitudo imminet specialis, vt per tuam diligentiam Ecclesiæ ipsæ, prout conuenit, ordinentur, & ritè singulis ordinatis, in eis diuini cultus obsequia celebrentur. Nos igitur in his, in quibus cum Deo possumus, tibi fauorem Apostolicum impertiri volentes, vt officium tibi commissum valeas liberius exercere, tibi autoritate præsentium liberam concedimus facultatem, vt prælationes, dignitates, præbendas, & cætera beneficia Ecclesiarum illarum, quæ sunt tibi Metropolitico iure subiectæ, appellatione cessante, valeas idoneis conferre personis; si iuxta constitutionem Lateranensis Concilij, illi ad quos pertinent, ad commonitionem tuam ea neglexerint ordinare. Tibi præterea pagina præsenti concedimus, vt Prælatos tuæ iurisdictioni subiectos per censuram Ecclesiasticam autoritate nostra, præuia ratione compellas ad consueta & debita tibi obsequia exhibenda.] Hæc tamen omnia esse maximè propria iura Metropolitanorum, docui lib. 3. præcedenti, cap. 8. num. 12. & cap. 9. num. 8. & docebo libro nono capite octauo, neque illis quicquam addit in his autoritas Apostolica. Vbi nunc sunt illi, qui negabant Papam nostrum se facere Episcopum Oecumenicum, in malo sensu, quo videlicet ipse solus sit totius mundi Episcopus Ecclesiæ vniuersæ proprius; reliqui verò Episcopi sint ipsius coadiutores duntaxat, & administri, qui pro ipso tantummodo suppleant? An Innocentius his locis relinquit partes integras, hoc est Episcopos omnes cum plena ipsorum propria potestate? Certè expressissimè Episcopos omnes suos facit meros Vicarios, & simplices coadiutores.

XXIV.

a *Idem lib. 1. ep. 193. 527. 567. & lib. 2. ep. 204.*

b *Idem l. 2. ep. 10.*

B

C

Ex eadem fraudis officina prodierunt Papales illæ blanditiæ, quibus Primates, vt olim Thessalonicensem, ita postea Cantuariensem, Lugdunensem, Toletanum, & alios, quos iure Primatiali apud suos pollere viderant, sub specioso Legationis titulo in nassam Romanam pellexerunt. Cum enim eos iure proprio, ac ordinario multa exercere animaduerterent, quæ à Romanis Pontificibus quasi peculiaria subinde arrogabantur, Legatorum nomen ijs induerunt, eorumque non ex incidenti occasione dimissorum, sed perpetuorum, & immutabilium, ac indè eos, non factos, sed NATOS LEGATOS indigitarunt; quasi ab alijs nulla alia ratione distantes, nisi quòd his voluntaria & reuocabilis; illis natiua, & quasi hæreditaria potestas esset Papæ Romani Vicariam iurisdictionem exercendi. Atque hanc Legati titularis pompam vmbratilem hi Primates libenter arripuerunt, vt propter Romanæ Ecclesiæ reuerentiam maiori apud suos honore, quasique maiestate fruerentur, ac facilius supra alios vicinos Metropolitanos, forte æmulos, se eueherent. Ita aduentitiæ, & accumulatæ dignitatis conferendæ prætextu Patriarcha Occidentalis omnem Metropoliticam, & Primatialem potestatem miro artificio deprimebat, ac Romano solio subiugabat.

XXV.

D

Sed de Sancta nostra Matre Romana Ecclesia, cui quartum hunc librum peculio dicaui, satis: imò fortè, nisi dono hoc nostro candidè vtatur, fruaturque, nimis. Quanquam & non petentibus, ac aliquando inuitis danda beneficia suadet humanitas, iuberque etiam reluctantibus, ac maledicentibus, imò malum bono reddentibus prodesse caritas. Nec certè officiosi medici est tantùm volentes, roganteque medela suâ subleuare. Male-sanis, licet respuentibus, sæpiusculè ingerenda medicamenta: Lethargici dormitantes, strepitumque omnem abominantes, eo impensiùs sunt expergefaciendi: Phrenetici, etiam recalcitrantes, vinculis repaguliſque cohibendi. Filiam Syon ægrotantem, torpentem, furentem compescere, excitare, sanare nisi cuperem, ac pro virili satagerem, ipse profectò dignus sim, qui morbo lethali simul peream, eisdem sciens ac volens agitatus torporis, furorisque intemperijs.

XXVI.

E

Pars sanitatis velle sanari fuit.

Iamque

XXVII.

IAmque, ne quis censor nostram curandi methodum reprehendat, ac me putet ad antidotum hoc conflandum temerè, ac sine delectu quasuis obuias decerpsisse herbulas, ac simul occultandas contriuisse; ea omnia simplicia medicamenta, quæ per quatuor hosce horti nostri puluillos dispositа collegi, placet hic breuissimè sub vno oculorum obtutu repræsentare. Suo itaque agmine & ordine denuò in tuam (Christiane Lector) gratiam, non dedignabuntur in conspectum prodire; Primò ille, qui omnium primus est, ac vltimus, Lib. 1. « simul & », (operis mei dux, & iudex) Deus-homo Iesus Christus: Hunc ego præsentem scio, ac pono, hunc inter absentes neutiquam deputandum clamo, hunc verum, solum, ac [a] præsens Ecclesiæ caput, quod in actuali semper perseueret regimine, statuo. Deinde prodeunt, qui sub Ducis sui vexillo militant, Sanctissimi Apostoli. Officij sui vim ac tesseram ostendunt, se non modo Duci, sed & exercitui inseruire, munus se non aliud, nisi merum [b] ministeriale præconum, testium, vigilum, excubitorum, monitorum, adeptos profitentur. Se omnes officio ac potestate [c] pares, sibi totam Ecclesiæ cohortem ex æquo commissam. Se singulos eodem iure Magni Imperatoris locum tenere, parilemque [d] Vicariatus facultatem. [e] Antesignanum suum quibusdam ornatum priuilegijs se agnoscere, quod ætate prouectior, quòd prior in militiam adscitus, quod in Dominum amore reliquis ardentior. Inde ordine ac numero primum; nullam tamen in consortes duodecemuiros (quorum nonnulli suis etiam haud minoribus prærogatiuis pollebant) assequutum esse autoritatem, aut exortem potestatem. Neque huiusmodi Dictaturam [f] aut ipsum, aut eorum quenquam alium vnquam exercuisse, aut sibi arrogasse; neque se, cum prorsus eiusdem stationis commilitones essent, tale imperium eidem detulisse, aut à summo Rege datum meminisse. Cuius ore sacro prolata, chartisque æternis consignata tria illa diplomata examinantur, ac in eorum nullo vllam latere posse iurisdictionis concessionem ostenditur. [g] Non in illo encomio, Tu es Petrus &c. [h] Non in ea promissione, Tibi dabo claues. [i] Non denique in ea præceptione; Pasce oues meas. [k] Neque vero ex pulcherrima ac splendidissima illa multiplicium priuilegiorum corolla, potest sacrum vllum diadema contexi, quo Centuriones reliquos terreat, aut imperijs regat. [l] Posteri militiæ Christianæ duces, pugilesque maximi, Orientis, Occidentis, qui in hanc Petri antesignani absolutam potestatem visi inclinasse, producuntur, explicantur, contra sentire demonstantur. [m] Tandem vniuersum toto orbe diffusum Ecclesiæ exercitum non ab vnico homine ductore pendere, sed in plures dispertitum legiones suis subesse Chiliarchis, adeoque non Monarchicè, sed quasi Aristocraticè & aliquatenus Democraticè regi, certis probatur argumentis.

Lib. 1.
a Cap. 1.
b Cap. 2.
c Cap. 3.
d Cap. 4.
e Cap. 5.
f Cap. 11.
g Cap. 6.
h Cap. 7.
i Cap. 8.
k Cap. 9.
l Cap. 10.
m Cap. 12.

XXVIII.

Deinde in theatrum prodeunt Apostolicæ dignitatis suppares Episcopi. Hi omnes (vtcunque vni attollendo passim hodie deprimantur ac conculcentur) [a] omnes in solidum, & non vnus, Apostolorum sunt veri & pleni successores; omnes Apostolica munia exercent ordinaria. [b] Omnes potestatem suam iure diuino adepti ex immediata Christi institutione, non Papali concessione, vel communicatione sortiti. [c] Omnes ex æquo Christi Vicarij; adeoque iure diuino inter se prorsus pares. Nec mirum: cum [d] Apostoli ipsi fuerint Episcopi, à Christo ipso, non à Petro, instituti. Quorum in locum recta missione legitime succeditur. [e] Episcopi itaque ab Episcopis mittendi, ac ordinandi: nec ad hoc vnius summi Episcopi commissio requiritur. [f] Eorum singulorum potestas habitualis per totam spargitur Ecclesiam Catholicam, actualis loco arctatur, ita tamen vt vbi Ecclesiæ Catholicæ necessitas postulat, etiam ipsa actualis ad alias particulares Ecclesias cura transuolare possit, ac debeat. [g] Episcopi Presbyteris præsunt, ac ab ijs ex ipsa institutione distinguuntur. [h] Presbyteri ita Episcopis subsunt, vt eorum collegium Episcopo suo, consiliariorum loco, adiungatur. Sacrorum Ministrorum ordinatio, licet sacris vestiatur ceremonijs, [i] Sacramentum tamen non est: [k] nec necessarium poscit cœlibatum: vtpote cui [l] continentiæ votum non est annexum, neque, si esset, irrita reddit post huiusmodi votum matrimonia. Sacris Ministris [m] Monachi adeo non sunt annumerandi, vt manentes Monachi non possint esse simul Clerici.

Lib. 2.
a Cap. 1.
b Cap. 5.
c Cap. 6.
d Cap. 2.
e Cap. 8.
f Cap. 7.
g Cap. 3.
h Cap. 9.
i Cap. 4.
k Cap. 10.
l Cap. 11.
m Cap. 12.

XXIX.

Tertiò cum apparatu suo hierarchico ijdem incedunt; eiusque vim, graduſque exprimunt. Ita tamen, vt fateantur [a] non iure diuino, sed [b] sola institutione Ecclesiastica inductam inter Episcopos subordinationem, prælationemque certis affixam locis, propter vel sedium Apostolicarum reuerentiam, vel Vrbium insigniorum maiestatem. Episcopus quis eligendus?

Lib. 3.
a Cap. 1.
b Cap. 2.

A eligendus? [c] Clericus, & natiuus, ac, si commodè fieri possit, ex eadem Ecclesia. Per quos? Antiquo ritu, [d] per Clerum, ac populum; electione per Metropolitanum confirmanda. [e] Ab illo, alijs assistentibus, consecrandus (non à Papa, cui nec homagium iuramento coactum debet.) [f] Vinculum cum Ecclesia sua contrahit, sed inconsulto Papâ solubile, ita vt ex graui causa possint Episcoporum translationes fieri. Hierarchica prælatio partim est Archiepiscopalis. Inde Metropolitanus [g] in Suffraganeos Episcopos ordinariam habet ex iure Ecclesiastico potestatem: [h] In Suffraganeorum autem subditos ex deuolutione, appellatione, aut proprij Episcopi negligentia; alias vix vllam, [i] nisi circa minutiora quædam, quorum per prouinciam dispositio spectat ad Metropolitam. Suprema tandem supereminentia Hierarchica est Patriarchalis, [k] cuius sedes non omnes Apostolicæ; ipsorum Patriarcharum numerum, ordinem, ordinationem, æqualitatem, potestatem, ac mutuum se

B inuicem errantes corripiendi officium descripsimus. Inde [l] pallij Archiepiscopalis, à Patriarcha mittendi antiquitatem, significationem, vsumque examinauimus. His subiunximus [m] tetram illam, quæ Ecclesiam iandiu inuasit, huius Hierarchiæ laudabilis violationem, ac antiquorum institutorum turbationem, circa Episcoporum electiones, confirmationes, consecrationes, & id genus alia. Confusionis huiusce amaras radices effodimus, Auaritiam, & Ambitionem.

Quartò demum in scenam, sed laruâ detractâ, protruditur Romana Ecclesia. Quam, illito fuco, nostrates [a] fixam esse Petri Cathedram, ac eius Episcopum esse Petri [b] peculiarem Successorem frustra iactitant. Eam nos esse vnam inter reliquas [c] particularem, nec posse eius Episcopum, aut quemuis alium esse [d] vniuersalis Ecclesiæ caput, demonstrauimus. Vtrique tamen, & [e] Ecclesiæ, & [f] Episcopo suas libenter concedimus prærogatiuas: sed ita, vt Romanæ ad latus assideat Soror [g] Constantinopolitana. Eius Ecclesiæ Clerum, id est

C [h] Cardinales, ad veram reduximus originem. Eius Pontificis [i] electionem, ordinationemque communibus Ecclesiæ Legibus subiecimus: ac inde schismatum Papalium fontes aut obturauimus, aut monstrauimus. [k] Legatos descripsimus antiquos, explosimus nouos. Denique Papatum ipsum [l] apparenti, & veterum nominibus fulgente personâ iudutum denudauimus: ac [m] solidis veterum insultibus, teliscque demoliti expugnauimus, & in rem malam, vnde ortus est, redire iussimus. Ita tandem in sacrum hoc bellum primas nostras copias produximus, ac currum hunc quadrijugum (cuius quatuor rotas, rotarumque singularum radios duodenos concinnauimus) in campi æquor, fauente, & aspirante exercituum Deo, fœliciter propulimus.

XXX.

LIB. 4.

a Cap. 1.
b Cap. 6.
c Cap. 2.
d Cap. 7.
e Cap. 3.
f Cap. 9.
g Cap. 4.
h Cap. 5.
i Cap. 11.
k Cap. 12.
l Cap. 10.
m Cap. 8.

D *SVpereſt, vt ad te, Chriſte Redemptor noſter, omnis boni autor, inſpirator, perfector, humillima prece conuerſus, dicam;* [a] *Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia illa magna; non ex meo ingenio, vt tu ipſe Domine teſtis es; tua, non mea, verba annunciaui; & adhuc labia mea non prohibebo: quæ, vt olim labia* [b] *Aſinæ Balaam, tuâ ſolius mota virtute ſunt proloquuta.* [c] *Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi: Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à Concilio multo. Si quid ex mea ſtultitia protulerim, ſiquas* [d] *fabulationes, & non vt lex tua, narrauerim, eæ pereant omnes, & in perpetuum aboleantur; tua autem verba maneant in æternum;*

E [e] *Cœlum & terra tranſeant, illa autem non tranſeant, ſed recipiantur in terra* [f] *bona, quam tu, Domine, viuifico ſpiritu tuo bonam facias, & frugiferam; ſine quo arida eſt, & infœcunda; & fructum afferant in patientia. Quod in me fuit, conatus ſum; decem tuæ veritatis gloriæque tubas conflaui, earum quatuor iam clanxerunt. Munus meum iam in hac prima parte abſolui; parui tibi; quæ iuſſiſti, quæ voluiſti, quæ aperuiſti non reticui. Tu verò Domine, quæ tua ſumma gratia cœpiſti, abſoluas miſericors, & perficias;* [g] *ne longe facias miſerationes tuas. Fruſtra hæc omnia annunciaui, niſi tu ipſe corda moueas lectorum, & audientium, oculos illumines, aperias aures, duritiem emollias, miſerationibuſque tuis eorum mentes illuſtres.* [h] *Gallus quidem*

a Pſ. 39.
b Num. 22.
c Pſ. 39.
d Pſ. 118.
e Matth. 24.
f Matth. 13.
g Pſ. 39.
h Matth. 26.

quidem poterat & bis, et ter sui cantus vocem edere: sed incassum, nisi tu oculis clementiæ tuæ Petrum respexisses. Iisdem clementiæ, ac miserationis oculis, precor, iam tandem respicias Pontificem hodiernum Petri titulis conspicuum; sedenti in Vrbe Domina, vbi ob oculos sita est Petri Memoria, in memoriam reducas exemplum Petri: vt perniciem toti Ecclesiæ ex vano Papatu, & per ipsum, & per ipsius plurimos præcessores, (quorum ille fortasse nescius & imprudens terit vestigia) illatam fleat amarè, indeque ipse primus veritatis factus propalator, deposita vanitate, abiectisque usurpationibus, & cupiat, & conetur serio delapsa ac diruta Sionis mœnia restaurare; ac promoueat Ecclesiæ sanctæ vnitatem; vt omnes simus vnum in te, sicut tu cum Patre, & Spiritu Sancto vnus es Deus: cui sit laus, gloria, et imperium per totam æternitatem.

AMEN.

A

B

FINIS.

DE CARDINALIVM LEGITIMA CREATIONE TRACTATVS

R. D. Dominici Veneti, Episcopi* Torcellani, omnium liberalium Artium, ac Sacræ Theologiæ Magistri:

Ad sanctiss. Patrem, & D. D. CALISTVM iij. Papam:

* Fuit is postea Episcopus Brixien.

Nunc primum Impressione editus; ex Codice manuscripto originali MARCI ANT. de DOM. Archiepiscopi Spal. *in fine Operis eiusdem Dominici M. S.*

De Potestate Papæ, & termino, per concordantias Theologiæ, ac Iuris Canonici.

1. GRatiâ collationis, & inquisitionis veritatis pono infrascriptam conclusionem; non tanquam necessariam eam substituendo, sed responsionem infrascriptorum à melius intelligentibus requirendo: si quis sentire se putat, ad infrascripta respondeat.

2. Si Papa creare temptet Cardinales contra voluntatem maioris partis Collegij Cardinalium; ipsis reclamantibus, & non acceptantibus eos, quod illi non erunt veri Cardinales, si pronuncientur, nec pro Cardinalibus habendi.

3. Ad hanc conclusionem probandam non innitor multis medijs, quibus vbique solent Pontificis potestatem restringere. Et primo, quod sine eis ardua non debent decidi à Papa, qui sunt in quasi possessione, vt sine eorum consilio ardua non decidantur, vt dicit Io. Mo. in c. Super eo. de hæret. lib. 6. Et talis possessio videtur de iure posse defendi per tex. in c. Per venerabilem. qui fil. sint legit. vers. Rationibus. Per quem tex. videtur ex autoritate diuina dari norma Papæ, vt requirat eos qui Sacerdotibus Leuitici generis successerunt: qui intelliguntur esse Cardinales, coadiutores Romani Pontificis in executione Sacerdotalis officij, & eius consultores, vt patet per c. Fundamenta. de Elec. lib. 6. Creatio autem Cardinalium est de maximè arduis, vt patet; quia simul cum Papa vniuersalem Ecclesiam administrant.

4. Non innitor alteri fundamento quorundam: Si posset pro libito creare Cardinales, posset facere iuuenculos, & inexpertos, & illiteratos, & inhonestos, ac viles homines; & sic decoloraret statum Ecclesiæ vniuersalis. Quia Cardinales prius sunt vniuersalis Ecclesiæ Cardinales, quam Romanæ, vt infra declarabitur; & repræsentant quasi vniuersalem Ecclesiam aliquo modo, vt etiam declarabitur. Ideo deformatio Collegij est quasi deformatio, & decoloratio Ecclesiæ, quod Papa non potest. 1. quæst. 7. Et si illa.

5. Non innitor alteri fundamento, quod decretum Concilij Constantiensis, & Basileensis super hoc ipso, de creatione Cardinalium, per Martinum, & Eugenium receptum, concernit decorem vniuersalis Ecclesiæ. Quia administrantium eam, scilicet Cardinalium, & contra ea, quæ faciunt talem decorem, non potest Papa; siue contra statutum vniuersalem statum Ecclesiæ concernens: quia Rectores vniuersalis Ecclesiæ, qui scilicet cum Papa ipsam regunt, & administrant. Pro quo faciunt dicta multorum doctorum, quæ eliciuntur ex tex. iuncta glo. in c. quæ ad perpetuam. 25. quæst. 1. Quod quæ sunt ordinata ad perpetuam vtilitatem, & ad commune bonum, non trahantur ad priuatum commodum. Et sic decreta Conciliorum de ordinatione Cardinalium non infringantur, propter priuatas affectiones, & commoditates: & c. Sunt quidam. & c. Contra statuta, cum similibus. Ex quibus elici possunt, quæ dicit Speculator, in ti. de Legat. sub. 60. dis. dispensatione, § Nunc breuiter: vbi ponit plures casus, in quibus Papa dispensare non potest. Et inter cæteros dicit, quod contra vniuersalem

ſtatum Eccleſiæ,vel vbi decoloratur ſtatus Eccleſiæ,& contra ea quę patres bene definierunt.Nec obuiat Oſtien.in c.propoſuit.de conceſ.præben.quod contra vniuerſalem ſtatũ poteſt diſpenſare,quia dicit,Niſi veniat contra ſalutem animarum.Euenit autẽ contra ſalutẽ pro particulari affectione, vel inconſulta opinione agere contra ſtatutum generalis Concilij concernentis gubernationem Eccleſię vniuerſalis.Pro quo facit dictum eius de Cardinalis priuatione;quod requiratur in c. ex geſtis. de Cler.non reſi. Quia ſi in priuatione vnius,multo magis in reuocatione decreti quod tangit omnes,quo ad creationem eorum. Et Inno.in cap.Quanto. de conſuet. quod non eſt obediendum Papæ, nec ſubſtinendum eſt, ſi ſine cauſa legitima, & alijs nota venit contra vniuerſalem ſtatum Eccleſiæ :Et ad idem quod no: in. cap. Cum ad monaſterium.de ſtatu regularium , & ipſi reſiſtendum eſt, vt etiam no : in.cap. Inquiſitioni. de ſententia excommunicatonis: Quando ex facto vel præcepto ſuo oritur ſcandalum, vel magnum malum. Quid autem magis turbat Eccleſiæ ſtatum : Quid magis ſcandalizat , quam frangere bene geſta.& definita in Concilijs vniuerſalibus decorem Eccleſiæ concernentia,& vniuerſalem adminiſtrationem eius? Ad hoc facit quod dicit Archi.in.cap.porro.67.diſ.& glo.in.cap. per principalem. 9. q.3.& 8.q.1. ſuper §. His omnibus. A

6 Non innitor etiam illi fundamento ſumpto ex Decreto Concilij Conſtantienſis , & à Martino quinto , & Eugenio quarto ſuſcepto; quod quilibet etiam ſi Papalis dignitatis exiſtat , tenetur obedire Concilio generali ; & per conſequens decretis eius in his quę pertinent ad fidem ,& extirpationem hęreſis, & reformationem, tam in capite, quam in membris. Illud autem Decretum de creatione Cardinalium cum conſenſu maioris partis, continet talem reformationem,vt patet. B

7 Non etiam innitor fundamento illi,quod ſicut patet ex promiſſione Bonifacij,quę introducta eſt. Papa promittit cum Cardinalibus, & conſilio eorum adminiſtrare , & regere Eccleſiam &c. Et ſecundum ius diuinum non poteſt contra illam venire in recta conſcientia. Vnde apud Eccleſiam triumphantem quod ſic facit non tenet , tanquam veniens contra promiſſionem ſuam ſine cauſa rationabili. Et confirmatur, quia & Petrus conſilio Apoſtolorum gerebat omnia , vt dicit Chryſoſtomus ſuper actus Apoſtolorum; qui erat plenus Spiritu Sancto.

8 His omiſſis quibus forte reſponderi poſſet, alteri innitor fundamento,prẽmittendo 12. propoſitiones. Prima eſt quod illi dicuntur Cardinales S Romanæ Eccleſiæ,qui ſunt ipſius vel vniuerſalis Eccleſiæ clerici, ad eligendum maximum Pontificem, & eius conſilium deputati. Hoc patet,quia licet alias ſub nomine creati fuerint ad ſepulturam corporum per Pontianum Papam;vel ad baptizandum,per Sylueſtrum,vt alij dicunt : tamen nunc prædictum eſt eorum officium, ex Pontificum inſtitutione , & Eccleſiæ approbatione,ſeu receptione,& conſenſu,vt patet Diſt.23.In nomine Domini.& de Eccl. licet & eo tit. Fundamenta.li.6. C

9. Secunda propoſitio, Quod non ſufficit ad Cardinalatum, vt quis ex officio poſsit conſulere Papæ, ſed etiam vt vacante ſede poſsit eligere ;id eſt in electione vorum ſuum dare,alio impedimento ceſſante; puta ægritudinis perſonæ , vel diſtantiæ , vel huiuſmodi: Hæc propoſitio patet; Quia cum iſtæ dignitates in Eccleſia non ſint , niſi ſpirituales poteſtates, poteſtates autem diſtinguuntur , & cognoſcuntur per actus ſuos,vt dicit Philoſophus 2. de anima. Cum non poſſit habere omnes actus ſibi debitos, ſequitur vt iſta non ſit ſpiritualis poteſtas in genere ſuo. Si ergo quis ex officio eligere non poteſt, Cardinalis non eſt. Præterea cum iſti actus,ſcilicet eligendi,& conſulendi,ſiue aſſiſtendi, non ſint ęque perfecti, ſed vnus principalis, & alius ſecundarius ; ratione principalis, actus poteſtas iudicanda eſt ; ſicut dicunt Theologi de poteſtate Sacerdotis, quod poteſt conficere Corpus Chriſti,ac miniſtrare alijs; poteſt etiam abſoluere à peccatis. Sed prima poteſtas eſt perfectior ſecunda ; quia eſt diſpoſitio ad illam ſecundam. Et ſimiliter Diaconus poteſt miniſtrare Sanguinem Chriſti , & legere Euangelium, & vna poteſtas eſt perfectior alia. Nemo autem diceret quod conſulere Papæ ſit nobilior actus , quam eligere Papam. Hic enim terminatur ad ſingulares actus Papæ, vt bene facti ſint ; Hic autem actus, ſcilicet Electio,ad totam vitam Papæ, & per conſequens ad omnes actus eius. D

10 Tertia propoſitio , Quod Papa, ſiue Pontifex ſummus eſt Paſtor, ſiue Epiſcopus, & Romanæ & Vniuerſalis Eccleſiæ. Sed quod ſit paſtor Vniuerſalis Eccleſiæ,hoc prius ordine , & quodammodo natura ei conuenit,quam quod ſit paſtor Romanæ Eccleſiæ. Hæc propoſitio patet ; quia Petrus prius fuit Vniuerſalis Eccleſiæ paſtor, quam Romanæ , Dicente Domino ipſi ; Paſce oues meas , non diſtinguendo inter has & illas, quam ſedem ſuam in Anthiochia poneret,vel Romam eam transferret. Ita ſucceſſori ſuo competit vt ſuccedat ei , per prius ſecundum naturam huius rei in pontificatu vniuerſalis Eccleſiæ,quàm in pontificatu Romanæ.

11 Quarta propoſitio, Quod ad Eccleſiam vniuerſalem pertinet eligere Papam, in quantum eſt Paſtor Vniuerſalis Eccleſiæ:Et ad Romanam Eccleſiam pertinet ipſum eligere, in quantum eſt paſtor ipſius Romanæ Eccleſiæ , eſt hoc ex iure naturali, & diuerſo. Hæc propoſitio probatur , quia cum Petrus fuerit inſtitutus immediate à Chriſto Vniuerſalis Eccleſiæ paſtor,ipſo dicente : Paſce oues meas, et de alio,hoc non habetur , & cum Eccleſia capite & paſtore non careat, oportet dicere,vt alij ſucceſſerint, & ſuccedant. Sed ſucceſſionis modi legitimi duo ſunt, ſcilicet per carnalem generationem, & per electionem; Cum Dominus non expreſſerit primum modum,qui Eccleſiæ ſuæ ſufficientia præcepta reginiinis dedit ; ſequitur vt reliquerit in poteſtate Eccleſiæ,vt ſibi per electionem prouideret. Quod bene prophetatum eſt Ioelis 3. Congregabuntur filij Iſrael , & filij Iuda , & ponent ſibi caput vnum : Neque enim ad literam hoc fuit in veteri teſtamento : quia poſt receſſum decem trubuum, quæ hiſtorialiter, & ad literam dictæ ſunt Iſrael, à duabus,ſcilicet Iuda, & Beniamin , tempore Ieroboam , nunquam redierunt ad vnam concordiam electionis , vt vnum principem eligerent,donec in captiuitatem E

ductæ

A ductæ sunt. Sed quia Israel interpretatur videns Deum, & significat eos qui per fidem vident, tanquâ per speculum in ænigmate, et hoc pertinet ad omnes Catholicos. Et Iudas interpretatus confessio, significat eos, qui sunt eius Ecclesiæ, cuius confessio a Domino approbata est, scilicet: Tu es Christus Filius Dei viui; id est, Romanæ à Petro confitente fundatæ. Dictum est enim quod ad vtramque, diuersa tamen ratione, pertinet electio maximi Pontificis, licet per prius, &c. Ideo hæc prophetia significat successionis modum, scilicet per electionem fiendum. Hanc conclusionem tenet venerabilis Doctor Petrus de Palud. in suo tractatu de Ecclesiastica potestate, Confirmatur. Quia Dominus in veteri testamento expressit modum successionis per carnalem generationem in filijs Aaron summi Pontificis; ergo si hic modus placuisset ei, & fuisset conueniens, similiter in nouo Testamento expressisset. Confirmatur quod non sit ille conueniens: Quia diuinus cultus modo non crescit per carnalem generationem vt tunc, sed per spiritualem; quando non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, vel viri, sed ex Deo nati sunt per fidem, & fidei sacramentum, scilicet baptisma. Ideo conueniens est vt in hac congregatione fidelium, id est Ecclesia, cuius vnitas primum constitit in fidei vnitate, princeps succedat, non per carnalem generationem, ergo relinquitur quod per electionem. Naturale enim est vt quælibet communitas sibi principem constituat: sicut in animalibus irrationabilibus patet. Ius enim naturale etiam irrationabilia animantia docuit. Vnde si a superiori sibi non datur, cum sine principe esse nequeat bene disposita, sequitur vt sibi eligere habeat à superiori; hoc idem, & si non omnino explicite, saltem implicite, & satis intelligibiliter datum est, dum non exprimendo primum modum, videtur reliquisse secundum, id est non exprimendo vt per carnalem generationem succedat, videtur approbasse vt communitas sibi eligat; aliter in prouisione necessariorum ad gubernationem Ecclesiæ defecisset, qui tamen de Synogoga, quam minus dilexit, dixit; Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Isaiæ quinto cap.

B

12. Quinta propositio, quod prius competit vniuersali Ecclesiæ eligere Papam, quam Romanæ: hoc patet ex supradictis. Quia eligentes se habent in eo ordine quo electus; sed qui eligitur prius eligitur in quantum Pastor vniuersalis Ecclesiæ; quam vt Romanæ, vt patet ex tertia propositione. Ergo eligentes prius natura & ordine huius rei eligunt, in quantum repræsentant Ecclesiam vniuersalem, quam Romanam. Ex hac propositione bene intellecta saluatur, quare non fit iniuria Canonicis sancti Petri, vel Lateranensibus, vel Clero, & populo Romano, satis clare. Quia Cardinales prius secundum naturam eius dignitatis sunt Cardinales vniuersalis Ecclesiæ, quam Romanæ; ad quam per prius pertinet electio, sicut Apostoli dum Petrus nondum elegerat sibi particularem sedem, prius erant Cardinales vniuersalis Ecclesiæ, quam Antiochenæ, vel Romanæ: ex hac etiam propositione bene saluatur quomodo præferuntur Episcopis, & quibuscunque alijs Prælatis. Quia quo ad eorum officium repræsentant quodammodo vniuersalem Ecclesiam. Omitto illas rationes quod sunt loco Apostolorum assistentium, secundum aliquos[a] Theologos. Vel quod sint maiores in administratione, quam sint Episcopi; licet non in ordine, vt dicunt Iuristæ. Ex hoc etiam fundamento saluatur, quod non fuit iniuria facta Cardinalibus in Concilio Constantiensi, si ad electionem Papæ Concilium vniuersale repræsentans vniuersalem Ecclesiam, adiecit alios quam Romanæ Ecclesiæ Cardinales in electione Domini Martini Quinti; quia ad vniuersalem Ecclesiam primo pertinet electio, & ex consequenti deputatio eorum, in quos ipsa vult consentire, vt pro ipsa eligant.

C

a *Autor intelligit Alliac. de auct. Eccl. & Turrecrem. l. 1. de Eccl. c. 80.*

13. Sexta propositio; Cum vniuersalis Ecclesia congregari non possit in vnum locum, nec ita vt singulorum vota sciri possint; illi dicuntur loco vniuersalis Ecclesiæ eligere, in quos ipsa consentit, vt eligerent, hoc satis patet. Quia aliter electio nunquam celebraretur, & qui per alium facit per seipsum facere videtur, de re. iu. ip. 6.

D

14. Septima propositio; quod vniuersale Concilium legitimè congregatum, & autoritate Romani Pontificis confirmatum, in se, & decretis suis, vniuersalem Ecclesiam repræsentat; & id quod facit, aut determinat cum tali approbatione, & consensu Maximi Pontificis, tenendum est ratum & firmum, ac si vniuersalis Ecclesia determinaret, quæ non permittitur a Deo errare in fide; nec in determinando ea, quæ ad bene viuendum pertinent. Hæc propositio patet primo, quoad primam partem, quod repræsentat vniuersalem Ecclesiam &c. per tex. bene ponderatum in. c. 1, 26. q. 1. Et quia, vt dictum est, vniuersalis Ecclesia ita congregari non possit, nec deceat, vt singulorum vota scrutentur, conueniens est, nec aliter bene fieri potest, vt principalia membra congregentur; hoc autem fit in Concilio generali. Et maior patet, Quia nunquam omnes homines possent exquiri ad vota: Nec conueniens esset vt infimi & idiotæ in maximis rebus, & quas non intelligunt, exquirerentur. Confirmatur; Quia Matth. 17. de fraterna correctione dicitur. Si te non audierit, dic Ecclesiæ: & per illud intelligitur, vt plures doctores exponunt, id est capiti Ecclesiæ, id est Episcopo; Alioquin in qualibet fraterna correctione, post illam secundam admonitionem oporteret Ecclesiam congregare. Additur autem autoritate Romani Pontificis; quia si illa capita sint necessaria, siue membra principalia, multo magis quod est supremum caput, & principalissimum membrum Ecclesiæ. Pro quo faciunt multi tex. dist. 17. fere per totam; & tex. de elec. significasti. Additur cum approbatione, & consensu Romani Pontificis, etiam vt patet ex tex. 21. q. 1. c. 1. Et ex ratione: quia cum in his quæ ad fidem & rectam Ecclesiæ gubernationem pertinent, aliqua sit regula infallibilis; alioquin Christus non sufficienter Ecclesię suæ prouidisset; cum tamen de Synagoga, de qua minus videtur, dixerit. Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? & ipsa etiam Ecclesia in fide errare non possit, dicente Domino; Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Quod Petro etiam pro Ecclesia dictum esse nemo ambigit; & quod portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Matth. 17. Quæ prævalerent si in fide erraret; aut si prædi-

E

caret,& constitueret seruandum id quod seruandum non esset. Hęc autē infallibilis regula non est Concilium, etiam legitime congregatū. Pro quo vide glos.notabile 20.dis.c.1.& tex. iūcta glos.in c.placuit. 36.q.11.Nam multa concilia errasse leguntur,vel non legitime congregata,vt Ariminen.Mediolan.&c. tamen Ephesina secunda vniuersalis fuit,& legitime congregata,vtpote autoritate Leonis Maximi Pontificis;& pro iusta causa:vtpote pro damnatione hæresis,quæ tamen errasse legitur,circa Christi voluntates: vt dicit glo.in.c.1.15.dist.In cuius correctione Synodus Chalced. conuocata est eiusdem Leonis autoritate; & hoc quia non requiritur solum autoritas Romani Pontificis in congregando, sed etiam in definita & sancita approbando. Vnde in c. Bene quidem. 96. dist. dicitur quod Papa statutis Synodalibus consuevit tribuere firmitatem; & ne intelligatur hoc de Synodis prouincialibus, & particularibus; nota quod dicitur de consecra. dist. 3.c. sextam Synodum. Vbi Papa recipit, & approbat Synodum cum suis Canonibus; & sic præstat autoritatem, ne dum Synodo,sed Canonibus, ibi editis. Nota etiam quod dicitur in Concilio Chalcedonensi actione 6. quod in omnibus Synodis apocrisarij Apostolici, decreti sententias primo propter summam auctoritatem eiusdem sedis confirmabant, & subscribebant. Quia alias nullum robur habebant: pro quo tex. 25. q. 1. c. 1. Similiter etiam nec Papa solus est illa regula infallibilis; quia aliqui errasse leguntur in fide, vt patet de Liberio, & de Anastasio secundo, qui communicauit Acacio hæretico; ideo percussus est à Deo; ergo infallibilis regula erit Papa, adhibito debito consilio peritorum; a fortiori ergo si cum generali Concilio, quod pro arduis causis congregatur, quia difficilius errant plures, quam pauci.

15. Octaua propositio est, quod vniuersalis Ecclesia consensit in Cardinales, vt ipsi essent, qui eligerent Papam; hoc patet ex multis Concilijs modo prædicto autorizatis, etiam in decretis eorum, quæ vniuersalem Ecclesiam repræsentabant. Vnde semper decreta de electione Pontificum, in vniuersalibus Concilijs facta fuerunt; vt patet 23.dis. In nomine Domini; de elec. licet; & eo.ti. li. 6. vbi maius: & in hos quidem, scilicet Cardinales, conuenienter consentit Ecclesia. Non enim erat conueniens, vt consentiret in Episcopos, vel Archiepiscopos, propter difficilem congregationem eorum; cum cito in tali re sit Ecclesiæ prouidendum; nec in aliquos Episcopos, aliis prætermissis; quia omnes Episcopi æquales sunt dis. 93. c. Legimus. Nec in Patriarchas, propter magnam eorum distantiam; & propter facilitatem erroris, quia pauci sunt; scilicet quatuor primi. Ergo cum ille qui est Pastor vniuersalis Ecclesiæ, sic etiam Romanæ, & sedem suam domino iubente illic posuerit, dis. 22. Sacrosancta. 24. q.1.c. Rogamus. sequitur vt conuenienter in illos consenserit, vt pro ipsa eligerent, qui essent principalia membra Romanæ Ecclesiæ; & veluti immediata membra Pontifici adhærentia; & faciliter congregabilia, quia non valde multa; nec faciliter errare possibilia, quia non valde pauca, vt Patriarchæ.

16. Nona propositio; quod Papa non potest ab Ecclesia ius auferre eligendi Papam. Probatur hoc. Quia Christus dedit ei hanc potestatem, saltem implicitè, vt visum est in quarta propositione. Ideo Papa qui inferior est, ipsam tollere non potest, vt dis. 19. Cum inferior. Item, quia est ex iure naturali, & diuino vt hæc communitas Ecclesiastica sibi de Pastore prouideat, vt ibidem. contra quod Papa non potest, dis. 10. non licet. 25. q. 1. c. sunt quidam. Et hoc non, quia non possit contra statutum, & voluntatem Ecclesiæ: sed quia non potest contra statutum Dei, quod est, vt Successor Petri prædicto modo fiat; scilicet per electionem vniuersalis Ecclesiæ, vel illorum in quos ipsa consensit, vt pro illa eligerent; propterea Clemens electus, vel nominatus à Petro, non statim fuit Papa; nisi quando Ecclesia voluit; sed per prius Linum, & Cletum elegit. Quanuis glo. super c. 1. de renunt. li. 6. dicat, quod Petrus ordinauit Clementem, & ipse renunciauit: quod intelligo, quantum in se erat. Quia ipsum, se viuente, ordinare non poterat, quia duo fuissent Pontifices. Nec Papatui Petrus renunciauit; & sic intellige tex.8. q.1. c. Si Petrus; quod ordinauit Clementem; & Linum, ac Cletum adiutores sibi fecit. Si dicatur contra hoc, quod Papa abstulit ab Ecclesia ius eligendi, vt patet de Adriano, & Leone, qui concesserunt Imperatori vt eligerent Papam: Responsio clara est: Quia propter hæreticos, & schismaticos hoc fecit, non solus, sed Ecclesia, & Concilium illam repræsentans. Vnde sicut illi, ad quos pertinet electio potuerant in vnum consentire, qui loco eorum eligeret, Et quod non fecerit solus Papa patet per c. in Synodo.63.dis.

17. Decima propositio est, quod Concilium Constantiense fuit vniuersale, & legitimum; dico post adhæsionem Patrum ex tribus obedientijs; & Martinus quintus fuit verus Papa; hæc propositio ita patet, quod nisi concedatur, multa inconuenientia, & absurda sequerentur ad confusionem totius Ecclesiæ, quæ consideranti patent; scilicet de veritate Cardinalium sequentium, & Pontificum qui fuerunt.

18. Vndecima propositio, quod in prædicto Concilio, post legitimam congregationem, & vnionem, decretum, & definitum fuit, quod Papa non creet Cardinales pro libito voluntatis suæ, sed inter cætera, quod haberet consilium Cardinalium, qui pro tempore essent, & consensum maioris partis eorum. Quod decretum Dominus Martinus Quintus, post eius electionem, suscepit, & approbauit; Hoc patet ex gestis illius Concilij.

19. Duodecima propositio, quod qui aliter sunt creati, scilicet sine consilio Cardinalium, & assensu maioris partis eorum, in eosdem non consentit Ecclesia, vt sint Papæ electores pro ea, præsertim, vt dixi in conclusione, ipsis principalibus membris in hoc dissentientibus, & reclamantibus. Hoc patet ex prædictis, quia ex quo Concilium modo prædicto repræsentat vniuersalem Ecclesiam, illi in quos consentit Concilium, Ecclesia consentire dicitur; & in quos dissentit, dissentire. Dissentit autem quando contra formam decreti sui facti sunt, quod decretum continet ipsius Ecclesiæ voluntatem. Et si dicatur, quod in illo decreto de creatione Cardinalium multa alia ponuntur, puta quod fiant per nationes;

A nes; & sint doctores, exceptis filijs Regum, & Papæ nepotibus, & cætera alia; & sic creationes Cardinalium, non seruatis omnibus illis conditionibus non tenerent; & per consequens electiones Papæ ab eis factæ; quæ omnia sunt inconuenientia, & scandalosa ad dicendum. Hoc non obstat duplici ratione; Prima, Quia cum in Decreto prædicto ponatur conuocatio, & consilium Cardinalium, & assensus maioris partis eorum, qui pro tempore sunt, significatur quod Ecclesia non consentit in simplici & libera voluntate Papæ. Secus autem de alijs conditionibus, vt de literatura, moribus, & natione, & similibus. Quæ etsi non seruantur, tamen hoc fit de consensu eorum quibus Ecclesia suam dedit potestatem. Vnde illi non transgrediuntur potestatem in mandato sibi datam, & si contra voluntatem instituentis Ecclesiæ faciant, & propterea factum tenet, quamuis rei sint criminis. Sicut procurator non excedens fines mandati, sed mandato abutens contra intentionem instituentis. Alia ratio est, quia qui tacet consentire videtur. Vnde ipsa taciturnitas habetur pro consensu, & si non omnino expresso. Cum ergo principalia membra Ecclesiæ, dissoluto & non existente Concilio, in creatos a Pontifice Cardinales non insurrexerint, sed eos pro Cardinalibus habuerint, & acceptauerint, saltem post
B factum; sequitur vt consensisse videantur. Secus autem si ante, nec post eorum pronunciationem eos acceptassent vt Cardinales: & propterea in conclusione dicitur, Ipsis non acceptantibus, & dissentientibus; scilicet etiam post factum. Quia resistentia istorum, tanquam principalium membrorum Ecclesiæ, donec iterum Concilium ipsam repræsentans congregetur, significat, quod Ecclesia in illos sic pronunciatos non consentit. Præterea potestas ordinis, & characteris non acquiritur, nisi à superiore, & habente potestatem conferendi illam. Vnde si is eam dare non potest, in æternum quis ipsam non consequetur. Potestas autem iurisdictionis, si sit data à non habente potestatem conferendi illam; tamen paulatim acquiri potest per expressum, vel saltem tacitum consensum subditorum. Sicut imperia multa fuerunt in sui principio per vsurpationem acquisita, quæ tamen postea legitima fuerunt, ratione iam dicta. Cardinalatus autem licet includat ordinem Episcopatus, vel Presbyteratus, vel Diaconatus, tamen in suo complemento, scilicet in quantum differt ab alijs dignitatibus Ecclesiasticis, dicit potius potestatem iurisdictionis, quam ordinis, vt patet. Vnde per consensum sequentem acquiri poterit; id est, licet Cardinales dissentiant antequam Papa pronunciet, tamen postea consentiant. Et
C sic forte aliqui Pontifices non legitime electi, postea legitimi facti sunt per consensum tacitum, vel expressum sequentem ipsorum fidelium: vt videtur fuisse de Fœlice, qui intrauit per potentiam sæcularem, & postea verus Pontifex habitus est decidente Liberio in hæresim. Ex his ergo accipere possumus conclusionem propositam, in hos qui eliguntur à Papa vel pronunciantur, sine consensu maioris partis Cardinalium, non consentit Ecclesia, vt habeant ius eligendi Papam, cum acciderit; ergo non sunt veri Cardinales; antecedens, & consequentia probatur ex propositionibus antepositis, vt sic Concilium non consentit in eos, ex decima, & vndecima; & Papa aliter facere non potest ex nona. Ergo nec vniuersalis Ecclesia in eos consentit. Consequentia patet ex quinta, & sexta: non consentit in eos, ergo non habent ius eligendi. Quia ad ipsam pertinet electio: ex quarta, additis quinta, tertia, & octaua non habent ius eligendi Papam, ergo non sunt veri Cardinales; patet consequentia ex prima, & secunda.

20 In contrarium posset adduci, quod statuta Conciliorum non ligant Papam. Vnde semper in eis Romani Pontificis excipitur autoritas. de elec. Significasti. Quia Papæ nullus superior, nec
D nulli superiores sunt. Pro quo 21. dist. cap. Nunc. 40. dist. Si Papa. 96. dist. bene inquit, cum capitulis, Pateat. Nemo aliorum. Cuncta per mundum; & similibus, 9. q. 3. quæ pro hoc allegare consueuerunt Doctores clarius. Vnde ad hoc glo. in. cap. 1. de renunc. lib. 6. quod Papa superiorem non habet in terris, & sic decreta Concilij non ligant ipsum. Quia si non superius est Concilium, ergo par, vel inferior. Par autem in parem non habet imperium. de election. innotuit. dist. 19. cum inferior. Ostien. in. c. proposuit. de concess. præben. & tex. de elec. licet. & Io. And. clare ibidem. Vnde reuocare potest statuta Conciliorum, & ipse solus, sine Concilio reuocare statuta facta à prædecessoribus suis, etiam cum Concilio. Pro quo. cap. Cum in cunctis. iuncto. cap. innotuit. de elec. Per quę probatur, quod Papa non potest imponere legem Successori suo, etiam concurrente dispositione totius Concilij. Nam decretalis Cum in cunctis. Facta fuit in Concilio Lateranensi, & plus quod concernebat decorem Ecclesiæ; & tamen Papa in. cap. Innotuit, arguit, quod ad eius obseruantiam non arctatur, & cap. 2. de concess. præben. cum cap. proposuit, & cap. 2. eodem tit. lib. 6. & de rescrip. cap. Nonnulli, iuncto. cap. Statutum 2. lib. 6. & Clarissime Io. Andr. in glo. super. cap. Vbi maius, de elect. in. 6. quæ dicit, quod licet æquum non fuerit Papam solum constitutionem editam à prædecessore suo, cum approbatione tanti Concilij tollere, tamen de plenitudine potestatis illud potuit. Sic
E ergo Papa potest, non obstante statuto Concilij Constantien. vel Basileen. super hoc facere electionem Cardinalium, vt sibi libet; nec arctatur ad obseruationem illorum decretorum; imo potest contra ipsa dispensare in aliquo casu; imo ea tollere, & mutare, abrogare, & derogare, siue in parte, & in totam auferre. Vnde, & glo. in. c. Sicut. 15. dist. & sunt quidam 25. q. 1. dicit quod potest contra quatuor prima Concilia, in ijs quæ non pertinent ad fidem; quanto magis contra alia? Quia illa fuerunt vt quatuor Euangelia: vt patet ibidem. Ad hoc facile respondetur, quod Papa non potest contra hoc, scilicet quod Cardinales non fiant sine cõsensu maioris partis; non quia nõ possit facere contra statutum Concilij; sed quia non potest contra statutum, & voluntatem Dei. Quod est, vt fiat Papa per electionem Ecclesiæ, vel illorum in quos ipsa consentit; etsi non deputentur ad electionem Papæ ex sola voluntate ipsius, sed vniuersalis Ecclesiæ, id est, Concilij præscribentis formam, & voluntatem ipsius

Ecclesiæ

Ecclesiæ, & sic non potest contra hoc statutum, in quantum continet ius naturale & Diuinum; non secundum quod est iuris positiui. Quomodo autem prædictum ius contineat, patet ex quarta propositione, & sequentibus. Concordat dictum Sancti Thomæ in tractatu contra impugnantes religionem. A

21 Item contra; potest supprimere Cardinalatum & extinguere. Quia iuris positiui est, à fortiori ab eis ius eligendi auferre. Respondetur quod in quantum Cardinalatus continet officium, non assistendi, vel consulendi Papæ, sed eligendi ipsum, quod reputo præcipuum eorum officium; & ratione cuius magis sunt honorandi quam Episcopi, tanquam in hoc vniuersalem Ecclesiam repræsentantes, non potest Papa ab eis ius eligendi auferre sine consensu vniuersalis Ecclesiæ, siue Concilij eam repræsentantis. Quia & sic posset ab ea ius eligendi auferre: Cuius contrarium satis deducit Petrus de Palude, in tractatu suo de Ecclesiastica potestate. Vnde cum tribuit alias Imperatori ius eligendi, hoc fecit cum voluntate Concilij, vt dictum est per c. in Synodo 63. dist. Quamuis Ostien. hoc negaret, scilicet quod posset Cardinalatum extinguere; imo negaret quod posset Cardinalem priuare sine Concilio per c. ex gestis. de Cler. non residentibus; & licet glo. ibidem dicat, quod solus Papa priuauerit, & Concilium assensum præbuerit, & acceptarit, tamen nihil allegat. Vnde sequendo opinionem Ostien. quis diceret, quod ideo Papa solus non priuauit eum, quia loco vniuersalis Ecclesiæ eligendi officium habebat. Vnde ab eo reuocari debebat, a quo, seu cuius nomine institutus fuerat; seu in quem Ecclesia consenserat, vt eligeret pro ea. Hoc non dico ad confirmandum dictum Ostiensis. Quia apud me certum est, quod Papa solus posset, & potest deponere Cardinalem, etiam si ab Ecclesia ius eligendi Papam haberet, & ipsum Cardinalem eo iure priuare, sicut Episcopus potest illum priuare beneficio propter demerita ipsius, quod ipse sibi non contulit, sed Papa illi dedit. Quia Episcopus in hac autoritate Papæ per Canones sibi collata vtitur. Ita etiam si Ecclesia in aliquem, vt pro ea eligat, consentit, Papa ipsum illo iure eligendi, cum causa tamen priuare potest. Quia in hoc exequitur Ecclesiæ voluntatem: Sed vt redeam ad priora hoc dico, ad ostendendum, quod Ostiensis motus est ad hoc dicendum, tanquam habens pro fundamento, quod Cardinalis est in officio suo loco Ecclesiæ. Ideo ab Ecclesia reuocari debet. Cuius antecedens concedo, licet consequentiam negem, tamen dictum eius ad propositum nostrum facit. B

22 Item contra; Maius est de nouo Cardinalatum instituere, quam Cardinales in eo officio creare. Pontianus autem, vel Siluester instituerunt Cardinalatum: Ergo & Cardinales pro libito creare potuerunt. Et cum successores non habeant minorem potestatem, sequitur, vt similiter ipsi possint. Responsio patet ex dictis. Quia licet Cardinales, quo ad hoc nomen, & vt habebant mortuos sepelire, vel baptizare, à solis Pontificibus instituti sint; tamen non in quantum habebant eligere Papam; sed ab Ecclesia vniuersali, vel Romana, ad quam pertinebant, intra quam tamen Papa includitur, sed non solus. Et dato etiam quod solus Papa hoc instituisset, tamen hoc fecit non contradicente Ecclesia, vel Concilio illam repræsentante, sed acceptante decretum, siue ordinationem eius. Secus autem quando Ecclesia, siue Concilium illam repræsentans, aliter statuit, sicut in casu nostro isto tempore. C

23 Item contra: Non minoris est potestatis Papa, quam tota Ecclesia. Vnde & Innoc. dicit, quod tota Ecclesia militans est in potestate Papæ. Et Aristoteles dicit: Quod Princeps est virtualiter tota communitas, sicut in capite radicaliter sunt omnes potentiæ sensitiuæ. Optimates autem sunt capita populorum, inquit Propheta. Si ergo Ecclesia, siue Concilium pro illa, potest consentire in aliquos, vt eligant pro ipsa, sequitur quod Papa idem possit, & sic creati a Papa ad hoc vt habeant ius eligendi perinde sunt, ac si Ecclesia illos elegisset, siue in eos consensisset. Ergo creati Cardinales à solo Papa ius habent eligendi, ac si vniuersalis Ecclesia in eos consensisset. Respondeo quod hoc verum est vbi alias Ecclesia non contradicit. Quod si contradicit, & Papa facit eos, tunc ius eligendi ab ea auferetur, quod Papa facere non potest, vt dixi in nona propositione. Prius enim quam fierent hæc decreta de conuocatione Cardinalium, & assensu eorum, certum est quod solus Papa creare poterat Cardinales, per argumentum adductum, qui à Papa habebant ius eligendi Papam pro Ecclesia, ac si Ecclesia illud eis dedisset. Quia consensus Papæ in hoc consensus erat Ecclesiæ. Cum autem factum est hoc decretum, continens explicite voluntatem Ecclesiæ, de his, qui assentire debent loco eius: si Papa hoc facit contra tale decretum, patet quod facit contra Ecclesiæ voluntatem; & sic ab ea communitate aufert ius eligendi. Alioquin si argumentum adductum contra hoc concluderet, pariter sequeretur, quod sicut Ecclesia potest eligere Papam, ita ipse sibi potest eligere successorem; cum non sit minoris potestatis. Sic ergo prout Cardinalatus habet ex ipsa institutione sua, vt ei competat eligere Papam pro vniuersali Ecclesia: Nec solus Papa contra decreta Ecclesiæ, nec cætera membra Ecclesiæ sine Papa, id est Concilium viuente Papa poterit creare Cardinales. Sed cum Papa hoc facit assensu maioris partis Cardinalium, quia hoc continet Ecclesiæ voluntatem, vt patet ex decreto prædicto; sequitur vt illi veri sint Cardinales, & non aliter. D E

24 Item contra: Quia hoc periculosum est Ecclesiæ. Nam cum Cardinales, qui pro tempore essent, * sequeretur quod Ecclesia in periculo esset propter paucitatem assistentium, & consulentium Papæ, & electio deueniret ad manus paucorum, quod periculosum esset; & casus est satis possibilis, & verisimilis. Respondeo, quando Deus hoc permitteret, quod non credo, vt nunquam maior pars consentiret in creationem Cardinalium, Ecclesia, siue Concilium repræsentans illam, posset decretum illud reuocare.

25 Hæc

A 25 Hæc non dixi determinando, ſed exercitij gratia, cum oppoſitam partem potius teneam; ſcilicet quod poſſit ſine conſenſu aliorum ſolus Cardinales creare. Sed vt oſtendam, quod res in ſe difficultatem habet, & apud aliquos in dubium venire poteſt. Ideo quæſtionem de poteſt, concludo per debet; ſcilicet quod Papa nullo modo deberet ſine conſenſu maioris partis alios creare; ne dubitationes inſurgant circa hoc; & non exiſtente alia neceſſitate, exponat periculo factum ſuum, & materiam ſcandali in Eccleſia præbeat.]

HÆC omnia Torcellanus : *In quibus multa neruosè ſatis, ac (vt arbitror) ex animo contra abſolutam ſolius Papæ poteſtatem; vtcunque in Prologo, ac Epilogo caueat ſibi; hacque ſe tantum exercitationis gratia diſputare aſſerat; adeoque pro more ac æſtu temporum contra ſtatuere videatur, ac in purum Hieromonarchicum totus deſinere. Neque id tamen adeo ſeruiliter, quin, dum berili virgulæ ſe ſubmittit, inter dentes tacitè obloquatur; ac Papale* non poteſt *molliori verbo per* non debet *enunciet. Meo certè iudicio de-*
B *monſtratiue arctat Papalem ſummam poteſtatem in Cardinalium creatione: & viam aperit amplam ad Papatici nimium Pompatici Conſiſtorij reformationem. Et quoniam mihi nonnulli vſui fuit in mea de Cardinalibus cap. 5. huius quarti libri tractatione, placuit hunc Torcellani, nunquam antea typis editum tractatulum huic primo noſtro volumini ad calcem ſubnectere.*

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ in hac prima parte explicantur.

EX GENESI.

29 DAte potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. pag.112.c.

EX NVMERIS.

11 Auferens de Spiritu qui erat in Moyse, &c. 247.c.d.248.d.e.

EX DEVTERON.

17 Si difficile,& ambiguum,&c. 151.c.d.e. 152.a.b.c.

23 Si transieris per messem,&c. 508.b.510.b

25 Suscitare semen fratri. 19.a.b.106.b-174.b.

17 18 21 EX IVDIGVM. Non erat Rex in Israel. 381.c.d.

EX PSALMIS.

2 Dabo tibi gentes hæreditatem. 12.a

44 Delectauerunt te filij Regum in honore tuo 19.a.384.a.

Pro Patribus nati sunt tibi filij. 22.b. 190.e.191.a.

Narrabo nomen tuum fratribus meis. 106.b.

49 Peccatori autem dixit Deus,&c. 115.b.

109 Episcopatum eius accipiat alter. 166.e.167.a.

109 Tu es Sacerdos in æternum. 8.d.e.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon. 560.d.

De torrente in via bibet. 12.a.

132 Sicut vnguentum quod descendit in barbam Aaron. 7.e.

EX PROVERBIIS.

31 Mulierem fortem quis inuenier. in præfat.

EX CANTICIS.

1 Tigna domorum nostrarum cedri. 199.d.

8 Si murus est,&c.in præfat.

EX SAPIENTIA.

8 Attingit a fine vsque ad finem, &c. 1.c.d.

EX ISAIA.

14 Super astra cœli exaltabo solium meum ,& ascendam super altitudinem nubium, &c. 624.b.d.

22 Dabo clauem domus Dauid,&c. 73.a. & sequen. 74.a.

33 Hic habitabit in excelsa spelunca petræ fortis. 46.a.

53 Videbit semen longæuum. 12.a.b.

EX HIEREMIA.

1 Vt euellas & plantes,&c. 270.e.271.b.

EX EZECHIELE.

33 Terra si constituerit super se speculatorem,&c. 403.c.

EX MATTHAEO.

4 Piscatores Hominum. 13.d.

5 Vos estis lux Mundi. 21.b.

Reus erit Concilio. 152.b.

Ciuitas supra montem posita.in præfat.

6 Vos estis sal terræ. 21.b.

10 Non sum missus nisi ad oues,&c.90.b.c.& seq.

13 Super Cathedram Moysi,&c. 150.a.b.

16 Tu es Petrus,&c. 43,& sequen.

Et portæ inferi non præualebunt. 50.c.d.96.b.

Aedificabo Ecclesiam. 51.b.61.c.96.d.e.

Absit a te Domine. 59.a.b.c.

Quodcunque ligaueris,&c. 69.& seqq.

Caro & sanguis no reuelauit tibi, sed Pater,&c. 56.57.58.95.e.96.a.

17 Solue pro me,& te, 96.c.d.& seqq.136.c.

Faciamus hic tria Tabernacula. 184.c.

Si te non audierit,dic Ecclesiæ. 769.d.e.

18 Quis putas maior est &c. 96.d.e.

Dic Ecclesiæ. 96.e.

20 Conducere operarios in vineam. 16.c.

Si quis vult primus esse,&c. 124.d.e.

Qui maior est in vobis,&c. 124.e.& 125.a.b.

Non est meum dare vobis. 128.b.c.

Indignati sunt decem. 175.d.e.

23 Nolite vocari Magistri. 125.b.

25 Vnicuiq; secundum propriam virtutem. 663.b.

26 Omnes vos scandalum patiemini. 60.e.

28 Data est mihi omnis potestas. 86.e.

EX MARCO.

14 Simon dormis. 100.e.

16 Dicite discipulis & Petro. 98.e.99.a.100.c.d.

EX LVCA.

5 Ascendit in nauem quæ erat Simonis. 97.d.e.

10 Ego misi vos metere. 13.d.

12 Fidelis seruus & prudens 16.d.e.100.c.d. 138.e.322.b.

Domine ad nos dicis hanc parabolam , an ad omnes? 100.a.

18 Oportet semper orare. 324.d.

22 Reges gentium dominantur eorum. 17.e. 125.a.b.& seqq.

Conuersus confirma fratres 59.e.61.b.98.b.c.d

Rogaui pro te. 60.a.b.61.b.

Ego dispono vobis Regnum. 124.b.c.

24 Surrexit Dominus vere,& apparuit Simoni. 98.d.e.

Visa sunt eis deliramenta. 70.e.

EX IOANNE.

1 Tu es Filius Dei. 95.e.

Tu vocaberis Cephas. 67.a.b.c.95.a.b

Tu es Rex Israel. 95.e.96.a

Vnigenitus qui est in sinu Patris. 180.c.

6 Nunquid & vos vultis abire. 193.e.b

10 Vnum ouile & vnus Pastor. 88.c.d.143.d.e

Habeo alias oues. 143.e.144.a.& seqq.

17 Pro eis ego sanctifico meipsum. 8.a.

19 Stabant autē iuxta crucem Iesu mater eius,&c. 181.b.& seqq.182.c.

Ecce Filius tuus. 182.e

20 Accipite Spiritum Sanctum , quorum , &c. 72.c.

Sicut misit me Pater,& ego mitto vos. 13.d. 86.d.159.d.161.a.186.e. 193. c. d. 243. c.d.

21 Pasce oues meas. 86.b.c.90.a.515.b.c.
Hic autem quid. 85.b.88.a.
Sic eum volo manere. 85.b.c.
Diligis me plus his. 93.a.b. 110.c.d. 163.b.c.
Tu me sequere. 99.c.d.

EX ACTIS APOST.

1 Exurgens Petrus in medio fratrũ. 100.d.e.101.
Dic nobis si in tempore hoc restitues regnum Israel. 124.c.d
Testem resurrectionis eius fieri. 14.c
Cecidit sors super Matthiam. 169.c.d.e
5 Nonne manens tibi manebat. 355.c. 356.a.b
6 Factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, &c. 235.d
Nos Ministerio verbi instantes erimus. 15 e
Elegerunt Stephanũ virum plenũ, &c. 127.a.b
8 Miserunt ad eum Petrum & Ioannem. 127.d.e 128.a.b.
9 Ecclesia ædificabatur, 62.c.d
Petijt ab eo Epistolas in Damascum ad Synagogas. 149.a.b. 152.a
Petrus dum pertransiret omnes. 536.b
10 Macta & Manduca. 80.c.103.b.c
11 Ego eram in Ciuitate Ioppæ, &c. 90.e. 91.a & sequen.
13 Segregate mihi Saulum & Bernabã. 170.171.
15 Visum est Spiritui Sancto & nobis. 128.e
Statuerunt vt ascenderent ad Apostolos. 128.b.c
Surgẽs Petrus dixit ad eos viri fratres, &c. 103.e
Vt abstineant se a contaminationibus simulachrorum. 349.a

EX EPIST. B. P. AD ROMAN.

1 Vt gratiã spiritualem vobis administrem. 534.b
Fides vestra annũciatur vniuerso mundo. 534.c
12 Exhibete corpora vestra hostiam viuentẽ. 325.c
Multi vnum corpus sumus in Christo. 5. d
15 Vt sim Minister Christi Iesu in gentibus. 17.d
Vt fiat oblatio gentium accepta. 17.d
Ne super alienum fundamentum ædificarem. 62.c.d. 524.a
Si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, &c. 560.e

EX I. AD CORINTHIOS.

1 Ego sum Apollo, ego Pauli, &c. 105. d. & sequen. 624. c.d.
3 Non misit me Christus baptizare. 15.d.e.
7 Puto autem quod & ego spiritũ Dei habeã. 20.e.
Vt vacetis orationi. 324. d. e.
9 Mulierem sororem circumducendi. 297.d. 303.c. 319.c.
11 Inuicem expectate. 196.d.e.
12 Ita & Christus. 6.a.b.
Posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, &c. 137.d.e. 231.a.b. 239. d.e. & sequen.
Caput non potest dicere pedibus, &c. 6.c.
Nunc autem posuit Deus membra, &c. 6.d.
Singulis prout vult. 663.b.c.
14 Qui loquitur lingua seipsum ædificat &c. 240.c
15 Deinde visus est Iacobo. 173.a. 175.b. 183.e.

EX II. AD CORINTH.

5 Deo exhortante per nos. 16.c.
Pro Christo legatione fungimur. 54. b.
Dedit nobis Ministerium reconciliationis. 16.b
9 Væ mihi si non Euangelizauero. 274.e.
11 } Nihil minus fui a Magnis, & supra modum A-
12 } postolis. 37.e. 183. d.

AD GALATAS.

1 Paulus Apostolus non ab hominibus. 135.c.d.
Veni Hierosolymam videre Petrum. 104.a.b. & sequen.
2 Quia reprehensibilis erat. 129.a b. 130.b.c.
In faciem restiti. 129.a.b. 132.a. & sequen.
Alium Apostolorum præter Iacobum fratrem Domini vidi neminem. 175 c.
Qui operatus est Petro, &c. 536.e. 537.a.

AD EPHESIOS.

1 Constituens ad dexteram suam. 5. e.
2 Superædificati supra fundamentum. 62. b.c
4 Ex quo totum corpus compactum. 7 d
In ædificationem corporis Christi. 16.d.62.e
Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos. 137.d.e. 241.a.b. & sequen. 242.
In opus Ministerij. 16.d.
Qui est caput Christus. 7.d.

AD PHILIPPENSES.

4 Rogo te germane compar. 297.d.

EX I. AD THESSAL.

5 Sine intermissione orate. 324.d

EX II. AD THESSAL.

2 Donec discessio fiat. 567.a. 568.a
Nisi venerit discessio primum. 665.a.b

EX I. AD TIMOTHEVM.

1 Fidelem me existimauit. 16.d
Quorum primus ego sum. 40.d.e
3 Vnius vxoris virum. 297.c.d. 298.e. 303.c.d. 306.a.b. 321.b.c.d.
4 Per impositionem manus Presbyteri. 198.e. 202.c.
Per Prophetiam cum impositione manuum. 220.c.d.
5 Aduersus Presbyterũ accusationẽ, &c. 195 b.c.
Seniorem ne increpaueris. 195.b.c
Qui bene præsunt Presbyteri, &c. 199.a. 202.c.d.
Adolescentiores viduas deuita, &c. 330.b.c. & sequen.

AD TITVM.

1 Si quis sine crimine est, &c. 323.a.b

AD HEBRÆOS.

7 Vnde & saluare in perpetuum potest. 8. d.e
Nemo assumit sibi honorem, &c. 220.b.c
13 Obedite Præpositis vestris. 199.e. 202.e.

EX EPISTOLA PETRI. I.

4. Si quis ministrat tanquam ex virtute. 663.b.c

EX APOCALYPSI.

17 Tota Prophetia de Romano excidio explicatur. 566. & sequen.
21 Fundamenta duodecim. 65.c.

AVTORVM

AVTORVM PRÆCIPVORVM, *qui in hoc opere citantur, editiones.*

Ambrosius in fol. Parisijs sub naui anno 1586.
Athanasius in fol. Parisijs. 1581.
Augustinus in fol. Parisijs. 1571.

Baronij Annales in fol. Venetijs. anno 1601.
Basilius in 4°. Venetijs sub Spe. anno 1548.
Beda in fol. Coloniæ. 1612.
Bellarmini controuersiæ in fol. Venetijs 1603.
Bernardus in fol. Parisijs sub naui. anno 1586.
Bibliotheca sanctorum Patrum Margarini. edit. 2. Parisijs 1589.

Clemens Alexandrinus in fol. in officina Sanctandreana 1592.
Concilia Crab. in fol. Coloniæ. 1577.
Constitutiones Imperatoriæ in corpore ciuili absque glosis. Eustathij Vignon Atrebat. in fol. tomi 2. 1580.
Cyrillus Hierosol. græcolat. in 4°. Paris. 1611.
Cyrillus Alexandrinus in fol. Parisijs. 1605.

Dionysius Areopag. in fol. Lutetiæ 1565.

Epiphanius in fol. Basileæ 1560.
Epistolæ decretales Romanorum Pontificum in fol. tomi tres. Romæ 1591.
Eusebij opera in fol. Basileæ 1542.

Gerberti Epistolæ, & simul Ioannis Sarisberiensis, ac Stephani Tornacensis, in 4°. Parisijs 1611.
Gersonij opera tomi 4. in fol. Parisijs 1611.
Gregorius Nyssenus in fol. Basileæ 1562.
Gregorius Nazianzenus in fol. Parisijs 1532.
Gregorius Magnus tomi 2. in folio Parisijs 1571.

Hieronymus in fol. Parisijs Niuell. 1579.

Ignatius Græcolatinus in 8°. Parisijs 1608.
Innocentij tertij Epistolæ in fol. Romæ 1543.
Ioan. Chrysost. in fol. Parisijs 1551.
Irenæus in 8°. Parisijs 1563.
Iuonis Epistolæ in 8°. Parisijs 1610.
Iustinus Martyr in fol. Parisijs 1554.

Leonis Epistolæ vt sunt dispositæ tomo primo Epistolarum Decretalium Romanorum Pont.

Origenes in fol. Basileæ 1557.

Petri Blesensis Epistolæ in 4°. Moguntiæ. 1600.

Stephani Quaranta summa Bullarij in 4°. Venetiis 1607.

Tertulliani opera, & Arnobius in fol. Parisiis 1580.
Theodoreti opera in fol. Coloniæ 1573.

Aliorum Autorum variæ editiones, aut non variant versiones, tractatuumque ordinem, ac dispositionem; aut si variant, ipsæ editiones nominatim citantur.

RERVM ET VERBORVM
huius primæ partis, copiosus Index.

A

Aaron figura Christi. Pag. 148.b.c
Aaron figura Episcoporum. 147.d.e.148.a.b.c
Abbas Cardinalis. 608.c
Abbates subiectionem promittunt Metropolitano. 469.a
Absente Episcopo quis regat. 287.c
Abusus hierarchiæ, vide Heirarchiæ abusus.
Acacius Constantinopolitanus. 748.b.c
non fuit hæreticus. 227.a.271.d.e.638.a
non fuit Legatus Papæ. 661.a.b.c
ordinat Constantinopolitanum. 492.a
Accusatio coram Timotheo. 195.b
Achaia fidem debet Hierosolymis. 560.e
Acta nulla etiam ex potestate legitima. 665.c
Actualis potestas facit proprie Episcopum. 615.b.c 677.c
Adalbertus Pragensis. 278.d.e.279.a
Aduenæ sunt subditi loci vbi sunt. 127.c
Adulatores pro Papatu. 638.d.724.d.e
Adultera cum duobus viris. 341.a.b.343.d
Adulterium spirituale. 335.d.e.337.c.e.d.338.b 343.a.b.441.b.c.342.e.343.a.b
Ædificatio Ecclesiæ. 16.d.25.d.51.c.d.61.c.62.c 63.c.& seqq.66.b.69.b
Ægypti Reges sub Augusto defecerunt. 558.e
Ægyptij in Chalcedonensi reuniuntur. 573.e
Æneas Syluius defendit Amadeum. 318.d
Æneas Syluius palinodiam canit. 724.a
Æqualitas inter Apostolos. 22.c.d.& seqq.24.a.b. & seqq.64.c.133.c.d
Æqualitas inter Episcopos. 261.e.& seqq.554.d.e & seqq.
Aeriana hæresis. 197.a.b.204.c.d
Africa citra schisma restitit Romæ. 658.a
Africa à Romanis Ecclesia fidem accepit. 397.e.780.
Africanæ Ecclesiæ certamen cum Romana. 655.c.d.e & seqq.659.a.664.a.703.c
Africani componunt dissidium inter Alexandrinum & Romanum.659.a
Africani Primatis electio. 703.d.e
Africanus Canon de appellationibus Romanis. 655.d
Agilulphus Longobardorum Rex. 737.d
Agricola Christus. 18.e
Alexander Carbonarius. 399.b.c
Alexander 3. in schismate. 732.d.751.a
Alexandria Augustalis præfectura. 550.a.563.d
Alexandriæ Episcopus ex Presbyteris. 200.d.e.206.b
Alexandrina Cisalpina falsa Cathedralis. 413.d
Alexandrina Ecclesia dissidet cum Romana. 659.a
Alexandrina Ecclesia filia Romanæ. 523.a
Alexandrina legatio ad Clementem octauum. 711.c.d & seqq.
Alexandrinæ Ecclesiæ Primatus. 562.d.e
Alexandrini Episcopi electio. 476.d
Alexandrinus ordinat Constantinopolitanum. 511.d 580.b.c
Alienatio de licentia Metropolitani. 470.d
Alimenta ex Ecclesia. 284.d.e
Alithius Senator. 569.b
Alpheus in cognatione Domini non est. 179.b
Altare vnum in Ecclesia. 715.d.e
Amadeus Dux Sabaudiæ. 318.d.751.c
Ambitio Apostolorum. 123.a.b.& seqq.
Ambitio Romana peperit schismata. 748.e
Anastasius Bibliothecarius vsque ad Nicolaum primum vitas scripsit. 740.b
Ambitio in Ecclesia. 510.e
Ambitus pœna pro Papatu. 728.a.b
Ambrosij angustiæ cum Valentiniano. 525.c.526.a.b
cura Vniuersalis. 655.a.682.c
commentarij in epist Pauli. 718.d
Ambrosius vt Romanam sequatur Ecclesiam. 654.d.e
Ambrosius Vercellensis Ecclesiæ ordinator. 403.d.e 416.a.417.a
Ambulatio super aquas. 95.d
Amor & potestas cognata. 625.d
Anabaptistarum schisma. 557.a
Anachoretæ qui sint. 349.c.d.e
Anacleti an duo. 210.c.211.a.& seqq.
Anacleti epistola Apocrypha. 392.
Anacletus 2. Papa. 730.a.b.745.a.b.750.e.751.a
Ananiæ & Saphiræ casus. 102.d.355.b.c.& seqq.377.d
Anastasij Cardinalis priuatio. 591.b
Anatolij confirmatio à Leone. 517.b.c.& seqq.
Anatolius reprehendit. 491.c
Anatolius non cessit Leoni. 580.c.d.e.& seqq.581.d
curam Patriarchalem exercet. 581.a.b.c
à Dioscoro ordinatus. 227.d.228.a
Andreas an senior Petro. 39.b.c.95.b.c
Andreas an fundator Ecclesiæ Constantinopolitanæ. 570.a
Angelorum Ecclesia similis terrenæ. 10.d
Angelorum subordinatio. 10.d
Angelos honore Papa dicitur superare. 639.d
Angelus custos singulorum. 88.c
Angliæ Rex vasallus à Papa vocatus. 560.d.604.c
Angliæ pacem Papa procurat. 668.c.d
Anna mater B.V. 178.c.d
Annæ plures Mariæ genuit. 778.c
Anna & Caiphas quomodo Principes Sacerdotum. 152.a
Annatæ. 513.e
Anni Christi respondentes Imperatoribus. 536.d.e.543.
Annulus piscatoris. 128.d
Anselmi conatus pro cœlibatu. 307.d.e.& seqq
Anthimus Basilij emulus. 403.a
Antichristi præcursor. 626.b.c
Antiochena Cathedra. 116.b
Antiochena Ecclesia mater & caput. 561.c.d
Petri sedes. 539.c.540.a.c
sedes Patriarchalis. 539.d.e
Antiochenæ Ecclesiæ fundatio. 535.e.536.a.b.c. 539.d.e.
Antiocheni Concilij ad Iulium litteræ diuersæ. 651.b.c
Antiochenum Concilium contra Iulium. 649.& seqq.
Antiochenum alterum Concilium contra Iulium. 651.c.d.e.& seqq.
Antiochenum Concilium legitimum sub Iulio. 648.

INDEX.

Antiochenus contra Papam. 500.c.d
Antiochia sub Comne. 513.c.524.a
Antiochia Episcopus Petrus. 474.b
Antiochiæ prædicante Petro nomen Christianorum exortum. 576.d.579.c
Antiochiæ prima conuersio. 195.a.b
Antiochiam Petrus venit. 537.c.538.a
Antiperia loco Antiochiæ. 523.c
Antonius Monachorum pater. 349.c.d.e. 350.a. 351.a.b.
Apocryphus vtitur Baronius. 752.d
Apollinaris solo verbo factus Episcopus. 219.c
Apostasia à Monachatu. 303.c.d. & seqq. 367.c
Apostasia à Clericatu. 367.b.c
Apostata à religiosus manet in sæculo. 341.d.e
Apostatarum à religione excommunicatio iniusta. 367.c 368.a
Apostatæ religiosi, ad reditum non cogendi. 367.b.c
Apostolatus est ministerium. 14.c.134.d.e. 148.b
propriè post resurrectionem datus. 20.c.d. 168.a
præfertur Episcopatui. 117.a.b.c
non est honor. 17.c. 18.a
Apostoli erant Cardinales Petri. 769.c
plures in eadem Ecclesia. 268.a
non sunt sub cura Petri. 59.c.61.b.87.c.88.a
aliquo modo inæquales. 37.c.41.c.126.b.c
Christo laborauerunt. 19.a.b. 106.b
Oeconomi, serui & distributores. 110.a. 138.c
an baptizati. 106.c. 107.a.b
nemi non excitantur. 188.c.d. & seqq.
à quo facti Episcopi. 107.b.c
assessores Petri. 600.c
an delegati Petri. Vide Ordinarius pastor.
magni & supra modum. 183.d
vxorati. 292.a. 297.c.d. 302.c. & seqq. 319.c. 325.c
à iurisdictionalibus alieni. 15.c
Episcopalem potestatem pro multis Ecclesiis sibi reseruabant. 202.b.d.e. 203.d.e
assistentes Christi. 600.c
12. ex discipulis electi. 192.b
figurati in filijs Aaron. 148.b
insignores & priuilegiati. 123.c.d. 126.b.c 136.c
regebant Episcopos. 140.a
an capita singularum plebium. 624.c.625.a
fuerunt propriè Episcopi. 166.c.167.
omnes pares in reuelatione. 57.58.
commensales Coristi. 13.c.14.a
cum plenitudine spiritus. 20.d.e
impropriè. 14.c.15.c.160.c.d. 175.b.d. 183.d
Apostolica sedes. Vide Sedes.
Apostolica priuilegia. 161.b. 166.c.d. 251.c.d
Apostolici Collegij vnitas. 79.a.b.c
Apostolicus titulus. 542.c
Apostolo omnium Ecclesia commendata. Vide Commissa.
Apostolorum 4. genera. 404.a
successores. Vide Successores.
vocatio. 13.c. 192.b.c
encomia. 17.a.b. 21.a.b.c
munus proprium. 13. & seqq. 600.c
potestas tota in Episcopis. 159.c. & seqq. 161.a.b. & seqq. 162.d.e
varij tituli. 17.b.c
prima missio. 13.c. 14.a.b. 20.c
Apostolus differt à discipulo. 14.d
nullus fuit Episcopus particularis. 164.c
quis propriè. 14.c.d. 15.b. 40.a. 160.c.d
& Episcopus vt differunt. 171.a.b. 176.d.e 177.a.b.c. 195.d.e
etiam Christus. 25.d
Apparitio Christi facta Petro. 98.d.e
Appellatio Episcoporum extra Prouinciam. 657.a.b.c
extra prouinciam Clericis non licet. 657.a.b
non ad Papam sed ad Concilium. 647.c.d. 649.c. 650.a. 683.c.d.
ad plebem. 153.a
Appellationes Ecclesiastica Romam. 945.c. 695.d.e
Appellationum abusus. 673.d
Appetitus propriæ excellentiæ. 123.b
Appiarius Africanus. 655.d
Aquilegiensis primatus. 488.a.b
Aquilegiensis Ecclesia à Romana separata. 663.a
Arabici Nicæni Canones. 549.c
Arca Noe typus Ecclesiæ. 144.c.d 721.b.c.
Archidiaconi. 237.287.c.d
Archiepiscopus, Vide Metropolitanus.
Archiepiscopus Romæ. 649.d. 667.d
Archipresbyter supra Cardinales. 590.e
Archisynagogi non suberant Pontifici. 148.d. & seqq.
Arietes Apostoli. 25.b
Aristocratia Ecclesiastica. 86.c. 93.d. 118.c. 137.c.d.e 138. & seqq. 139.e. 153.d.e. 154.a.b.c. 256.c. 603.a.b.
Aristocratiæ incommoda. 142.d.e. 143.a. & seqq. 153.d.e.
Aristoteles fundamentum scholæ Peripatetica. 49.b
Artificia Romana pro Papatu. 639.640.
Arx religionis Romana. 559.c. 700.b.c
Assessores Petri fuerunt Apostoli. 600.d. 605.b.c
Assistentia Christi. 153.b.d. 154.c. 243.c. 244.a.b
Assistentia diuina omnis non facit Sacramentum. 230.d
Assistentia Cardinalium. 595.b.c.d
Astra cœli Episcopi. 614.d. 619.a
Athanasij appellationem admittunt damnatores. 649.d
Athanasij causa male Romæ indicata. 649.c.d.e. 650.a
Athanasij electio. 401.b.c
Athanasius Romam venit. 350.d. 617.d.e
cum cura vniuersali. 269.c.d.e. 278.e
proconiugio. 310.d.e. 411.a
sibi successorem eligit. 419.b
Atticus Constantinopolitanus. 580.a
Auaritia initio turbauit Ecclesiam. 510.d.e & seqq.
Auaritia Romana. 513.e. 609.e. 641.c. 662.a 664.d. 667.b. 669.b
Augusti Imperium maximum. 558.e
Augustino successor datur Eradius. 404.c.d
Augustinum dormientem facit glossa. 336.d
Augustinus Valerio accessit. 288.a.b
Coepiscopus cum Valerio. 419.c.d
minor Hieronymo. 200.d. 205.d.e
suo arbitrio regit suam Ecclesiam. 246.b
Aurelianus in causa Ecclesiastica iudicat. 554.e
Aurelij Carthaginenses cura vniuersalis. 271.c
Auxilius Episcopus ab Augustino reprehenditur. 246.b

INDEX.

B

Babylon Roma. 566.b.c. 568.d.e. 569.a.b
Bambergensis Ecclesia facta Cathedralis. 280.d
Bambergensis Clericus contra Papatum. 670.a
Baptismatis caput. 717.b.c
Baptismi institutio. 218.d
Baptismus nemini à Christo datus. 18.b.c.d. 106.e 107.a.b. 192.a
Ioannis. 18.c.d
non sine licentia Episcopi. 283.d
cum vsu chrismatis. 283.d
validus sine remissione peccatorum. 83.c.d
Baptizabat Christus per suos discipulos. 19.e. 192.a
Baptizabant Diaconi. 234.c. 283.d
Baptizabant Apostoli per suos ministros. 15.e
Baptizare cuius sit. 15.d
Baptizare ministerialiter & potestatiue. 18.b.c.d
Baptizat semper Christus. 18.b.c.d
Baptizasse quamuis videntur Apostoli. 106.e. 107.a.b
Barbarysticè. 7.e
Barnabæ corporis inuentio. 475.c
Barnabæ ordinatio. 162.d.e. 170.171
Barnabas Romæ prædicauit. 358.c
Barnabas mittitur Antiochiam. 195.b
Baronius non Theologus. 630.a
modestiæ immemor. 94.b.c
eius Annales Apologia Papatus. 687.d
Basileense Concilium reiectum à Papa. 603.e
idem sua iura restituit Episcopis. 670.b.c
Basilidis Hispani causa. 682.a.b
Basilij electio. 402.c.d
Basilius in Romanam Ecclesiam iratus. 652.c. 653.a
Basilius Patricius. 734.b.c.d
Beneficia à Papa solo an distribuenda. 515.c.d
Beneficia aliena Diœcesis per eram dat Papa. 588.c
Bernardus defendit Innocentium. 730.d
quid sentiat de Cardinalibus. 606.e. 607.a.b.c.d. 608.e
eius cura vniuersalis. 272.d.e
Monarchiam vix agnoscit. 120.b.c. 674.675
Bigami admittuntur ad munera cræsines. 294.e
Bigamia. 306.a.b. 321.c.d
ex nuptijs post votum. 340.b.c
eius dispensatio. 318.b.c
Bohemia contra cælibatum insurgit. 309.b
Bona Ecclesiastica sunt viduarum & pauperum. 609.b
Bonifacij primi electio. 727.e
Bonifacy & Eulalij schisma. 733.c. & seqq. 746.b
Bonifacij 2. litera falsa. 658.a
Bonifacius 2. Vigilium sibi substituit curat. 735.a
Bonifacius 8. refellitur. 725.b
Bonosi causa. 654.b
Bossina sub Romana. 709.a. 760.d
Bremensis Archiepiscopus contra Gregorium septimum. 663.a
Breuiarij Romani deformationes. 49.d. 184.d.e. 211.e
Britannia infecta Pelagianismo. 755.a.b
Bulgaria causa. 487.e. 488.e. 496.d.e. 503.a 508.e. 553.a. 555.c. 579.b
Bulla Romana cum capitibus Pauli & Petri. 533.b.c
Bullæ legationis. 757.c.d. 758.b.c. 759.c.d
Bullarum precia. 712.d
Bullas Papales Lincolniensis abijcit. 672.d
Byzantinus Episcopus sub Heracleensi Metropolitano. 570.a

C

Calaloi schisma. 742.b.c.d
Cadauer non habet caput nisi materialiter. 6.d
Cæsarea Metropolis Palæstinæ. 395.d.e. 562.d.e
Calabriæ Ducis iuramentum. 729.d
Calixtus an primus cælibatum præceperit. 295.c
Caluinus reijcitur. 613.d
Campanarum vsus ablatus Monachis. 373
Candelabra 7. Episcopi Cardinales. 607.e
Canon Constantinopolitani primatus, delatus & lectus ac acceptus Romæ. 572.c. 575.b.c
Canones Constantinopolitani primi Concilij Romæ non admissi. 571.b
Canones Nicæni, vide Nicæni Canones.
Canones supra Papam. 656.c.d. 657.d. 663.d. 669.b.c
Canonica consecratio Papæ includit assensum Imperatoris. 735.c. 740.c
Canonici Lateranenses, vide Lateranenses.
Canonici Regulares, vide Regulares.
Canonici qui sint & vnde sic dicti. 284.b.c
Canonum auctoritas. 254.b.c. 492.a.b.c. 757.c.d
obseruantia. 327.c. 505. & seqq. 671.e
custos Papa. 683.b. 756.d. 757.b.c. 758.c. 759.d
Caput influxus, vide Influxus.
Capitis Christi influxus. 7.d.e
Capitis nomenclatura. 39.e
Capitulum sede vacante 286.a. 471.d
Capuense Concilium. 654.b
Caput actuale in Ecclesia Christus etiam post ascensionem. 5.c.d. 6.d. 11.d. 137.b.c.
Caput Ecclesiæ Christus dũ viueret propriè non fuit. 12.e
Caput Ecclesiæ solus Christus. 7.c. 624.d. 635.b.c
Petrus. 17.c.d
Romana Ecclesia. 634.b. 653.a
etiam Rex. 153.e
Caput formaliter quatenus influit. 6.c
materialiter est membrum. 6.b.c. 634.d.e. & seqq.
Caput non est vllus Apostolus. 624.c.d
Caput Nouatianus. 718.b
Caput visibile reijcitur, vide Visibile caput.
Caput vniuersale in Ecclesia non datur. 618. & seqq. 717.b.c.e
Cardinales Episcopi. 406.b
Presbyteri in Ecclesia Mediolanensi. 412.e. 589.c
extra Hierarchiam. 491.d.e
plures in eadem Ecclesia. 587.e. 589.c
in Ecclesia Compostellana. 589.d
in Ecclesia Constantinopolitana. 589.c
Diaconi, vide Diaconi.
extra Romanam Ecclesiam. 589.c.d.e. 590.b 594.c. 595.a
adiutores Papæ. 590.c.d. 595.b
cum Pontificali potestate in suis titulis. 591.a. 595.c
Romæ sub Stephano tertio. 728.d. 729.a
Episcopi in Papa creando. 729.b. 747.b.c.d
sola fuêre Papæ Electores. 731.b
Episcopi externi suffragium legitimum in electione non habent. 592.a
facti Abbates. 592.b
nunc veri Cardinales non sunt. 594.c.d
nouo modo. 731.b.c
sunt proprius Clerus Romanus. 595.d. 596.a
cum Regibus comparati. 594.c.d.e. 595.a
assistunt Papæ 595.b.c.d
à Papa solo non fiunt. 599.c. 601.a.b.c

ex Prin-

ex Principibus sumpti. 599. b
electores Papæ. 730. & seqq. 770. b
Correctores Papæ. 599. d. 604. b. c
auditores Papæ. 590. d
loco Apostolorum. 600. b. c. 605. b. c
cum Papa unum corpus. 600. c. 603. e
procuratores Ecclesiæ vniuersalis. 601. a. 602. a. b 604. a. e. 605. 769. c. 772. a
contra Papam. 602. c. d. e. 603. 604. c. d
ex Constantini priuilegio. 606. c. d
sero in precio habiti. 609. d
propriam auctoritatem nullam habent sed tantùm delegatam. 607. d
quales esse debeant. 608. e. 609. a. b c
inepti multi. 609. c. d. e
supra Episcopos. 592. 769. c. 772. a
Cardinalat' de se nõ est gradus, 584. c. d. 592. b. c. 607. b. c
amittitur amissa Ecclesia. 591. b. c
cum residentia. 591. c
potestas iurisdictionis potius quàm ordinis. 607. a
male comparatur. 609. c. d. e
Cardinalis, Metropolitanus. 412. d
non est præses neque præcipuus. 584. c. 585. a. 590. b
à loco. 585. a. b
in aliam Ecclesiam translatus cessat in priori esse Cardinalis. 591. a. b. 595. a. b
nomen sine specialitate vlla olim. 592. b. c
à Papa priuari non potest. 602. e. 603. a. 772. b
inferior Episcopo. 592. 595. & seqq. 605.
Cardinalitia dignitas secularis. 606. d
ex Dominio temporali. 528. a. b
Cardinalium numerus & tituli. 608 b. c. d
creatio à Papa. 69. d. 767. & seqq.
reditus immensi. 598. e
munus proprium. 590. c. d. & seqq. 595. b. c. 607. a 608. d. 767. c.
numerus præfixus. 599. a. b
galerus & pileus ruber. 605. d
reformatio. 599. 600.
elatio vnde. 593. b
vnditas. 508. c. 599. a
Cardines Chronologiæ itinerum Petri & Pauli. 537. d. e
Cardines fixi Cardinales. 585. e 589. e 590. a. b
Cardo Cardinalium Papa. 586. a
Caro intelligitur suppositum. 49. c. 50. a. & seqq.
Carolum Molinæum infectatur Baronius. 627. d. e & seqq.
Carolus Magnus dat Provincias Papæ. 596 d. 638. c. d
Carthaginenses Canones de cœlibatu. 299. b. c. d. & seqq. 314. d. e
Carthaginensis Ecclesia non cecinit palinodiam. 658. a
Carthaginensis Ecclesia cum Romana colligatio. 287. b
Carthaginis dignitas. 560. b. 562. b
Carthago Romæ confertur. 264 d. e. 281. c. d. 384. a 554. e 555. a. 655. a 661. e
Castitatis votum non nisi indirecte. 262. c. & seqq.
Cathedra Petri. 52. c. 61 a. 114. c. d
Episcopalis Petri Romæ. 528. a. b. c. d
Aurea. 150. a. b
Ecclesiæ. 114. c. & seqq. 115. 118. d. 715. b. c. d
Romana Antiochenam præcessit. 116 b
Cathedræ Petri festum. 108. c. 539. b. c
Cathedrarum electio. 109. d
Catholica Ecclesia Papa cum Cardinalibus. 598. a
Catholicæ Ecclesiæ. 546. b. c
Catholica Ecclesia Episcopus. 546. b. c. 624. d. 630. b 690. b
Causæ graviores ad Romanum iudicium. 663. 680. d. e 684 b. 693. b. 694. e. 695. b. 696. c. 719. b. 758. a. c 762. a
Cœlestinus in Nestorij condemnationem. 689. a. b
Centurio factus Imperator. 545. c. d
Cephas quid significet. 52. b. 114. d. 121. b. c.
Cerimoniæ necessariæ in ordinatione. 187. c. d. 188. a 220. a. b
Cessatio à Diuinis. 470. d
Chalcedonense Concilium dat titulum Oecumenici Romano. 624 a. c 625. a. c. 630. c. d. 690. a. b
Chalcedonenses Canones legitimè facti. 573. d
Chalcedonensis Concilij acta summariè. 571
Character ordinis. 222. a 228. a. & seqq.
Charitas præponitur regulæ Monachali. 358. a
Chirotonia. 190. c. d
Chorepiscopi. 289. d. e. & seqq 591. a. e
Chorepiscopi Romani Linus. 615. b
Chorepiscopus non fuit Felix 1. 744. b
Chrisma à Presbyteris potuit confici. 283. c
Christi prædicatio statim post sumum baptismum. 192. a
Christi potestas transfusa in Apostolos. 247. c. d
Christo fit quod membris fit. 108. b
Christus totus includit etiam Ecclesiam & membra. 6. e 7. a. b. c
Christus Caput Ecclesiæ post suam glorificationem. 5. e
Chronicon Eusebij infidum. 537. b
Chronologia itineraria Petri & Pauli. 535. d. e. 543.
Chrysostomi electio. 404. e
Chrysostomus factus Episcopus Constantinopolitanus. 491. b.
depositus inter laicos positus. 671. c
Chrysostomum mortuum Cyrillus Alexandrinus male habet. 671. c
Circumcisionem vt necessariam, Petrus defendebat. 131. e
Circuli in paralogismis. 61. a. 65. e. 66. a
Cisternæ dissipatæ. 557. c
Ciuitates medicæ & vici non debent habere Episcopos. 278. c. d. 280. c
Ciuitates Regiæ & Metropoles tres in Imperio Romano. 477 a. b
Ciuitatis dignitas quid addat Episcopo. 262. a. b 118. d. 261. e.
extollit Ecclesiam Romanam. 562.
prodest & obest. 560. a. b
confert Ecclesiis. 395. d. e. 396. 397. b 581. c. d. e. 652. a. d
facit Ecclesias Patriarchales. 478. b. c. & seqq.
Claues Ecclesiæ datæ. 68. e. 70. c. d. 71. b. d. 80. a. b. c. d
in Ecclesia formaliter non tantùm finaliter. 81. a
in Petro & cum Petro accipiunt omnes. 70. a. b 79. e. 80. 81. 82. 612. e. 620. b. c
datæ Petro. 68. e. 69 a. b. c. d. 75. d. 620. b. c
non dant primatum Petro. 75. e
omnibus Apostolis datæ. 69. d. & seqq.
peccata dimittunt. 70. b. Vide Remissio.
Clauis errans non habet effectum. 71. b. 72. b
Clauis scientiæ & potestatis 71. d. 133. a
Clauium communicatio à Romana non est. 612. e
potestas cœlestis. 69. b
mysteria. 71. b. & seqq.
Clemens bis factus Episcopus Romanus. 208. d. e. & seqq.
& Iacobus à Petro ordinati. 168. e

primus,

primus post Petrum. 207.d.e. & seqq. 417.c. 418.a
eius Epistola ad Corinthios. 693.d
eius Epistole Apocryphe. 185.d.e. 186.a
Cleopatra capta. 558.c
Cleophas. 176.e 177 178.b. 179.a.b.c
Clericatus altior & arctior Monachatu. 373.b.c
374.a.b. & seqq. 375.b.c. 376.a e
Clericatus vinculum maius quàm Monachatus. 367.b.c
Clerici nomen. 169.b.c
Clericorum parca sustentatio. 284.d.e
Clericus desertor cogi non potest. 367.b.c
ultra Ecclesiæ non recipiendus. 587.b. 588.d
factus Monachus cessat à Clericatu. 370.c
quando sit professus. 356.d
Clerus Romanus. 286.b.c.d
Clerus Romanus contra Symmachum. 660. 661
Clerus & Capitulum eligit Episcopum. 409.d. 413.d.e
Coactio in Ecclesia non est. 142.e
Coadintores Episcoporum titulares. 291.a
Coadiutores cum futura successione. 418.a.b.c
419.c.d.e. 420.b.c.d.e. 521.c
Codex Canonum antiquus. 658.b
Cæciliani causa à Melchiade iudicata. 694.b
Cælibatus iure diuino non præceptus. 292.b.c
in minoribus propter Presbyteratum ambitum. 293.d
319.a
non lege sed sola consuetudine. 295.b. 297.c
in gratiam bonorum temporalium. 316.e. 317.a
essentialis Monachatui. 362.c.d.e
Collaterales Papæ Cardinales. 606.e. 607.d.e. 608.a.b
Collecta à Paulo procurata. 152.d
Collega Papæ Episcopi. 263.b. 672.e. 673.a
Collegij Apostolici vnitas. 79.a.b.c
Collegiata Ecclesia Romæ. 589.c. 591.a
Collegium presbyterorum. 283.d.e. & seqq. 595.d
Colomensis & Treuirensis contra Papam. 485.e
Commissa Ecclesia Apostolis & Episcopis. 21.c. 22.b
& seqq. 33.a.b. & seqq. 259.d.e. 286.e. 387.a.b
Communicant sua acta inter se Ecclesiæ. 713.b
Communicare non debent Diaconi ante Episcopos. 234.c
Communicatio Clauium: vide Claues.
Communio sacra tempore Iustini Martyris. 233.e
Communio cum Romana Ecclesia. 555.c. 643.e
644.a. 646.a. 655.c. 683.c. 684.a. 695.c.d
Communio inter Ecclesias. 688.b
Communionis causa in omni Ecclesia potest iudicari. 695.e
Concilia cum suffragijs tantùm Episcoporum. 597.e
terrorem incutiunt Papæ. 390.a
præferuntur Papæ. 656.b
definiunt res fidei. 145.d.e
suppressa Romæ. 597.d.e. 598.a
generalia potestati vniuersali Episcoporum nituntur. 273.a.b
prouincialia non accipiunt vim à Papa. 660.c
minora corriguntur à maioribus. 154.d.e
in eis subscriptiones pro absentibus. 269.e
eorum vsus. 154.b.d.e
Concilium Chalcedonense Papatui non fauet. 690.d
idem Leonem sequitur. 690.c
Concilium conuocare potest Prtriarcha. 482.a. 510.c.d
Concilium Florentinum de Papatu illegitimè statuit. 692.a.b
idem in schismate. 692.a
Concilium generale repræsentat vniuersalem Ecclesiam. 769.d
idem per Episcopos potest conuocari. 273.a.b
idem male sub Papa ponitur. 724.e
Concilium Hebræorum. 149.a.b. 150.e. 151.c.d. & seqq.
Concilium Hierosolymitanum. 103.c. 128.b.c.e
131.a.b. 198.c.d. 201.e. 202.a
Concilium in causa communi cogit Athanasius. 269.d
in propria causa Papa non debet conuocare. 660.c
maius non potest conuellere Canones Nicænos. 506.c
Tridentinum reijcitur. 229.d.e. 344.b. 346.a.b
Conclusio ex præmissis colligenda. 30.c
Concordata Leonis x. 513.a.b. 516.b
Concordia inter Ecclesias quærenda. 157.e. 158.a.b
Concubinatus Clericorum præfertur matrimonio. 308.d
Concubinæ Clericorum. 308.c.d. 346.b.c. & seqq. 347.c
Conditio turpis. 315.b.c
Confirmare fratres quid sit. 59.c. 60.a. & seqq.
Confirmatio baptizati. 20.b.d. 83.c. 200.e. 203.a. 206.c
electionum à Metropolitano. 416. 417
Episcoporum. 417.c. 516.c.d. & seqq.
Metropolitanorum. 520.b.c
Patriarcharum cum professione fidei. 520.c.d
Papæ ab Imperatore. 734.a
Religionum, Vide Religionum confirmatio.
Congregationes Cardinalium Romæ. 609.d.e
Coniugati ad sacros ordines promoti. 297.c.d. & seqq.
305.a.b. 319.d. 322.b.c
Coniugati Clerici resistunt Papæ. 307. & seqq.
Coniugatorum status iustior. 325
Coniugium Sacerdotum præfertur cælibatui. 292.d.e
318.d.e. 324.a
Connubium. Vide Matrimonium.
Consanguinei à promotione arcentur. 400.c.d
Consecratio Episcopi cum iuramento fidelitatis. 642.c.d
Episcoporum à proprio Metropolitano. 521.d.e
Episcoporum à Papa limitata. 552.d.e
omnis initerabilis. 227.c. 228.c. 229.a.c
Monachalis quid efficiat. 357.a.b. 368.d
non ordinat vt consecratio. 745.e
sui in Monacho. 355.d.e
sola sine electione sufficit. 747.e
Consecrationes vsurpat Papa. 521.d.e. & seqq.
Consiliarius non habet propriam dignitatem. 597.b.c
Consilio communi regebantur Ecclesiæ. 200.c. 203.d.e
204.b. 206.a. 610.d. 611.c.
Consistorium suppressit Concilia. 597.d
Constantiense Concilium damnat articulos Hus, 122.a.b
139.a.b. 726.a
igni tradendum. 621.c.d
Monarchicum. 726.a
terrori Papæ. 621.c.d
Romæ explosum, & depranatum. 601.b.c. 732.b
Constantini donatio. Vide Donatio.
Constantinopolis, & Roma vna ciuitas. 622.d.e
celebritas. 570.b
in potestate Latinorum. 583.c
ne Metropolis quidem olim. 478.c
Constantinopolitana Ecclesia sedes Apostolica. 570.a.b
cum Romana vna Ecclesia. 622.d.e
eius priuilegium. 570.a
Constantinopolitani Patriarchæ Hæresiarchæ. 623.e
Constantinopolitanum Primatum admittit Felix Papa & Concilia. 578.d. & alij. 579.a.b
cassat Leo. 577.c. 578.e. 580.c.d. 581.e
Constantinopolitanus Primatus æqualis Romano. 622.c.d.e
vsu firmatus. 572.e. 574.b.d.e. 575.a.b.c. 579.a.b

Non subiecit Romanum. 583.a.b
Constantinopolitana Patriarcha generalis, & iudex supremus. 671.690.a
Constantinopolitanus à Romano Pallium accipit. 502.e
Constantinopolitanus non se fatetur subiectum Romano. 704.d.e
Constantinus Cardinales extulit. 606.c.d
in Ecclesiam Romanam beneficus. 564.a.b
Consuetudo mutuit hierarchiam. 393.c.d
Continentes à proprijs uxoribus. 320.c.321.a.e
Continentia preparatoria. 320.b.324.c.d
Continentiæ prima lex. 300.b
Controuersiæ hierarchicæ. 395.c.d.397.b
Conuersio est abstinentia ab uxoribus. 296.c.298.a
Copulari matrimonio. 315.d
Corinthiaca Ecclesia sub Romana. 475.e
Corinthiaca dissensio. 105.d.e.196.d.e.198.e.203.e
Cornely Romani electio. 727.d
Cornelium Cyprianus arguit. 644.d.e.& seqq.
Corona non pro locis sed pro factis redditur. 376.d
Coronatio Papæ. 744.d.e
Coronatio Regis à Metropolitano. 307.a.397.a
Corpus Christi conficere. 197.c.198.b.199.c.201.a 234.c.d
Corpus Canonum antiquum. 658.b
Corsica sub Romana Metropoli. 587.a
Crimina grauia deperdunt ordinem. 227.a.b
Criminosi arcentur ab ordine. 322.a.b
Cruces in pallio. 497.c.500.a
Crucifigitur Christus in Petro. 108.b
Crucifixionis Christi presentes Marie. 181.c.182.a.b.c
Cura generalis Patriarcharum. 611.a.690.a
Cura uniuersalis in unoquoque Episcopo. 246.b.c 259.c.d.e. 262.d.e. & sequen. 269. & seqq. 277. e.278.279.287.b.554.d.653.b.c.678.a.682. 683.a.b. 690.b.693.d.755.b
Cura uniuersalis Papæ. 483.b.594.b.622.e
Curia Romana scatet vitijs. 514.a
Curia bonos facilius recipit quam facit. 607.b
Cursus pro statu vitæ. 334.c.335.a
Cypri Ecclesiæ nulli Patriarchæ subdite. 475.b.c. 487.d.e
Cypriani cum Stephano dissensio. 264.c.671.a.b
Cypriani locus de virginibus. 331
Cyprianus à Monachicis detorquetur. 113.
Apostolos facit equales. 23.a.b.c
equales Stephano. 262.d.e
coniugatus. 297.e
contra Papatum. 644.d.e.& seqq 714.715.
cum cura uniuersali. 269.a.c.682.a.b
Cyriacus Constantinopolitanus supernixit Gregorio. 705.a
Cyrilli locus conflictus. 111.c.12.a.& seqq.
Cyrillus Alexandrinus cura uniuersalis. 271.c
Cyrillus Alexandrinus contra Innocentium. 671.c
donatus Phrygio. 494.b.c
Cælestini legatus in Concilio Ephesino. 689.a.b 709.a
præcedit Synodo Ephesinæ. 494.c

D

Dalmatia mutat Patriarcham. 488.c.503.a
sub Romana Ecclesia. 495.e
Damasi schisma. 733.d.e.753.c.d
Damasus non tuetur Papatum. 696.
multa eripuit Presbyteris. 197.c.d
se inferiorem Concilio Capuensi agnouit. 654.b
Damascenus non magnæ autoritatis. 110.b
Dardania & Illyricus ad Papam defciunt. 488.c.489.a 709.c.760.d.e
Dataria Romana. 712.d
Decanus Petrus. 40.b
Decimarum compositio. 470.d
Decreta Hierosolymitana. 198.c.561.c
Decretales Romanæ pugnant cum sacris Canonibus. 347.a
Decretum electionis à plebe. 408.a.411.c.412.a.b.c
Decretum irritans matrimonium post votum solemne. 339.d.e.345.c.d.e. & seqq.
Delegati Petri Apostoli, Vide Ordinarius Pastor.
Delictum si absit omnes sunt pares. 201.c.d
Deliramentum visa est resurrectio. 60.e
Demetrius Alexandrinus propagat fidem. 277.e
Democratia pessima est & tumultuosa. 153.c.d.155.a
Democratia aliqua in Ecclesia. 141.a.b.c
Depositio aufert ipsum ordinem. 321.b.c.d
Episcoporum. 276.a.b
Papæ per exilium. 743.c.d.750.c
Patriarchæ. 490.e
Deputatio facit ordinem. 222.c.d
Deum sensi eidem amamus. 638.d.e
Deuolutio electionum. 515.d.e.516.a
Deus aperte vocatur Papa. 265.d
Deus Dominus uniuersalis. 635.c
Deus Rex immediatus Israelitarum. 150.d.e
Diaconatus amissibilis & iterabilis. 232.c.d
Diaconi & Lectores idem officium. 241.e
Diaconi Cardinales ad pedes Papæ sedebant. 593.e 607.c
ydem Euangelium cantant. 608.d
Diaconi Euangelium decantant. 241.e
regionarij sine titulis Ecclesiarum. 589.e.608.c.d
inferiores Presbyteris. 234.c.235.a.b
nomen etiam Episcopis conuenit. 201.b
officia & potestas. 233.234
Papæ meri famuli. 593.e.607.c
ob paucitatem honorabiliores olim. 593.e.597.a
Referendary Papæ. 594.a.b
primi simul etiam Presbyteri. 235.c.236.a.240.e 241.a
Romani superbi. 593.b.c.d
Diaconiæ Cardinales Romæ. 585.b.589.e.608.c.d
Diaconissarum munus. 330.b.c.e.& seqq.
Diaconorum continentia. 295.e.& seqq.
duplex genus. 236.a.b
insolentia. 236.d.e
prima institutio. 127.a.b.231.c.d.e
Diaconus minister baptismi. 234.c.283.d
pœnitentes absoluit. 234.b
potest immediate fieri Episcopus. 223.c.728.d
Dialectica probabilium. 44.b.10.c.141.e
Dictatus Gregorij septimi. 685
Didrachmum. Vide tributum.
Dignitas Cathedralium regunt absente Episcopo. 287.c.d
Diœceses ab Imperatoribus augentur. 575.b
Diœcesium controuersiæ. 469.b
Diœcesium Limitatio & destinctio. 268.b.c.& seqq. 273.c
Dionysius Alexandrinus à Dionysio Romano indicatus. 694.a.708.a

Dionysius Corinthius ad Pium. 310.c
Dioscori depositio. 405.a
Diospolitanum Concilium. 722.c
Diotrephes ambitiosus. 202.e
Discessio Ecclesiarum à Romana. 557.e.567.a.508.a 604.d.665 a.b
Discipuli Christi multi. 13.e
desertores Christi 193.a.b
septuaginta duo. 14.a.b.72.147.e.144.d. 175.a 176.b.192.c.d.e.193.194. 195.d.e. 197.a.236. a 251. c. 289.c.
Discipulorum & Apostolorum munus idem. 20.c.d
missio. 13.e.14.a.b.20.c.d
prima electio. 191.d.e.& seqq.
Dispensatio cum Monacho ad egressum. 365.d.e
in professione religionis. 332.c.339.c
ab Episcopo cum Diacono ad ducendam uxorem. 296.a.b
in voto Religionis. 359.e.365.d
pro postulato. 521.b
in bigamia in eligibilitate & cum illegitimis ad ordines. 470.c.4 1.a
in lege Ecclesiastica. 318.a.b
in cœlibatu ab Episcopo. 296 a.b c.297.b
ad Matrimonium Monachi professi. 364.d e
Dispensationes Romanæ. 318.b.c.& seqq.471.a
Dissensiones inter Episcopos olim. 511.b c
Divisio Ecclesiæ in partes. 384.a.& seqq.
Divisio Apostolorum. 32.a.64.b.120.a.b.267.a.b
Divites assumpti ad Episcopatum non alantur bonis Ecclesiæ.404.e
Divortium propter Sacerdotium. 303.c.323.d.e
Dominatum Christus ab Apostolis removet. 123.e 141.b.& seqq.
Dominus quo vadis. 108.b.136.d
Dominum procul à ministris. 17.b.18.a.b.201.c 284.b.b
Dominium temporale. 596.d.598.a.b
Dominus vobiscum. 235.a
Domus Dei Ecclesia. 64.a.384.c.d.721.b.c 588.d.e
Domus sancti corpus
Donatio Constantini. 493.d.e.564 a.b.606.c.d
Donatistæ inter Episcopos Africanos. 703.e
Donatistæ Episcopi Romæ. 288.d
Donatistarum schisma. 557.a 519.a.b
Dorotheus synopsis defenditur. 587.c.d
Dos Ecclesiis danda. 310.d.e.& seqq.
Draconitio Monacho Adrianistæ.
Ducatus Apostolatus in Episcopo. 267.e

E

Eboris damnatio. 519.e
Ecclesia tota in Petro accipit claves. Vide Claves.
Est in republica. 560.a
& Synagoga differunt. 12.a.b.c.51.b.63.e
in Monachali professione nihil sui habet. 361.a.b. 366.e.367.a
est ex animab' cõstructa domus. 64.a.384.c.d.721.b.c
per totum mundum diffusa. 189.e
non est sine Sacerdote. 152.e
veteris Testamenti & novi eadem. 146 a.b
est unum homogeneum. 384.e 385.c.d
una & Ecclesiæ plures. 384.a.b.c.d
in ys quæ facti sunt potest errare. 184.d
non est in solis Episcopis & Presbyteris, 141.c.d
inter Gentiles. 147.a.b.c
sub vera Monarchia. Vide Monarchia.
communis a Apostolis, Vide communis a.
supra Papam. 619.d.e
militans & triumphans eadem. 146.c.d
post Christi ascensum fundata. 12.a.51.b
Ecclesiæ dissentire est Christo dissentire. 7.a.b.c
Ecclesia iudicium. 153.b.c
orationes remittunt peccata. 83.c
priores instruunt posteriores. 394.b.c
careant sepulchris. 587.c
divisio. Vide divisio Ecclesiæ.
suffraganeæ non sunt alienæ Archiepiscopo. 470.c
Edicta Metropolitanorum in tota provincia. 409.b
Egesippi peregrinatio. 393.e
Electus antiqua Episcoporum. 200.d.e.206.b.c.398.e
non dat vis electo. 414.c.415.a.
Papæ à tota Ecclesia. 601.a.b.c & seqq.612 a.614.a 619.d e 727.& seqq.
ex solo divino suffragio. 414.d
manet penes Clerum & Capitulum. 409.413.d.e
à plebe. 101.d.141.b.c.153.a.399.& seqq.408.a 411.e.412 a.b.c
Papæ 406.a.414.e.727.& seqq.744.d.e.& seqq.
nominatio postulatio, &c. 399.a.401.c.402.d.414.c.d
ministrorum. 101.c.d.e
sola facit Regem. 745.b.c
Electiones populares cum turbis. 400.c.d.402.b.c.d.404.e 410.d.414.c 415.e. (401.d.405.e.406.a
Electiones ex divina & Apostolica traditione. 400.a.b
Electionis Papæ ius cessum ab Imperatoribus. 738.d.e
Electionis ius est temporale. 601.a.b
Electionum Papalium regulatio. 732.d.e.& seqq.
Electionum iura olim non exacta. 744.b.c
Electoratus Papæ quæ dignitas. 596.c.e.597.601.
Electores Papæ Romani natui. 718.e
Electores Papæ nomine totius Ecclesiæ universalis. 732.a.b
Eliquatissima discussio verum fidei. 389.390.c
Eminentia Ecclesiarum aliquarum unde. 523.d.e
Ennodij Diaconi libellus. 660
Ephesinum Concilium à Cælestino vetitum. 689.a.b
Epiphanius Constantinopolitanus fuit legatus Hormisdæ. 661.d.
Epiphanius in aliena Diœcesi Episcopalis exercet. 168.c.d
Epirus sub Romano. 760.d
Episcopalia munera propria. 197.b.c.677.c.d
Episcopatus unus in solidum. 380.b.c.d
in nouus ordo. 221.d.e.222.
opus est & labor. 273.c.276.d
potest conferri sine Presbyteratu præcedenti. 222.d.e 223.c.d
Dignitas fastuosa. 415.b
gradatim acquirendus. 223.d.b
est potius Magistratus quã Principatus. 751.e.752.a
Episcopi Cardinales soli schisma possunt impedire. 752.d
Episcopi Cardinales quot. 584.d.585.b.589.b.591.e 607.e.608.b
Episcopi rapti & vi facti. Vide Ordinati inviti.
Principes Ecclesiarum. 70.b.246.c.d.247.e.& seqq. 249.a.b.252.c.d.e.261.c.d.286.b
titulares, Vide Titulares.
tempore Apostolorum. 195.d.e
plures in eadem Ecclesia. 268.a.288 200.c.203.d.e 204.b.206.418.c.419.d.420.e.& seq.610.d.611.c
in aulis Principum. 25.b.c.& seqq.
soli Decorationem reddituri. 244.c.d.e.& seqq.

uxorati utentes uxoribus. 311.a.b.& seqq.312.a
iure Diuino. 243.& seqq.663.b.c
sub Papa an haretici. 216.c
nomen separatum à Presbytero. 204.a.206.a
precedunt Cardinales. 592.b.c.& seqq.595. & seqq.605.
presunt sine iurisdictione. 40.b.c
supra Presbyteros. 195.d.e.& seqq.
non sunt à Papa. 247.b
omnes equales. 554.d.e.& seqq.653.e
ab Episcopis fiunt. 161.a
à Papatu dignitate & antboritate spoliati. 670.b.c.d
sopiti excitantur. 258.
summa potestas. 140.a.b
propriarum Ecclesiarum non possunt esse Roma Cardinales. 591.c.d
grauia agant cum consilio suorum Presbyterorum 283.d.e.& seqq.
nomi, Vide Nous Episcopi.
Episcopis in Concilio Basileensi restituta dignitas. 670.b.c
Episcopo lapso labitur eius Ecclesia.625.e.626.a.635.d.e
Episcoporum Episcopus nemo. 244.c.256.a.389.c.d.e 390.c.712.e.713.a.b
Episcoporum ordo Patrum generator. 191.a. 197.d.
uxores separanda. 302.c.d
sura illibata. 254.b.c.& seqq.
& Presbyterorum discrimen. 194.c.d.e.282.e. & seqq.
ordinationes, Vide Ordinationes.
necessitas. 197.b.205.b.c.721.e.vide unus Episcopus.
rebelliones à Metropolitanis. 524.c
munera essentialia & accidentalia. 198.a
Episcopos omnes Papa posset abolere. 69.c.257.a 690.c
Episcopum descendere ad Presbyteratum sacrilegium. 596.b
Episcopus non nisi ex Cardinalibus fiat. 429.b. 589.b.c
semper secum habeat testes Clericos. 302.d
ex Laico. 222.d.e
à Deo qui sit. 404.a
Cardinalis Alexandrinus Cisalpinus. 589.d
potest se ad libitum abdicare. 418.e
actu & habitu. 145.c.267.c.d.e.531.b.c.e.605.b 615.b
olim sine electione per successionem. 200.d.e
quilibet in sua Ecclesia est Papa. 257.c
supremus gradus in Ecclesia. 261.c.d.389.a.b
absolutè Romanus. 548.a
potest Episcopum in sua diœcesi nouum creare. 280.a.b 289.b.
ordinatus à Christo Petrus. 107.b.c
unus in una Ecclesia. Vide unus Episcopus.
non nisi actu 677.c
Epistola Pauli ad Galatas Antiochia scripta. 538.c
Epistola veterum Pontificum Apocrypha. 23.c.24.a 42.c.391.e.392.693.a.b.c
Epitaphium Stephani sexti. 555.c
Eradius coadiutor Augustini. 288.e
Esau primogenitura quid erat. 26.e
Ethnici edificati ex nostrarum virginum fletu. 353.e
Euangelij predicatio propria. 14.b
Euangelij noua promulgatio. 145.c
Euangelista quis. 241.a.b
Euangelizare est ministerium maximè proprium Apostolorum. 15.d.19.b.33.c.d
Euangelizare ministerialiter & potestatiue. 18.d.e
Eucharistia asseruabatur. 234.c
domum asportabatur. 237.a
precibus conficitur. 214.c.d.219.c
Eucharistia sumende modus. 21.e
Eucharistie institutio. 218.e
Eucharistiam non faciunt verba imprecantis sed vita. 214.c.d.217.e
Eucharistiam conficere, Vide Corpus Christi.
Eulalij imprudentia. 734.a.b
Eunuchus Candacis. 529.b
Euphemius Constantinopolitanus. 748.b.c
Eusebius Cæsariensis respuit Antiochenum Episcopatum. 401.b
Vercellensis. 270.b.d
Constantinopolitanus, 704.e
Samosatenus. 270.c.d
Euseby chronicon infidum. 537.b
Eustatbiani. 312.c.d.e.315.b 334.e
Eutychij electio miraculosa. 405.b
Exarchi confirmant Papam. 738.e.739.a
Excommunicandi potestas in omnibus Apostolis. 74.d
Excommunicati ab uno non recipiendi ab alio. 656.a
Excommunicati Romæ absoluuntur. 318.c.d
Excommunicatio etiam à plebe 141.b.153.c
facit schisma. 644.c.646.c.d.e.653.d.671.b.c.d.e
à Diaconis. 233.c.235.c
Victoris contempta. 644.a.b.c
Apostatarum à religione iniusta. 367.e.368.a
in Papam ab Episcopo lata. 651.a.662.d.669.a.b
superioris ab inferioribus. 486.b
in non subditum. 268.c.271.b
Excommunicatus ligatur. 24.c.80.a
Excommunicatio non participat de Spiritu Christi. 7.c.
Excurrendi potestas in quocunque Episcopo. 267.d 281.a
Excursus an sit proprius Apostolorum. 267.d.& seqq. 281.a
Executores Clerici perperam dantur. 656.657.c
Exercitus etiam eligit Papam. 728.c
Exilio Episcopi vacat sedes. 743.c.d 748.d.752.b
Exilium a tota Prouincia per Metropolitanum. 471.b
Exilium deponit Papam indirecte. 743.c
Expectatiua gratia iniqua. 672.d
Externum tantum regimen in Papa. 8.d.10.c

F

Facta narrantur ab historico non quæ fieri debuerunt. 4.b.
Factum Christi formam Ecclesiasticæ Reipub. explicat. 4.a.b.10.c.e
Falsitas potest dogmatizari. 621.d
Fames sub Claudio. 536.d.e
Famuli mensæ Domini. 17.a
Fasces Papæ submittunt Episcopi. 524.a.b
Fernor Petri. 41.a.[illegible]
Fides dogmata Apostolorum auctoritati innituntur. 19.b
defuncto non Roma tantùm. 602.d
propagatio. 145.b.d

INDEX.

regula. 8.d.10.c.22.e.63.c.145.d.e
tenacior vna Ecclesia quàm alsa. 388.a
Fideles inter gentes. 147.a.b.c
Fidem in passione amiserunt Apostoli. 59.a.b.60.d.e
Fides & ius diuinum non sunt idem. 614.c
Fides Petri non defectura. 60.a.98.b.c
Figura Ecclesiæ Petrus. 80.& seqq.
Filiæ Ecclesiæ subiectæ matri. 562.e
Filij Papæ Episcopi. 696.a
Firmilianus contra Stephanum. 528.d. 646.b.c & seqq.
Flauitas sine Romano noluit imbronizari. 519.a
Flectamus genua. 234.e
Florus de electionibus. 405.d.e
Felix primus Romanus Episcopus plenè agnoscitur. 707.e 743.c.d e. & seqq.
Felix tertius Papatum ad Petrum primus reduxit. 700.e.701.a
Fons Ecclesiæ. 113.a.b. Vide Radix.
Fontaliter potestas in Papa. 253.b.256.d.e
Forenses Clerici. 586.a.b
Formatæ literæ. 108.c.d
Formosus ex Episcopo primus ascendit ad Papatum. 752.e
Francia Rex eximitur à subiectione Papæ. 725.b
Franciscanorum Capitulum contra Papam. 670.a
Frater Domini mysticè. 172.e.174.b.177.b
Fratres Domini. 173.e.176.c.d. 177.a.178.d.e 179.c d.& seqq. 181.c.
incredùli. 177.a.e. 180.a. 184.a.b
Dominum vera cognatione non attingebant. 180.d
Fratres omnes fideles. 59.e
Fratri semensu citare. 19.a.b. 106.b
Frivola noxia & innoxia. 626.b
Fundamenta Ecclesiæ Apostoli. 21.c.27.b.42.e.59.d 62.b.c. & seqq. 63.65.c.d.66.b.c.d
fides. 47.c.d.e. 48.b.49.e.51.e
Christus. 46.a
Fundamentum est prædicatio. 55.a.b.c.62.a
Fundamentum fundamenti Christus solus. 62.b.c 65.b. 66.b.c
Fundamentum Petrus. 52.c.d.e.53.a.b.54.e.55.a.b & seqq 61.b.& seqq.61.e.65.a.66.c. 102.c.110.b
Fundator Ecclesiæ Paulus. 133.b.d.e

G

GAlla Placidia fauet Romanæ Ecclesiæ. 564.e
Galliarum primi Episcopi Romam missi. 693.c
Gallicana Ecclesia contra Romanam. 602.d.669.b 672.a
Gazophylacium templi. 664.d
Gelasius à Gerberto laudatur. 663.e
in libello Papatum agnoscit. 650.a
a magno Papatu remotus. 701.e
Gentes quomodo Petrus manducauit. 103.c
Gentibus Euangelium primùm à Petro. 103.a.b.c 118.c
Gentium Apostolus Paulus. 91.c.d
Gerberti Abbatis electio in Archiepiscopum Remensem. 406.b.c
Gerbertus contra Papam. 663.c.d.& seqq.
Gerbertus Papa. 724.a
Gersonius aliud sentit, aliud dicit. 621.d
Gladius Petri. 100.b
Gladius spiritualis ciuili suppletur. 275.c.
Gothorum irruptio. 730.a.
Gradus Laicorum vnde sumuntur ministri. 320.& seqq.
ad ordines. 223.a.b.c.425.
Græce Ecclesiæ in Calabria. 502.d.
Græci assentatores. 701.b.
Græci in Concilio Florentino omnibus non consentiunt. 692.a.b.
Gratia Apostolicæ sedis Episcopi. 670.c.
Gratia ordinationis quæ sit. 215.a.d.216.a.b.d. 217.a.b.222.b.225.b.& seqq.230.d.e.231.a.b.
Gratianus corruptor & viciator. 294.d.295.c. 298.b.
Gregorij Nazianzeni. Vide Nazianzenus.
Gregorij tres amici. 342.d.
Gregorij magni summa humilitas. 702.c.
Gregorius excedit aliquando. 367.d.
à Mauritio confirmatus. 737.a.
an Simoniacè confirmatus. 737.a.b.c.
legatus Pelagij Constantinopoli. 737.e.
in Psalmos pœnitentiales scripsit Constantinopoli. 737.e.
ante confirmationem abstinet à Papatu. 746.d.
aliquem Papatum exercet. 757.e.758.
ab eligendis Episcopis refugit. 411.b.514.b.c.
imperiosus & minax. 485.b.
Mauritij filium à fonte suscepit. 737.c.
priuilegia Ecclesijs seruat. 507.e.508.a.
primus Cardinalium meminit. 586.d.
Pelagij amanuensis. 623.c.
à Papatu remotus. 662.e.& seqq.702.d.e. & seqq.
sextus legitimus Pontifex. 750.c.
Gregorius septimus conatur vxores Clericis auferre. 306.d.e
Gregorij septimi electio. 729.c
Gregorius septimus indiscretus. 346.c. Vide Hildebrandus.
Gubernatio & regimen an differant. 35.a.b.64.e
Gubernator Ecclesiæ Rex. 153.e
Gubernatores Apostoli. 17.c
Guibertus Rauennatensis. 663.a
Guido Viennensis, Papa. 724.a
Guntharius Colonicnsis. 485.e.& seqq.

H

HAbitus non facit Monachum. 352.d
Hadrianus dat Carolo Magno ius eligendi Papam. 739.c
Hadrianus secundus sine Imperatore factus Papa. 740.a.b.d
Hadrumetinus conuentus. 715.d.e
Hæreditas Christi est Ecclesia. 159.c
Hæreditariæ non sunt dignitates Ecclesiasticæ. 400.c.d
Hæreses ab Ecclesia Romana profligatæ. 679.d
Hæreses & schismata vnde orta. 645.a
Hæresis non est nisi publicè definiatur. 204.d.e
Hæresis condemnantur à Papa multi sine causa. 122.c
Haganon Bergomas. 486.e
Hæretici non sunt in Ecclesia. 7.b.c
Hæretici an sint Episcopi sub Papa. 210.c
Hæreticorum ordinationes. Vide Ordinatio ab hæreticis.

Hebræo-

INDEX.

Hebræorum Ecclesia Aristocratica, 146.147 & seqq.
Heracleensis ordinat Constantinopolitanum. 490.e 491.d
Heracleensis Metropolis. 478.e.570.a
Herodes misit Vagos. 127.d.e
Herodes occidit Iacobum. 537.a
Hierarchia Canonibus stabilita. 393.a.b.c.394.c.d.e 395
Hierarchia Ecclesiastica. 145.a.b. 504.b c.d 758.b
Hierarchia abusus. 394.d. 397.a.b
Hieronymus an Antiochenus Presbyter. 721.c.d
Clericatum non exercuit, 369.e.370.a.b.c 606.b
homo Romanus. 719.e
non fuit Cardinalis, 606.b.c
iniquior in Episcopos. 203.b.c
conterraneus autoris. 73.d
undique consulitur. 719.b.c
Hierosolyma pro Roma. 561.a.b
Hierosolyma sub Cæsarea. 395.d 475.c.479.c
Hierosolymitana Ecclesia Patriarchalis facta. 280.c 395.e
mater aliarum, 470.c.d.560.c.d. 561.a.b.c
Palæstinam occupare nititur. 506.b.c
Hierosolymitanus contra Papam. 500.d
Hilarius Pictauensis. 270.c
Hilarius Arelatensis violentus. 513.a.b
Hildebrandus Papa ad corrupta tempora pertinet. 756.c
visitandorum liminum inuentor. 641.d.e
ab Imperatore confirmatur. 742.d.e
subigit sibi regna. 567.c.d
ante consecrationem exercet Papatum. 746.c.d
Hincmari libertas, 509.a.b
Hincmari ordinatio. 519.d.e
Hincmarus Remensis contra Papam. 663.b
Hispaniæ primi Episcopi Roma missi. 533.b
Hispaniæ partem donat Hildebrandus comiti. 746.d
Hispaniæ Romana iudicia nolunt. 665.a.668.d
Historicus facta narret non quæ fieri debuerunt. 4.b
Hostriensium schisma. 588.c
Histri Episcopi à Romano separati. 663.a
Homophorion est pallium. 496.c.d
Honor non est in ministerio Ecclesiastico. 17.e 18.a
Honorij lex contra schisma. 728.a
Honorius Eulabium expellit. 733.c.& seqq
Hormisda Epiphanio Constantinopolitano quid committat. 771.d
Humilitas in superioribus non semper laudabilis. 91.b
Hus damnatur. 122.a.b. 139.a.b.726.a
Hussitarum error circa ordinationes. 215.d.e 216.a.b.c
Hussita ordinationes sumunt à Catholicis, 216.b
Hypostasis nomen suspectum olim. 720.a

I

Iacob figura populi Christiani, 312.a.b
Iacobi Alphæi martyrium. 185.b
Iacobi Apostoli memoria in Ecclesia. 174.c.184.c.d 185.a
epistola Catholica. 184.a
fratres Domini an duo. 185.c.d.e
Hierosolymitani ordinatio. 169.b. 172.c. & seqq.
Iacobus Cleopæ filius. 177.c.179.a
Iacobus frater Domini fuit Episcopus Hierosolymitanus. 171.d.e. & seqq.
non potest esse frater Ioannis. 173.d.e
an fuerit Apostolus ex duodecim. 173.d.e. 174. 175.176
par Petro & Ioanni. 173.e.174.a
Iacobus minor. 174.b 175.e. 178.a. 181.d
Iacobus Zebedæi consobrinus Domini. 180.e 182.d
Ianua cœli Apostoli. 21.c
Ianua Ecclesiæ. 719.a
Icarus volatus Romæ. 581.e
Ieiunia & preces in ordinationibus. 170.b
Ieiunium institutum à Telesphoro. 694.a
Ieiunium Sabbathi. 246.c
Iesuita professi pauci. 366.d
Iesuitarum vota. Vide Societas Iesu.
Ignatius Constantinopolitanus. 508.e.579.b
Igne digna sententia quædam Paludani. 253.b.c
Illegitimi ad ordines dispensatio. 470.c.471.a
Illiteratus non est capax ordinis. 213.e.214.a.c.313.c.d 227.b.666.c
Illiteratus potest esse hostiarius. 369.d
Illiterati Romani Pontifices. 664.d. 667.c.d
Illyrici Episcopi curam gerunt vniuersalem. 271.d
Illyricum sub Constantinopolitano. 575.b
Illyricum sub Papa. 760.d.e
Imagines Christi sunt Apostoli. 33.d.e. 34.a & seqq.
Imagines venerandæ sed non latriæ. 691.d
Imperator circa Diœceses. 575.b
Imperator à Papa subactus. 508.c
Imperatores in electione Papæ. 733.c.d.e. & seqq. 735.c.d
pro Papatu ad splendorem vrbis laborant. 525.b
ab electione Papæ exclusi. 732.c.d. 741.a.c.742.c 743.a
coercuerunt Papam. 568.b.c
Ecclesiam extulerunt. 564.565. 679.d 723.c
solicita de potestate iurisdictionis non ordinis in Papa. 746.c.747.a.
Imperator negotia Ecclesiæ communicanda. 413.a.b
Imperatoris præsentia Romanam effert Ecclesiam. 623.a
Imperatorum opera succurritur Ecclesiæ. 678.c.d.e 679.
Imperialis ciuitas quæ sit. 581.c.d.e. 582.a
Imperij terreni & cœlestis iura Petro data. 121.c.e
Imperij socius. 31.a
Imperium Romanum profuit fidei. 558.c.559. 560
Imperium per Papas extinctum. 736.b.c. 739.b.c
Imperium Græcis ereptum murus. 501.c.& seqq.
Inæqualitas aliqua inter Apostolos. 37.e.38.a.b 41.c.d
Incrementum dat Deus. 16.a.b. 19.a
Index expurgatorius. 13.d
Indignatio Apostolorum. 125.d
Indumenta sacerdotalia. 221.c.222.d
Infirmus Episcopus non deijciendus. 42.d
Influxus capitis. 6.c.7.d.e.8.c.e. 12.c.d.e.b
Ingratitudo Romanæ Ecclesiæ erga Reges. 5[illegible] 723.c
Inungere cum præcepto. 69.c

INDEX.

Innocentij tertij cum Constantinopolitano concertatio. 634
Innocentius primus à Cyrillo contemptus. 671.c.d.e
Innocentius primus Papatum non tuetur. 697.d.e
Innocentius secundus perperam electus. 730.a.731.d
Innocentius tertius Episcopos omnes suos facit coadiutores. 762.c.d.e.763.e
Innocentius 4. à Lincolniensi male habitus. 604.b.c.d 672.b.c.d
Institutio Apostolorum omnium eadem. 22.c.d
Insufflatio non est necessaria in ordinatione. 186.d 219.a
Interpretationum voluntarium. 131.a
Intrusi quomodo legitimè sedeant. 747.e
Inutilis non est dandus Episcopus. 403.e.409.a.& seqq. 412.d. 523.b.695.a.b
Ioannes Apostolus à nuptijs vocatus. 41.e
Romæ. 532.e.542.e.558.c
supra pectus Domini. 30.e
Ioannes Baptista Monachorum Princeps. 350.a
Ioannes Chrysostomus exercet Primatum. 575.a
Ioannes xij. scelestus. 636
Ioannes & Petrus comparantur. 38.d.41.e.42.a 56.d.e. 57.a.e.
Ioannes Ravennas. 486.e
Ioannis Apostoli mors sine martyrio. 85.b.c
Ioannis revelationes. 56.d.e. 57.a
Ioannis Papæ 22. scelus. 670.a.b
Iob fuit Sacerdos. 147.b
Ioppe in Palæstina. 536.a
Ioseph bigamus. 181.a.b.c.183.a.b. 186.a.b
Ioseph virgo à quibusdam asseritur. 186.b.c
Iosephi cognatio. 176.c.d
Iosephi filij fratres Domini: vide Fratres Domini.
Irenæus cum cura vniuersali. 269.b
Ireneus Victori resistit. 644.b
Irregularitas ex pœnitentia. 217.b
Isaurie Episcopus fugit Corcyram. 588.d.e
Ischyræ ordinatio. 222.e.223.c
Italia tota sub Romano. 549.d
Italiam Paulus convertit. 134.b
Iubendi verbum arrogans. 699.c
Iubere Apostolis an potuit Petrus. 114.b
Iubere Papa Patriarchis non potest. 484.e.485.b
Iudæi cum iurisdictione tempore Christi. 149.a.b 152.c.d
Iudæi Roma pulsi. 534.d.535.a.537.d.538.e
Iudæis dispersis prædicauit etiam Paulus. 537.a
Iudex in propria causa. 28.c
Iudicia Ecclesiastica turbat Roma. 673.c.d
Synodalia in alia Synodo discutiuntur. 648.d.e
Synodi contra Papam autoritate Regia. 661.d
vltima Romæ. 683.c.d
vltima ad Patriarchas. 696.d
Iudicialia negantur Papæ. 656.a.b
Iulius cum Orientalibus modestè. 695.a.b.c
in defensione Athanasij pro sua existimatione laborat. 652.b
Papatum iure diuino non agnouit. 649.a.b.c
Iuuenis Carnotensis electio & consecratio. 413.c
cura vniuersalis. 271.e. & seqq.
querimonia contra Papam. 673.a
Iuramentum Ducis Calabriæ. 729.d
fidelitatis erga ordinatores. 488.b.662.e
fidelitatis Papæ. 642.c.d
prò pallio. 498.499.d.e
Iurisdictio in Ecclesia. 142.e.656.d.e
Episcopalis in Presbyteros. 201.c.d
falsa induxit Papatum. 621.a
Iurisdictionis potestas in Apostolis. 26.c.d.30.e 31.a. Vide Potestas.
Ius diuinum & fides non sunt idem. 614.c
Iustiniana prima. 495.c
Iustiniani priuilegia Romano Pontifici. 565.a.b
Iustinianus curat Ecclesiastica. 679.a.b
Papam extollit. 679.d. 709.c
rigorosus erga Episcopos vxoratos. 323.d.e
Iustinus iunior Pelagio & Gregorio molestus. 737.e
Iuuenalis Hierosolymitanus. 506.b.c. 699.d
Iuuencule inepte ad votum castitatis. 330.e

L

Labores manuum Apostolorum. 70.a
Laici ab electionibus excluſi. 415.d
ab electionibus non excluduntur à Canonibus. 742.c
iudicant Ecclesiastica. 153.a.b.c.d. 154.e
Laicus non promouendus ad Episcopatum. 223.a.b
Lambertus Imperator Romanam Ecclesiam effert. 565.c.d
Laqueus est præceptum continentiæ. 310.a.342.a.b
Latera Romanæ vrbis. 723.a.b
Lateranenses Canonici. 595.e. 596.a. 597.b.598.b 731.e.769.c
Legati non turbent Metropolitanos. 755.d.e.756.d.e 757.b. & seqq.
frustra & sine necessitate adhibiti. 759.b
à latere in Africam non mittendi. 656.b.d
& Nuncij Romani sunt explorateres. 661.c
Petri an Apostoli. 25.b.c.d. 27.b.c
ad Concilia. 755.b
Romani insigne dedecus. 308.c.d
Romani ordinarij sunt Proconsules. 661.e
nati. 763.d
potestas. 254.a.b.c.255.a
Legatio Apostolorum. 16.c.d.34.a.b.
Legatio Romana an Commissa Patriarchis Constantinopolitanis. 661.a.b.c.d
Legationes ad prædicandum Euangelium. 754.e 755.e.756.a.b
Legationes in causa hæresium & fidei. 754.e
Legationes prætensæ à Monarchicis. 761
Legationes Romanæ à Regibus repulsæ. 762.b
Legationes Romanæ turbant regimen Ecclesiasticum. 662.a
Legationum Romanarum artificium. 270.d. 280.a 662.a.754.d.e. 763.a.b.c.d
Legatorum munus. 507.d. 755.d. 757.c.d. 758.e.d 759.a
Legatorum restricta potestas. 495.d
Legatorum Romanorum auaritia. 662.a.b
Legatus bonus. 609.a.b.c
Legis Mosaicæ interpretatio. 151.a.b.c.& seqq.
Leo amplificat suam potestatem. 28.b.c.d.e. 83.e 117.e. 118.a. & seqq. 250.d
contra Primatum Constantinopolitanum. 574.d 575.d.e. 576. 577.e. 578.e. 580.c.d. 581.e.
Corypheus Concilij Chalcedonensis. 690.c
contra Anatolium. 491.c.597.c.d.598.b
Papatum ad Euangelium primus reduxit. 119.a
Papam asserit. 698.699. 700

Leo 8. legitimus Pontifex. 741.c.750.b
Leonis lapsus. 539.d
Leonis 10. concordata. 513.a.b
Leontius se ipsum castrauit. 297.b
Lepta in ciuilibus non subeuant Pontifici. 150.b
Lex capitalis contra veritatem. 526.a.b
Humana tollitur desuetudine. 309.d. 317.d.e. 318.a.b
Vetus non habet vim in Ecclesia. 207.b
Libanum est Imperium Romanum. 560.a
Liber quisque ad matrimonium. 316.a.353.c
Liberatus suggillatur. 709.d
Liberè quis ordinatur & inde libere continentiam vouet. 310.d.315.b.c
Liberius hereticus. 637.a.b
Libertas Ecclesiæ à Papa opprimitur. 514.b
Libertas Ecclesiastica. 130.d.131.
Libertatis amor claustrales angit. 331.e.332.a
Librorum prohibitio. 132.d.169.a.171.c
Ligare & soluere totus effectus clauium. 71.d. & seqq. 73.a
quàm late pateat. 71.c.d.e.74.b.& seqq.
quid sit. 24.e
Liminum Apostolorum visitatio. 640.d.e.641.
Lincolniensis Robertus. 604.b.c.d.672.b.c.d
Linguarum donum non perseueranit in Apostolis. 64.a
Linus post Petrum primus. 208.b.c
Litera Pauli ad Petrum. 534.e
Liturgia Æthiopica. 175.a
Locorum gradus in Ecclesia. 662.c.664.d
Locus dignitatis non potestatis. 484.e.485.b
Longobardi vrbem obsident. 736.e
Latio pedum. 99.b
Lucas inferior Marco. 39.e.
Luciferi Carallitani cura Vniuersalis. 270.b
Lucifer est qui vult esse Papa vniuersalis. 624.d.625.e
Lucius Arianus. 403.a.b.
Ludouici S. Pragmatica. 512.d
Ludouicus Pius ius electionis retinet. 739.e.740.
Ludouicus Arelatensis. 670.b
Ludouicus Bauarus contra Papam Ioannem XXII. 751.b
Lugdunensis Patriarcha & Primas. 482.b.c
Lumen luminum 483.c.d
Luminarium concinnatio. 590.c.552.
Lupanaria thalamis Prælata. 292.d
Lupus non potest esse Pastor. 227.b.229.d
Lux mundi Christus. 13.e
Lux etiam Apostoli. 21.b

M

MAcedonia fidem suam debet Hierosolymitanis. 560.e
Macedonia sub Patriarchatu Romano. 697.e.760.d
Macedonius Constantinopolitanus. 748.b.c
Magdalena non fuit peccatrix. 184.e
Magis & minus non variant speciem. 59.d
Magisterium Apostolicum in Episcopis. 267.e
Magistri & Pastores sunt idem. 242.a.b
Maioritas & minoritas inter Apostolos. 37.e.104.d
Maioritatem ambiunt Apostoli. 123.c.d.e
Malmesburiensis lapsus. 668.d
Manichæismus vitandus. 339.b
Manualia sunt omnia officia Ecclesiastica. 748.d 751.e.752.a
Manus equinoce quæ non potest operari. 214.b
Manuum impositio. 20.b.171.b.187.c.d.e.188.a.224. 225.229.e.230.a.b
Marcellus Ancyranus hereticus Sabellianus. 652.e 695.c.d
Marcus à Petro Alexandriam missus 484.d
Maria Principatum inter mulieres tenuit 40.e
Maria Cleophe. 176.e.177.a.b.d.178.e
Maria Iacobi quæ sit. 176.e.179.c.181.a.& seqq.
Maria soror Lazari non fuit peccatrix. 184.e
Maronitæ reconciliantur. 711.c.d
Marsilius de Padua damnatus. 122.a
Martialis an Apostolus. 160.d
Martianus Primatui Constantinopolitano non fuit contrarius. 581.d.e.582.b.c
Martianus curat Ecclesiastica. 678.d.e
Martini Papæ electio. 287.c.d
Martinus Orientem regit. 523.d.760.a.b.c
Martyrologia reformanda. 211.d.e
Mater aliarum Romana. 705.d
Mater Domini semper illum sequebatur 182.b
Mater Ecclesiarum etiam Antiochena. 561.c.d
Maternitas Ecclesiæ Romanæ. 560.b.c
Matrimonia Clericorum irrita quis primus fecerit. 344.b 345.e.346.d.e
post votum separata. 329.e
Clericorum multa suadent. 292.d.e
Clericis prohibita absolutè. 306.d.e
Matrimonij vsus prodest deuotioni. 324.e.325.a.b
Impedimentum ex Monachatu est solo præcepto Ecclesiastico. 363.d.e.& seqq.
modificatio in Concilio Tridentino. 361.d
solutio. 364.e.365.a.b.c
Matrimonium an dirimat votum solemne. 360.a.b. & seqq.363.b.c.& seqq.
Clericis persuadetur. 347.b.c
insolubile. 316.b
iure naturæ omnibus conuenit. 345.e
post ordines sacros validum. 310.c.311.c.313.e 314.a.315.d.316.c.317.e
post sacrum ordinem contrahere non licet. 293.e.294.b 297.a.c.302.
ratum non consummatum quomodo soluatur. 361.d.e 364.e.& seqq.
Matris nomen Christus non dat suæ matri. 182.a
Matrix Ecclesia vniuersalis. 715.d.e.716.a.d 717.a
Matthiæ electio. 14.e.101.169.a.b.c.d.220.e
Mauritius Gregorium confirmat. 737.a
Mauritius à Gregorio non est pro Simoniaco habitus. 737.b.c.d
Mauritij compater Gregorius. 737.c
Maximus Cynicus. 491.a
Maximus Solonitanus Gregorio molestus. 523.c
Mediolanensis à Papa consecrandus. 412.e
Mediolanensis Ecclesia à Romana separata. 663.a
Melchisedec Sacerdos. 147.a.b
Meletij Antiocheni laudes. 653.b
Meletij ordinationes irritæ. 401.a
Membra Christi omnes Apostoli, etiam Petrus. 5.d. 6.b.c.d.8.a.d.25.c.d.
Membra inter se mutuo iuuant. 693.a
Membrum Ecclesiæ vniuersalis quilibet Ecclesia particularis. 554.e.555.a.556.c.557.a.655.b.662.b.c 688.e

Memo-

Memoriæ Sanctorum. 115.a.b.c
Mendacium in Scriptura an ponat Hieronymus. 130.b.c.d
Mendicantium status Clericalis. 377.b.c.
Menna ordinatio. 410.c.d.522.a.b
Mennas ab Agapeto consecratus. 491.b.522.a
Meretrices sedem Romanam regunt. 636.d.e
Meretricibus similes Episcopi non residentes. 274.a
Meritum in electionibus non habet locum. 730.d.731.a
Messiam Regem temporalem expectant Judæi. 123.b
Metropoles à Principibus erectæ. 503.d
Metropoles unde stabilitæ. 394.b.c.d.395.c.d
Metropolitam à quo ordinentur. 434.b.d.e.& seq.436.d 438.d.439.d.440.d.e.441.d.e. & seqq. 480.a.b.c 481.b.519.d.e.572.b
per Canones stabilitus. 393.a.b.394.c.d.e.& seqq.
Vicarij Synodi. 391.d
consuetudine inducti. 393.c.d
cur instituti. 391.c.d
ordinatio cum consensu omnium Episcoporum suæ Provinciæ. 402.d.e.407.e.408.d.e.410.b.411.c
Metropolitanorum confirmatio. 520.b.c
Metropolitanorum invasibilata. 505.506.
Metropolitanus confirmat electiones & electos. 416.417.
Metropolitanus Papa deprimit. 524.c.763.d
Michael Medina imperitus. 204.c.205.a
Minister legitimus non est sine ordinatione. 188.c.d & seqq.
malus validè ordinatur. 216.a.218.b.c
non sibi sed Christo laborat. 19.a.b
Ministeriale munus Apostolicum. 13.& seqq.
Ministerium Christi & Apostolorum differunt. 19.c
Ministerium in Christo solo est dignitas. 18.a
Ministrorum necessitas. 10.a.13.c.d.159.d
Ministrorum propagatio. 186.e.277.c.d
Ministros faciendi potestas. 159.d.e.& seqq.
Miracula prima à Petro. 102.c.
Miracula semina fidei. 20.b
Miraculorum potestas postponitur probitati. 37.e.38.a
Miraculorum donum. 19.e.20.b.c.d.
Missi Presbyteri coniugati. 346.d.e
Missio Apostolorum & Christi diversa. 243.c.d
Ecclesiastica. 745.b.c
ordinativa. 13.e.14.a.b.20.c.d.107.e.127.d.e. 160.b.c.e.161.a.165.e.170.d.e.242.b.249.e. 250.a.b.415.a
à Deo potissimum. 214.e
Missiones Papales tanquam ab altero Christo. 279.c
Missiva potestas, Vide Missio ordinativa.
Mitti non dicitur superior. 127.d.e
Moguntinus Episcopus in propria Ecclesia reducitur Papæ. 669.c.d.& seqq.
Monachalis status non est status perfectionis. 376.a
Monachalis status scriptores. 350.c
Monachi ad parochialem Ecclesiam conveniant. 370.d.e
Clericantes scindunt Ecclesiam. 369.e.370.b
coniugati. 335.b.c.340.d.e
consecratio non est Sacramentalis. 353.a.b
externo Sacerdote ad sacra vtuntur. 370.e.d.e. & seqq.
labore manuum viuant. 348.b.349.e.378.b.c
desertores inepti ad Clericatum. 374.d
sine dispensatione ad Clericatum assumpti. 373.a.d.e
sub obedientia Episcopi. 372.b.c
sunt Laici. 351.e.& seqq.
vnde sic dicti. 349.b.351.e.369.a
Monachismus deseri à quibusdam legitimè potest. 368.a
in Occidentem venit ex Ægypto. 350.d
cum Clericatu pugnat. 368.e.& seqq.371.e.372.a.b
laudabilis & restituendus. 353.e
Monachorum Ecclesia proprijs solis. 370.e.371.a.b.c
insolentia. 674.d
in Scripturis delineatio. 349.d
Princeps Ioannes Baptista. 167.a
origo. 348.& seqq.
privatæ secessiones. 350.c.e.353.a.b
Patres sunt Clerici. 348.c.d
privilegia reprobata. 246.e
vita in pœnitentia. 350.e.& seqq.351.d
Monachus ad Clericatum vix idoneus. 375.e.d
Clericandus prius probandus. 369.e.d
desertor cogi non potest, 365.d.e.366.a.b.367.a & seqq.
extra monasterium sicut pisces extra aquam. 372.a
factus Clericus cessat esse Monachus. 370.c
inconsulta vxore. 323.a
non docentis sed plangentis habet officium. 351.a.b.c 353.a.372.a
non pugnat sed ad impedimenta quiescit. 374.b
sibi soli vacat. 350.e
fugiendo non pugnando vincit. 351.a
Monarchia in Ecclesia. 3.d.e.9.d.108.e.128.e.140.a & seqq.
Petri duobus tantum scripturæ locis fundatur. 43.d.e 75.b.c.88.e.89.93.d
vniversalis Ecclesiæ per abusum ingressa est in Ecclesiam. 138.b.c
Monarchia Romana Ecclesiasticæ primi scriptores. 120.e
Monasteria loca pœnitentiæ. 350.e.351.d
Monasteria optima alunt Episcopos persecutione electos. 276.e
Monialem ad matrimonium allicere capitale. 345.a.b
Moniales in proprijs domibus. 336.a.b.c
Moniales nubere possunt. 441.e
Monialium monasteria sunt gynecea & carceres. 331.a
Moralium libros Constantinopoli scripsit Gregorius. 737.e
Moscœnia liberat se à Patriarcha Constantinopolitano. 489.e
Moyses cum 70. senioribus. 139.d.e.200.d
figura Christi. 247.c.d.249.a
fuit minister non Rex. 150.e.151.b
suam curam diuidit. 151.a
Moysis spiritus. 248.d.e.252.d
Mulieres servientes Christo & Apostolis. 319.c.d
Mulieres subintroductæ. Vide Subintroductæ.
Mulierum ordinatio. 224.e.225.a
Mutatio Episcoporum, Vide Translatio Episcoporum.

N

Nathanaelmus ex 12. Apostolis. 192.c
Nathanaelis confessio. 56.a
Navis Petri. 97.d.e.134.c
Nazianzenus Constantinopoli Episcopus. 491.a.b.
Episcopus per fictè Gregorius Iunior. 418.b.c.& seqq.
non laudabiliter abdicat se illa Ecclesia. 419.a.b
Negatio Petri. 59.e.91.e
Nemo dat quod non habet. 201.a
Nero Apostolorum persecutor. 542.a.b
Nestorij condemnatio. 689.b

INDEX.

Nicæna statuta extra Canones. 647.c.d
Nicæni Canones magnæ autoritatis.. 575.c. 576.b.c 577.a.c.e.
Nicæni Canones Arabici. 549.c
supra Papam. 656.c.d.657.d
à Zozimo obtrusi. 655.e
Nicæni primi Concilij acta. 647.c.d
Nicænum Concilium à Constantino convocatum. 687.e
Nicænus Canon 6. explicatur. 548.c.d.& seqq.550 551.633.b.c
Nicolaus secundus stultitiæ arguitur à Victore tertio. 742.a
Nicolaus secundus electionem solam sufficere ad Papatum declarat. 746.d
Nimietas extra Synagogam. 147.c
Nodus unionis Ecclesiarum. Vide Vinculum.
Nomina Christi è Apostolis communicata. 67.d.e
Nominatio Episcoporum Franciæ à Rege. 513.a.b
Nominis mutatio. 46.b.c.d. 53.a.67.a.& seqq.95.a 170.a
Non obstante particula iniusta. 672.c
Nona promulgatio Euangelij à quo. 145.c
Nouati scelera. 554.d
Nouatiani Romæ. 697.c.698.a
Nouatianissimus Arelatæ & Constantinopoli. 749.b
Nouatianum schisma Romæ. 713.c.d. 749.a.b
Nouatianus schismaticus. 144.b.& seqq.
Nouatus à Iulio Romæ pulsus. 650.d. 651.a
Noui Episcopi à quo creandi. 277.c.d.& seqq.279.d.e 281.b.c. 282.a.b
Nouitas in Cardinalibus. 596.b.c.d
Nubes Episcopi. 624.d.e
Nullatenenses Episcopi. 276.b
Nunciaturæ Apostolicæ turbant regimen Ecclesiasticum. 662.a
Nuptiæ. Vide Matrimonium.
Nyssæni Gregorij encomium. 181.b

O

OBedientia Regularium est limitata. 358.a.b
Oculi sunt Cardinales Episcopi. 607.e
duo Ecclesiæ Petrus & Paulus. 133.d
Ecclesia Episcopi. 264.a.b.c.273.b
officium est ministeriale. 17.e
sunt Apostoli. 22.c.25.c
Oculus scandalizans est eruendus. 264.b.258.e
Odoacer Rex Herulorum & Italiæ. 734.b.c
Oeconomus non habet dominium. 16.c
Oecumenici tituli quando primum. 484.c.485.a 622.c.d.e Papis ex propria causa inusitus.623.a.b.d A Pelagio urgetur.623.c. A Gregorio. 623.d.e 624.625.626.a.b.c.633.d. Ab Adriano. 626.c.d Constantinopolitano debetur. 629.e. A Romanis priscis Pontificibus nunquam adhibitus. 630.a.b In malo sensu sumitur. 630.b.c.631.a. In bono sensu. 632.d.e. Eius verum sensus.633.b. Omnibus Patriarchis communis. 690.a. Nullus Episcopus est Oecumenicus. 246.d
Officia diuina ad præscriptum Metropolitani. 469.b
Officia summi Sacerdotis Hebræorum. 148.d.e.& seqq. 149.e
Omnipotentia in Papa. 266.b
Onuphrij lapsus Chronologici. 537.c.d. 541.b
Operarij in vinea. 16.b.c.17.a.76.c.143.b.381.e 382.a.c.d. 386.a.388.a.c
Optio carceris baptizatus. 241.c
Opus commissum Christo. 35.c
Orare semper oportet. 324.c
Oratio continentiam requirit. 324.d.e
Euangelizanti necessaria. 16.a
Ecclesiæ pro Petro. 103.d
Oratoria sine Presbytero propria. 587.c.d.e
Oranit Christus pro omnibus. 60.a
Orbis maior vrbe. 547.c.d
Ordinarius pastor Petrus. 27.b.c. 28.a. 29.c. 30.a. 34.d.65.d
Ordinati indebitè multa tamen efficiunt. 218.b.c
Ordinati inuiti per vim. 329.a.b.c.& seqq. 404.d
Ordinatio à Deo. 214.b.c.d.e.218.b. 220.b.c.& seqq. 221.a.b. 243.c
aliqua ab homine & non à Deo. 214.b.c.d.e. 215.a.b.c. 221.a
ad soles Episcopos pertinet. 197.d.200.b. 201.c
Apostolorum. 107.c.d.167.b.c.& seqq.186.c.d 220.e
ab Episcopo Lippo. 206.d.e.207.c
ab hæreticis. 216.c. 217.221.d. 226.b.c.& seqq. 227.d.e
contra Canones non tenet. 214.c.216.d.e
differt à consecratione. 745.c
Episcopi in quacunque Ecclesia præsentia. 470.c
Episcopi sine licentia Patriarchæ. 480.b.c.d 481.b.c
Episcoporum à Christo. 107.b.c.d.e
in aliena Ecclesia. 470.c
mulierum. 224.d.e
per saltum. 223.a.b.c.225.c.& seqq.
Presbyteri à Presbytero. 206.c.d. 207.a
solo verbo. 107.c.d. 219.c
Ordinationes absolutæ. 276.c.371.d. 410.b
Episcoporum à quo fiant. 391.c.d.398.c.d
exterorum à Papa. 524.a.b
Ordinationi assistit Deus. 222.c.d. 229.b
Ordinatiua potestas. 167.c.d. 160.c.161.a. 165.c 167.b.c
Ordinem non esse Sacramentum olim tenuerunt aliqui Catholici. 215.c
Ordines minores. 238.d.e.& seqq. 242.d 293.a.& seqq.
Ordines sacri tres tantùm. 237.c.& seqq.
Ordinis materia & forma. 212.d.e
Ordinis verum necessitas. 381.c.d
Ordinis primitas. 39.c.d
Ordo amissibilis. 213.d.e.216.b.217.a.b.c.d.e.221.b.c 226.b.c.227.a.b.250.a.b.
datur sæpe & non à Deo. 214.b.c
in scelerato ministro non habet effectum. 213.b.c.d 214.c.d.215.d.e.217.e
iterabilis. 221.b.c.d.226.b.c.& seqq.
neque certam materiam neque formam habet. 219.b
precibus certis datur. 219.d
proximè accedit ad Sacramentum. 216.a.b.c. 228.b.c.d.230.d
sacer solo verbo. 219.d.e.220.a
sacer cum calibatu. 293.e
sacramentum in Augustino. 226.a.c.d. 229.a
videtur Sacramentum propriè. 224
Ordo rectus in omni Rep. 142.d
Orient sub Papa Romano. 523.d.e
Oriens prius accipit Euangelium. 552.a.b

Orientales

Orientales contra Iulium meritò pugnant. 652.b.c
Orientales Ecclesiæ confugiunt ad opem Occidentalium. 270.d
& Occidentales Ecclesiæ non se inuicem impediant. 652.b
Ecclesias Romana ad se trahit. 653.c.d
Ecclesiæ virtute Romanam superant. 651.a.652.a
Ecclesiæ præferunt se Romanæ. 562.e
Ecclesiæ sub Romana. 495.e.502.d.e.503.552.d
Ecclesiæ ad Papam deficiunt. 488.e.489.a 759.e *& seqq.* 760.d.e
Orientis ruinæ à Papa. 501.e. *& seqq.*
Origenes in Arabiam missus. 277.e
Origenis damnatio. 268.e. 271.a.b
Os Apostolorum Petrus. 40.c.42.b.57.b.c.58.a 80.d.e.86.c.102.d.133.d.136.a
Osius cum cura vniuersali. 269.c
Osius dux Conciliorum. 690.d
Ostiarius illiteratus esse potest. 664.d
Ostiensis ordinat Romanum. 490.d.e.491.d
Otto Bambergensis. 279.b.c
Oues Christi particulares Israelitæ. 90.b.c. *& seqq.* 143.d.e
Oues & agni quid significent. 87.e
Oues quomodo Apostoli. 20.c.d
Ouile vnum & vnus pastor. 143.d.e.144.a *& seqq.*
Ouis & pastor erat quilibet Apostolus. 87.e.390.e

P

Palæstina Metropolis Cæsarea. 396.d.e
Palinodia Ecclesiæ Carthaginensis. 658.a
Palinodia Firmiliani. 646.b.c. *& seqq.*
Pallij concessione confirmatur ordinatio. 520.a.b
Mysteria. 494.d.e. *& seqq.* 497.c
Inuestitum Romanum. 496.e
Necessitas. 642.a
pretium. 495.e.503.e
vsus ad libitum. 497.a
vsus extra Prouinciam. 494.a.470.b.c
Pallio carens potest committere ordinationes. 496.e
Pallium Ecclesiasticum à Constantino. 493.d.e
de corpore B. Petri sumitur. 499.a
Imperiale munus. 494.a
ad Caballicandum. 496.b
Commune est Episcopis Græcis. 502.e
Constantinopolitanus à Romano accipit. 502.e
cum crucibus. 497.c.500.a
non dat potestatem. 493.b.c.500.c
Patriarchæ sponte capiunt. 495.c.500.e.501
personaliter Romæ petendum. 497.e
post tres menses à consecratione petendum. 641.e
pro ordinationibus. 496.a.c.d.497.b.c
Dothomagensis accipere contemnit. 641.e
Palmæ. 70.196.e.197.a
Panes propositionis. 319.c.320.a
Pantænus in Indiam missus. 277.e
Papa sit alter Christus. 530.e
diuinos honores emulatur. 265.d.e.638.e
ante consecrationem nemo olim. 746.a.b
Collega Episcoporum & Comministeri. 261.e.263.b
Episcopus absolutè. 548.a
ex causa deferendus, & excommunicandus. 669.a.b
facit schisma 486.b. *Vide Excommunicatio, & Schisma.*
frater Episcoporum. 696.a.b
in aliena Ecclesia paret. 669.c.d. *& seqq.* 670.c.d.
indiget confirmatione Ecclesiastica. 747.b.c
ligat manus successori. 497.d.522.d
mortuo Episcopi nulli cum iurisdictione. 253.b
non potest fieri qui sit iam Episcopus. 752.e
non potest mutare Canones. 505.a
in hoc individuo non potest esse Papa de fide. 726.a.b
Patriarcha vniuersalis. 633.a
sine Concilio non potest grauatos audire. 650.a
sola Electione. 744.d.e. *& seqq.*
solum se Episcopum totius Ecclesiæ facit. 530.d 762.c.d.e.763.b.c.
sub Ecclesia & Concilijs. 256.a.b.c
subest indicio. 660.b.c
eius cura generalis. 254.a.b.c
supra Principes. 530.d
ei æquales omnes Episcopi. 262.d.e.263
Papæ à solis Imperatoribus electi. 743.b
contra Imperatores factiosi. 739.a.b
damnant hæresis quicquid contra eos dicitur. 122.c
deponuntur indirectè per exilium. 743.c.d
pessimi & scelestissimi aliquot. 636.637.664.a.b
Imperium extinxerunt. 736.b.c
tres simul voluntariè ex composito. 750.c
pro sui confirmatione soluunt pecuniam. 736.b 737.b.d.e.738.a.b.740.d.e.741.b.c
exaltant Petri Primatum. 120.e.121.a.b.c
Papæ electio. Vide Electio.
grauamina ad Patriarchas Orientales deferenda. 485.e. *& seqq.*
monarchia temperanda. 139.a
nomen cui propriè competat. 477.e.546.b
tituli iusti. 548.a
Paparum abusus graues. 673. *& seqq.*
Papatum asserere est fidem perdere. 633.d 725.c.d.e
Papatus absorbet omnes gradus. 545.c.d
ad Euangelium reducitur. 119.a.b
ad Petrum quando primum reductus. 700.e.701.a
an de fide. 617.a.b.712.a.b.c.d.725.a.b.c
citra ambitionem in primis Pontificibus. 692.c.d
an de iure diuino. 616.617
ex Scriptura non potest haberi. 619.a.b.621.e 622.a
occasiones. 627.d.e. *& seqq.*
non quia sanctus, sed quia summus ambitur. 749.c
potest aboleri. 622.a
potest fieri ius patronatus. 733.b
Paphnutius in Concilio Nicæno. 297.c.311.b.c *& seqq.* 320.c.
Parisienses Doctores. 256
Parisienses Cardinalatum euehunt. 601
Parisiensis doctrina de Papatu. 619.c.d.e. *& seqq.*
Parisiensis facultatis decreta. 253.c.d.e
Parochorum munus & potestas. 285.b.c. *& seqq.*
Passio Christi promerit regnum Ecclesiæ. 12.a.b
Pastor vnus, & vnum ouile. 143.d.e.144.a *& seqq.*
Pastor simul Dominus gregis. 635.a
Pastura committitur omnibus Apostolis. 85.e.86.88.c.d
Pastura Petro committitur. 85.c.d.e
Pastores omnes Apostoli. 86.116.c
Pastores non habent sub se pastores, sed oues. 390.e

Pastores gregem gubernare. 634.e.
Patarensis Episcopi testimonium de Papatu. 709.e.
Patres deserit Maldonatus. 74.e.
Patriarcha Occumenicus aliud, aliud Episcopus Occumenicus. 632.c.d.e.633.e.
Patriarcha Aquilegiensis in schismate sic vocatus. 476.a.
Patriarcha essentialiter est Metropolitanus. 489.b.
cum Imperatore de rebus Ecclesiæ agit. 483.a.b.
in Episcoporum ordinatione nihil habet Iuris. 573.b. 580.a.b.
omnis est supremus. 484.c.d.
à quo corripiendus. 485.c.d.e. 629.e.
eius depositio. 490.c.
Patriarcha in Ecclesia. 145.a.b.
essentialiter sunt Metropolitani. 476.d.e.477.a
in Primatum ordinationibus habent partem. 519.c.
inter se æquales potestate. 484.583.a.b.
multi ita vocati. 475.d.e.
non tenentur parere Romano. 704.c.d.
officia. 482.e.& seqq.
omnes Oecumenici. 633.a.b
ordinatores Metropolitanorum. 441.e.& seqq.
Orientales Latini resistunt Papæ. 501.c.d.
sunt nodus unionis. 482.e.
ijs subijci non est necessarium. 487.c.d.e.488.489.b.c. 490.c.
Patriarchalia privilegia à Concilijs. 579.d.677.e.
Patriarchales Ecclesiæ. 108.c.
Patriarchales Ecclesiæ Romanæ. 608.b.c.
Patriarchales sedes ex occasione ordinationum. 475.
Patriarchalis Ecclesia an ex fidei propagatione. 475.b.c.
Patriarchalium sedium fundatio. 472.d.e.& seqq. 571.c.578.b.
Patriarcharum Cura generalis. 611.a.756.d.e.
numerus quinarius. 477.d.e.
ordinatio. 406.a.490.c.d.& seqq.
paucitas perniciosa. 489.c.d.
specialis potestas. 480.481.d.e.482.a.
subiectio. 705.c.
subordinatio in Niceno declarata. 613.e.615.a.e. 616.a.
vltima Iudicia. 696.d.
Patriarchatus fuerunt multiplicandi. 489.c.d.
Patriarchatus Romanus dividendus. 489.d.e.
Patrimonium Siciliæ & Calabriæ. 738.c.
Pauli conversio. 135.c.d.
aduentus ad Petrum. 57.d.e.104.a.& seqq.
cum Petro dissensio. 129.130. 537.a. 538.a.b.c.d.
epistola ad Galatas Antiochia scripta. 538.c.
epistola à Petro approbata. 132.c.d.
laudes & primilegia. 133. 134.
ordinatio. 15.b.c.107.d.169.e.170.171.
varij aduentus Hierosolymam. 536.c.d.
Paulinus Nolanus coniugatus. 297.e.
Paulo facta reuelationes. 56.c.57.d.e.58.a.
Paulus ab Ananiæ instruitur. 31.b.
Coapostolus Petri. 132.a.
an de licentia Petri prædicauerit. 171.e
confert Euangelium cum Apostolis. 40.a.
dispersis Iudæis prædicauit. 537.a.
doctor Gentium. 91.c.d.
ex Saulo cur Paulus. 67.b.
increpat Petrum. 129.& seqq.
an vxoratus. 297.d.
par Petro. 25.c.91.b.c.132.a.c.133.134.
præfertur alijs Apostolis. 15.c.
vocatur & ipse Petrus. 63.c.
& ipse Princeps Apostolorum. 36.a.37.a.
Romam venit. 539.a.
Romanam fundat Ecclesiam. 532.533.534.540.d.
scribit ad Petrum. 534.c.
testis oculatus. 15.b.c.
totius Mundi curam gerit. 134.
Paulus primus eremita. 399.c.350.a.353.a.b.
Paupertas fidelium Hierosolymitanorum vnde. 152.d. 560.c.561.a.
Peccata non nocent quando non placent. 98.c.
Peccatum incontinentiæ grauius in Laico quam in Monacho. 352.c.
Pecunia in Confirmatione Papæ. 736.b.737.b.d.e. 738.a. 740.d.e
Pedum lotio. 99.b.634.d.
Pedum oscula. 263.c.639.640.a.b.c.
Pelagius Archidiaconus Romanus. 736.c.d.
Pelagius captiosus. 721.c.
Pelagius Papatum exercet pluribus modis. 627.e. & seqq,629.d.e.
Petra allegoriæ. 44.c.d.e.
Ecclesia. 67.c.
ipse Petrus. 52.b.& seqq.
fides in Christum. 47.& seqq.
significat Christum. 45.a.b.& seqq.106.d.
Persecutiones primæ Christianorum inde. 510.e. 511.a.b.c.
Perfidiæ prima conversio. 278.b.
Petriani & Pauliani. 106.b.
Petri Apostolatus præfertur omni Episcopatui. 117.a. & seqq.
cum Iacobo comparatio. 111.d.e.
factum dat Romano Papatum. 614.a.
feruor. 41.a.& seqq.95.c.d.
labores & itinera. 540.b.c.
lapsus. 58.d.e.59.& seqq. 60.d.91.b.c. 129.c.& seqq.131.c.d.e.& seqq. 135.e.
mors Romæ est per accidens. 615.c.d.e.
nomen in literis formatis. 108.d.
potestas peculiaris nulla. 611.a.b.
præsumptio. 101.c.
primatus an de fide. 122.d.e.
primatus non agnoscitur. 18.a.b. 24.c.30.d.33.d. 38.b.c.41.d. 45.d.47.a.53.d. 70.d.73.c.d.97.e. 101.b. 104.b.c.d. 105.c. 106.b.112.c.d. 123. 125.c.d.e.& seqq. 132.e. 135.a.b.& seqq. 136.
primatus non ex deuotione vrgetur. 122.d.e.
Romam aduentus. 537.b.540.d.e.& seqq. 542.b.
Romana facta sub silentio scripturæ. 535.c.
sedes multæ. 528.a.b.c.d.610.e.611.a.b.
successio non dat Papatum. 695.a b 696.b.
successores omnes Episcopi. 85.e. 245.b.c. & seqq.
tituli. 36.b.c.& seqq.
trina negatio, trina confessione deletur. 91.e.
Petro claues dantur. Vide claues.
fatent Vanitatis laudes. 122.d.e.
iniuria nulla si negetur primatus. 122.d.e.
mors prædicitur. 85.a b. 91.c.

pastura

pastura seorsim cur committitur. 88.e.89. & seqq.
principalis ter cura Ecclesiæ mandatur. 92.d
soli cur Dominus loquatur. 76.77. & seqq
subiecti non erant Apostoli. 26.d.e.27.e
succedunt omnes Episcopi. 162.d.e
successio quæ detur. 710.c.d.e
Petrus ætate senior omnibus. 38.c.d.95.b.c
ad Romanos nihil scripsit. 542.c
Episcopus Romanus. 528.c
aliorum Capitaneus. 70.c
an fundator sedium Patriarchalium. 472.d.e. & seqq. 475.d.
Antiochiam venit. 537.e.538.a
a Petra Christo vocatus. 46.b.c.d.e
Apostolatum an amiserit. 91.e.92.a.b.c
christianorum Pontifex. 109.c.d
claues accipit pro Ecclesia. 620.b.c
& figura & figuratus. 81.d.82.d.e
cum Ioanne comparatur. 38.d.41.e.42.a.56.d.e. 57.a.e
exemplum ad imitandum omnibus Episcopis. 251.a
figura Ecclesiæ. 80. & seqq.612.c.d
in Carcere. 537.a
initium Episcopatus. 250.d.e
an institutor Metropolitanorum. 397.e
in sua Cathedra Romæ sedet. 710.c.723.b
iubere an potuit Apostolis. 114.b
membrum sub Capite. 8.a.b
merito à Paulo reprehensus. 91.b.c
missus ab Apostolis. 160.b
neminem ordinauit. 31.c
nihil illustre in sua persona accipit. 29.c.d.75.e.86.a
non dat Primatum Romæ. 710.c
nullas fundauit Ecclesias. 474.a
omnes Præsules representat. 81.d 82.b.c.d
par cæteris Apostolis. 5.d.6.b.c.d.8.a.9.d 22.d
paret Apostolis. 127.d.e
Pastor ordinarius. 27.b.c. Vide Ordinarius.
præcipuè Pastor Iudæorum. 90.c.d.e
præcipuus non solus Ecclesiæ gubernator. 76.c.d.92.d.e
Præses collegij Apostolici. 79.a.b.c.d
primus prædicator. 42.a.102.c.d
primus vocatione. 39.b.c.& seqq.
rationem reddit, &c. 90.e
Romæ mortuus. 527.e
an Romæ quando Paulus scripsit ad Romanos. 533.a 534.b.d.535.a
Roma pulsus cum Iudæis. 534.d.535.a 541.c.d
Romam reuerti iubetur. 108.b
solus fuit distributor Episcopatuum. 515.a.b
successorem sibi an constituerit. 417.e
Petrus Alexandrinus martyr. 403.a.b
idem Romæ. 684.b.c
Petrus Damiani in Papam conuictus. 724.b.c.d
Petrus Blesensis Neopolitanum respuit Archiepiscopatum. 406.e
Philadelphensis Legatus Martini Papæ. 523.d.759.e 760.b
Philippus discipulus erat Presbyter. 194.e.195.a
Philo Iudæus de Monachis. 350.b.c
Philosophiæ ancilla Theologiæ non Magistra. 141.e
Phinees missus à Iudæis. 127.d.e
Phocas Cyriaco infensus. 705.a
Phocas Romanam effert Ecclesiam. 565.b.c
Photius confirmatus à Ioanne octauo. 521.a
præfert se Romano. 58.a
scribit decretales. 579.b
Phrygum lorum. 493.d.e.494.b
Pimenius Melaniæ maritus. 329.b
Piscationes Petri. 97.e
Piscatores Apostoli. 17.b
Piscatores hominum omnes Apostoli. 98.a.b
Plantant & rigant operarijs. 16.a.b.19.a
Plato princeps Philosophorum. 40.e.135.a
Plebi acceptus debet dari Episcopus. 695.a.b
Plebis consensus est signum diuinæ electionis. 404.a.b
Plebis electio est propria & autoritatiua. 411.e 412.a.b.c
Plebs in electione. 101.d.153.a.187.a.b.190.c.d 221.a
Plebs potest recusare Episcopum. 409.a. & seqq. 412.d
Plebs bestia multorum capitum. 414. & seqq. 415.a.b
Plebs ab electione excluditur. 408. & seqq.409.d 411.d.e.512.a
Plenitudo potestatis. 27.c.d.121.b.c.e.162.b.247.b 252.b.c. & seqq.
& pars solicitudinis. 755.d.762.c.d.e
Pœna clerici cœlibatum non seruantis. 295.b.c.296.b.d 297.a.c.300.a.c.d.e.302.a.303.e.307.c.d.329.d.e 330.a.340.a.b.c.d.e.347.a.367.d.e.
Pœnitentes irregulares. 371.d
Pœnitentia facit irregularem. 217.b
post naufragium tabula. 335.e.336.a
publica non semper danda. 340.c.d.341.a.b
Pogonatus Imperator remittit precium in confirmatione Papæ. 738.a.b.d
Polonia cœlibatum amplexatur. 309.b
Poloniæ prima conuersio. 278.d.e. & seqq.279.b.c
Polycarpi aduentus Romam. 693.e
Polycarpo commendant suam Ecclesiam Ignatius. 203.a.
Polycarpus cum cura vniuersali. 269.a.b.277.d.e
Polycrates Asianus. 644.a
Polygamia Iudaica. 321.d
Pontifex vocatur etiam simplex Sacerdos. 73.e
Porta cœli, vide Ianua.
Portuensis Episcopus S. Ruffina, & Sylue Candida idem 591.e 592.a.608.b
Postulatio. 521.b. Vide Electio Episcopi.
Potestas Apostolica essentialis. 28.d
Potestas Christi hominis, non est transfusa in Apostolos. 247.c.d
Potestas Ecclesiastica & Laica differunt. 124.e. 125.a.b
Potestas Ecclesiastica immediatè à Deo. 244.a.b. 246.e.247.a
intensiuè æquales in omnibus. 249.d.e.262.a
tota an propriè in Papa. 249.b.c.253.a. & seqq.
Potestas & Ministerium differunt. 18.b.c.d.e
Potestas in Habitu, & in Actu. 87.b.c.d.251.d.e.267.a 268.a.b.275.a.282.a
Potestas ordinis & iurisdictionis. 25.a.26.a.b.c.d.27.c. 29.e.30.b.71.d.75.c.93.e.107.d.167.b.246.a. 247.e.248. & seqq.

INDEX.

Potestas Papalis prius in Ecclesia. 619.d.e
Potestas Regni in Apostolis. 93.e.94.a
Potestas Regum non est à plebe. 141.c
Prebendary Canonici. 284.c
Praecipiendi potestas in omnibus Apostolis. 74.c.d
Praedestinatio gratuita. 204.e
Praedicare ponitur pro legere. 241.e
Praedicatio Christi statim post sumum baptismum. 192.a
Praedicatio Euangely propria Apostolorum propria. 14.b
Praedicatio Monachis prohibetur. 372.d.e
Praeeminentiae Petri. 28.e
Praesse est solius Christi. 18.a.b
Praeferri & praesici diuersa. 79.d
Praelatio inter Episcopos. 383.b.c.386.c.& seqq.
Praelatura est nudum Ministerium. 124.d.e 125.c
Praemunitio Sacerdotis ad sua munia per cautionem. 320.b. 324.c.d
Praepositura Petri. 118.b.c
Praepositus templi. 63.d.72.d.e
Praescriptione Papatus non iunatur. 675.e 676.a
Praescriptio non iunat Cardinales. 605.a
Praeses Concily Hebraeorum. 152.a
Praesidentur Ecclesiae. 706.e.707.a
Praesidere in Concilys. 690.d
Praesentio Caietanica. 30.a.b.& seqq.
Pragmatica Ludouici sancti. 512.d
Pragmatica sanctio Gallicana. 512.e.513
Presbyteralia aliqua munera reseruata Episcopis. 183.a.c.d
Presbyteralis potestas de se est vniuersalis & loco illimitata. 285.d.e
Presbyteratus lucrosus. 293.d
Presbyter fermè nihil distat ab Episcopo. 201.e
Presbyteri aequales Episcopis in multis. 282.e 283.a.d.e.
Apostolorum successores. 198.a.b. 190.a
& Episcopi videntur idem. 198.199.200
inter se potestate pares. 289.e
loco discipulorum. 193.b.c.& seqq.
loco filiorum Aaron. 147.d.e
subiecti Episcopis. 183.b.c.& seqq.
Presbyterium est ipse Presbyteratus. 202.e
Presbyterorum quoque est praesse. 202.c.d
Primas & Patriarcha an differant. 482.b & seqq.
Primates ex loco sine electione. 703.d.e 704.a.b
Primatum ambiunt Apostoli. 123.c.d.e
Primatum Christus Petro non dedit. 8.b
Primatus Cura vniuersalis. 481.b.c
Primatus Romanus. Vide Papatus.
aliquis Petro datur. 37.a.b.& seqq. 81.c, 82.a
ambitio inter Episcopos. 511.b.c
in Ecclesia reprobatur. 17.e
Petri ante Confessionem fidei. 37.a.b.& seqq. 42.c. 110.a.
idem à Patribus assertus. 111.& seqq.
idem de fide. 121.c.d. 139.a.b.c
idem non nisi à posteriori. 108.d.e
idem totus personalis. 42.e.43.a
Primi Episcopi post Apostolos. 252.a
Primogeniti in lege naturae Sacerdotes. 146.e.147.a
Primogeniti praelatio. 40.b.42.c.147.a.
Primogenitus Petrus. 38.e.40.b.42.b
Primum est honor tantùm omnium. 39.c
Princeps Apostolorum. 36.b.c.& seqq. 133.a
Princeps Ecclesiarum. 22.a.b
Princeps intrusus legitimè imperat. 748.c.d
Princeps virtualiter est tota Communitas. 772.c
Principalitas Romanae Ecclesiae. 707.b.721.a
Principatus Cathedrae Apostolicae. 695.e.696.a
Principatus Sacerdotij in vnoquoque Apostolo. 25.e
Principatus terrenus Papae. 633.d
Principes laici potestatem habent in Ecclesia. 155.d.e 276.e
Principes propagant fidem. 277.e. 278.b
Principis Sacerdotum tempore Christi. 152.a
Principibus obedicns Athanasius etiam cum damno erat. 274.b.c
Principum potestas circa Metropoles Ecclesiasticas. 595.c.d.& seqq. 479.b
Priuatio per Papam non debetur ad eum collationem. 522.c
Priuilegia Ecclesiarum incorrupta. 504.d.e.576.e
Priuilegia Papae. 683.685.686
Prius quod est id verius. 164.e
Probatio biennalis continentiae post professionem. 318.a 327.e
Procti Episcopatuum. 513.e
Prochus Cyzicenus. 481.a
Professio externa Monachi. 350.e.356.c.d.e. 357.a.b.& seqq. 359.b.& seqq.
in quo consistat. 357.e.358.a.b
non continet vllum votum speciale. 357.d.e
plus perniciosa quàm vtilis. 358.c.d. 366.b.c.d.
sine solennitate. 354.d.
sacra. 358.d.e.359.a
Promissio operationis diuinae non facit Sacramentum. 229.b.c
Prophetare quid sit. 240.b.c.d
Prophetarum auctoritas. 130.b.c.d.e.240.a
Propheta Euangelicus. 240.b.c.d.241.a.b
Propheta Ministri extraordinarij. 350.a.b.d.e
Prophetia quid significet. 220.c.d.231.a.b
Propositum differt à voto. 354.d.e. 355.a. 359.e.
Proprietas ciuilis Episcopi in Episcopatum non est. 748.d 751.e.752.a
Prorex non est in Ecclesia. 138.d
Protorij electio. 405.a
Prouincia quot suffraganeis constet. 396.c.d
Prouincia Romana. Vide Romana Metropolis.
Prouinciarum Ecclesiasticarum institutio. 394.c.d
396.c.d.e.398.d.399.e
Promissiones à Papa ipsa iniustae. 672.d. Vide expectatiuae.
Prouocatio à Synodo ad Synodum. 648.d.e. Vide Appellatio.
Pudicitia virtus in Ecclesia retinetur. 319.b. 324.b.
Puer Archiepiscopus Remensis. 521.b
Puerorum professio nulla. 358.d.e
Pulegium carius pipere in India. 527.a
Purificatiuus ignis poenitentia. 343.e
Purpura dedecet Ecclesiasticos. 605.d.e.606.a
Pyrrus indiscretus. 310.e

Quaestuary

Q

Quæstuarij compressi. 470.d
Quæ sunt eadem uni tertio, &c. 555.e
Quartadecimani. 643.b.c
Querimonie Ecclesiæ contra Papam, 673. & seqq.
Quinisexta Synodus defenditur. 313.c.d.e. & seqq.

R

Radix cæterarum Ecclesiæ vniuersalis. 112.e. 113.d c.249 c.383.e. 385.c.d.e.387.d.e.556.d.e 557.a.b.255.b.716.a.b.717.b.c.e
Rapsaces Assyrius. 73.e
Ratio regina in homine. 1.c
Rauennas Ecclesia contra Romanam. 662.d.e.663.a
Reditus Ecclesiastici quomodo rite distribuendi. 609.b
Referendary Papæ. 554.a.b
Reges habent partem in electionibus. 408.b.411.c.d. 412.b d.e.415.b.c.d.420.b
Reges ex ruinis Imperij. 567.a.b.c.d
Regimen & gubernatio an differant. 35.a.b
Regimen Ecclesiæ in Apostolis. 63.c.64.d.e.65.c
Regis & Reginæ consecratio. 470.d
Regni potestas in Petro. 23.c.94.a
Regnum cœlorum. 96.d.e
& Sacerdotium consentientia. 483.a
temporale Messiæ. 123.b.c
Regula fidei. 769.e
Regulæ Cancellariæ. 411.b.c.512.b
Regulares Canonici. 285.a.b.377.
Regulares priuilegiati. 253.d.e.255.d
Regulares sub Metropolitanis. 469.a
Respublica formæ variæ. 3.c
Religio potentior quàm arma. 559.b.c
Religiones factitiæ ad perfectionem non iuuant. 376.b.c
Religionum confirmatio & approbatio. 364.b.c.368.b c.d 370.b
Religiosi nomen an significet Monachos. 406.d.413.b
Remensis Archiepiscopus puer. 521.b
Remensis Synodus sub Gerberto. 663.c. & seqq.
Remissio peccatorum in confirmatione. 83.c
per claues. 70.b.72.b.c.80.b.83.a
per gemitum columbæ. 83.a.b.c
Reprehensio Pauli an simulata. 130
Reseruatio Patriarchalium Ecclesiarum. 479.e.
Reseruationes Cathedralium. 512.a.b.c
Residentia Episcoporum. 265.a.b.273.d.e. & seqq.
Residentia Metropolitani in quacunque ciuitate suæ prouinciæ. 704.b
Residentia defectus vnde. 514.a
Resignatio Episcopatus. 274.c.d
Respublica Ecclesiastica est vna in toto mundo. 385.a
Respublica Ecclesiastica amplior & dignior ciuili. 3.c
Respublica non est in Ecclesia. 560.a
quid sit. 3.b
triplex. 1.c
Respublicæ ciuiles plures. 385.b
Reuelatio fides facta multis. 55.e. 56. 57. 58.59.e. 96.a
Reuerentiæ causa limina visitantur. 641.a
Rex absens à suo regno, eget prærege: non ita Christus. 11.d
Rex proprietatem habet in regno. 143.c
Ritus Ecclesiasticus à quo instituendi. 21.e
Roberti Lincolniensis libertas sancta. 604.b.c.d. 672.b.c.d
Rodulphus Mamistanus. 500.c
Roggerus primus Rex Siciliæ. 730.c
Roma an sedes Petri. 528.d
arx Religionis. 559.b.c.700.b.c
caput Imperij. 654.d. 708.d.723.e
cum Carthagine comparatur. 554.c.555.a
fidei Magistra. 680.
fouet Episcopos scelestos. 674.e
ibi vbi Papa. 620.a
olim communis portus. 350.d. 684.b.c.e. 685.a
Romæ fidei prima fundamenta. 209.d.e
non est alligatus necessario Papatus. 620.a
Romam missi discipuli à Paulo. 209.d.e
Romana Ecclesia mater. 107.d.e.479.d 520.a.558.c.d 560.b.680.b.c
caput aliarum. 634.b.723.a.c
Cathedra Petri. 528.a.b.c.d
ad secularem Principatum elata. 698.a
eminet per se sine Papa. 707.b
præsidet. 706.c
sana, valetudinaria, ægra. 754.c.d
Pharisæorum. 604.a
Schismatica. 557.a.b.c.d.e
non semper sequenda. 654.e
fidei & doctrinæ fons. 555.d.e.606.b
cum Alexandrina dissidet. 271.c
est pars vniuersalis Ecclesiæ. 634.a.b
non est vniuersalis. 544.d.e.545.a.
pro institutione consulitur. 511.d. 741.b
Romana Metropolis. 521.c.548.b c.549.b.552.b 553.a.b c.
Romana sedes Apostolica. 558.c.d
Romanæ Ecclesiæ communio: Vide Communio.
auctoritas. 28.d.678.b
dispensationes, abrogationes. 318.b.c. & seqq.
status temporalis à Pipino & Paulo. 596.d
olim excellens doctrina. 710.c.d
Primatus. 387.d.e.650.e.651.a.e.652.a
principalitas. 113.c.118.d.555.d.e.707.b
charitas. 684.c
fundator Paulus. 532.533.534.540.d
fundator Petrus. 531.a.b
dignitas. 558.559. & seqq.
laudes. 546.d. 555.b.659.b.c.e.690.a.684.e. 691.c
priuilegia. 491.d.e.572.d
fastus & supercilium. 650.c.d
potestas diuersa à Papali. 691.b. 694.a
Romani nasini, Electores Papæ. 728.c
Romani resistunt Papæ in vrbis regimine. 731.e
Romani Cleri potestas sede vacante. 286.b.c. & seqq.
Romani Cleri numerus sub Cornelio. 590.a
Romani Episcopi, id est suffraganei. 554.b.c
Romani Pontificis cura vniuersalis. 650.c.d
auctoritas ex Canonibus. 656.d
Romani Pontificis electio. Vide Electio.
Romani Pontifices veteres ab vsurpatione excusantur. 28.d. 92.c.d 694.c.d
Romanum Imperium fides excessit. 559.b.c.
Romanum Imperium profuit fidei. 558.a.559.560.
Romanus Clerus. Vide Clerus Romanus.

INDEX.

Romanus Papa, vrbis Romæ Episcopus. 545.c. 546.a
Romanus Patriarchatus diuidendus. 489. d. e. 590.a
Romanus Pontifex non potest probari succedere Petro in Papatu vniuersali. 613.e.& seqq.
indiget confirmatione. 520.d.e
primus omnium Sacerdotum. 574.c
Romanus Primatus ab vrbe Patribus & Imperatoribus. 563.564
Rubricæ Pontificalis Romani. 223.b.c
Rurales Clerici. 586.a.b
Rutheni liberant se à Patriarcha Constantinopolitano. 489.e
Ruthenis reconciliantur Romano. 711.c.d.712.c

S.

Sabbati ieiunium. 547.d.e
Sacerdotes nostri propriè non sacrificant. 9.b
Sacerdotes sunt imago Christi. 9.d. 73.e
Sacerdotes summi Hebræorum officia. 148.d.e.& seqq. 149.e.
Sacerdotium Christi sempiternum. 8.d
Sacerdotium est prædicare & euangelizare. 17.d
Sacerdotium & regnum consentientia. 483.a
Sacerdotium Euangelicum. 167.b
Leuiticum per propagationem carnalem. 186.d.e
vnicum Episcopis & Presbyteris. 194.c
vnum in Ecclesia. 715.c.d
Sacra cœlestis Sacerdotis non sunt audienda. 213.b.c.d
Sacramenta aliqua à Iacobo publicata. 74.d
duo in Augustino. 226.a
Ministerialiter & potestatiuè. 18.b.c.d.e
Sacramentorum institutio. 218.c.d.e
Sacrificia spiritualia. 320.d
Sacrificium mystice. 17.d
nostrum est tantùm memoria. 9.b
nostrum non in sola oblatione sed etiam in participatione. 9.c.
Sacrilegium quod ex Episcopo fiat Presbyter. 596.b
Salernitana Metropolis. 497.c.d
Salome quæ fuerit. 178.d
Salonitana Ecclesia à Petro per Dominum fundata. 474.a
Salonitana sub Romana. 495.c
Salonitanus resistit Papæ. 662.b.c.704.c
Sapientiæ æternæ vis. 1.c.d
Sarabaitæ. 377.d.e.378.
Sarculum non sceptrum decet Papam. 681.d
Sardicense Concilium cum schismate. 658.c.d
Sardicense Concilium. 401.e
Sardicenses Canones cuius authoritatis sint. 658.b.c.d
Sathanæ tradere. 271.b.
Scandalum quid. 130.c.131.a.b.c
Schisma à Cypriano plurimum cauetur. 671.b
ex electionibus. 414.c.415.c
à Romanis. 653.d.665.a
in Ecclesiis initio per Presbyteros. 203.
inter Symmachum & Laurentium. 334.c
magnum malum. 717.d
Nouatiani. 400.a
Papæ facit. 486.b
Romanum totam non turbet Ecclesiam. 654.b.c 753.c.754.a
separat ab Ecclesia. 189.b.c.& seqq.
Vitandum etiam cum præiudicio proprio. 625.c 626.a
vtroque competitore excluso comprimitur. 728.a
Schismata è Papatu. 676.b.c
& hæreses vnde. 714.a.b.d.715.a
extinguerentur si Papatus aboleretur. 676.b.c.d
Romana triginta. 749.750.
Romana, vnde. 751.d.e.& seqq.
Romana Imperator comprimit exilio. 549.a.b
Romana Imperatorum operam aduocarunt. 733.d.e 735.d.e
Schismate laborante Ecclesia communio cum illa suspenditur 715.c.716.a
Schismatica Ecclesia dupliciter. 556.c.557.a
Schismatici non sunt in Ecclesia. 7.b.c.556.c.557.
Scribæ & Pharisæi qui fuerint. 150.a
Scripturæ potissimum sequenda. 671.a
Scripturæ Canonicæ vnde probantur. 344.a
Secretarij congregationum Romanarum. 609. c. 642.c.643.a
Sede vacante capitulum regit. 286.a. & seqnen. 287.d.e.
Sedes Apostolica absolutè loquendo quæ intelligatur. 475.a.b
Sedis Apostolicæ. 165.d.383.c.393.d.e.394.531.c.d
Sedis Apostolicæ gratia Episcopi. 247.b.670.c
Sedium Episcopalium vnde varietas. 393.c.d
Semen fratri suscitare. 19.a.b.106.b
Seminarium Clericorum. 471.b
Sensuum rebellio. 1.c.
Separatio. Vide discessio. 364.a.b
Separatio violenta coniugatorum in pœnam. 329.c 345.a.b
Sepultura extra Ecclesiam. 371.b
Sergius 3. scelestus. 636.c.d
Sicilia à Paulo conuersa. 134.b
Sicilia à Romana Ecclesia habet ordinationes. 680.d
Siciliæ Rex primus Rogerius. 730.c
Siculi ad Synodum Romam quinquennio. 641.a
Prælati Curiales taxantur. 275.d
sub Metropolitano Romano. 705.b
Siculorum Clericorum cælibatus. 294.a.b.c.e
Sigillum plumbeum Romanum. Vide Bulla.
Silverij afflictio iusto Dei iudicio. 748.a
Silverij exilium. 709.c.d
Silverius electus non exercuit Pontificatum. 752.c.d
proditionis suspectus. 730.a
vigilium an excommunicauit. 637.b
Simon Cananæus Zelotes. 184.c
Simon Cleopha. 185.c
Simon frater Domini. 178.d.e
Simon Magus non erat Romæ in primo Pauli aduentu. 541.c
eum Petrus & Paulus extinguunt. 541.c
ei honores Romæ. 541.b
eius interitus. 541.c.542.b.c
eius occasione Apostoli Petrus & Paulus Romæ. 541.c.d.e
Simoniaca ordinatio non tenet. 215.a.b.c.216.d.219.e. 229.a.
Simplicius Canonum obseruator. 492.a.b.c
Simplicius confirmat Alexandrinum. 518.b.c
Simulata reprehensio Pauli. 129.d.e.& seqq.
Simulatio Petri. 129.c.& seqq.
Stricy oscitantia. 637.b.c

Stricius

Simulatio Petri. 129.c.& seqq.
Siricij oscitantia. 637.b.c
Siricius an primus continentia legislator. 296.d.e. 298.b.c.
Sisinius Constantinopolitanus. 579.e.580.b
Sixtus primus Episcopus Ecclesiæ Vniversalis. 630.c
Sobnas quis fuerit. 73.c.& seqq.
Societas Iesu sub tyrannide. 366.d
Societatis Iesu vota. 360.c.d.364.c
Socrates historicus defenditur. 311.d.325.b
Sol doctrinæ ab Oriente in Occidentem transmigrauit. 720.c.d.721.a
Sol Ecclesiæ. 113.a.b
Solemnitas ad substantiam voti non pertinet. 354.c
Solennitas votorum, Vide Votorum solennitas.
Solis & Lunæ exemplum. 253.a
Semnolentia discipulorum. 100.c
Sortsri coniugium. 315.d
Sotheris epistola. 693.d
Specula pastoralis. 681.c.d.c.722.e
Speculator quilibet Episcopus & Presbyter. 403.c
Speculator vniversalis Papa. 263.c.387.b.670.d 681.b.c d.e
Spiritus Christi non est alligatus solis Ecclesiasticis. 153.b.d
plenitudo in Apostolis. 20.d.e
Sanctus sapius datus Apostolis. 20.a b.22.c
Sanctus æquè in omnibus Apostolis. 23.a
Spolia Episcoporum. 471.b
Stellæ fixæ in cælo. 205.a
Stephani primi indiscretio. 671.a.b
Stephanus Diaconus Iacobi. 171.e
Stephanus Papa à Cypriano & Firmiliano reprehensus. 682.c.646.b.c.& seqq.
Stratores Papæ Imperatores. 493.e
Subdiaconatus non est ordo sacer. 237.c.d.& seqq. 295.c
Subdiaconi post susceptum ordinem vxores ducentes. 295.b
Subdiaconi quatenus cælibes. 293.e.& seqq.
Subdiaconus Cardinalis. 585.c.589.a
Subiectio Apostolorum. 26.d.27.c
Subiectio qualis in Ecclesia. 142.d.e
Subintroductæ mulieres. 303.b.320.c.d
Subordinatio rerum corporearum. 1.d.
Suburbicariæ ciuitates. 548.d.e 549.a.b
Succeditur Apostolis vt Episcopis. 162.b.c.d.166.c.d 474.c.d.e.& seqq.
Succedunt Petro omnes Episcopi. 162.d.e. 163.a.b.c.d.
Successio ab Apostolis in Ecclesia necessaria. 160.e 161.a.& seqq.
ab Apostolis fidem firmat. 22.d.114.e.115.c.393.d.e 394.a.b
an soli Petro data. 27.b.31.c.162.
doctrinæ Apostolicæ. 613.a
& communicatio differunt. 612.e
ministrorum continuata vsque ad finem seculi 188.d.e 189.a.& seqq.
an necessaria in Papatu Petri. 612.a.613.c.d. 614.615.
non datur singulis Apostolis sed omnibus. 162.e. 163.e.164.
Petri non dat Papatum. 695.a.b.696.b
Petri quæritur. 710.c.d.e.720.a
Successionum analysis. 164.a.b.c
Successorem sibi eligere. 417.d.e.& seqq.419.c.420.a & seqq.
Successorem non habet Christus. 8.d.e.
Successores Apostolorum. 22.b.161.b.& seqq. 397.d.600.b.c.605.b.c
Successores Apostolorum Cardinales. 600.b.c. 605.b.c
Successores Petri omnes Episcopi. 610.c.611.d
Suffraganei coadiutores. 290.e.291.a
Summi Pontifices. 483.c.d.e
Summus Pontifex in Ecclesia Christus non alius. 9.c.
Superbia natiuum vitium Romanorum. 637.e
Sursum corda. 234.d.e
Sylue candide, & S. Ruffine Cardinalis Episcopus. 591.e 592.a.608.b.
Symmachi & Laurentij schisma. 734.e
Symmachi leges de Papæ electione. 728.a.b
Symmachus Papa accusatus. 660.a.b.& seqq.
Symmachus vrbis præfectus. 733.e.734.a.b
Synagoga Aristocraticè gubernatur. 150.c.d
particularis Ecclesiæ. 147.c.d.e.148.& seqq.
perseuerauit, viuente Christo. 12.a
eius ministri. 149.e
in vis exercitium. 149.c.d
non omnes gubernabantur à Pontifice. 148.d. & seqq.149.
Synaxes congregant Diaconi. 233.e
Synodi acta ab alia Synodo indicanda. 649.b.c
Synodus à Synodo censuratur. 648.d.e

T

Tabernaculatria Petri. 384.c
Tabula Chronologica. 543.
Talenta varia in ministris. 202.d
Tarasius Constantinopolitanus. 216.d.672.a
Templi præpositus. 73.d.e
Terræ sanctæ amissio. 501.e
Terræ motus causa. 205.a
Testamentum Christi. 33.a
Testificari potissimum debebant Apostoli. 14.e 15.a.b.c.d
Testis in propria causa non auditur. 28.c.706.f.c.d
Testis oculatus debet esse Apostolus. 14.c.15.b.63.b
Teutgaudus Treuirensis. 485.e.& seqq.
Textus plures habens sensus non est allegabilis. 93.d
Theodatus Rex. 735.a
Theodora scortum. 636.d
Theodoretus ad Romanam confugit opem. 659.b.c. & seqq.
Theodoricus obsequens Romanis Pontificibus. 668.b
Theodoricus Rex schisma componit. 734.e
Theodoricus Rex defenditur contra Baronium. 735.a.b
Theodosij pœnitentia. 154.a
Theodulphus Floriacensis. 147.e
Theorema factum. 323.e
Theophilus Alexandrinus. 270.e.271.a.b
Thesauri libri Cyrilli. 709.b
Thessalonicensis subiectus Papæ. 760.c.d
Thurificatio Petri & Pauli Romæ. 533.e
Tiberius legitimus Imperator. 748.d
Timothei Æluri intrusio. 222.e. 405.a.b.

Timotheus

Timotheus factus Episcopus. 195.b
Timotheus Constant inopolitanus. 748.b.c
Titulares Episcopi suis Ecclesiis destituti. 586.c 587.b.c.588.a.b
Titulares Episcopi reijciuntur. 276.b.c.& seqq. 277.a
Titulata omnes Ecclesiæ. 585.b
Tituli Cardinales. 585.d.608.b.c.d
Tituli Episcopi Romani. 548.a
Titus factus Episcopus. 195.c
Traditiones. 345.d.401.c.671.a
Translatio Episcoporum. 401.b.752.c.753.a
Tributi solutio. 96.c.d.& seqq.136.c
Tridentinum Concilium. 229.d.e
Trinitatis Exemplum pro potestate Ecclesiastica. 388.d.e
Trituci dispensatores. 100.a
Triturans bos. 17.a
Tumultus Cleri propter uxores. 306.d.e.& seqq. 346.c.d
Turbatio hierarchiæ Ecclesiasticæ. 394.d.397.a.b
Turre cremata blasphemia. 169.a
Typus sæculi in Ecclesiam non inducendus. 656.c. 657.c.658.a
Tyrannus in Ecclesia. 138.c

V

VAcantes Episcopi inuandi. 276.c
Vacare orationi. 324.e
Valdenses & Vicleſus damnati, 205.b
Valentiniani privilegia Romano Pontifici. 564.c.d
Valentinianus Vrsicinum expellit. 733.d.e
Velatio virginum post professionem. 441.d
Venenum propinat Papa. 501.c
Verbo solo ordinatio. 107.c.d
Veritas potest prohiberi. 621.d
Veritatis professio periculosa. 526.a.b.c
Vertices Ecclesiarum sunt Patriarchæ. 477.d.684.a
Vespasianus Cæsaream exaltauit. 395.d.e
Viaticum de sæculo transeuntibus. 342.a
Vicarij Christi omnes Apostoli. 33.d.e.34.e.35.a & seqq.
Vicarij Christi omnes Episcopi. 260.b.c.& seqq.261.a.b.c 645.a
Vicarij operis Christi. 35.c.d
Vicarij Petri & Pauli Romani Pontifices. 533.d.e
Vicarij Petri omnes Episcopi. 163.d
Vicario non indiget Christus in terris. 8.d.e.9.a.d 10.c
Vicarius amoris Christi Petrus. 110.c.d
Vicarius Christi Spiritus Sanctus. 32.d.e
Vicarius Dei in terris nullus. 265.c.d.& seqq.
Vicarius Dei solus Christus. 266.b.c
Vicarius Petri Romanus Pontifex. 529.c.d.e & seqq.
Vice-Deus Papa. 265.d.e.& seqq.275.e
Vices ministeriorum Ecclesiasticorum. 314.e.315.a 320.a.b
Wicleffi articuli damnati. 726.a
Victori Papæ resistitur. 644.a.b.c.693.a
Victum propria manu quærunt Apostoli 70.a
Viennense Concilium minax erga Papam. 672.b
Vigily ab exilio restitutio. 736.c
Vigilius à Bonifacio substitutus inualidè. 735.a
Vigilius legitimus Episcopus viuente Silverio. 747.c 748.a.
Vigilius pessimus. 637.a.643.e
Vigilius in quinta Synodo non interfuit. 280.c.d
Vincula Petri. 537.a
Vinculum communionis & vnionis. 482.c.683.d.e
Vinculum coniugij fortius quàm voti. 327.d
Vinculum inter Episcopum & Ecclesiam solubile. 276.a
Vinea cum operarijs est Ecclesia. 381.e. 382.a.c.d
Vinea custos Romanus Pontifex. 690.c
Vinitores Apostoli. 17.b.c
Virginalis status maximum ornamentum in Ecclesia. 353.e
Virginem sacram ad matrimonium allicere capitale. 345.a.b
Virgines matrimonium fugientes vt sint liberiores. 333.b
Virginitas retinenda. 319.b.353.e
Virtutes in Apostolis inæquales. 95.c.d
Vis irritans votum & matrimonium. 328.d.e
Visibile caput impugnatur. 6.d.8.c.10.c.11.a.12.d.e 19.d.106.b.c.133.d.135.e
Visibile regimen Christi in quo consisteret. 12.d.e
Visio Petri de animalibus. 103.b.c
Visitare provinciam potest Metropolitanus. 469.c.d.e 470.a.
Visitat Paulum Petrus. 104.a.& seqq.
Visitatio sine iurisdictione. 708.b.c
Visitator Ecclesiarum Petrus. 102.c.103.a.134.e 536.a.538.d
Visitator generalis Paulus 538.d.e
Visitatorem Ecclesiæ vacanti dat Metropolitanus 405.d 413.a.416.c.d.471.b.c.d.755.c
Visitatores à Rege contra Papam & Episcopos. 660.c
Vitalianus Papa à Ravennate excommunicatus. 662.d
Vitalianus Papa Imperatori Pogonato Imperium Occidentale reddit pacatum. 738.c
Vitia non extirpat sed occultat Monachismus. 375.e 376.a
Vnam Sanctam. Extrauagans. 725.b
Vnctio in ordinatione antiqua. 187.c.d
Vnguentum Spiritus Christi. 7.e
Vnigenitus quomodo Christus. 180.c
Vnio Ecclesiarum. 482.e
Vnio cum Ecclesia vniuersali necessaria. 620.a
cum Papa non necessaria. 620.a
Cathedralium. 588.b
Vnitas Ecclesiæ. 51.c.86.b.c.88.d.89.d.c.113.c.114.a 115.b.116.d.121.c.b.140.d.e.142.c.144.a.b. 383.d.e.384.& seqq.501.c.555.a.c.557.d.661.e 662.a.676.b.715.a.b.716.a.b.c
Vnitas Ecclesiæ ex fide & consonantia veterum dogmatum. 384.b.d.385.c.d.386.d.387.a.c.490.a.b.c
Vnitas est veritas integralis. 384.c.& seqq.
Vnitas subordinationis hierarchicæ. 391.d.394.c
Vnitatis mysterium. 77.d.c.78.79.
Vniuersale caput totius Ecclesiæ non datur. 618. & seqq.631.632.653.b.c.677.d.725.d.762.c.d.e. 763.c
Vniuersales sedes. 633.b
Vniuersali Episcopo ruente tota ruit Ecclesia. 625.e 626.a.
Vniuersalis Dominus Deus. 635.c
Vniuersalis Episcopus & Episcopus Ecclesiæ vniuersalis differunt. 630.b

INDEX.

Vniuersalis Ecclesia. 114.c. 115.a. & seqq.
dat normam particularibus omnibus. 547.c.d.e 556.d.e. & seqq.
supra Romanam. 547.c.d
nulla cum hoc titulo. 634
Vniuersalis Ecclesiæ Episcopi. 546.b.c.624.d.630.b 682.a. 690.b
Vniuersalis est quilibet Apostolus. 31.c.32.a 33.d.109 c.d
Vniuersalis potestas Apostolorum. 87.b.c.d.88.c 90.c. 109.c.d. 110.a.111.b.c. 117.a.b.c. 120.a. 164.d.e.251.d.e.267.a.b.282.a.603.a.b.c.d.
Vniuersalis ne Romanus quidem appelletur. 627.b
Vnus Episcopus in vna Ecclesia. 220.c.203.d.e 204.b.206.a.208.e.610.d.611.c.713.d.e.
Vocatione quis primus ex Apostolis. 39.b.c.& seqq. 95.b.c.191.d.e.& seqq.
Voluimus verbum imperatiuum. 699.e. 700.a
Voluntarium interpretatiuum. 131.a
Vota solennia paupertatis castitatis & obedientiæ nuper inuenta. 357.d.e.361.e
Vota sunt laudabilia. 353.e
Voti ordinibus annexio. 328.a.b
Votorum solennitas ex sola Ecclesiæ constitutione. 353.b.c 357.& seqq.359.a.& seqq.360.c.d.& seqq.361.c & seqq.
Votum continentiæ quando stultum. 315.c
est actus internus. 327.b.c.328.b.c
expressum continentiæ in ordine. 327.d.e. & seqq.
impedit matrimonium. 342.c.343.a.b
nullum diuinum matrimonium. 330.& seqq.
nihil addit Domini Deo. 354.a.b
præsumptiuum. 328.c.d.& seqq.
personale & permanens 355.a.& seqq.359.c. & seqq.
reale & transiens. 355.a
simplex est perfectè obligatiuum. 354.b.c
simplex & solenne in quo differunt. 359.b.& seqq. 360.362.a.b
Vox populi non semper vox Dei. 415.e
Vrbana præfectura. 549.b.552.b
Vrbicariæ regiones. 548.d.e
Vrbis dignitas. Vide Ciuitatis.
Vrbis dignitas Papatum euexit. 637.d.e
Vrbis Romæ Episcopi. 546.547
Vrsacij & Valentis pœnitentia. 707.c.d
Vrsini exsilium. 549.e. 549.a.b
Vxor Clerico non abijcienda. 310.a.b.316.d.e
Vxorum vsus Clericis in sacris prohibitus. 294.c.d. & seqq.295.d.298.a.& seqq.299.c.300.309.a

Z

ZEno ordinationes iubet. 492.a
Zenobius Senator Romanus. 586.c
Zosimus contra Africanos. 655.e.658.b
Zosimus inclinat in Papatum. 697.a.b.c

FINIS.

INDEX

OMISSORVM QVORVNDAM, AVT TRANSPOSITORVM REPOSITIO.

QVoniam autographa mea huius primæ partis manuscripta habuerunt appendices seorsim separatis schedulis descriptas, indicatis suis, in quibus reponendæ essent, locis, neque mihi commodum fuit perpetuo Typographis assistere, illud incommodi accidit, quòd aliquæ ex dictis appendicibus fuerint omissæ: aliæ non suis, sed alienis locis transpositæ: ideoque necessarium fuit hic iam supplere. Certè culpa Typographi non fuit, sed appendicum additionumque multiplex adiectio. Rogo Typographos, si qui sint hunc librum recusuri, vt prius errata hic annotata corrigant omnia; suisq; locis additiones hic positas diligenter reponant: interpunctiones, & commata ipsi proprio iudicio melius distinguant. In his enim non parum peccatum esse corrector diligens animaduerteret; sicut & in appositione huius characteris] qui claudit aliorum dicta; interdum enim omissus est, ac propterea addendus.

Pag. 8. *in fine numeri 9. adde* Huic loco vicariatus Petri erat opportunus, & tamen Augustinus de eo nihil.

Pag. 14. *B. lin.* 7. 8. *hæc verba,* Nam illi septuaginta duo videntur omnes à Ministerio, ad quod fuerunt missi *sic immutanda sunt,* Aliquibus verò illi septuaginta visi sunt omnes à Christi sequela & *in fine eius numeri adde* cap. 3. num. 5.

Pag. 18. *E. in fine numeri* 15. *adde* Quod paulo ante obseruabat etiam Chrysostomus. num. 13.

Pag. 31. *in calce* etiam in Ecclesia. *adde* Sed ne hoc quidem asserit Gregorius: et locus corruptus est: in antiquis enim, & manuscriptis aliquot, sic ego legi: Certè Petrus Apostolorum primus, membrum Sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est.] quæ est ferme aperta negatio Petri Supremati, & visibilis capitis in Ecclesia vniuersali.

Pag. 37. *E. in fine numeri* 5. *adde* Qualem primatum agnouit etiam Cyrillus, infra c. 10. num. 6. huius.

Pag. 39. *C. lin.* 1. vocatus sit.] *adde* Philippum sanè ego primum voce Domini vocatum, inuenio Ioannis 1. sed fortasse ne ille quidem tunc perfectè adhæsit.

Pag. 54. *E. totus Tertulliani locus, cum sua citatione, vacat; neq; enim est suo loco positus; propterea delendus.*

* *Ambr. in Ep. ad Gal. cap. 2.*

Pag. 91. *D. lin* 8. asserit * primatum. *appone citationem in margine, vt hic.*

Ibid. in calce marginis. pœnit. cap. 1. *adde & Ambr. Apol. Dauid. cap. 6.*

* *Idem homil. 1. de pœnit.*

Pag. 92. *C. lin.* 4. habere charitatem] *adde* Item alio loco: * Sed tamen post malum, iterum eum ad priorem honorem euehit, & Ecclesiæ Primatũ, gubernationemq; sibi per vniuersum mundum tradidit: quódq; omnium est sublimius, ostendit eum nobis ad Dominum maiorem Apostolorum omnium charitatem habuisse: Petre, inquit, diligis me plus his?] Primatus hic Ecclesiæ est, quod primus Petrus ante omnes factus est Ecclesiæ totius mundi gubernator; hoc est Apostolus; & inter Apostolos primus, ac præcipuus, cui fundationem Christus commendarat, sed non solus; nam post ipsum etiam reliqui Apostoli eandem gubernationem susceperunt.

* *Orig. tract. 5. in Matth.*

Pag. 96. *D. lin.* 4. At verò Hieronymus, *adde* sequutus * Origenem.

Pag. 97. *E. lin.* 9. numerus Prophetarum.] *adde* Petrus remum cum cæteris, non clauum tenet. Vbi ipsius primatus? Vbi Vicariatus? Vbi vniuersalis Ecclesiæ gubernatio autoritatiua?

Pag. 98. Petro * apparuerit *appone citationem in margine, vt hic.*

* *Luc. 24.*

Pag. 107. *citationem in margine sub litera l. sic corrige, Aug. in l. 1. C. de Sent. pas. & in l. 2. C. de crim. sacr.*

Pag. eadem D. lin. 11. * Quod verò afferunt *appone citationem in margine, vt hic.*

* *Bellar. de Rom. Pont. l. 1. c. 23. §. secunda ratio.*

Pag. 110. *A. in fine numeri* 6. *adde* Erat igitur Princeps & caput, antequâ audiret, Tu es Petrus, &c.

Pag. eadem B. in fine numeri 9. *adde* Supra cap. 9. num. 8. huius.

Pag. 125. *C. in fine numeri* 6. *adde* Et de Bernardo plura lib. 5. c. 2.

Pag. 131. *D. in fine numeri* 19. *adde* Nazianzenus verò, dum * Petro tribuit peculiarem prouinciam, nempe Iudæam; Paulo verò gentium vniuersitatem: an Petrum facit Papam vniuersalẽ? an non potius Paulo tribuit hunc Papatum?

* *Nazian. orat. 24. ad Arianos; inf. lib. 2. cap. 7. num. 2.*

Pag. 137. *ad calcem lin. antepen.* Ecclesiam militantem, *adde* cum donis tamen illis & charismatibus ministrorum Ecclesiæ proprijs.

Pag. 143. *C. lin.* 8. esse * negligentem, *appone citationem vt est hic in margine.*

* *Arist. a. poster. cap. 1.*

Pag. 159. *B. lin.* 3. An soli Petro detur successio, *dele ista, & pone eorum loco sic,* Non soli Petro, sed omnibus Apostolis in solidum datur successio.

Pag. 161. *B. lin.* 2. ad Euangelizandum, *adde* & similibus:

Pag. 165. *C. in fine numeri* 16. *adde* & sanè in honore: hoc est, in ipsa ordinaria Apostolica dignitate, & consequenter potestate.

Pag. 167. *in margine sub litera f. adde & cap. 2. n. 7. huius.*

Pag. 176. *citatio quæ est in margine sub litera b. pertinet ad ea verba,* Nicephorus Iacobum, *Litera verò b. debet in marg. respondere citatio, hoc pacto, l. Idem hær. 79.*

Pag. 180. *D. in fine numeri* 36. *adde* Nomine igitur fratrum hic consanguinei non intelliguntur remotiores.

Pag. 182. *D. lin.* 4 quam Germana *adde* aut vterina duntaxat.

Pag. 183. *ad calcem lin. antepen.* affirmabat Paulus, *adde* vt supra num. 17. & 22.

Pag. 187. *D. lin.* 6. Me Pontificem vngis, *adde lineolam sic — vt sit signum ibi aliqua omitti.*

Pag. 214. *in calce,* Gregorius Simoniacè ordinatos &c. *vsq; ad ea verba pagina sequenti exclusiuè* Autor operis *hoc loco vacant; & sunt transferenda: & numerus* VIII. *incipiet ab ijsdem verbis* Autor operis, &c.

*Pag.*215 *in calce, & fine numeri* 9. *adde* Et ipsemet Petrus Damiani Simoniacam ordinationem declarauit esse nullam, num. 19.

*Pag.*216. *E. lin.* 2. fures sunt & latrones.] *Hic transferendus est locus ex Gregorio, modo memoratus.*

*Pag.*221. *B. linea prima numeri* 23. vt iam ostendimus *adde* num. 5. 13. 14.

*Pag.*235. *A lin.* 5. æquentur *adde lineolam* —

Ibid. B. lin 2. ordinando. *adde lineolam* —

*Pag.*248. *A. lin.* 6. cap. 1. huius libri *adde* & hactenus toto hoc cap.

Pag. eadem E. in fine numeri 20. *adde* vt optimè Hieronymus infra cap. 6. num. 6. huius.

*Pag.*254. *D. in fine numeri* 32 *adde* Idem profecto Leo Episcopos omnes Italiæ ad suæ curæ consortium aduocat; * In consortium, *inquit*, vos nostræ solicitudinis, dilectissimi fratres, aduocamus. Non vocat eos in partem, sed in consortium solicitudinis: Sciebat enim Episcopum quemq; ipsi consortem esse, ac cum ipso æquâ, diuino iure, erga Dei Ecclesiam gerere debere solicitudinem: hoc enim consortium illud significat.

* *Leo Ep.* 2.

*Pag.*262. *B. in fine numeri* 6. *adde* Hincmari Remensis & autoritatem, & validum ex Paulo argumentum habes infra lib 4. cap. 8. num. 45.

*Pag.*271. *C. in fine numeri* 11. *adde* Abusus tamen ea est Theophilus contra Chrysostomum.

*Pag.*273. *A in fine numeri* 17. *adde* imò & extorsimus, vbi * docuimus totam Ecclesiam fuisse omnibus æquè Apostolis commissam.

* *supra l.* 1 *cap.* 3. & 4.

*Pag.*274. *A. lin* 4. sunt prohibiti &c. *appone lineolã* —

Ibid. C. concredidit, habuissem? *appone lineolam* —.

*Pag.*278. *C. lin.* 2. sapientiæ consultissimis. *appone lineolam* —

*Pag.*280 *citatio quæ est sub litera i. sic tota corrigatur i Concil. ord. ap 6 & Concil Laod. c.* 57. *& dist.* 80. *c.* 3. *&* 5.

k *Ea cap.* 4.

Ad verbum vero, k Leo Romanus *ponatur alia citatio, vt hic in margine.*

*Pag.*281. *E. lin.* 1. vidimus Augustinum *adde* supra num. 2.

*Pag.*282. *B. lin.* 1. Ecclesiam propagandi *adde* supra cap. 7. num. 2 huius.

*Pag.*289. *in fine num.* 15. *adde* vt habemus in Concil. Nicæ. 6 c. 4. & supra cap. 8. num. 11. huius.

Ibid citationis in margine sub litera f. adde sup. c 8 *n.* 6.

*Pag.*291. *B. lin.* 1. vt supra est ostensum *adde* cap. 8. huius, & hoc cap. 9. num. 15.

*Pag.*294 *B. lin* 4. castè promiserit. *appone lineolã* —

*Pag.*311. *C. lin.* 1. vt inferius ostendo, *adde* num. 79.

*Pag.*313. *C. lin.* 10. & optimi quiq; Synodaliter, *adde* non sine * Legatis Romanis.

* *Baron. apud Baron tom.* 8. *an.* 692. *n.* 9

*Pag.*325 *in fine capitis adde* Cum igitur neq; Cœlibatus suapte natura nos omnino Deo astringat, vt obseruabat Nazianzenus: neq; coniugium à Deo dirimat, sed sæpe cõiunctionis cum Deo impedimenta remoueat, quorsum tanta solicitudo circa Cœlibatum Clericorum, perinde ac si status cœlibum esset tutissimus, coniugalis verò perditissimus; cum tamen hic re vera sit tutior illo? Laudetur Cœlibatus, foueatur, procuretur, sed neq; connubia interim Clericorum condemnentur.

*Pag.*328 *B. lin* 3 cap. præcedenti *adde* num. 9.

Ibid. lin. 4. voti ad ordines. *adde* Saltem certè ante Gregorium, per sexcentos annos post Christum natum, talis annexio non erit ponenda. Quid verò voluerit Gregorius, habes in præcedenti cap. Quid etiam potuerit siue de iure i. Ecclesia vniuersali, siue de facto, vbi Clerus tantopere semper restiterit, ex præcedenti cap. quisq; discet. Et hanc annexionem ne à Gregorio quidem factam agnouit multo post Alexander 3. modò allatus: qui si factam agnouisset, votum expressum non quæstiuisset.

Ibid. lin. 9. Quia Canoni huic *adde* (etiamsi in sensu Caietanico concedatur)

*Pag.*329. *D. lin.* 10. vt præcedenti capite vidimus *adde* num. 10. 12. 14. 15. 16. 22. 23. 24. 25. 29. 33. 43. 44.

*Pag.*342. *B. C.* Atq; hæc tibi Christiane Lector *vsque ad finem numeri* 40. *id totum est transferendum ad finem sequentis num.* 41.

*Pag.*346. *C. lin.* 6. exprimunt manifestè *adde* supra num. 8.

*Pag.*347. *E. in fine Summæ capitis adde, Conclusio pam* 78.

*Pag.*389 *B. in fine numeri* 22. *adde* Hi supra Episcopos Papam non agnoscunt.

*Pag.*397. *B. lin.* 10. Hoc supra *adde* num. 8. 10. 11.

Ibid. sed & Mileuitanum *vsq; ad finem numeri* 17. *vacant omnia, cum sua citatione marginali, alio loco erunt reponenda, hic verò sunt delenda.*

*Pag.*400. *B. in fine numeri* 7. *adde* imò & Athanasius infra num. 11.

Ibid. E. in fine numeri 8. *adde* & populares electiones illius temporis commemorat.

*Pag.*407. *A. B.* Antiochenum sub Iulio, *vsque ad* Carthaginense 3. *exclusinè, vacant, aliis locis reponenda, hic delenda.*

*Pag.*413. *C. lin.* 2. ab Vrbano *vacat, delendum est.*

*Pag.*416. *D. lin.* 1 Habesq; de hoc supra *adde* num. 23. exemplum, vbi ab Hincmaro Remensi Metropolitano visitator petitur: habes etiam

Ibid. D. lin. 10. ad ipsum spectet *adde* Habet enim & præceptum Pauli, n Nemini citò manus imposueris: & diuinum naturale, ne inhabilibus, ne indignis diuina mysteria, & ministeria, ac Lupis pastura committantur. Propterea si talis vel notoriè, vel iuridicè conuictus ei offeratur consecrandus, debet ab impositione manuum super talem omnino abstinere; & electores monere, vt alium eligant: vbi autem Princeps ius designationis exercet, suppliciter rogare, vt alium proponat: inhabilitate, aut indignitate illius Electi, clarè manifestata, & legitimè comprobata. Ita Leo x. in o Concordatis cum Francisco Galliarum Rege, electiones ea conditione liberas concedit Regi, vt tamen, si indignum, aut inhabilem eligat, eo repulso, alium Rex ipse quærat, & proponat. Neq; enim piorum Regũ animus esse potest, vt inhabiles, & indigni ad sanctum regimen sanctarum euehantur Ecclesiarum. Quare Metropolitanus, antequam manus imponat, videat cui eas sit impositurus.

n 1. Tim. 5

o *Infra cap* 12. *n.* 2. *lo-cus.*

*Pag.*435. *ad calcem, in fine numeri* 10. *adde* Antiochenum sub Iulio, decernit; * Non posse aliter fieri Episcopum, nisi in Concilio, & cum consensu Episcoporum; eorum duntaxat, qui post obitum illius, qui præcessit, habuerint potestatem eum, qui dignus fuerit, proueh endi.]

* *Concil. Antioch. cap.* 27.

*Pag.*470. *Citatio sub litera m. in mar. tota sic corrigatur De off. ord. carnes fragabili* § *Cæterum.*

Pag.475.B.lin.2. sit sedes propriè *adde* & pro certo

Pag.480.A.lin.7. præfatarum Diœcesium *adde* ordinari *& linea sequenti dele verbum* ordinetur.

* *Concil. Matis.2. init.* Pag.482.B.lin.11. *ad verbum** Patriarcha *pone citationem in margine vt hic.*

Pag.485.*citationis vltimæ in marg. quæ est sub litera* e, *adde & Ancti Annal.Boio.lib.4.*

Pag.488.E.l.2. curabimus.] *adde* In hac Dalmatiæ ab ipso defectione, Papa nullũ schisma agnoscit.

Pag.542.C.lin.4. (ita nos docuit Baronius) *adde intra eandem parenthesim* supra num.15.

Pag.544.C.lin.1. num.25.26.27. *adde* 28,29.

Ibid.li 6.7. Ecclesias, *adde* & quodam Epitaphio.

Pag.557.C.lin.9. agnouerunt, *adde* supra num. 9. & 10.

Pag.558.C. lin.11. Seminario generali, *adde* vt habet Innocentius primus, Epist. 29.

Pag.561.*in fine numeri* 9. *adde* Antiochenam quoq; Ecclesiam Apostolicam, & Patriarchalem, totu Orienti præsidentem, facilè inuenies Matrem, & Caput Ecclesiarum appellari. Basilius enim magnus ad Athanasium scribens, ait; [g] Quid autem contingere potest Orbis terrarum Ecclesijs magis principale, quàm est Antiochia? quam si contigerit ad concordiam redire, nihil impedierit, velut caput sanum vniuerso corpori suppeditare sanitatem.] Et Chrysostomus de Antiocheno Episcopo, qui ad Imperatorem pro negotio dictæ Ciuitatis profectus fuerat, loquens, ait, [h] Nouit ille plane quod non pro vna sibi nunc Ciuitate negotium, sed pro Oriente toto: ciuitatum enim sub Oriente positarum Caput & Mater est Ciuitas nostra.] Puto Chrysostomum non modò ad dignitatem sæcularem Ciuitatis Antiochenæ; sed etiam multo magis cum Basilio, ad locũ spiritualem, & Ecclesiasticam præeminentiam illius Ecclesiæ respexisse

[g] *Basil.Ep. 48.*

[h] *Chrys. ad pop. Anti. hom. 3.*

Pag.564. *initio deest citatio sub litera* a *ponatur in margine sic; Hugo de sacram. lib.1. cap.42.*

Ibid. B. in fine num. 20. *verba hæc*, Et Bonifacius 8. Constatinum similiter facit Romanæ Ecclesiæ exaltatorem. *transposita sunt, & superius poni debent post illa verba* Romanam Ecclesiam exaltarunt] *hic vero delenda.*

* *In Concil. Chal. act. 3.* Pag.565. *in fine numeri* 23. *adde* At verò & Romano datus est hic titulus ab* Orientalibus, ante Phocam; & Constantinopolitanus post Phocam eo vsus est; vt ostendo infra cap.4.

Pag.566.E.lin.7. *vltimum verbum* accipiatis *spectat ad finem lineæ sequentis.*

* *Mat. Paris in Hen. 3 ad an. 1253.* Pag.567.D.lin.5. feudum Sancti Petri, *adde* Et Innocentius quartus nimium tumidè, & audacter * Regem Angliæ suum vocat vasallum, imò Mancipium.

Pag.586. D.lin.4. Et deposito Constantino Papa, &c. *totum vsq; ad finem numeri* 8. *vacat cum sua citatione marginali, est enim extra suum locum, propterea delendum, & subijcienda hæc verba*, Hactenus incerta, dubiæq; fidei.

Ibid. initio numeri 9. Gregorius sæpe *adde* omnium vt puto primus.

Pag.589. *ante verbum* Hadrianus, *quod est initium numeri* 18. *reponenda sunt ea quæ supra vacare diximus in pag.* 586. *videlicet*, Depositio Constantino Papa, habitum est à Stephano 4. Concilium quoddam Romæ, in quo decretum est,* Ne vllus Laicorum, neq; ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, vel Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem possit promoueri.] In eodem Concilio habentur septé Episcopi Cardinales. *Itaq; numerus* 18. *incipiet in verbo hoc* Depositio.

* *Anast. Biblioth. in Stephano 4.*

Pag.605. C lin.1. Cardinalium elatores, *adde* supra num.44.

Ibid.D.lin 5. aut principales *adde* (sed fallitur)

Pag.615. A.lin.5. per vilitationem, *adde* & per epistolas.

Pag.618. B.lin.12. *Prima enim occasio, & c. sic correctius, Tres cipuæ occasiones fuerunt Magnificentiæ Vrbis, Imperij obitus, & Principatus terræ ac quietis, num.38.39.40.41.*

Pag.637. E. lin. 5. vidimus, *adde* cap. 3. num.32. huius.

Pag.639.D.lin.3. *ad verbum* Angelus, *apponatur sua citatio in margine videlicet, Apoc.19 & 22.*

Pag.647. A.lin.8. *verba illa* ante Pamelium *postposita sunt, debent poni post illa verba eiusdem lineæ* suam Epistolam.

Pag.665. *in fine numeri* 47. *adde* Hæc omnia, & plura Gerbertus.

Pag.669. *in fine numeri* 59. *adde* & oculum scandalizantem esse eruendum: hoc est Papam ineptum ac malum deserendum; & si sit incorrigibilis etiam excommunicandum.

* *Concil Constantien. sess. 4.* Pag.670. *in fine numeri* 62. *adde* quod postea Concilium * Constantiense solenniter definiuit.

* *Sup. l.3. c. 10. n.28.* Pag. 683. E. lin.6. Patriarcha* communicaret *appone citationem in margine, vt hic.*

* *Supra. n. 25.* Pag.725. E.lin.3. *citatio ad verbum*, sed quomodo *in mar. deest: & sic reponenda est a Baron. t.8. an.595. n.39.*

Pag.740. C lin.7. *ad verbum*,* vidimus, *pone in margine vt hic.*

Pag.741. *in margine sub litera* d. *adde Habetur ex parte Dist.63.c.28 & sup. n.25.*

Pag.743. C.lin. 3. num. 57. *adde* si velit quis Epistolæ illi fidem adhibere.

Pag.750. A.lin.3. protecto *adde* recusantium.

Pag.754. D.lin.11. *post verbum* millionem *dele punctum & pone comma*,

[a] *Ioan.17.* Pag.766, B. lin.1. [a] Vnum in te. *pone citationem vt hic.*

Pag.	Litera	lin.	Errata.	Corrige.
15	D	5	Apostolorum	Apostolatum
	B	2	duntaxat	dele
	B	8	n.18.20.	n.21
2	B	12	dicerit	dixerit
24	B	22	videbit ul	videbat iam
29	C	9	Tantine	Tanti
30	C	10		
	D	1	crassiamis	crassissimis
		2	demergi?	demergi.
		5	ducuntur	dicuntur
31	B	22	&c.	& alijs subsequentibus,
32	A	4	portus	positus
33	B	4	persequamur	persequemur
42	D	2	finalis	formalis
49	A	6	fit fatis	fit satis
51	B	1	prius	penus
57	C	1	numerant	nouerant
57	B	11	qui	quæ
58	B	12	n. 5.	n 4
	C	1	creditu	creditur
	E	9	vocant.	vocat
62	D	21	Brixienses	Brixenses
70	A	10	n.19.	n.20.
71	A	8	ligati	ligati
72	B	4	potentia	potentia
	D	3	aliterque	aliter quàm
75	A	1	disposuit	disposuit
	B	12	num.7.9.10.	num.7.9.10
77	mar.	8	Christi	Christo
81	C	1	qui est Pf.	qui est 1.
	mar.	c	Petro	Petrum
82	A	9	appareret	appareat
	C	10	ostenditur	extenditur
83	B	6	aliam	alium
84	C	9	in Pet. Apost.	in Act. Apost.
85	mar.	1	sitientibus	scientibus
	E	2	solicitudine	sollicitudine
87	A	2	propo uisse	præposuisse
89	A	4	statem	statutum
96	D	1	Cursabant	Erubant
		8	sisitari	scitari
		11	num 31.	num.32
97	C	3	consensisset	consensisset
101	D	10	vinitatis	Trinitatis
108	D	5	Petrum	Petri
109	B	5	allegatus	allegatus
111	E	1	nimirum	minimum
113	D	9	verò	verus
117	D	2	Hireomonarchiam	Hieromonarchiam
120	B	7	ex merito	ex meritò
122	B	6	dignatem	dignitatem
123	C	11	in Christo	à Christo
126	B	1	qui	quæ
128	D	11	dicta	dictum
135	C	7	*dele interrogationes*	
136	C	9.10	num.8.	num 9
142	D	2	atque	atqui
		5	verbo	verbis
143	mar.	8	num.8	num 9
144	B	5	&c. Monarchijs	& Monarchijs.
147	A	8	Aqu pr.	Aqui gr.
	mar.	p	Christi	Christe
		9	coniunctum	coniunctum
		11	num.22.	num.32.
152	B	7	facict	facit
154	E	2	aut multi	vt multi
162	B	7	vientes	viuentes
164	D	7	Barsinonensis	Barcinonensis
165	C	12	accentus	recensus
166	A	5	humanum	Romanum
168	E	9	dicti	dicto
	A	3	cæpisse	cepisse
169	D	2	num.3 4.	num.4.6.
175	A	9	num.3 4.	num.4.6.
175	mar.	b	55.	55
178	A	3	ostendisset	ostendisset
179	B	1	Domini sororem	Matris Domini sororis
185	B	11	noluerit	voluerit
189	mar.	a	li.ep.	l.1.ep.
190	B	5	charissima	charitma
193	mar.	a	num.22.	num 21
196	A	1	po it	ponit
203	A	10	Smirnæorum	Smyrnæorum
207	A	11	videat	videnr
209	C	3	ex modestia qui	ex modestia qua
	B	2	proferant	proferunt
	D	9	Turonicensium	Turonensium
210	D	6	chronologiorum	chronologorum
211	E	6	Hunc	Nunc
213	C	9	protulerunt	produxerunt
214	A	7	4	quatuor
215	D	11	ordinaueris	ordinareris
217	A	3	sum, vel	sunt, inquit, vel
218	E	5	inordinatum	in ordinatum
221	B	3	num 19.	num.16.
	A	10	ostendimus	ostendimus n.5.13.14
223	mar.	1	Amandum	Amandum
226	mar.	g	Syngen	Syn. gen.
227	C	4	charismate	chrismate
228	B	8	fretum	fœtum
229	C	3	sune	sum
231	A	1	merum	verum
	D	2	primatiua	primitiua
		12	Oeconumi	Oeconomi

Pag.	Litera	lin.	Errata.	Corrige.
233	mar.	y	idem ad Hier.	idem ad Heronem
234	A	6	iuungitur	iniungitur
	mar.	n	Cæsar	Cæsarius
235	A	5	Leuitaram	Leuitarum
	B	2	& dignos	vt dignos
		4	proponuntur	præponuntur
	D	11	occupate	occupam
236	A	3	Ecclesiasticam	Eucharisticam
	mar.	e	Arelat.5.	Arelat.1.
237	mar.	b	num 51	nu. 49
	E	1	institutus	institutus
238	mar.	p	Vbi supra n.45	supra n 46
241	D	1	Diaconici	Diaconi
247	mar.	a	Aug.	Supra
250	C	2	Episcopiscopatuum	Episcopatuum
252	E	7	oculos	oculus
254	mar.	c	Greg.epist.	Greg. epist. 29. lib. 2.
255	C	8	nos habere	vos habere. (Ind.11
256	B	9	haberet, vt	haberet in actu, vt
258	B	11	vti sunt	vtanuni
260	mar.	i	hom.	Rom.
		m	heren.	eremo
261	D	9	num 9	num.8
262	A	10	infragabili	irrefragabili
263	A	7	conteretur	conaretur
		8	non tum	non tam
264	A	10	oculos	oculus
	B	8	mittet	mittat
	E	2	oculus: lucerna	oculus: —— lucerna
265	C	7	ieiunes	ieiunes
266	A	3	nimium	nimirum
		4	ipse tanquam	ipse sit tanquam
270	E	4	Lactissimus bonum	Sanctissimus —— bonũ
273	B	10	recipiunt	respiciunt
	E	8	formidant: &	formidant; —— &
277	D	4	& in singulis	& singulis
279	mar.	c	Sclauon.	Sclauor.
	C	9	inuestituras	inuestituras
281	B	3	supra vt	supra num. 5. vt
283	C	12	nu.25.	nu. 52
	E	8	concilio	consilio
284	mar.	a	Pral.	Pręl.
285	A	5	Regulares	Secculares
286	mar.	a	n.10 17.21	n.19
289	C	6	Ecclesiam	Sicclesia
297	mar.	c	Apul.	Apol.
		h	Sos	Sor.
301	E	8	respicit	respuit
303	mar.	x	1. Tim 13	1. Tim. 3
304	D	2	temen	tamen
305	D	3	habuerint	haberent
		5	tum	tam
309	A	6	Burgandionum	Burgundionum
	C	1	tertius	tertij
311	C	12	dedisset	dederat
	E	8	incaluerat	inualuerat
		10	voluerit	voluerint
312	B	3	audebant	audiebant
		11	Aegypcæ	Aegypti
314	B	9	imprudentia	impudentia
	E	8	Tauritanensi	Taurinatensi
316	E	8	po uit	potuit
321	A	7	sunt cœlibes	sunt tamen cœlibes
323	mar.	a	C; con entu	l. consensu
327	B	5	facto	facta
	D	8	fatetur	fatetur
328	B	3	allegationem	allegationem
329	E	1	Carnocensis	Carnotensis
336	D	4	imponissimas	impur.ssimas
339	D	3	iritum	irritum
344	mar.	2	3 7 9 1	27 9.1
	E	6	foc etatis	sociatæ
346	C	11	inusti tutarum	inustitutarum
	mar.	e	Hoc l 1.n.10	Hoc l.1.c.10.n. 42. &
347	mar		LIV.	LV (seqq
349	B	10	solicitudinem	solitudinem
356	A	7	istæ	iste
359	B	7	nu.19.21.33	nu.19 20.31
360	D	7	simplicita	simplicia
362	B	7	efficiant	efficiat
	C	3	inhabilitatis	inhabilitas
364	C	6	seruierent	seruirent
367	E	2	publicæ	publicè
370	E	5	quærebatur	querebatur
375	E	7	imbecilicate	imbecillitatis
376	E	8	deflectabant	deflectebant
		10	Cœnobitum	Cœnobiticum
385	A	1	Metaphysicè	Metaphysicæ
388	B	8	reconverent	reuerterent
390	B	7	sintire	tentare
		9	secuti	sectam
391	E	2	quandò	quomodo
394	C	9	Asiariæ Asiarum	Asiæ Asianam
395	A	9	Asianorum	Arianorum
396	C	7	sublblimata	sublimata
401	A	6	quondam	quondam
		10	vnius	vnus
402	mar.	b	quæst.	quæ est
410	D	9	qui docendus	quia docendus
411	E	10	& num.22	& num.21.
412	A	1	num.25.	num.24.

Pag.	litera	lin.	Errata.	Corrige.
414	B	5	Leudicenum	Laodicenum
415	D	9	audeant	audeantur
		10	cap. 9.	cap. 7.
	E	5	electi	allecti
	mar.	2	Reatina	Reatina
			de elect. 1.	de elect. c.
		k	Auer.	Auer.
416	B	12	differtio	diffentio
	C	1	diffentionibus	diffensionibus
		8	conseruat	conseruet
417	A	3	si forte	si quis forte
422	E	4	Ecclesiastici	Ecclesiasticæ
435	mar.	h	c Epic.	c. Epi copi. & dist. 61.
444	A	4	Vicari	Vicario (c. Epi copo-
446	B	11	Ioannes	Iunes (tum
450	B	2	perdeant	pendeant
458	B	10	Synopo	Synodo
470	mar.	e	Ven.	viu
474	E	4	Patriarchales	Patriarchalis
478	B	7	typo	typho
479	B	7	num. 9.	num. 8.
	D	8	obtinent	obtinet
	mar.	b	cell. 12.	Act. 16.
480	A	9	num. 4.	num. 40
482	B	4	deberet	deberent
		10	Britius	Priscus
	E	4	quod sit	quod sit
486	E	12	antea	contra
	E	4	indargueret	redargueret
			recuperet	inciperet
487	E	8	contentione	contencione
489	C	6	vnum	vnus
490	C	10	elegere	eligere
		11	Sanctę Romani	Romani
492	B	5	præbuistis	præbuistis
497	D	8	quorum	quarum
		9	Mecropolis	Metropoles
498	E	9	autoritatem	autoritate
	C	3	matori	aliqua
499	B	5	quas	quas
			subiecuti	inuenti
500	E	8	vlus	vsum
501	E	3	oppressioni	oppressioni
502	A	6	quæduo	quæ duæ
505	A	7	inconsulteis	inconsulsis
506	B	1	consultationi	consultationi
508	A	4	emerserint	emerserit
513	E	2	Liberè	liberæ
515	D	6	posset	posuit
			vnde illum	vnde illam
	mar.	b	Protest.	Potest.
517	C	1	ratum	ratam
518	E	E	perficta	perficiè
519	C	1	nulli	nullam
520	C	10	synomima	Synonima
523	C	10	venerabiles	venerabilis
	C	22	Philadephenſi	Philadelphienſi
	mar.	g	Canone	Conone
527	D	6	cur non Romana	cur Romana
528	A	2	Quid verò	Quid enim
	B	3	Beatudini	Beatrudini
		6	probata	probata
	C	5	Dominia	Domina
533	C	8	nomun	nonum
534	B	7	assecutus	assecutos
	C	11	ve abantur	ve labarur
	D	8	Roma	Romæ
536	E	2	in Chronico	in Chronico tamen
538	E	10	dissentionem	dissensionem
540	E	3	benignè	benigna
		6	corruptelæ	corrupcelam
541	B	8	fecerunt	fecerint
		10	ponit confessis com	ponit consensu com-
552	D	11	cap. 11. (mum	lib 3 cap. 11. (muni
555	D	10	firmarum	firmatum
556	C	4	num. 14.	num 12.
	mar.	e	supra 63.	supra 13.
557	B	11	abscondre	absconditi
	E	6	Iesu Iusto	à Christo
559	D	11	confœderarentur,	confœderarentur
560	B	7	ab eo	ab ea
	D	5	virtutem suæ emittit	virtutis suæ emitter
562	A	9	seperari	superari
564	E	9	adijcient	adijceret
568	B	11	Martyrium	Martyrum
569	E	8	Romana	Roma
570	mar.	g	Mana	Menna
573	B	1	Thrasica	Thracica
	mar.	c	act. 16	act 3
574	mar.	c	act 16	act 3
581	D	1	dictis	dictis
584	B	3	exemplis	exemplis
586	E	11	dico	duo
590	A	8	hæce	hæc sententia
591	A	6	priuilegij Romani	priuilegio eiusdem Ro-
593	B	9	de nomo	de nouo (mani
	C	6	Cardinalitiæ	Cardinalitia
597	C	9	& 24 dist	
		13	consilia	Concilia
598	C	1	Diaconos	Decanos
605	C	12	fine	tantum
	D	6	adddit	addidit
606	B	12	n. 52. 53.	n 54. 55.
	D	5	cap 14	cap. 10.
607	C	11	propriores	propiores
608	E	9	Syriaci	Cyriaci

Pag.	litera	lin.	Errata.	Corrige.
	D	13	nu. 17	num. 27
611	C	1	renumeraſſe	remuneraſſe
612	C	12	ſucceſſit	ſucceſſit
	D	7	veritatis	veritatis
618	C	4	Iunium	Iunium
620	E	1	Epi copo	Epiſcopi
		2	conſiſſis	Concilijs
622	A	1	uante	ſcitant
	E	9	æquiualentum	æ quiualentem
628	E	4	expres	expreſſe
630	C	3	Illa	illum
633	D	11	cap 10	cap. 10 ad finem
638	D	4	innarunt	tuerunt
639	D	10	ignorers	ignares
	E	7	ſilii matrumque	ſi hominemque
641	C	2	exercuit	exercuit
	D	11	Iunone	Iunone
642	B	11	uperbicisè	ſuperciliosè
643	C	7	approbarunt	exprobrarunt
645	A	9	ſimulationibus	ſimulationibus
647	B	10	ſuiolum	cuiuſmodi
	C	1	vt vidimus	vt videmus
648	B	Yi	vexerat	vexat
	D	4	omnibus nobis	omnibus vobis
	E	2	ſecuriſin	ſecuriſſime
651	B	2	pugna e	purgare
654	A	9	& inuij	& non inuij
655	A	D	Con.	Conſ.
656	C	6	inconſidera te	inconſideratè
658	B	3	maxiuue	maximæ
	C	3	ad verbum	ipſum
	D	7	Concinum	Concilium
	E	7	comuisione	commissione
659	B	3	conſiuio	Concilio
		4	ſunc	ſine
659	D	4	iud cium	iudicium
660	A	8	quinquageſimum	quingenteſimum
		6	perſecutiones	moleſtias
	B	2	Capata	Capita
661	C	1	delectus	deſertes
661	D	12	ceculle	ceſſaſſe
669	E	5	ija	ea
674	D	12	conſiſtiatur	conciliatur
677	A	7	ad num. 8	ad num. 9
	B	1	ad num. 16.	ad num. 14
		4	num. 17.	num 15
		5	num 18.	num. 16
		6	num 19.	num 17
		7	num. 20. 21.	num. 18 19
		9	num. 22. 23. 24.	num 20. 21. 22.
684	E	V	ingruentos	ingruentes
686	A	3	Eccleſia	Eccleſiæ
688	A		acc ſiuſtis	accenſiuſtis
	B	10	Romanus	Romanum
			primus	primas
			quia	quin
689	E	8	commiſſum	commiſſam
692	A	3	Florentium	Florentinum
693	B	12	poſſint	poſſit
695	B	10	quum	quod
696	D	8	Patricha	Patriarcha
697	A	1	Zeſium	Zeſium
	E	2	tum	tum fortè
698	A	7	ſuſtique	veritatis
	D	7	num. 78.	num 7. 8.
701	A	8	allegatos	alligatos
	D	4	illos	illas
705	mar.	a	c 6.	c 7.
706	C	2	addicantur	addicuntur
	D	4	defenſione	defenſione
707	D	4	Athanaſio	Athanaſium
		6	poenitentiam	poenitentium
708	A	11	conſilij	Concilij
710	mar.	E	ea verba	in ea verba
715	C	2	Pontificet	Pontificis
	D	9	Hadrumentinus	Hadrumetinus
718	A	2	vnculo	vinculo
719	E	1	dicentes	dicentis
	C	10	loquar	loquor
735	A	4	agnoſcit.	agnouit
	B	3	vnus	verum
737	C	3	portæ	portæ
		9	patrium	patrinus
740	E	3	promouebat	promouebat
741	A	3	moriturus	moritur
746	C	2	fierę	fieret
	E	6	fiert	fieret
748	D	8	deuiendum	deuiendum
754	C	1	numa 3.	num. 14.
		2	à n. 14 ad n. 17	à n. 18 ad n. 18.
		4	n 18. 19	n 19. 20.
		8	à num. 20, ad finem.	à num 21 ad n. 26. E- (ius que ad finem.
	D	10	proficuæ, etſi	proficuæ. Etſi
756	C	9	quique	quique
758	B	7	coſtat	conſtat
761	B	11	num. 22.	num. 27.
765	E	7	ieciam	ieciam

Adſunt & alia ſimilia, quæ lector ipſe facilè emendabit, & ne ſim longus omittam.

Inſuper ſunt errores in typis, vt in fine libri trabium 2 & ad ſeptimum lin. 3. antenno, lege trientio.

Digitized by Google

Digitized by Google